DIRECTORIVM

SIVE MANVALE

PRAELATORVM REGVLARIVM.

SECVNDVS TOMVS.

AVCTORE FRATRE LVDOVICO DE MIRANDA, ORDINIS MINORVM REGVLARIS OBSERVANTIAE, PROVINCIAE SANCTI IACOBI Prouinciale Miniſtro, in Salmanticenſi Academia Lectore iubilato, ac officij ſanctæ Inquiſitionis iam olim Qualificatore.

AD REVERENDISSIMVM, SAPIENTISSIMVMQVE Patrem noſtrum, Fratrem Antonium à Trejo, totius noſtræ ſacræ & Apoſtolicæ Religionis Minorum Fratrum Generalem, digniſſimumque Moderatorem.

CVM PRIVILEGIO.

EXCVDEBAT SALMANTICÆ Suſanna Muñoz, Anno à Chriſto nato. M DC XV.

TASSA.

YO Geronymo Nuñez de Leó, Secretario de Camara del Rey nueſtro ſeñor de los q̃ reſidẽ en ſu Cõſejo, doy fè q̃ auiẽdoſe viſto por los Señores del, vn libro intitulado *Manuale Prælatorũ Regulariũ*, ſegundo tomo, cõpueſto por el Padre fray Luys de Miranda, de la Orden de ſeñor ſan Franciſco, Lector jubilado, y Prouincial de la Prouincia de Santiago, que con licencia de los dichos Señores fue impreſſo. Taſſaron cada pliego de los del dicho libro à quatro marauedis, y parece tener ciento y cincuenta y cinco pliegos, que al dicho reſpecto, monta ſeyſcientos yveynte marauedis, y à eſte precio mandaron ſe vendieſſe y no à mas, y que eſta taſſa ſe ponga al principio de cada libro de los que aſsi ſe imprimieren. Y para que dello conſte, de mandamiento delos dichos Señores del Conſejo, y de pedimiento del dicho Padre fray Luys de Miranda, doy eſta fee. En Madrid à ocho de Mayo de 1615.

Geronymo Nuñez de Leon.

ERRATA.

PAG. 1. col. 1. lin. 12. eadem quã de fecerunt. leg. cadẽ defecerunt. pag. 141. col. 1. lin. 18. Homevnu. leg. Hoc vnum. pag. 227. col. 1. lin. 3. nolo. leg. volo. pag. 239. col. 1. li. 13. conſeoentiã. le. conſequentiam. pag. 280. col. 1. lin. 37. fecerimes. leg. fecerimus. pag. 287. col. 2. lin. 14. qui. leg. quod. pag. 290. col. 2. lin. 34. demus. leg. debemus. pag. 308. col. 1. lin. 11. dicere. leg. dicit. pag. 327. col. 1. lin. 15. ipſimet. leg. ipſiuſmet. pag. 330. col. 1. lin. 3. iura. leg. iure. pag. 373. col. 2. lin. 23. non. le. ſi non. pag. 402. col. 1. li. 1. voluint. leg. voluit. pag. 421. col. 1. li. vlt. mator, leg. minor. pa. 460. col. 1. lin. 46. ponant. leg. ponat. pag. 484. col. 1. lin. 26. eiſdem. leg. eidem. pag. 551. col. 1. lin. 44. ſancau. leg. ſuam. pag. 557. col. 1. lin. 8. primitiuę. leg. primitię.

Con eſtas Erratas eſta impreſſo conforme à ſu original, eſte libro intitulado (Manuale ſiue Directorium Prælatorum Regularium tom. 2. &c.) en fee de lo qual lo firme. En Salamanca oy 18. de Abril 1614.

El Corrector, &c.

Manuel Correa de Monte Negro.

REVERENDISSIMO, SAPIENTISSIMOQVE atque Religioſiſsimo Patri noſtro, fratri Antonio à Trejo, totius Seraphicæ & Apoſtolicæ Religionis Minorum fratrum generali, digniſsimoque moderatori, Frater Ludouicus de Miranda, eiuſdem Ordinis & Prouinciæ Diui Iacobi Miniſter. Salutem atque perpetuam fœlicitatem exoptat.

SEcundum noſtri *Manualis ſiue Directorij Prælatorum Regularium tomum, Romæ primum illuſtriſsimo Pompo. Arigo. S.R. E. Cardinali, noſtriq; Ordinis protectori dicatum, in his Hiſpaniarum partibus nunc denuo typis cuſum, aliqualique maiori diligentia & ſtudio elimatum, caſtigatum atque correctum, Reuerendiſsimæ Paternitati tuæ dicandum & conſecrandum conſtituti, & vt in lucẽ ad communem & publicam omnium vtilitatem prodiret ſub tutela & protectione grauiſsimi tui, & ſplendidiſsimi nominis, non quidem abre ſed conſultiſsime. Vt vel ſic Patroui Protectores, Mecœnates, & defenſores ſibi inuicem correſponderent, & meus iſte liber exilis ingenioli mei exiguus fœtus, in mũdi huius vaſtiſsimo atque ampliſsimo theatro iudicio vulgi expoſitus, tuo patrocinio ſuffultus, omnino liber euaderet, defenderetque à detractorum veneno ſis morſibus, à quibus vt credo, ſcriptorum nullus immunis vnquam extitit. Ne obſecro Reuerendiſsime, Sapientiſsime atque Religioſiſsime Pater, ægre hoc patiaris, quin vero, cui ſemper opem, auxilium, honorem atque fauorem præſtitiſti, tueri, fouere, & alis tuæ protectionis iuuare & protegere, in præſentiarum non deſinas. Familiare quidem eſſe noui, auctoribus & ſcripteribus cunctis, qui libros ſuos illuſtriſsimis & præſtantiſsimis viris dedicant, & conſecratos eſſe volunt, miris illos atque exquiſitiſsimis encomijs in cœlũ vſq; conari euehere & extollere, maiorũ ſuorũ proferendo, oſtẽdẽdo, ac veluti toto mũdo mõſtrãdo & publicãdo, antiquitatem nimiam, perilluſtrem proſapiam, ſanguinis claritatem & ſplendorem, ſuam etiam ſapientiã, prudentiam, bonitatem, morum grauitatem, in rebus gerendis dexteritatem, & id generis multa alia, quæ quidem ipſe, præſenti in Epiſtola, tuto, recte & facile abſque cuiuſpiam iniuria poſſem efficere, at hæc omnia duplici ex cauſa permotus, ſciens & prudens, atque conſulto prætermittenda duxi. Harum eſt prima, pro eo quod Reuerendiſsimæ Paternitatis tuæ à pluribus annis eximiam humilitatem, ingentem modeſtiam, & ad inanes laudes auerſionem nimiam expertus, timerem certe hac in re, illius aures offendere, quem alias gratiſsimum habere volo, ſummoque ſtudio inſeruire deſidero, eſſetque præterea idipſum facere, vt mihi videtur, nihil omnino aliud, quam ſolẽ lucere atque ſplendeſcere velle digite demonſtrare. Secũda vero, nec minoris ponderis aut momenti cauſa fuit, quia iuxta receptiſsimam omnium ſententiam, laudatorio muneri incumbentem, magno certe oportet ingenio pollere, multa ſcientia, ſapientia, eruditione, ac dicendi arte præſtare, diuturna exercitatione præditum eſſe, doctiſsimorum præterea, atque eloquentiſsimorum hominum facundiam habere, vt vel ſic eleganti ſtylo, iucundo eloquio, miris & exquiſitis coloribus eius, quem laudare deſiderat, virtutes præclaras, ingentia encomia, (quod in aliorũ admirationem vergat) poſsit manifeſtare & oſtendere. Quæ ingenti ſupellectili, cum me adeò cernam deſtitutum, exilis ingenioli mei hebetem falcem, in rectorum alienam meſſem profecto mittere extimui, ſumant hæc munia, oratoriã autem qui plenius norunt, qui in eiuſmodi rebus amplius exiſtunt exercitati, laxent vela ventis, ipſe vero cum ad id in me nulla omnino reperiatur condignitas, contentus ſatisero, ſi in pertractandis Theologicis quæſtionibus & difficultatibus, quæ in hoc noſtro Manuali ſiue Directorio Prælatorum Regularium continentur, Reuerẽdiſsimæ Paternitati tuæ, aliquid gratum effecero. Suſcipies igitur (Reuerendiſsime Pater) non tam donum quam animum perpendens atque conſiderans, exiguum hunc, ſtudiorum ac laborum meorum fructum, qui & eius, quo teneor deſiderio maximo, in maioribus tibi inſeruiendi, aliquale ſit indicium, & veluti quoddã certiſsimum pignus. Valeas (Pater Reuerendiſsime,) è noſtro grauiſsimo atque Religioſiſsimo Salmanticenſi Conuentu, 20. die Maij, 1615.*

Reuerendiſsimæ Paternitati tuæ obſequentiſsimus
Frater Ludouicus de Miranda.

¶ 2

IN primo noſtri Manualis ſiue Directorij Prælatorum Regulariũ tomo, prẽmiſſa religioſi ſtatus inſtitutione, & origine, quã potuimus breuitate, claritate & diſtinctione, atque ingenti (vt credo) reſolutione vtcumque tradidimus, quæ in cõmuni praxi obſeruanda ſunt, ab omnibus in vniuerſum religioſis ſubditis, & ad ipſorum pertinent ſtatum ſiue inſtitutum. At in hoc ſecũdo, id ipſum Deo dante fiet de ſpectantibus ad Prælatos, cunctoſque Eccleſiaſticos iudices, & ad rectam ſuorum munerum, & officiorum adminiſtrationem, initium deſumentes, à conditionibus & qualitatibus in eildem requiſitis, tã quoad genus ſiue generis munditiam, quam quoad ætatem, legitimitatem, ſcientiam atque ſufficientiam, quam eoſdem oportet habere, de iure communi, & ſecundum generales noſtras conſtitutiones. Et ad particularia deſcendẽdo traduntur, ponuntur atque ſtatuuntur omnia, quæ obſeruanda ſunt, circa celebrationem quorumcunque capitulorum, tam generalium, quam Prouincialium, & in electione canonica omnium Prælatorum: & dicitur copioſiſsimè atque diſertiſsimè quid cuiuſque eorum proprio incũbat officio & muneri. Poſt hæc ad aliqualem ipſorum inſtitutionem, pro eis ſaltem qui necdum iuri ciuili aut canonico, verum etiam nec Theologiæ ſacræ, aliquam operam dederunt, breuem quãdam, & reſolutam nimis fecimus tractationem de rebus pertinẽtibus ad legum, conſtitutionũ, ſtatutorum & conſuetudinum materiã, necnon & copilationem omniũ, quę in iure tam canonico quam ciuili continentur. Explicanturque & declarantur omnes fere quæſtiones & difficultates, quæ ad cenſuras eccleſiaſticas ſpectant, & ad regularia priuilegia, quibus poſt ſacrum Concil. Trident. & varias poſtmodum editas ſummorum Põtificum conſtitutiones, perfrui & gaudere poſſunt omnes in vniuerſum religioſi. Multa præterea traduntur, quæ breui non poſſunt comprehendi ſermone, & vt credideri, intuentibus iniucundum non erit legiſſe. Immenſus quidem labor, cui ferendo viro tot ac tantis in rebus diſtento, humanę vires, vix videbantur ſufficere, ſed qui Dei Opt. Max. adiutorio & gratia, pro eo, quo teneor reipublicæ iuuandæ deſiderio, facilis mihi factus fuit atque ſuauis. Id obſecro cedat in eiuſdem laudem & gloriam, ſanctiſsimęque ſuæ matris, ac Seraphici Patris noſtri Franciſci, diuorum etiam & glorioſiſsimorum, Antonij, Ludouici, Bonauenturæ, & Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici, quos à primis incunabulis, patronos ſemper habui, & fautores atque protectores elegi. Quorum etiam auxilium, clementiam & benignitatem implo ro, vt plura alia opera, quæ cœpta ſunt, non quidem minori, quin vero forſan maiori æſtimatione & conſideratione digna, edique parantur indies, optatum ſuum conſequãtur finem, ad Eccleſię totius vtilitatẽ publicam, ſed priuatam religioſorum omnium & Prælatorum regularium, quã maximè inſtitutionem & directionem.

DIRE-

DIRECTORIVM PRAELATORVM REGVLARIVM.

SECVNDVS TOMVS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Prælatis Regularibus, quantum ad genus, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum deſcendentes ex Iudæis, Sarracenis ſiue hæreticis, in noſtro ſacro Minorum Ordine, eligi & aſſumi poſsint, in Superiores & Prælatos.

PRO huius articuli intelligentia, & vt paremus viâ ad ea quæ in ſubſequentibus ſunt dicēda, nonnulla oportet præmittere fundaméta. Et primo oportet ad notare, quod ſtādo in iure cōmuni, & regulariter loquendo, omnes in vniuerſum fideles baptizati, qui Chriſti fidem ſemel ſuſceperunt, & per infidelitatem contrariam, ab eadem quam defecerunt, aut retroceſſerunt, cuiuſcumque ſtatus & conditionis extiterint, Iudæi licet ſint, Græci aut Gentiles, ſeu potius ab eiſdē deſcendentes, à quacumq; natione ſuum trahant ortum & originem, ſi aliàs apti & habiles inueniātur, admittuntur & recipiuntur, recipi & admitti poſſunt & debent, non ſolum ad gratiā & ad gloriam ſuſcipiendam, poſtquam ſemel in Eccleſiā recepti ſunt, verum etiam (reſpectiuè loquendo) & ad quæcumque munera & officia, quæ in Chriſtiana Republica haberi poſſunt, & ad quaſcumq; præfecturas & Dignitates Eccleſiaſticas, abſq; delectu & diſcrimine. Hoc eſt certiſsimum atque conſtitutiſſimum, & abſque omni prorſus dubio, ſtando in iure cōmuni, & regulariter loquēdo. Et quidem quantum attinet ad gratiam & ad gloriā, & ea omnia quæ ad animā, & æternam ſalutē ſpectāt, ex innumeris ſacræ Scripturæ locis, idipſum facilè erit colligere, ſed maximè ex doctrina D. Pauli ad Rom. 3. & 10. & in innumeris alijs ſuæ doctrinæ locis, qui expreſſe dicit nō eſſe diſtinctionē faciēdā, Iudæi & Græci, nam idē Dominus omniū, diues in omnes, qui inuocant illū. *Omnis enim*, inquit, *quicūq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Quibus cōcinit, & id quod in Actib⁹ Apoſtolorum, ca. 10. dixiſſe fertur olim D. Petrū, poſt viſionē illam magnā, de linteo illo magno, quod quatuor initijs ſubmitti videbatur de cælo, *In veritate*, inquit, *cōperi, quod nō eſt perſonarū acceptio apud Deū, ſed in omni gente qui timet eū, & operatur iuſtitiā acceptus eſt illi.* Hac itaq; de re nulli dubiū, nullā ſcilicet prorſus habēdā eſſe rationē, diſtinctionē ſiue differētiā, generis Iudæi aut Græci, quātū attinet ad gratiā & ad gloriā, & ad ea quæ ad animæ ſalutē ſpectant. Sed quātū ad officia munera atq; dignitates Eccleſiaſticas ſiue ſeculares, quod in his etiā, ſtando in iure cōmuni, nulla ſit faciēda diſtinctio, inter Iudæos, Græcos & Gētiles ex iure Canonico atq; Ciuili, facile eritcolligere, ſed ſpecialiter in iure canonico, ad hoc propoſitū

1. Nota.

positum multa reperientur capitula. Facit in primis ad hoc, *cap. eam te de rescriptis.* vbi Alexander III. Tornacensi Episcopo scribens, eumdem acriter reprehendit, pro eo quod quandam Ecclesiæ suæ prębendam, cuidam de genere Iudæorum originem trahenti, conferre noluerit, & est textus ad hoc propositum satis notabilis. & qui communiter à Doctoribus adducitur, quo loco prætatus Pōt. post multa alia, insequętia verba prorupit: *Nā pro eo quod Iudæus extiterit, ipsum dedignare non debes.* Quæ quidem verba exponens ibidem Glossa, verbo, *Iudæus*, inquit, pro eo ab ipso dicta fuisse, *quoniam de Iudæis conuersis Ecclesia fundata fuit.* Pro quo allegat, *cap. in nono. dist. 21. & cap. recurrat. 32. q. 4.* Et addit. *quod propterea quod ille Iudæus extiterit, potius debuerat laudari & commendari, quam repelli aut repudiari, postquam ad fidem ipse voluntarié conuersus est.* Facit & ad hoc, *capit. ad decorem, de institutionib. & cap. venerabilis, de præben. & dignitat.* Multa que alia capitula & iura, ad hoc propositum in iure Canonico reperire licebit, quæ breuitatis gratia facio milla. Nam quamuis etiam reperiatur ibidem, *cap. statutum el 2. de hæreticis. lib. 6.* vbi ab officijs & dignitatibus, excluduntur omnes; intra secundum gradum per paternam lineam, per maternam vero intra primum, ab hæreticis descendentes, illud tamen non obstat præmissis; quia vt ex eodem capitulo, & ipsius titulo satis constat, solummodo loquitur, locumque habet in hæreticis, quales sunt qui postquam fidem semel susceperunt, ab ea penitus defecerunt, siue retrocesserunt, ab ipsis que intra dictos gradus descencentibus, non autem locum habet in Iudæis, Gentilibus, Ethnicis siue Sarracenis, ipsorumque filijs, seu ab illis ortum & originem trahentibus, qui fidem nunquam receperunt, aut post eandem susceptam, ab eadē nūquam retrocesserunt: hi enim non comprehenduntur, aut comprehendi possunt, in supradicto decreto & capitul. statutum.

Nota quod infidelitas præcedens, in promotionibus nō nocet, nisi fuerit hæresis, aut conuersio recens.

Quod vnanimi consensu, tenet communis omnium DD. corona, sed specialiter hac de re, consulatur Felin. *in supradicto cap. eam te*, vbi ex eo colligit ac ponit pro regula, *quod infidelitas prędecedens, in promotionibus non nocet, nisi fuerit hæresis aut conuersio recens.* Id quod est certissimum atque constitutissimum, stando in iure communi, Canonico atque Ciuili, ni forte propter specialem aliquam rationem & causam, contrarium alicubi reperiatur determinatum. De quo sit secundum notabile.

2. *Nota.*

Secundo præmitto, quod quamuis supradicta omnia vera sint stando in iure communi, Canonico atq; Ciuili, adhuc tamen aliqua reperiuntur statuta, loquendo de iure speciali & priuilegio, & Constitutiones Summorum Pontt. quibus auctoritate Apostolica, non quidē ex odio generis, sed propter aliquas speciales rationes, iustas, legitimas ac multum rationabiles causas, non solū hæretici supradicti, ab ipsisque descendentes intra prædictos gradus, verum etiam & Iudæi, Sarraceni, eorumq; successores, ad certum vsq;, & determinatum gradum, præfixumq; terminum, excludūtur atq; inhabilitantur, ad quæcumq; honoris officia & dignitates, tam Ecclesiasticas quam seculares, quod vt resoluit Nauarr. lib. 3. consil. de Regu. cōsil. 26. & lib. 5. tit. de Iudæis & Sarr. consil. 1. & ti. de hæret. consil. 22. cum sit expresse contra ius cōmune, nullus Summ. Pont. inferior, aut sine ipsius speciali licentia & permissione, vllo modo efficere potuisset, vt etiam nos latissime diximus, in prę ced. tom. q. 19. ar. 7. not. 2. dicemusque amplius infra, cum de statutis & cōstitutionibus nostri sacri Ordinis, specialem fecerimus mentionem. Sed vt in pręsenti ad particularia descendamus, dico quod inter constitutiones alias, quę hac de re circūferuntur, specialis ac multum notatu digna est, quędam Pauli IIII. facta anno 1558. die 24. Aprilis, Pontificatus sui anno 4. Vbi innouans similem aliam Clementis VII. datam Romę anno Domini, 1525. die 14. Martij, reuocatam a Iulio III. anno Domini 1550. die 10. Octob. auctoritate Apostolica statuit, ordinauit atq; determinauit. *Quod deinceps nullus secularis, qui Iudæus siue hæreticus fuerit, seu a Iudæis vel hæreticis quorum progenitores paterni siue materni, vtpote viuentes, siue defuncti, vsque ad quartā generationem inclusiue, hæretici declarati & vt tales condemnati, & illi seu eorum corpora & ossa, seu eorum statuæ igni traditæ fuerint originem trahens, seu ex descendentibus prædictorum Iudæorum & hæreticorum, vsque ad quartam generationem inclusiue, fuerit vel sit, in totius Ordinis Fratrum D. Francisci, Fratrem dicti Ordinis, in quibuscumque locis & mundi partibus, vbi religio & Ordo Fratrum huiusmodi fuerit, aliquo modo sub quouis prætextu & quæsito colore, sub pęnis infrascriptis, eo ipso per sic recipientes & admittentis, absque declaratione aliqua incurrendis, recipi & admitti possint.* Hęc sunt expressa verba supradicti Pauli IIII. loco supracitato, vbi agit de receptione Nouitiorum, seu nouiter conuersorum ad Ordinem. Sed inferius agendo de iam receptis, & in nostro sacro Ordine existentibus, prohibere etiā volens, ne aliqui ex huiusmodi ad Ordinis officia, & dignitates admittantur, in sequentia verba prorupit: *Et si aliqui tempore Datæ pręsentium, inter Fratres Minores totius dicti Ordinis S. Francisci, in quibuscumque locis & mundi partibus, vbi religio & ordo Fratrum huiusmodi similiter fuerint, qui olim Iudæi seu hæretici fuerint, seu a similibus Iudæis vel hæreticis quorū similiter parentes & progenitores, paterni siue materni, viuentes seu defuncti, vsque ad quartam generationem inclusiue, hæretici declarati, & vt tales condemnati, ac illi seu eorū corpora & ossa, vel statuæ igni tradita fuerint, originē trahentes seu descendentes, vsque ad quartam generationē inclusiue, etiam ad quascumque dignitates, beneficia & officia Ecclesiastica obtinenda & exercenda, præmissis non obstantibus, sufficienti dispensatione, seu indulto sufficienti reperiantur, in Ministros Generales, seu Prouinciales, ac Cōmissarios generales, seu quoscumque alios Cōmissarios, vel Guardianos aut prædicatores, etiamsi alias sortiti fuerint, ad huiusmodi officia, Generalatus, Commissariatus generalis, & cuiuscumque alterius Commissariatus, Prouincialatus, seu Guardianatus, & prædicationis eligi & assumi, nullatenus de cætero eligi, assumi seu recipi possint, electioque & assumptio, seu receptio de illis facta ad officia prędicta, si fieri contigerit de facto, nullius sit roboris vel momenti, & pro non facta habeatur, nec vigore electionis, assumptionis seu receptionis prędictæ, illi sic electi, aliquid administrare seu prædicare possint, sed omnia & singula per eos sic electos & assumptos, de facto administrata & gesta, viribus careant, & nullam prorsus firmitatem obtineant, nec ius alicui tribuant.* Habetur

Nota Pauli IIII. cōstitutionem, circa descendentes ex Iudęis vel hęreticis, intra quartum gradum.

Nota à quib⁹ ſūmis Pōtifi-cib⁹ ſit cōfirmata ſupradicta Pauli IIII. Conſtitutio, & de varietate quæ hac de re reperitur in priuilegijs

betur vbi ſupra. Poſtmodum vero proſequitur, præcipiendo, prohibendo & inhibendo, vt talibus ſic electis, à ſubditis nulla omnino præſtetur obedientia, ſed de hoc aliàs ſuo loco dicemus. Supradictam Pauli IIII. Conſtitutionem, ad literam confirmauit poſtmodum, Pius IIII. anno Domini 1559. Pontificatus ſui anno 5. Menſis Decembr. die 5. cuius cōfirmatio & bulla incipit, *Prouiſionis noſtræ*. Et quamuis Pius V. anno Domini 1571. in quadam alia ſua Conſtitutione Extrauaganti, quæ incipit, *Paſtoralis officij*, Conſtitutiones prædictas, Pauli Quarti & Pij Quarti, limitauerit, atque reſtrinxerit, ad ſecundam vſque generationem ex parte patris, primam vero ex parte matris, ſicut ipſas reſtrinxerat, & limitauerat antea, Iulius Tertius, vt conſtat ex Pauli Quarti Conſtitutione prædicta, at poſtmodum Gregorius XIII. anno Domini 1574 reuocando prædictam Conſtitutionem Pij Quinti, iterum confirmauit ſupradictam Pauli Quarti & Pij Quarti, ac de nouo ſtatuit vt ſeruaretur omnino, & præcepit quod vltra prædictos, etiam extenderetur ad deſcendentes ex Sarracenis, vſque ad quartam generationem incluſiue. Incipit hæc Gregorij Conſtitutio, *Conſueuit*. Et licet non deſint qui affirmare audeant, fuiſſe ipſam poſtmodum reuocatam, à Sixto Quinto, præcipiente vt Conſtitutio Iulij Tertij & Pij Quinti præfata ſeruaretur, & hanc reuocationem, ſcriptam reperiri dicant in libro Ordinis, qui habetur in Conuentu de Araceli, in Archiuo Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ, cum tamen hoc ibidem haud quaquam inueniatur, neque eius rei vlla certa habeatur fides, ſiue aliquod reſcriptum authenticum, dicendum proculdubio videtur, circa hoc eſſe ſtandum Conſtitutionibus ſupradictis, Pauli Quarti, & Pij Quarti, & Gregorij Decimi Tertij, ac iuxta ipſas decernendum & determinandum, quidquid ſeſe obtulerit in prædictis.

De differētia quæ verſatur, circa intelligentiam præ dictarum Conſtitutionum.

Tertio præmitto, quod quamuis etiam circa prædictarum Conſtitutionum intelligentiam, explicationem & declarationem, magna ſit lis & controuerſia inter Doctores, qualiter debeant intelligi, obſeruari ac practicari, vt nos latiſsimè diximus, in primo tomo loco ſuperiuscitato, in quarto notabili, aſſerentibus quibuſdam, quod Conſtitutiones prædictæ, generaliter comprehendunt omnes in vniuerſum Iudæos, Sarracenos & hæreticos, ab eiſdemque deſcendentes, intra quartam generationem incluſiue, abſque vlla prorſus limitatione: affirmantibus vero alijs, quod non ita ſe res habet, neque comprehenduntur ſupradicti omnes, niſi cum hac conditione & limitatione, nempe quod eorum, ſeu progenitorum ſuorum corpora, ſimul concremata ſint igni tradita, intra prædictam quartam generationem, vt latius patet in ſupradicto quarto notabili, & adductis ibidem, hinc inde rationibus & argumentis, quæ circa difficultatem iſtam, pro vtriuſque opinionis parte verſantur: vt quod hac in re tenendum eſt, & verius atque probabilius videtur, paucis dicamus, ſequentes ſtatuo concluſiones, quibus ad vnguem explicabuntur, omnes ſupradictæ Conſtitutiones.

Prima Concluſio.

Qui in noſtro ſacro Ordine, intra quartū gradum deſcēdāt, ex Iudæis Sarracenis, ſeu hæreticis, non poſſunt in Prælatos eligi, & electio de eis facta, eſt ipſo iure nulla.

NVllus ſacri noſtri Ordinis Frater, ex infecto genere natus, qui olim Iudæus, Mahometanus aut hæreticus extiterit, ſeu deſcendat intra quartam generationem ex conuerſis Iudæis, Mahometanis, Sarracenis aut hæreticis, quorum corpora, oſſa ſeu ſtatuæ, igni fuerint traditæ & concrematæ, in Prælatum poteſt eligi, & electio de eo facta eſt, ipſo iure irrita & nulla. Hæc concluſio habetur expreſſa, in prædicta Conſtitutione Pauli Quarti, ab illis verbis: *Et ſi aliqui tempore datæ præſentium &c.* vſque, *Viribus careant, & nullam prorſus firmitatem obtineant, neque ius alicui tribuant.* Quibus verbis agit de Prælatis iam electis, tempore quo facta fuit, ſupradicta Conſtitutio. Quibus etiam aut omnino ſimilibus vtitur infra, agendo de Prælatorum electionibus poſtmodum faciendis, quæ breuitatis cauſa in præſentiarum omittuntur: nam vt dictum eſt, tota Conſtitutio ad vnguem, habetur expreſſa in dicto primo Tomo, quæſtion, decima nona, articul. ſeptimo, & habetur ab illis verbis: *Diſtrictius inhibentes*. vſque, *decernentes irritum & inane, &c.* & infra apponitur excommunicationis latæ ſententiæ pœna, contrarium facientibus, quod eſt valde notandum ac memoriæ commendandum.

Secunda Concluſio.

Qualiter intelligenda ſit ſupradicta cōſtitutio, circa deſcendētes ex Iudæis, ſeu Sarracenis.

NOn eſt neceſſum ad hoc vt quiſpiam, in hac Conſtitutione comprehendatur, quod ſimul ſit Iudæus aut Mahometanus, ſeu potius ex Iudæis aut Mahometanis deſcendens, & quod progenitorum ſuorum corpora aut oſſa, igni fuerint tradita & concremata, intra quartum gradum, vt non in Superiorem atque in Prælatum, noſtræ ſacræ Religionis poſſit eligi, præfici ac aſſumi, quin vero etiam ſi progenitorum ſuorum corpora (vt præmittitur) intra quartum gradum, non fuerint concremata & igni tradita, ſi ex ſupradictis Iudæis ſiue Mahometanis, intra quartum gradum deſcendat, in ſupradicta Conſtitutione comprehenditur, per ipſamque excluditur. Hæc concluſio, probatur in primis per ſupradicta, & per ea quæ latiſſimè diximus in primo tomo, quæſt. 19. art. 7. de mente Nauarri, in quarto notab. vbi ni fallor luculenter oſtendimus, hanc eſſe veram & genuinam, ſupradictæ Conſtitutionis Pauli Quarti intelligentiam, explicationem & declarationem. Et quamuis vt ibi etiam diximus, contraria ſententia non omnino videatur improbabilis, loquendo de æquitate, clementia & pietate, & vt cumque practicari poſſit, quantum ſpectat ad receptionem alicuius Fratris ad Ordinem, non tamen (vt mihi videtur) conuenit vllo modo vt practicetur, quantum attinet ad Prælatorum præfectionem, & electionem, & ad promouendos ipſos, & præſtandas illis præfecturas & dignitates, quin vero oportet quam maximè, vt non amplietur quoad hoc Conſtitutio ſupradicta, ſed obſeruetur ad literam, & in ſuo remaneat vigore. Sint igitur con-

tenti qui eiuſmodi ſunt, vt æquitatis, bonitatis, atque benignitatis gratia, iuxta probabilem quorumdam opinionem, contra probabiliorem (vt ne dicam contra conſcientiam, & contra omnem prorſus rationem) admittantur & recipiantur ad Ordinem. Nam quod neophyti, ideſt, noui in fide, non admitti debeant, ad Præfecturas ſiue Prælatias, etiamſi ſint ex Gentilibus orti & nati, cum non ſint veterani milites, ſed noui & ex nouiter conuerſis deſcendentes, non habito reſpectu ad conſtitutiones ſupradictas, in ſacris Canonibus atque Concilijs, multa id nos iura & capitula docent. In primis facit ad hoc, *cap. prohibentur diſtinct.* 48. vbi id expreſſe habetur. Et Concilium Nicænum, capit. 2. quod refertur, *in capit. quoniam, eadem diſtinct.* 48. Concilium etiam Sardicenſe canone 13 & Laodicenſe capit. 3. Diuus etiam Gregorius libro quarto Moralium, idipſum aperte dicit, ſed expreſſius in epiſtola quam ſcripſit Syagrio Epiſcopo, & alijs Epiſcopis, quæ habetur libro ſeptimo epiſtol. 100. & refertur, *in capitul. ſicut neophytus* 48. *diſtinct. ſupradicta*, vbi ad hoc propoſitum, habentur plura, eaque notatu digniſſima, quæ facile ibidem poterit videre quilibet. Sed præterea ratio in id eſt appoſitiſſima, nam, vt inquit Innocentius Papa I. in epiſtol. 12. quæ eſt ad Aurelium: *Miſerum eſt eum fieri Magiſtrum, qui nec dum nouit eſſe diſcipulus, ſummumque ſacerdotium adipiſci, qui in nullo ſacerdotij gradu prius fuit exercitatus.* Hinc & *in c. conſtituit* 17. q. 4. quod eſt deſumptum ex Conc. Tol. 4 capit. 64. ſtatutum habetur, *vt Iudæi aut ij qui ex Iudæis ſunt, officia publica nullatenus appetant.* Redditurque ibidem ratio, *Quia* inquit Concilium, *ſub hac occaſione Chriſtianis iniuriam quandoque faciunt.* Facit & ad hoc, *capit. nulla officia, diſtinct.* 54. vbi ſimilia verba habentur, & Gloſſa explicando verbum, *Iudæis*, dicit eſſe intelligenda, de Iudæis de nouo ad fidem conuerſis, vel de illis qui ex familia ipſorum ſunt. Quid clarius dici potuit. Multa ad idipſum iura, & capitula poſſent adduci, quæ breuitatis cauſa facio miſſa, cum ſi obſeruari velint, ſuperque latis dicta ſufficiant.

Nota quod etiam ſtando in iure cõmuni, dignitates nõ ſunt conferendæ nouiter cõuerſis, ſiue ſint ex Gentilitate, ſiue ex Iudaiſmo.

Tertia Concluſio.

Qualiter ſit intelligenda, dicta Pauli IIII Cõſtitutio, circa deſcendẽtes ex hæreticis.

PEr ſupradictam Pauli Quarti conſtitutionem, à Prælationibus & dignitatibus, etiam excluduntur hæretici, & ex eis deſcendentes, quorum corpora & oſſa, intra quartam generationem, fuerint concremata & igni tradita. Hæc concluſio conſtat expreſſe, ex ſupradictis Conſtitutionibus, & ex his quæ circa earum explicationem & declarationem, in 1. tom. diximus, q. 19. art. 7. not. 4, Nam verba illa, *quorum corpora & oſſa*, in dictis Conſtitutionibus contenta, ad ſupradictos tantum hæreticos referuntur, debentque referri. Hi enim ſolum modo ſunt, qui à ſecularibus iudicibus, ex relaxatione Inquiſitorum, propter amiſſam fidem ſemel receptam, ab eadem apoſtatantes, debent & ſolẽt concremari ac igni tradi. Quod cum Bonifacius VIII. in dicto cap. *ſtatutum el 2. de hæreticis. lib. 6.* reſtrinxerit & limitauerit, ſolummodo ad primum & ſecundum gradum, per paternam lineam, per maternam vero ad primum, vt ſupra diximus, prædictus Paulus IIII. quantum ad ſuſceptionem noſtri habitus, & quantum ad Præfecturas & Prælatias, extendit atq; ampliauit illud, vſque ad quartum ex vtraque parte, paterna ſcilicet atque materna incluſiue. Sed aduertere licet, quod vtitur dictione copulatiua, *ac*, quæ quidem dictio vtraq; verba coniungit, præcedentia nempe & ſubſequẽtia, quo meo quidẽ videri datur intelligi, quod ad hoc vt ſupradicti ex hæreticis, vt præmittitur in tra quartũ gradum deſcendentes, à ſuſceptione habitus & ab officijs Ordinis, & dignitatibus per dictam Conſtitutionem excludantur, non ſufficit quod aliqui ex ſuis progenitoribus intra quartum gradũ propter hæreſim ſiue perfidiã fuerint dãnati, quin vero ſimul requiritur, quod in eadem hæreſi atque perfidia perſiſtentes, eorum propterea corpora & oſſa, fuerint ſimul concremata & igni tradita. Nam & ſi propter ſupradictam hæreſim, atque perfidiam, ſemel fuerint condemnati, non tamen concremati aut igni traditi, ſed Eccleſiæ reconciliati, crediderim (& eſt grauiſſimorum ſententia & opinio) quod in dicta Cõſtitutione nõ cõprehenduntur, neque per illam etiam ſtando in ipſius rigore, ſupradicti excludendi ſunt ab officijs Ordinis. Prout in ſimili caſu, de eiſdem hæreticis agendo *ſupradictum cap. ſtatutum.* explicat doctiſſimus Symancas, etiam ſi tot annis Inquiſitoris fuerit officio functus, libr. ſuo Catholicarum Inſtitutionum tit. 29. num 15. & idem tenet Naua. lib 5. Conſilior. de hæreticis conſil. 22. numer. 2. Qua de re videatur etiam Emmanuel Rodericus, tom. 1. qq. Regular. quæſt. 14. art. 7. vbi ſupradictæ adhæret opimoni & beniſſimæ. Quam & dicit tenuiſſe olim, doctiſſimum Doctorem Grado, in Salmanticenſi Academia, Iurisperitiæ Cathedraticum primarium, Reuerendiſsimum etiam Fratrẽ Franciſcum à Çamora, Generalem quondam Miniſtrum, huius noſtri ſacri Ordinis, qui interrogatus hac de re, in quodam Prouinciali Capitulo, à Patribus Diffinitoribus noſtræ almæ Prouinciæ ſancti Iacobi, Reſpondiſſe dicitur, quod ſolũ ij hæretici, ſeu ex hæreticis deſcendentes, qui vt tales condemnati ſunt, ac eorum corpora ſiue oſſa, intra quartam generationem, propterea fuerunt concremata & igni tradita, in ſupradicta comprehenduntur Conſtitutione, non vero alij deſcendentes ex his, qui vt hæretici forſan aliquando fuerunt damnati, non tamen concremati, ſed vnitati Eccleſiæ reconciliati, ita vt non ſufficiat, quod facta fuerit condemnatio ſola, ſed vlterius requiratur, corporum combuſtio aut ſtatuarum ſuarum. Facit ad hoc Concilium Toletanum quod refertur 1. quæſt. 4. *capit. non imputatur*, vbi deſcendentes ex hæreticis, qui poſtmodum reconciliati ſunt, in priſtinos honores reſtituuntur. Eſt præterea prædicta explicatio & declaratio, non ſolum iuri conſona, ſed & æquitati ac rationi cõformis. Nã omnis lex pœnalis, cõtinens aliquid contra generalem iuris communis regulam, ſeu aliquid ſtrictius præcipiens, intelligi & interpretari debet, non quidem late ſed ſtricte, vt quanto minus fieri poterit, corrigat ius commune, prout habetur, *in capit. cum dilectus de conſuetudine*, & *in lege final. Codice. de iure deliberandi*, & *leg. ſi verba. 5. de viro. Digeſtis. ſoluto matrimonio.* facit etiam ad hoc, *capitul. quæ à iure, de Regulis Iuris, libro ſexto*, & lex benig-

Nota hoc valde, pro deſcendentibus ex aliquibus, qui olim fuere hæretici, non tamen damnati, aut ſuorũ corpora igni tradita.

Nota quod lex pœnalis, cõtinens aliquid cõtra ius commune, nõ ita ſed ſtricte debet interpretari.

benignius ff. de legibus. Cum igitur supradicta constitutio pœnalis sit, & aliquid continens contra aut saltem vltra terminos iuris communis, non quidem ampliari debet, sed potius restringi, & satis est quod aliquid operetur, seu in aliquo aut aliquibus, suum sortiatur effectum, quamuis non in omnibus: quod est multum notandum atq; memoriæ commendandum.

Quarta Conclusio.

Descendẽtes ex Iudæis, Sarracenis siue hæreticis, vltra quartũ gradũ in dicta constitutione non comprehenduntur.

DEscendentes ex supradictis Iudæis, Sarracenis seu hæreticis, vltra quartum gradum, non in supradicta Constitutione comprehenduntur, sed possunt recipere nostrũ habitum & in nostræ sacræ Religionis Prælatos & Superiores, præfici eligi atq; assumi. Hæc conclusio est expressa, grauissimi Doctoris Nau. l. 5. cõs. de her. cõ. 22. n. 5. vbi respondens ad tertiam multarum quæstionum, quæ ibidem sibi fuerunt propositæ, circa prædictas Pauli Quarti, & aliorum Summorum Pontificum Constitutiones, postquam ab eo fuit quæsitum, An prohibitio Præfata, ab officijs Ordinis, præbendis atq; dignitatibus, excludat omnes quos vulgus Lusitanum, & etiam aliqua pars vulgi Hispaniæ, appellat, *Christianos nuenos*, etiam si ipsorum maiores, ante quintam generationem, ad fidem fuerint conuersi, qui tamen nunquam ad vomitum redierunt: Respondet, omni esse procul dubio, quod non excludit eos, neque extenditur ad ipsos. Cuius & rationem reddit, quoniam cum ipsamet Constitutio se restringat, ad descendentes ex huiusmodi, intra quartam generationem tantummodo, in expressis non est locus coniecturis, *iuxta leg. continuus. §. cum ita ff. de verborum obligatione*, idem omnino ac eisdem verbis, tenet supradictus Emmanuel Rodericus 1. Tomo Quæstionũ Regularium quæstion. 14. art. 6. qui & addit, quod cum Summi Pontifices in dictis constitutionibus, clare atque distincte loquantur, de descendentibus ex supradictis ex genere maculato, intra dictum quartum gradum, non habent locum neque extendi debent, ad gradus collaterales vita quod Religiosus ille, cuius patruus ex parte patris, seu auunculus ex parte matris, pœna combustionis propter hæresim fuerit damnatus, aut aliqui ex suis ascendentibus collateralibus, non excluditur, neque comprehenditur in dictis Constitutionibus, cum vt dictum est, eædem de collateralibus nullam prorsus facientes mentionem, supradictam pœnam non imponant, nisi solũmodo pro descendentibus ab huiusmodi ex genere maculato, quacumque ex supradictis rationibus, intra quartam generationem, per lineam rectam inclusiue. In expressis enim vt diximus, non est locus coniecturis, & iuxta iuris Regulam, odia restringi, fauores vero conuenit ampliari.

Nota quod hæc Constitutio, non etiã habet locũ in illis, quorũ consanguinei collaterales fuere hæretici, etiamsi illorũ corpora & ossa fuerint cõcremata & igni tradita.

Quinta Conclusio.

In dicta Constitutione nõ cõprehendũtur, neophyti

NEque etiam in supradictis Constitutionibus, comprehenduntur Neophyti, ex parentibus Gentilibus, nouiter ad fidem conuersis descendentes. Hanc conclusionem tenet expresse supradictus Emmanuel Rodericus loco supracitato, ar tic. 5. ibi: *secundo est aduertendum*, vbi dicit quod licet nouiter conuersi ex Gentilitate ad fidem, rarissimè ad Presbyteratum & ad Episcopatum assumantur, prout constitutum habetur in Concilio Nicæno cap. 1. & 2. cuius meminit Gratianus, *in cap. quoniam 48. dist.* & in Concilio Arelatensi 2. sub Syluestro Pontifice huius nominis primo, & in Concilio Laodicensi, celebrato sub Liberio Põtifice Romano cap. 3. atque in multis alijs Concilijs, & Summorum Pontificum epistolis, in præsentiarum tamen, & quantum attinet ad præsens nostrum propositum, supradicti Neophyti, ex parentibus ad fidem ex Gentilitate conuersis descendentes, etiam intra quartum gradum, haudquaquam in dictis constitutionibus comprehenduntur. Quod & constare potest ex metipsis, cum agendo de Iudæis, Sarracenis seu Mahometanis, atque hæreticis, & similli labe infectis, nulla omnino fiat mentio de supradictis Neophytis, descendentibus ex parentibus Gentilibus, nouiter ad fidem conuersis. Et vt notum est in iure, lex pœnalis & exorbitans, non extendi debet de vno ad alium casum, neque de vna persona ad aliam, propter similitudinem rationis. Ex quo infertur, quod admittentes ad habitum, siue ad prælationes, aliquem seu aliquos ex supradictis Neophytis, descendentibus ex parentibus ex Gentilitate nouiter ad fidem conuersis, non incidunt in pœnas positas in supradictis Constitutionibus, neq; ipsi electi renuntiare illas tenentur, cum per eas ad id minimè sint inhabiles. Loquor de rigore, & quod sustineri potest, hæc opinio stando in puncto iuris, nam secus est, & aliud forte erit dicendum de conuenientia, quoad prælationes quã maximè, nempe quod non conuenit, descendentes ex huiusmodi ita nouiter conuersis, ad prælationes vt admittantur, cum non sint in fide veterani milites, neque à talibus descendentes. Qua de re videatur Couarru. *in cap. si furiosus 1. par. §. 2.* & Doctor Ignatius Lopez à Salzedo, Iuris Pontificij in Complutensi Academia Cathedræ primariæ professor, in practicam Illustrissimi ac doctissimi viri, Domini Ioannis Bernardi Diaz de Lugo, Episcopi olim Calaguritani, cap. 23. titul. de Neophytis, vbi & latè explicat, quinam dicantur Neophyti, & Neophytorum propriè comprehendantur nomine: qualiter etiam officia Ecclesiastica & secularia, Neophytis prædictis sint, aut fuerint olim interdicta. Aduertendum est tamẽ, quod in dicta nostra conclusione & modificatione, non fit à nobis mentio, de omnibus in vniuersum Neophytis, ita vt contra superiusdicta nõ comprehendantur in præfatis constitutionibus, Iudæi seu ab ipsis intra quartum gradum descendentes, sed tantummodo de Neophytis Gentilibus, & descendentibus ex parentibus, ex Gentilitate nouiter ad fidem conuersis. De alijs enim iam supradiximus, & quod positum habetur in conclusionibus, firmiter est tenendum.

ex parentibus Gentilibus nouiter ad fidem conuersis descendentes.

Nota quod lex pœnalis & exorbitãs, nõ extenditur de vno casu ad aliũ, neque de vna persona ad aliam, propter similitudinẽ rationis.

Loquendo de decentia & cõgruentia, non expedit eiusmodi Neophytos, ex Gentilibus nouiter ad fidẽ conuersis descendentes, ad Prælationes assumi

ARTICVLVS II.

An pœnæ poſitæ in dictis Cõſtitutionibus, cõtra deſcendẽtes ex Hæreticis, quorum oſſa & corpora intra quartã generationem, propter hæreſim igni fuerint tradita & concremata, comprehendant etiam eos qui nati fuerunt, priuſquam ipſorum parentes laberentur in dictam hæreſim?

QVæſtio hæc difficillima eſt, multũque anceps & dubia, & quæ magnos habet fautores & defenſores, rationes & argumẽta fortiſſima, magnãq; pro vtraque parte probabilitatẽ. Et vt quod quæritur planius fiat, ſtatuamus caſum, in eo Religioſo noſtri ſacri ordinis, cuius tritauus ſeu tritaua, propter hæreſim igni fuerunt traditi & cõcremati, attamen eiuſdem filij iam erãt nati, quando ipſi prolapſi ſunt in crimen prædictũ, & idem dico de patre aut matre, nam de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Quæritur nunc, An eiuſmodi Religioſus ex talibus deſcendẽs, in ſacra noſtra religione, vllo modo in prælatũ poſſit præfici & aſſumi? In qua quidem quæſtione diffinienda, vt certa ab incertis ſeparemus, conſtitutiſſimum eſt, quod ſi certo ſcitur & legitimè probatur, Religioſum prædictum, à dictis parentibus ſeu ab aliquo ipſorum deſcendere, poſt hęreſis commiſſum crimen, ratione cuius eorum corpora ſeu ſtatuæ, igni fuerunt traditæ & concrematæ, nulli dubium eſt, quod iſte talis non eſt capax noſtri habitus, & in noſtro ſacro Minorum Ordine, nullo modo poteſt in Superiorem ſiue Prælatum præfici & aſſumi, ſtando in dictis conſtitutionibus, & quod tã ipſe electus prę latiam ſiue dignitatem acceptans, quã electores hoc ſcientes & eundẽ eligentes, incidunt in pœnas in ſupradictis conſtitutionibus conſtitutas. In hoc nulla eſt, aut eſſe poteſt controuerſia ſiue hęc opinionum diuerſitas, imo vero Doctores omnes vnanimi conſenſu in eo conueniunt, explicantes & declarantes Conſtitutionẽ Bonifacij VIII. quę incipit *ſtatutum*, poſitã in lib. 6. tit. de ſupradictis Hæreticis. Sed difficultas eſt de illo, qui deſcẽdit à dictis progenitoribus, propter hæreſim concrematis & igni traditis, ipſe tamen antequam in prędictum hæreſis crimen laberẽtur iam erat natus, & idem dico de ipſorum parentibus, auis ſiue proauis & ſimilibus, nempe quod iam etiamnati erãt, antequam hæretici illi hæreſis committerent crimen, de hoc eſt præſens difficultas. Qua de re duę ſunt extremæ opiniones. Quidã dicunt prædictũ Religioſum, nihilominus in ſupradictis conſtitutionibus comprehendi. Quam opinionem loquendo de alio ſimili caſu, tenet Couar. lib. 2. Variarũ reſolution. cap. 8. num. 4. & 5. ibi, *quæritur quid dicẽdum ſit de filijs Hæreticorum.* Et Didacus Perez libr. 4. ordinam. l. 3. tit. 9. Et Grego. Lopez, in legem Regiam 2. tit. 2. part. 7. & alij quos refert Simancas, lib. ſuarum catholi. inſtitut. tit. 29. numer. 22. inter quos refert Doctiſsimum P. Frat. Ildephonſum à Caſtro, noſtræ huius Religionis, ſed præſertim Prouinciæ D. Iacobi, magnum decus & ornamentum, lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione, capit. vlt. & libro de poteſtate legis pœnalis cap. 7. idẽ ſentientem. Et fundari poteſt hæc opinio, in duabus Summorum Pontificũ Conſtitutionibus quæ generaliter loquuntur de filijs Hæreticorum, eorum inquam, qui tempore mortis fuerunt hæretici. Prima conſtitutio habetur, *in cap. filij de Hæreticis lib. 6.* quæ eſt Alexand. IIII. *vbi filij eorum qui in articulo mortis hæreſim commiſerunt, pœnas Canonicas patiuntur, patique præcipiuntur.* Et certum eſt, quod prę dictum capitulum, loquitur de filijs natis ante cõmiſſum crimen, ſiquidem loquitur de hæreſis crimine, commiſſo in mortis articulo. Secunda conſtitutio habetur, in iam pluries citato, *cap. ſtatutum el 2. eodem ti. de hæreticis in 6.* quod eſt Bonifacij VIII. vbi omnino idipſum præcipitur, & dicitur, *quod prædictorum Hæreticorum filij, infames eſſe dicuntur, eorum inquã hæreticorum, qui tales deceſſiſſe probantur.* Ex quibus vltimis verbis, deducit ſupradictus Didacus Perez, quod ad hoc vt tales filij, infames eſſe dicantur in famia iuris, ſufficit probari parentes eorum Hæreticos deceſſiſſe, ſiue ante cõmiſſum crimen nati fuerint ſiue vero poſt, & certè prædictę Conſtitutiones magnam habent vim, ad dictam ſententiam comprobandam.

Explicatur Articuli titulus & in quo ſtat ipſius difficultas.

Duæ hac de re opiniones.

Prima opinio

Quibus & accedit, alia non parui momenti ratio, quam adducit prædictus Simancas loco ſupra citato, nam cauſa punitionis hæreticorũ in filijs, eadem eſt in filijs quocũq; tempore natis, ſiue ante cõmiſſum hæreſis crimen ſiue vero poſt. Eſt enim hæreſis ſpirituale quoddã vitium, non trahẽs à carne ortum ſiue originem, aut cũ ipſa vllo modo habens cõmercium: quo fit vt diſtinctio illa, quæ in alijs criminibus obſeruari ſolet, de illis qui naſcuntur ex infecta radice, ſiue è contra, quę & forſan locũ haberet in filijs Adam, ſi antequa ipſe peccaret, aliqui nati fuiſſent, Anſcilicet, illi contraherent peccatum originale, necne? locum nõ habeat in delicto & caſu ſupradicto, cũ id fiat non propter carnalẽ deſcendentiam, ſed punitionis cauſa, vt dictum eſt, & cauſa punitionis hæretiorũ, eadẽ eſt in filijs & deſcendentibus, quocũq; tempore natis ſiue ante ſiue poſt hæreſis admiſſum crimẽ. Propter hæc argumenta atq; his rationibus fundati, multi hãc ſententiã amplectũtur, quã & dicit ſupradictus Simancas, comprobari quotidiano vſu.

Secũda opin.

Sed alia eſt aliorum opinio, quibus pro eo quod benignior ſit, & ipſe vehementer aſſentitur: ij dicunt hæretici cuiuſcumque, catholicum filium, natum antequam pater in hæreſim laberetur, ſeu propter eam fuerit punitus, ac igni traditus, neque è infamem eſſe reputandum, neque pœnis contra hæreticos poſitis obnoxium. Et quod iſti Doctores dicunt, de hæreticorum filijs in communi loquendo, dicendum perinde videtur, de ſupradicto religioſo, cuius parentes aut alter eorum, propter hæreſim fuerunt concremati & igni traditi, ſi tamen ipſe, aut ſui aſcendentes, nati fuerunt ante hæreſis commiſſum crimen. Hanc ſententiam tenere dicit Simancas, Calderinum, tit. de hæreticis conſi.

conſil.3.Petrum,Cynum & Angelum,*in leg. quiſquis C.ad legem Iuliam.*Præpoſitum,*in capit. quo iure, diſt.*8.Dominicum,*in cap.*2.§.*hæretici,de hæreticis lib.* 6.Alphonſum á Carthagena, in quodam conſilio. quæſt.7.Tiraquel.de iure primogenitorum,quæſtion.31.num.4. & alij quos ibidem citat, & ego breuitatis cauſà facio miſſos: ſed poſt alios eandem ſententiam tenet ſupradictus Salzedo, in practica criminali Canonica,capit.23. num.22. & Emman.Rodericus tom 1.qq. Regularium q. 14. art.3.Quæ quidem duæ ſententiæ, poſtquam vt diximus de mente Doctoris Simancas, ambæ probabiliſſimæ ſunt, & hinc inde pro vtraque parte grauiſſimas habent rationes, cum tamen vt etiam ipſe ibidem dicit,vltima hæc benignior ſit atquè rationi & æquitati conformior, cui & propterea libenter ac vehementer aſſentitur: idem & ego in præſentiarum facio,& pro ea ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Religioſus deſcendẽs ex parentibus hæreticis, ante hæreſis cõmiſſum crimen, non cõprehẽditur,in dicta conſtitutione

AD hoc vt ſupradicti religioſi, deſcendentes ab hæreticis intra quartum gradum, incurrant pœnas contra ipſos poſitas,in dictis conſtitutionibus, neceſſum eſt quod ab eiſdem deſcendant,poſtquam hæreſis crimen commiſerunt,nec ſufficit quod ab ipſis trahant ſuam deſcendentiã & originem,ſi ipſi aut eorum aſcendentes,nati fuerunt ante dictum commiſſum crimen. Hæc concluſio, vt credo eſt vera,& conformis ſecundæ ſententiæ propoſitæ:ſed intelligenda, practicanda atque tenenda eſt, quando id certo conſtiterit,& fuerit certiſſimum atq; notoriũ, ſupradictos natos fuiſſe, ante hæreſis commiſſum crimen. Etenim ſi res ſub dubio ſit,& ignoratur an nati fuerint, ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen, quid tunc temporis ſit dicendum, conſtabit inferius in particularibus Articulis, qui hac etiam de re à nobis proponendi ſunt. In caſu tamen noſtrę concluſionis, quando ſcilicet ideſt omnino certum & notorium, quod noſtra concluſio ſit vera & tenenda,probatur multis iuribus & rationibus.Sed primo ex Concilio Toletano 15. capit.1. quod refertur 1.*quæſt.*4.*cap. non imputatur*, vbi parentes cuiuſdam hæretici reconciliati, quin vero ipſius filij, in priſtinos honores reſtituuntur, & mox ſubiungitur, *quod etiam de filijs eorum decernimus obſeruandum, qui poſt admiſſum parentum prædictæ memoratæ profanationis ſcelus, nati eſſe produntur, ex gratia & indulgentia.* Verba ſunt expreſſa prædicti Concilij. Ex quibus vltimis verbis, facile licet colligere,quod illi tantum filij,ex gratia & indulgentia,in priſtinos honores fuere reſtituti, ipſaque gratia & indulgentia reſtitutionis indigebãt, qui nati ſunt poſt hæreſis admiſſum parentum crimen,& poſt parentum ſuorum infidelitatem, non vero alij,qui ante prædictum crimen nati fuiſſent: nam ij cum in ſuo integro ſtatu ſemper permanſiſſent, nulla tali indigebant reſtitutionis gratia,ſiue indulgentia.Hoc quidem argumentum, eſt fortiſſimum & vrgentiſſimum. Nec omnino ſatisfacit ſolutio,quam ad ipſum affert Couarruuias loco ſupra citato;dicendo prædictũ Conc. & ipſius deciſionem nõ cõuincere,cũ ipſum nõ fuerit generale ſed Prouinciale, &c.nãquãuis hoc ita ſit, aut foret,& Concil.prædictum non conuinceret vt generale,ſauet tamen & multum, dictæ noſtræ ſententiæ & opinioni,propter maximam auctoritatem eorum qui præfato Concil.interfuerunt, & ſatis eſt quod hanc ſententiam fuerint amplexati, tot tantiq;grauiſſimi Patres & Doctores, qui ibidẽ ſtiterunt, ſiue fuerit Generale ſiue vero Prouinciale.Sed præterea ſauet huic noſtræ opinioni & ſententiæ, auctoritas D. Auguſtini, qui in quadam Epiſtola numero 75. dicit, *non imputanda eſſe filijs, parentum peccata, quæ poſt eorum natiuitatem á parentibus committuntur.* Verba ſunt expreſſa. Et ſupra Deuteronom.quæſt.42.inquit, *filios natos ante peccatum patris, eſſe prorſus à pœna immunes. Non enim,*inquit,*trahit aliquid ex patre, qui iam natus erat, quando eius pater peccauit,*& habetur in cap.*non imputatur,*& *cap.iam itaquè* 1.*quæſt.*4. Ecce qualiter. B. Auguſtinus amplectitur, mentionemque facit illius generalis Regulæ; quod filij nati poſt commiſſum crimen,ex infecta radice procedunt, non vero alij.Cui & accedit alia ratio& eſt potiſſima, nãfilius antequam generetur,dicitur eſſe in patre tantummodo ſecundum corpoream,ſiue corporalem ſubſtantiam,aut ſecundum potẽtiam generatiuam,quo modo D.Paulus dixit olim, ad Hebr. 7.Leui fuiſſe decimatum in lumbis Abrahæ: at poſtquam eſt genitus,iam alio atquè diuerſo modo,eſt ipſius patris actu filius:ergo alia longè ratio habenda eſt,de filijs ante generationẽ & poſt ipſam; ac proinde de filijs natis poſt commiſſum crimen,dicendum videtur,diciq́ue merito poteſt, quod ex infecta radice nati ſunt, non vero de illis,qui nati fuerunt antequam crimen committeretur.

Non imputãri debẽt filijs, parentũ peccata,quæ poſt ipſorũ natiuitatem cõmiſerunt.

Secundo probatur eadem concluſio, á ſimili ex quodã Decreto Imperatoris Conſtantini,quod habetur *in l.*2.*C.de libertis & eorum liberis*, vbi cautum eſt,vt crimen patris noceat naſcituris filijs, non autem illis,qui tempore criminis commiſſi, iam nati & concepti fuerant. Dicitur enim ibi, quod tam liberti quam eorum filij, propter ingratitudinem,reuocentur in ſeruitutem,iuxta Athenienſium leges,de quibus meminit olim Valer. Maximus lib.2.capit. 1. quam legem referens ſupradictus Conſtantinus,poſt alia inquit, intelligendam eſſe,de filijs qui poſtea nati fuerint, & ſubdit,*quoniam illis filijs delicta parentum non nocent, quos tunc eſſe ortos conſtiterit, dum libertate illi potirentur.* Verba ſunt expreſſa:idẽ ergo omnino eritdicendũ in caſu noſtræ concluſionis, de illis quos certo conſtiterit,natos ſiue conceptos fuiſſe, ante parentum ſuorum commiſſum hæreſis crimen. Cui etiam rationi ſauet, auctoritas illuſtrium illorum celeberrimorum virorum, qui interfuerunt condendis Hiſpaniarum legibus, Septipartitis nuncupatis, vulgari vero ſermone, *Las ſiete partidas*, eiſque ſtrenuam operam nauarunt, qui quidem, lege,6.tit.27.par. 2. ſupradictam filiorum diſtinctionem ſequuti, de his filijs qui ante,vel poſt commiſſum crimen nati ſunt, poſt alia dixerunt, ſapientiſſimos atque vetuſtiſſimos Hiſpanos maiores noſtros, in pœnis conſtituendis hanc ſemper rationem obſeruaſſe. Quod etiam ſeruant Regiæ leges 4.& 5.tit.1.li.quarti ordinamento,&

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO PALENCIA

Nota quod filius natus ante dignitatē patris, ipſius honores & prærogatiuas nō conſequitur.

l.3.tit.& lib.eodem,ergo idipſum in noſtro propoſito caſu eſt dicendum: præſertim cum ad id accedat etiam,ipſa naturalis & viua ratio,quæ rectè inſtituta & expulſis tenebris, idem omnino docet.Nam ſi filius natus ante dignitatem patris, nō conſequitur ipſius prerogatiuas & honores,vt habetur in pluribus legibus,*in l. Paul. ff. de ſtatu hominum, & l. qui in vtero eſt. ff. eod. tit. & l. emancipatum. ff de Senatoribus, verſ. ſi quis conceptus, l. ſi quis decurio. 3. l. nec Dorotheum. l. Doctitij. l. Neminem. l. Diuæ memoriæ. l. vlt. C de Decurionibus lib. 10. l. Senator C. de dignitatibus lib. 12. l. ſi Cohortalis. C. de Cohortalibus. li. 12. l. filij. §. Senatores ff. ad municipalem. §. ex contrario, Inſtit. de ingenuis*:multo ergo minus illi nocere debet, crimen patris poſt eius natiuitatem commiſſum, cum odia reſtringi fauores vero conueniat ampliari,iuxta regulam,*in cap edia de reg. iuris*,& ini quiſsimum ſit vt quiſpiam alterius odio grauetur, vt habetur,*in l. ſi quis in ſuo §. 1. C. de inoffi. teſtam. l. D. Marco. C. de quæſtionibus*. Quibus quam maximè etiam fauet.*cap. 2. qui filij ſint legitimi, cum Gloſſ. ver. qui cōcepti fuerant ante latā ſententiā*,vbidicitur,*quod cum de commodo alicuius tractatur, tempus conceptionis eſt ſpectandum, & quod in tali caſu pro iam nato habetur, qui in vtero eſt*.Ad quod probādū,ſupradictaGloſſa allegat omnia ſupraadducta iura & leges,multaq; alia quæ illic licebit videre,& à me breuitatis gratia prætermittuntur.

Tertio ad probandam atquè corroborandam ſupradictam concluſionem, accedit quædam noua ratio,quam affert ſupradictus Simancas, loco ſupra citato,num 29.& 30. vbi inquit,quod nulla eſt lex,quæ nominatim filios natos ante patris hæreſis commiſſum crimen puniat, & quod generali filiorum appellatione illi cenſeri non debent comprehenſi,cum ſit eorum ratio diuerſa, videaturq; indignum,vt catholici & innocentes filij,ante patris hæreſim geniti,tanto rigore,tantaque ſeueritate puniantur,cum legum ſeueritas benigna interpretatione moderanda & temperanda ſit, vt dixit olim Fabius declam.6.Ad quod etiam facit, quod dixit Imperator Iuſtin.*in l. legem, C. de naturalibus liberis*.vbi ait,*quod qui alieno laborant vitio, miſeri cordia digni ſunt*,quod & exemplo atquè ſententia Plutarchi,in immanem crudelitatem Syllæ,latiſſimè proſequitur ibidem.Nequè vero argumenta in contrarium adducta,vllo modo cōuincunt, vt dicere teneamur oppoſitum,vt patebit reſpondēdo ad ipſa per ordinem.

Ad primū continens Conſtitutionem ibi adductam,ex Alexandro IIII. meo quidem videri facili negotio reſpondetur,dicendo,quod dicta Conſtitutio vt patebit intuenti, nihil de filiorum pœnis aſſerit,nec de his filijs qui ante patris hæreſim commiſſam nati ſunt,quidquam loquitur.Solummodo enim ibi quæritur, vtrum filius illius, qui verbo tenus in mortis articulo crimen hæreſis cōmiſit,admittendus ſit ad probandum patrem ſuū, in tali articulo non fuiſſe ſanæ mentis. Cui difficultati reſpondet Alexander Papa, quod ſi pater erat infamatus, aut de hæreſi ſuſpectus non admittitur:ſi vero non erat infamatus nequè ſuſpectus de hæreſi,admittitur.Itaquè ſolummodo ibidem definitur,filios & hæredes admittendos eſſe, ad probandam innocentiam eius,qui mortis tempore fuit hæreticus.Ex hoc autem nihil aliud cōcludi poteſt, quam quod Hæreticorum filij,ſiue hoc ſiue illo tempore nati,admittendi ſunt ad probandam innocentiam ſuorum parentum,quemadmodum hæredes etiam extranei,ab ea defenſione non excluduntur,*per cap filij & hæredes, de hæreticis lib. 6*.Ex eo autem non colligi poteſt, quod & omnes iſti incidant in hæreticorum pœnas,nec talis facultas datur ibi prædictis filijs, vt à pœnis iuris ſe liberent,in quas incidunt hæreticorum filij,cū iuxta ſuprapoſitam Concluſionem, qui ante crimen commiſſum nati, ſunt in nullas inciderint, ſed datur illis talis facultas,vel ad defendendum ſua bona,vel ad liberandos ſe ipſos ab infamia facti ſeu vulgi,nequando contra eos allegari poſſit, eſſe hæreticorum filios. Ex hoc autem non colligitur,quod in hæreticorum pœnas incidant filij, qui ante hæreſim patris commiſſum crimen,ſunt concepti,nati aut procreati.

Ad ſecundam Conſtitutionem Bonifacij VIII. Reſpondetur ſimiliter, quod quamuis ibidem cōtineatur, quod filij & nepotes illorum hæreticorum qui tales eſſe vel in eo ſtatu deceſſiſſe probantur, pœnis ibidem poſitis comprehendantur, ex quo videtur ſatis eſſe, quod parentes deceſſerint hæretici,ad hoc quod conſtitutio comprehendat etiam eos filios,qui ante hæreſis crimen nati ſunt, cum poſt mortem eorum ab illis generari nequuerint:re tamen attentè ac penitùs conſiderata, nō id quidēquin vero contrariſi ex ſupradicta Cōſtitutione colligitur. Nam in ea in primis nulla propoſita fuit quæſtio,de filijs natis ante vel poſt commiſſum patris hęreſis crimen,nequè quidquā circa ipſos ibidem decernitur, quo ſupradicta iura & leges à nobis adductæ,abrogatæ eſſe videantur, ſed quod ibi ſumm. Pontif. Bonifacius VIII. decreuit ſolummodo fuit, quod infames ſunt illi hęreticorum filij, qui tales deceſſiſſe probantur. Ex hoc autem non licet colligere, quod filij nati & geniti,ante commiſſum patris hęreſis crimen, in pœnis ibidem poſitis comprehendantur, aut prędicta infamia notentur, quin vero contrarium nempe,quod etiamſi ſint poſt hæreſis commiſſum crimen nati, non in dictas pœnas incidant,aut vt infames habeantur, niſi ſimul probetur,quod ipſorum parentes, in hæreſi & perfidia ſupradicta deceſſerunt.Namſi poſtquam in hæreſim inciderunt, fuerunt poſtmodum Eccleſiæ reconciliati, etiam filij poſt hęreſim crimen nati, virtute ſupradictæ Conſtitutionis,non in infamiam nequè in hæreticorum pœnas incidunt.Videatur hac de re,ſupradictus Simancas loco ſupra citato,maxime. num. 33.& 34.& Emanuel Rodericus vbi ſupra q. 14. ar. 3.vbi propter hanc ſpecialē rationem dicit, quod officium Sanctæ Inquiſitionis,in hæreticorum ſacris benedictis,vulgo dictis, *San Benitos*, pro illis qui poſt commiſſum hæreſis crimen,Eccleſiæ fuerunt reconciliati, ponuntur ſequentia verba. *N. hæreticus reconciliatus*,vulgariter,*N. hæretico reconciliado*, ad inſinuandum nempe & notandum, quod filij talis hæretici,etiam poſtmodum nati, non incurrunt in pœnas iuris,contra filios hæreticorum poſitas,ſiquidem ipſorum patres non deceſſerunt in ſua hæretica prauitate,ſed vnitati Eccleſię fuerunt reconciliati, quanto ergo minus, qui ante

Nota hoc,pro deſcēdentib° ex hæreticis Eccleſiæ poſt modum recōciliatis.

te commiſſum hæreſis crimen fuerunt nati, & procreati: per quæ, ſuperque ſatis patet ſolutio ad ſupradictas Conſtitutiones.

Ad rationem vero adductam de hæreſi, qua dicitur, quod hæreſis eſt vitium quoddam mere ſpirituale, neque in hoc caſu habetur reſpectus ad carnalem deſcendentiam, ſed ſolummodo ad hæreticorum punitionem, &c. Reſpondeo & dico, quod & ipſa vitia ſpiritualia, & reliqui animi motus & mores, in filios atque vitia carnis tranſire ſolent, iuxta illud, quod dixit Poëta olim: *Qui viret in folijs, venit à radicibus humor, & patrum in filios abeunt cum ſemine mores.* Vnde & D. Paulus, ſcribens ad Galathas c. 5. inter alia opera carnis, hæreſes enumerat, & nonnumquam corporalia vitia, etiam vſque ad animam perueniunt, eamque inficiunt, ac veluti vitiant: quo fit vt aliâ longè atq; diuerſa ratio ſit, de filijs ante aut poſt commiſſum hæreſis crimen natis & procreatis, neque eadem omnino eſt cauſa punitionis, in hæreticorum filijs, ſeu ab ipſis deſcendentibus hoc vel illo modo, hoc eſt ante commiſſum crimen, vel poſtea. De qua re videatur ſupradictus Simancas loco ſupra citato, num. 27. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota quod vitia carnis, interdũ vſq; ad animam peruenire ſolent, ipſaq; ad ſuũ trahunt modum.

ARTICVLVS III.

Quidnam faciendum ſit, quando certum eſt atq; notorium, Religioſum quempiam, ex hæreticis parentibus intra quartum gradum deſcendere, dubitatur autem, an id fuerit ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen?

HAec etiam difficultas magna eſt, atque notatu digniſſima, nam quod Religioſus quiſpiam, ex parentibus hæreticis dicatur deſcendere, contingere poteſt multipliciter. Aut enim certum eſt ipſum deſcendere à dictis parentibus, poſt hæreſis commiſſum crimen, aut vero antequam in hæreſim ipſi laberentur, aut dubitatur & ignoratur vtrumque, an ſcilicet dictus Religioſus, à ſupradictis parentibus deſcendat, poſt prædictum commiſſum crimẽ vel ante? De primo caſu iam diximus in propoſito notabili, ad difficultatem præcedentis Articuli, quod prædictus Religioſus, abſq; dubio in ſupradictis Conſtitutionibus comprehenditur, nec vllo modo poteſt in noſtræ Religionis Superiorẽ ſiue Prælatum eligi & præfici. De ſecundo vero, iam etiam dictum eſt in præcedẽti Articulo, quid ſit tenendum, in caſu quo certo ſcitur Religioſum quempiam ex hæreticis parentibus deſcendere, ſed ſcitur etiam certo atq; notorium eſt, quod deſcendit ab ipſis ante hæreſis commiſſum crimen. Nunc ſupereſt diffiniendum & determinandum, quid iuris ſit, in caſu quo vtrumque ignoratur & dubitatur, & cum certum ſit quod, ex parentibus hæreticis deſcendat, dubium eſt, An id ſit ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen? quæ quidem Quæſtio facilis licet videatur, maxima tamen eſt, & quæ grandem requirebat diſputationẽ, quidnã in tali caſu facere teneatur electus? quid etiam electores? De quorum primo dicemus, in iſto Articulo, de reliquo vero in ſequenti, & hac de re vt video, inter Doctores ſunt, duæ extremæ opiniones.

Duæ ſunt, hæ de re opiniones.

Quidam enim dicunt, quod in tali caſu Religioſus prædictus, non tenetur vllo modo credere, quod ipſe trahat ſuam deſcendentiam & originem, à parentibus infectis, ſeu ab ipſorum aliquo, poſt hæreſis commiſſum crimen, ita quod quamuis certo ſciat, & notorium ſit, quod ſua tritaua (verbi gratia) fuerit ob hæreſim igni tradita & concremata, non tamen tenetur credere, aut ſibi ipſi perſuadere, quod aſcẽdentes ſui, deſcendant ab ipſa poſt hæreſim commiſſum crimen, cum potuerint antea naſci, imò verò poteſt & debet ſibi ipſi perſuadere, quod magis commodum atq; vtile illi fuerit, quod & probare contendunt aliquibus rationibus.

Prima opinio

Primo quia ſecundum Doctores communiter, *in l. Miles. §. defunctus. ff. de adulterijs*, filius non eſt obligatus credere matri ſuæ, dicenti & aſſerenti, illum eſſe conceptum ex adulterio, attento quod ipſe eſt in poſſeſſione ſuę legitimitatis & honoris: quod verũ eſt, etiã ſi mater fuerit cõuicta de adulterio, & aſſignat textus rationem ibidem, quia (inquit) bene ſe compatitur, matrem fuiſſe adulteram, filium vero natum ex proprio atque legitimo marito: ergo ſimili forma in propoſito caſu, Religioſus ſupradictus, non erit obligatus credere, quod ipſe deſcendat ex tritaua hæretica, etiamſi propter hæreſim illa fuerit concremata, & combuſta, quia bene ſe compatitur, hæreticam eam fuiſſe, & quod ipſe aut ſui parentes, deſcenderint ab eadem, ante hæreſis commiſſum crimen.

Sed alij omnino contrarium tenent, & dicunt in tali caſu huiuſmodi Religioſum, nullo modo poſſe aut debere, prælationem ſiue dignitatem acceptare, cum certum ſit clarèq; ſibi cõſtet, ipſũ à tritaua hæretica & concremata deſcendere, quamuis ignoretur & dubium ſit, fuerit ne id, ante vel poſt commiſſum hæreſis crimen. Et ratio, inquiunt eſt, nam in foro conſcientiæ, & in rebus dubijs, ad animam & conſcientiam ſpectantib⁹, ſemper tutior magisq; ſecura pars eſt eligẽda. Licet enim quando dubium eſt facti, & diſputatur an quis ſit irregularis, aut excommunicatus, &c. in foro contentioſo & vbi purè agitur de pœna imponenda, interpretandum ſit & iudicandum, in benigniorem partem, iuxta doctrinam Panorm. *in c. in pœnis, de Reg. iuris in 6. & cap. cum tu filij de teſtibus*, attamen in foro conſcientiæ, contrarium omnino videtur dicendum, & quod in tali caſu, non benignior pars, ſed tutior & magis ſecura ſit eligenda, *iuxta cap. ſignificaſti de homicid. & cap. illud Dominus, de clerico excommunicato miniſtrante, quod tenet Gloſſa ſingulariſ. in cap. Vnde de ſcrutin. in ord. facien.* Ac proinde dicunt, quod Religioſus ſic electus, à ſupradicta tritaua (vt præmittitur) deſcendens, magis ſecuram partem eligendo, electioni ſuæ renuntiare debet, & aliquo quæſito colore, dignitatem non acceptare.

Secũda opinio

Notã quod in rebus dubijs, ad conſciẽtiã ſpectantibus, ſemper tutior pars eſt eligenda.

His pro vtraque parte argumentis adductis, media incedendo via, quod melius veriuſq; videbitur,

bitur, explicabitur per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Quid facere debeat Religioſus, cuius tritaua fuit cremata, quã do ignorat, an ipſe ab ea deſcendat, ante vel poſt commiſſum hæreſis crimen.

IN caſu ſupradicti dubij, ac propoſitæ difficultatis, ſi prædictus Religioſus, iam eſt electus, & in aliqua dignitate conſtitutus, non tenetur ſtatim ipſam deſerere, renũtiare aut derelinquere, & ſe metipſum infamare: ſi tamen non eſt electus, ſed de nouo eligitur, tenetur aliquo honeſto modo, qua potuerit via electioni de ſe factæ renuntiare. Hæc Concluſio, videtur mihi certa, & omnino tenenda, iuxta ea quæ à Doctoribus Scholaſticis traduntur de rebus dubijs, & de conſeruando proprio honore, ſiue euitanda infamia. Et pro ea facit argumentum ſupra adductum, pro ſecunda opinione, quando dicitur, *quod in rebus dubijs, & ad cõſcientiã ſpectantibus, ſemper tutior pars eſt eligenda.* Facit etiam ad idem, nam ſupradictæ ſummorum Põtificum Conſtitutiones, non ſolum obligant ad pœnam, ſed etiam ad culpam, vnde & culpa non quidẽ minima, ſed magna erit, huiuſmodi officiũ ſiue Prælatiam, de nouo acceptare cum ſibi offertur, & eam exercere, cum exinde lethale immineat periculum, totq; ſequantur inconuenientia. Sed contrariam ſententiam omnino tenet Emanuel Rodericus, Tom. 1. qq. Regular. q. 14. art. 4. innixus rationi & argumento propoſito, pro prima opinione, ad quam conformiter dicit, quod in tali caſu non tenetur Religioſus ſupradictus, iudicare ſe inhabilem, & incapacem ratione prædicti dubij, quin vero debet deponere conſcientiam, cum bene ſe compatiatur, cum dubio ſpeculatiuo certitudo practica, vt tradunt omnes Doctores Scholaſtici communiter. Qua de re videatur Soto in 4. diſtinct. 27. q. 1. art. 3. & lib. 4. de iuſtitia & iure q. 5. art. 4. & Cordub. in ſuo quæſtionario lib. 3. q. 8. atq; ita inquit, quod licet ſupradictus Religioſus ſpeculatiue dubitet, an comprehendatur in dictis Conſtitutionibus, nec ne? practicè tamen poteſt credere, ſe non eſſe comprehenſum, quantum ad effectum acceptandi prædictam Prælatiam, ſiquidem eſt in poſſeſſione ſuæ capacitatis, & vt capax eligitur, & non plenè probatur ipſum eſſe in dictis Conſtitutionibus comprehenſum. Quod tũc (inquit) vel maximè procedit, quando ex renuntiatione dicti officij ſiue Prælatiæ, non ſolũ ſibi macula inferret, verumetiam & præiudicium quãmaximum, ſuis propinquis & conſanguineis, ſi ſunt in actuali poſſeſſione, ſui honoris ad publica officia. Sed quamuis hoc quod dicitur, de dubio ſpeculatiuo & practico ita ſit, & ea communis Doctorum reſolutio, his tamen non obſtantibus, in propoſito caſu, contrariam ſententiam, veriorem atq; probabiliorem exiſtimo, & quæ teneri & practicari debet, prout in Concluſione eſt dictum, nempe quod Religioſus ſupradictus, certus de ſua infecta deſcendentia, à prædicta tritaua cõcremata, & igni tradita propter hæreſim, incertus autem an parentes ſui deſcenderint ab ipſa, ante vel poſt commiſſum crimen, in re tanti ponderis & momenti, ad animam atq; conſcientiam ſpectãte, ſtantibus ſupradictis adeò ſtrictis & rigidiſsimis, ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, nullo modo ſe debet exponere periculo peccandi mortaliter: nam vt habetur Eccl. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*; quinuerò in tali caſu, tutiorem atq; ſecuriorem partem eligendo, ſi eſt iam electus & in dignitate aliqua conſtitutus, cum iuſtè dubitet de ſua inhabilitate & incapacitate, debet cum id reſciuerit, cõgruo expectato tempore, honeſta aliqua via ſe excuſare, & occaſione capta illi renunciare. Idemq; à fortiori omnino facere tenetur, dum de nouo eligitur, dicendo quod nullo modo vult eligi, & præfici in prælatum, aut ſe immiſcere in officijs Ordinis, quod & interdum in Religione noſtra feciſſe vidimus, aliquos viros Religioſos & timoratos. Hoc credo eſſe magis certum, aut ſaltim eſt magis tutum & ſecurum, propter ſuperius dicta, & propter peculiarem quamdam aliam rationem, quam ad idem propoſitum afferam, in ſequenti Articulo, vbi & prædictę difficultatis, plenior habebitur reſolutio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Superiores Prælati, vocales ſiue electores, eligere poſſint in prælatum, ſupradictum Religioſum, cuius certò ſcitur tritauam propter hæreſim fuiſſe concrematam, & igni traditam, ignoratur autem, an ſui parentes ab ipſa deſcenderint, ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen?

Duæ hæc de re opiniones. Prima opinio

HAc de re confirmiter ad ſuperius dicta, ſunt etiam duæ extremæ opiniones. Prima eſt aſſerentium, eiuſmodi Religioſum poſſe in Prælatum eligi, & præfici, quodq; Vocales ſiue Electores, bono animo eundem eligentes, nullo modo incidunt in pœnas in ſupradictis Conſtitutionibus conſtitutas, contra electores huiuſmodi Religioſos eligentes, quamuis certo ſciant ipſius Tritauam (vt præmittitur) propter hæreſim fuiſſe crematam, igneq; combuſtam, ſi omnino ignorent, fuerit ne id ante, vel poſt hæreſis commiſſum crimen. Hanc ſententiam & opinionem tenet, ſupradictus Emanuel Redericus 1. Tomo qq. Reg. q. 14. art. 3. ibi quantum ad 3. quam & probare contendit, multis argumentis & rationibus. Et primo, nam vbi dubium eſt facti, an quis incidat in aliquã pœnã, ſeu an pœna aliqua cuipiam ſit imponenda, ſitne quiſpiam (verbi gratia) irregularis ſeu excommunicatus, ſemper huiuſmodi dubium, dijudicandum eſt atq; interpretandum, in benigniorem partem, dicendo quod non, iuxta Regulam, traditam à Panorm. *in cap. in pœnis de Regul. iuris lib. 6. & in cap. cũ tu fili de teſtibus, & atteſt.* Vbi ait quod odia reſtringi, fauores conuenit ampliari, & habetur *in cap. ódia. eodem tit. in 6.* ſed in propoſito, inquit caſu, dubium eſt an Religioſus ſupradictus, in dictis Conſtitutionibus comprehendatur, propter rationẽ dictam: ergo in dubio exiſtimandum eſt, quod non comprehenditur. Secundo probat idipſum,

Nota quod dubia ſẽper ſunt in benigniorẽ partem interpretanda.

nam vt habetur *in cap. 2. de filijs presbyterorum*, iure communi, non præſumitur quempiam ex Sacerdote fuiſſe genitum, etiam ſi probetur quod ſit Sacerdotis filius, cum potuerit naſci antequam eius pater fuiſſet Sacerdos, prout reſoluit Couarr. cum communi in 4. 2. par. cap. 8. §. 3. num. 1. ergo à ſimili in propoſito, quamuis probetur quod Religioſus prædictus, deſcendat à Tritaua combuſta, ſuamq; ab ipſa trahat originem & deſcendẽtiam, non præſumitur quod parentes ſui, ab eadem deſcenderint, poſt hæreſis commiſſum crimen, cum deſcendiſſe potuerint, ante quam crimen ipſum committeretur.

Tertio ſic argumentatur ad idem. Quia Religioſus ſupradictus, vt videtur eſt in actuali poſſeſſione ſui honoris, poteſtq; iure optimo dictam præſumptionem allegare, vt tenent omnes Doctores communiter: ergo prædicti Electores, bene poſſunt eundem in dubio eligere, & volentes ipſum à tali electione remouere, onus ſibi incumbit probandi, quod deſcendat à ſupradicta tritaua, poſt hæreſis perpetratum crimen. Vt enim habetur *in lege ei qui ff. de probationibus*, qui dicit probare tenetur, ac probandi onus ſibi incumbit: ergo ante quam id probetur, nullo modo erit repellendus, Religioſus ſupradictus ab electione, quin verò Electores tutò poſſunt ipſum eligere.

Nota quod qui dicit & aliquod alicui crimẽ ſiue noxam imponit, probare tenetur, & probationis ſibi onus incumbit.

Quarto ad idem argumentari poteſt, argumento deſumpto ab expoſitis, quorum ſcilicet parentes adeò latent & ignorantur, vt prorſus incertũ ſit, an ſint concepti ex legitimis nuptijs nec ne? Et nihilominus iure, non reputantur illegitimi neq; irregulares, vt tenet communis opinio (quidquid alij dicant) & ratio eſt, nam licet filij ex legitimo matrimonio nati, communiter non ſoleant exponi, ſed illi qui naſcuntur ex furtiuis congreſſibus, atq; illicitis fornicationibus, cum hoc tamen ſtat, quod multi legitimi & naturales filij, prout referunt hiſtoriæ, interdum fuerint expoſiti, vt Semiramis, Paris, Cyrus, atq; Moiſes, vt habetur in libro Exodi c. 2. Si ergo expoſiti iure reputantur legitimi, & non inhabiles ſed habiles, ad ſacros Ordines & dignitates, ſecundum ius Canonicũ atq; Ciuile, quamuis contingat, quin verò & frequentius illud ſit, eoſdem non eſſe legitimos, quia euenire poteſt, vt etiam filij legitimi & naturales ſint expoſiti, cur non & Religioſus prædictus, à ſupradicta macula reputabitur immunis, cum ſæpè ſæpius contingat, aliquos deſcendiſſe ex auis ſiue proauis, igne combuſtis propter hæreſim, & quod parentes ſui fuerint nati, ante commiſſum prædictum crimen? Quod & confirmatur, nam vt dicitur *in l. Natales. 10. C. de probationibus*, non ſufficit quempiam probare ingenuitatem ſuam, vt & ipſius filia ſit ingẽua, cum & aliunde potuerit eſſe plebeia: ergo à fortiori, nec ſufficit probari Religioſi alicuius tritauam, propter hæreſim igne fuiſſe combuſtam, ad hoc vt ipſe reputetur inhabilis, ad officia Prælatias & dignitates, per ſupradictas Conſtitutiones, cum & aliunde potuerit ſufficienter eſſe habilis, ſi parentes ſui deſcendiſſent ab ipſa, ante hæreſis commiſſum crimen.

Nota quod Expoſiti quorũ parentes latẽt & prorſus ignorãtur, iure non reputantur illegitimi, neq; irregulares.

Nota quod Multi legitimi leguntur interdũ fuiſſe expoſiti.

Nota quod nõ ſufficit quempiam probare ingenuitatem ſuam, vt & ipſius filia tẽ ſeatur ingẽua, cum & aliunde potuerit eſſe plebeia.

Tandem quinto & vltimo, probatur quod ſaltim Vocales & Electores, ſupradictum Religioſum eligentes, non incidant in pœnas in dictis Conſtitutionibus poſitas, cum ſint tantum contra illos, qui audacia ſiue præſumptione id fecerint, vt conſtare poteſt ex verbis ibidem poſitis: *audeãt ſiue præſumant*. Facit & ad idẽ, quod docet Cardin. *in Clement. prima, quæſt. 38. de priuilegijs.* & Nauarr. *in cap. ſtatuimus, 1. quæſt. 3. num. 62.* & in Manuali cap. 22. num. 155. & 156. vbi dicit, quod in eiuſmodi clauſulis non comprehenduntur, qui faciunt aliquid (vt dicitur) bona fide: ergo qui non audacia & præſumptione, ſed bono animo id fecerint, & abſq; malitia ſiue temeritate, non in dictis conſtitutionibus comprehenduntur. His vt videtur fortiſsimis argumentis & rationibus, ſupradictus Emanuel Rodericus probare contendit, in dicto caſu prædictum Religioſum, tuta conſcientia in prælatum eligi poſſe, quamuis euidenter conſtet, ipſius tritauam igne fuiſſe concrematam propter hæreſim, dum tamen non conſtet ſed dubitetur, an ipſius parentes deſcenderint ab ipſa, ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen.

Nota quod quando in aliquibus Apoſtolicis conſtitutionibus, apponitur hæc clauſula, non audeant aut præſumãt, &c. non comprehendũtur, facientes illud ex ſimplici & bono animo, ſeu quod dicitur bona fide.

Sed ſecunda eſt aliorum ſententia, omnino contrarium tenentium, quæ & mihi videtur, verior & probabilior, pro qua ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Secũda opin.

Concluſio.

IN caſu quo Superiores & Prælati, Diffinitores, Vocales ſiue Electores certò ſciant, Religioſi alicuius tritauam igne fuiſſe combuſtam, ſeu quippiam ſimile, nullo modo eundem in prælatum debent eligere aut præficere, quamuis dubitetur & ignoretur, an eiuſdem deſcendentia, ſeu progenitorum ſuorum ab ipſa, fuerit ante vel poſt commiſſum crimen.

Religioſus cuius certo ſciatur, tritauam propter hæreſim fuiſſe cõbuſtam, eligi nõ debet, etiã ſi ignoretur, fuerit ne ipſius deſcendẽtia, ante vel poſt cõmiſſum crimen.

Hæc Concluſio probatur in primis, hac (vt mihi videtur) fortiſsima atq; irrefragabili ratione. Nam in prædicto caſu, vt clarè patet, conſtat Electoribus euidenter, de ipſius inhabilitate & incapacitate, ex vi dictarum Conſtitutionum, & non conſtat quin verò (vt etiam ſupponitur) eſt dubium, de habilitate & capacitate: ergo qui in tali caſu prædictum eligerent, omni procul dubio, ex natura rei & ex vi eiuſmodi actus, ſemetipſos exponerent periculo peccandi mortaliter, & incidendi in excõmunicationis pœnam, quod propter nullam cauſam ſiue rationem facere licet. Quibus nec obſtat, ius poſſeſſionis ſiue præſumptionis, pro dicto Religioſo adductum, in argumentis pro contraria opinione, nam huic facillimo negotio fit ſatis, vt conſtabit in eorundem ſolutione, atq; ex ſequenti confirmatione. Nam quamuis ſecundum ius, vbicumq; reus eſt in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione ſuæ legitimitatis, famæ aut honoris, præſumatur legitimus, niſi probetur contrarium, vt tenet communis opinio, illud tamen non eſt verum, quando prædictus reus, alias eſt de illegitimitate diffamatus, tunc enim ſe purgare tenetur, iuxta formam poſitam. *in cap. accedens de purgatione Canonica*: ergo cum Religioſus ſupradictus, diffamatus iam ſit, de ſua inhabilitate & incapacitate, cum certo ſciatur ipſius tritauam igne fuiſſe combuſtam propter hæreſim, ignoretur autem de ſua capacitate, quæ ſtat in hoc, quod parentes ſui deſcenderint ab ipſa, ante hæreſis commiſſum crimen, in tali caſu purgare ſemetipſum tenetur, de tali

Nota hoc val de, quod qui de aliquo delicto, noxa aut macula eſt diffamatus, ſe purgare tenetur.

tali infamia, ante quam eligatur. Nec valet ſolutio dicentium, non eſſe ſatis vt ſit diffamatus, de eo quod deſcendat à tritaua combuſta, ſed vlterius eſſe neceſſario requiſitum, quod etiam ſit diffamatus de hoc, quod parentes ſui ab ipſa deſcenderint, poſt hæreſis commiſſum crimẽ, in quo eius inhabilitas conſiſtit, hæc inquam ſolutio nihil valet, & probatur, nam infamia abſolutè eſt de incapacitate, poſt quam à tali tritaua cremata & combuſta deſcendit, capacitas autem non probatur, quin verò ſub dubio eſt, & quatenus attinet ad quæſtionem facti & quatenus ſpectat ad quæſtionem iuris. Nam quamuis dixerimus ſupra iuxta opinionem probabilem, quam & tenuimus, quod prædictum impedimentum non obeſt, niſi deſcendentia ſit poſt hæreſis commiſſum crimen, vt conſtat ex Articulo ſecundo, multi tamẽ grauiſſimi Doctores id negant, vertuntque illud, in dubium: cum igitur incapacitas prædicti Religioſi ad Prælaturas, ex vi dictarum Conſtitutionum ſit certa & manifeſta, capacitas autem dubia, & ſub opinione, & quantum ad quæſtionem facti, & quantum ad quæſtionẽ iuris, immineatq; periculum conſcientiæ & peccandi mortaliter, incidendiq; ipſo facto in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, ibi poſitam ex tali electione facta, quis dicat aſſerere vè audeat, id eſſe faciendum, & quod Electores tuta conſcientia poſſint aut debeant, ſe ſe exponere tot ac tãtis periculis, maxime ſine ratione & cauſa, & abſq; ſufficienti fũdaméto? Supradicta omnia hac etiã efficaciſſima ratione confirmãtur, nã verba in iure ſẽper debẽt aliquid operari, neq; vllo modo conuenit fruſtari: at ſi non eſſet ſatis certò ſcire, quòd aliquis ex tritaua combuſta deſcendat, ſed neceſſario eſſet vlterius requiſitum, certo etiã ſciri atq; probari, quod ſui parentes deſcenderint ab ipſa, poſt hæreſis commiſſum, crimen cum vix aut nunquam id probari aut ſciri poſſit, nunquam fere ſupradicta Conſtitutio haberet locum, ſummorum Pontificũ intentio, omnino fruſtraretur, quod nullo modo eſt dicendum. Hæc certè ratio validiſſima atq; fortiſſima eſt. Quibus omnibus & accedit, quod quãuis id tuto ſecuraq; conſcientia fieri poſſet, nullo tamen modo cõuenit, quod eiuſmodi infames, ſeu vulgari infamia norati, in tam magnum prejudiciũ honoris & famæ totius Religionis, ad prælaturas & dignitates eligantur & aſſumantur, cum ſit notorium vt ſupponitur, ipſorum tritauam ſiue parentes igne fuiſſe combuſtos, & vilibus & infamibus dignitatum portæ patere nondebeant, vt habetur *in cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælatorum.* Et certum eſt, quod huiuſmodi ſunt infames ſaltim infamia facti, & ſecundum aliquos etiam infamia iuris, licet contrarium nos ſupra defenderimus, ſequentes opinionem probabilem. Hæc igitur ſententia & opinio, eſt tenenda & practicanda. Sed ſupereſt nunc reſpondere, ad argumenta in contrarium poſita.

Ad primum dico, quod quamuis dubia ſemper ſint in benigniorem partem interpretanda, dubiũ etiam ſit vt ſupponitur, an parentes Religioſi ſupradicti, deſcenderint à dicta tritaua combuſta, ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen, non tamẽ eſt dubium, quin verò certum, quod in tali caſu prædictus Religioſus non eſt eligendus, propter rationes ſupradictas, & quia certum eſt quod in rebus dubijs, ſpectantibus ad animam & ad forum conſcientiæ, tutior ſemper pars eſt eligenda. Cũ itaq; dubium ſit circa deſcendentiam, ante vel poſt commiſſum crimen, non tamen ſit dubium circa electionem faciendam, imo certum ſit quod non eſt facienda de eo, in hoc erit ſtandum, namvt argumentum, in contrarium ſentientes retorquea mus, cum dubio ſpeculatiuo, bene ſtat certitudo practica, & ea eſt, quod talis in hoc caſu non eſt eligendus.

Ad ſecundum reſpondeo, quod in expreſſis nõ eſt locus conjecturis, vnde quamuis communi iure non præſumatur quiſpiam, quod ſit ex Sacerdote genitus, quamuis probetur quod ſit Sacerdotis filius, in propoſito tamen caſu eſt diſparratio, cum expreſſè probetur incapacitas, ac de ea conſtet manifeſte, capacitas autem ſit ſub dubio, quod in alio propoſito caſu, è contrario omnino contingit.

Ad tertium reſpondetur, per illud quod diximus in probatione Cõcluſionis, nempe quod prædictus Religioſus in dicto caſu, non præſumitur capax, ad obtinendam aliquam dignitatem, ſiue prælatum, neque eſt in actuali, ſeu quaſi actuali poſſeſſione ad id, cum alias fuerit diffamatus de eo, quod deſcendat ex dicta tritaua combuſta, neque vlterius requiritur, quod ſit diffamatus de deſcendentia ipſius, poſt hæreſis commiſſum crimen, hoc enim illi probandum incumbit, & maximè hoc tenendum eſt, cum etiam ſi id probetur, iuxta probabilem opinionem, qui talis eſt in prælatum non debeat aſſumi.

Ad quartum de expoſitis, reſpondeo dicendo omnino idem, quòd prædicti expoſiti, ex natura rei nihil contra ſe habent, per quod poſſit præſumi quod ſint illegitimi, cum etiam legitimis & naturalibus contingat exponi, vt argumentum dicit, at in noſtro caſu, extat expreſſa inhabilitas, ex eo quod prædictus Religioſus deſcendat, vt ſupponitur & probatur, ex dicta tritaua combuſta, & ſic aliunde venit probanda capacitas & habilitas, quæ niſi expreſſè probetur, non poteſt in Prælatum eligi & præfici, Et idem dico ad confirmationem de ingenuitate filiæ, & quod probatio capacitatis ſuæ, prædicto Religioſo incumbit, nec præſumptio ſtat pro eo, cum ex vi dictarum Conſtitutionum, expreſſè ſit incapax, conſtãdo quod eius tritaua fuerit combuſta.

Ad vltimum dico, quod Electores eiuſmodi Religioſum eligentes, incident in pœnas in dictis Conſtitutionibus appoſitas, quia cum ſibi conſtet expreſſè de illius incapacitate, propter rationem dictam, ſit autem dubium & valde dubium de capacitate, non id quidem facient, abſque magna audacia, præſumptione & temeritate, ac propterea dicendum eſt, quod in dictis Conſtitutionibus comprehenduntur. Hactenus de iſto Articulo.

(?)

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrùm comprehenſi in ſupradictis ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, & deſcendentes ex maculato genere quacumq; de cauſa ex ſupradictis in primo Articulo, ſint ipſo facto priuati dictis officijs & inhabiles ad ea, ante Iudicis condemnationem, an verò ſolummodo poſt ipſam?

Difficultas præſentis Articuli, longiſſimam requirebat diſputationem, circa obligationem & obſeruantiam legum pœnalium, & an ipſarum tranſgreſſores, incidant in pœnas ibidem conſtitutas ipſo facto, ſeu quod dicitur ipſo iure, ſi talia verba ponantur, etiam ante Iudicis condemnationem, an vero expectandum ſit ad illam? Sed quia hæc difficultas propriam ſedem & locum habet, infra in materia de legibus & ſtatutis, vbi hac de re longior futurus eſt ſermo, ab ipſa pro nunc conſulto ſuperſedeo: & difficultati propoſitæ breuiter Reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Notaquodomnes deſcendẽtes ex infecto atq; maculato genere, quacumq; de cauſa ex ſupradictis incidunt ipſo facto, in pœnas prædictarum conſtitutionũ

OMnes deſcendentes ex infecto atq; maculato genere, quacumq; de cauſa ex ſupradictis, in primo præcedenti Articulo, ipſo facto incidunt in pœnas in dictis Conſtitutionibus appoſitas, ſuntque priuati ipſo iure dictis officijs, & inhabiles ad ea, etiam ante Iudicis condemnationem.

Hæc Concluſio habetur expreſſa in dictis Conſtitutionibus, & maxime in Conſtitutione Pauli Quarti, vbi hæc poſt alia ponuntur ſequentia verba. *Ad prædicta officia eligi, aſſumi ſeu recipi de cætero nullatenus poſſint, electioq; & aſſumptio ſeu receptio de illis facta, ad officia prædicta ſi fieri contigerit, de facto nullius ſit roboris vel momenti, & pro non facta habeatur, nec vigore electionis, aſſumptionis, ſeu receptionis prædictæ, illi ſic electi, aliquid adminiſtrare ſeu prædicare poſſint, ſed omnia & ſingula per eos ſic electios & aſſumptos, de facto adminiſtrata & geſta viribus careant, & nullam prorſus firmitatem obtineant, neq; ius alicui tribuant.* Et infra agendo de eodem, inquit. *Quod ſi contigerit, tempore datæ præſentium, aliquem ex dictis olim Iudæis ſeu Hæreticis exiſtentibus, ſeu à Iudæis ſeu Hæreticis vſque in quartam generationem inclusiuè, vt ſupra deſcendentibus, in aliquibus exdictis officijs Generalibus, Cõmiſſariatus Generalis, & alterius cuiuſcũq; Cõmiſſariatus, Prouincialatus, ſeu Guardianatus, vel prædicationis electum & aſſumptum, confirmatum & inſtitutum, & etiam in quaſi poſſeſſione dictorum officiorum exiſtentem reperiri, ille ſic electus, aſſumptus, confirmatus & inſtitutus & quaſi in poſſeſſione exiſtens repertus, vigore præſentium intelligatur & ſit. Eo ipſo & abſq; aliqua deluper declaratione facienda, dictis officijs deſtitutus & priuatus, nullis vigore dictorum officiorum, gerere ſeu adminiſtrare, vel etiam prædicare poſſit, geſtáque & adminiſtrata per ipſum, poſt præſentium publicationem, in capitulo Generali dicti Ordinis faciendam, viribus careant, nullamque prorſus firmitatem obtineant.* Ex quibus verbis clarè, ſuperq; ſatis colligitur, id quod in concluſione eſt dictum, nempe quod omnes in dicta conſtitutione comprehenſi, ipſo facto ſunt priuati officijs ibidem cõtentis & inhabiles ad ea, etiam ante Iudicis condemnationem, & ante quam per ſententiam Iudicis ipſis priuentur, ſeu inhabilitentur. Quod & cõmunis tenet opinio, vbicumq; talia verba ponuntur, & in ſimili caſu, de Tabellionibus ſpecialiter, & alijs huiuſmodi officialibus, illud tenet Gloſſa, *in authen. de Tabellion. §. penult.* De Prælatis verò loquendo, tenet idipſum Richard. in quarto ſentent. diſt. 18. art. 7. quæſt. 1. & Sylueſter. *verb. Excommunicatio. 3. quæſt. 10. & 11. & verbo confeſſio 1. quæſt. 10.* & Corduba lib. 1. ſui quæſtionarij quæſt. 36. & Aragon ſecunda ſecundæ, Tomo 1. quæſt. 11. art. 3. Hi omnes dicunt, quod vbicumq; ponuntur ſupradicta verba, ipſo facto vel eo ipſo, omnes ſub eiſdem comprehenſi, ipſo ſunt facto priuati ſuis officijs, & ea exercendo peccant mortaliter, niſi forſan in caſu, de quo dicetur in ſequenti Concluſione.

Notaverba illa, abſq; aliqua deſuper declaratione.

Secunda Concluſio.

Omnes comprehenſi in dicta Conſtitutione, tenentur officia quæ habẽt ſtatim renunciare, niſi in certo caſu hic poſito.

QVI actu tenet aliquod Prælationis officium & habet aliquod impedimentum, prouenies ex dictis Conſtitutionibus, ſtatim illud tenetur renuntiare, niſi ipſius exercitium præciſè fuerit neceſſarium, ad hoc vt eius vel alterius crimen occultum non reueletur. Hæc concluſio eſt omnium ſupradictorum Doctorum, & præter ipſos tenet eam, Soto lib. 1. de iuſtitia & iure quæſt. 6. art. 4. & lib. 5. quæſt. 6. art. 2. & Nauarr. in Manual. cap. 23. num. 63. & cap. 27. num. 5. & Caſtro lib. 2. de lege pœnali, cap. 15. Hi omnes dicunt, peccare mortaliter, omnes qui huiuſmodi officia exercuerint, quibus actu ipſo iure ſeu ipſo facto ſunt priuati, niſi ratione magnæ alicuius neceſſitatis excuſentur, vt verbi grati quia ſi ipſa non exercerent, ipſorum ſeu alterius illorum, occultum crimen reuelaretur. Iuxta quod dicunt, quod quãdo legiſlatores, imponunt aliquas graues pœnas ipſo facto, contra tranſgreſſores alicuius legis, nõ ſunt obligati tranſgreſſores ipſi, pœnarum dictarum in ſemetipſos exequutores eſſe, renuntiando officia quibus ſunt ipſo facto priuati, vel ad quę ſunt inhabiles, ſi ex renunciatione ſua timetur probabiliter, quod ſui defectus, ſeu aliquod delictum eorum reuelabitur, aut alius infamabitur. Ex quo infertur, quod ſupradicti deſcendẽtes ex maculato genere, & officia prælationis habentes, quamuis (vt dictum eſt) ea renunciare teneantur, & exercentes peccent mortaliter, niſi legitima ratione & cauſa excuſentur, non tamen tenentur ea ſtatim, ſed expectato congruo tempore renunciare, quandoex tali facta renunciatione, probabiliter timetur, eorum ſeu progenitorum ſuorum infamia, aut aliquod graue detrimentum ipſos fore paſſuros, & iunt in actuali poſſeſſione ſuæ bonæ famę. Tenentur tamen nihilominus diſpenſationem petere, aut ipſa renunciare quamcitius

Nota hoc vade.

tius poterunt ſine mora. Sed de his qui non actu poſſident prædicta officia, eliguntur tamen de nouo, ſit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio.

Omnes comprehenſi in ſupradicta conſtitutione, tenentur electioni de ſe facta renũtiare, & officia non acceptare.

QVi non ſunt in actuali poſſeſſione prædictorum officiorum, eliguntur tamen ad ea, dictarum conſtitutionum & ſuæ inhabilitatis non ignari, tenentur dicta officia modis omnibus renunciare, ſiue non acceptare, & ea acceptando & exercendo peccant mortaliter. Hæc Concluſio eſt etiam omnium ſupradictorum Doctorum, de quibus diximus in præcedenti Concluſione, & eadem eſt vtriuſq; ratio. Neq; excuſantur aut prętendere poſſunt, aliquam iuſtam cauſam, ſiue rationem ſe excuſandi, dicendo quod fortè ex tali renuntiatione, aliqua ſibi aut ſuis conſanguineis ſequetur infamia, poteritq; orii ſuſpicio ſui generis maculati: nam aliæ multæ ſunt rationes & cauſæ, quæ mouere poſſunt homines, & maximè Religioſos, ſcrupuloſos ac timentes Deum, ad faciendas huiuſmodi renuntiationes. Vnde ex natura rei ſiue ex vi talis actus, nulla omnino ipſis ſequetur infamia, quin verò honor quammaximus, ex hoc vt videtur humilitaris actu, quod factum ab omnibus rectè ſentientibus commendatur, taliaq; facientes, vt plurimum amplius æſtimantur, ijs præſertim temporibus, quibus adeò graue eſt prælationi onus, vt tamquam prudentiſſimi laudentur, idq; merito, illud qui renunciant, & ab eo ſuſcipiendo ſe excuſant.

Quarta Concluſio.

Quouſque ſupradicti prælati ab Eccleſia tolerãtur, omnia per eos geſta tenent.

OMnia acta & geſta per Prælatos ſupradictos in dictis Conſtitutionibus comprehenſos, tenent & valent, vſque ad Iudicis condemnationẽ, & ante ſententiam latam, interim dum ab Eccleſia tolerantur. Hæc Concluſio eſt etiam ſupradictorum Doctorum: ex quo infertur, quod ſubditi, (vt amplius infra dicemus) tenentur eiſdem obedire, vſque dum in foro exteriori, per Iudicis ſententiam declaretur, ipſos eſſe in dictis Conſtitutionibus comprehenſos. Nec dictis obſtant verba Pauli Quarti, poſita in initio huius Articuli, per quæ videtur dicere, atque determinare contrarium, ibi: *Omnia per eos geſta viribus careant, & nullam prorſus firmitatem obtineant, &c.* Nam dicendum eſt, quod huiuſmodi verba ſunt intelligẽda, ad ſenſum ſupradictum, niſi alias ab Eccleſia tolerẽtur. Vtenim inquit Soto, libro primo de iuſtitia & iure, quæſt. 6. art, 6. omnes Conſtitutiones Apoſtolicæ, ipſo facto priuantes, Regulares ſiue Religioſos, officijs & prælationibus quas poſſident, & inhabilitantes ad ea, etiam ſine alia declaratione, piè & benignè ſunt interpretandæ, ita vt intelligantur, quod amittant ſupradictas prælationes, & dignitates ipſo facto ſine aliqua declaratione, ſeu ſententia declaratoria ipſius pœnæ, non tamen ſine ſententia declaratoria ipſius criminis cõmiſſi, propter quod pœna ipſa imponitur. Videatur hac de re Soto, vbi ſupra, & Syluester, *verbo pœna, num.* 28. & Enriquez, tomo 2. lib. 13. cap. 16. num. 3. vbi dicit, quod Regulariter loquendo, omnes leges pœnales & rigoroſę prædicta verba habẽtes, explicari debent, ita vt intelligantur in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ. Qua etiam de re, videatur Emanuel Rodericus, Tomo 1. quæſtionum Regularium, quæſt. 14. art. 8. & quæſt. 6. Art. 16.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Superiores atq; Prælati, & Electores, in Prælatos eligentes huiuſmodi in dictis Conſtitutionibus comprehenſos, ex genere maculato deſcendẽtes, incidant etiam ipſo facto, in excommunicationis pœnam, & in alias pœnas ibidem contentas?

Concluſio.

Superiores atque prælati, admittentes vocales; eligẽtes, ſupradictos in his cõſtitutionibus comprehẽſos, peccãt mortaliter, & ſunt ipſo facto excommunicati.

CErtiſſimum eſt, Superiores & Prælatos admittentes, necnon Vocales & Electores eligentes, huiuſmodi in dictis Conſtitutionibus comprehenſos, peccare mortaliter, & incidere in excõmunicationis pœnam, & in alias pœnas ibidem poſitas. Hæc Concluſio probatur ex verbis prædictæ Conſtitutionis Pauli Quarti, quæ eadem omnino eſt cum Conſtitutione Pij Quarti, & Clementis Septimi, Vbi ſequentia habentur verba poſt alia. *Dictarũ itaq; inhibentes Generali Miniſtro, Commiſſario Generali, aliiſq; Commiſſarijs quibuſcumque, Prouincialibus Miniſtris, aut Guardianis, & fratribus totius dicti Ordinis, in quibuſcumque mundi partibus, & locis exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis Generalatus Commiſſariatus Generalis, & aliorum cuiuſcunque Commiſſariatus, Prouincialiatus & Guardianatus, aliorũq; officiorũ & dignitatũ dicti Ordinis, & inhabilitatis ad illã in perpetuũ obtinenda pœnis, eo ipſo ſi cõtra fecerint incurrẽdis, ne aliquos ex dictis, qui olim Iudæi ſeu Hæretici, &c.* Vſq; *recipere, admittere, eligere ſeu aſſumere, ſeu electos cõfirmare, quouis quæſito colore, & prætextu audeãt ſiue præſumant.* Et quod omnes huiuſmodi, ipſo facto in ſupradictas pœnas incidant tenent omnes Doctores citati in præcedenti Articulo, ſed maximè Soto, vbi ſupra art. 4. An verò id ſtatim fiat, & ante ſententiam declaratoriam, ſaltim commiſſi criminis ſint inhabiles, & priuati dictis Officijs, Regulandum eſt iuxta ea quæ dicta ſunt, in præcedenti Articulo. Sed modo dico, quod Superiores & Prælati ſupradicti, & ſimiliter Vocales ſiue Electores, ante quam eligant ſeu aſſumant in Prælatos, aliquem ſeu aliquos in dictis Conſtitutionibus comprehenſos, & de huiuſmodi defectu & inhabilitate infamatos, tenentur diligenter ſecretam ſummariam inquiſitionem facere, verum ne ſit an falſum id quod dicitur, & an fundamentum habeat, aut forſan ſit ſparſus rumor à maleuolis exortus. Quod ſi certo conſtiterit, aut vehemens ſit dubium, ipſos aut ipſorum aliquem, in dictis Conſtitutionibus eſſe comprehenſum, nullatenus eundem eligant, ſeu admittant, alias enim

Nota hoc valde.

contra-

contrarium ausu temerario facientes, grauissimè peccabunt, incidentque in excommunicationis pœnam, & in omnes alias, in dictis Constitutionibus constitutas, quod quammaxime est notandū ad memoriæ commendandum.

Et vt præmanibus habeatur, quanta probatio sit necessaria, ad impedrēdam electionem alicuius Fratris, in Guardianum siue Prouincialem, &c. vel ad eijciendum iam electū vel confirmatum, propter originem siue descendentiam Iudaicam, aut Maurorum vel Hæreticorum, adducere in præsentiarum libuit, resolutionem quandam, doctissimi Doctoris Nauarro, in suis Consilijs lib. 5. tit. de hæreticis, consil. 22. ibi, ad quartam quæstionem vbi prædicta quæstione atque difficultate sibi proposita, eidem solutionem adhibens, inquit. Respondeo, quod ad impediendam dictam electionē, videtur sufficere, semiplena probatio, argumento, textus singularis *in cap. præterea, el. 2. de sponsalibus*, quod probat, propter dictum vnius testis & semiplenam probationem, impedimenti affinitatis, impediendum esse matrimonium nondum contractum, ne contrahatur. Si autem, inquit, est quis iam electus, & confirmatus, requiritur plena probatio ad illum reijciendum & exauctorandū, & quod pro vtroque facit, *cap. quemadmodum, de iureiur.* quatenus probat, quod turpius eijcitur quam non admittitur hospes, potestq; defumi etiam argumentum *ex cap. super his, de accusationibus.* Hæc prę dictus Nauar. vbi supra. Quæ verba versans & tractans, Emanuel Rodericus, tom. 1. quæst. 14. suarū Regularium, art. 3, in fine, prædictam doctrinam contendit impugnare, sed immerito (meo quidem videri) & quamuis prædictis Nauarr. verbis respondeat, non tamen mihi plenè satisfacit. Vnde quantum ad hoc, ipsius solutionem non admitto. Neq; illud etiam, quod in art. 10. quæstionis eiusdem in fine dicit, nempe, quòd sit certior & verior, & iuri communi magis conformis, illa opinio quæ dicit, non sufficere vt Religiosus quispiam, ex dicto genere maculato, intra quartum gradum, propter aliquam rationem siue causam, ex supradictis descendat, vt in dictis constitutionibus cōprehendatur, sed vlterius requiri, quod ipsius parentes, intra dictum quartum gradum, fuerint cōcremati & igni traditi, ac proinde quod Electores & Vocales, huiusmodi sic comprehensum, nisi vtrumq; obstet impedimentum, in Superiorem & Prælatum optime possunt eligere, & Superiores eundem confirmare, sequendo opinionem probabilem, seu vt ipse ait, certiorem atq; probabiliorē, absq; cōscientiæ scrupulo, & periculo incurrendi in pœnas, in supradictis Constitutionibus positas. Hæc, inquam, doctrina, nunquam mihi placuit, sed nec placere potest, propter rationes prædictas, & propter ea quæ latissimè a nobis sunt dicta in prę cedenti tomo quæst. 19. art. 7. notabili 4. concl. 2. & etiam in hac quæst. art. 1. concl. 2. Nam vt semel atq; iterum ibidem est dictum, in re dubia, cum constet de inhabilitate & incapacitate alicuius, iuxta dictas Constitutiones, propter opinionem forsan non nimis probabilem, non est cur Superiores & Prælati, aut Electores & Vocales, periculo se exponant peccandi mortaliter, & incidendi in pœnas, in dictis Constitutionibus contentas.

Nota valde quæ & quāta sit probatio necessaria, ad excludendum prudenter & secreto, quem piā ab aliqua electione.

Nota valde.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Fratres nostri sacri Ordinis, teneātur, aut possint obedire huiusmodi ex genere maculato descēdentibus, atq; in dictis Constitutionibus comprehensis, si perperam eligantur, in Superiores & Prælatos?

Nota pro rātione dubitandi.

RAtio dubitādi defumi potest, ex quibusdā verbis in dictis Constitutionibus appositis, & maximè in Constitutione Pauli IIII. vbi post alia sequentia habentur verba. *Nullique Fratres totius dicti Ordinis S. Francisti, etiamsi eos in Generales Ministros, Commissarios generales, & alios quoscumque Commissarios, Prouinciales vel Guardianos & Prædicatores elegissent, seu recepissent, eisdem sic contra mandata nostra electis, & assumptis obedire, sed in continenti ab eorum obedientia recedere, teneantur & debeant.* Eademq; prorsus verba, etiam habentur paulo inferius. Sed his nihilominus non obstantibus, quod in hac re tenendum, & practicandum est, explicabitur per sequentem Conclusionem.

Conclusio.

Inferiores subditi, obedire tenentur supradictis in dicta constitutione comprehensis, dum ab Ecclesia tolerantur.

INferiores subditi, semper tenentur suis Prælatis obedire, etiamsi sciant in dictis Constitutionibus eos esse comprehensos, ac ipso iure priuatos dictis officijs, quandiu ab Ecclesia tolerantur, & quousque in foro exteriori, id constet, per sententiam competentis iudicis. Hæc Conclusio est certa & tenenda, & credidem quod de ipsa nullum est aut esse potest dubium. Neq; huic resolutioni obstant, prædicta Pauli IIII. verba, quibus semel & iterum dicitur, quod Fratres debent & tenentur, incontinenti à supradictorum obedientia recedere, nam cum hoc sit præceptum morale, moraliter etiam ac iuridice est intelligendum, & ius ipsum exposcit, vt res & causa, prius ad Superiorem deferatur, quo ab ipso sententia proferatur declaratoria, qua dicatur eiusmodi in dictis Constitutionibus esse comprehensos. Hac sententia prolata, statim ipsi priuati remanent, & subditi ab eorum obedientia tenentur recedere, sed non ante, neq; contrarium credendum est, fuisse de mente Summi Pontificis, cum ex eo innumera sequerentur inconuenientia, multisque daretur occasio litibus & fraudibus. Præter quam quod, non id quidem esset iuridicum, liceret enim tunc cuilibet subdito, cum sibi placuisset suo Prælato non obedire, allegando & obijciēdo illi, aliquam exceptionem ex supradictis, quod quidem & maximè in Religionibus, magnam induceret confusionem. Vnde quamuis habeatur ibidem, vt id fiat incontinenti, seu quam primum potuerint, interpretanda sunt

da ſunt prædicta verba, ſeruato iuris ordine, & ad hunc ſenſum, quod quā primū potuerint, licitè & religioſe, id faciāt ſine ſtrepitu, & cōfuſione: c iuridice, Superiorē conſultādo, ita vt iuſtitia ſeruetur, & Frater vel proximus non diffametur. Quod ex ipſiuſmet Pontificis verbis, facilè licebit colligere; cum poſt illa verba, *ab eorum obedientia recedere*, ſtatim adiungat ſequentia, *& ad alium eligendum procedere*: Ex quibus cum hoc vltimum fieri non poſſit, niſi per Prælatum, & poſt ipſius ſententiam declaratoriam, qua dicat aliquem ex prædictis, in eiuſmodi Conſtitutionibus eſſe cō prehenſum, vacaſſeque proinde ipſius officium, vt alius eligi poſſit loco ipſius, manifeſtè colligitur, quod nec ſubditi tenentur à talis Prælati obedientia recedere per ſe, quouſque ſententia competentis Iudicis, lata fuerit contra ipſum. Hoc itaque eſt certiſſimum atque conſtituſſimum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm deſcendentes ex ſupradicto maculato genere, in noſtro ſacro Ordine, eſſe poſſint prædicatores?

ET videtur quod non, nam vt conſtat ex iam ſupradictis Conſtitutionibus, Prædicatores ibidem etiam continentur, inſtituique prohibentur, in noſtro ſacro Ordine, deſcēdētes ex dicto maculato genere. Circa hanc difficultatem Doctores diuerſos eſſe video, Nau. in Conſilijs lib. 5. tit. de hæreticis, conſ. 22. ibi, ad quintam quæſtionem, eamdem difficultatem proponit, an ſcilicet præfata prohibitio Pauli IIII. ſit ſeruanda, quoad eam partem qua prohibet, præfatos deſcendentes à Iudæis vel Hæreticis, in Prædicatores eligi, vel iam electos ad prædicandum admitti? Et reſpondet quod ſic. Quia, inquit, licet non videatur recepta, quoad hoc in aliquibus partibus, fuit tamen poſtea innouata & extenſa, etiam quoad Mauros, per Gregorium XIII. anno 1573. Et facta computatione ad annum, quo prædicta ſcripſit, dicit ipſe, quod nondum erant tranſacti anni, qui videbantur requiri ac ſatis eſſe, ad euacuandam viribus, legem aliquam canonicam. Argumento multorum iurium, quæ hac in re, adducit Felin. *cap. 1. de treuga, & pace. num. 6. cum ſequentibus.* Addit tamen, quod contrarium etiam diſputando ſuſtentari poteſt de rigore iuris, per ea quæ traduntur ibidem, à dicto Felino vbi ſupra, poſt Dominicum, *in cap. in iſtis. §. leges. 4. diſt. & in cap. 2. de Conſtitution.* nempe, quod omnis Conſtitutio, videtur fieri à Superiore, ſub hac conditione, ſi recipiatur a ſubditis. Hæc ſupradictus Nauarro.

Primaopinio.

Sed Emanuel Rodericus, in dicto primo Tomo Quæſtionum Regular. q. 14. art. 12. hac de re agens, omnino tenet contrarium, & dicit quod prædicta Conſtitutio, quoad hoc nunquam fuit recepta, aut poſita in praxi, & quod neque practicari poteſt aut debet. Cuius ſententiæ & opinioni, quia magis pia, atq; benigna eſt, & vt mihi videtur probabilior, libenter & ipſe aſſentior, & pro ea ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Secūdaopinio

Concluſio.

Deſcendentes ex maculato genere, ſi alias id videatur expediens, bene poſſunt inpręlicatores eligi in noſtro ſacro Minorum Ordine.

DEſcendētes ex pre dicto maculato genere, in ſacro noſtro Minorum Ordine, ſi id alias videatur expediens, bene poſſunt in Prædicatores eligi & præfici. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Emanuelis, & fundatur in ratione prædicta: nam quamuis in ſupradictis Conſtitutionibus, contrarium habeatur expreſſè, ipſæ tamen quoad hoc, nunquam fuerunt admiſſæ, practicatæ aut receptæ. Nunquam enim ab hinc quadraginta quatuor & amplius annis, quibus egoſimul cum prædicto Patre, in celeberrimo noſtro S. Franciſci Salmanticenſi Conuentu, Seraphicæ Religionis noſtræ habitum, Dei gratia & benignitate aſſumpſimus, id vidimus vſu receptum, & practicatum, neque verò audiuimus, quempiam Fratrem noſtrum, propter eiuſmodi defectum & macula, à prædicationis officio & munere, fuiſſe priuatum ſiue excluſum. Conſtitutiones etiam generales noſtræ, quæ hac de re loquuntur, hanc qualitatem, vt ſcilicet prædicta careant macula, non ſpecialiter in dictis prædicatoribus expoſcunt. Cum igitur id ita ſit, & Conſtitutiones & leges, vt præmiſſum eſt, non obligent niſi fuerint acceptatæ & receptæ, ac vſu & conſuetudine practicatæ, vt tradit Felinus *in dicto cap. 2. de treuga & pace*, & ante ipſum Dominicus *cap. 2. de Conſtitutionibus, & in cap. in iſtis §. leges. 4. diſt.* & tradit etiam Nauarr. in Manu. cap. 23. num. 41. dicendum videtur, quod etiamſi aliqui noſtri Ordinis Religioſi, in dictis Conſtitutionibus reperiantur cōprehenſi (niſi aliud obſtet) & id expedire, atque conuenire videatur, tuta & ſecura conſcientia, Prædicatorum munus & officium poſſunt aſſumere, & exercere, non obſtante quod in dictis Conſtitutionibus, prædicationis officium ſi inter dictum eiſdem. Et hora de eſto articula, & tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVÆS-

QVAESTIO II.

De Prælatis Regularibus, quantum ad ipſorum legitimitatem vel illegitimitatem, in Quatuordecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm illegitimi, ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas, poſſint promoueri & aſſumi?

IAtiſſima eſt materia præſentis Articuli, circa quam multa ſeſe offerrent dicenda, niſi in præcedenti Tomo quæſt. 19. art. 3. agendo de eiſdem illegitimis, quæ vna eſt ex exceptionibus in noſtris generalibus Conſtitutionibus poſitis, pro non recipiendis nouitijs, magna ex parte fuiſſent iam dicta. Ibi enim in primo notabili diximus, & explicauimus ſatiſſimè, qui nam dicantur filij legitimi ſeu illegitimi: & quotuplex ſit illegitimorum ſpecies ſiue differentia. In ſecundo vero, ad litteram appoſuimus, duas Conſtitutiones Sixti V. factas pro eiſdem illegitimis, quarum prima incipit, *Cum de omnibus*, data anno Domini 1587. vj. kalend. Decembris, Pontificatus ſui anno tertio. Altera verò incipit, *Ad Romanum Pontificem*, facta anno 1588. xij. kalendas Nouembris Pontificatus ſui anno quarto, circa explicationem & declarationem quorundã dubiorum, quæ ex prima illa ſua Conſtitutione emerſerunt. Poſtmodum verò in tertio, ſequenti Notabili, appoſuimus Cõſtitutionem aliam Gregorij XIIII. factam anno Domini 1590. idibus Martij, Pontificatus ſui anno primo, quæ incipit, *Circunſpecta Romani Pontificis prouidentia*, ad declarationem & moderationem, ſupradictarũ Conſtitutionũ Sixti V. Et in quarto ſimilem aliam declarationem, ſiue moderationem Clementis VIII. factam anno 1592. die 14. Aprilis, Pontificatus ſui etiam anno primo, pro moderandis prædictis omnibus Conſtitutionibus, quæ incipit, *Altiſſimæ pauperiatis via*. Qui etiam dictus Clemens VIII. poſtea anno Domini 1602. die 2. Aprilis, Pontificatus ſui anno vndecimo, innumera cernens inconuenientia, & difficultates quæ ex ſupradictis conſtitutionibus, exoriebantur & ſequebantur indies, iuſtiſſimis motus de cauſis, Conſtitutiones omnes prædictas, ad terminos iuris communis, & ſacrorum Canonum reduxit, quatenus attinet ad nullitates profeſſionum, illegitimorum & aliorum, ſaluis tamen exiſtentibus ſemper pœnis, poſitis atque infligendis, contra Superiores earundem tranſgreſſores. & in dictas Conſtitutiones peccantes. Incipit hæc Conſtitutiõ *In ſuprema Eccleſiæ Apoſtolicæ ſpecula*, quam etiam explicauimus & declarauimus in notabili quinto. Ex quibus omnibus, quatuor elicuimus concluſiones, quibus ſummatim, tradidimus (ni fallor) omnia quæ ad dictas Conſtitutiones, quoquomodo ſpectare poterãt. Qualiter etiam pro temporum varietate & differentia, illę fuerunt practicatæ, & quid modo ſit faciendum & ſeruandum, ſecundum ſacros Canones, circa prædictos illegitimos, non habita conſideratione, ad ſupradictas Conſtitutiones, ſed ſtando ſolummodo in terminis iuris communis. Quæ ſupradicta omnia, quamuis dicta fuerint ad propoſitum Nouitiorum, circa qualitatem legitimationis, quam ipſos habere oportet, ſecundum noſtras generales Conſtitutiones, ad hoc vt recipiantur ad noſtrum ſacrum Ordinem, magnam etiam lucem afferre poſſunt, ad difficultatem præſentem, quantum attinet ad Prælatorum illegitimorum, electiones faciendas, vel non faciendas.

Quibus præmiſſis & pro expreſsis habitis, quod in præſentiarum quæritur, illud eſt, An Religioſi illegitimi, ſtando in terminis iuris communis, ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas poſſint promoueri, dicturi poſtmodum, quid etiam ſit faciendum, ad euitandas ſeu non incurrendas pœnas pontificias, poſitas in dictis conſtitutionibus. Et poteſt difficultas propoſita, in duplici ſenſu inueſtigari. Primo, An ſtando in terminis iuris communis, per Religionis ingreſſum tollatur omnis illegitimitas, ſiue irregularitas ex ipſa prouenies, etiam quantum ad effectum habendi Prælationes? Secundo, An in caſu quo non tollatur de iure, ſit tamen in Religionibus, aliquod ſpeciale priuilegium, ad hoc vt diſpenſari poſſit cum eiſdem, vt ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas promoueri poſſint? De primo dicemus in iſto Articulo, de ſecundo vero in ſequenti, poſtmodum vero in ſubſequentibus, qualiter ſit faciendа prædicta diſpenſatio, & de alijs ad eandem requiſitis, quæ neceſſaria viſa fuerint, breuiter & reſolutiue dicentur.

Difficultas: An per Religionis ingreſſum, tollatur illegitimitas? Prima opinio

Ad primam igitur quæſtionem deueniendo, hac de re celebris eſt opinio, quorundam aſſerentium, quod per Religionis ingreſſum, & maximè per ſolemnem profeſsionem, tollitur omnis illegitimitas, & irregularitas ex ipſa prouenies, & fit vera legitimatio, introducta non ſolum iure humano, verumetiam & iure diuino, qua filij illegitimi, ipſo iure & facto quo Religionem ingrediuntur, efficiuntur idonei ad omnes Prælaturas

turas & dignitates Eccleſiaſticas, quin vero & ad Epiſcopatus, ac ſi ex legitimo fuiſſent matrimonio nati & procreati. Huius opinionis mentionem facit Couarruuias de Sponſalibus 2.par. cap. 8.num.4. dicitque eam tenere Felinum, Iaſonem, & alios innumeros Iuriſperitos, eſſeque fere cõmunem, quamuis ipſe ab eadem recedat, vt ſtatim dicemus. Sed quid quid de hoc ſit, hanc ſententiam, tenere videtur *gloſſa celebris, in cap. cum deputati, de iudicijs, verbo nationis.* Vbi ad quoddam aliud ſimile propoſitum, dicit quod eo ipſo quo quidam deputauerunt, ſe diuino obſequio & ſeruitio, omnis tollitur irregularitas ſiqua fuit. Quod probat argumento deducto, *ex cap. non licet. 19, quæſt. vlt. & ex autent. de Monachis, in princ. coll. 1.* vbi etiam dicitur, quod Monachatus omnem abſtergit maculam. Qua ratione dicit illos non eſſe repellendos, quia præſumuntur perſonæ legitimæ, *per cap. eorum. 11. quæſt. 3. & l. verius. ff. de probation. & l. 1. eodem tit.* Et probari poteſt prædicta opinio, ratione & argumento, vt dicitur deducto à minori ad maius. Nam ſi per oblationem curiæ ſecularis, legitimantur filij alias illegitimi, vt tenẽt multi Doctores grauiſſimi iuriſperiti, *& habetur Inſt. de nuptijs. §. fin. & authẽ. quibus modis natural. effician. filij ſui. §. ſi quis igitur. collat. 7. & l. cõmuniũ 9. §. fin. C, de naturalib. liber.* multo ergo melius, per oblationem ad curiam ſpiritualem, quod fit per ingreſſum Religionis, & maximè per ſolemnem profeſſionem, legitimari debent dici. Propter hanc rationem dicunt quidam Iuriſperiti, quod filius illegitimus naturalis, factus Monachus legitimatur quoad ſucceſſionem ab inteſtato; & multo magis quoad Prælationes, cum ſucceſſio in hæreditate, ſtrictior ſit & difficilior & iuri magis repugnans, quam habilitas Religioſi illegitimi, ad quaſcumque Prælaturas.

Sed quod hoc factum ſit, iure diuino, probant prædicti Doctores à ſimili, de vinculo matrimonij rati non conſummati. Nam difficilius, inquiunt, eſt tollere vinculum matrimonij rati non conſummati, quam vinculum cuiuſcumque illegitimitatis, cum matrimonij vinculum introductum ſit iure diuino, illegitimitas autem non niſi iure humano poſitiuo: ſed per ingreſſum Religionis, & maximè per ſolemnem profeſsionem (vt tenent omnes Doctores Theologici, quin verò & iuriſperiti) tollitur vinculum matrimonij rati non conſummati, & hoc de iure diuino: ergo eodem iure dici optimè poteſt, perſupradictũ Religionis ingreſſum, & ſolemnẽ profeſſionẽ omnẽ tolli illegitimitatẽ ſiue irregularitatẽ ex eadẽ proueniente. Quod in venerationẽ & obſequiũ, nec non & fauorẽ ſacratum Religionum, quidam adeo extendere volunt, vt dicant non ſolum tolli illegitimitatem, & irregularitatem ex ipſa prouenientem, per Religionis ingreſſum, verumetiam & irregularitatem homicidij voluntarij & bigamiæ, vt & ipſos reprehendendo, refert Nauarr. Commentar. 2. de Regularib. ſuper *cap. non dicatis num. 60.* Sed alia eſt aliorum opinio, contrarium omnino dicentium, quæ eſt verior & tenenda, propter forciſſimas ipſius rationes & argumenta, pro qua ſtatuitur Concluſio.

Secũda opinio

Concluſio.

Quamuis per Religionis ingreſſum, etiamſi per ſolemnem profeſsionem, tollatur omnis illegitimitas quoad ordines, nõ tamẽ quoad Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas.

QVamuis per Religionis ingreſſum, & maximè per ſolemnem profeſsionem, tollatur omnis illegitimitas, ſiue irregularitas ex ipſa proueniens, quantum ad ſuſcipiendos ſacros ordines, non tamen quantum ad obtinendas dignitates Eccleſiaſticas, præfecturas ſiue Prælatias. Hæc Concluſio probatur, quantum ad primam partem, nempe quod per Religionis ingreſſum, quãtum ad ſuſcipiendos ordines, tollatur omnis illegitimitas, & irregularitas ex ipſa procedens, Primo quia id habetur expreſſè, in *cap. 1. de filijs presbyterorum*, vbi ad hoc propoſitum, habentur ſequentia verba, *Vt filij presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati, ad ſacros ordines non promoueantur, niſi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viuant.* Ex quibus verbis ſatis conſtat, quod illegitimi & presbyterorum filij, Religionem profitentes, ſecundum ius commune, ad ſacros ordines poſſunt promoueri: & quod Religionis ingreſſus omnem tollit irregularitatem, ſicut & ingratitudinem, prout habetur in iure *in cap. non licet. 19. quæſt. vlt.* Videatur hac de re, gloſſa in dicto *cap. 1. de filijs presbyt. & Panorm. in cap. 2. de Apoſtatis. & Nauarr. in cap. non dicatis, num. 60.* & Soto in 4. diſt. 25. q. 1. art. 3. & Sylueſter *verbo, Religio. 4. quæſt. 24.* Difficultas tamen eſt, inter Doctores Iuriſperitos, An huiuſmodi irregularitas quoad ordines, tollatur per quemcumque ingreſſum Religionis, an verò ſolummodo per ſolemnem profeſſionem? Eſt enim ſecundum Iuriſperitos, triplex Religionum ingreſſus, primus educationis, ſecundus probationis, tertius verò profeſſionis. A qua difficultate pro nũc conſulto abſtineo, nam dẽ ea inferius eſt à nobis dicendum, vt veniamus ad probandam, ſecundam concluſionis partem, qua diximus per ſolemnem profeſſionem, non tolli illegitimitatem, & irregularitatem ex ipſa prouenientem, quantum attinet ad dignitates Eccleſiaſticas ſiue Prælatias ac proinde, quod ad hoc noua opus ſit diſpẽſatione, & quod hoc ita ſit habetur expreſſè, in ſupradicto *cap. 1. de filijs presbyterorum*, vbi poſt ſupradicta verba de filijs presbyterorum, & illegitimis factis Monachis, poſtquam conceditur ipſis vt ad ſacros ordines poſſint promoueri, addit ibi Concilij, *Prælationes verò nullatenus habeant.* Quę verba exponens Gloſſa ibidem, dicit quod Prælationes habere, ipſo iure non poſſunt, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Quod & præterea probatur, per *cap. vlt. eod. tit.* vbi id omnino expreſſè habetur. Hanc ſententiam & concluſionem quantum ad iſtam partem, tenet ſupradictus Couarr. de Sponſalib. 2. part. cap. 8. n. 41. & Soto in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 3. & Nauarr. ſupra *cap. non dicatis. n. 60.* adducens in id quamplures Doctores, & vt dixi acriter, reprehendens omnes contrarium dicentes. Huic etiam reſolutioni, fauent & multa priuilegia, quæ habentur in diuerſis Ordinibus & Religionibus, quò diſpenſari poſſit cũ ſupradictis illegitimis, vt ad Præfecturas ſiue dignitates

Nota quod triplex eſſedi citur Religionis ingreſſus.

Eccle-

Eccleſiaſticas promoueri poſſint : ex quibus ſatis conſtat , de mente ſummorum Pontificum qui ea conceſſerunt, Religioſos illegitimos, nullatenus fieri legitimos, per ſolam profeſsionem, factam in Religione aliqua, quantumuis approbata. De eiuſmodi priuilegijs dicemus ſtatim in ſequenti Articulo, hæc pro nunc dicta ſufficiant. Modo ſupereſt reſpondere ad auctoritates & rationes, in initio huius Articuli propoſitas. Ad primam continentem auctoritatem Gloſſæ, qua dicitur quod profeſſio Regularis , emundat profitentem ab omni macula, & irregularitate illam præcedente : reſpondeo cum Nauarr. vbi ſupra dupliciter, primo dicendo, quod illud principium intelligendum eſt, quoad præſumptionem, maximè illam , quę oritur ex bona triennali cõuerſatione, poſt ſuſceptum Monachiſmum, ad hunc ſenſum, quod huiuſmodi Monachus, præſumitur mundus ab omni macula humana, donec ſibi probetur cõtrarium, iuxta §. *ſancimus, eiuſdem authen.* Nam præſumptio, de qua habetur in Regula, *ſemel malus ſem per præſumitur malus, de Regul. Iuris, lib. 6.* per bonam triennalem conuerſationem tollitur, vt dicunt Iuriſperiti, cum Felino in ſupradicto *cap. cum deputati, de iudicijs.* At cum præſumptio ceſſet, in foro Dei & conſcientiæ, quando contraria eſt veritati, per notata in *cap. is qui fidem , & cap. tua de Sponſalibus,* Regularis ſiue Religioſus, qui propter aliquam rationem ſiue cauſam, nouit ſe ante Monachatum irregularitatem incurriſſe, talem ſe debet iudicare, etiam poſt vigeſimum & trigeſimum annum, quouſque per legitimam diſpenſationem, generalem vel ſpecialem, talis ab eo illegitimitas, ſiue irregularitas tollatur, quod eſt valde notandum. Secundo reſpondet ſupradictus Nauarr. quod prædictum principium poteſt intelligi, de abſterſione quoad culpam, & quoad omnem peccatorum pœnam, cum profeſſio Regularis, facta cum debita contritione, indulgentiam plenariam operetur, vt tradit D. Thom. 2. 2. quęſt. vlt. art. 3. ad tertium, quanquam (inquit) non ſit veroſimile, huiuſmodi maculæ ablationem, Imperatori in illo exordio prædicti Autentici, in mentem vllo modo veniſſe. Idem dicendum eſt ad alias auctoritates, quæ tendunt ad idem.

Nota quod ſecundum ius, omnis præſumptio mala, tollitur per bonam triennij conuerſationem.

Nota quod præſumptio coram Deo & conſcientiæ, quando eſt cõtraria veritati

Ad rationem vero reſpondendo dico , quod licet Conſequentia valeat, & ratio appoſita ſit maximè congrua, quoad legitimationem & ablationem irregularitatis, quoad ſuſcipiendos ſacros Ordines (vt dictum eſt in prima parte concluſionis) non tamen concludit aut valet, quoad dignitates & Præfecturas, propter ſpecialem rationem quam adducemus infra, cum agemus de ſufficienti cauſa, requiſita ad talem diſpenſationem. Idem omninò dico, ad illud quod dicitur de vinculo matrimonij, rati non conſummati, & quod Deus poſſet illud facere ſi voluiſſet , non tamen idipſum inuenitur effectum, neque textus aliquis reperitur in iure, vnde iuridice & cum ſufficienti fundamento id deduci poſſit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fuerint olim, aliqua priuilegia Regularibus conceſſa, quibus illegitimi, ad Præfecturas & dignitates Eccleſiaſticas poßent promoueri?

PRo huius Articuli intelligẽtia pręmitto, quod vt diximus in prędicti Artic. in probatione ſecundę partis cõcluſionis, & tradit latè Couar. de ſpõſalibus 2. par. cap. 8. n. 4. & Nauar. *in cap. nõ dicatis, num.* 60. ſecundum ius commune, ſolus Papa poteſt diſpenſare, & diſpenſat cum illegitimis, vt ad dignitates & Prælatias promoueantur, vt habetur expreſſè *in cap. 1. de filijs presbyterorum.* & ſatis colligitur, ex *cap. vlt. eodem tit. iuncta Gloſſa.* Solũmodo eſt difficultas, in præſenti Articulo, vtrum pro Religioſis fuerint aliqua priuilegia, quibus idipſum concedatur Prælatis Regularibus. Cui difficultati, per ſequẽtem Concluſionem reſpondetur.

Nota quod ſolus Papa de iure communi diſpenſat cũ illegitimis, vt ad dignitates & prælaturas promoueãtur

Concluſio.

ALiqua fuerunt olim priuilegia, quibus Prælatis Regularibus concedebatur, vt cum ſibi ſubditis illegitimis diſpenſare poſſent, vt ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas promouerentur. Hæc Concluſio non aliter eſt probanda, quam adducendo ſupradicta priuilegia ; & in primis Sixtus IIII. *conceſsit Generali & Prouincialibus Miniſtris, & eorum Vicarijs, auctoritatem diſpenſandi, cum Fratribus Ordinis Minorum, patientibus defectum, ex illicitò cõitu prouenientem, necnon cum his, qui ex quauis cauſa (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum) irregulares forent, poſtquam Ordinem ipſum profeſsi fuerint diſpenſare, vt defectu & irregularitate huiuſmodi non obſtantibus , irregulares ipſi, ad quoſcumque etiam ſacros Ordines promoueri, & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & quod tam ipſi Regulares , quam defectum natalium patientes prædicti, ad quaſcumque adminiſtrationes, & officia dicti Ordinis eligi , recipi & aſſumi, illæque gerere & exercere libere & licite valeant.* Habetur hoc priuilegium , in Monumentis Ordinis primæ impreſſionis, fol. 61. & ſecundæ fol. 144. conceſſ. 252. Et idem omnino ac ſub eiſdem verbis, conceſſit idem Sixtus IIII. Generali Magiſtro, & Prioribus Prouincialibus & Conuentualibus, Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarijs. Et habetur in ſupradictis Monum. ſecundæ impreſſionis, fol. 240. conceſſ. 57. Et vtriuſque priuilegij, mentionem facit Collector, Priuilegiorum Mendicantium, in ſuo Compendio, *verbo, diſpenſatio,* §. 12. & 13. Aduertens in fine, quod Vicarij Conuentuum, ſiue Subpriores Ordinis Prædicatorum, nunquam habuerunt in vſu, vti prædicta facultate ſiue priuilegio, ſine ſpeciali comiſſione, niſi mortuo vel amoto Priore. Ac ideo (inquit) idem eſt quoad hoc, ac ſi nunquam fuiſſet conceſſum. Idemque omnino, inquit, eſſe dicendum

Prælati Regulares olim priuilegia habebant, vt poſſẽt diſpẽſare cũ ſibi ſubditis illegitimis, vt ad Prælationes & dignitates promouerentur.

de Vicarijs Conuẽtuum ſacræ noſtræ Religionis.

Similia priuilegia referuntur conceſſa, alijs Ordinibus ſiue Religionibus Monachalibus, vt patet ex traditis in Compendio Ordinis Ciſtercienſis, & D. Hyeronymi, *verbo, diſpenſatio*, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, quæ breuitatis cauſa facio Miſſa.

Sed aduertendum eſt, quod prædicta facultas ſeu auctoritas, olim Prælatis Regularibus conceſſa, vt diſpenſare poſſent cum ſibi ſubditis, ad hoc vt ad Præfecturas, Prælatias ſiue dignitates Eccleſiaſticas promoueri poſſent, ſublata fuit eis omnino poſtea, à Sixto Quinto Pontifice Maximo, in duabus Conſtitutionibus, editis contra prædictos illegitimos, de quibus mentionem fecimus ſuprà, in præcedenti Articulo, vbi declarauit omnes huiuſmodi diſpenſationes, eſſe irritas ac nullius prorſus roboris & momenti. Sed poſtea Gregorius Decimusquartus, in alia ſua Conſtitutione, prædictas Sixti Quinti modificando, conceſſit, vt fieri poſſet cum ipſis diſpenſatio, ſed non niſi in Capitulo generali vel prouinciali, vt ſtatim dicemus. Ita quod iam ſublata eſt, à dictis Prælatis regularibus, facultas ſimpliciter & abſolute ac ſeorſum diſpenſandi cum illegitimis, ad prælationes obtinendas & poſſidendas, per conſtitutionem Gregorij: nam dictæ diſpenſationes, fieri nullatenus poſſunt ab ipſis ſeorſum, vt antea poterant, ſed neceſſario fieri debent, ab eiſdem cum Generali vel Prouinciali Capitulo vt dicemus infra.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS III.

Vbinam fieri debeant, ſupradictæ diſpenſationes cum illegitimis, & an fieri poßint in Congregatione Capitulari, ſeu quod dicitur Capitulo intermedio?

Concluſio.

Diſpẽſatio cũ illegitimis ad prælaturas, fieri debet in Capitulo generali aut Prouinciali vel intermedio, quod alias Congregatio intermedia dicitur.

Diſpenſationes ſupradictæ cum illegitimis, ad dignitates & Prælaturas, fieri non poſſunt, niſi in Capitulo generali, ſeu prouinciali aut in Congregatione Prouinciali, ſeu quod dicitur Capitulo intermedio.

Nota Conſtitutionem Gregorij XIIII. circa diſpenſationem cum illegitimis, vt ad

Hæc concluſio quoad primam partem, habetur expreſſa in ſupradicta Gregorij XIIII. Conſtitutione, vbi poſt alia habentur hæc verba. *Statuendo, vt omnes diſpenſationes & habilitationes, vigore priuilegiorum ſeu indultorum Apoſtolicorum, cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumue Superioribus, in genere vel ſpecie (vt præfertur) conceſſorum, quæ tempore conſtitutionum huiuſmodi, vſu receptæ, & nondum ſub vllis alijs reuocationibus comprehenſæ eruut, per quoſcumque eorum Superiores factas, in priſtinum ſtatum & validitatem, in quibus ante ipſas conſtitutiones exiſtebant, reſtituimus & reintegramus, volentes eiſdem Conſtitutionibus non obſtantibus, eos qui quouis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum & profeſſionem Regulares admitti poſſe, quemadmodum admitti poterant, ſi ſupradictæ conſtitutiones editæ non fuiſſent. Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocumque illegitime natis, ad habitum, & profeſſionem Ordinum quorum cumque ageretur, ij ad quos huiuſmodi receptio ſpectat, præter alia de quibus exdictarum conſtitutionum præcepto, circa quoſcumque etiam legitimos diſquirere debent, diligenter eorum vitam & mores inquirant, & ita demum recipiant, tamen bonã indolẽ & virtutis ſpecimen præ ſe ferãt, at tot merita eis ſuffragẽtur, vt ſi nataliũ ſuppleãt defectum, eorũq; receptio, commodo & vtilitati profuturam videatur, & ſuper hoc ipſo ij ad quos (vt dictum eſt) pertinet huiuſmodi receptio, matura deliberatione habitã, ita cenſuerint & iudicauerint, dummodo tamen filius illegitimus, in Religione in qua pater ſiue ante ſiue poſt natiuitatem dicti filij profeſſus fuerit, ipſo viuente non admittatur, quod expreſſe prohibemus. Volumus quoque atque ſtatuimus, licere Generali aut Prouinciali, ſingulorum Ordinum ac Congregationum aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat, iuxta tenorem Priuilegiorum & indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum (quæ dummodo vſu recepta, nec alias ſub vllis reuocationibus comprehenſa ſint, vt præfertur, in hac parte reualidamus) cum illegitimis, quos alias dictus Generalis aut Prouincialis, cum Generali, Prouinciali ſeu intermedio Capitulo, & non alias, ſuffrantibus meritis dignos inuenerint, ad honores, gradus & dignitates obtinendas, diſpenſare, ac diſpenſationes huiuſmodi, pro tempore ita facias, & inde ſequuta quæcumque, vt antea valere ac tenere perinde, ac ſi dictæ conſtitutiones non emanaſſent.* Hactenus Gregorius. Ex quibus verbis ſatis clarè conſtat, quod diſpenſationes ſupradictæ cum illegitimis, ad prælationes & dignitates obtinendas ſiue poſſidendas, faciendæ ſunt à Prælatis Regularibus, Generalibus ſiue Prouincialibus, in Capitulo Generali ſeu Prouinciali, & non alias, niſi in Capitulo intermedio, quod alio nomine, Congregatio Capitularis intermedia nuncupatur, quæ vim & vicem habet Capituli, maximè in noſtro ſacro Ordine, & iuxta noſtras generales Conſtitutiones Toletanas cap. 8. §. de capitulo Prouinciali, & congregatione habente vim Capituli.

dignitates promoueri poſſint, faciendã in Capitulo generali aut Prouinciali, ſiue cõgregatione intermedia.

Nota valde.

Sed circa ſecundam partem prædictæ Concluſionis, difficultas occurrit, quidnam veniat intelligendum, per capitulum intermedium ſeu capituli intermedij nomine, & an ſit omnino idem quod Congregatio Capitularis, quæ etiam, dicitur intermedia? Et vt ratio dubitandi appareat, aduertere oportet, ex dictis Conſtitutionibus, hoc intereſſe inter Capitulum intermedium, & Congregationem Capitularem, quæ etiam dicitur inter media, quod ad Capitulum intermedium, vocantur omnes Prouinciæ Vocales, in quo etiam noui Definitores eliguntur, & Vocales in Diſcretorio conſtituti, agunt de rebus ad totam Prouinciam concernentibus, quæ poſtmodum in Definitorio proponuntur, & à Definitoribus diffiniuntur atq; determinantur, at vero ad Congregationem Capitularem intermediã, non vocantur, neque conueniunt omnes Prouinciæ vocales, cum non ſit ibi eligendus Prouincialis miniſter, neq; noui Diffinitores, ſed ſolũmodo cõueniunt, Diffinitores ipſi cũ Prouinciali, & aliqui alij Prouin-

Difficultas. Quidintelligatur Capituli intermedij nomine?

Dedifferẽtia, quæ verſatur inter capitulũ intermediũ, & Congregationẽ intermediam.

Prouinciæ Patres, qui ex indulto generalium noſtrarum Conſtitutionum, vocem habent Definitorum, ſed nihilominus Congregatio prædicta, vim habet Capituli intermedij, ac in ipſa deponi, ſeu priuari ſolent Guardiani, ſi ita id expedire videbitur, expeditique omnia alia, quæ fieri ſolent in dicto Capitulo intermedio, aut etiam Prouinciali, præter quam quod in ipſa prohibentur fieri nouæ Conſtitutiones. His præmiſſis dicunt aliqui Patres noſtræ ſacræ Religionis, in hiſce rebus nimium exercitati & verſati, quod diſpenſatio facienda cum ſupradictis illegitimis, vt ad dignitates & Prælatias poſſint promoueri, iuxta præfatam Conſtitutionem Gregorij XIIII. fieri non poteſt, in ſupradicta Congregatione Capitulari intermedia, ſeu neceſſario eſt facienda, ad minus in dicto Capitulo intermedio, ſic enim (inquiunt) illud definit, atq; determinat, Gregorius ſupradictus in præallegatis verbis. Ad quod etiam afferunt, peculiarem quandam rationem, dicendo eſſe neceſſum, vt ad id etiam Prouinciæ Diſcreti & Vocales conueniant, cum dictus Gregorius non concedat eiuſmodi facultatem diſpenſandi cum illegitimis, Miniſtris generalibus ſeu Prouincialibus, in Capitulo generali, aut Prouinciali, ſeu intermedio conſtitutis, ſi enim hoc diceret, idem inquiunt videtur dicendum de Congregatione intermedia, ſed dicit vt hoc fiat, cum Capitulo generali aut Prouinciali, ſeu intermedio, & non alias. Vbi dictio illa ſeu coniunctio copulatiua, *cum*, communem conſenſum inſinuat, & vt videtur, per ipſam datur intelligi, ad diſpenſationem prædictam faciendam, neceſſarium eſſe, vt hat in Capitulo generali, Prouinciali aut intermedio, in quibus totius Ordinis aut Prouinciarum Diſcreti, & Vocales conueniunt, qui ſimul iuncti dicuntur eſſe Capitulum, vt cum conſilio & conſenſu eorum, prædicta diſpenſatio fiat. Propter hanc rationem prædicti Patres, huic adhærent opinioni, & ſententiæ.

Duo ſunt hac de re opiniones.

Prima opinio

Secunda opinio, & reſolutio.

Sed his nihilominus non obſtantibus, contraria eſt aliorum ſententia, meo quidem videri verior, iuxta quam reſolutiuè dico, fieri poſſe ſupradictam diſpenſationem cum illegitimis, vt ad dignitates promoueantur, non ſolum in Capitulo generali aut Prouinciali, aut in dicto Capitulo intermedio, verumetiam & in Capitulari Congregatione intermedia, in qua ſolummodo conueniũt Prouincialis & Prouinciæ Patres & Diffinitores. Cuius reſolutionis hæc eſt vnica atque potiſſima ratio, quia prædicta Congregatio, in omnibus & per omnia, vim & robur habet Capituli, ex noſtris generalibus Conſtitutionibus Toletanis, vbi poſt alia, ponuntur ſequentia verba: *Verum ſi capitulum intermedium non fit celebrandum, præcipimus vt in complemento biennij, celebretur a Prouinciali Congregatio, quæ habeat vim Capituli Prouincialis, ad peragenda ea quæ ſolent fieri in Capitulis Prouincialibus.* Cum igitur ſupradicta Congregatio intermedia, ex noſtris Conſtitutionibus generalibus, auctoritate Apoſtolica confirmatis, in noſtra Religione vim & robur habeat Capituli Prouincialis, liquidum profecto fit, quod in ea fieri poſſunt ea omnia, quæ in dictis Capitulis Prouincialibus aut intermedijs, prout ibidem dicitur, & conſequenter ſupradicta diſpenſatio cum illegitimis, ad hoc vt ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas, poſſint promoueri. Quod & communi iuri nimis eſt conforme, cum iuxta vulgarem, ac generalem Iuriſperitorum regulam, ſubrogatus ſapere debeat naturam illius, cuius loco ſubrogatur. Neque dictis obſtat, argumentum in contrarium adductum, fundatum in illis verbis, poſitis in prædicta Conſtitutione Gregorij, *Cum Capitulo generali, Prouinciali aut intermedio, & non alias.* Nam reſpondetur primo, quod verba illa non id innuunt, & quamuis id alias inſinuarent, non tamen conuincunt, quantum attinet ad præſens propoſitum, diſpenſandi cum ſupradictis illegitimis. Nam verba illa intelligenda ſunt, iuxta ſubiectam materiam, iuxta id, quod habetur *in cap. intelligentia, de verb. ſignif. & in l. ſi vno. §. 1. ff. locati.* Intelligenda etiam ſunt, iuxta diſpoſitionem negotij, quod committitur peragendum, at in noſtro ſacro Minorum Ordine, non moris eſt ſeu in conſuetudine poſitum, quod huiuſmodi diſpenſationes, & alia quæ maximum ſecretum requirunt, communicentur cum Diſcretorio, aut proponantur ibidem, vbi tot Vocales conueniunt, quia valde foret difficile, ſecretum debitum in hiſce rebus ſeruari, ſed proponuntur & communicantur in Definitorio, vbi vt plurimum non conueniunt, niſi ſupradicti Patres grauiſſimi, ſecretiſſimi & circunſpectiſſimi, qui iure & merito, eſſe dicuntur maiorem, laniorem, atque principaliorem partem Capituli, quorum conſilio ſupradictæ diſpenſationes fiunt, & aliæ eis ſimiles, & quod ab ipſis fit, fieri dicitur non ſolum in Capitulo, verum & cum Capitulo. Superfluumque eſſet ad huiuſmodi diſpenſationes faciendas, aliud Capitulum expectare, cum neque in tali caſu (vt dixi) deſumendum ſit ſupradictorum Diſcretorum ſiue Vocalium conſilium, quod eſt valde notandum, neque credendum eſt, Gregorium ſupradictum, aliud dicere ſiue determinare voluiſſe. Sed aduerto, quod quamuis hoc ſit dictum & merito, de Cõgregatione Capitulari intermedia, quæ vim & vicẽ habet Capituli, nõ tamẽ idem eſt intelligendũ, de alijs cõgregationibus particularibus, Diffinitorum cũ Prouinciali, quæ interdũ fiunt, ad deponẽdos ſiue conſtituendos aliquos Guardianos, & ad alia ſimilia negotia, cum tales congregationes, nõ vim aut robur habeant Capituli.

Nota quod cõſtitutionũ verba, ſẽper ſunt intelligenda, iuxta ſubiectã materiam, & diſpoſitionem negotij, de quo loquũtur

Nota hoc valde.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Superiores & Prælati Regulares, virtute ſupradictorum Priuilegiorum, facultatẽ & poteſtatem habeant, legitimandi Religioſos ſibi ſubditos in totum, an vero ſolum facultatem diſpenſandi cum ipſis, vt ad Prælatias & dignitates promoueri poſſunt?

PRO intelligentia huius Articuli, oportet modo præmittere, quidnam ſit aliquem

Primo nota quid sit simile legitimatio, seu alienem legitimare?

legitimare? & dico breuiter cum Siluestro, *verbo legitimatus, num.* 2. quod legitimare est quempiã habilitando, de illegitimo legitimum ex gratia facere. Legitimatio autem, est habilitatio illegitimi ad actus legitimos, ad quos alias ex sua illegitimitate erat inhabilis. Hæc autem legitimatio, vt inquit idem Syluester, de mente & sententia Antonij de Brutio, *in cap. peruenerabilem, qui filij sint legitimi*, est triplex. Quædam est plenissima, per quã deletur fundamentum vitij, à quo legitimationis & illegitimationis differentia consurgit, quam solus Papa potest efficere, nam solus ipse potest dispone re, & dispensare super matrimonio & ipsius impedimentis. Alia vero dicitur plenior, quæ re integrat ad iura primæuæ naturæ, non disponendo in vitium sed aliter, quam etiam solus Papa siue Imperator facere possunt (respectiuè) secundum ea quæ ad ipsos spectant. Altera autem dicitur plena, vt dispensatio quæ fit cum illegitimo, in aliquo defectu legitimationis, non reintegrando ipsum in totum sed in parte, quam etiam vterque eorum potest facere. Videatur hac de re prę dictus Syluester vbi supra, & num. 4. vbi etiam multis tradit, quotuplex sit legitimatio facta à iure, & dicit quòd quædam est communis iuri Canonico & ciuili; quædam verò iuris Canonici propria: quædã autem propria iuris ciuilis, quam dicit contingere octo modis, qui ab eo latissimè explicantur ibidem, sed breuitatis gratia, ab his omnibus consulto abstineo, quia parum vel nihil faciunt ad propositum.

Quotuplex sit legitimatio?

Secundo nota, differentiam quæ versatur, inter auctoritatem & facultatẽ dispensandi cum illegitimis, & legitimationẽ factã, in totũ vel in partem

Secundo pro eodem Articulo oportet aduertere, quod Doctores Iurisperiti, multa tradũt circa auctoritatem, facultatem & potestatem, legitimandi seu dispẽsandi cũ illegitimis, & differentiã quæ versatur, inter legitimationem factam in totum, & dispensationem factam cum aliquo illegitimo, non in totum sed in parte, aut in aliquo impedimento, ad hunc vel illum effectum. Qua de re videatur Alciat. *in l. 2. ff. de verborum oblig.* & Bald. *in l. 1. ff. de tutorib. & curat.* & supradictus Syluester loco supra citato, & Couart 4. par. c. 8. §. 8. num. 4. De quorum omnium resolutione dico, quod differentia quæ versatur, inter legitimationem & dispẽsationem cũ illegitimo, in primis hæc est, quod quando quis simpliciter redditur habilis, ad ea ad quæ iure Canonico vel ciuili, alias erat inhabilis, legitimatus dicitur, & restitutus natalibus, quibus primitus omnes homines, habiles nascebantur, ad omnia ad quę postea iure positiuo facti sunt inhabiles. Idque siue is qui legitimat, seu legitimum facit, in legitimatione dicat legitimum te facio, aut restituo te natalibus, siue verò dicat, dispenso tecum super omni quo teneris impedimento, &c. Nam in hisce rebus, potius est attẽdendum ad id quod fit, quam ad verba quibus id fieri significatur. At vero quãdo alicui illegitimo, conceditur habilitas siue facultas, non ad omnia sed ad aliqua, ad quæ iure Canonico siue ciuili, erat inhabilis, huiusmodi non est dicenda legitimatio, sed dumtaxat dispensatio, quamuis qui dispensat, ipsumque habilitat, legitimationis vtatur verbis, dicatque se illum legitimare, ad hoc vel ad illud beneficium. Quocumque modo dicatur, est dispensatio & non legitimatio. Et ratio est nã non esse potest quis, pro parte legitimus & pro parte illegitimus.

Secunda differentia quæ constituitur, inter legitimationem & dispensationem, est quam ponit Alciatus, vbi supra, quod potestas ad legitimandum à Principe concessa, est beneficium Principis & quid fauorabile, & talis legitimatio est nõ quidem stricti iuris sed ampli, neque stricte sed ample est interpretanda. At verò dispensatio, cum sit quid odiosum (quia est iuris relaxatio) qua etiam ratione dicitur *vulnus*, quia quasi vulnerat ius commune, iuxta *cap. ipsa pietas* 23. *q.* 4. est stricti iuris & non ampli, & stricte non verò amplè est interpretanda, iuxta ea quæ tradunt Doctores communiter in *cap. ordinarij, de offic. ordin. in* 6. Quo fit vt auctoritatem & facultatem habens, ad dispensandum cum aliquo illegitimo, non perinde authoritatem & facultatẽ habeat, legitimandi ipsum, nam vt diximus, legitimatio est in totum, dispensatio verò pro parte.

Nota quod dispẽsatio est iuris relaxatio, qua ratione vulnus nũ cupatur, quia quasi vulnerat ius cõmune

His præmissis, propositæ difficultati, respondetur per sequentem Conclusionem.

Conclusio.

Prælati Regulares, potestatem habentes dispẽsandi cũ sui subditis illegitimis, nõ perinde illã habẽt, eos absolute & simpliciter legitimandi.

PRælati & Superiores Regulares, auctoritatem & potestatem habentes, dispensandi cum sibi subditis illegitimis, penes hoc quod ad Prælatias siue dignitates promoueantur, non proinde illam habent, simpliciter & absolutè ipsos legitimandi. Hæc Conclusio satis constat ex supradictis, cum vt dictum est, dispensatio sit stricti iuris, & non amplè sed stricte sit interpretanda, quo fit vt facultatem habens, ad dispensandum cum illegitimo, non perinde illam habeat, ad legitimandum ipsum, nam semper dispensatio intelligenda est & interpretanda, ita vt quanto minus fieri poterit, ius commune lædat, & in dispensationibus non est licita extensio, etiam ad casum maiorem causam habentem, prout tradunt Doctores cum Abbate, *in cap. postulasti de rescriptis. & in cap. ad aures. eodem tit. num.* 7. nam quamuis de maiori ad minus, licita sit extensio, *iuxta legem non debet. ff. de regulis iuris, & cap. cui licet, quod plus est, de regul. iuris. lib.* 6. propter odium tamen dispensationis, in ipsa fallit hæc regula. Vnde dispensatio facta cum Monacho, ad beneficium curatum, non se extendit ad beneficium simplex, & dispensatus vt beneficium habere possit curatũ, non videtur dispensatus, vt habere possit dignitatem, vt tradunt Ioann. Andr. *in cap. quæ à iure. de regul. iuris. lib.* 6. & Felinus *in cap. postulasti, el.* 9. *de rescriptis.* & Geminianus *in cap. fin. de filijs presbyt. lib.* 6. Iureque idipsum probatur, nam tamquam diuersa ponuntur, beneficium & dignitas, & consequẽter concesso vno, non videtur concessum & aliud.

Nota quod dispẽsatio est stricti iuris & stricte & non ample interpretanda.

Sed quod priuilegia omnia Regularibus concessa, sint tantum ad dispensandum, cum sibi subditis illegitimis, penes hoc quod ad Prælatias seu dignitates Ecclesiasticas possint promoueri, non vero simpliciter & absolutè ad legitimandum ipsos, atque in totum efficiendos habiles, constat ex eisdem adductis in Articulo secundo huius Quæstionis; in illis

Nota quod Priuilegia Regularibus concessa sunt, ad dispẽsandũ cũ illegitimis, nõ vero ad legitimandum sibi subditos.

illis verbis ſemel & iterum appoſitis. *Diſpenſare vt ad quaſcumque adminiſtrationes & Officia poſſint eligi, recipi & aſſumi*, quod Gregorius quartus decimus, extendit ad honores, gradus & dignitates, ſed intelligendum eſt de honoribus & dignitatibus Regularibus. Præmiſerat enim Prælatos Regulares, prædictas poſſe facere diſpenſationes, iuxta tenorem priuilegiorum ſuorum antiquorum, quæ cum à Sixto V. quoad hoc fuiſſent reuocata, ipſe in illa Conſtitutione eadem reualidauit. Ex ſupradictis omnibus inferturvnùvalde notabile, & illud eſt quod Religioſi illegitimi, in Religionibus diſpẽſati, ad Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas, virtute ſupradictorũ priuilegiorũ, ſi à Religione eijciantur, exiſtentes in ſeculo non poſſunt ſine noua diſpenſatione, ad Eccleſiaſtica beneficia promoueri, quia ipſi in Religione ſolum fuerunt diſpenſati ad Regulares Prælatias, non verò in totum aut abſolutè legitimati. Et idem dico de Religioſis illegitimis diſpenſatis, in vno Ordine virtute ſuorum priuilegiorum, vt eiuſdem Ordinis Prælaturas & dignitates obtineant; quod tranſlati ad alium Ordinem, non poſſunt ſine noua diſpenſatione, ipſius Prælaturas & dignitates obtinere, cũ diſpẽſatio ſit facta reſpectu primi Ordinis, & non abſolutè fuerint legitimati, ſed tantũ ad Prælaturas & dignitates Ordinis prædicti diſpẽſati, diſpenſatioque vt dictum eſt, ſit ſtricti iuris & non ampli. Quod multum oportet, memoriæ commendare.

Nota valde, quod Religioſi illegitimi in Ordine diſpẽſati, ad Prælaturas & dignitates virtute priuilegiorũ, ſi ab Ordine eijciantur, nõ poſſunt in ſeculo aliquod beneficiũ obtinere, ſine noua diſpenſatione.

ARTICVLVS V.

Vtrùm illegitimus diſpenſatus in ſeculo, vt beneficium Curatum obtinere poſſit, factus poſtea Religioſus, noua indigeat diſpenſatione, vt eſſe poſſit Prælatus Regularis?

Prima opinio

HE hac re, duas eſſe video opiniones contrarias: Prima eſt Nauarri lib. 4. Conſiliorum titulo, *qui filij ſint legitimi, conſ.* 1. vbi propoſito ſibi caſu de quodam Regulari, qui cum eſſet laicus ab Imperatore fuit legitimatus, ac poſtea à quodam Apoſtolico Nuntio diſpenſatus, vt ad Ordines ſacros & ad quæcumque Eccleſiaſtica beneficia poſſet promoueri, interrogatus, An prædictus Religionem ingreſſus & profeſſus, ſine noua diſpenſatione, beneficia & dignitates illius Ordinis poſſet obtinere? Reſpondit tria. Primo ligitimationem Imperatoris, nihil profuiſſe Religioſo prædicto, quoad habendum dignitates Eccleſiaſticas Regulares, imo neque ſeculares, quia neque Imperator, neque Rex, legitimare aut habilitare poſſunt quempiam, ad ſpiritualia beneficia & dignitates, vt habetur *in cap. lege diſt.* 10. vbi hoc ipſum expreſſè tenet Gloſſa, ab Archidiacono & ab vtroque Cardinali, & generaliter ab omnibus recepta, *in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Secundo dicit, quod prædicta diſpenſatio, facta ab Apoſtolico Nuntio, non etiam videtur quod prodeſſe poſſet eidem, quoad beneficia, dignitates, & adminiſtrationes Regulares, argumento *cap. cum de beneficio, de prębendis. lib. 6.* Super quo dicunt omnes communiter Doctores, quod verbum qualificatiuum, additum in litteris beneficialibus, quod poteſt denotare qualitates diuerſas, ſemper intelligitur, de qualitate congruente perſonæ impetranti. Vnde cum Religioſus prædictus, quando illam diſpenſationem obtinuit ſiue impetrauit, ſecularis eſſet, dicendum, inquit, videtur, quod diſpenſatio facta, intelligenda ſit de beneficijs ſecularibus, non verò de Regularibus. Tertio dicit, ex his omnibus ſequi, quod Religioſus prædictus, noua alia maiori indiget diſpenſatione, per quam habere poſſit Regularia beneficia, & dignitates, & adminiſtrationes Regulares. Neque his inquit, obſtat, quod defectus natalium & irregularitas ex eo procedens, tollatur per profeſsionem legitimam in Religione factam, *per cap. 1. de filijs presbyter.* quia id intelligendum eſt, vt in eodem cap. exprimitur quoad ſacros Ordines, non tamen quoad promotionem ad dignitates & Prælationes. Hæc ſupradictus Nauarr.

Nota quoduerſum qualificatũ, poſitũ in apoſtolicis literis, quod ſignificare poteſt qualitates diuerſas, intelligendũ eſt, de qualitate congruente perſonæ impetrãti.

Nota quod legitimatio Imperatoris ſiue Regis, nõ prodeſt quoad ſpiritualia, & dignitates Eccleſiaſticas ſiue Regulares.

Sed Rebuffus in Praxi Beneficiorum, titulo de diſpenſatione, ſuper defectu natalium, num. 74. & 75. in contraria eſt ſententia & opinione, ac dicit quod illegitimus ſecularis, diſpenſatus Ad quæcumque & qualiacumque beneficia obtinenda, Religionem ingreſſus, poteſt habere in ea Prioratum Regularem. Cuius rationem reddit. nam licet vt præmittitur, diſpenſatio facta fuerit ad hoc, vt obtinere poſſit beneficia ſecularia, cum eſſet ſecularis tempore quo ipſam diſpenſationem impetrauit, verbaque omnia debeant intelligi ſecundùm conditionem perſonæ, ad quam diſpoſitio dirigitur, iuxta tradita in iure, & vt notat. Iaſon. *in l. ſi ſortem libertus. ff. de condit. indeb. & l. plenum. §. equitis. ff. de vſu & habit:* in caſu tamen propoſito, inquit, contrarium eſt verius & tenendum, cum diſpenſatio ſupradicta facta fuerit generaliter, ad quæcumque & qualiacumque beneficia obtinenda, per quam diſpenſatus, fuit effectus capax cuiuſcumque beneficij, atque ita factus Religioſus, poteſt eidem conferri prædictus Prioratus Regularis, pro conditione & qualitate ſuæ perſonæ, cum non debeat attendi tempus diſpenſationis, ſed tempus vacationis beneficij, & ipſius collationis, prout habetur in Iure *cap. ei, qui de prębend. lib. 6. & cap. ſuo tempore, de recript. & l. fin. C. de militari teſtamen.* Vnde licet tempore diſpenſationis ſupradictus eſſet ſecularis, ſufficit quod tempore collationis Prioratus Regularis, ipſe ſit capax cuiuſcumque beneficij, per diſpenſationem ſupradictam. Hæc dicunt prædicti authores & certè ego, in hac tantorum virorum diuerſitate & differentia, aliorum vellem potius expectare ſententiam & nollem iudicem agere, at cum non aliter fieri poſſit, quod verius videbitur, explicabitur per ſequentem Concluſionem.

Secũdaopinio

Nota quod verba ſemper debent intelligi, ſecundum conditionẽ perſonæ, ad quã diſpoſitio dirigitur.

Concluſio.

Diſpẽſatus in ſeculo vt beneficiũ ſecula reobtineat, ſactus Religioſus, noua indiget diſpenſatione, ab obtinendam Præfecturam Regularem.

EX dictis duabus opinionibus, ſententia & opinio Nauarri, magis placet & arridet. Huius Concluſionis ratio eſt, quia & ipſa iuri communi magis eſt conformis, & etiã cõmuni omniũ Iuriſperitorum reſolutio, aſſerentiũ quod diſpẽſatio omnis eſt ſtricti iuris, & ſtrictè & non ample interpretanda. Sed poſſunt ad concordiam & vniratem reduci ſupradictæ duę opiniones, dicendo quod opinio Nauarri tenet, loquendo propriè de diſpenſatione, in proprio & rigoroſo ſenſu dicta, opinio verò Rebuffi, loquendo de diſpenſatione improprie & largo modo ſumpta, prout etiam includit in ſe legitimationem. Vnde cũ Nauar. dico, quod quando quis illegitimus, exiſtens in ſeculo diſpenſatur, ad hoc ſolum vt aliquod beneficium ſimplex, ſiue curatum obtineat, quamuis ad id legitimari dicatur, & diſpenſans legitimationis vtatur verbo, Religionem tamen ingreſſus, non poteſt in ea eſſe Prælatus ſine noua diſpenſatione, quia talis legitimatio ſiue diſpenſatio fuit limitata; & verè & propriè diſpenſatio, ac proinde ſtrictè & non ample interpretanda, id quod & expreſſè inſinuant rationes Nauarr. Cum Rebuffo verò dico, quod quando ſupradictus exiſtens in ſæculo, fuit diſpenſatus ſiue legitimatus abſolutè & ſimpliciter, ad quæcumque & qualiacumque beneficia, Religionem ingreſſus, regularia beneficia poterit obtinere, quia eiuſmodi nõ fuit diſpẽſatio, ſed vere & propriè legitimatio, nihilq; fuit aliud, quãipſum reddere ſimpliciter habilẽ, ad omnia ad quæ alias de Iure Canonico erat inhabilis, & cũ verè fuerit legitimatio & nõ diſpenſatio, amplè & non ſtrictè venit interpretanda: id quod & colligitur ex rationibus ſupradicti Rebuffi. Vt igitur liquidum fiat ſciriq; poſſit, qualiter hoc ſit practicandum & in executione ponendum, dum caſus occurrerit, videre oportebit diſpenſationis tenorem, vt ex ipſa conſtet, an fuerit ſtricta & rigoroſa diſpenſatio, an verò ampla legitimatio. Per quod fit ſatis propoſito articulo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Religioſus illegitimus, cuius illegitimitas ſiue irregularitas eſt omnino occulta, diſpenſatione indigeat, ad hoc vt ad Prælatias ſiue dignitates Eccleſiaſticas poſſit promoueri?

SIt exemplũ de eo qui filius eſt alicuius presbyteri, ex matre tamen coniugata genitus, quod quidem factum, fuit ſecretiſſimum & occultiſſimum, ita quod nullus illud omnino ſcit, niſi ipſe illegitimus, per alicuius ſui parentis relationem, ſe non eſſe filium mariti matris ſuæ, ſed ſupradicti preſbyteri. Quæritur, Vtrùm iſte talis diſpenſatione indigeat, ad hoc vt ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas poſſit promoueri? Idem omnino quęri poteſt de ſacris Ordinibus, in eo qui non eſt Religioſus profeſſus, nam in profeſſo iam ſemel atque iterum diximus, quod per Religionis ingreſſum, omnis ſupradicta macula atque irregularitas tollitur.

Opinio P. F. Alfonſ. à Caſtro.

Hac de re, eſt peculiaris quædam opinio, doctiſsimi quondam Patris Fratris Alfonſi de Caſtro, lib. 2. de poteſtate legis pœnalis, cap. vlt. concluſio. 3. ibi ex hac 3. concluſione infero, quo loco expreſſè tenet, ſupradictum de quo quæritur in iſto Articulo, nullà indigere diſpenſatione. Quod vel hac ratione probat, nã crimen occultũ propterea quod occultum eſt, non inducit ſuſpenſionis aut irregularitatis pœnam, in ipſo crimnis auctore, quod vt ipſe probat multis exẽplis: ergo multo minus inducit illam, in illo qui non eſt particeps alicuius peccati. Et confirmatur, nã cauſa (inquit) propter quam crimen occultum non inducit irregularitatem, eſt vt non diffametur propter hanc cauſam, peccator ille qui alias erat occultus: ſed etiam diffamaretur Religioſus ſupradictus, ſi pro illo eſſet petenda diſpenſatio: ergo ſi excuſatur ille alius, pro eo quod crimen eſt occultum, etiam excuſabitur & iſte à petenda diſpenſatione, ne hac ratione deffametur & ipſe & ſui parentes, reuelando eorum crimen occultum. Ratio profectò eſt ſatis apparens, atq; vt videtur fortiſsima. Sed nihilominus contraria ſententia tenetur communiter, pro qua ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Religioſus illegitimus, tenetur diſpẽſationẽ petere, etiã ſi defectus ſit occultiſsimus.

REligioſus illegitimus, etiam ſi defectus ſuorum natalium ſit occultiſſimus, tenetur diſpenſationem petere, priuſquam ad Prælaturas ſiue dignitates promoueatur, & contrarium faciens peccat mortaliter, eſtque ipſo iure ſuſpenſus, niſi ignorantia excuſetur. Hanc ſententiam & opinionem, tenet in primis Sylueſter *verbo irregularitas q.* 20. Vbi agens de ſacris Ordinibus non ſuſcipiendis à dictis illegitimis, inquit, quod etſi illegitimatio ſit ſecreta, ita quod ſolus illegitimus eam ſciat, ſi ſe facit ordinari, peccat mortaliter, nec debet vti Ordinibus ſuſceptis ſine diſpenſatione: eademque omnino ratio eſt, quin vero maior, de promotione ad dignitates & Prælatias, Videatur etiam hac de re idem Sylueſt. *verbo illegitimus q.* 1. *& verbo adulterium* §. 2. Eandem ſententiam tenet Nauarr. *ſuper cap. non dicatis nu.* 60. vbi dicit, quod præſumptio in foro Dei & conſcientiæ, ceſſat quando eſt veritati contraria, per notata à Doctoribus *in ca. is qui fidem, & cãp. tua de ſponſalibus*, ex quo infert, quod regularis qui nouit ſe irregularitatem incurriſſe ante Monachiſmum, debet ſe talem iudicare, etiam poſt vigeſimum, atque trigeſimum annum, donec per legitimam diſpenſationem, generalem vel ſpecialem illa tollatur. Eandem ſententiam tenet Couarr. de ſponſalibus 2. p. cap. 8. num. 4. & Corduba lib. 1. ſui quæſtionarij quæſt. 35. & ponitur exemplũ, in prędicto filio presbyteri, nato ex muliere coniugata, ita occultè vt niſi ex dicto ipſius mulieris, id probari nullatenus poſſit. Eandem ſententiã tenet So-

Nota quod præſumptio in foro Dei & cõ ſcientiæ ceſſat quãdo eſt veritas contraria.

to, in

to, in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. concl. 1. Et Emmanuel Rodericus 1. tom. suarum qq. Regular. q. 13. art. 5. in in fine. Et quamuis ratio adducta, pro parte sententiæ & opinionis, aliàs Patris Doctissimi F. Alfons. à Castro valde sit efficax, non tamen meo quidem iudicio concludit. Nam ad euitandam infamiam, & petendam dispensationē, multa media possunt assumi, & irregularitas supradicta, incurritur in foro Dei & conscientiæ vt de se patet, vnde sine præuia dispensatione, Religiosus supradictus, nullo modo debet se finere, ad dictas Prælaturas & dignitates Ecclesiasticas promoueri.

ARTICVLVS VII.

Vtrum genitus ex concubina, post cuius professionem in religione approbata, pater eius ipsam in vxorem duxit, dispensatione etiam indigeat, vt possit esse Prælatus?

Nota quod filius illegitimus natus ex concubina, legitimatur per subsequēs matrimoniū, si tēpore quo natus est, ea esse poterat vxor legitima.

PRO huius Articuli intelligentia, oportet præmittere ex Paludano, in 4. dist. 4. q. 37, agendo de legitimatione, & multiplicibus ipsius speciebus siue differētijs, quod inter alias vna est, communis iuri Canonico atque Ciuili, & ea est, quando in vxorem ducitur concubina, ex qua prius nati fuerunt filij. Tunc enim per subsequens matrimoniū, filij prius ex ipsa suscepti, quoad omnia fiunt legitimi, si tempore cōceptionis, ipsa poterat esse vxor legitima, quamuis alias meretrix communis, siue mediatè siue immediatè ducta fuerit, aliter vero minimè, vt expresse tenet Syluester, *verbo legitimus, num. 4. & verbo illegitimus q. 3.* ad quod facit, *cap. tua qui filij sunt legitimi*, & videantur Doctores ibidem, quibus suppositis, propositæ difficultati, respondetur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

Genitus extō cubina, postea vero per matrimonium legitimatus, nō indiget dispē satione, si promotio fiat post legitimationē

SI promotio ad prælationem siue dignitatem, fiat postquam pater concubinam in vxorem duxit, nulla est prædicto illegitimo opus dispensatione. Si vero ante, dispensatio requiritur. Huius cōclusionis ratio in promptu est, nam hac in re, tempus conferendæ prælationis inspiciendum est, & si tali tempore per subsequens matrimonium legitimatus fuerit, effectusque habilis, vt supra diximus, quoad omnia nulla indiget dispensatione, vt ex le patet. Si vero ante, certum est quod dispensatio est illi necessaria, cum tali tempore verè sit illegitimus, ac proinde ius illi resistat ne effici possit prælatus.

In hac conclusione conueniunt vnanimiter omnes Doctores iurisperiti, de qua specialiter videndus est Bart. *in l. si constante. §. quoties num. 7. ff. soluto matrim.*, & Aymon Crauetta, cons. 16. num. 8. ibi, respōdeo, quod Regulæ & Rebuffus, *in praxi beneficiorū tit. de dispens.* super defectu nata. & Gigas, de pensionibus quæstion. 22. numer. 19. & sequentibus Videatur etiam Glossa, *in capit. tanta est, qui filij sint legitimi.* & Abbas ibidem. Et hæc de isto articulo breuiter dicta sufficiant.

ARTICVLVS. VIII.

Quænam officia sint iure prohibita illegitimis, ad quæ promoueri non possunt, sine sufficienti præuia dispensatione?

HVIC Articulo respondetur per sequentes conclusiones, inquibus in particulari dicemus de omnibus officijs Ordinis, ad quæ illegitimi supradicti, promoueri vel nō promoueri possunt, absque sufficienti præuia dispensatione.

Prima Conclusio.

Illegitimi in Religionibus, absque dispensatione promoueri nō possunt, ad vllas dignitates siue Prælatias, & ad quæcūq; officia animarum curā habētia.

ILlegitimi in Religionibus, promoueri non possunt, ad vllas dignitates, Prælatias siue personatus, & ad quæcumque officia animarum curam habentia, absque præuia sufficienti dispensatione. Hæc conclusio habetur expressa, *in cap. fin. de filijs Presbyterorum.* vbi Glossa explicans verba illa, *sine dispensatione Sedis Apostolicæ*, latissimè agit de supradictis officijs obtinendis, á Clericis secularibus illegitimis. Sed loquendo specialiter de Religiosis, dico etiam quod necessaria est prædicta dispensatio Sedis Apostolicæ, seu quod à Prælatis Regularibus fiat virtute priuilegiorum Apostolicorum, eo modo quo dictum est supra, in Articulo secundo & tertio. Ex qua supradicta conclusione inferuntur multa.

Nota Quibus officijs priuā tur illegitimi sine dispensatione in nostro sacro Ordine, & alijs.

Primo quod supradicti illegitimi sine præuia dispensatione, non esse possunt in ordine Prædicatorum Magistri Generales, nec Priores Prouinciales aut Conuentuales, neque in nostro sacro Minorum ordine, Ministri Generales nec Prouinciales, neque Guardiani. neque Custodes, etiamsi nō eligerentur sed constituerentur aliter quam per electionem, vt puta si nominarentur per Diffinitoriū authoritate Apostolica, vt fieri posse constat, *ex Clementina Exiui. de verborum significat.* Neque etiam possunt habere officia, quibus possibiliter iurisdictio, & cura ordinaria sit annexa, vt officium Subprioratus, aut Vicariatus alicuius Cōuentus, quia isti in aliquo casu sunt ordinarij iure speciali, quando scilicet, Prior seu Guardianus est absens. Hæc omnia constant, *ex dict. cap. fin. verbo Prælati*, de quo videndus est etiā Syluester, verbo *Prælatus. quæst. 2.*

Secundo infertur, quod neque esse possunt in dictis Ordinibus Diffinitores, nam Diffinitorum officium est quidā personatus, & dignitatē importat quod etiam innuitur in illis verbis, *dignitates, siue personatus.* Qua de re videatur etiā prædictus Syluester verbo, *dignitas, personatus & officium*, vbi latissimè explicat, quid vnumquodque horum sit, & quid cuique conueniat. Eadem ratione non esse possunt, Discreti aut Procuratores, qui mittuntur ad Capitula Generalia siue Prouincialia. Nam quāuis prædicta munera ex se non sint Prælatiæ, nec

officia iurisdictionis, auctoritatem ordinariam habentia, sunt tamen dignitates siue personatus, & officia quæ ex se habent vocem, non solum actiuã verumetiam & passiuam, qua seu ex cuius ratione eligi possunt, & multoties aliqui ex ipsis eliguntur, in Prouinciales, & Diffinitores, & interdũ Generales, cum sint de corpore Capituli, quæ officia (vt dixi) habere non possunt supradicti illegitimi. Et quamuis ex alia parte videri possit, quod prædicta munera possint habere, exercendo tantum vocem actiuam, & renuntiando passiuam, id tamen fieri nullo modo conuenit, neque in eorum potestate positum est illud facere, & iuri supradictorum suorum officiorum renuntiare, cum tale ius non sit ipsis concessum, aut concedatur in suũ fauorem, sed in fauorem totius ordinis siue Religionis. Sicut nec Clericus renuntiare potest iuri sui fori, quia tale ius non est illi concessum tantũ in suum fauorem, sed in fauorem totius clericalis Ordinis. Vnde resolutiuè dico, quod propter dictas rationes, prædicti illegitimi non possunt mitti sine dispensatione, neque eligi in Discretos, Vocales, siue Procuratores ad Capitulum Generale aut Prouinciale, & quod dictum est de his duobus Ordinibus siue Religionibus, intelligendum suo quoquo modo est, de alijs aliarum Religionum Prælaturis, dignitatibus siue personatibus, & officijs eisdem correspondentibus, quocumque nomine nuncupentur.

Nota quod quamuis quis plũ renuntiare possit, iuri collato in suũ fauorẽ, nõ tamẽ potest renuntiare, fauori sui status, aut religionis

Sed difficultas est, An dicti illegitimi, sine dispensatione esse possint Magistri Nouitiorum, aut Vicarij siue Confessores Monialium? de quo sit secũda Conclusio.

Secunda Conclusio.

Illegitimi absque dispensatione, esse possunt Magistri Nouitiorum, & Vicarij Monialium.

SVpradicti illegitimi, bene esse possunt Magistri Nouitiorum, & Vicarij siue Confessores Monialium, & Sororum Tertiariarum, seu quæ dicuntur de pœnitentia. Hæc conclusio est expressa Syluestri, *verbo Prælatus. q. 3.* & ratio eius est in promptu, quia supradicta munera & officia, non sunt prælationes, personatus siue dignitates, neque habent curam, siue iurisdictionem ordinariam annexam, sed solum forsan in aliquo casu subdelegatã, & hæc subdelegata iurisdictio, prædictis illegitimis, non videtur iure esse interdicta. Hæc omnia sunt Syluest. vbi supra. Qui & addit & dicit, quod non ex hoc sequitur, quod prædicti illegitimi, esse possint Vicarij, Magistri Generalis aut Prouincialis, in ordine Prædicatorum, aut Vicarij Generales aut Prouinciales in ordine Minorum: nam quamuis isti iurisdictionem habeant subdelegatam, hæc subdelegata iurisdictio, quantum ad aliqua, est superior ad multas alias ordinarias, ad quas de iure supradicti illegitimi, sine dispensatione, vt dictum est, non possunt promoueri. Est (inquit) supradictorum Vicariorum Generalium, aut Prouincialium iurisdictio, superior ad iurisdictionem Priorum Ordinis, respectu Prædicatorum, & Guardianorum Conuentuum, respectu Minorum, qua ratione nullo modo eis competere potest. Et eadem ratione, neque esse possunt Visitatores Prouinciarum, quamuis eorum etiam sit subdelegata iurisdictio. Et quod dictum est, de prædictis duobus Ordinibus, intelligẽndum est suo etiam modo de alijs.

Nota quod illegitimi sine dispensatione nõ esse possunt Visitatores prouinciarũ.

ARTICVLVS IX.

Vtrum filij Militum Sancti Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ, dicendi sint naturales, an vero sacrilegi, & maiori indigeant dispensatione, quã alij filij naturales aliorum, vt in religionibus esse possint Prælati?

HAC de re duas esse video contrarias opiniones. Quidam enim dicunt, quod filij prædictorum Militum, habiti ex mulieribus solutis & ante matrimonium, solummodo sunt naturales, nulloque modo sacrilegi, ac proinde quod facti Religiosi, vt promoueantur ad dignitates & Prælatias, non maiori indigent dispensatione, quam alij aliorum filij naturales, habiti & geniti ex soluto & soluta. Hanc opinionem tenet, doctissimus Doctor Ioann. Gutier. in suis practicis quæstionibus, lib. 3. q. 91. Cuius fundamentum est, nam cum prædicti milites hodie, per summorum Pontif. dispensationem, libere possint matrimonium contrahere, absque alia speciali dispensatione, vt constat ex suis Bullis, & constitutionibus Apostolicis super hoc habitis, & maximè ex Bulla Pauli III. quæ habetur in Definitionibus prædictorũ ordinũ, habuerint que (vt supponitur) supradictos filios, ex mulieribus liberis atque solutis, cum quibus si voluissent possent matrimonium contrahere, dicendum inquit videtur perinde, quod vere sint naturales, & nullo modo Sacrilegi, quamuis alias ipsi Milites, emittant in sua professione votum continentiæ coniugalis. Sed alia est aliorum sententia, contrarium omnino tenentium, & dicentium filios supradictorum Militum, non esse propriè & in rigore naturales, sed sacrilegos, cum fuerint orti & nati, ex patribus sacrilegis vtpote Religiosis, & coniugalis continentiæ seu castitatis voto adstrictis, ac proinde quod Religiosi effecti, vt ad dignitates & prælationes promoueantur, aliqua maiori dispensatione indigent, quam alij aliorum filij naturales, habiti ex patre & matre solutis. Hanc sententiam & opinionem, tenet Emmanuel Rodericus tom. 1. qq. Reg. q. 13. art. 2. quam & probat ex ratione superius insinuata, quia nempe supradicti Milites, virtute suarum Bullarum & Priuilegiorum Apostolicorum, & suarum Constitutionum, tantum habent facultatem contrahendi matrimonium, & quod eo contracto ipsorum filij dicantur legitimi, succedantque eis. De filijs autem ante matrimoniũ habitis, nihil omnino ibidẽ decernitur, nec dicitur vt nõ sint sacrilegi, cũ fuerint orti ex patribus Religionem approbatam professentibus, & emittentibus votum continentiæ siue castitatis coniugalis, in qua nullo modo sunt dispensati, imo ratione voti solemnis ad ipsam seruandã quã maximè adstricti. Certum est autẽ quodcõ iugalis castitas, in sui ratione hoc includit, vt qui illam

Duæ sunt hac de re opiniones.

Prima opinio

Secũda opinio

illam profeſſus eſt, abſque peccato & fractione voti, neque ante nec poſt matrimonium accedere poſſit, niſi ad eam quam duxit in vxorem. Qua quidem ratione, ex communi omnium ſententia & reſolutione, ſi aliter fiat, in confeſſione tenentur ipſi exprimere prædictam circunſtantiam, ac dicere ſe feciſſe contra ſolemne votum caſtitatis coniugalis, emiſſum in religione approbata, cum huiuſmodi circunſtantia, mutet ſpeciem peccati, ita vt ſacrilegium committant. Ex dictis inquit ſequitur, quod ipſorum filij, non ſimpliciter naturales ſunt dicendi, ſed ſacrilegi, poſtquam ipſorum patres, actu quo eos genuerunt, ſacrilegium commiſerunt, ac proinde quod maiori indigent diſpenſatione quam alij. Ex his duabus opinionibus, ſententia ſupradicti Emmanuel. Roderici magis placet, ſed ſtatuenda eſt concluſio, cum aliquali moderatione & limitatione.

Concluſio.

Filij militũ ordinis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantarę, non ſunt ſimpliciter naturales, ſed quadã ratione ſacrilegi.

FIlij militum Ordinis D. Iacobi, Calatrauæ & Alcantarę, non ſunt ſimpliciter naturales, ſed quadam ratione ſacrilegi, non tamen ita ſacrilegi aut illegitimi, vt alij orti ex concubitu adulterino, ſiue inceſtuoſo, ac totaliter ſacrilego, nec tanta proinde diſpenſatione indigent ac alij, vt ad prælatias & dignitates in Religionibus promoueantur. Hæc concluſio meo quidem videri, eſt certa & manifeſta atque tenenda, decerpta ex prædictis duabus opinionibus, ex duobus extremis deſumẽdo mediũ. Et quidẽ quod nõ ſint ſimpliciter naturales, ſed quadam ratione ſacrilegi, conſtat ex dictis, pro opinione Emmanuelis Roderici. Quod vero non ita ſint ſacrilegi, & illegitimi ac alij, orti & geniti ex concubitu aduſterino, inceſtuoſo ac totaliter ſacrilego, patet etiam ex adductis pro opinione ſupradicti Doctoris Ioan. Gutierr. Et præterea, quia quamuis ſupradicti Milites, obſeruare teneantur caſtitatem coniugalem, & non accedere niſi ad propriam ſuam vxorem, prohibitique ſint ad aliam accedere, eorum tamen prohibitio, non eſt ita ſtricta & rigoroſa, ac aliorum qui matrimonio ſunt coniuncti, quorum concubitus dicitur adulterinus, aut eorum qui coniunguntur intra gradus prohibitos, qui iure inceſtuoſi vocãtur, aut etiam clericorum, ac verè & propriè religioſorum, quorum concubitus totaliter dicitur ſacrilegus. Inſuper acceſſus ſupradictus, quamuis peccatum ſit mortale, & peculiarem habeat annexã circunſtantiam, voti caſtitatis coniugalis emiſſi, non tamen tot ac tantas habet, rationes deformitatis & indecentiæ (ex qua omnis illegitimitas & irregularitas oritur atque incurritur) ac alia peccata. Ex quo proinde ſequitur, quod non ita magna indigent diſpenſatione, eorum filij Religioſi effecti, vt ad dignitates & prælatias promoueantur, ac indigent alij qui iure & merito, communiter dicuntur adulterini, inceſtuoſi ſiue totaliter ſacrilegi. Nec dictis obſtat, quod filij nati tempore quo ipſorum parentes contrahere poterant legitimè, ſecundum ius dicuntur ſimpliciter naturales, nam reſpondeo, quod hoc tenet & verum habet, quando aliàs non ſubeſt aliquod legitimum impedimentum, quale eſt in ſupradictis militibus, ſolemne emiſſum votum caſtitatis coniugalis, quo adſtringuntur & obligantur, non accedere ad nõ ſuam. Vnde fit vt per eiuſmodi acceſſum, cum ipſi ſint verè & propriè Religioſi, vt expreſſe habetur in ipſorum Bullis, Priuilegijs atque Conſtitutionibus, teneturque communis opinio, etſi cum addito Militares, vt 1. tomo. q. 10. art. 4. diximus agendo de illis, eorum filij non ſimpliciter naturales ſunt dicendi, ſed quadam ratione ſacrilegi, & quod amplius eſt, habiti ante contractum matrimonium, ex copula cum aliqua ſoluta, cum qua etiam poterant contrahere, etſi poſtea de facto cum eadem contrahant, per ſubſequens matrimonium, non videntur legitimari. Nam illi ſolummodo filij, per ſubſequens matrimoniũ legitimantur, qui erant ſimpliciter naturales, non vero ſupradicti, cum fuerint quadam ratione ſacrilegi, vt dictũ eſt, & habiti à viris religioſis, contra ſolemne votum ſuæ caſtitatis coniugalis. Non enim quicumque filij per ſubſequens matrimonium legitimantur, ſed tantummodo ſimpliciter naturales, nam filij adulterini neque inceſtuoſi, & multo minus ſacrilegi, per ſubſequens matrimonium non legitimantur, vt tenet communis opinio, de qua vidẽ dus eſt, Couar. in 4. 2. par. cap. 8. §. 2. num. 30. & doctiſſimus D. Franciſcus Sarmiento, Epiſcopus olim Genuenſis, in ſuis ſelectis quæſtionibus lib. 5. cap. 6. num. 8. Cum his tamen omnibus ſtat, vt ſupra diximus, quod longe alia & diuerſa ſit ratio, de eiuſmodi filijs illegitimis, ſupradictorum militum, ac de filijs presbyterorum, & ſimpliciter atque abſolutè Religioſorum, ac proinde quod minori indigent diſpenſatione ſeu diſpenſationis cauſa, quam filij iſtorum, & aliorum adulterinorũ, & inceſtuoſorum, vt in Religionibus ad Prælatias promoueantur. Cum horum omnium filij, habiti fuerint ab his, qui tempore ſuæ conceptionis nullo modo poterant contrahere, propter impedimẽtum matrimonium dirimens, illi verò bene poterant cum eorum matribus contrahere, neque habebant ſimile impedimentum dirimens, ſed tantummodo impediens, propter emiſſum à ſe promiſſæ continentiæ, ſeu caſtitatis coniugalis votũ, quod eſt valde notandum ac memoriæ commendandum.

Nota quod filij adulterini atque inceſtuoſi per ſubſequens matrimoniũ nõ legitimantur.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS X.

Vtrum diſpenſari poſsit, cum filio illegitimo alicuius religioſi, vt ad dignitates & prælatias promoueatur, in ea religione in qua ipſius pater prælationem obtinuit, ſiue illam obtinet?

PRO huius Articuli intelligentia, & vt certa ab incertis ſeparemus, adnotare libet id quod certiſſimum eſt, quod filij illegitimi, ſiue naturales presbyterorum, geniti ab illis qui vxore mortua, presbyteri aut Religioſi effecti ſunt, bene poſſunt promoueri iure communi, de beneficio aut prælatione,

ne, in ſuorum parentum Eccleſijs, iuxta ea quæ no tantur in iure, *in cap. ad hoc de filijs presbyter.* Poſſunt etiam prouideri, de beneficio & prælatione, quam ipſorum parentes antea tenuerunt, dummodo id beneficium immediate, non fuerit à patre poſſeſſum, iuxta ea quæ decernunt ſacri Canones, *in ca. ex transmiſſa, de filijs presbyter. & ca. præſentium, eodem tit.* & hoc vt euitetur ſucceſſio in beneficijs Eccleſiaſticis, quod innumera iura atque Decreta valde cõmendant ſed maximè *c. conſtitutus c. quoniã. c. ad extirpandas, eodẽ etiã tit.* Sed difficultas eſt, nõ de ſupradictis filijs illegitimis presbyterorũ, qui poſtea facti ſunt presbyteri, aut etiam religioſi, ſed de filijs Religioſorum, habitis ab ipſis poſt emiſſum religionis ſolemne votum, vtrum ſi perperam fuerint admiſſi, in ea Religione in qua ipſorum patres præfationem obtinent, auctoritate aliquorũ priuilegiorum, diſpenſari valeant, vt in Religione eadem, prælationem ipſi etiam habere poſſint?

Hac de re eſt opinio, Emmanuel. Roderici, tom. 1. ſuarum quæſtionum Regular. quæſ. 13. art. 7 vbi meo quidem videri, facili ſeu potius falſo, innixus fundamento, parti adhærere videtur affirmatiuæ, quamuis eam ponat cum aliqua limitatione. Sed quid quid de hoc ſit, contraria ſententia eſt omnino tenenda, pro qua ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Religioſorũ filij diſpẽſari nõ poſſunt, vt dignitatẽ ſiue prælatiã aliquã obtineãt, in ea Religione, in qua patres illam obtinent.

REligioſorum filij diſpenſari non poſſunt, vt dignitates & prælationes obtineant, in illis religionibus, vbi ipſorum filiorum patres, dignitates & Prælationes obtinent, quod etiam credo eſſe tenendum, non ſolum pro eodem conuentu, ſed etiam pro tota Religione, non obſtante qua cumque diſpenſatione, quæ non ſit expreſſa ſummi Pontificis. Hanc concluſionem teneo in primis, propter decretum & determinationem Concilij Tridentini ſeſſ. 25. de Reform. cap. 15. Vbi cõtra Clericorum filios, ſequentia notabilia ponuntur verba, *Vt paternæ incontinentiæ memoria, à locis Deo ſacratis (quos maxime puritas, ſanctitasque decet) longiſſime arceatur, non liceat Clericorum filijs, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſijs vbi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum, habent aut habuerunt, quodcumque etiam diſſimile beneficium obtinere, neque in dictis Eccleſijs quoquomodo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt habere.* Quæ Concilij verba, vt adnotatur in margine, deſumpta ſunt ex Concil. Tolet. 9. cap. 10. Vbi id grauius aduertitur, & ſtrictius prohibetur, & *in cap. propoſuiſti diſt. 82. & Concil. 2. Lateranenſi cap. 14. & capit. 2. & fere 10 10 tit. de filijs presbyter.* Quibus in locis nullum omnino reperitur verbum, quod non ſit quammaxima animadueriſione dignum. Sed notanda ſunt verba illa prædicti Conc. Trident. *Vbi eorum patres, Eccleſiaſticum beneficium habent, aut habuerunt,* & illa, *quodcumque etiã diſſimile beneficium obtinere.* Quæ quamuis ſupradictus Emmanuel Rodericus, dicat non eſſe intelligenda de Regularibus, cum Concilium expreſſe loquatur, de Clericis, & Clericorum filijs, cũ etiã ſit lex pœnalis, neque debeat extendi ad caſum etiam ſimilem: nam argumentum à ſimili, in legibus pœnalibus non valet, prout tradit Gloſſa *in cap. in pœnis, de Reg. iuris lib. 6* magis tamen certum eſt, multoque vero ſimilius, & probabilius, quod Concilium prædictum, de omnibus indiſtinctè loquitur, & quod ſint intelligenda de Regularibus, & eorum filijs, cum eadem ſit vtrobiq; ratio, quin vero in eiſdem maior: & argumentum à ſimili in pœnis bene valet, quando eſt eademomnino ratio ſeu potius maior, vt in præſenti caſu contingit. Quod ſi Conc. ibidem expreſſè non fecit mentionem de Religioſis, & Religioſorum filijs, ex eo fuit, quia nõ præſumpſit, neque vero decuit quod intelligeretur præſumere, quod Religioſi vnquam haberent filios, quodque ſi perperam id fieret, ad Religionem eandem admitterentur, & multo minus quod ad dignitates & Prælationes, quacumq; diſpenſatione & quocumque priuilegio, promouendi eſſent huiuſmodi, vbi paternæ incontinentiæ, continua memoria haberetur, in tam magnum ſcandalum aliorum Religioſorum. Hac (inquam) de cauſa non de eis expreſſam fecit mentionem prædictum Concilium, non vero ex eo, quod ipſos non voluerit, in ſupradictis verbis comprehendere. Quod eſt quam maxima animaduerſione dignum.

Nota caſum ſpecialem, in quo argumentum à ſimili in legibus pœnalibus valet

Sed præterea probatur noſtra concluſio, ex Decreto & Conſtitutione Gregorij XIIII. modificante Conſtitutiones Sixti V. factas contra illegitimos, quæ incipit, *Circunſpecta Romani Pontificis prouidentia.* Vbi facultatem concedens, Prælatis Regularibus: vt cum certis quibuſdam ibidem apoſitis conditionibus, atque limitationibus, recipere poſſent ad Ordines, ſupradictos illegitimos, poſt alia in hæc ſequentia verba prorupit. *Dummodo* (inquit) *filius illegitimus, in Religione in qua pater, ſiue ante ſiue poſt natiuitatem dicti filij profeſſus fuerit, ipſo patre viuente, non admittatur, quod expreſſe prohibemus.* Ex quibus verbis ſic colligo argum. Si ita expreſſe & ſtrictè, prædictus Pontif. Gregorius prohibet, ne filius illegitimus admittatur, in ea Religione in qua ipſius pater, ſiue ante ſiue poſt natiuitatem dicti filij fuerit profeſſus, ipſo patre viuente, propter ſcandalum, notam & memoriam continuam paternæ incontinentiæ, quanto magis per Conſtitutionem eandem, cenſeri debet interdictum, atque omnino prohibitum, vt dicti Religioſorum filij, prælationes & dignitates obtineant, in illis Religionibus vbi eorum patres ipſas obtinent? Nec valet dicere aut vllo modo ſatisfacit, quod reſpondendo prædictæ Conſtitutioni, dicit ſupradictus Emmanuel Rodericus, nempe quod ſupradictus Gregorius in dicta ſua Cõſtitutione, agendo de diſpenſatione cũ illegitimis, ad hoc vt virtute priuilegiorum ad dignitates & prælationes promoueri poſſent, nullum hac de re loquutus eſt verbum, neque de hoc vllam prorſus fecit mentionem, ex quo videtur id conſulto ſubticuiſſe, poſt quam non expreſſe dixit. Etenim inquit, ſi id voluiſſet expreſſe illud dixiſſet, vt & fecit in primo decreto, agendo de nouitiorum illegitimorum receptione. Hæc (inquã) ſolutio non ſatisfacit, & ratio nihil omnino valet, ac meo quidem videri, nullum habet fundamentum, nam ſi non id expreſſe dixit, aut ea de re non expreſſam mentionem fecit, non ex eo fuit quia id fieri vllo modo voluiſſet, cum in eo eadem prorſus,

Nota hoc valde.

Nota quod regulariter loquendo, argumẽtũ à ſimili, in legibus pœnalibus nõ valet, niſi ſit eadem aut maior ratio.

ſus, quin vero maior, reperiatur prohibitionis ratio, ſitque hoc contra ſupradictum decretum Cõcilij Tridentini, quod vt diximus, intelligendum eſt, etiam de Regularibus & Religioſis, & eorum filijs, propter eandem imo vero & maiorem rationem: ſed ſi non id dixit, ex eo fuit, quia præſuppoſuit primum ſuum obſeruatum fuiſſe decretum, & priorem prohibitionem factam pro non recipiendis, prædictis Nouitijs illegitimis, in illis Religionibus, in quibus ipſorum patres, ſiue antea ſiue poſt natiuitatem filiorum, fuiſſent profeſſi ipſis viuentibus. Quod Decretum ſi obſeruaretur, vt obſeruari dictus ſummus Pontif. præſuppoſuit, circa propoſitam difficultatem, nullus eſſet relictus dubitandi locus. Vnde reſolutiue dico, quod Prælati Regulares, etiam cum Capitulo, virtute dictorum priuilegiorum, nullo modo diſpẽſare poſſunt cum Religioſorum filijs, vt in eodem Monaſterio, quin vero nec in eadem religione, prælationes atque dignitates obtineant, vbi eorum patres illas obtinuerunt ſiue obtinent, & maximè ipſis viuentibus, propter maiorem rationem. Qua de re videatur Rebuf. in ſua praxi. tit diſpenſatione, ſuper defectu natalium, num. 20. & Nauarr. *in capit. ſi quando de reſcriptis num.* 2. Vbi ad hoc propoſitum adinuenire licebit, multa eaque notatu digniſſima.

ARTICVLVS XI.

Vtrum ad diſpenſandum cum illegitimis, ad hoc vt dignitates & prælatias poſsint obtinere, neceſſario requiratur cauſa?

Prima Concluſio.

Ad diſpenſandum cũ illegitimis, neceſſaria eſt cauſa rationabilis, & contrariũ facere peccatũ, eſt mortale

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod ad diſpenſandum cum ſupradictis illegitimis, requiritur neceſſario, aliqua iuſta & rationabilis cauſa, & cõtrarium facientes peccant mortaliter. Hæc concluſio eſt, omnium Doctorum communis, & generalis reſolutio, quod omnes Prælati inferiores Papa, auctoritatem & poteſtatem habentes ad diſpenſandũ, in Decretis iuris communis, ſiue ex cõmiſſione ſiue ex priuilegio, non id facere poſſunt, abſq; præuia cauſæ iuſtæ cognitione, & quod omnes diſpẽſationes aliter factæ, ſunt omnino nullæ & irritæ. Qua de re videatur Sylu. *verbo diſpẽſation.* 2. vbi de mente D. Bernardi lib. de diſpenſatione, inquit, *quod prælati pro libito & pro ſua voluntate, dantes licentiam veniendi contra leges, ſine cauſa rationabili, diſſipatores ſunt, non vero diſpẽſatores.* Videatur etiam hac de re Nauar. in ſuo Manuali cap. 25. num. 74. & Rebuff. in ſua praxi tit. diſpenſatio. numer. 52. & prædictus Sylueſter vbi ſupra, numer. 4. & 5. latiſſimè.

Nota quod diſpẽſationes fieri poteſt, abſque iuſta, & rationabili cauſa, & ipſius cognitione.

Sed veniendo ſpecialiter ad noſtrum propoſitum, colligitur hoc expreſſe, ex ſupradicta Conſtitutione Gregorij 14. poſita in articul. 4. huius quæſtionis, vbi agendo de dicta diſpenſatione, poſt alia hęc quæ ſequuntur ponuntur verba. *cum illegitimis diſpenſare poſsint, quos alias dictus Generalis aut Prouincialis, cum Generali aut Prouinciali Capitulo, ſiue intermedio & non alias, ſuffragantibus meritis, dignos iudicauerint, vt ad honores, gradus, & dignitates obtinendas promoueantur.* Quæ dicta verba, vt ex ipſis patet, cauſam requirunt, ipſamque præſupponunt, poſt quam dicit, vt diſpenſare poſſit cum illis, quos ſuffragantibus meritis, Prælati ipſi dignos iudicauerint, Ex quo infertur quod illegitimi, ſine legitima cauſa, diſpenſati per priuilegia, non ſunt tuti in conſcientia, neque quoad Deum neque quoad Eccleſiam, prout in ſimili propoſito reſoluit Innocentius *in cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum.* Secus tamen erit, ſi diſpenſatio fiat ab ipſo Papa, tunc enim, quamuis ipſe peccet ſine cauſa diſpenſando, factum tamen tenet, diſpenſatusque erit ſecurus in conſcientia, propter plenitudinem poteſtatis, quam Dominus Papa habet ſupra ius commune. Sed de hoc alias, cum agemus de diſpẽſatione in communi.

Quæ cauſæ debeant concurrere, ad diſpẽſandũ cũ Religioſo illegitimo.

Nota quod diſpenſatio Papæ in legibus humanis facta ſine cauſa tenet, quãuis ipſe peccet.

Secunda Concluſio.

Ad diſpẽſandũ cũ illegitimis, maior cauſa requiritur, in illis qui maiorem ſuæ originis habent indecentiã & turpitudinem.

MAior eſt cauſa neceſſaria, ad diſpenſandum cum illis illegitimis, qui maiorem ſuę originis habent turpitudinem, quàm cum alijs qui minorem illam habent, & in quorum generatione non tanta indecentia reperitur, neque adeo graue peccatum fuit commiſſum. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto in 4. diſt. 25. q. 1. art. 5. Concluſione 1. vbi & rationem reddit, irregularitatis cõtractæ ex prædicta illegitimitate, & multiplices ponit illegitimorum ſpecies & differentias, ac tãdem dicit, quod tanto eſſe debet difficilior diſpenſatio, quanto fuerit turpior ſupradictorum origo, & loquitur de diſpenſatione ad ſacros Ordines, facienda cum dictis illegitimis: quod intelligi debet, eadem imo vero fortiori ratione, loquendo de diſpenſatione facienda, cum Religioſis illegitimis, vt ad prælationes & dignitates Eccleſiaſticas promoueantur.

ARTICVLVS. XII.

Quænam cauſa neceſsario requiratur, ad faciendam prædictam diſpenſationem?

PRO huius Articuli intelligentia, oportet aliqua præmittere. Et noto primo quod ad hoc vt ſciri poſſit, quænã cauſa ſit neceſſaria & requiratur, ad faciẽdam diſpenſationem prædictam, videre prius oportet, quænam fuerint iuſtæ cauſæ, prohibitionis ſeu irregularitatis, quam ex iure poſitiuo ſupradicti illegitimi incurrunt, vt non promoueantur ad Ordines, ſine ſufficienti præuia diſpenſatione, vel niſi ingrediantur aliquam ex Religionibus approbatis per profeſſionem. Et præterea quod etiam huiuſmodi, ad ſacros Ordines legitimati & diſpenſati, ad beneficia Prælationes & dignitates Eccleſiaſticas, promoueri non poſsint de iure Põtificio, abſque vlteriori alia diſpenſatione, prout habe-

Primo nota. Quænam ſint cauſæ prohibitionis, vt illegitimi nõ promoueantur, ad dignitates neq; ad ſacros Ordines.

habetur *in cap. vt filij, cap. nimis de filijs presbyter. & cap. is qui, cum multis alijs, eodem tit. lib. 6.* Rationem ſupradicti præcepti, quantum attinet ad ſacros Ordines, tradidit Soto in 4. diſt. 25. q. 1. art. 3. concl. 1. dicens quod cum ordinati, in quadam dignitate præ alijs conſtituantur, decet quidem eos, vt ſint honeſtate clari, & non geniti ex occulto concubitu, ex quo contrahant ſordes & generis obſcuritatem. Quibus inquit, accedit & alia ratio: ſcilicet in deteſtationem paterni criminis, cuius imitatores eſſe ſolent filij, & vt plurimū male morigerati, ex eo quod à parentibus non ita cautè, & ſolicitè educantur atque alij legitimi. Licet hæc generalis Regula, exceptionem quandoque patiatur, cum experientia ipſa conſtet, quamplurimos olim fuiſſe repertos, filios illegitimos litteris & ſanctitate illuſtres, de quibus latiſſime agit Tiraquellus de nobilitate capite .15. numero .31. & multi alij Doctores iuriſperiti, ſed Regula in hiſce rebus moralibus, deſumenda eſt ex his quæ vt plurimum contingunt, non vero ex his quæ contingunt raro, & quaſi per accidens. Hæc ergo fuit cauſa & ratio prohibitionis ſupradictæ.

Nota quod Non nulli illegitimi, exiterunt olimliteris & ſanctitate illuſtres.

Sed pro ſufficienti cauſa diſpenſationis, aduertendum eſt ſecundo ex Syluestro, *verbo diſpenſatio. q. 1.* quod iuſtæ cauſæ diſpenſationis, in communi loquendo ſunt multiplices, & omnes illæ deſumuntur ex 1. *cauſa. q. 7.* per totam, quas omnes prædictus Syluester, ad ſeptenarium numerum reducit. Prima eſt tempus, *per cap. neceſſaria, & c. pro remedio ibidem*, quia nempe defectus noſtri temporis, quo non ſolum merita, ſed etiam corpora ipſa defecerunt, diſtrictioris antiqui, non patitur manere cenſuram, iuxta *cap. fraternitatis diſt. 34.* Secunda eſt vtilitas, vt ſcilicet alij facilius reuertantur ad bonum, per *cap. ipſa pietas. 22. q. 4. & cap. Tali. 1. q. 6.* Tertia qualitas perſonæ, & meriti & ſcientiæ, per ſupradictum *cap. Tali. & cap. didici, ibidem*, maxime cū aliusnō ſit æque dignus. Quarta eſt neceſſitas, per ſupradictum *cap. Tali vbi ſupra*, Quinta pietas. Sexta euentus rei. Septima multitudo, ſiue ſcandalum multitudinis, per *c. vt conſtitueretur d. 50.* vbi inquit prædictus Syluester, cauendum eſſe quā maximè, ne quis alatur in ſcandalo. Hæc omnia in communi à Syluestro dicta, quoad omne propoſitum diſpenſationis, ſunt multu notatu digna. Sed cum caſus ſint innumerabiles, neque de eis omnibus. dari poſſit certa & generalis Regula, inquit, in hiſce rebus ſtandum eſſe arbitrio boni viri, qui ſi iudicauerit cauſam eſſe rationabilem, diſpenſatio erit debita, per *cap. Domino ſancto diſt. 50.* ſin vero aliter, minimè.

Secundo nota Quænam ſit ſufficiens cauſa, ad diſpenſandū cū illegitimis, & in alijs etiam caſibus.

His igitur præſuppoſitis, propoſito Articulo reſpondetur, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Cauſa iuſta diſpenſationis cū illegitimis penſatis penſandis, relinquitur arbitrio boni viri

CAuſa iuſta & neceſſaria, ad faciendam prædictam diſpenſationem, reſpiciendo ad dicta in præmiſſis notabilibus, relinquitur arbitrio boni viri. Hæc concluſio ſatis conſtat ex ſupradictis. Sed aduerto, conſulto me dixiſſe, ad arbitrium, nō vero voluntatem, ſeu placitum boni viri, vt fiat notum, quod quamuis huiuſmodi cauſæ ſint arbitrariæ, non tamen mere voluntariæ, prout habetur in iure, *inl. fideicommiſſa. §. quamquam. ff. de lega. 3. & l. vtrum. §. cum quidam. ff. de rebus dubijs. l. ſed ſi vnus. §. Prætor ait. ff. de iniurijs. l. fideicommiſſaria libertas, la 3. ff. de fidei commiſſar. libertatibus.* Vnde etiam infert ſupradictus Syluester, quod Prælati inuenientes aliquos illegitimos prælationibus dignos, eorum ſuffragantibus meritis, peccant non diſpenſando cum illis, *per cap. quanto, in fine. 2. q. 5.* etſi ſubditi ipſi non habeant ius petendi, niſi forte deprecatiue. Hæc Syluester vbi ſupra.

Nota quod diſpēſationis cauſæ, licet ſint arbitrariæ, non tamē ſunt voluntariæ, aut id fieri poteſt pro libito.

Sed quidquid de hoc ſit, quantum ad præſens noſtrum attinet propoſitum, quod ſufficiens diſpenſationis cauſa, in hiſce rebus relinquatur arbitrio boni viri: conſtat ex ſupradicta Conſtitutione Gregorij XIIII. modificatiua aliarum Sixti V. contra illegitimos, quæ incipit, *Circunſpecta.* Vbi agendo de ſupradictorum illegitimorum receptione ad ordinem, poſt alia, *præcipit Prælatis, vt mores & vitam eorum diligenter inquirant, atque ita demum eos recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præ ſeferant, & tot eis merita ſuffragentur, vt natalium defectum ſuppleant, eorumque receptio Religioni commodo, & vtilitati profutura videatur, & ſuper hoc ipſo, ij ad quos vt dictum eſt, eorum pertinet receptio, matura deliberatione habita, ita cenſuerint & iudicauerint.* Hæc ſupradictus Gregor. quoad Nouitiorum illegitimorum receptionem. Vbi per illa vltima verba, *cenſuerint & iudicauerint*, manifeſte datur intelligi, quod ſupradicta diſpenſatio, boni viri relinquitur arbitrio. Quod idem eſt obſeruandum, in ipſorum promotione, ad dignitates & Prælatias, per alia ſimilia verba ibidem paulo inferius appoſita. *Vt Generalis aut Prouincialis, cum Generali aut Prouinciali Capitulo, ſiue intermedio & non alias, cum illegitimis poſſint diſpenſare, quos alias ſuffragantibus meritis, dignos iudicauerint, vt ad honores gradus & dignitates obtinendas promoueantur.* Hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Notaquæ conſiderare debēt Prælati, ad diſpenſandum cum illegitimis, demēte Gregorij XIIII. nunc nouiſsime.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum ad diſpenſandum cum aliquo illegitimo, vt ad dignitates promoueatur, ſufficiat diſpenſationem petere in communi, & an huiuſmodi diſpenſatio facta valeat?

Prima Concluſio.

Si diſpēſatio illegitimorū fiat à principe etiā in cōmuni facta valet dūmodo fiat, cū clauſula abſoluta & generali.

SI diſpenſatio fiat à Principe, & in ſua diſpenſatione ſiue legitimatione, dicat quod diſpenſat cum illegitimo, ex quo cūque coitu, ſiue inceſtuoſo ſiue adulterino, aut ſacrilego, talis diſpenſatio in communi facta valet.

Hæc concluſio vt credo, eſt omnium communis, & fundatur in ſuprema auctoritate & poteſtate Principum, qui non tenentur in ſuis diſpenſationibus, ſeruare ſolemnitates iuris. Vnde quamuis diſpenſando, non exprimatur diſpenſati qualitas, nec ſufficientia cauſæ, diſpenſatio ab eis facta valet, niſi talis adeſſet circunſtantia, de qua preſumeretur & merito, quod ſi in particulari exprimere-

meretur, nullatenus talis legitimatio, siue dispensatio facta fuisset. Nam in generali concessione, nō censentur esse concessa illa, de quibus si concedēs in particulari interrogaretur, haud quaquam talia concederet, vt communis tenet opinio, & habetur *in cap. Generali, de Regulis iuris in 6. & cap. cum Generali, de officio Vicarij.*

Nota quod in generali concessione, non videtur cōcessa, quæ si in particulari diceretur, nō cōcederetur.

Secunda Conclusio.

Si dispensatio fiat a persona particulari, necessaria est expressio causæ.

SI vero dispensatio supradicta fiat, non à Principe, sed ab habente auctoritatem ex commissione, siue ex priuilegio, non sufficit quod petatur in cōmuni seu vt in communi fiat, imo vero necessum est, vt constet de qualitate, siue qualitatibus legitimati, & de sufficientia causæ ad huiusmodi dispensationem, & si fiat per rescriptum, prædicta omnia in eo debent poni, & quod fuit facta cum causæ cognitione, alioquin iudicabitur subreptitia. Hanc conclusionem tenet expressè Couarr. in 4.2.par.cap.8.§.9.num.1. quam & probat ex multis iuribus, sed præsertim, *ex cap. vltimo de filijs presbyt lib.6. & ca. postulasti, de rescriptis.* Ex quibus colligitur, legitimandorum seu dispensatorum qualitates, in particulari esse proponendas & explicandas, an scilicet illegitimus sit naturalis, an vero spurius. Et si spūrius, an ex adulterio vel incestu aut ex sacrilegio. Si ex adulterio, an ex altera parte tantum, an vero ex vtraque, nempe ex coniugato & coniugata. Si ex incestu, explicandum est in quo gradu, an cum matre, filia, vel sorore, & distinguendi sunt gradus, consanguinitatis seu affinitatis inter parentes, ex quibus talis illegitimus est genitus. Si ex sacrilegio, explicandum est, vtrum cum sacerdote vel cum Religioso, aut cum Moniali, an vero sit sacrilegium vtrinque. Item explicandum est, vtrum simul concurrerint adulterium, sacrilegium & incestus? Hæc omnia habentur ex supradicto Couarr. de quibus etiam videndus est Panormit. *in cap. per venerabilem qui filij sint legitimi*, & Syluester, *verbo. legitimus, q.3. num.* 8. Videatur etiam hac de re Molina, secunda secundæ, tract.2.disputat.178.

Quænam cōsideranda sint, ad dispensandā cum illegitimis.

Circa explicationem supradictarum qualitatū, Emmanuel Rodericus. 1. tomo. suarum quæstionum Regularium, q.13.art.17. inquit, quod in Religionibus, ad dispensandum cum Religiosis, non est necessum explicare omnes supradictas qualitates, cum verisimiliter credatur, Religionum Prælatos, cum Religiosis illegitimis dispensare, quacumque intercueniente qualitate, præsertim cum facilius dispensandum sit cum Religiosis, quam cum alijs Clericis secularibus illegitimis, postquam etiam ius Canonicum, *per cap. 1. de filijs presbyterorum*, iam ipsos ad sacros recipiendos Ordines reddit habiles, ex eo solum quod solemnē professionem emiserunt, multum confidens de eorum in Religione seruanda continentia. Sed quāuis hoc ita sit, crediderim quod etiam in Religionibus dispensati qualitas sit exprimenda, & oportet vt exprimatur, cum ex eo colligenda sit & cō siderada sufficientia causæ ad dispensationem, hoc saltim est securius, dicereque illud debuit supradictus pater, maxime cum in sua Summa. 2.part. cap.3.agens de Nouitijs numer.3. expresse dicat.

Nota hoc valde.

quod non est necessaria tanta causa, ad dispensandum cum incestuosis, intra quartum gradum, atq; intra tertium, seu cum sacrilegis. Nec tanta causa ad dispensandum cum naturalibus, quanta ad dispensandum cum spurijs, adulterinis, incestuosis, siue sacrilegis: ergo iam etiam ex sua sententia, exprimenda ac explicanda est, dispensati qualitas, vt constare possit, de maiori vel minori causæ sufficientia, & non esse videtur constans in eo quod dixit.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrum sola electio, religiosi illegitimi, in Prælatum, ab habentibus auctoritatem & potestatem dispensandi, pro dispensatione sufficiat, seu dispē satio facta censeatur.

De differētijs quæ versatur inter electionē illegitimi, factā à summo pont. atq; ab alijs.

HAC de re videndus est Nauarr. in suo Manuali cap.25.num.74, & in Consilijs lib.4.tit.qui filij sint legitimi, Consil.1.num.4. ibi ad secundam quæstionem. Vbi simili quæstione proposita, respondet sub distinctione, distinguendo inter Pontificem Maxim. & Episcopos siue Prælatos Regulares, Episcopalem seu quasi Episcopalem, iurisdictionem habentes, nam summus (inquit) Pontifex, conferendo alicui aliquam dignitatem, ad quam nouerat eum esse inhabilem, perinde cum eo tacite dispensare videtur, ipsam conferendo ei, attamen Episcopus & alij Prælati inferiores, potestatem habentes dispensandi, per hoc solū non videntur dispensare, nisi expresse dispensent. Per quod concordari videntur 3 duo dicta singularia Innocentij, quorum alterum posuit, *in cap. veniens de filijs presbyter.* alterum vero, *in capit. diuersis fallacijs, de Clericis coniugatis*, quæ alias in specie videbantur contraria, & secundum hanc distinctionē, conciliantur à Panormit. prædictis in locis. Quorum omnium rationem magis late atque expresse, tradit prædict. Nauarr. vbi supra, dicens quod ratio diuersitatis est, quia Episcopus (& eadem est ratio de Prælatis Regularibus, Episcopalem vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentibus) dispensare non possunt sine causa, & absque præuia causæ cognitione, Papa vero sic, vt copiosius scribit idem ipse *in cap. si quando de rescriptis*, & in Commentario super *cap. non liceat. 12.q.1.§.3.* Et nouissime in prædicto Manuali addit, id quod dictum est de Episcopo limitandum esse, vt procedat quando dispensat circa ius commune, non autem quado id facit, circa aliquam suam Synodalem Constitutionem, cum dispensatio eius circa eam, etiam sine causa facta valeat. Hæc prædictus Nauarr. de cuius resolutione, sequentes statuo Conclusiones.

Nota quod Episcopi & prælati Regulares dispensare nō possunt absq; præuia causæ cognitione, Papa vero sic

Prima Conclusio.

AD hoc vt dispensatio cum illegitimo facta, valeat in foro exteriori, non sufficit sola electio

Ad hoc vt dispensatio cũ illegitimo facta, valeat in foroexteriori, nonsufficit sola electio,

ctio ipsius in Prælatum, facta etiam ab illis qui dispensandi facultatem & auctoritatem habent, quin vero necessum est, vt dispensatio expresse fiat, cum causa & expressa causæ cognitione. Hæc Conclusio satis constat, ex dictis à prædicto Naua. & eandem tenet Emmanuel Rodericus tom. 1. suarum qq. Regular. q. 13. art. 16. vbi hac de re agit. Vnde dico, quod prædicti patres dispensandi auctoritatem habentes cum illegitimis, prius debét prædictam dispensationem facere, postmodum vero ad electionem procedere, & vt credo sic fit de facto. Quod etiam in simili casu tenet Syluester, *verbo dispensatio. q.* 15. vbi quærit, Vtrum Superior assumendo aliquem ad aliquod officium, videatur dispensare cum eo, in impedimento quod habet ad illud? & respondet quod non. Sed tamen de foro conscientiæ loquendo, sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

In foro conscientiæ, sola electio pro dispensatione valet, & censetur quædã tacita dispẽsatio

IN foro conscientiæ loquendo, Prælati & Superiores, facultatem & auctoritatem habentes, dispensandi cum sibi subditis illegitimis, promouendo ipsos ad aliquod officium tacitè dispensare videntur, in impedimento quod habebant ad illud, atque ita sic dispensati, tuti manent in conscientia. Hæc conclusio in substantia, & posita in alio simili casu, est supradicti Syluestri, loco supracitato, ibi, sed hæc limitatio procedit in foro causarum, non vero animarum. Et idem etiam tenere videtur Nauarr. in suo manuali, vbi supra num. 74. vbi post alia verba inquit: Fortassis hoc locum habet in foro conscientiæ & interiori, nõ tamen in exteriori. Eandem tenet supradictus Emmanuel Rodericus, loco supracitato. Sed intelligenda est cõclusio cum aliquibus conditionibus & limitationibus, quarum prima est, quod Prælati supradicti, plane nouerint ac resciuerint, prædicti sui subditi illegitimi impedimentum. Secunda vt intentionem habeant & voluntatem, idipsum faciendi. Tertia quod etiam habeant, rationabilem causam dispensandi, quamuis non ibi exprimatur, nec fiat expressa dispensatio. Quarta vt id fiat in Capitulo Generali, Prouinciali aut intermedio, seu in Congregatione intermedia, Capituli vicem habente, iuxta determinationem seu potius modificationem Gregorij XIIII. Cum his omnibus conditionibus & limitationibus, Religiosus in Prælatum electus, ipso facto tacite videtur esse dispensatus, in foro conscientiæ, & manet tutus atque securus in conscientia, quamuis forsan alias Prælati peccent, non seruando formam iuris, pro dispensationibus positam, de præcedenti causæ cognitione, factum tamen tenet.

QVAESTIO. III.

De Prælatis Regularibus, quantum ad ipsorum ætatem, & qualitates & conditiones alias, quas eosdem oportet habere, in quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Quam ætatem habere debeant, Guardiani siue priores, prouinciales & Generales, & etiam Diffinitores & Discreti siue Vocales, qui mittuntur ad Capitulum Generale, siue Prouinciale,

His omnibus difficultatibus, sequentibus conclusionibus respondetur per ordinem.

Prima Conclusio.

Nullus esse potest Guardianus, neq; Prior, seu habere aliquod officium cui animarũ cura sit annexa, antè 25. suæ ætatis annum.

NVLLVS esse potest, Guardianus, siue Prior, neque habere aliquod officium, cui animarum cura sit annexa, qui adminus 25. annos ætatis non habuerit. Hæc Cõclusio habetur expressa, *in cap. cũ inuncti de electione §. inferiora*, vbi regulariter ad quamlibet dignitatem obtinendam, quæ animarũ curam habeat annexam, ad obtinendam etiam Parrochialem Ecclesiam, 25. annorum tempus exigitur. Idem habetur *in cap. licet Canon, eod. tit. lib. 6.* & nunc nouissime in Concil. Trident. habetur determinatum idipsum, sess. 24. de Reformatione ca. 12. Vbi ad idem propositum, sequentia habentur verba. *Nemo deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest promoueatur, nisi qui saltim 25. suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exercendum necessaria, ac morum integritate commendetur, iuxta constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, cũ inuncti.* Ex quibus verbis satis colligitur, nostræ conclusionis veritas, & quod ad id non requiritur quod 25. annus sit expletus, cum Concilium ipsum dicat attigerit: quin vero sufficit illum attigisse. Quod & generaliter intelligendum est, de omnibus Prælatis siue Præpositis localibus, & Conuentualibus, Religionum omnium, habentibus officia quibus annexa sit animarum cura, siue Guardiani, siue Priores, siue vero Ministri, aut quocumque alio nomine nuncupentur. Videatur hac de re Syluest. *verbo ætas, num. 2. & ver. casus, num. etiam 2. casu 22.*

22. Vnde neque in Religione aliqua fieri ſtatutũ poteſt, vt ſine diſpenſatione, minores 25. annis ſint Prælati, aut habeant officium, cui animarum cura ſit annexa, cum hoc ſit de iure communi, & contra ius commune, ſine expreſſa & ſpeciali licentia & facultate Papæ, non poteſt in Religionibus fieri aliquod ſtatutũ. Quibus & accedit alia ratio; nam poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, licèt non ſit immediate poteſtas clauium, hoc eſt poteſtas remittendi peccata; ordinatur tamen ad illam imò verò ex illa ortum & originẽ habet, ſed poteſtas remittendi peccata, ſolummodo competit Sacerdotibus, Sacerdotes autem iuxta prædictum Concil. Trident. non eſſe poſſunt, niſi qui 25. annum attigerint: ergo de primo ad vltimum, qui hanc non habuerint ætatem, non eſſe poſſunt Prælati, neque iuriſdictionem habere ſpiritualem, neque ea de re ſine expreſſa, & ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, fieri aliquod ſtatutum, cum ſit cõtra ius commune.

Nota Quod Poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, licet non ſit immediatè poteſtas clauiũ, ab ea tamen habet ortum, & originem.

Secunda Concluſio.

Nullus eſſe poteſt Generalis, aut Prouincialis, qui non habuerit 30. annos ætatis ad minus.

GEneralis aut Prouincialis nullus eſſe poteſt, qui ad minus 30. annos non habuerit ætatis. Hæc etiam concluſ. habetur expreſſa & determinata in multis iuribus, ſed maximè *in ſupradicto cap. cum in cunctis. de elect.* vbi id expreſſe habetur de Epiſcopis, ac præcipitur, *vt nullus in Epiſcopum eligatur. niſi qui iam 30. annum ætatis exegerit*, vbi etiã adnotãdum venit, prædictum verbum, *exegerit*, per quod inſinuatur, non ſufficere quod prædictum annum inchoauerit, vt ibidem aduertit Gloſſa, & hoc dicit eſſe ſpeciale de Epiſcopis, quodque de Epiſcopis hic dicitur, intelligendum perinde eſt de ſupradictis Miniſtris & Prælatis, Generalibus ſeu Prouincialibus, Epiſcopalem aut quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus. Habetur præterea noſtra concluſio, *in authent. de Sanctiſſ. Epiſcop. §. clericos collat. 9.* & ſatis colligitur ex cap. *quicunque diſt. 77.* & ex ſupradicto c. *licet Canon. de electione lib. 6.* Videatur etiam hac de re Sylueſt. verbo ætas num. 2. & verbo, caſus, num. etiam 2. caſu. 22. quæ omnia ſupradicta iura, & prohibitio hac de re facta pro Epiſcopis, pariter vt dixi, Religionum Prælatos Prouinciales, ſiue Generales comprehendit, cum ipſorum iuriſdictio, Epiſcoporum iuriſdictioni, quam maximè ſit ſimilis. Hoc tenendum ac dicendum eſt, ſtando in iure communi. Neque hucuſque Priuilegium aliquod vidi, quo ſuper hac re, aliqua fuerit facta diſpenſatio, neque etiam circa id in contrarium, quacunque auctoritate, quæ non ſit Apoſtolica, fieri poteſt aliquod ſtatutum, propter rationem in præcedenti Concluſione dictam, cum ſit contra ius commune, neque quiſpiam in minori ætate, eligi poteſt in Epiſcopum, Generalem ſiue Prouincialem, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Solum eſt modo difficultas, de ætate requiſita ad hoc vt Religioſus quiſpiam, eſſe poſſit Diffinitor ſiue diſcretus aut Vocalis, ex his qui vt moris eſt, ſecũdũ noſtras generales Conſtitutiones, ad Capitula Generalia, ſiue Prouincialia mittũtur? de quibus ſit tertia Concluſio.

Nota. Quid ſit dignitas, perſonatus & officium.

Tertia Concluſio.

NVllus eſſe poteſt Diffinitor, nec Diſcretus, ſiue Vocalis, vt vocem deferat ad Capitulum, qui ad minus ad vigeſimum ſecundum non peruenerit ætatis ſuæ annum. Hæc concluſio probatur expreſſe, ex Concil. Trident. Seſſion. 24. cap. 2. Vbi poſtquam egit de Prælaturis & dignitatibus iuriſdictionem habentibus, & quibus animarum cura ſubeſt minoribus Epiſcopatu, præcepitque vt ad ipſas non promoueantur, niſi qui ſaltem 25. ſuę ætatis annum attigerint, loquens de alijs dignitatibus, quæ animarum curam non habent, in hæc verba prorumpit, *ad cæteras autem dignitates vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & viginti duorum annorum, non minores adſciſcantur.* Sub quibus verbis comprehenduntur ſupradicti Diffinitores, & Diſcreti, ſiue Vocales, qui ad Capitulum Generale, ſeu Prouinciale mittuntur: ſunt enim eorum officia quaſi perſonatus quidam, & dignitates, vt amplius ſuo proprio loco dicemus, & plane eiſdem conuenit, dignitatum ac perſonatuum diffinitio, quam tradit Sylueſter, *verbo, dignitas, perſonatus, & officium*, quod eſt habere dignitatem quandam, ſiue prærogatiuam in Eccleſia, ſine iuriſdictione tamen, & habere ſtallum honorificum in Choro, & in Capitulo, in Optionibus & Proceſſionibus, & in vocibus dandis & ſimilibus, plus quam alij ſui Ordinis. Hæc omnia ſupradictis Diffinitoribus, & Diſcretis, ſiue Vocalibus, aut Procuratoribus, ſeu quocunque alio nomine nuncupentur conuenire, nullus eſt qui ignoret. Sed præterea, quod prædicti habere debeant, ad minus viginti duos ætatis ſuæ annos, hac ſpeciali tatione probatur. Nam ſupradicti omnes habẽt vocem actiuam, quin verò & paſſiuam in electionibus: ſed hanc vocem actiuam, iuxta Concilium Trident. de reform. Seſſio. 22. cap. 4. non habent, nec habere poſſunt, qui non fuerint ſacro Ordine inſigniti, nec prædicto ſacro Ordine inſigniti, niſi qui prædictum habuerint 22. ætatis ſuæ annum, vt haberur Seſſio. 23. cap. 12. quæ eſt ætas neceſſariò requiſita ad hoc vt promoueri quiſpiam poſſit, ad Subdiaconatus ordinem: ergo de primo ad vltimum, qui minoris ſunt ætatis, nec Diffinitores nec Diſcreti, vlla ratione eſſe poſſunt, cum non habeant, neque habere poſſint, vocẽ eorum officijs competentem, & intrinſecè eiſdem eſſentialem & annexam.

Nullus eſſe poteſt Diffinitor, neque diſcretus ſiue Vocalis, niſi ad minus habuerint, 22. annos ætatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Fratres Laici, in noſtra ſacra Religione, eſſe poſſint aut debeant Prælati?

HANC difficultatem tangit Magiſter Soto in 4. d. 20. q. 1. ar. 4. concl. 2. ibi, & cõfirmatur, & Emmanuel Rodericus, 1. Tomo qq. Regul. q. 15. art. 2. & vocat prædictus Soto, Cõuerſos Religioſorũ ſiue religionũ eiuſmodi fratres Laicos: at in noſtro ſacro &

Seraphico Minorum Ordine prædicti Fratres, nullatenus dicuntur Conuerſi, ſed laici. Et quidem longe alia atque diuerſa ratio eſt, de conuerſis & de Fratribus ſupradictis, vt nos latiſſimè diximus in præcedenti tomo q. 29. art. 1. & 2. vbi differentiam conſtituimus inter Donatos & Conuerſos, & eiuſmodi Fratres Laicos: qui vulgari ſermone dicuntur donati & conuerſi, ſed perperam. Etenim Donati & Conuerſi, nullatenus ſunt verè & propriè Religioſi, aut Religioſorum vnquam cõprehenduntur nomine, Fratres verò Laici ſic. Quin verò in noſtro ſacro Ordine, vt conſtat ex ipſius Chronicis & Monumentis, multoties fuerunt Prælati, Guardiani & Commiſſarij, & interdum Prouinciales. Sed an id fuerit conueniens, modoque fieri poſſit, eſt quod in præſentiarũ quęritur. Pro quo oportet vt primum ſupponamus factum, & dicamus ex vi noſtræ Regulæ, id nullo modo eſſe prohibitum, quin verò expreſſe cõceſſum aut ſaltim inſinuatum, poſtquam in cap. 7. eiuſdem Regulæ, agendo de pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda, ſequentia expreſſa ponuntur verba: *Si qui Fratrum inſtigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quã citius poterunt ſine mora.* Et ſubditur: *Ipſi vero Miniſtri ſi Presbyteri ſunt, cũ miſericordia iniungant illis pœnitentiam, ſi verò presbyteri non ſunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundum Deum melius videbitur expedire.* Ex quibus verbis *ſi presbyteri ſunt*, & poſtea, *ſi verò presbyteri non ſunt*, ſatis clare colligitur, quod ſupradicti Fratres Laici, ſiue non Sacerdotes, olim ex vi noſtræ Regulæ, in noſtro ſacro Minorum Ordine, poterant eſſe Prælati, non ſolum locales quales ſunt Guardiani, verum etiã & Prouinciales, vt conſtat ex verbis ſupradictis, quando dicitur, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales: & eadem etiam ratione, eſſe etiam poterant, id ſi expediret, Generales. Quod & per multum temporis obſeruatum fuit in ipſius initio, propter raritatem & paucitatem Sacerdotum, vt inquit Diuus Bonauentura, in explicatione quam fecit ſuper noſtram Regulam, explicando prædicta verba, & Pater frater Bartholomæus de Piſa, in alia ſua declaratione. Tradit etiam hoc ipſum Corduba, ſuper iſtum locum cap. 7. quæſt. 4. puncto 3. vt & nos latiſſime diximus etiam in prædicta noſtræ Regulæ expoſitione, quam facimus, faciebantque ſupradicti Prælati laici, omnia munera & officia, quæ faciunt Epiſcopi electi, non ordinati, aut Epiſcoporum Vicarij: nam reſeruabant ſibi caſus, à quibus ſubditorum nemo ſine eorum licentia valebat abſolui, imponebant ſpiritualia præcepta, præcipiendo aliqua ſub obedientia, & interdum ſub pœna excommunicationis. Inſtituebant Confeſſores & Prædicatores, & denique faciebant omnia alia, quæ modo faciunt alij Prælati Regulares Sacerdotes, præter ſacramentalem abſolutionem, vt late tradit Magiſter Soto vbi ſupra. Sed dicit quod quamuis auctoritate Apoſtolica, id olim fieri potuiſſet, ſapienter tamen poſtea diiudicatum eſt, id minime conuenire, vt qui poteſtatem non habent, ad conſecrandum corpus Chriſti verum, illam habeant & iuriſdictionem ſiue curam ſpiritualem exerceant, ſupra corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia in communi, & quodlibet Religioſorum Collegium ſiue Monaſterium in particulari. Qua quidé ratione, inquit, mos ille antiquus omninò iam eſt abolitus. Hac in re nolo in præſenti meam proferre ſententiam, nihilominus tamen de ipſius Magiſtri Soti & aliorum multorum reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota quod Fratres Laici ſecundũ noſtram Regulã, poſſunt eſſe Prælati, idq; multoties fiebat olim.

Concluſio.

Opinio & ſententia eſt Magiſtri Soti, & aliorum quod fratres Laici non eſſe poſsũt modo Prælati.

OPinio & ſententia eſt Magiſtri Soti & aliorũ grauiſſimorum Doctorum, quod Religionum fratres Laici, aut aliorum Religioſorum Prælati eſſe non poſſunt. Hanc concluſionem probat multiplici ratione, & primo, quia videtur eſſe de iure communi, quod Religionum Prælati ſint Sacerdotes, non verò laici, per capit. 1. *de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum*, vbi expreſſe præcipitur, quod Abbates, Decani, & Præpoſiti, fiant Sacerdotes, & quod aliàs amittant Prælationes. Id quod & de nouo in Concil. Trident. eſſe ſtatutum videtur & confirmatum, poſtquam Seſſione 24. capit. 12. agendo de huiuſmodi dignitatibus & Præfecturis, indiſtincte & abſq; vllo prorſus diſcrimine, ſequentia ponuntur verba: *Nemo deinceps ad dignitates quaſcunque, quibus animarum cura ſubeſt promoueatur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit, atque in Clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur.* Vbi ſpecialiter ſunt notanda verba illa: *Ad dignitates quaſcunque, quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur.* Et illa, *in Clericali ordine verſatus.* Quæ quamuis expreſſe loquantur de Clericis, cum eadem militet omninò ratio, extendi etiam poſſunt & debent ad Religioſos. Sed quod eadem aut ſaltim ſimilis in omnibus ſit omninò ratio, ſuperque ſatis conſtat, ex illa ratione quam adduximus in præcedenti Articulo, in prima concluſione, nempe quod licèt poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis, non ſit immediate poteſtas clauium, hoc eſt poteſtas remittendi peccata, ordinatur tamen ad illam, ex illaque ortũ & originem trahit. Cum igitur poteſtas remittẽdi peccata, non competat, ſed neque competere poſſit, ex Chriſti Domini inſtitutione, niſi ſolummodo Sacerdotibus, dicendum perinde videtur, quod ſupradicti Fratres Laici & qui non ſunt Sacerdotes, non habere poſſunt aut debent, ſpiritualem iuriſdictionem. Quod eſt omninò illud, quod dixit Soto loco ſupra citato, quod indecens eſſe videtur, vt poteſtatem habeant ſpiritualem ſupra corpus Chriſti myſticum, qui illam non habent circa corpus Chriſti verum. Hanc etiam rationem affert ſupradictus Corduba, qui in eadem eſt ſententia & opinione loco ſupra citato, vbi & dicit, quod ſi quicquam in contrarium fieret, multa ſæpiſſime exorirentur, eaque grauiſſima inconuenientia, ſed maxime contra ſecretum Sacramenti Confeſſionis, quod etiam aduertens, ac bene conſiderans olim, Summus Pontifex Gregorius Nonus, in quodam noſtro Capitulo Generali, vbi ipſemet præfuit, & fuit electus quintus Miniſter Generalis noſtræ Religionis ipſo præſente inha-

Tempore Gregorij IX. præſidente eo in quodam noſtro Capitulo Generali, inhabilitati ſũt laici ad officia Ordinis.

inhabilitati ſunt omnes Fratres laici ad officia ordinis, qui vſque tunc dicta officia vt clerici exercebant, vt habetur in Monumen. primæ impreſſionis fol. 209. & ſecundæ fol. 227. cuius generalis ſtatuti ſiue conſtitutionis, meminit Collector priuilegiorum in Compendio, *verbo, fratres laici. §. 4. ibi. ſtatutum generale.* Et dicit ſupradictus Corduba, quod in alio etiam Capitulo generali ſtatutum fuit, vt non fierent Commiſſarij: quibus & ipſe addit, quod nec eſſe poſſunt Diffinitores, nec Diſcreti ſeu Vocales, vt mittantur ad Capitulum generale, vel Prouinciale, cum ſupradicti omnes in electionibus habeant & ex vi ſuorum officiorum habere debeant vocem actiuam & paſſiuam, quā de iure communi & ſpeciali Concilij Tridentini, habere non poſſunt ſupradicti fratres laici; cum (vt ſupponitur) nedum ſint ſacerdotes, quin vero neque ſacro ordine inſigniti. Quod ſi quando aliter idin noſtra religione fuit obſeruatum; obſeruarique in ipſius initio potuit, id fuit ex ſpeciali Summi Pontificis Honorij III. diſpenſatione auctoritate Apoſtolica Regulam noſtram confirmātis, & vt dicit D. Bonauent. propter ſacerdotum illius temporis paucitatem. Sed poſtea hoc reuocatum fuit per Gregorium IX. ſupradictum vt dixi, & niſi conſuetudine aliud fuerit introductum, propter rationes prædictas, multorum fert grauiſſimorum Patrum opinio, ſequuti prædictum Magiſtrum Sotum, quod non hodie id fieri poteſt, abſque indulto & priuilegio Apoſtolico, & noua Sūmi Pontificis diſpenſatione. An aliqua talis habeatur, in Italiæ partibus vbi ſæpe ſæpius contrariū fieri vidi prorſus me latet, certo tamen ſcio, quod in Hiſpania id nullatenus practicatur.

ARTICVLVS III.

Vtrum Religioſus aliquis, in vna & eadem religione ſeu diuerſis, habere poſsit duas dignitates ſiue Prælatias vtpote duos Guardianatus, Prioratus ſiue Abbatias?

Concluſio.

Iure prohibitū eſt, vt nullus habere poſſit, plures Guardianat⁹ ſiue Prioratus.

VRe prohibitum eſt, vt nullus Religioſus in eadem Religione ſiue diuerſis, habere poſſit plures Guardianatus, Prioratus ſiue Abbatias, & nullus inferior Papa, in eo diſpenſare poteſt. Hæc concluſio in ſimili caſu, videtur expreſſa, *in cap. de multa, de præbendis*, vbi idipſum habetur expreſſum, & dicitur fuiſſe determinatum, dicitur in Concilio Lateranenſi, ſub Alexandro III. capit. 13. Facit ad id, cap. fin. 25. q. 2. quibus locis prohibetur, *ne quis habeat duo vel plura beneficia cum cura niſi ſint vnita, vel vnum alteri annexum, & ſimiliter quod vni Eccleſiæ non duo pariter præſint.* Videatur hac de re Sylueſter, *verbo caſus, num. 2. caſu. 21. In cap. 1. de conſuetudine, in 6.* expreſſe etiam habetur determinatum idipſum, & præcipitur quod ſtricte obſeruetur, quacumque conſuetudine non obſtante, in Concilio Tridentino, ſeſſion. 7. cap. 2. & 4. & ſeſſion. 24. cap. 17. nam quod in prædictis capitulis, determinatur de beneficijs, præbendis & dignitatibus, animarum curam habentibus, intelligendum eſt perinde, de officijs & dignitatibus Regularibus, quibus animarū cura ſubeſt, quales ſunt Guardianatus, Prioratus & Abbatiæ, cum de ſimilibus ſimile ſit iudicium, id quod & iam diu diuturna conſuetudo, atque communis vſus confirmauit. Quibus omnibus propter rationis paritatem addo, quod ſtando in iure communi, in Religionibus nullus ſimul eſſe poteſt Diffinitor & Guardianus, Prior, ſiue Abbas, nam quamuis Diffinitoris officium, propriè & ſtrictè loquendo non ſit cui animarum cura ſubeſt, eſt tamen (vt diximus in primo Articulo) quidam perſonatus ſiue dignitas, & hæc omnia in ſupradictis iuribus prohibentur, ſimul obtineri cū alijs beneficijs ſiue præbendis, animarum curam habentibus, abſque diſpenſatione. Verum eſt tamen, quod circa hoc, in quibuſdam Religionibus reperitur diſpenſatum, & interdum factum eſt, fierique poteſt, in noſtro ſacro Minorum ordine, iuxta noſtras generales Conſtitutiones Toletanas, nam in cap. 7. agendo de Guardianis in fine, habetur, *quod Guardiani eligi poſſunt in Diffinitores, ex Miniſtri, aut Commiſſarij generalium diſpenſatione.* Hæc proiſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota quod ſtando in iure cōmuni, non quis ſimul eſſe poteſt Diffinitor & Guardianus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Religioſus profeſſus vnius Religionis, eſſe poſsit Prælatus alterius Religionis, abſq; eo quod eandem profiteatur.

Quorūdā opinio circa Prælationes Regularium.

HAC de re fuit olim quorundam opinio, aſſerentium id optime fieri poſſe, ſatisque eſſe Religioſum quempiam, profeſſum fuiſſe tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota, vt præfici poſsit in qua cumque alia Religione, maiori ſiue minori. Quod etiam placuiſſe dicitur Archidiacono, *in capit. qui vere. 16. quæſt. 1.* Huius ſententiæ & opinionis, meminit, *gloſſa, in clementina prima de electione.* Sed quidquid de hoc ſit, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Nullus Religioſus eſſe poteſt Prælatus illius Religionis, quam nō fuerit ſolemniter profeſſus, neq; præfici aliorū ordinūreligioſis.

NVllus Religioſus eſſe poteſt Prælatus, illius Religionis, quam non fuerit ſolemniter profeſſus, nec præfici aliorum ordinum Religioſis. Hæc concluſio, habetur expreſſe determinata in Concilio Viennenſi, per Clementem V. vt conſtat *ex clem. 1. de election.* vbi ſupradictus Pontifex hac de re agens, in ſequētia verba prorumpit. *Cū ratione non congruat, vt homines diſparis profeſſionis vel habitus, ſimul in eiſdē monaſterijs ſocientur, prohibemus, ne Religioſus aliquis, in Abbatem vel Prælatū alterius Religionis, vel habit⁹ de cætero eligatur, quodſi ſecus actū extiterit ſit irritū & inane. Per hoc autē, quinreligioſus, in Epiſcopū ſæcularis, vel cuiuslibet Regularis Eccleſiæ, poſsit eligi, nō*

intendimus prohibere. Per quæ dicta verba, dum dicit ſupradictus Clemens, *rationi non congruere, vt homines diſparis profeſſionis vel habitus, ſimul in eiſdem Monaſterijs ſocientur.* non incongruè (vt quibuſdam placet) datur intelligi, id non ſolum eſſe contra ius humanum poſitiuum, verumetiã & contra ius naturale & diuinũ, expreſſum in noſtra mente & ratione. Quod etiã inſinuare voluit olim, Innocentius Tertius, in cap. *cum cauſam eodem tit.* vbi idipſum determinare volens, reddensque rationem, ob quam ſecularis non poteſt aut debet, in Abbatem Eccleſiæ Regulari præfici, inquit, id eſſe contra legem diuinam, poſitam in Deuteronomio, capit. 22. *Cum non ſit ſimul arandum, in boue & aſino, neque quiſquam debeat induere veſtem, de lana linoque contextam.* Quæ verba expendens gloſſa, inquit, dixiſſe olim Deum per Moyſen, non eſſe ſimul arandum in boue & aſino, idem omnino fuiſſe, ac ſi expreſſius dixiſſet, homines diſparis & diuerſæ profeſſionis, non in vno & eodem officio eſſe ſociandos. Ad quod probandum adducit Diuum Iſidorum, *in c. in noua actione, 16. q. 7.* quod eſt deſumptum ex Concilio Hiſpalenſi Secundo, capit. 9. cui interfuit ſupradictus Iſidorus, vbi etiam demonſtrare volens idipſum, ac indecens eſſe laicum fieri Vicarium Epiſcopi & ſeculares in Eccleſia iudicare, ait, quod in vno eodemque officio, non eſſe debet diſpar profeſſio, quia (inquit) id fuit olim diuina lege vetitum, dicente Domino per Moyſen: Non arabis ſimul in boue, & aſino. Quod idem omnino fuit, ac ſi diceretur, homines diuerſæ profeſſionis non in vno officio ſociabis. Ex dictis manifeſte ſuperque ſatis colligitur, veritas noſtræ concluſionis, quã diximus, nullum Religioſum, præfici debere in Prælatum alterius religionis, quam non fuerit prius ſolemniter profeſſus. Et in *cap. nullus de electione*, etiam habetur idipſum, & dicitur, quod ſi quidquam in contrarium fiat, caſſari debet electio, conſuetudine quacumque, in contrarium non obſtante.

Nota hoc valde.

QVAESTIO. IIII.

De Prælatis Regularibus, quantum ad ſcientiam, & litterarum peritiam, quam ipſos oportet habere, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum oporteat Prælatos regulares, pollere ſcientia, & litterarum peritia?

AC de re iam pridem nonnulla diximus, in libro noſtri ordinis iudiciarij & de modo procedendi in cauſis criminalibus, tam in foro Eccleſiaſtico quam ſeculari agitandis, quæſt. 4. vbi in communi per plures articulos egimus, de qualitatibus & conditionibus, quibus præfulgere debent, ij qui aſſumuntur atque conſtituuntur in Iudices ſiue Prælatos. In cuius Quæſtionis Art. 8. inter alia reſolutiue diximus, oportere quãmaxime, eoſdẽ pollere ſcientia & litterarum peritia, & quod ea ſit in ipſis ſummopere neceſſaria, quod oſtendimus multis iuribus & rationibus, ex vtroque iure, canonico ſcilicet atque ciuili adductis. Sed nunc ſpecialiter agendo de Prælatis Regularibus, eam dem quæſtionem, libuit in medium proponere, vt ex dictis atq; dicendis plenius notum fiat, quanto ſe exponant animarum ſuarum p'ericulo, qui ſine prædicta ſcientia & ſufficientia, in Religionum cunctarum opprobrium, aliorum Religioſorum Prælatos eligi ſe ſinunt, atque ita ardenter illud procurant, & quam ſit hoc rationi abſonũ, & vtrique iuri ac ſacris Canonibus & ſanctorum Patrũ dictis contrarium. Vt igitur propoſitæ difficultati, reſolutiue ſatisfaciam, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Nimirum oportet, Religionũ Prælatos, pollere ſcientia & litterarũ peritia.

NEceſſariũ eſt, & q̃maximè oportet, Prælatos Regulares, pollere ſcientia & litterarum peritia. Hæc concluſio probatur, argumento deſumpto, *ex capit. cum in cunctis, de electione.* Quod quamuis expreſſe loquatur de Epiſcopis, à rationis paritate, etiam intelligi debet d. Prælatis Regularibus, ſed maxime Epiſcopalẽ vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionẽ habentibus, quales in ordinibus & Religionibus, ſunt omnes Generales & Prouinciales, & alij eis ſimiles. Vnde verba expreſſa, ſupradicti, *cap. cum incunctis*, in præſentiarũ libet referre, pro eo quod ſint notatũ digniſſima. Eſt conſtitutio facta in Concil. Lateranenſi, ſub Alexandro III. *Cum in cunctis ſacris ordinibus* (inquit Concilium) *& Eccleſiaſticis miniſterijs, ſint ætatis maturitas, morum grauitas, & literarum ſcientia inquirenda, multo fortius in Epiſcopo hæc oportet inquiri, qui ad curam aliorum poſitus, in ſe ipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conuerſari. Ea propter ne quod de quibuſdam pro neceſſitate temporis factum eſt, trahatur poſteris in exemplum, præſenti decreto ſtatuimus, vt nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui iam trigeſimum annum exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus, qui etiam vita & ſcientia commendabilis demonſtretur.* Quibus verbis breuiter, ſed multo magis compendioſe, prædictum Concilium Tridentinũ, comple

Nota verba Cõcil. Later. ſub Alex. III circa Prælatorum qualitates requiſitas.

complectitur, conditiones & qualitates, quas oportet habere Epiſcopos, & conſequenter omnes Regulares Prælatos, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes. Quod quidem decretum, confirmans & de nouo innouans, Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 1. agendo de dignitate Præſulum eligendorum, in hæc verba prorupit: *Ad Cathedralium ecclesiarum regimen, nullus niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, morum grauitate, litterarumque ſcientia præditus, iuxta Conſtitutionem Alexandri III. quæ incipit. Cum inuncliis, in Concilio Lateranen ſi promulgatam, penitus aſſumatur.* Et infra ſeſſ. 22. cap. 2. eadem de re agendo, ſequentia ponuntur verba: *Quicumque poſt hac, ad Eccleſias Cathedrales erit aſſumendus, is non ſolum natalibus, ætate, moribus, & vitæ, ac alijs quæ à ſacris Canonibus requiruntur, plene ſit præditus, verùm etiã ſcientia præter hæc eiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſsitati poſsit ſatisfacere. Ideoque ante ea in Vniuerſitate ſtudiorum, magiſter ſiue Doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, vel iure canonico merito ſit promotus, aut publico aliquius Academiæ teſtimonio idoneus, ad alios docendos oſtendatur. Quod ſi regularis fuerit, à Superioribus ſuæ Religionis ſimilem idem habeat.* Hæc Concilium. Cuius quidem decreta (vt alias dixi) quamuis expreſſe loquantur de Epiſcopis, per identitatem rationis, intelligi etiam debent, & extendi ad omnes Prælatos Regulares, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes. Et certe quantum attinet ad ſcientiam & literarum peritiam, quod modo magis noſtri eſt propoſiti, adeo eſt in ipſis, præciſe neceſſaria. vt propter defectum ſcientiæ, Epiſcopus etiam iam promotus, ab Epiſcopatu repellatur, ſeu repelli poſſit, prout notat & aduertit, Gloſſa in dicto cap. cum in cunctis, allegans vltimum capitulum de ætate, & qualitate ordinand. & præficiend. Vbi propter ſcientiæ defectum, ab Honorio III. à præſulatu fuit deiectus quidam Epiſcopus iam promotus. Ad quod facit etiam, & *cap. dudum de electione.* vbi dicitur electionem factam, de eo qui tempore ſuæ electionis ſcientiæ defectum patiebatur, ipſo iure eſſe inutilem, ſeu vt quibuſdam placet, *nullam*, Et pro tali reputatur eiuſmodi electio, *in cap. congregato, eodem titul.* vbi habetur, *quod ſi maior pars capituli, ſcienter eligit indignum, valeat electio de digno facta à minori parte, etiam ex eodem ſcrutinio.* Videatur hac de re, Nauarr. *in cap. quando de reſcriptis, exceptione 16. articu. 11 & ſequentibus.* Facit etiam ad prædictam concluſionem confirmandam, *cap. eam te*, quamuis ipſum nõ loquatur de Epiſcopis, ſed de alijs inferioribus prælaturis, dignitatibus & officijs, animarum curam habentibus, ad quæ promoueri prohibentur, qui præter alias qualitates, ſcientia etiam non fuerint inſigniti. Id quod & habetur in ſupradicto, *capit. cum inuncliis. §. inferiora, & in cap. licet canon, eodẽ tit. lib. 6*, Per quæ infero, non ſolum ad Prælaturas & dignitates, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalẽ iuriſdictionem habentes, quales ſunt Miniſtrorũ generalium, & Prouincialium, & ſimilium, prædictam ſcientiam & literarum peritiam, eſſe ſummopere neceſſariam, & quammaxime requiſitam, verum etiam & ad alia officia inferiora, animarum tamen curam habentia, vt expreſſe determinat Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. de reformatione, cap. 12. vbi inter alias conditiones præcipit, *vt iſqui officia & dignitates habent, quibus animarum cura ſubeſt, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria commendentur, iuxta ſupradictam Conſtitutionem Cum in cunctis.* Id quod & factum fuiſſe, rationi fuit quammaxime conſonum; nam, vt habetur *in cap. viliſsimus. 1. quæſt. 1. viliſsimus eſt computandus, qui præcellit dignitate, niſi etiam præcellat ſcientia & ſanctitate.* Facit & ad hoc, *cap. conuenientibus. 1. quæſt. 7. & authentic. de ſanctis Epiſcopis. §. damus. coll. 9.* Videatur hac de re, *gloſſa in ſupradicto capitul. cum inuncliis ibi. multo fortius*, vbi plura alia ad hoc propoſitum, adducuntur iura. Et generaliter de ſcientia quam habere oportet, quoſcumque gerentes & tenentes officia animarum curam habentia, videatur ſupradictus Nauarro, *in dicto cap. ſi quando.* exceptione 12. & 13. per plures numeros, & *in cap. inter verba. num.* 113. & Soto, lib. 3. de iuſtitia & iure, quæſt. 6. art. 2. 4. & 6. vbi hac de re latiſſime agit. Videatur etiam Menochius de arbitris, libro ſecundo, caſu. 425. numer. 37. & Salon ſecunda ſecundæ, quæſt. 63. articul. 2. Et hæc de iſto Articulo, breuiter dicta ſufficiant.

Nota valde verba Concil. Trident. circa idem.

Nota quod propter defectũ ſcientiæ, etiã Epiſcopus promotus, ab Epiſcopatu ſolet repelli, idque iure.

Nota hoc valde.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS II.

Vtrum peccent mortaliter, regulares qui eligi & præfici ſe ſinunt in Prælatos, & acceptant officia animarum curam habentia, ſine ſufficienti ſcientia & litterarum peritia, & ipſos eligentes.

Prima Concluſio.

Acceptãtes officia animarũ curã habẽtia, ſine debita ſufficientia, mortaliter peccãt ipſosq; eligẽtes.

NVlli dubium eſt, quod peccant grauiter & mortaliter, Religioſi qui eligi & præfici ſe ſinunt, in Prælaturas & officia animarum curam habentia, ſine debita ſufficientia & literarum peritia, & etiam eoſdem eligentes. Pro huius concluſionis intelligentia, & antequam ad ipſius probationem accedam, præmittere oportet, ex Diuo Thoma, ſecunda ſecundæ, quæſtion. ſecunda, artic. ſexto. quod ad credenda explicite ea, quæ ſunt fidei, non omnes æqualiter tenentur. Tenentur quidem omnes (ſaltim implicite) credere omnia quæ ſunt fidei, & aliqua explicite, ſed tamen quantum ad hoc, eſt multiplex differentia, ſecundum diuerſorum hominum ſtatum, conditionem & differentiam. Nam ſuperiores, ad quos pertinet alios docere & erudire (inquit Diuus Thomas) quod pleniorem tenentur habere, de rebus credendis notitiam, & magis explicite ea credere, quod qui non faciunt, non erunt à peccato immunes. Ad quod probandum inducit illud, quod habetur Iob capite primo, vbi dicitur, *quod boues arabant & aſinæ paſcebantur iuxta eos.* Quæ verba explicans Diuus Gregorius, libro ſecundo Moralium, capite trigeſimo quinto, inquit, *quod bouum eſt arare, aſinarum vero paſci.* Applicãdo & acõmodando

Nota hoc valde, circa prælatorũ ſufficiẽtiã debitam, quod vtiq; maior requiritur in maioribus, quam in minoribus.

hæc ad res fidei, dicit D. Thomas, *quod minores qui significantur per asinas, in credendis debent cohærere maioribus, qui significantur per boues*, at maiores pleniorem, magisque explicitam tenentur habere notitiam. Ex quibus colligit, quam maior sit obligatio Præfectorum & Prælatorum, habendi pleniorem notitiam de rebus fidei, & credendi & cognoscendi ea magis explicite, vt maiori ipsi scientia & cognitione imbuti, inferiores sibi subditos, commodius postmodum possint edocere atq; erudire. Quod qui non faciunt, & prædictam scientiam & cognitionem, suo muneri necessariam nō procurant, Præfectorum officia gerentes, & in ipsa seſe, sine sufficientia debita intromittentes, ac eligi & præfici permittentes, omni procul dubio mortaliter peccant. Hoc in omni opinione est certissimum, & communis omnium Doctorum resolutio. Quo supposito, probatur modo nostra conclusio. Certum est quod Prælati & Superiores, plura tenentur scire, quam inferiores subditi, nō solum de rebus ad fidem spectantibus, verum etiam & de spectantibus & pertinentibus ad mores, & ad communem hominum conuictum, postquā (vt dictum est) eorū est officium alios docere & erudire: ergo qui sine sufficiēti scientia & literarum peritia, ad id munus & officium necessario requisita eligi & præfici se sinunt, omni procul dubio, grauissime atque mortaliter peccant. Consequentia, satis constat ex dictis, siquidem (vt dictū est) quilibet tenetur scire, ea quæ sunt proprio suo officio & muneri necessaria, secundum cuiusque conditionem: & in Prælatis officium eorum, auget obligationem, neque ignorantia ipsos excusat, quin vero accusit, cum vt videtur, sit affectata, vt ne dicam supina. Confirmatur supradicta conclusio, nam certè contra omnem est prorsus rationem, & res videtur horrenda & monstruosa, & quodammodo contra naturam, vt quis præsumat esse Prælatus seu iudex, Ecclesiasticus siue secularis, absque congrua & sufficienti literarum peritia, & iudicandi munus accipiat, iudicareque velit alios, qui sit iuris Canonici & Ciuilis prorsus ignarus, nec nouerit aut calluerit leges Ecclesiasticas, quin vero & Ciuiles, cū iuxta eas sit iudicandum, & secundum ipsarum tenorem, reus absoluendus vel condemnandus? Quis dubitet id qui faciunt, obnoxios esse lethali atque mortali peccato? Videatur de hoc Nauarr. in suo Manuali, capit. 25. num. 12. Vbi expresse dicit, peccare iudicem mortaliter, petendo aut suscipiendo, gubernandi siue iudicandi munus, quo ita est indignus, & ita caret sufficientia debita, vt verisimile sit, illud haudquaquam posse gerere, absque eo quod exinde proximis, notabile aliquod damnum immineat. Quod & probat. *per cap. non est putanda. 1. quæstion. 1* vbi in fine agendo de illo qui ad sacerdotium promouendus est, ponūntur hæc sequentia verba: *Qui ad sacerdotium, non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem promoueri desiderat, prius vires suas cum hoc quod est subiturus onere metiatur, vt si impar est se abstineat, & ad id cum metu etiam qui se sufficere existimat accedat.* Quæ verba exponens glossa, ibi, *prius vires suas*, in ipsorum confirmationem, adducit illud Horatij, libro, de arte Poetica: *Sumite materiam, vestris qui scribitis æquam, Viribus & versate diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri.* Facit & ad hoc, *lex paupertas. ff. de excusatione tutorum. & lex in mulione. ff. ad legem Aquiliam. item & lex idem inris. §. 1. & lex qua actione. §. 2. eodem titul.* Facit etiam & *lex 2. §. seruus. ff. de origine inris.* vbi ponuntur sequentia notabilia verba: *Turpe est patritio & nobili viro, ius in quo versatur ignorare.* Quod & cognouit olim Persius, postquam Satyra. 5. dixit: *Quodammodo esse contra legem naturæ, ignorare quempiam artem quam exercet.* Ad propositum ergo, cum ad Prælatos supradictos, Generales atque Prouinciales, & etiam Guardianos quandoque spectet, de Religiosorum casibus iudicare, & ipsorum multiplices casus, interdum multipliciter implicatos, quos apud religiosos videmus euenire distinguere, & sine debita scientia & sufficientia, & absq; vlla literarum peritia, in tam graue suorum proximorum & subditorum damnum, ac proinde totius Reipublicæ, officia supradicta assumunt, & quod peius multo est, ad ea eligi & præfici procurant, quis dubitet hæsitareue potest, quod in eo mortaliter peccant? neque solum peccant grauissime, qui ea munera & officia ambiunt, aut alias perperam procurant, verum etiam & qui eligi & præfici se sinunt.

Nota hoc valde, qualiter iudices deme tiri debeant suas vires etiã sufficientiam.

Nota hac valde, quã sit res timenda, officiũ aliquod assumere, sine sufficientia debita.

Nota quod in dices, officia iurisdictionis accipiẽtes, sine sufficiẽtia debita, mortaliter peccant.

Quod autem eligentes & præficientes eosdem, grauissime etiam & mortaliter peccent, res est apud omnes compertissima. Quibus & iure optimo, idolatriæ vitium imputari quodammodo potest, ac de eis dici, illud quod Proüerb. 26. habetur, *Quod qui dat honorem insipienti, est sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij.* Quæ verba intelligi vt valeant, breuiter libet præmittere, quod Gentiles olim, Mercurij idolum tanquam Deum, sicuti & multa alia, vane quidem atque inaniter colebant. In cuius cultus protestationem, vnusquisque lapidem in illam statuam mittebat, ad honorem vt ipsi putabant Dei sui, quod & facientes crimen idolatriæ committebant, à Deo honorem debitum surripientes, & deferentes & tribuentes illum, Dæmoni seu Mercurij idolo, quod idē erat. Sic igitur in proposito, inquit Salomō idē, facit qui prætermisso viro sapienti & officio digno, dignitatis honorem insipienti tribuit, dum ipsum honorat, qui eo prorsus honore indignus est. Iure optimo censendus ille est quasi idolatra, & sicuti qui mittebat olim lapidem in acerūum Mercurij. Et simul etiam esse videtur fur, furando & surripiendo sapienti honorē sibi debitum, & conferendo illum insipienti, quod quidem qui faciunt, quammaximum furtum committunt, & procul dubio grauissima sunt digni pœna, ac mortaliter peccant.

Sed quia in hisce rebus moralibus latitudo est, & neque sola literarum scientia & peritia, in iudicibus & Prælatis est necessario requisita, sed multæ aliæ sunt considerandæ qualitates & conditiones, de quibus infra dicemus, vt in hisce rebus præmanibus habeatur, quid faciendum, & practicandum sit, sequentem secundam statuo conclusionem.

(?)

Secunda

Secunda Conclusio.

Qualitates & cõditiones, obseruãdæ in Electionib⁹, & in quo casu minus doctus, doctiori sit præferendus.

SI quando in Prælatorum Regularium electione, concurrat Religiosus quispiam, scientia & literarum peritia conspicuus, qui tamen alias deprauatis sit moribus, seu præ nimia ætate aut alia de causa vecors, secularibusve negotijs nimium implicatus, ac denique qui aliquem alium morũ, seu naturæ patiatur defectum, de quo proinde nõ tanta habeatur spes, quod verbo, doctrina & exẽplo, gregem suum pascere possit vt tenetur, neq; explere suum munus & officium, in tali casu non quidem ille nimium literatus est eligendus, sed qui mediocri scientia imbutus, alijs virtutibus & ornamentis præditus, ad propositum electionis finem, visus fuerit magis expedire. Hæc conclusio, est omnium Doctorum, communis & generalis resolutio, quam & tenet specialiter Magister Soto lib. 3. de iustitia & iure, q. 6. art. 2. vbi agens de spiritualium munerum, & officiorum dispensatione, sine personarum acceptione facienda, quamuis dicat atque constanter teneat, esse necessariſſimum, & sub mortali peccato obligatorium, vt digniora & pinguiora officia & beneficia, dignioribus conferantur: quamuis etiam perinde sibi ac omnibus videatur, scientiam & literarum peritiam, quammaximi in hisce rebus esse momenti, ac summopere necessariam, multumq; æstimandam, obseruandam & considerandam: inquit tamen, quod non in hoc solummodo consistit, omnis sufficientia aut dignitas alicuius promouendi, quin vero & multa alia debent vlterius considerari atq; perpẽdi, vt pote morum compositio, præcellens charitas, prudentia, solertia, aliæque animi vires & dotes, ad gubernandum, gerendumque Prælationis officiũ, quammaxime necessariæ, adeo vt huius rei gratia, liceat & expediat interdum, posthabito viro, scientia & literis clarissimo & eminentissimo, alium eligere qui mediocri scientia polleat, sitque alijs virtutum ornamentis insignitus & condecoratus. Nã (inquit) persona cũ primis æstimanda est, in ordine ad propositum electionis finem, non autem hæc aut illa scientiæ facultas. Quæ grauissimi Doctoris verba, ab omnibus Superioribus, atq; Prælatis, Regibus & Principibus, necnõ & Electoribus, in omnibus electionibus, vellem perpendi atq; cõsiderari summopere, sunt enim notatu dignissima. Cum hoc tamen dicit, esse peccatum mortale, & manifestissimum crimen, cæteris existentibus paribus, prætermisso digniori in scientia & literarum peritia, eligere indignum seu minus dignum. Contra quorum electores extat, inquit, terribilis illa Extrauagans, Alexandri III. facta in Concilio generali, quæ incipit, *Graue nimis, de præbend. & dignitat.* vbi sequentia habentur verba. *Graue nimis est & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promouere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, non iudicium rationis sed carnalitatis affectũ sequentes, vnde quanta in ecclesijs damna prouenient, nemo sanæ mentis ignorat.* Videatur etiam hac de re, supradictus Soto loco, supra citato, art. 4. & 6. vbi ad hoc propositum, agendo de secularibus magistratibus, & alijs priuatis gradibus, & honoribus deferendis, dicit plura eaq; notatu dignissima. Resolutiue ergo, proposito Articulo respondendo dico, quod qui sine sufficienti scientia & literarum peritia, eligi & præfici se sinunt, grauissime peccant mortaliter, nec minus quinvero amplius, eligentes & assumentes huiusmodi indignos, nisi forsan in casu secundæ suprapositæ conclusionis, quo quis mediocri & sufficienti scientia imbutus, morum etiam & virtutum ornamentis clarus, aliqua iusta de causa præferatur, alteri qui alias esse videatur sapientissimus, & eminentissimus.

Nota hoc val de.

Nota hoc val de pro prælatorum electione faciẽda.

QVAESTIO. V.

De Prælatis Regularibus, quantum ad alias conditiones, & qualitates quas ipsos oportet habere, nempe senilis ætatis, virtutis ac bonitatis, cæterarumq; virtutum, in sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum expediat Prælatos regulares, esse iuuenes, an vero senes?

Opinio asserẽs, expedire quãmaxime, cunctos prælatos esse senes.

HAEC Quæstio inter Doctores Iurisperitos, nimis est agitata & controuersa, quam proinde hinc inde, pro vtraq; contradictionis parte, breuiter in præsentiarũ libuit discutere, vt ex oppositione vnius cõtrarij, veritas plenius eluceſcat, & quid in hac re dicendum sit, cuiuis facile sit colligere. Et quidẽ Prælatos Regulares, senes esse expedire quammaxime, non vero iuuenes, multis potest & auctoritatibus & rationibus comprobari. Et vt à diuinis literis exordiamur, habetur in primis Prou. 16. *Quod corõna dignitatis est senectus, quæ & in vijs iustitiæ reperitur.* Et Ecclesiastici 25. dicitur, *quod sit speciosum canitiei iudicium, & speciosa veteranis sapientia, & gloriosus senum intellectus atq; consiliũ.* Ex quibus verbis, vt videtur, satis colligitur, iuxta Salomonis seu potius Spiritus sancti præscriptũ, quod dignitates & præfecturæ, senibus nõ vero iuuenibus, sunt cõferẽdæ. Id quod & cõfirmari potest ex sentẽtia Platonis, li. 3. de rep. vbi de his agens, dixit: *Iudicẽ nõ iuuenẽ, sed senem esse oportere, qui sero quaequid sit iustitia didicerit,*

Nota multa in laudem senectutis, & Iudicum senum.

dicerit, tanquam qui non propriam in animo suo eam sentiret, sed alienam in alijs animis, longo tempore nouerit, atque id circo cuiusmodi sit malum discernat, scientia potius quam propria experientia iudicans. generosissimus, inquit, *certe huiusmodi videtur index esse.* Quæ verba explicans Auerroes, in supradictos Platonis libros de Republica, tractatu primo inquit, *quod senioribus debentur Reipublicæ gubernacula, qui præter speculatiuas scientias quas adepti sunt, experimentum præterea obtineant longo tempore acquisitum.* Quorum sententiã comprobans atque confirmans Claudius, libr. quem inscripsit, de officio Iudicum, capit. primo, dixit: *Quod quanquam in deligendo iudice, nullius rei æque sit habenda ratio, atque sapientiæ & integritatis, multum tamen, inquit, conuenire videtur, vt natu grandes ei muneri præficiantur, nam & senibus plus adesse ex vsu rerum prudentia solet, & affectus eorum sunt moderatiores. Relucet præterea (inquit) in senibus, vultus quidam obseruandæ maturitatis, quod ipsis plurimum ad populum auctoritatis conciliat.* Verba sunt expressa supradicti Claudij. Et concludendo dicit, *quod semper omnibus, valde periculosum visum est, ad Magistratus & Prælationes iuuenes promoueri, nam vehementia passionum, ipsos ad gubernandum quasi inhabiles reddit, cum ira, odio, siue ambitione, aut alijs defectibus, ætatis suæ teneritudini annexis ducantur, atque à subditis eorum mandata, licet optima & salubria sint & opportuna, vt tamen á iuuenibus edita contemnuntur, considerantes subdit, illud Aristot. dictum, 3. Ethicor. quod á Rege iuuene recta ad virtutem consilia, oriri difficile est, nisi & ipse valde sit legibus enutritus.* Verba sunt maxime notãda. Qui

Nota valde bona, quæ proueniunt ex senectute.

bus omnibus accedit, & auctoritas D. Hieronymi, qui agens de senectute & bonis ex eadem prouenientibus atque resultantibus, inquit: *quod senectus nos, ab impudentissimis dominis liberat, voluptatibus gulæ modum imponit, libidinis impetus frangit, auget sapientiam, maturiora dant consilia, &c.* Quam etiam D. Hieronymi sententiam, confirmans Cassiodo. lib. 6. de anima dicebat olim, *quod ætate maturi, melius sapere iudicantur, quia senescentibus membris & corporalibus sensibus emollitis, proxima parte in consilium transeunt, vbi dum mens amplius occupatur, adunationis virtute robustior efficitur.* Hanc etiam ob causam dicitur de Seneca, dicere quod solitus erat, *quod plus valet vmbra senis, quam ensis & eloquentia diuitis.* Habetur in epist. 90. hoc dicebat propter ipsorum experientiam maximam, quæ rerum omnium est magistra. De qua etiam loquens Ouidius libr. 6. Metamorphoseos, aiebat, *Quod seris venit vsus ab annis.* Et lib. 9. *Iura*, inquit, *senes norunt, & quid liceat, nefasque, fasque sit inquirunt, legumque examina seruent, tenero tractari pectore nequit publica maiestas.* Hæc omnia valde sunt notanda, ac memoriæ commendanda, quæ & multum faciunt pro senibus, eorumq; ætate senili, & ad ostendendum & comprobandum, qualiter senes non autem iuuenes in Iudices siue Prælatos sint assumendi, ad gubernandam Rempubli. & Congregationem quamlibet. Quod & multis alijs auctoritatibus & rationibus, Sallustius in Catilina confirmauit olim, dicens, *In Senatores assumendos esse, non iuuenes sed senes, quibus corpus annis infirmum, sed ingenium sapientia sit validum.* Quod etiam ita esse, haudminus efficaciter quam ex prædictis omnibus, à contrario sensu comprobari potest, ex eo quod in sacra Scriptura ex iuuenũ consilio olim Regi Roboam accidisse dicitur, prout habetur in lib. 3. Regum capit. 12. nempe amisisse Regnum, & omnia in peius atque in ruinam abijsse. Cicero etiam in Catone, dixisse fertur: *Iudicas respublicas easque quam maximas, propter adolescentium consilium labefactatas fuisse, Romanamque Rempubl. triarte virtisse olim, scilicet amorem primi commodi, occultum odiũ & iuuenile consilium.* Eadem de re agens D. Augustinus, sermon. 14. ad Fratres in eremo, ait: *Romanorum regnum tandiu in pace perseuerasse, quandiu senes atque sapientes illud regere permiserunt, at* (inquit) *postquam iuuenes in expertos iudices elegerunt, tanquam iustitiam ignorantes, acceptatores personarum facti sunt, iustitiamque perdentes, etiam dominium orbis terrarum amiserunt. Hinc*, inquit, *factum fuit, vt posteaijdem Romani, Græci, Lacedæmones, Carthaginenses, Persæ, & Hebræi, alijque innumeri, per leges suas & consuetudines approbatas, senes tantummodo ad sua munera, & officia admiserint, iuuenes vero omnino repulerint.* Verba sunt expressa D. Augustini. Ad quod etiam propositum facit, quod Aristotel. libr. 5. Politicor. capit. 8. de prædictis iuuenibus agens dixit, nempe, *Iuuene. ad gubernandam Rempublicam esse prorsus inhabiles, quia* (inquit) *in ijs iudicium & discretio, tunc incipit habere vigorem atque fortitudinem, quod non contingit in senioribus.* Ad quod facit id, quod scribens ad Augustinam Diuus Hieronymus, dixit olim, *quod bos lapsus, fortius figit pedem.* In cuius confirmationem adducit, quod communiter habetur in Prouerbio. nempe: *Quod vulpes senes, non apprehendit laqueus.* Hæc omnia quãmaxime faciunt pro senibus, & senili ipsorum ætate; & ad monstrandum atque probandum, quod Præfecturæ ipsis, non vero iuuenibus debeantur.

Nota valdetõ tra conclusa in nenum.

Opinio asserẽs oportere prælatos esse non senes sed iuuenes.

Sed pro alia in contrarium parte, sunt etiam multa eaque nota tu digniſſima, quæ in iuuenum & iuuentutis laudem facere videntur, quibus etiam probari contenditur, quod Dignitates & Præfecturæ, non quidem senibus senio confectis, aut forsan fatuis & insensatis, sed iuuenibus, scientia, literis ac morum grauitate & integritate præditis, sunt conferendæ. Et in primis, vt etiã à sacra Scriptura exordiamur, facit ad hoc, illud quod habetur Sapient. 4. vbi dicitur. *Quod senectus venerabilis est, non diuturna nec annorum numero computata. Cani* (inquit Sapiens) *sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Ex qua auctoritate, facile in multorum iuuenum laudem erit colligere, quod senectus atque canities, non per crines veniat consideranda, sed potius per maturitatem sensuum. Cõtingit enim multoties, vt alter prius alio quandoque senescat, & interdum sub canitie magna, reperitur iuuentus quammaxima. Hac etiã ratione in sacris literis, vt videre est apud Esaiam cap. 65. *Puer centum annorum maledicitur*, & in Iure senes, non per ætatem sed per sapientiam nominantur, vt constat expresse *ex cap. 3. dist. 20. & ex cap. porro. dist. 84.* quod est Anacleti Papæ, in epistola. 1. scribens ad Episcopos Italiæ. Vbi versans illud Moysis præceptum, quo præcepit illi Deus olim, vt ad gubernationem Israelitici populi presbyteros eligeret, constantissime tenet, presbyterorum nomine, seniores intelligi debere. In cuius confirmationem adducit, illud Prouerbior. 20.

Nota quod iuuenes sapiẽtes, iure optimo dicuntur senes.

gloria

gloria ſenum canities eſt. At (inquit) canities, ſapientiam deſignat, de qua ſcriptum eſt. *Canities hominũ prudentia eſt.* Et poſt alia concludit dicens, homines non propter decrepitam ſenectutem, ſed propter ſapientiã, *presbyteros*, id eſt, ſeniores debere nominari. Ex quibus apertè colligitur, quod ſapiẽtiores ſeniores & merito debent nuncupari, quamuis alias ſint in ætate minores, quodque omnia quæ ſupradicta ſunt de ſenibus, intelligenda ſint, de doctis, ſapientibus, ſenſatis atque prudentibus, non verò de indoctis, fatuis, inſenſatis & imprudentibus. Ijs enim & merito, iuuenes ſapientes, ſtudioſi & morigerati, iure optimo videntur præferendi. Quod & confirmare viſus eſt olim Salomon, Eccleſiaſt. 25. vbi poſtquam multa dixerat de ſenibus, & quod canitiei ſit ſpecioſum iudiciũ, & ſpecioſa veteranis ſapientia, ſtatim ſubdit, *corona autem ſenum multa peritia.* Ac ſi apertius dixiſſet quod imperiti ſenes, vtcumque ſenẽs, nihili omnino ſunt faciendi. Quibus & accedit, quod qui ſe nili ætate ſunt confecti, ac penè iã ob ſenectutem maximã decrepiti, quæ etiam vt dicitur eſt infirmitas, propter ipſorum continuas infirmitates, ad dignitates & Prælaturas prorſus videntur inepti. Vnde & incongruum apparet, vt ad gubernandam Rempub. promoueantur, & ad Prælaturas, dignitates & officia Eccleſiaſtica animarum curam habentia, cum vt videtur, ijdem non ſatis poſſint facere, ſuo officio & muneri, quod nihil eſt omnino aliud, quam ferre ſemper, vt dicitur, pondus diei & æſtus, & die noctuq; inuigilare ſuper gregem ſibi commiſſum, ſpeculatores eſſe continuos, quæ omnia ipſorum naturæ, iam præ vetuſtate nimia deteſſę, laſſatæ atq; conſumptæ omnino contraria apparent. Confirmantur prędicta omnia, de mente & ſententia D. Chryſoſt. in Epiſt. Pauli ad Titum homil. 4. vbi enumerat vitia, damna atque incommoda, quæ interdum ſenibus, & in ætate ſenili conſtitutis ineſſe ſolent, nempe ſegnities quædã quammaxima, ſumma tarditas, obliuio profunda, ſenſus obtuſus, implacabilis iracundia, & ex alia parte puſillanimitas, & id generis multa alia. De quibus videndus etiam venit Cicer. lib. de Senect. Vbi dicit *Quod ſenes aliquando propter nimiam ætatem delirant, & prævetuſtate deſipiunt.* Quæ ſupradicta vitia, latiſſimè enumerat, Archidiac. in *in cap. tanta diſt. 86.* facit ad idem, quod Ludou. Viues dixit olim lib. 2. de Anima, & refertur à Doctore Simanc. lib. 7. de Republ. c. 8. num. 28. nempe, quod quemadmodum pueri, non ſunt boni ad gubernationem, quia in infantia ratio non vtitur ſuis organis, ex eo quod nondum ſunt apta, ſic etiam nec in ætate decrepita, ſenes ad idipſum conueniunt, quia ipſorum organa, iam deſierunt eſſe apta, cœperuntque fieri inepta, & præ magno vſu corrupta, qua etiã ratione dici de eis ſolet, quod bis ſunt pueri ſenes. Ex dictis omnibus ſuperq; latis colligitur, id quod probari contenditur, nempe ad gubernandam Rempubl. & ad præbendas & dignitates Eccleſiaſticas, & officia animarum curam habentia, regulariter loquendo, eligi debere, non quidem ſenes decrepitos, ſed iuuenes cordatos & ſenſatos, qui per ſemetipſos ſuo ſatisfacere poſſint officio & muneri, & qui non propter continuas ſuas infirmitates & labores, à ſua obligatione deficiant, illiſque compulſi, quod ipſorum erat proprium, alijs iuuenibus, aſſringantur committere. Hac etiam ratione, in iure cautum eſt, vt hominibus valde ſenibus, officia nullatenus conferantur. Quod intelligendum crediderim, quando ſenectus fuerit tanta, vt eoſdem fere ineptos ſiue impotentes reddat, ad incumbendum ſuo officio & muneri, non vero aliter, iuxta id quod habetur *in c. litteras, & in cap. niſi cum pridem, de renunt.* Quæ ſunt duo capitula, ad hoc propoſitum valde notanda, vbi etiam videatur Gloſſa, *verbo, ſenectus, & verbo, debilitas*, ibique reperire licebit, ad hoc propoſitum, multa ſumma animaduerſione digna. His igitur pro vtraque parte adductis, quid hac in re practicandum ſit, explicabitur per ſequentem Concluſionem.

Nota contra ſenectutem, quæ dicat D. Chryſoſtom⁹, & etiã Cicero lib. de Senectute.

Concluſio.

Ad Prælaturas & officia animarũ curã habentia, viros non multũ ſenes, neq; multum iuuenes, oportet aſſumere.

AD Prælationes Regulares, & ad exercenda officia & munera, animarum curam habentia, nõ homines multum ſenes, nec nimium iuuenes, ſed mediocris ætatis oportet aſſumere. Hæc concluſio, eſt generalis omnium Doctorum reſolutio, qui neque immeritò, inter prædicta duo extrema, medium eligere, atq; tenere voluerunt, iuxta quod poſt varios diſcurſus, concludendo reſolutiue dicunt, homines fere annorum quinquaginta, (non maiores neque vero minores) ad prædicta officia eſſe aſſumendos, qui eiuſmodi ætate pollentes, & agendorum neceſſariam experientiam habere poſſint, ac ſimul illud robur & illas corporis vires, quæ neceſſariæ in Prælatis eſſe videtur, vt per ſe ipſos, proprio ſuo poſſint ſatisfacere officio & muneri. In comprobationem huius veritatis, & congruentiſſimè quinquaginta annorum ætatis, multa eaque notatu digniſſima, reperire licebit in humanis litteris. Nam Plato vt habetur, lib. 6. de legibus, dicere ſolitus erat, *quod Magiſtratũ nullꝰ gerere debebat, qui ætatis annos, minus haberet quinquaginta.* Ariſt. etiam 7. Politic. cap. 16. eadem de re loquens aiebat, *quod mens & intellectus, circa quinquageſimum annum, in pleriſque quam maxime viget.* De Imper. item Claudio, dicit Philoſtratus, li. 5. in ipſius vita, *quod annos natus quinquaginta imperium eſt adeptus, quo tempore in homine vſus, vigere quammaxime ſolet ingenium, ac propterea rectè ipſum fuiſſe functũ, ſuo officio & muneri.* Heraclides etiã in ſua Politica refert, legem fuiſſe olim, apud Calcedonenſes, *ne quis annos natus, minus quinquaginta, vel Magiſtratũ gereret, aut legationem obiret.* Quæ omnia quammaximè faciunt, ad propoſitam concluſionem comprobandam. Sed cum hæc non phyſicè, aut metaphyſicè, ſed moraliter ſint intelligenda, ad quandam mediocritatem poſſunt ac debent reduci, vt ſupradicta quinquaginta annorum ætas, plus minusve intelligatur atque conſideranda ſit, cum malitia quandoque vt dicitur, ſuppleat ætatem, neque minus virtus quam ætas, interdum facere poſſit. Ad quod quam maximè facit, quod lib. 1. de arte amandi, dixit olim Ouidius, nempe, *quod Cæſaribus virtus, contigit ante diem.* Qua quidem ratione dico, quod ſi nobiles inueniantur & illuſtres, virtutibus atque nobilitate prædicti, in Religionibus & qualibet alia Republica, ante annos

Pro ætate quinquaginta annorũ, vide & nota quæ dixit olim Plato, & Ariſt.

quinquaginta iure & merito in Superiores & Prælatos possunt, quin vero debent assumi, cum & ipsi maioribus honoribus digni sint quam alij, qui in nobilitate forsan, illis non sunt æquales, & hæc de isto Articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm oporteat, Regulares Prælatos esse spectatis moribus, timoratos, studiosos & virtuosos, & quam maximè Deum timentes?

HIc his omnibus qualitatibus & conditionibus, multa dixi in libo nostri Ordinis iudiciarij sed vt ne locꝰ iste inter missus remaneat, breuiter atq; resolutiuè, sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

Nimium oportet Prælatos regulares, morum integritate vigere, studiosos & virtuosos esse & quàmaxime Deum timentes.

NImium oportet Prælatos Regulares, morum integritate pollere, studiosos atque virtuosos esse, & quammaxime Deum timentes. Hæc Conclusio habetur expressa *in cap. cum incunctis. de elect.* & in omnibus alijs capitulis, vbi agitur de qualitatibus in Episcopis requisitis, inter quas, cum primum supradictæ conditiones enumerari solent. Id quod & habetur *in cap. si quis Abbas. 18. quæst. 2.* Vbi etiam ponuntur plures aliæ virtutes, quas Abbates & Prælati Regulares habere debent, vt pote, quod sint humiles, casti, misericordes, discreti & sobrij, sed præcipuè dicitur, quod sint Deũ timẽtes. Quod etiam præcepit Deus Moisi olim, per Iethrum socerum suum, Exodi 18. agens de Iudicum electione, pro Israelitici populi gubernatione. Dixit enim illi, *vt prouideret sibi ex omni plebe, viros sapientes & timentes Deum, in quibus esset veritas, & qui oderint auaritiam, & constitueret illos Tribunos, cẽturiones, quinquagenarios, atque decanos, &c.* Vbi notandum valde est, quod inter alias partes & qualitates, quas oportere dixit Iudices habere, vna neque vero infima, sed præcipua fuit, vt quammaximè essent Deum timentes: nec id immerito, cũ huiusmodi timor, *initium sit omnis sapientiæ*, vt habetur Prouerb. 9. Vnde & in lib. 2. Paralypomenon, cap. 14. Iudices ad Dei timorem inuitantur. Et Dauid Propheta Regius, eosdem alloquens, hunc Dei timorẽ in primis illos præ oculis habere consulit; *Erudimini*, inquit, *qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Adeo prædictus Dei timor necessarius est, timorataque conscientia vitæque integritas, in cunctis Prælatis & Iudicibus, vt quidam Iurisperiti audacter dicant, neque id iniuria, quin vero nimis iuridice, excipi posse contra Prælatum siue Iudicem, quando ex aliquibus suis factis colligi potest, eundem non esse Deum timentẽ, seu quod non habeat Deum præ oculis. Videatur specialiter hac de re, Speculator tit. de Iudice delegato. §. vlt. *verbo, item quod non habet.* Quod & confirmari etiam potest, ex eo quod dixit olim Bald. *in l. 2. C. de sentent. ex vicn. recit. num. 5.* nempe quod *Iudex duo simul in mente debet habere, nempe sal scientiæ & sal securæ & timoratæ conscientiæ.* Facit etiam quam maximè ad hoc, *cap. omnis qui. 45. dist.* vbi ponuntur plura spectãtia ad Prælatos siue Iudices, de quibus aliqua, dicemꝰ infra. Sed præsertim dicitur quod *Iudex siue Prælatus, in omni negotio sẽper esse debet Pauidus, timẽs & tremens, ac formidare ne de iustitiæ tramite deuians cadat, & vnde non iustificatur, inde potius condemnetur* (verba sunt notanda) Diuus etiam Hilarius, lib. 6. de Trinitate, agens de hoc timore, in eiusdem laudem dicit, quod *Deum timentes, in errore diu minimè possunt detineri.* Tandem vt omnia vnico concludam verbo, dico huiusmodi Dei timorem, in supradictis Prælatis Regularibus, & in cunctis in vniuersum judicibus, adeo esse summopere necessarium, vt Prælatus qui ipsum non habuerit, haud quidquam boni de illo sperari possit. Qui vero illum habent, stateram, vt dicitur, manu gestant, in iustitiæ lance, siue libramine cuncta disponunt, quid in re qualibet & quocumque negotio, eos facere oporteat attente considerant, ingeniorum suorum dimetiuntur vires, in emergentibus dubijs, peritiores se consulunt, & tanquã boni & recti iustitiæ executores, nihil ex arbitrio suo faciunt, sed leges iuraque consulunt, & in rebus diffiniendis & determinandis, secundum leges & iura pronunciant. Nõ odio, non amore, timore aut cupiditate mouentur, sed charitate semper, & iustitiæ zelo. Desumpta hæc sunt, *ex cap. iudicantem 30. q. 5. & c. omnes dist. 45. & c. iudic. 3. q. 7. & alijs.* Ex quibus colligitur, ciusmodi Prælatos siue Iudices, in Religionibus cunctis & qualibet Republica, eligi & assumi, quam maximè esse necessarium, vtilissimum atque expedientissimum.

De virtutibus cõditionibus, & qualitatibus, quas Prælatos Regulares, quammaxime oportet habere.

Nota quod inter exceptiones, quæ Iudicibus obijci possunt, quasi præcipuam tenet locum, eosdem non esse Deũ timẽtes, neque habere Deum præoculis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm expediat Prælatos regulares, iustitiam simul cum clementia, siue misericordia, temperatam habere?

Conclusio.

Multum expedit Prælatos Regulares, iustitiam cum misericordia & clementia, temperatam habere.

MVltum expediens est, in Prælatis Regularibus & judicibus, vt iustitia simul cum misericordia resplendeat, & eosdem rigorem suum, benignitate atque clementia temperatum habere. Huius conclusionis veritas, cuiuis vel mediocri ingenuo pollenti est manifesta. Potestque multis auctoritatibus & rationibus comprobari. Atque in primis, ad id faciendum, moueri possunt quin verò & debent, Prælati Regulares prædicti siue iudices, ex imitatione Dei Opt. Max. *è cuius vultu*, vt dixit Dauid olim, Ps. 16. *omne ipsorum iudicium prodire debet*, quem & præ alijs ipsi obnixe imitari tenentur. Deum autem iustitiam cum misericordia semper temperatam habere, sacra Scriptura proclamat vbique: *Misericordiam & iudicium* (inquit Regius Psaltes) *cantabo tibi Domine.* Psal. 100. & alibi dicitur, quod *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Psal. 24. Vbi *veritatis*, nomine, secundum omnes communiter

ter Expoſitores iuſtitia deſignatur, quæ & miſericordia ſemper eſſe debet temperata, ſeu potius comitata, itavt propter harum virtutum alteram, alia nullo prætermittatur modo, quin vero ſuum ſemper teneat locum. Quod & faciet quammaxime, ad pacem in Repub. & in cunctis congregationibus conſeruanda m, iuxta illud, quod ſupradictus Dauid, in Pſal. 84. dixit, nempe quod *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, & iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Hunc regendi, & gubernandi, conuenientiſſimum atque expedientiſſimum modum, obſeruat modo, obſeruauitque olim ſemper Deus Opr. Max. in cunctis operibus ſuis, & rebus ad totius mundi, ſed præſertim Iſraelitici populi gubernationem ſpectantibus, miſericordiam cum iuſtitia, ſemper temperatam habendo, ſeu potius vtramque ſimul hominibus oſtendendo. Hoc modo, totum hunc viſibilem mundum, ſuauitate nimia regit atq; gubernat. Qua etiam ratione olim Sapiens dixit de eodem, Sapien. 8. quod *Sapientia ſua ſuauiter diſponit omnia, attingens à fine vſque ad finē fortiter, &c.* Has etiam virtutes, in cunctis Prælatis atque Iudicibus ſummopere eſſe neceſſarias, oſtendere volens olim Chriſtus Dominus, ipſorum miniſterium comparauit illi procedendi modo, quo Samaritanus ille iter faciens ſe habuit circa hominem, quem inuenit ſemiuiuū in via, quin vero & iam morti proximum. *Hunc videns* (inquit) *miſericordia commotus, appropians alligauit vulnera eius, infundens deſuper vinum & oleum.* Quibus duobus adhibitis remedijs (quod appoſitiſſimum eſt Prælatorum ſymbolum) plane inſinuauit, ſupradictas duas virtutes, miſericordiā ſcilicet, atque iuſtitiā, quammaxime eſſe neceſſarias, ad curanda & ſanāda quorumlibet peccatorum vulnera. Per oleum etenim inſinuatur ibi miſericordia, per vinū vero iuſtitia, ex quarum debito temperamine, medicamentum pro regendis & gubernandis ſubditis, & ſpiritualibus curandis eorum infirmitatibus, confici oportet ſummopere. Qui igitur Reipub. ſeu Congregationi cuilibet, Regulari ſiue ſeculari præeſt, vt ſubditorum ſuorum curet & ſanet vulnera, exemplum hoc à Chriſto Domino, Paſtorum & Prælatorum omnium Principe ſumat, applicando in miſericordia olei mollitiem, vinique morſum & diſtrictionē in iuſtitia, ita vt per oleum foueantur ſananda, per vinum vero mundentur putrida, ſubditique nec nimia benignitate ſoluāti, nec rigida aſperitate exulcerentur. Hoc ſummopere atque obnixe procurare debent omnes in vniuerſum Prælati Regulares, & quicumque Iudices. Pro quo facit quammaxime illud D. Gregor. lib. 20. Moral. c. 6. & in Paſtorali par. 2. cap. etiam 6. & lib. 1. ſui Regiſtri, epiſt. 24. & habetur *in cap. diſciplina, diſt. 45.* nempe quod *diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine altera tenetur. Nam circa ſubditos, ineſſe debet Rectoribus, & iuſte conſolans miſericordia, & pie ſeuiens diſciplina.* Ad quod probandum adducit exemplum ſupradicti Samaritani, aliasque innumeras ſactæ Scripturæ auctoritates, & multa alia notatu digniſſima, à Prælatis atque Iudicibus cunctis, ſummopere obſeruanda, & præ oculis quammaxime habenda. Vbi etiā videatur gloſſa, *verbo, miſcenda*, quæ etiam circa mediocritatem, quam Prælati ſiue Iudices, hiſce in rebus habere debent, multa dicit. Supradictas etiā, duas virtutes, habuiſſe Iob olim, de ſe ipſo proteſtatur cap. 19. dicēs, quod *cum ſederet primus quaſi Rex circumſtante exercitu, mœrentium nihilominus erat conſolator.* De Moiſe, quem etiam Deus olim Iſraelitici populi Principē conſtituit, dicitur Numer. 12. quod *erat vir mitiſſimus, ſuper omnes homines, qui morabantur in terra illa.* At non propterea, illi defuit animarum zelus & rigor, vt obſeruaretur interdum diuina etiam iuſtitia, quod & manifeſtauit, Exod. 32. quando præcepit vt à Leuitis, vniuerſi ſimul interficerentur idolatriæ, quo facto & iram Domini placauit, & ab excidio vniuerſum Populum liberauit, iuxta illud quod dicitur Pſ. 105. *Et dixit Deus vt diſperderet eos, ſi nō Moiſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius.* Debent ergo Principes, qui præficiunt Iudices & Superiores, necnon & omnes Prælatorum Regularium electores, cæteris exiſtentibus paribus, quin verò etiam quandoque forſan imparibus, illos ad prædicta munera & officia, animarum curam habentia aſſumere, in quibus quam maximē ſupradictæ duæ virtutes enituerint, ac ſimul reſplendere videantur, miſericordia ſcilicet atque iuſtitia. Qui natura ſua ſint quidem manſueti & benigni, ſed ex alia parte etiam iuſtitiæ zelatores, vt vtriuſque virtutis temperamento, ad magnam Dei laudem & gloriam, Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatē, Religionum honorem, rectè ſuo ſatisfacere poſſint officio & muneri.

Nota hoc val de, pro Prælatis atque Iudicibus, circa miſericordiā quam debent habere, & tē peratam iuſtitia.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm expediat, Iudices ſiue Prælatos regulares, in ſuorum officiorum exe cutione, in rebus arduis atque difficillimis, quam magnam habere fortitudinem?

Concluſio.

Multum oportet Prælatos Regulares & Iudices, in rebus gerendis, habere integritatem & fortitudinis robur.

NImium oportet, Prælatos Regulares & quoſcumque Iudices, in rebus arduis & difficillimis, habere pectoris robur, magnamque conſtantiam, & fortitudinem. Hæc Concluſio probatur in primis, ex illo quod habetur Eccleſ. 7. vbi Sapiens, Iudices omnes in cōmuni, & ipſorum quēlibet alloquens in particulari, inquit, *Noli fieri Iudex, niſi & virtute valeas prorumpere iniquitates*, & ſubdit, quaſi dicti ſui cauſam atque rationem reddens, *ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.* Ad quæ verba confirmanda, facit quam maxime, id quod dixit olim Platina lib 8. de vitis Pōti. agēdo de ſupradicta fortitudine, in Iudicibus atque Prælatis tantopere neceſſaria. *Quod vt non iuſtitia vlla ex parte labefactetur, adiungenda illi eſt fortitudo, omniū virtutum robur & vallum. Vt enim* (inquit) *fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis eſt materia, ita & iuſtitia ſine fortitudine, interdum terga vertit, eoſque deſerit quos potius tueri deberet.* Hac etiam ratione D. Bernard. lib. de Gradib. Humilitatis, fortitudinem vocat, ſcutum inexpugnabile, ab omnibus ſumendum Prælatis atque

atque Iudicibus, vt rectè suo possint satisfacere officio & muneri. *Optimi enim*, inquit, *Iudicis atque Prælati est, pro Religione, pro patria, pro iustitia, & pro veritate tuenda, & pro subditorum suorum salute, interdū si opus fuerit vitam exponere, & omne discrimen mortemque ipsam subire, atque damna & pericula quæcumque contemnere, nihilque debent prorsus timere, ne timore concussi, atque perterriti, à semitis debeant iustitiæ, atque à semel cœpto proposito deficiant, & propterea non incumbāt suæ obligationi ac muneri.* Hinc Sapiēs loco supracitato, Iudices alloquendo eis consulit, *vt non sint pusillanimes in animo suo.* Et Prouer. 20. inquit, *quod qui iudex hominē timet, cito corruit.* Hic timor certè fuit, qui deiecit Pilatum iudicem, corruereque illum fecit, in execrandum facinus, atque adeò abominandum crimen, crucifixionis Christi, iniquissimā in eundem proferendo sententiam, ad Iudæorum instantiam. Propter timorem nempe, ab eisdem sibi incussum, quando ipsius mortem expostulantes, dixerunt, *si hunc dimittis, non eris amicus Cæsaris.* Quid enim hoc referebat? an non melius illi fuisset, seruum & amicum fuisse Dei? Nihil ergo Iudices siue Prælati debent timere, quin verò fortitudinis scuto roborati, procurare obnixe, maximo iustitiæ zelo, sed misericordia ac clementia temperato (vt in præcedenti Articulo est dictum) munus & officium suum explere. Sed dicamus oportet, quibus ex causis eiusmodi timor prouenire soleat? iste timor siue metus, in Iudicibus atque Prælatis, vt plurimum prouenire solet, ex deprauata ipsorum conscientia, corruptisque moribus, vt & contigit olim in Cain, innocentis fratris sui Abelis occisore. Dicitur enim Genesis 4. quod post fratris sui mortem, timore perculsus, *egressus à facie Domini, ambulauit vagus & profugus in terra, timens nimium ne omnis, qui eum inueniret, ipsum occideret.* Hac etiam ratione, dixit Sapiens Prou. 28. *quod fugit impius nemine persequente, iustus autem tanquam Leo confidens, absque terrore erit.* Hoc summopere considerandum, etiam est in Prælatis cunctis atque Iudicibus, & vt ad id muneris assumantur, qui bona conscientia, & virtutum ornamentis præditi, fortitudinis scuto armati, veluti inexpugnabiles sint, & nullius prorsus timeant faciem potentis. Suosq; subditos alioquin humiles & pusillos, cum opus fuerit, tueantur & defendant, sola conscientia tuti, eo quod nihil habeant, quod iustè possint timere. Hoc proprijssimum est, Iudicum & Prælatorum munus & officium, & quod summo studio procurare debent, innocentes & pusillos, à potentibus protegere, eripere arq; defendere, & ablq; personarum discrimine, ius suum vnicuique tribuere, summa iustitia & æquitate, ad quod faciendum fortitudine quammaxima opus sibi est. Hæc tandem virtus Regia esse dicitur, & digna præstantissimis viris, Prælatis & Iudicibus, proquo facit, illudquod Ouid. lib. de Ponto dixit olim. *Regia crede mihi, res est succurrere lapsis. Conuenit & tanto, quantus & ipse viro.* Hæc de isto Articulo dicta sufficiant, neque enim etsi vellem, in hisce rebus amplius immorari licet.

Nota valde quantā oportet Prælatos habere fortitudinem, & animi robur.

ARTICVLVS V.

Quemnam Prælati regulares siue Iudices, in suis administrationibus & Officijs, finem sibi debent præstituere, & quid eosdem obseruare oporteat quammaximè?

Prima Conclusio.

Reipublicæ bonū, esse debet præcipuus Prælatorum omnium finis.

REipublicæ bonum, & peculiaris Congregationis cuiuslibet, & vt diuinæ atq; humanæ obseruentur leges, vnicus ac præcipuus, esse debet Prælatorum Regularium, omniumque in vniuersum iudicum optatissimus finis. Probatur hæc Conclusio exemplo D. Greg. Papæ, nam vt in ipsius habetur historia, is semper fuit suis præcordijs insitus finis, qui & eūdem è Monasterio expulit, ac summū Pontificatum, renitentem & quodammodo inuitum, accepta re compulit. Vnde & ad hoc propositum fertur de ipso, vt tradunt Doctores grauissimi, solitum fuisse dicere, quod pugnauit diu in pectore suo, cum priuata commoditate, publica vtilitas, sed tandem operante id charitate, vtilitati publicæ, priuatus cessit affectus: quod & in causa extitit, vt summum Pontificatum acceptaret. Magna certe res & summa admiratione digna. Factus autē Pontif. atque totius Ecclesiæ gubernationi incumbens, hoc etiam vnum dicitur, semper præ oculis habuisse, nempe bonum commune, & Ecclesiæ Dei ac totius Christianæ Reipub. vtilitatem publicam. Hoc D. Greg. exemplum, hac in re summopere debent imitari, omnes in vniuersum Prælati siue iudices, diuinum semper honorem, priuato commodo præponere, & vt Respublica, Regularesq; Congregationes in pace conseruentur, & diuinarum humanarumque legum obseruantia, in eis magis ac magis resplendeat, augeatur & crescat. Nihil enim esse credo, Christianæ Reipub. ac Regularibus Congregationibus cunctis, adeo nocium (quod multo nostro damno, experientia ipsa edocēte, plus satis didicimus) quā Prælatos siue judices, postposito cōmuni cōmodo, suo priuato inhærere, itavt de eis merito dici possit, de mēte D. Pauli ad Phil. 2. *quod quæ sua sunt quærūt, non vero quæ Iesu Christi.* Hæc sunt quæ Respublicas omnes, in frusta diuidunt, magnas diuisiones causant, schismataque innumera. Hinc prodeūt æmulationes inter subditos, inuidiæ, rixæ, discordiæ, infectationes, & id generis multa alia gemmina viperarum, quę ex radice prædicti proprij commodi, ortum atque originem ducūt. Hac etiā ratione dixit D. Paulus olim, quod *radix omnium malorū est cupiditas.* Et nos etiā simili modo dicere possumus, quod omnium perturbationum, quæ in religionibus reperiuntur, radix est in Prælatis, affectus proprij, non vero communis commodi. Ad hoc facit quammaxime, quod dicere frequenter solitus erat Titus Liuius olim, & habetur in ipsius 2. lib. *Quod respectus rerum priuatarum semper officit, officietque publicis consilijs, & quod ex priuatis affectionibus, fere omnis humanæ vitæ perni-*

Nota hoc valde, pro prælatis atque iudicibus.

pernicies naſcitur, cum publicum bonum, priuata interdum ſtudia peruertunt. Eſt igitur huiuſmodi priuata, iudicum ſiue Prælatorum vtilitas, ſtudiumque proprij commodi, quaſi radix omnium malorum, quæ in Repub. & Regularibus Congregationibus cunctis ſolent euenire. Quod & faciunt, facereque ſolent ipſi, ad hoc vt melius ac tutius ſemet ipſos in ſuis adminiſtrationibus, dignitatibus, Prælatijs & officijs conſeruent, ſed reuera contrarium omnino interdum ſolet euenire. Vt enim Prouer. cap. 19. & 20. habetur. *Iuſtitia non vero iniuſtitia & iniquitate firmatur ſolium & thronus*, quin vero è contrario, iniuſtitia labitur atque deſtruitur. Et dum ipſi poſthabito communi bono, tantũ modo quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, & proprio incumbunt commodo, ad inſtar Iudæorum, qui vt habetur Ioann. 12. occiderunt Chriſtum, vt non ipſi regnum amitterent, nefando ſuo facto, magna ſtrage propterea magis illud amiſerunt: ſic & eiuſmodi Prælati ſiue Iudices, (Deo illud diſponente & ordinante) vnde in ſuis officijs, ſemetipſos conſeruare ſtudent, iniuſtèque procurant, occulto Dei iudicio, miſerabiliter ruũt atque præcipitantur, idque merito. Contra huiuſmodi prælatos & Iudices, in ſuis adminiſtrationib⁹ & officijs, non quidem vtilitatem publicam, aut commune bonum, ſed priuatum procurantes, rigoroſa⁹ nimiumque horrenda habentur verba: apud Ezechielem Prophetam, cap. 34. *Væ*, inquit, *paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos, nonne greges paſcuntur à paſtoribus? ipſi vero cõtrarium faciebant.* Poſtque in particulari enumerat, quale ipſorum ſtudium erat, nempe comedere lac ouiũ, lanis earum operiri, quod craſſũ erat mactare & occidere, &c. Sed poſtmodum etiã ſubijcit, pœnã eamque grauiſſimam, quę propterea huiuſmodi paſtoribus ventura erat, dicendo inter alia, quod amouebit illos Deus, ab eo officio & paſtorali munere; & tradet illud alijs, & multa alia quæ ibidem ſequuntur neque enumerare per tempus licet. Non video quid ad hoc propoſitum, potuit amplius dici aut deſiderari, quod & euenìſſe haud ſemel, quin vero ſæpiſsime vidimus, neq; id prodeſt vt à ſemel cœpto malo ſuo procedendi modo, velint reſipiſcere.

Secunda Concluſio.

In electionibus faciendis, ſemper ſunt præſtantiores eligendi, in ſcientia, alijs que qualitatibus.

IN electionibus faciendis, curare debent ſummopere, omnes Prçlati ſiue Iudices, vt præſtantiores & ſapientiores, ſemper præficiantur & promoueantur, ne dum eliguntur & aſſumuntur indigni, magnum damnum & ſcandalum alijs exinde emergat ſubditis. Hæc Concluſio alio in loco explicabitur amplius. Sed modo probatur, ex eo quia honor eſt virtutis præmium, quo fit vt prçeminentia, officia, dignitates & præfecturæ, non niſi dignis & honoratis viris, ſapientia & virtute præditis ſint conferendæ, contrariumque facere, præter quam quod expreſſe eſt contra iuſtitiã, eſt etiam contra omnem prorſus rationẽ, & cõtra bonam gubernationem, & vergeret in magnũ damnum, detrimentum atque excidium totius Chriſtianæ Reipublicæ. Facit ad hoc, textus *in l. omnes honores. C. quando prouocare non eſt neceſſe, & cap. vt debitus honor, de apellation.* Vbi ad hoc propoſitum habetur, quod iudicare ac Iudicum ſiue Prælatorum officium habere, honor eſt & dignitas quammaxima, & quod huiuſmodi munera & officia, indignis non ſunt præſtanda. Contrarium facientes vt ſupradiximus quæſt. 4. Art. 2. concluſ. 1. ſunt ſicuti qui mittebant olim lapidem in aceruum Mercurij, & idolatriç quoddammodo committũt crimen, mortaliterque proinde, atque grauiſſime peccare. Diximus etiam ſupra quæſt. eadem art. 1. inter alias partes, qualitates & conditiones, ad Iudicum ſiue Prælatorũ munus requiſitas, vnã & ex præcipuis, eſſe ſcientiam atque ſapientiam, cuius ſummopere in Electionibus faciendis, habenda eſt ratio, cum ſine ipſa à Prçlatis ſiue Iudicibus, vix quippiam boni ſperari poſſit. Eſt enim inquit, D. Thom. lib. 1. de Regimine Principum. cap. 15. & deſumpſit illud ex D. Gregor. in paſtorali, & ex D. Chryſoſt. in poſteriorem Epiſtolam ad Corinthios, homil. 15. *Regendi & gubernandi munus, ars omnium ſumma, & difficilior inter omnes totius mundi artes, indigetq; proinde ſciẽtia & ſapiẽtia nimia.* Quod etiã in telligens olim Salomon, poſtquam à Deo Optimo Maximo, pro Iſraelitico populo gubernando, fuit aſſumptus in Regem, quod primum omnium ab eo expoſtulauit obnixe, ac ſummis precibus petiuit, fuit ſapientia, vt habetur 3. Regum 3. *Tu* inquit, *Domine Deus, regnare feciſti ſeruum tuum, pro Dauid patre meo, ego autem ſum puer paruulus, ignorans egreſſum, & introitum meum, & ſeruus tuus in medio eſt populi quem elegiſti, populi infiniti qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo ſapientiã, vt populũ tuũ diiudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum, &c.* & dicit ibi ſacer textus. *Quod placuit ſermo iſte coram Domino, eo quod Salomon poſtulaſſet huiuſmodi rem, & dedit illi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante ipſum, ſimilis illi fuerit aut poſtea ſurrecturus ſit.* Eſt igitur ſcientia & ſapientia, ſummopere neceſſaria, ad Prælationẽ quãlibet, & ad regimen & gubernationem populi. Qua etiam ratione habetur in Scriptura ſacra, Mach. 1. cap. 2. Simonem filium Mathathiæ, cõſtitutum fuiſſe Iſraelitici populi Principem, eo quod ſapiens eſſet, & vir vtique conſilij. Hæc duo in Prælatis atque Iudicibus cunctis, vt dictũ eſt, ſummopere neceſſaria ſunt, eo præſertim quia vt dicitur in *l. 1. ff. de iuriſd. omnium iud. & habetur etiam in cap. forus de verb. ſignif.* iudicare populum, nihil eſt aliud quam ius dicere, & quod ſuum eſt tradere vnicuique. Quod quonam pacto, facere vllo modo poterunt, qui non fuerint ſapientes, litteris non vacauerint, ius ciuile aut Canonicum nunquam conſuluerint, ac vt dicitur, neque ab ipſis primis liminibus ipſum ſalutauerint? profecto male.

Quam neceſſaria ſit ſciẽtia & litterarum peritia, in Prælatis atque Iudicibus.

Gubernandi munus & officiũ, eſt ars artium, & ſciẽtiã ſciẽtiarũ, multaque indiget ſapientia, vt recte fiat.

Sed præter ſapientiam, ſcientiam & qualitates alias ſupradictas, in electionibus faciendis, nimiũ etiam oportet aduertere, vt ad Prælationes eligendi & aſſumendi, ſagacitatem & prudentiam habeant, quoad maxime fieri poterit. Sunt enim in ipſis ſummopere neceſſarię, ad perſpiciendos interdum & perſcrutandos ciuium ſeu ſubditorum animos, & intentionem multoties deprauatam. Vt enim dicebat olim Diocletianus Imperator, *Sæpiſsime ſubditi & ciues, Iudices atque Prælatos decipere intentant, & procurant quammaxime.* Ad quod euitandum damnum, oportet vt & ipſi, præter ſapientiã & ſci-

Præter ſciẽtiã & ſapientiã, oportet etiam Prælatos ſiue iudices, eſſe prudentes & ſagaces.

& ſcientiam, quam habuerint, ſint etiam prudẽtes aſtuti & ſagaces. Quibus ſi adiungatur aliqua rerum experiẽtia, nihil omnino erit hac in re, quod amplius debeat aut poſſit deſiderari. Experientia enim interdum doctrinam ſupplet & ſcientiam, cum ſit (vt dicitur) omnium rerum magiſtra, & in multis caſibus viſum eſt prodeſſe & valere experientiam, ſine doctrina & ſcientia, cum è contrario nihil prædicta valeant, ſi Iudices atque Prælati, non habeant coniunctam aliqualem experientiã.

Tertia Concluſio.

Quantum ſtudere debent, Prælati & Iudices, vt ſibi ſubditi ſatisfaciant obligationi.

QVod etiam ſummopere Iudices atque Prælati ſtudere debent, in recta ſuorum munerum & officiorum adminiſtratione, ac præ oculis multum eoſdem habere oportet, eſt, vt quammaxime fieri poſſit ſibi ſubditi, proprio incumbant muneri, & ſuæ ſatisfaciant obligationi. Hæc concluſio multis poſſet Iuribus comprobari, quæ habentur in Decreto & Decretalibus, in tit. de Regularibus & ſtatu Monachorum, vbi hoc ſummopere Prælatis commendatur. Sed alijs omiſſis inter omnia appoſitiſſimum eſt, *c. vltimum, de ſtatu Monachorum, §. ipſi etiam,* vbi Honor. III. ſcribens Abbatibus & Monachis in Lombardia & Marchia Teruſina conſtitutis, agens de ſuorum Monachorum inſtructione & correctione, & de obſeruandis in ipſorum viſitatione, poſt alia in ſequentia verba prorumpit. *Ipſi etiã Viſitatores, Monachos quos contumaces inuenerint & rebelles, iuxta modum culpæ vice noſtra Regulari cenſura percelliant, abſque perſonarum delectu, non parcendo rebellibus ob eorum pertinaciam vel amicorum potentiam, quin vero ouem morbidam ab ouili eijciant, ne oues ſanas inficiat, vt enim dicitur, vna mala pecus inficit omne pecus.* Huic ſimile eſt illud quod dixit etiam olim D. Hieronym. ſuper Ezechiel. lib. 4. & in Epiſt. ad Galathas cap. 5. & refertur in Decreto à Gratiano *in cap. reſecandæ. 24. q. 3. reſecandæ,* inquit, *ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à cauſis repellenda, ne tota domus maſſa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, atque intereant.* Quod exemplũ Arrij comprobando, ait, *Arrius enim in Alexandria, vna tantum fuit ſcintilla. ſed quia non ſtatim fuit oppreſſa, totum orbem eius flamma, eſt populata.* Facit & ad idem, dictum D. Auguſtini lib. de correptione, & gratia. cap. 15. & refertur in *cap. corripiantur eadem cauſa & quæſt.* vbi ferè ſimilia habentur verba.

Quam ſit Deo grata, iniquorum punitio, illique diſpliceat iniqua interdum miſericordia.

Diuus etiam Chryſoſtomus, Sermone de Abſalon, inquit, *quod ſemper ſcelera, dum non reſecantur increſcunt, & in augmenta facinorum proſilitur, quoties ſecura immunitate peccatur.* Non eſt etiam his diſſimile, quod dixit olim Cicero, in Vatinium, *quod ſicut Medici membrum putrefactum ſæpe incidunt, & quandoque in totũ eradicant, ne aliã corporis partẽ labefactare aut corrumpere poſſit, ſic,* inquit, *neceſſe eſt, ſi Rempub. ſaluam eſſe volumus, vt perditiſſimos homines, ex vrbe penitus extirpemus, ne ipſi corrupti alijs noceant.* Ouidius etiam ad hoc propoſitum dixit in 1 Metamor. quod *Immedicabile vulnus enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.* De Seneca etiam refert Accurſius *in l. Prouincia C. de feriis,* dicere ſolitum fuiſſe, *quod non poteſt Deo pinguior victima mactari, quam dum reus iniquus punitur.* Hoc igitur vt ad propoſitum vnde digreſſus ſum redeam ſummo ſtudio curare debent omnes Iudices ſiue Prælati, ſibi ſubditos quo tenentur amore proſequentes, ipſorum vitia & delicta ſumopere vt oderint pro ſuo poſſe eadem puniendo emendando & caſtigando, procedendo, ſi opus fuerit, vſque ad eorum extirpationem, peneshoc Dauidem Regium Pſaltem imitantes, qui à Deo Opt. Max, olim Rex, ac Iudex Iſraëlitici populi conſtitutus, de ſe ipſo dicere ſolitus erat ſequentia verba Pſal. 100. *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, facientes prævaricationes odiui. Non adhæſit mihi cor prauum, declinantem à me malignũ non cognoſcebam. Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar. Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum, ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio Domus meæ, qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum,* poſtque concludens, quoad vitiorum extirpationem, aiebat, *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Verba certe ſunt iſta, aurea & mira, quæ & proinde Iudices & Prælatos præ oculis ſemper habere oportet. Aduerto etiam omnia ſuperius dicta procuranda & facienda licet ſint in omnibus, ſpecialiter tamen fieri debere in Iuuenum & adoleſcentium correctione, cum quibus, prout refert Plutarch. in Lycurgo. *Lacedæmonij rigoroſe nimis ſe gerebant, caſtigantes eos, vt dicitur, coram altari Dianæ, ita vt ibidem interdum verberibus quaſi ſemimortui ſuccumberent.* Neque id immerito, cum ſicuti dixit Diogenes, *Adoleſcentium educatio, totius ſit Reipub. fundamentum & reformatio.* Circa hanc Iuuenum & adoleſcentum correctionem, multa forent dicenda, & quamplurima habentur in Prouerbijs Salomonis, quæ breuitatis gratia facio miſſa, vt non in hiſce rebus, tempus videamur conſumere, hoc ſolummodo contentus dixiſſe, quod eorum correptio, nullo modo eſt diſſimulanda, ſed ſtatim facienda, nam vt dixit Terentius olim in Adelphis *nimia indulgẽtia in ipſis in magnũ ſemper damnum ſolet prouenire.* Pro quo maximè facit quod dixit olim Sapiens Eccl. 7. *Filij tibi ſunt,* inquit, *erudi illos & curua eos, ab ipſorum pueritia.* Idem omnino dixit in Prouerbijs, ſed maximè cap. 20. & 30. *Curua cervicem filij tui in iuuentute ſua, & iunde latera eius dum infans eſt, ne forte induretur & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Et iterum, *noli,* inquit, *ſubtrahere a puero diſciplinam. ſi enim percuſſeris eum virga, nõ morietur, tu virga percuties eum ſed animam eius liberabis de inferno.* Quæ in ſupradictis locis, à Salomone dicta ſunt de patribus & de eorum filijs intelligenda perinde ſunt propter ſimilitudinis rationem, de cunctis in vniuerſum Prælatis & Iudicibus, & ſummopere ea ipſos oportet aduertere, circa iuuenum ſibi ſubditorum, non prætereundam, aut diſſimulandam, ſed ſtatim faciendam debitam correctionem, vt iuxta ſententiam D. Gregorij, *qui ſtulti fuerunt in culpa, fiant ſapientes in pœna,* habentur ſupradicta verba, *in paſtorali 1. par. ca. 1.* & lib. 15. Moral. cap. 23. referunturq; à Gratiano in cap. qui ea. diſt. 38.

Nota hoc vide, proinuenã correctione.

Quarta Concluſio.

CVm ſupradictis omnibus ſtat, vt non ſit alienum, aut contra rationem, boni Prælati, ſubditorum

Non eſt cõtra rationem boni

Prælati, aliqua interdū peccata, non grauia ſed leuia diſſimulatione præteriri.

torum ſuorum delicta non grauia, ſed leuia interdum diſſimulatione præterire, quin verò quando que id facere maxima erit ſapientia, & prudentia. Hæc Concluſio, in primis poteſt comprobari, ex eo quod dixit olim ſapiens Prouerb. 30. & Eccleſiaſt. 7. *noli eſſe nimium iuſtus. nam qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.* Sunt etiam ad hoc propoſitum innumera Iura & capita, in Decreto Gratiani, 23. q. 3. per totam, quæ breuitatis gratia facio miſſa. Sed facit ad hoc quammaxime, *cap. ipſa pietas*, quod eſt D. Aug. Epiſt. 50. ad Bonifacium, vbi dicitur, *quod non ſemper in eos qui peccant, vindicta eſt exercenda.* Facit & *cap. quod Chriſtus*, quod eſt D. Ambroſij lib. 7. Commentariorum ſuper Lucam, cap. 9. Vbi etiam dicitur, quod Chriſtus olim diſcipulos ſuos increpauit, pro eo quod ignem ſuper eos deſcēdere cupiebant, qui ipſum non receperant. Per quod (inquit D. Ambroſius) Prælatis oſtenditur, *non ſemper in eos, qui peccauerint, vindictam eſſe exercendam, quia nonnumquam amplius prodeſt clementia, Prælato ad patientiam, ſubdito vero lapſo ad correctionē.* D. etiam Gregor. lib. 19. Moral. cap. 23. reprehendit Prælatos, ſiue Iudices, qui ita ſunt rigidi ſiue diſtricti. vt omnem etiam manſuetudinem benignitatis amiſiſſe videantur. Alios verò eſſe dicit ita mā ſuetos, vt omnino perdiderint diſtricti Iura regiminis. & concludēdo dicit, quod nō hoc aut illo, ſed medio quodam modo eſt procedendum, ſubditorum delicta leuia interdum diſſimulādo, ſed cū illa fuerint grauia grauiter etiam puniendo pulchrè dictum. Licet enim multum interſit Reipubl. Congregationibusque cunctis, vt non delicta maneant impunita, id tamen intelligendum eſt de delictis grauibus ac publicis, non tamen de leuibus, & occultis, quæ paterna potius correctione, quam publica animaduerſione, corripi & emendari debent. Quod facere, quammaxima erit ſapientia, atque prudentia. Hoc etiam multum Prælatis Regularibus, & Eccleſiaſticis, Concilium Tridentinum commendat, ſeſſione 13. cap. 1. Vbi eoſdem alloquendo, dicit. *Vt recordentur ſe eſſe paſtores, non percuſſores, ac meminerint quod ita præeſſe debent ſubditis, vt non in eis dominentur, ſed illos tamquam filios, & fratres diligant; elaborentque vt ipſos hortando, & admonendo, ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen*, inquit, *ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, ſeruanda eſt ab eis, Apoſtoli illa præceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent, in omni bonitate, & patientia, cum ſæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam auſteritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam poteſtas. Sin autem ob delicti grauitatem, quandoque virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt.* Verba ſunt expreſſa ſupradicti Concil. Tridentin. & qui dem notatu digniſſima, ſummopere à cunctis iudicibus, ſed maxime à Prælatis Regularibus conſiderāda, obſeruanda ac ſemper præ oculis habenda.

Nota hoc valde, contra Iudicū ſiue Prælatorū, ſeueritatē nimiā.

Nota valde quod delicta grauia & publica ſemper ſunt puniēda, leuia vero & occulta, interdum diſſimulāda, aut paterna caſtigatione corrigenda.

(*)

ARTICVLVS VI.

Quantum debeant Iudices & Prælati Regulares, à donis recipiendis, & muneribus abſtinere.

Prima Concluſio.

Omni Iure Canonico, atque Ciuili, prohibitū eſt, Iudices ſiue Prælatos dona recipere.

OMni iure Canonico, & Ciuili ſtrictè prohibitum eſt, cunctis Prælatis atque Iudicibus, dona & munera à ſibi ſubditis recipere. Hæc Concluſio probatur in primis, *ex cap. qui recte, cap. pauper, cap. non licet. 11. q. 3* facit etiam, *& capit. non ſane. 14. quæſt. 5. & l. plebis cito, ff. de offic. præſidis, lex ſolent. ff. de officio proconſulis, & lex 1. C. de pœn. iud.* & *tradit Gloſſa in leg. 3. C. de conditione ob turpem cauſam.* Iure etiam antiquo diuino in lege Moyſi olim tradito, idipſum erat interdictum, vt conſtat ex illo Deuteronomij, cap. 16. vbi alloquens Deus Optimus Maximus, cum omnibus in vniuerſum Iſraelici populi Iudicibus, ac ſi cum vno dūtaxat in particulari loqueretur, poſt alia in ſequentia verba prorumpit: *Non accipies perſonam, ſeu perſonas*, vt litera alia dicit, & ſubdit, *nec munera*, cuius rationē reddens, inquit quod *munera excæcant oculos ſapientum & mutant verba iuſtorum.* Quibus ſimilia verba habētur etiam Exod. cap. 23. Salomon item in Eccleſiaſt. 20. dicit, *quod xenia, & dona excæcant oculos iudicum, & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorū*, ac ſi expreſſius dixiſſet. Statim ac Iudices ſine Prælati, xenia munera & dona accipiunt, quaſi mutos omnino reddi, facultatemque amittere loquendi, corrigendi & corripiē di ſibi ſubditos, ad quod propoſitum, quam maxime facit quod 1. Regum cap. 8. de filijs Samuel dicitur, *quod declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntque munera, & ſtatim peruerterunt iudicium.* Facit & illud quod olim dixit Gregorius Nazianz. orat. 23. nempe, quod *aurum eſt tyrannus quidam occultus, qui omnes vt plurimum peruertit actiones humanas, eaſque illidit.* Cicero etiam in Verrem ea de re agens, inquit, *nihil adeo eſſe ſanctum atque munitum, quod non expugnari poſſit pecunia.* Salomon item Prouerb. 22. cernens pecuniam, ſeu dona, ad quodlibet obtinendum, medium eſſe efficaciſſimum, *victoriam, & bonorem acquirere*, inquit, *qui dat munera.* Leo etiam Magnus ſerm. 9. de paſſione Domini, de Pilato faciens verba, dicit, propter auaritiā occidiſſe Chriſtum, & addit. *nullum eſſe iuſtitiæ veſtigium, in corde illius Iudicis, in quo auaritia ſibi habitaculum fecit.* D. præterea Ambroſ. in Epiſtolam primam ad Corinth. de his agens, inquit, *libertatē arguendi amittere & peccare, qui ab eo accipit, qui ideo dat, vt ne corrigatur.* Hanc ob cauſam Iſaias cap. 33. de rectis agens iudicibus, dicit, *quod qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitat.* Habetur hoc etiam in ſupradicto, *c. qui recte 11. quæſt. 3.* vbi Gloſſa explicans illa verba, *ab omni munere*, allegat, *cap. ſunt nonnulli. 1. q. 1.* vbi dicitur munera in triplici eſſe differentia, debēreque Iudices abſtinere ab omni munere, manus, ſcilicet, linguę, & obſequij. Quod etiam dicit Gloſſa, *in cap. ſtatutum de reſcrip. §. in ſuper*, ibi, *nullum munus*, vbi & notat, quod triplex eſt munus à ma-

Dona & munera excæcāt oculos Iudicum & Prælatorum, mutantque ipſorum verba.

Nota quod triplicia ſunt munera, manus linguæ & obſequij.

à manu, à lingua, & ab obſequio, & quod ab omni tali debent Iudices abſtinere. Quidnam ſit munus à manu, dicitur in ſupradicto, *cap. ſunt nonnulli*, quod eſt pecunia, munus à lingua, fauor, munus ab obſequio, ſubiectio indebite impenſa. A quibus omnibus nimium oportet Iudices abſtinere, vt debito ſuo fungantur officio, & munere, & recte obſeruari poſſit iuſtitia. Videatur hac de re D. Thom. 2.2.q.100.art.5. vbi latiſſime agit de ſupradicto triplici munere. Videatur etiam hac de re Syluester, verbo iudex, 1.q.8. num.13. vbi latiſſime tractat qualiter Iudices tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares, ſe debeant habere quoad munera, & expenſas, & quantum ad Salaria ſuſcipienda pro ſe & ſuis officialibus

Secunda Concluſio.

Eſculenta & poculenta recipere, licitũ erat olim Iudicibus, ſed iam hodie, neque id permittitur Hiſpaniarum legibus.

LIcitũ olim erat Iudicibus, recipere eſculẽta & poculẽta, ſed in Hiſpania, iã hodie Regalibus Legibus idipſum eſt prohibitũ. Anverò in alijs partibus liceat id nunc facere, nõ curo: aliorum ſit iudicium. Prima huius Concl. pars probatur, *ex cap. Statut. de reſcrip. in 6. & ex dicta l. plebiſcito. ff. de officio præſ. & l. ſolent. ff. de offic. proconſulis*, vbi habetur, *quod muneris, vel doni appellatione, non veniunt intelligenda, eſculenta, & poculenta, quæ intra proximos dies cõſumuntur.* Et redditur ibi ratio ab Vlpiano, *nam valde*, inquit, *inhumanum eſt á nemine aliquid accipere, paſſim viliſſimum, omnia vero auariſſimum.* Hęc quoad 1. partem cõcluſionis, quoad 2. dico quod quicquid ſit de Italia vbi hoc, vt dicit præſcripta conſuetudine habetur, quod eſculẽta, & poculenta recipi poſſint, in Hiſpaniarum tamen partibus iam deſuetum, & illa iura quibus eſculenta, & poculenta prędicta recipi permittebãtur, correcta ſiue antiquata ſunt, & de iure Regio nouo, quodlibet munus recipere, cunctis Iudicibus eſt prohibitum, *per l. 7. tit. 15. lib. 2. ordinam. & l. 5. titul. 9. lib. 3. nouæ recop.* an id ita ſtrictè ac verè ſeruetur vti par erat ac præcipitur, aliorum eſto iudicium, non enim eſt mei muneris idipſum diiudicare in præſentiarumve determinare. Videatur ſupradictus Syluester loco vbi ſupra, & etiam q. 9. num. 14. & quæſt. 10. num. 15. vbi ad propoſitum de cunctis in vniuerſum iudicibus, dicuntur multa, eaque notatu digniſſima. Videatur etiam Nauar. in Manual. c. 25. n. 12. & Aragon de iuſtitia & iure ſuper, 22. S. Thomæ, q. 71. art. 4. in vltimo dubio. & nunc nouiſſime Salon etiam de iuſti. & iure in 1. tom. eadem quæſt. & artic. contro. 1. vbi de obligatione qua cuncti tenentur iudices, quæcumque recepta reſtituere, etiam ante iudicis cõdemnationem, agit latiſſime, quæ pro iſto art. ac tota quæſtione dicta ſufficiant. o

QVAESTIO. VI.

De Generali Capitulo, & electione Generalis Miniſtri, in ſacro noſtro minorum ordine, & de ijs, quæ ad dictũ Capitulum celebrandum ſpectant, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quonam tempore in noſtro ſacro Minorum Ordine, celebrandum ſit Generale Capitulum?

Quidnam ſit Capitulum, & quot ſint Capitulorũ genera, ſiue ſpecies?

PRO Huius Articuli intelligentia præmittendum duxi, quid ſit Capitulum? Et prętermiſſis alijs huius nominis acceptionibus & ſignificationibus, quæ referuntur à Syluestro, *verb. Capitulum. num. 1.* dico cum Ioanne Andrea, *in cap. Capitulum. de reſcriptis*, quod Capitulum quantum attinet ad præſens propoſitum, dicitur illa multorum, ſed pręcipue Religioſorum Congregatio, qui certo aliquo determinato tempore, & loco, ad aliquid peragendum cõueniunt in vnum. Quæ capitula interdum dicuntur Generalia, tunc ſcilicet, quando Religioſi ad ipſa, omni ex parte congreganturinterdum verò Prouincialia, quando non omnium ad illa fit conuocatio & conuentio, ſed Vocalium vnius tantum Prouinciæ. Dicuntur etiam capitula, quandoque Conuentualia, quando facto ſigno ad iuſſum vnius Conuentus, ſiue Monaſterij Prælati, Religioſi certis quibuſdam diebus congregantur, & conueniunt ad Capitulum. Quo præmiſſo ac præſuppoſito, quæritur in præſentiarum, quonam tempore in noſtro ſacro Minorum Ordine, ſit congregandum, ſiue celebrãdum Generale Capitulum? Propoſitæ difficultati Reſpondetur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quo tempore ſecundum noſtram Regulã eſſet celebrandum Generale Capitulũ?

EX vi noſtræ Regulæ, Capitula Generalia celebrari habebant, ſingulis tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, ſicut à Miniſtro Generali fuiſſet ordinatum. Hæc Cõcluſio conſtat ex verbis expreſſis eiuſdem Regulæ, poſitis in cap. 8. Vbi omnibus in vniuerſum Prouincialibus Miniſtris præceptum imponitur, vt teneantur dicto tempore ſemper inſimul conueni re, vbi

re vbicumque à generali Miniſtro fuerit conſtitutum, quod eſt vnũ ex præceptis obligatorijs eiuſdem Regulæ. Quod qualiter nunc ſit adimplendũ amplius dicetur inferius.

Secunda Concluſio.

Prædictus ordo celebrandi generalia capitula, obſeruatus fuit à triennio in triennium ab origine noſtræ Religionis, vſq; ad annum 1517 quo tempore facta fuit generalis reformatio totius Ordinis.

PRædictus Ordo & modus celebrandi generalia capitula, à triennio in triẽnium, vel ad aliũ terminum maiorem vel minorem, ſicut à generali Miniſtro fuiſſet ordinatum, ſemper obſeruatus fuit in noſtro ſacro Minorum Ordine, ab ipſius origine & inſtitutione, vſque ad annum 1517. quo tempore ſub Leone X. facta fuit totius Ordinis generalis, & vniuerſalis reformatio. Hæc concluſio ſatis conſtat ex Chronicis & ſacri Ordinis noſtri monumentis, & maxime ex Memoriali quod inibi habetur, Capitulorum omnium, quę celebrata ſunt à tempore ſanctiſ. Patris noſtri Franciſci, vſq; ad annum ſupradictum. In prædicto verò anno, congregato generali Capitulo Romæ in Conuente de Aracæli, ſub prædicto Leone X. facta eſt (vt dixi) totius Ordinis generalis & vniuerſalis reformatio, & nouiter tradita eſt forma celebrandi generalia capitula. Nam vſq; ad illud tempus, omnes noſtri Ordinis generales Miniſtri fuerunt perpetui, vt & eſſe deberent ſecundum Regulam: neque in generalibus capitulis, noui eligebantur generales, niſi forſan in aliquo ex caſibus, in eadẽ Regula contentis, nempe propter deceſſum, quando generalis Miniſter mori contingebat: vel ſi aliquo tempore apparebat vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum, eundem non eſſe ſufficientem ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum, tunc enim temporis tenebãtur prædicti Fratres, Miniſtri Prouinciales, & Cuſtodes, quibus iuxta Regulam electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem. Ad quod faciendum indicebatur, & congregabatur capitulum generale. Id autem raro aut nunquam factum eſt, vt conſtat ex ſupradictis monumentis, & Chronicis noſtri Ordinis, ſed vt plurimum olim, omnes noſtri ſacri Ordinis gener. Miniſtri, vel in ſuis miniſterijs decedebant & vitæ ſuæ valedicebant, aut à Summis Pontificibus vocabantur & aſſumebantur, ad magnam aliquam dignitatem, Cardinalatus ſeu magni cuiuſdam Epiſcopatus vel Archiepiſcopatus, prout ibidem licebit videre, & tunc ſtatuto tempore, ad electionem alterius generalis Miniſtri, generale congregabatur capitulum, ſicq; fuit communiter obſeruatum in praxi, vſque ad annum ſupradictum 1517.

Tertia Concluſio.

Ab anno 1517 capitula generalia, celebrari cœperũt, á ſexennio in ſexennium.

AB anno 1517. incepit mos celebrãdi generalia capitula, quod licet ſexennio ex Decreto, & conſtitutione ſupradicti Leonis X. Pont. Max. Hoc habetur expreſſum in Bulla quæ communiter dicitur Vnienis, quæ incipit, *ite & vos in vineam meã*, data Romæ apud Sanctum Petrum anno ſupradicto 4. Kalen. Iunij, Pontificatus ſui anno 5. In qua quidem Bulla ſequentia poſt alia verba habentur *Volumus, & ordinamus, prout in dicta Regula Beati Fracisci continetur, vnum Miniſtrum generalem totius Ordinis, de cætero omnibus & ſingulis Fratribus eiuſdem Ordinis, cum plenaria poteſtate, quæ ex Regula ſibi competit præfici. Cui omnes & ſinguli prædicti Fratres, in omnibus quæ non ſunt contra Deum, animam & ſuam Regulam firmiter teneantur obedire. Qui quidem Miniſter generalis per ſex annes ad plus Generalatus fungetur officio. Infra quẽ terminum, ſi aliquo tẽpore apparer. t. vniuerſitati Miniſtrorũ Prouincialium & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum generalem, non eſſe ſufficientem ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio dicti Miniſtri generalis data eſt, in nomine Domini aliũ ſibi eligere. Quibus quidem ſex annis vt præfertur expletis ipſo facto ſit abſolutus á Generalatus officio, & pro tali ab omnibus habeatur. Electio vero Succeſſoris, fieri debeat à ſolis Miniſtris Prouincialibus & Cuſtodibus reformatis, tam Ciſmontanis quàm Vltramontanis, in capitulo generali dicti Ordinis in feſto Pentecoſtes, in loco, quem Miniſter generalis cum capitulo generali proxime præcedenti duxerit aſſignandum.* Hæc omnia obſeruata fuere, per plures annos, vſque ad annum 1571. quo tempore Pius V. Pont. Max. quadam alia ſua Bulla quæ incipit, *Paſtoralis officij.* Data Romæ 28. die Maij, Pontificatus ſui anno 6. decreuit & ſtatuit, q officiũ generalis Miniſtri duraret octo annis, quod & obſeruatum fuit etiam toto tempore Gregorij XIII vſque ad tempora Sixti V. qui anno 1587. alia ſua Bulla, quæ incipit. *Et communis cura paſtoralis officij*, Data Romæ, apud ſanctum Marcum 29. die Iulij Pontificatus ſui anno 3. cõfirmauit ſtatutum quod factum eſt ibidem, vt iuxta antiquam noſtri Ordinis conſuetudinem, officium generalis Miniſtri duraret tãtummodo ſex annis, ſicque obſeruatur vſq; hodie, & quolibet ſexennio ad electionem noui generalis Miniſtri, generale congregatur capitulum nationis, alternando quoad celebrationis locum: nam quandoque fit apud Ciſmontanos, iam verò apud Vltramontanos, prout in eadem ſupradicta Bulla Leonis X. prius extitit ordinatum, de quo in ſequenti Articulo dicemus latius.

Notaquod ab anno 1571. ſtatutum fuit vt generalis Miniſter eſſet octennius, tẽpore Pij V. Pont. Max.

Ab anno 1587 tẽpore Sixti V. iterũ fuit ordinatũ, vt officiũ generalis Miniſtri tantũ per ſexennia duraret.

ARTICVLVS II.

De modo & forma ſeruanda in noſtro ſacro Minorum Ordine, pro celebrãdis generalibus capitulis.

AT Quæ dicenda ſunt, expreſſius ac clarius eluſceſcant, & cum opus fuerit præ manibus habeatur, ordo & forma ſeruanda in celebrandis noſtris generalibus capitulis, quæ circa hoc ſtatuta atque ordinata ſunt, dicentur ſequẽtibus concluſionibus.

Prima Concluſio.

In quolibet generali Capitulo, cõſtituẽdus & aſſignãdus eſt locus, pro ſequẽti generali capitulo celebrando.

IN quolibet præcedenti generali capitulo conſtituẽdus atq; aſſignandus eſt locus, vbi ſequẽs generale capitulum erit celebrãdum, ita habetur expreſſum in ſupradicta Bulla Leonis X. vbi poſtquã ſtatutũ eſt, quod expletis quibuslibet ſex annis, generalis Miniſter ipſo facto ſit abſolutus à generalatus officio, & quod pro tali ab omnibus habeatur, agendo de electione ſucceſſoris dicitur, vt *fiat iuxta Regulam, in feſto Pentecoſtes, in Capitulo generali dicti Ordinis, in loco, quem generalis miniſter*

tum Cap. Generali proxime præcedẽti duxerit aſſignandũ. Verum eſt tamen, quod poteſt Generalis Miniſter vel Commiſſarius generalis, de conſilio aliquorũ Patrum Diſcretorum ordinis mutare locum Capituli generalis aſſignatum, aliqua ſuperueniente euidenti neceſſitate, quamuis non poſſit differre Capitulum ſua propria auctoritate vltra tempus conſtitutum, nempe vltra Vigiliam Pentecoſtes, cuiuslibet ſexennij, quinuero inuiolabiliter fieri debet electio Gener. Miniſtri, quandocunque faciẽda eſt, vel Commiſſarij generalis ſiue Miniſter generalis aut Cõmiſſarius generalis venerit, aut non venerit, & etiamſi plures defuerint Vocales, prout habetur expreſſum in noſtris Conſtitutionibus gener. vulgo dictis, *Barchinonenſibus, Reformatis in Capitulo Toletano*, c. 8. ſub titulo de Capitulo generali totius Ordinis. Id quod communiter obſeruatur in praxi.

Secunda Concluſio.

Ad ſupradictũ generale capitulũ, venire, & congregari debẽt omnes, quib' generalis Miniſtri electio cõpetit ſecũdũ Regulam.

AD ſupradictum generale Capit. celebrandum venire tenentur omnes, quibus ex Regula, cõpetit electio ſupradicti generalis Miniſtri, qui, vt ex eadem conſtat, olim erant tantum Miniſtri Prouinciales & Cuſtodes. Hoc etiam habetur expreſſum, in ſupradicta Bulla Vnionis, vbi dicitur, *quod ad dictum capitulum, omnes Miniſtri, & Cuſtodes ſiue Vocales, tam Ciſmõtani, quam Vltramontani accedere teneantur, cum ſit vnum ex præceptis noſtræ Regulæ.* Vbi & notandum venit illud verbum *Vocales*, pro eo ibidem fuiſſe poſitum, quia ex Conſtitutionibus gener. noſtri Ordinis, à Summis Pont. approbatis, Miniſtri gener. & Cõmiſſarij generales, Procurator etiam & Commiſſarius Romanę Curiæ, Vocales ſunt conſtituti, & vocem habent in ſupradicta electione, conuenireque proinde tenentur ad locum capituli, & contrarium facientes, niſi legitime fuerint præpediti, per noſtras generales Conſtitutiones loco vbi ſupra officijs priuantur. Sed Prouinciales Miniſtri & Cuſtodes, (vt dixi) ad id tenentur ex ſpeciali præcepto noſtræ Regulæ, quod nõ obſeruando peccabunt proinde mortaliter, niſi excuſentur ex aliqua iuſta & rationabili cauſa.

Tertia Concluſio.

De litteris cõuocatorijs, mittẽdis pro celebrando generali capitulo.

VT Vocales ſupradicti nulla poſſint tergiuerſatione excuſari, conſuetudine eſt poſitum ac generalibus noſtris Conſtitutionibus præceptũ, vt omnes, ad quos ſupradicta electio ſpectat, conuenienti tempore citentur per Miniſtrum generalẽ, quod fit mittendo ad omnes totius mundi Prouincias, patentes, ſiue Conuocatorias litteras, quibus indicetur, & referatur locus & tempus celebrandi ſubſequentis generalis Capituli, quod ſi forſan aliquos ex ipſis contigerit non venire, capitulum nihilominus generale erit celebrandum (vt dictum eſt) cum illis ſolis, qui ex vna ſiue ex vtraque natione aut familia acceſſerint, & ſi ob aliquod impedimentum, generalis Miniſter non venerit, Commiſſarius generalis, qui actu fuerit, præſidere debet in dicto Capitulo generali. Illo autẽ deficiente, Prouincialis illius Prouinciæ erit Capituli Præſes. Hæc omnia habentur in prædictis conſtit. generalibus Barchinonenſibus, ſiue Toletanis, de nouo reformatis, in ſuprad. 8. capitulo.

Quarta Concluſio.

Quid debeãt fieri in Capitulo generali, ſtatim ac Vocales congregantur, quod ſit feria ſexta ante Feſtũ Pẽtecoſtes.

COngregatis ſupradictis Vocalibus, ad locũ capituli, quod ad minus fieri debet feria ſexta ante feſtum Pentecoſtes, ad horam prandij, antequã ad electionem procedatur, Diffinitorium congregari debet eodem die Veneris, quo conuenerint, ad ſyndicationem faciendam, de præterito generali Miniſtro. In quo quidem Diffinitorio ad hunc effectum præſidere debet Commiſſarius generalis; & eo abſente Miniſter Prouincialis illius Prouinciæ, in qua capitulum generale celebratur, vocẽque deciſiuam habebunt idem Commiſſarius generalis, & omnes Patres, qui fuere olim Miniſtri, ſeu Commiſſarij generales, & Prouincialis Prouinciæ, & Diffinitores generales præcedentis capituli. Generalis verò Miniſter, in hac ſyndicatione reperiri non poteſt, quinuero à Diffinitorio debet diſcedere, vt eo abſente, libere poſſint agere contra illum, ſi qui ex Prouincijs accuſare eũ velint, ſeu aliquas aduerſus eum adhibere querelas, neque vllam habebit vocem ibidem. Præſidẽs verò prędicti Diffinitorij, perſpectis ac viſis primum litteris teſtimonialibus vniuerſorum Vocalium ſub ſigillis autenticis, Miniſtri vero Prouinciales loco litterarum oſtendere debent ſuarum Prouinciarum ſigilla, requirat ab eis an aliquid habeant dicendum de exceſſibus præteriti generalis Miniſtri, & ſinguli teneantur bona fide manifeſtare inſtrumentum autenticum litterarũ à Prouincijs tranſmiſſarũ, & quod fuerit ſyndicatum, quę literę debẽt publice legi in Diffinitorio, & earũ ſubſtantia generali Miniſtro manifeſtari, eique audientia & copia ad ſe excuſandũ, & exonerandũ præberi. Et interim quieſcunt ac deliberant ſupradicti Vocales, vſq; ad mane ſequentis diei, qui erit Sabbatum Vigiliæ feſti Pentecoſtes. Hæc omnia habentur in dictis conſtitut. generalibus, loco vbi ſup.

De ſyndicatione generalis Miniſtri faciẽda qualiter & à quibus fieri debeat.

Quinta Concluſio.

Qualiter ſit procedendum in dicta ſyndicatione generalis Miniſtri & collatio circa eamdẽ faciẽda.

SVpradicta ſyndicatione facta, Miniſtroq; generali audito, cõmunis collatio habetur, ſuper accuſationibus ipſius, & Præſidẽs in Diffinitorio ſingulorum vota publicè requirit, conſcriptiſq; votis & mox in medium recitatis, iuxta ſententiam maioris partis, ad correctionẽ vel liberationẽ ſupradicti Miniſtri proceditur; cuius quidem correctio vel cõmendatio, reſeruatur vſq; ad ſequens mane, in quo fieri debet electio ſequentis generalis Miniſtri. Quo quidem tempore antequã ad prędictam electionem procedatur, generalis prædictus in loco capituli, officio ſuo renunciabit, culpaſq; ſuas recognoſcet corã Præſide & omnibus Vocalibus dumtaxat, & Prçſidẽs, iuxta id, quod fuerit decretum in ſupradicta ſyndicatione, generalem Miniſtrum condemnabit vel liberabit, aut etiam commendabit. Habetur vbi ſupra.

Sexta Concluſio.

Capitulũ generale in vno ſexennio celebrari debet, in vna familia, alterũ ve-

VT Pax in noſtro ſacro Ordine, quantum cum Deo fieri poterit cõſeruetur, in ſupradicta Bulla Leonis X. ac in dictis conſtitutionibus generalibus ſtatutum eſt, vt quando vnũ totius Ordinis generale capitulum, coactũ ac celebratũ fuerit in vna familia, alterum in alia celebretur, item quod dum generalis Miniſter, vno ſexẽnio de Ciſmontanis fue-

vo in alia, idē que eſt obſer uandū de generali Miniſtro eligendo

nis fuerit electus, iterum ſequenti ſexennio alius de Vltramontanis eligatur, quem modū celebrā di capitula, & eligendi generalis Miniſtri, alter natis vicibus, ſupradictus Leo in perpetuū voluit obſeruari, ſicq; inuiolabiliter obſeruatur, cō muniterq; habetur in praxi, neq; circa hoc ſpecialiter, aliquid de nouo occurrit dicendum ſupradicta etiam habentur loco vbi ſupra.

Septima Concluſio.

Quid ſit faciē dum Sabbatho ſummo mane, in quo libet Generali Capitulo.

IN quolibet generali capitulo Sabbato vigilia Pentecoſtes, ſummo mane poſt Primam, cantatur Miſſa de Spiritu ſancto, & pulſatur ad Capitulum, vbi poſtquam conuenerint omnes vtriuſque familiæ Vocales, cantatur Hymnus. *Veni Creator*, poſtea dicitur verſus. *Emitte ſpiritum tuum*, & oratio. *Deus qui corda fidelium*, cum alijs conſuetis: dein de Latino ſermone fit collatio ſiue ſermo Fratribus in communi. Quo peracto, pulſis omnibus, qui non ſunt de corpore Capituli, proceditur ſtatim ad poſtremum ſyndicarionis actum ſiue viſitæ Miniſtri Generalis, in quo ipſe facta ſui officij renunciatione, culpas ſuas recognoſcet coram Vocalibus dumtaxat: & Præſidens vel eum cōdemnabit aut liberabit, ſiue etiam commendabit vt dictum eſt. Et ſi dictus Generalis ex prædicto ſyndicationis actu liber euaſerit, præſidebit in electione ſui Succeſſoris, & in omnibus alijs actibus & electionibus, adeſſeq; poterit in Diffinitorijs, in quibus omnibus habebit vocem vt Apoſtolica Conſtitutione eſt cautum, & ſtatim procedetur ad electionem alterius Generalis Miniſtri, qui non neceſſario eſſe debet de corpore Capituli, quinuero abſens optime eligi poteſt, & Seraphicus Pater noſter D. Bonauentura abſens fuit electus, vt conſtat ex Chronicis & Monu. Ordinis. Hæc omnia hinc inde petita habentur expreſſe, in noſtris Gener. Conſtitutionib. loco etiam vbi ſupra.

Octaua Concluſio.

De diſquiſitoribus eligē dis, pro electione Generalis Miniſtri, & modo & forma, qua facienda eſt electio.

PRo hac Generalis Miniſtri electione, ſex à Præſide Capituli eliguntur Diſquiſitores, vtriuſq; familiæ reſpectiuè, cum conſilio Diſcretorum Patrum: tres de vna familia & totidē tres de alia, & continuo mittuntur ſuffragia in vaſibus ad id muneris deputatis, quæ ſuffragia & vota, per ſcrutinium & ſchedulas ſumūtur, ad eum modum quo in reliquis electionibus, vt ſuo proprio dicetur loco. Regulatiſq; ſuffragijs à Præſide & Diſquiſitoribus in menſa in loco Capituli præparata, coram præſide, ſi habeatur electio & maior pars votorū, & ſuffragiorum in vnum conuenerit, ab vno Diſquiſitore fit ipſius publicatio, modo dicendo in concluſione ſequenti. Hæc omnia habentur etiam in ſupradictis Generalibus Conſtitutionibus, loco ſupracitato: vbi etiam præcipitur, quod omnes in conclaui recludantur, ita quod nullus inde exire valeat, neque eis alimenta præſientur donec Generalem Miniſtrum elegerint, ita vt eodem die Sabbathi, habeatur alius Generalis Miniſter electus, præſens vel abſens.

Nona Concluſio

De modo & forma, qua publicāda eſt electio Generalis Miniſtri.

PVblicatio ſupradictæ electionis, facienda eſt ad hunc modum. *In nomine Patris & Filij & Spiritui ſancti Amen. Hæc eſt electio, Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis, totius Ordinis Minimorū Sancti Franciſci, canonice celebrata per dicti Ordinis Patres Reuerendos Vocales, iuxta Regulam Capitulariter congregatos in præſenti Conuentu N. Ciuitatis, ſeu loci. N. anno Domini N. die vero N. In qua electione Reuerendus Pater. N. habet tot voces, & Reuerendus Pater. N. habet tot, Reuerendiſſimus autem. N. habet tot. Et ego Frater. N. eiuſdem Ordinis Profeſſor, ac Prouinciæ. N. Miniſter vel Cuſtos, vnus ex Diſquiſitoribus, nomine meo & nomine omnium aliorum, qui in dictam electionem conuenerunt & conſenſerunt, nomino & eligo in eiuſdem totius Ordinis Generalem Miniſtrum, præfatum Reuerendiſſimum P. Fratrem. N. in quem maior pars vocum conſenſit, ſicque electum denuncio, In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Hic eſt modus publicandi electionem Generalis Miniſtri, deſumptus ex ſupradictis noſtris Generalibus Conſtitutionibus loco vbi ſupra, vbi etiam habetur, quod prædicta electione facta, auctoritate Apoſtolica, ac ex vi talis electionis, & præſentis Conſtitutionis, prædictus Generalis Miniſter, habeatur pro confirmato, ſine aliqua vlteriori diligētia. Et ſtatim Cātor ſiue Vicarius Chori, incipit. *Te Deum laudamus.* Et pulſatis omnibus Conuentus campanis, omnes ad Eccleſiam vadunt in proceſſionis forma, vbi abſoluto Hymno, dicitur verſus, *Confirma hoc Deus*, &c. & alij verſus & orationes, qui dici conſueuerunt in Prælatorū aliorum confirmatione. Quibus peractis præſes Capituli facit breuē collationem quamdam qua eumdem confirmat, ſeu potius dicit eſſe auctoritate Apoſtolica cōfirmatum, & tunc Generalis Miniſter ſurgit & ſedet in ſella ad hoc ibidem præparata, acceduntque omnes ſuam benedictionem accepturi.

Decima Concluſio.

De modo & forma, eligendi Commiſſarij Generalē & Diffinitores generales

POſt prandium verò eodem die, iterum Vocales conuocantur ad Capitulum, in quo omnes conueniunt, & qui fuerint de familia, ex qua erat Generalis Miniſter, qui in dicto Capitulo compleuit ſuum officium, eligunt ſuum Commiſſarium generalem, qua electione peracta, eliguntur duodecim Diffinitores generales vtriuſque familiæ, ſex ex vna familia, ſex vero ex alia, ita quod vnaquæque familia, quæ diuerſis reſpectibus, iam Ciſmontana iam vero Vltramontana nuncupatur, ſex ſuos eligat Diffinitores, de quorum electione pro nunc non libet aliquid dicere, quia in proprio ſuo dicetur loco, cum de his omnibus agemus in particulari, & vt expediamus, quæ pertinent ad celebrationem ſupradicti Capituli Generalis. Solum eſt aduertendum, quod tam dictus Commiſſarius Generalis, quam Diffinitores ſupradicti, à Generali Miniſtro habent confirmari. Quibus omnibus actis ad hoc propoſitum nihil dicēdum ſupereſt, præterquā quod in ſupradictis Conſtitutionibus generalibus ſtatuitur, idq; merito, quod ad omnia ſuperius dicta nullus ſęcularis ſeu alterius Religionis Frater, vllo modo admittatur, eſtque hoc quammaxime rationi conſonum, atque omnino proinde obſeruandum, habetur vbi ſupra.

Vndecima Concluſio.

De Diſcretorio, ſingulis diebus congregando, atque de ipſius præſide.

SIngulis diebus, quibus durabit Generale Capitulum, congregandum erit Diſcretorium, in quo omnes Vocales ſimul conuenient, ad deliberandum de his, quæ ad noſtrum ſacrum concernunt Ordinem, quod vt commodius fiat, ſtatuitur vt à Generali Miniſtro ſeu Capituli præſide, aſſignetur Religioſus vnus, qui prædicto Diſcretorio ſit Præſidens, & quod ſit ſemper de corpore Capituli, qui etiam curam habeat congregandi Diſcretorium hora competenti, & proponendi, atque in ſcripto reſoluendi, quæ ibidem ſunt diſcutienda, quæ omnia poſtea in Diffinitorio proponuntur, vt approbentur vel reprobentur.

De Diffinitorio etiã ſingulis diebus congregando.

Item ſingulis diebus Diffinitorium habet congregari, in quo collatio fiat ſuper his, quæ de Prouincijs ad Capitulum ſunt tranſmiſſa, vt ordine ſuo in eodem videãtur, & ibidem omnes cauſæ diffiniantur, & terminentur. Prædicta etiam habentur vbi ſupra. Statutum eſt etiam ibidẽ, quod nulla ſtatuta poſſit Diffinitorium condere, ſine conſenſu maioris partis Capituli, nec totum Capitulum aliquid valeat diffinire, ſine approbatione maioris partis Diffinitorij. In quo etiam Procurator Ordinis & Romanæ Curiæ Commiſſarius, eligi debent & nominari, & in tabula conſtitui, in qua etiam conſtituuntur omnes electiones, & reliqua quæ in Capitulo Generali fuerint facta. Interim tamen dum hæc aguntur, & ſupradictum Capitulum Generale durat, ſingulis diebus habentur Concio nes in miſſa maiori, & poſt prandium Concluſiones, ſecundum ordinem quem Generalis prætes ritus, præfixerint obſeruandum.

De Procuratore & Commiſſario Romano, eligendis, ſiue nominandis.

De Concionibus & Concluſionibus, ſingulis dieb' publice habẽdis.

Duodecima Concluſio.

De modo ſedẽdi, & de præcedentia in generali Capitulo.

AD euitandam in ſedendo confuſionem, decretum atque ſtatutum eſt, in ſupradictis generalibus conſtitutionibus loco vbi ſupra, vt in dicto Capitulo Generali, vtriuſque familię præcedentia ſic ordinetur. Ad partem dexteram collocantur omnes Vocales qui ſunt de illa familia, in qua Capitulum Generale celebratur, inter quos primum locum in dextera, tenet Generalis Miniſter à ſuo officio abſolutus, quamuis non ſit de illa familia, in qua Capitulum celebratur. Nam durante Capitulo in quo eius expirat officiũ, cęteros omnes debet præcedere, quamuis poſtmodum poſt peractum Capitulum, ſeruare habeat ſuam antiquitatem cum alijs, qui iam fuerunt Generales Miniſtri. Secundus ſuccedet, Commiſſarius Generalis. Tertio ſequuntur, qui fuerunt olim Generales Miniſtri, ſuam inter ſe antiquitatem ſeruãtes. Quarto ſedere debent, qui fuerunt etiam olim Cõmiſſarij generales, electi ſecundum Bullam Vnionis. Quinto ſequũtur Diffinitores nouiter electi, deinde Miniſter Prouincialis Prouinciæ, in qua celebratur Capitulum, poſt ipſum Procurator generalis Ordinis, deinde Commiſſarius Romanæ Curiæ, poſt quos ſuccedent Miniſtri, ſecundum ordinem Prouinciarum, & ſuo modo Cuſtodes, ita vt ſi cõmode fieri poſſit, Cuſtodes non miſceantur cum Prouincialibus. Commiſſarius autem generalis Indiarum, qui in Curia Catholiciſſimi Hiſpaniarum Regis reſidet, à dextris, vel à ſiniſtris, ſupra Procuratorem vel Commiſſarium Romanæ Curię, ac Miniſtros & Cuſtodes ſuæ familiæ ſedebit, prout eiuſdem familiæ viciſſitudo fuerit. Secretarij verò Ordinis in dictis Comitijs Generalibus, poſt Patres Ordinis immediate ſequuntur, vt conſtat ex generalibus Cõſtitutionibus Italiæ editis c. 8. de præcedentia in fine, vbi prædicta omnia expreſſe habentur. Et hæc de modo & forma celebrandi generale Capitulum, dixiſſe ſufficiant.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm omnes ſacri noſtri Ordinis Fratres, teneantur ſemper habere vnum Generalem Miniſtrum?

Concluſio.

Ex vi noſtræ Regulæ, omnes tenemur ſemper habere vnũ Generalem Miniſtrũ.

RÆceptum eſt obligatorium, vnumque ex contentis in noſtra Regula, quod omnes noſtri ſacri Ordinis Fratres, vnum ſemper teneantur habere generalem Miniſtrum. Hæc Concluſio probatur, expreſſis verbis eiuſdem Regulæ, poſitis in cap. 8. vbi ſequentia habentur verba. *Vniuerſi Fratres, vnum de Fratribus iſtius Religionis, teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſeruũ totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.* Quæ ſupradicta verba exponens Clemens V. *in Clement. Exiui de paradiſo, de verborum ſignific.* dicit eſſe obligatoria, vimq; præcepti habere, ſicut & eandem habent, vbicumq; in noſtra ſupradicta Regula, apponitur hoc verbum, *Teneantur.* quod dicit, Ordinem noſtrum communiter ab antiquo obſeruaſſe & ſenſiſſe, & quod à Fratribus obſeruari debet ſicut tale. Sed aduertendum eſt, quod quando dicitur quod tenemur habere ſemper vnum Generalem Miniſtrum, intelligi id quidem poteſt dupliciter, vel poſitiue, aut negatiuè. Negatiuè ad hunc ſenſum, quod non habeantur plures generales Miniſtri, ne Religio noſtra ſit biceps & monſtruoſa, ſi duo habeat capita æque generalia, & principalia. Eſſet enim hoc cauſa ſchiſmatis, atq; diuiſionis, vt enim dixit olim Chriſtus Dominus, Luc. 11 *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur,* & ſic explicant prædicta verba, noſtræ Regulæ expoſitores, ſed præſertim D. Bonauentura, in expoſitione ipſius cap. 8. annotans, & ponderans verbum illud, *vnum*, illudque confirmans ex exemplo Chriſti Domini, qui vnum Apoſtolorum dum taxat præfecit cæteris, nempe D. Petrum. Ad quod etiam probandum adducit illud Ezech. 34. *ſuſcitabo ſuper eos Paſtorem vnum, qui paſcat eos ſeruum meum Dauid,* &c. Poſitiuè etiam poſſunt intelligi, ad hunc ſenſum, quod ſcilicet tenemur habere, vnum Generalem Miniſtrum, tanquam totius Ordinis caput, ne noſtra Religio ſit Acephala & ſine vno principaliori capite, quod etiam confirmat ſupradictus D. Bonauentura loco ſupracitato, dicens, quod ſine vno & quidem ſano capite, nulla poteſt Reſpublica bene ſtare. Pro hac vnitate vnius Generalis Miniſtri, quamplurimum inuabit ſcire hoc eſſe deſumptũ ex Euangelio, & factũ ad inſtar & imitationẽ Chriſti, qui vt habetur Mat. 9.

dixit

dixit Diſcipulis ſuis, *quod Magiſter ipſorum vnus erat Chriſtus*, & Ioann. 10. dixit etiam, *quod ex multis fidelibus fieri debebat, vnum ouile & vnus Paſtor.*

Nota pro vnitate Generalis Miniſtri, & euitanda pluralitate.

Sed notandum circa id quod dicitur in prædicto loco, nempe quod ſupradictus Generalis Miniſter, eſſe debet vnus de Fratribus iſtius Religionis, poſitum eſſe ad inſinuandum & demonſtrandum, vt aduertit Doctiſſimus Pater Frater Antonius de Corduba, explicando prædictum Capitulum Sanctæ noſtræ Regulæ quæſtione prima, puncto primo, quod Generalis eſſe debet de noſtra Religione profeſſus, nec vllo modo poſſumus vllum alium ordinis alterius habere Generalem Miniſtrum, cum hoc Regula expreſſe dicat, ſitque iuxta ipſam præceptum obligatorium, præterquam quod vt ſupra diximus quæſt. 3. art. 4. contrarium facere, quodammodo eſſe videretur contra rationem naturalem, prout latiſſime probauimus, *ex Clementina, 1. de electione, & ex capit. cum cauſam eodem titul. & ex capit. in noua actione 16. quæſt. 7.* vbi diximus diuina olim lege fuiſſe vetitum, *ſimul arare in bone & aſino.* Quæ quidem verba explicans ibidem D. Iſidor. inquit, hunc ſenſum efficere, ideſt, *homines diſparis ſiue diuerſæ profeſſionis, non in vno & eodem officio ſociabis.* Aduertit etiam ſupradictus Corduba, hoc quod dicitur in Regula quod vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis, teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius fraternitatis, quamuis ſpecialiter pertineat ad Miniſtros Prouinciales & Cuſtodes, & ad alios, quibus conuenit eligere prędictum Miniſtrũ, ſi tamen ipſi opportune & debite noluerint, aut prætermiſerint eum eligere, ex cauſa odij ſeu ambitionis, aut ex alia quacumque cauſa culpabiliter, cum tamen negligentia ſit notabilis, tunc (inquit) omnes Fratres quantum in ſe eſt, & vt commode poterunt, procurare tenentur, quod fiat prædicta electio Generalis Miniſtri, & ſi fieri non potuerit per electionem, quod fiat alio debito modo inſtitutus ſeu nominatus à Papa, ſeu alias vt oportet. Quod probat exemplo petito ex obligationibus communibus, nam certum eſt, quod quando deficiunt illi quibus conuenit ſatisfacere alicui obligationi communi, quilibet alius tenetur eidem, vt communiter tradunt Doctores in 4. ſent. d. 16. adducentes in huius rei confirmationem illud præceptum Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*, quod omnes in vniuerſum homines obligat in communi, & quemlibet in particulari, in caſu, quo deficeret alius &c. Sic igitur in propoſito. Explicans etiam verba illa vltima ſupradicti præcepti. *Et ei teneantur firmiter obedire*, inquit prædictus Corduba, quod obedientia ſupradicti Generalis Miniſtri iteratur & multiplicatur in Regula, & ponitur in diuerſis partibus, atque Capitulis ad inſinuandum & oſtendendum, quod ipſi obediendum eſt fortius ac firmius quam cæteris Ordinis Prælatis, tanquam ſummo totius Ordinis capiti: quæ de iſto art. dicta ſufficiant.

Generalis Miniſter eſſe debet de noſtra Religione, & nullo modo ex alia eligi poteſt.

Nota quod in obligationib' communibus quilibet remanet obligatus & deficientibus alijs illud teneatur adimplere.

Nota quod obedientia Generalis, ſtrictior eſt alijs & magis obligatoria.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm fuiſſet expediens, quod in toto noſtro ſacro Minorum Ordine, non eſſet niſi vnus dumtaxat Generalis Miniſter?

Nota quod tria ſunt regiminis genera. Ariſtocratia, Democratia, & Monarchia

PRo huius Articuli pleniori intelligentia ſunt aliqua præmittenda. Et primo oportet adnotare ex D. Thom. lib. 2. de Regimine Principum, capit. 2. quod tria ſunt in Repub. Regiminis, ſeu gubernationis genera, ſeu potius ſpecies. Prima harum dicitur. *Ariſtocratia*, quæ eſt gubernatio paucorum ſapientiũ, atque potentium, cum poteſtate, & libertate regendi, & gubernandi Remp. quomodo regitur & gubernatur hodie Venetiarum Reſpublica. Secunda dicitur, *Democratia*, quæ eſt gubernatio multorum ciuium, ſeu quædam popularis potentia, quomodo gubernatur Genuenſium dominatio, ſiue Reſpublica. Tertia dicitur, *Monarchia*, quæ eſt vnius tãtum gubernatio. Nam Monarchiæ nomen, deriuatur à *Monos*, quod Græcè, eſt *vnus*, & ab *Archos*, quod eodem idiomate ſignificat *Principem*, vnde & *Monarchia*, idem pollet quod vnus Principatus, ſeu regnum vnum, quod regitur ſiue gubernatur ab vno Principe. Hac de re, videndus eſt, Ariſt. 3. Politic. c. 10. & 8. Ethic. 10.

Nota quod inter omnia regiminis genera, Monarchicũ eſt omniũ optimũ.

Secundo præmitto ex cõmuniori ſentẽtia, inter ſupradictas Regiminis ſeu gubernationis ſpecies aut genera, Regimen Monarchicum, omnium eſſe præſtantiſſimum ſupremumq; locum, & principatum tenere, quod tenet, & probat prædictus D. Tho. loco ſupracitato, & eſt expreſſa ſententia D. Aug. lib. 1. de Ciu. Dei c. 1. & communiter omniũ Theologorum, quinvero & iuriſperitorum. Quæ de re videnda ſunt, quæ dicit Nau. *in c. nouit. de iudicijs, n.* 15. & Symãc. lib. 3. de Repub. c. 2. & 3. & lib. Catholicarum inſtitutionũ, tit. 45. n. 9. vbi ad hoc propoſitum adducit innumeras Doctorum antiquorum auctoritates, Homeri, Platonis, Iſocratis, Senecæ, & Ariſtotelis. Ac Quinti Curtij, quas in præſentiarum breuitatis cauſa referre nõ libuit. Hac etiam de re videatur Stobæus in ſuis ſermonibus Serm. 47. & Tiraquel. de Iure primogen. q. 4.

Nota multa pro Monarchica gubernatione, & regimine.

Ad quod etiam probandum, innumeræ adduci poſſunt rationes. Et primo probari id ipſum poteſt experiẽtia, nam vt dicitur, Græci & Romani olim omnibus ſupradictis vſi gubernationibus, ſiue gubernandi modis, experientia ipſa edocente, alijs poſthabitis, vt potiorem atque principaliorẽ, Regnum ſeu Monarchicum imperiũ elegerunt. Quod & eo excellentius alijs duobus eſſe dicitur, quanto magis ad vnitatem reducitur, quę eſt princip ũ omnis numeri, quę excellentia in Monarchia prædicta reperitur, ſi quidem per eam, omnes ciues per vnum caput, vnumq; Principem reguntur & gubernantur. Ex quo etiam regiminis ſeu gubernationis genere, minora pericula timentur, minuſque in ipſo tyrannidis reperitur. Licet enim in hac vita miſerijs, fallacijs atq; calamitatibus plena, nullus vnquam dari poſſit ſtatus, ſeu gubernationis modus adeò exactus, omnibuſq; ſuis numeris,

ris,abſolutus,vt non alicui ſubſit periculo:in regimine tamen Monarchico minora experiuntur damna,ac timentur pericula. Timetur quidem & merito, ex Ariſtocratia, quæ eſt gubernatio paurum diuitum ſapientium,& prudentium, ne eiuſmodi regiminis modus,propter malam hominum inclinationem, facili negotio in monopolium,ambitionem,proprium commodum,ſiue propriã vtilitatem deuoluatur,haud modicum ineſt periculi ex Democratia & populari regimine, ne minores poſthabito communi bono ad ſuum priuatũ attendentes,contra maiores inſurgant & conuertantur,in magnum totius Reip. excidium atque pernicié. At in regno ſeu regimine Monarchico licet etiã nõ deſit aliquid quod in eo & merito poſſit timeri,omnes tamen vnanimiter dicunt,minora eſſe in illo pericula atque inconuenientia,& ſi Rex fuerit vti par eſt,ipſumq; eſſe conuenit eiuſmodi principatus regendi & gubernandi modus, longius eſt à ratione tyrannidis, multumque rationi conformius.

Præterea poteſt hoc ipſum ſpeciali alia ratione probari. Nam inter omnes regiminis ſpecies ſiue Principatus,ille melior,atque excellentior alijs,& merito cẽſeri & exiſtimari habet,qui magis accedit ad vnitatem,& maiorem ſimilitudinẽ & cõformitatẽ habet cum regimine Dei,& modo conuerſandi ipſius. Omnis enim noſtra perfectio originẽ ex eo ducit,& creſcit eo amplius, quo noſtra humana cum diuinis magis conformantur: ſed vt experientia conſtat, vnus in toto orbe eſt dumtaxat Deus,qui ſumma ſapiẽtia,ſtabilitate,atque prudentia,totum hunc viſibilẽ,necnon & inuiſibilẽ mundum,ſumma concordia,pace & iuſtitia gubernat,per quẽ,vt habetur Prou. 8. *Omnes Reges regnant,Principes imperant,& potentes decernunt iuſtitiam*:Ergo huiuſmodi regimen inter omnia alia,cenſeri debet melius,potiſſimum,atq; præſtãtiſſimum. Quod & vlterius confirmari poteſt,multis exẽplis petitis à rebus naturalibus. Videmus enim,quod omnia corporis mẽbra, vni coaptantur capiti,per quod & reguntur, nec ſine magno diſcrimine & damno licet mẽbris à capite recedere,vt conſtat experiẽtia ipſa,& habetur in Iure,*in c.cum non liceat. de præſcript.* Apes etiam quæ parua ac minima ſunt quædam animalia, per vnum ſupremum ſuperiorẽ gubernantur,vt tradunt naturales,& habetur etiam in Iure, *in c.apibus 7.q.1.* Grues itẽ teſte D.Hieronymo in epiſt.4.ducẽ etiã vnum habent,quẽ omnes ſequuntur alię. In naui etiã nõ eſt,nec eſſe debet,niſi vnus dũtaxat gubernator. In quouis etiã grandi & copioſo exercitu, non niſi vnus ſupremus Dux, cuius ſignum,& imperium ſolũmodo ab omnibus expectatur. In vna domo non niſi vnicus dominus. Romana itẽ Reſpublica olim duos ſimul Reges ferre non potuit, & licet varijs modis, tẽporibus diuerſis fuerit gubernata,nũquam tamen ad ſubijciendum ſibi vniuerſum orbẽ peruenire potuit, quouſq; ad vnitatẽ peruenit,& ad regimen Monarchicum, quod fuit factum tẽpore Auguſti Cęſaris, vt conſtat ex humanis,atq; diuinis Hiſtorijs. Nam & id habetur Lucæ 2. cuius tẽpore Chriſtus Dominus eſt natus. Dicendum eſt igitur,quod huiuſmodi Principatus ſeu principandi modus,(Monarchicus nẽpe) primatum ſeu primum locum tenet inter omnes alios. Quibus præmiſſis atque præſuppoſitis,vt ad propoſitam difficultatem,vnde neq; ſine cauſa digreſſus ſum,redeam,eidem reſpondeo per ſequẽtem concluſionem.

Concluſio.

Multũ fuiſſet expediens,& in toto noſtro ſacro Ordine non fuiſſet niſi vnicus dũtaxat Generalis Miniſter.

MVltum fuiſſet expediens,quod in toto noſtro ſacro Minorum Fratrum Ordine, conformiter ad noſtram ſacram Regulam & ad omnia,quæ dicta ſunt,non haberetur niſi vnus dumtaxat Generalis Miniſter. Hæc concluſio probari poteſt in primis,ex eo quia ea fuit mens & intentio Seraphici Patris noſtri Franciſci,vt conſtare facile poteſt ex tota ipſius Regula,quæ conſtructa & fabricata eſt,ſuper prędicto regimine Monarchico,quo ipſe contentus,ad ſui Ordinis conſeruationẽ nihil curauit amplius,quam vt omnes eius filij, ſectatores atque diſcipuli,ſub vno eſſent tantummodo capite Generali Miniſtro, eidẽque firmiter obedirent,& ab ipſius obedientia nunquam recederent,tanquam vnius & eiuſdem corporis naturalia membra ſub vno capite. Hoc cum pluries cõmendatum reperiatur in Regula;præcipue tamen habetur in cap.8. vbi expreſſa,quæ ſequuntur,ponuntur verba: Vniuerſi Fratres,vnum de Fratribus iſtius Religionis,teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum & ſeruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quibus & accedit,quod Seraphicus Pater noſter Franciſcus,hũc modum regiminis ſiue principatus,nõ ex ſuo(vt dicitur)deſumpſit capite,quinuero id fecit,ad inſtar,exemplum atque imitationem Chriſti Domini & Seruatoris noſtri,ſuũ inſtituendo Ordinem, ad formam illius,quod ſcriptum in Euangelio reperitur,in quo vt facile patebit intuenti,conſtitutum inuenitur, ſupradictum regimen Monarchicum,dum Chriſtus Dominus, D. Petrum totius ſuæ Eccleſiæ caput conſtituit, qui illam regeret, tanquam vnicus generalis atque vniuerſalis omnium Paſtor,cui etiam omnes tenerentur obedire. Quod etiam Monarchiæ regimen, adamuſſim hodie noſtra ſancta ſeruat mater Eccleſia,vt experientia ipſa conſtat, & multis probat Symancas, lib. ſuo ſupracitato de Catholicis inſtitution. tit. 45.n.9. agendo de Papa. Vbi etiam dicit,quod cum Dei perfectiſſima ſint opera omnia,haud quaquam de eo fuerat credendum contrarium,& quod dilectiſſimę ſuę ſpõſę Eccleſię ſanctę aliud,quã Monarchicum regimen reliquiſſet,cum ipſum omnium ſit aliorum præſtantiſſimum atque potiſſimum. Ex quibus omnibus,cõſtare cuiuis facile poteſt, quã fuiſſet expediens,quod in toto ſacro noſtro Minorum Fratrum Ordine idipſum ſeruaretur,& non fuiſſet niſi vnicus dumtaxat Generalis Miniſter, Cum autem tres habeãtur hodie,Cõuentualium, ſiue Clauſtralium vnus,Capuccinorũ alter, alius etiã noſtrorum Obſeruãtium,neſcio quidnam boni ex hac tã multiplici diuiſione ſperari poſſit. Faxit Deus Optimus Max. ac Summi Põtificis prouidẽtia,vt hæc tandẽ omnia finẽ accipiant:reſq; omnes noſtri ſacri Ordinis,ſua ſumma pietate, clementia atque benignitate,ita bono aliquo medio diſponat & ordinet, vt omnes ad optatam pacem, & vnitatem reducamur,& ſub vno capite totius

totius noſtri Ordinis vnico Generali miniſtro Deo in omnibus, & per omnia vti tenemur, ac par eſt inſeruiamus, & ſicuti omnium noſtrum vnus eſt Deus, vna Fides, vnum Baptiſma, vna eademque Religio, vna dumtaxat totius noſtræ Regulæ obligatio, ita etiam omnium noſtrum, ex tot ac tam diuerſis partibus, Regnis, Regionibus, & Prouincijs congregatis, vnum etiam ſit ouile, vnus paſtor, vnuſque ſolummodo omnium Generalis, atque vniuerſalis Miniſter.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Generalis Miniſter totius noſtri ſacri Ordinis Minorum, ſecundum noſtram Regulam, deberet eſſe perpetuus?

Concluſio.

Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis iuxta Regulã debet eſſe perpetuus.

GEneralis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, ſecundum noſtram Regulam, atque ex mente, & intentione beatiſſimi Patris noſtri Frãciſci, habebat eſſe perpetuus nec alius ex vi eiuſdem Regulæ erat eligendus, niſi per obitũ ſiue deceſſum, aut verò per promotionem, amotionem, ſiue priuationem ipſius. Huius concluſionis veritas conſtat ex expreſſis verbis eiuſdem Regulæ. Vbi poſtquam dictum fuit, quod vniuerſi Fratres, vnũ de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrũ, & ſeruũ totius Fraternitatis, & ꝙ ei teneãtur firmiter obedire, ſubditur, *quod eo decedente, electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus, in cap. Pentecoſtes, &c.* Et paulo inferius dicitur, *quod ſi aliquo tempore appareret Vniuerſitati Miniſtrorũ Prouincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem, ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in cuſtodem.* Ex quibus plane verbis ſatis conſtat, perpetuitas durationis officij Generalis Miniſtri, niſi in prædictis caſibus, obitus ſiue deceſſus, promotionis, priuationis, vel amotionis, propter eius inſufficientiam, aut quippiam ſimile, de quo ſtatim dicemus. Quod in hac noſtra concluſione eſt dictum, per diutini temporis ſpatium, in noſtro ſacro Ordine, vſu & conſuetudine fuit practicatum, atque obſeruatum, vt ſupradiximus in primo Articulo, cõſtatque ſatis ex noſtris Chronicis, & Monumentis, à tempore Seraphici Patris noſtri Franciſci, cuius ſacer Ordo cæpit ab anno 1209. vſque ad annum 1517. vbi in Generali Capitulo Romæ celebrato, ſub Leone X. contrarium fuit ordinatum, vt conſtat ex Bulla, *Vnionis*, dicta, in qua inter alia hoc habetur decretum, quod deinceps Generales noſtri Ordinis, non eſſent perpetui, ſed temporales, nempe ſexennij, ita vt cuiuſlibet Generalis Miniſtri ſexennio expleto, ipſo facto fuiſſet abſolutus à Generalatus officio, & pro tali ab omnibus haberetur, ſtatimque eligeretur alius. Hæc ſunt, quæ ſtatuta ſunt ibidem, & quæ modo inuiolabiliter obſeruantur in praxi. Cum hoc tamen ſtat, vt dictum eſt in concluſione, quod ex vi ſupra dictæ noſtræ Regulæ, atque ex mente & intentione Seraphici Patris noſtri Franciſci, Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, debebat eſſe perpetuus, niſi in ſupradictis caſibus. An verò id fuiſſet expediens, nec ne? in Articulo ſequenti ſtatim dicetur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm fuiſſet expediens, quod Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, atque in vniuerſum Religionum omnium Generales, eſſent perpetui?

DE hac difficultate & quæſtione, quę certè grauiſſima eſt, maximaque conſideratione & animaduerſione digna, agit Doctiſſimus Doctor Nauarr. in tribus ſuę doctrinæ locis, nempe ſuper c. nullã, comm. 3. de Reg. & 2. libr. conſ. de cauſa poſſeſ. & prop. conſil. 1. n. 2. & libr. 3. conſ. de ſtatu Monacho. conſ. 7. n. 8. vbi multis & efficaciſſimis rationibus probat, quod ſanctius atque conuenientius, futurum fuiſſet Religionibus cunctis, vt earumdem Prælati eſſent perpetui quam tẽporales. Et addit quod Prælatorum mutationis deſiderium, eſt nouum quorumdam iuuenum inuentum, eorum ſcilicet, qui per ambitionem atque ſuperbiam, alijs dominari ſemper volunt. Nam, inquit, dicta Prælatorum mutatio, licet aliquo reſpectu, Conuentibus videatur eſſe vtilis ad ſeruanda temporalia, & ad euitanda aliqua mala & damna, quæ ipſe refert ibidem, & in præſentiarum commemorare nõ libet, quinvero placuit ſilentio ea præterire, alia tamen ratione, ad id etiam eſt multum damnoſa, præiudicialis, atque nociua, & quoad ſpiritualia, peſſima, quinuero, & perniciоſiſſima, cum per hoc eneruetur, & minuatur auctoritas Prælatorũ, & Superiorum omnium ad præmianda bona, & punienda & caſtiganda mala. Minuitur etiam, inquit, reuerẽtia charitas, obedientia, humilitas, & concordia etiam ſubditorum, ad ſubeunda Superiorum præcepta, augentur factiones, rixę, diſcordię, murmurationes, adeò vt nihil magis, atque ardentius tractetur in Monaſterijs, quam quomodo per fas ſiue per nefas, iſte aut ille, hoc vel illo modo, vltimo triennij aut ſexennij anno, fiat Superior ſiue Prælatus, qui ſuis fautoribus faueat, contradictoribus verò obſiſtat, &c. Omnia hæc dicit prædictus Nauarro eſſe certiſſima & abſque vlla contradictione, & conſtare experientia ipſa, licet ambitio & dulcedo ſenſualitatis, perſuaſerint multis Regularibus & Religioſis, melius eſſe regimen temporale, triennium, ſiue ſexennium, inuentum ab ambitioſis iuuenibus, quam perpetuum, vt per frequentes mutationes, ipſi alias ignari, atque indigni, aliquando forſan fiant Prælati. Quæ quidem omnia, atque illius fortiſſimæ rationes, ſpiritu, vt videtur, feruenti, & ſapientia plenæ, quibus ad hæc in particulari probanda vtitur, adeò meum commouent animum,

Officiorũ & Prælatorũ Religionum, perpetuitas laudatur quãmaxime, & contrarium reprobatur.

mum, cõuincunt intellectum, vt pro certo teneã, ipſius opinionem, & ſententiam eſſe veriſſimam, atq; certiſſimam: pro qua etiam ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Nulto melius atq; cõuenientius foret, vt generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis omniũq; aliorũ Religionũ Prælati, eſſent perpetui quam temporales.

SEntẽtia & opinio Nauarri & aliorũ multorum, quod multo melius, ac conuenientius foret, vt Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, & omnes in vniuerſum Generales Religionum omnium, eſſent perpetui, quam quod eſſent temporales, triennij, ſiue ſexennij, probabiliſſima, ac ſanctiſſima mihi videtur. Ad hoc probandum dicit in primis Nauarro locis ſupracitatis, quod per hanc Generalium, & aliorum Prælatorum continuam mutationem, multum diminuitur, & eneruatur ipſorum poteſtas in ſubditos, per poteſtatem in eoſdem Monachis, ſiue Religioſis cõceſſam. Pro quo adducit, *cap. viſis. 16. q. 2.* vbi continetur celebre illud ac ſolemne dictum, nempe, *Humani eſſe moris illum timere, cuius iudicio quis nunc erigatur, nunc deprimitur.* Ex quibus verbis colligit prædictus Nauarr. per ſupradictam Prælatorum Regularium mutationem ac temporale gubernium, multum ipſorũ auctoritatem eneruari, & diminui, circa regendos & gubernandos ſibi ſubditos, cum in ſuis officijs, & adminiſtrationibus ab eorum ſuffragijs dependeant, ipſorumque gratiam, atque beneuolentiã, mendicare cogantur, vt non amoueantur, vel vt iterum eligantur. Minuitur etiam (inquit) præterea, eorũdẽ ſubditorum reuerentia, & obedientia, cum propter hoc ijdem eos minus timeant, quia eiſdem indigent. Hęc certè ratio, cuilibet, vel mediocriter in Religionis, & Religioſorum negotijs exercitato videbitur præſtantiſſima atque efficaciſſima.

Nota valde mala, et dãna quæ ſubſequuntur ex Prælatorum continua mutatione.

Sed ſecundo probat idipſum ex experientia, quæ rerum eſt (inquit) omnium magiſtra, vt habetur *in cap. quam ſit, de elect. lib. 6.* ex ipſa autem ſatis conſtat, quod propter ſupradictam Prælatorum mutationẽ, innumera exoriantur in Religionibus ſpiritualia vitia. Oritur enim in primis (inquit) truculenta quædam ambitio, qua bona aut forte maior Monachorum & Religioſorum pars, ad Prę fecturas anhelãt, in ſemetipſis adimplẽtes illud, quod habetur, *in cap. quorundam, de elect. lib. 6.* vbi dicitur, quod quorumdam Religioſorum oculos, ſic vitium ambitionis excæcauit, vt quaſi ſuæ profeſſionis immemores, qui contemptis honoribus, abiectis diuitijs, ipretiſque delicijs, alterius ditioni proprium ſubiugarunt arbitrium, retro aſpicientes ad aratrum, manu miſſa, dum præcipiranter ruunt, in litigiorum anfractus, multis cauſarum ſtrepitibus ſemetipſos inuoluunt. Verba ſunt expreſſa ſupradicti capitis, & ſunt notatu digniſſima, & quæ plus quam par erat adimpleta videntur experientia. Oriuntur etiam (inquit Nauarr.) conuentiones interdum ſimoniacæ, quibus alij alijs, ſuum auxilium, & fauorem futuris temporibus promittunt, quo in præſenti ſibi faueant, contra illud quod habetur, *in c. quam pio. 1. q. 2. & cap. vlt. de pact.*, vbi acriter eiuſmodi pacta, & conuentiones reprehenduntur. Hinc præterea dicit, eneruatio totius Regularis diſciplinæ initium ſumit, dum Prælati ſuffragatoribus ſuis, fauores, honorẽs, indulgentias, licẽtias atque impunitates promittunt, quinuero & dant (quod peius multo eſt) etiam immeritis, ita vt afficiantur interdum honore, qui magna digni erant pœna atque ſupplicio. Oritur præterea, quædam ſubornatio perpetua, peſtilenſque colluſio, qua alij ſibi, alij alijs, in fine triennij, ſiue ſexẽnij, aliorum procurant vota & ſuffragia, contra innumera capitula & iuris canonici decreta, huiuſmodi ſubornationibus & colluſionibus obuiantia, quæ habentur, *in c. 1. toto tit. de colluſione detег. & in c. ſeries. de teſt. & in clem. 2. eodem tit.* & ſæpe alibi. Hinc etiam (inquit) prodeũt factiones & diſſidia, interdum irreconciliabilia, quæ impediunt cultum Actoris pacis, qui non colitur niſi tempore pacis, ac in cordibus pacificis, vt habetur, *in clem. dudũ, de ſepult.* Inſuper & ſuſurrationes, murmurationes & detractiones ferè cõtinuæ, dum alij aliorum veros aut etiam falſos defectus, & vitia, tam naturæ quam morum detegũt & interdum augent, aut etiam falſos imponunt, quo factionis contrariæ perſonarum opinionem bonam tollant, aut ſaltem minuant, iuxta illud, quod habetur, *in c. interverba, 11. q. 3.* Ad hæc & è cõtrario, oritur nonnunquam quædam pax & cõcordia ficta & mala, commendatio etiam & laudatio immodica, & quandoque falſa, qua ſuorum amicorum, & ſuæ factionis perſonas extollunt, & in cœlum vſque efferunt atque eleuant, contra omnẽ Religiolam modeſtiam, quinuero & contra omnẽ rationem prorſus. Supradictis omnibus (inquit dictus Nauarr.) accedit in adminiſtrationibus & gubernationibus ſpiritualibus & temporalibus, quibus Prælati & Superiores, à ſibi ſubditis gratiam atque beneuolentiam mendicare conguntur, ſublatio & eneruatio auctoritatis corrigendi illos, aut aliquid præcipiendi, quod ſit contra voluntatem eorum, contra illud, quod habetur, *in c. cum inter. de conſuet.* Quod adeò verum eſſe dicit, vt experimento didicerit ipſe aut ſaltim ita feratur, electos raro, aut ſaltem eo anno quo eliguntur, nullũ eorũ qui ſibi ſuffragati ſunt, in gratiam ſuorũ ſuffragiorum, caſtigare ſeu ingratum aliquid præcipere audere; quinuero nec ipſis ſuis aduerſarijs vllo modo diſplicere, prouidentes quod elapſo tempore ſui triennalis, ſiue temporalis officij, in ipſorum manus incident. Et tandem vltimo, ait, quod ex dicta temporali adminiſtratione, & gubernatione, exoriri ſolet interdum, inclementia, & crudelitas maxima Prælatorum, vltra quã credi poſſit, ad puniendos, corrigendos & quandoq; etiam inquietandos eos, qui in dictis electionibus vllo ſibi fuerunt modo aduerſati, & etiam occaſione oblata, vel quaſita, ad ejciendos & relegandos illos in alia monaſteria, & nonnunquam conjiciendos in carcerem, voceque actiua & paſſiua priuandos, præſertim ſi per ſtatuta liceat, aliquorum etiam regimen de amicorum conſenſu, in aliud nouum triennium prorogando. Ad quod propoſitum dicit, in quadam Religione ſe vidiſſe, quoſdam religioſos benemeritos pro eo quod cõtradicturi cuidam electioni videbantur, longe ad aliqua negotia fuiſſe tranſmiſſos, & in alia Monaſteria pro pœnitentia agenda, & interdum relegatos, voce actiua, & paſſiua priuatos, & multa alia,

Nota hoc valde, pro Religioſis ambitioſis, officiorum, & honorum.

dicit

dicit, quæ referre in præſentiarum nõ libet. Quibus omnibus ſuum propoſitum atque intentum pleniſſime probat. Quæ quidem Nauarri argumẽta ab experientia deſumpta, & ab his quæ continue in Religionibus multo noſtro malo experiũtur, quam maximi ſunt ponderis atque momenti.

Nota hoc valde, quod ex communi conſenſu Patrũ & fundatorum omnium Religionũ Prælati generales ſemper fuerunt perpetui.

Præterea, ad id ipſum probandum, alia neque minus forti atque efficaci, prædictus Doctor vtitur ratione, deſumpta ex facto & exemplo Sãctorum antiquorum Patrum, Baſilij, Auguſtini, Benedicti, Bernardi, Dominici, & Seraphici Patris noſtri Franciſci, qui vt videre licebit in ipſorum Regulis, non quidem ſine ratione, atq; conſideratione magna, ſtatuerunt, & decreuerunt, vt ſuarum Religionum Prælati, ſed maximè Generales eſſent perpetui, non verò temporales, quod inquit & inuiolabiliter per multorum annorum centurias, in dictis Religionibus fuit obſeruatũ tũc, quãdo Prælati Regulares (ſi dici poteſt abſque cuiuſpiam injuria) erant ſanctiores atque meliores, quam nunc ſint. Si igitur (inquit Nauarro) Religionum omnium Patriarchis fundatoribus prædicta inſtitutio, vtilior & commodior viſa fuit, ſubditorũ quieti, & paci, ac eorum ſpirituali regimini, & ita id inſtituerunt & decreuerunt, non eſſe conueniens videtur, ab eorum antiqua & originaria inſtitutione diſcedere, nouiſque inuentis quorundã iuuenum, Religiones omnes indies inquietari, expoſtulando, & petendo à Summis Pontificibus noua quotidie priuilegia, & ſtatuendo atque determinando, quod Prælati Generales non ſint perpetui, ſed temporales. Efficaciſſima certe ratio, & quæ multum deberet in omniũ cõſideratione venire. Ad hoc etiam probandum, adducit exemplũ Tyberij Cæſaris, qui vt refert Suetonius Tranquillus in ipſius vita, raro aut nunquam mutabat Rectores Prouinciarum, quia nempe experimento didicerat, quam eſſet Reipublicæ conueniens, Magiſtratuũ perpetuitas. Hæc & multa alia ibidẽ contenta, quæ ad hoc propoſitum dici poſſent, breuitatis gratia facio miſſa. Hoc tamen dicere nõ præteribo, quod in ſupradicto lib. 3. Conſiliorum, de ſtatu Monachorum, conſi. 7. in fine, vt huic rei, quæſtioni ac difficultati, vltimam imponeret manum, dixit prædictus Nauarro: *Supradicta omnia, inquit, teſtor atque teſtificor, vt annoſus teſtis & conſultor, ad quem innumerorum peccatorum, tam ſimoniæ, quam ambitionis, ſuperbiæ, factionum, diſcordiarum & murmurationum, cognitio ſequentiſſime, tum per Confeſſarios tã per ipſoſmet Prælatos & ſubditos, pro medicina cõtra ſirmalos quærenda, peruenit. Teſtor, inquam, quod ſi abſque ſcandalo poſſem, antiquum ſtatum perpetuorum Prælatorũ reſtituerem, animi Sancti Patres Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bernardus & etiam Dominicus, & Sanctus ipſe Franciſcus inſtituerunt, ſeruatis ad vnguem Canonibus, quibus Prælati ſuo munere abutentes, deponerẽtur & ejicerentur & ſine vlla negligentia caſtigarẽtur.* Verba ſunt certe iſta notatu digniſſima, vt pote Doctoris ſapientiſſimi, atque doctiſſimi, ſimulq; religioſiſſimi, qui etiam dicit ibidem, quod licèt ex eo quod Prælati Generales ſint perpetui, aliqua interdum ſuboriantur, aut ſuboriri poſſint inconuenientia, nempe tyrannidis, mala adminiſtratio & gubernatio, aut diſſipatio bonorũ temporalium, in eis quorũ Monaſteria & Conuentus, hereditates & prædia, reddituſque annuos habent, hæc omnia & multa alia mala & damna, etiamſi interdum ſuboriantur, ſupradictorum malorum atque damnorum comparatione, adeò eſſe videntur minima & parua, vt de eis nullatenus ſit curandum, cum iuxta cõmunem regulam, quæ habetur in ca. 1. diſt. 18. ex duobus malis minus ſit eligendum, aut etiam toleradum. Hæc ſupradictus Nauarro, quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant. Non propterea damnando aut condemnando Summorum Pontificum Conſilia & Bullas, quibus ad aliquorum inſtantiam, decreuerunt ſeu ſtatuerunt cõtrariũ, & Prælatos eſſe triennales aut biennales, liceat cuilibet opinari quod voluerit, mihi enim tantummodo menti eſt, in præſentiarum referre, quæ cum tanto fundamento, tot innixus efficaciſſimis argumentis & rationibus ſupradictus ſapientiſſimus, doctiſſimus pariter atque Religioſiſſimus Doctor dixit. Hactenus de iſto articulo ac tota quæſtione.

Nota hoc valde.

Exduobusmalis minus eſt eligendum, aut etiam tolerandum.

QVAESTIO VII.

De Generali Miniſtro, quantum ſpectat ad ipſius iuriſdictionem, auctoritatem & poteſtatem in ſibi ſubditos, in qua ponuntur plura, in quibus nihil poſſunt Generales Miniſtri, pro eo quod Summo Pontifici ſunt reſeruata, in duodecim articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quam habeat auctoritatem & poteſtatem in ſuos ſubditos, Generalis Miniſter in noſtro ſacro Ordine?

Generalis Miniſter Sacræ noſtræ Religionis, ex vi ſui officij, Patriarchis ſex Primatibus aſſimilatur & comparatur.

ANTE huius articuli intelligentia præmitto, quod ſacra noſtra Minorum Fratrum Religio, ad inſtar Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, conſtructa atque fabricata, ex vi noſtræ Regulæ vnum dumtaxat habere debet Generalem Miniſtrum & ſeruum huius totius Fraternitatis, Summo Romano Pontifici immediatè ſubiectũ, qui & iure optimo Primatibus ſiue Patriar-

Patriarchis, aſſimilatur & comparatur. Sicuti enim Primas, qui ſolo nomine à Patriarcha differt, vt dixit Anacletus in cap. *Prouinciæ*. diſt. 99. dicitur ille qui præeſt alicui nationi, in qua plures ſunt Epiſcopi, qui ſunt quaſi Prouinciales Prælati, ſic & in noſtro ſacro Minorum Ordine, Generalis Miniſter omni noſtræ præeſt nationi ſiue Religioni, in qua etiam ſunt plures quaſi Epiſcopi, & Prælati, qui communi vocabulo, Prouinciales, vocantur, immediatè illi ſubditi atque ſubiecti. Quos omnes vt dictum eſt ſupra ſtatutis temporibus, ad generalia Capitula conuocat, eo fere modo, quo & ad Concilia Patriarchæ & Primates, ſuæ nationis Epiſcopos quandoque ſolent conuocare. Hac etiam ratione Generalis prædictus cum recipitur prima vice in noſtris Conuentibus, à tota communitate recipitur ad modum cuiuſdam Patriarchæ cum Cruce, cantantes Antiphonam, *Salue ſancte Pater*, & deducitur ad Eccleſiam ante Altare maximum. Ad quod poſt decantatam orationem, accedunt omnes Fratres, illius benedictionem recepturi, cum magna ſolemnitate. Eſt igitur ſepradictorum Generalium Miniſtrorum iuriſdictio, auctoritas atque poteſtas in ſibi ſubditos, per quam ſimillima iuriſdictioni, auctoritati & poteſtati, quam habent ſupradicti Patriarchæ & Primates, in omni ſua natione. Hoc itaq; eſt certiſſimum atque conſtitutiſſimum, quamuis, vt credo, non ita bene ab omnib⁹, vti par erat intelligatur. Sed quid quid de hoc ſit, Doctores iuriſperiti qui hac de re tractant, & agunt de Prælatorum Regularium iuriſdictione, eorum ſcilicet, qui iuriſdictionem habent (vt dicitur) Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem, quales ſunt Generales Miniſtri ſupradicti, & etiam Prouinciales vt ſuo loco dicemus, vnanimiter concedunt, quod poſſunt ipſi circa ſibi ſubditos, omnia ea, in quibus à iure non ſunt prohibiti, & quæ Archiepiſcopi & Epiſcopi de iure poſſunt circa Clericos. Hoc prælijs tenet expreſſe Panormitan. ab omnibus receptus, & circa hoc à nemine reprobatus, de mente Federici & Benedicti, in cap. *etſi clerici, de iudicijs. §. de adulterijs* num. 6. Et Sylueſter verbo, *diſpenſatio*, quæſt. 14. & quæſt. 20. vbi & enumerat plures caſus, in quibus Abbates, & Religioſorum Prælati, non ſolùm ſuperiores, verum etiam inferiores cum ſibi ſubditis poſſunt diſpenſare, de quibus dicemus poſtea in particulari, ac etiam de alijs, in quibus diſpenſare ſunt prohibiti. Ea propter, quò iuriſdictio, auctoritas atq; poteſtas prædicti Generalis Miniſtri in ſibi ſubditos, ſummatim in iſto Articulo, & præmanibus habeatur, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Nota quod Generalis Miniſter de iure communi, cũ ſit verus atque legitimus Prælatus atque ita ſupremus, poteſt in ſibi ſubditos omnia in quibus ſpecialiter nõ eſt prohibitus, & quæ Archiepiſcopi & Epiſcopi in clericos ſibi ſubditos.

Prima Concluſio.

Generalis Miniſter de iure communi ordinario, naturali, diuino atque humano, habet in ſuos ſubditos eandem iuriſdictionẽ, quã

GEneralis Miniſter de iure communi ordinario, naturali, diuino, atque humano, omnem illam auctoritatem, & poteſtatem habet in ſuos ſubditos, quam Archiepiſcopi & Epiſcopi in ſuos: & generaliter circa illos diſpenſare poteſt, in omnibus illis caſibus, in quibus iure non eſt prohibitus. Hæc concluſio procedit vel maximè, præſupponendo ſecundùm multorum probabilem opinionem, quod Monachatus ſiue Monachiſmus eſt de iure diuino, ac iure etiam diuino ſtatutum, vt in Religioſorum Ordinibus, proprij eſſent Prælati ex eiſdem aſſumpti, ad eoſdem regendos & gubernandos. Qua de re plura diximus in præcedenti Tomo quæſt. 13. art. 4. vbi (vt credo) ſatis probabiliter oſtendimus atque monſtrauimus, quod Religioſorum ſubiectio ad ſuos Prælatos, eſt de iure diuino, & non ſolùm de Papali humano. Quo præſuppoſito tanquam certò, certiſſima eſt etiam ſupraposita concluſio. Sed eſto, id non ita foret, quin verò Prælatorum Regularium poteſtas atque iuriſdictio ortum atque originem haberet dumtaxat à iure Papali humano, adhuc certiſſimum eſt, quod ſupradicti Prælati Regulares, iuriſdictionẽ Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalẽ habentes quales ſunt Generales, & Prouinciales, poſſunt in ſibi ſubditos, quidquid Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuos, poſtquam ex iuris diſpoſitione eiſdem in iuriſdictione ſunt quaſi æquales, aut ſaltem quam maxime aſſimilantur illis. Vnde ſicut dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſi nõ fuiſſent prohibiti & nulla eis facta fuiſſet prohibitio à iure, vel Sũmo Pontifice ſeu ab Eccleſia, poſſent in ſuis Diœceſibus, Archiepiſcopatibus, & Epiſcopatibus, quidquid poteſt Sũmus Pontifex in tota Eccleſia, vt expreſſe tenent viri doctiſſimi ſed prælijs Pater frater Franciſcus de Victoria in relectione de poteſtate Papæ & Eccleſiæ, quæſt. 2. num. 28. Soto etiam in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. ita & Prælati Regulares prædicti, Generales ſiue Prouinciales, cum ſint quaſi æquales aut ſaltem ſimiles dictis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in poteſtate & iuriſdictione, ſi nõ fuiſſent prohibit, ipoſſent circa ſuos ſubditos, omnia ea quæ & ipſe Summus Pontifex in tota Eccleſia. Hoc itaque eſt certum. Sed tamen notandum eſt quod multa ſunt in iure, Archiepiſcopis & Epiſcopis prohibita, & ſolummodo Romano Pontifici reſeruata, quæ & eodem ſiue potiori iure, prohibita etiam ſunt Prælatis Regularibus, de quibus dicemus in hoc & ſequentibus articulis. Omnia ſupradicta ſunt iuri cõmuni nimis conſona atque conformia, & videntur diffinita atque determinata, in cap. *nullam*. 18. q. 2. Vbi Pelagius Papa, agendo de Prælatorum Regularium poteſtate, aſſeueranter & abſque vlla diſtinctione dixit, *Quod tota Monachorum poteſtas ad Abbatẽ pertinet*. Super quæ verba, Nauarro in Commentario ad dictum cap. num. 4. notandam eſſe dicit, illam particulam ſiue dictionem, *totam*, per quam ſuo videri, plane datur intelligi, plenitudo poteſtatis ſeu vniuerſalis poteſtas, quam de iure communi ſupradicti Abbates & Prælati Regulares habent circa ſibi ſubditos, tam quoad temporalia quam quoad ſpiritualia, prout in eodem dicto cap. *nullam*, latius continetur. Sed ne cuipiam nominis æquiuocatio, anſam & occaſionem forſan præbeat errandi, aduerto, quod in dicto capitulo, atque decreto Pelagij, non comprehenduntur omnes in vniuerſum Abbates locales, ſed ſolummodo maiores, qui iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habent, quales erant olim, ſuntque multi hodie, in Ordine & Religione ſancti Benedicti, qui à Regibus præſentantur & à Summo Pontifice præficiuntur, & approbantur. Neq; eſt eadem ratio de alijs Abbatibus minoribus, & inferioribus, qui ſubduntur alijs Prouincialibus ſiue Generalibus, quod

Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuos, in quibus non ſũt prohibiti.

Nota hoc val de prouiſione. ritate Prelatorum Regularium.

Nota quibus Prælatis conueniat hæc omnimoda poteſtas.

quod dico, vt ne quis eorum exiſtimet, tantam ſe habere auctoritatem, poteſtatem & iuriſdictionē, erga ſibi ſubditos, quantam habent alij Abbates maiores Prouinciales, ſiue Generales. Hæc incidenter ſint dicta, nam hac de re plura dicturi ſumus infra, quādo agemus de auctoritate, poteſtate & iuriſdictione Prælatorum omnium localiū, ſiue Conuentualium in particulari. Tandem aduerto, quod quando Syluеſter in Summa, verbo, *diſpenſatio*. q. 20. dicit, Abbates diſpenſare non poſſe, niſi in certis quibuſdam caſibus, quos ibi ponit, id intelligendum eſt, de Abbatibus ſupradictis particularibus & localibus, qui erant olim Epiſcopis ſubiecti, & de alijs Prælatis localibus, non habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem, vt expreſſe tenet Panormitan. in dicto cap. *atſi clerici. de iudicijs*. nō verò de alijs. Quo præmiſſo atque præſuppoſito, ſit modo ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Multa ſunt de iure communi prohibita Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & conſequenter ſupradictis Prælatis Regularibus, niſi ex priuilegio ſpeciali.

DE iure cōmuni multa ſunt prohibita Archiepiſcopis & Epiſcopis, & conſequenter proinde Prælatis Regularibus, tam Generalibus quàm Prouincialibus, quæ iure poſtea ſpeciali, atque ex priuilegio, & Summorum Pontificum benignitate conceſſa ſunt ſupradictis Prælatis Regularibus, in quibus auctoritate Apoſtolica, cum ſibi ſubditis poſſunt diſpenſare. Hæc concluſio non aliter poſſet aut deberet probari, quam referendo, & adducēdo ſupradicta ſpecialia priuilegia: ſed quia hęc multa ſunt, & circa multos, varios atque differētes caſus, quos longum eſſet nimis velle in præſentiarum recenſere, nec oportet vt omnia ſimul inuoluantur, & confundantur, ſuo proprio loco dicentur, cum agemus in generali, ſiue in particulari, de ſupradictorum Prælatorum Regularium iuriſdictione, auctoritate & poteſtate, ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis, in certis quibuſdam particularibus caſibus. Hæc pro nunc de iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Miniſter Generalis, in noſtro ſacro Minorum Ordine, circa ſibi ſubditos, poſſit aliquid in rebus & cauſis ſpectantibus ad Fidem?

Nota valde quod ſummus Pont. iure optimo, potuit reſtringere, & limitare Archiepiſcoporum, & Epiſcoporū, & Prælatorum Regularium iuriſdictionē, id quod & effectum fuit de facto.

PRO huius articuli & ſequentium intelligētia, aduertere oportet, id quod & præcedenti Tomo q. 13. art. 7. & in libro noſtro Ordinis iudiciarij, quæſt. 2. art. 8. luculenter oſtendimus, Summum Pontificem iure optimo limitare potuiſſe atque reſtringere, in certis quibuſdam caſibus, prædictorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & conſequēter Prælatorum omnium Regularium iuriſdictionem, fuiſſeque prædictorum omnium auctoritatē & poteſtatem ex ſe reſtringibilem, id quod & effectum fuit de facto. Nam reperiuntur in iure, vt ſatis conſtat, plures caſus & cauſæ, in quibus ſupradicti, nihil omninò poſſunt efficere, nullamq; habent auctoritatem & poteſtatem, eo quod ſunt ſoli Romano Pontifici reſeruati. Quod adeò verū eſt, vt eorum multi non veniant intelligendi, in generali mandato ſiue conceſſione, ſed requiritur vlterius licētia & facultas ſpecialis, iuxta id quod habetur in iure, in cap. *huic ſoli Sedi. 17. diſt. cap. quod tranſlationem: de officio delegati, & cap. licet in tantum, de tranſlat. Epiſcop.* Supradicti caſus ſolummodo Summo Pontifici reſeruati, ex corpore iuris decerpti, ſummatim ac breuiter complectuntur, & referuntur à Syluеſtro in ſua Summa, verbo, *caſus*. q. 17. vbi & dicit eos eſſe num. 50 quorum omnium primus eſt, quæcunque cauſa ſiue quæſtio pertinens ad fidem, & ad Sacramenta, de quo ſolummodo caſu, agendum eſt in preſenti articulo. De reliquis autem, dicemus poſtea per ordinem, in ſubſequēti bus articulis. Quādo igitur in præſentiarum quæritur, vtrùm Generalis Miniſter in noſtro ſacro Minorum Ordine, circa ſibi ſubditos poſſit aliquid in rebus & cauſis ſpectantibus, & pertinentibus ad fidem? vt quod tenendum eſt cum diſtinctione, & claritate habeatur, difficultati propoſitæ, reſpō deo per ſequentes Concluſiones.

In generali conceſſione, non veniunt intelligendi, caſus enormes, & qui ſpecialiter ſunt Summo Pontif. reſerua ti.

Prima Concluſio.

Certiſſimum eſt, quod de iure communi loquēdo, quæcunque cauſa pertinens ad fidem & ad Sacramenta, eſt Summo Pont. reſeruata.

CErtiſſimum eſt, & omni dubio procul, quod de iure communi loquendo, quæcūque quæſtio ſiue cauſa ſpectans & pertinens ad Fidem eſt Summo Pontifici reſeruata, ab ipſo tantummodo decidenda, & determinanda, & idem intelligendum eſt de cauſis ſpectantibus ad Sacramenta. Hæc concluſio habetur expreſſa, in cap. *quoties*, 24. quæſt. 1. vbi dicitur, *quod quotieſcunque ratio fidei ventilatur, eius deciſio ad Romanam Eccleſiam deferatur.* Idē colligitur, ex cap. *Frater noſter*. 16. quæſt. 1. & cap. *præceptis* diſt. 12. & cap. *conuenior*. 23. quæſt. vlt. & cap. 2. diſt. 80. Sed intelligendum hoc eſt, quantū ad determinationem iudicialem, non verò quantum ad ventilationem doctrinalem, prout elegan ter notat & aduertit gloſſa in dicto cap. *quoties*, dicens quod aliud eſt quæſtionem de Fide motam terminare, quod nulli præterquam Romanæ Sedi permittitur, aliud verò ipſam ſine diffinitione ventilare, quod Patriarchæ & Primates facere poſſunt, ſicut & fecerunt hi, qui in dicto cap. Innocentium Primum conſuluerunt, in quodam Concilio Mileuitano. Sed miſſa hæc facientes, quia non præſentis ſunt propoſiti, operę pretium eſt vt ſciamus quid ſit dicendum circa abſolutionem à culpa, ſiue circa peccata contra Fidem commiſſa? de quo fit ſecunda Concluſio.

Nota hoc valde, de differētia, quæ verſatur, inter determinationem iudicialem, & doctrinalem cauſarum Fidei.

Secunda Concluſio.

Abſolutio etiam ab hæreſis crimine, de iure eſt Summo Pont. reſeruata.

CErtiſſimum etiam eſt, de iure communi loquēdo quod etiam abſolutio ab hæreſis crimine, eſt Summo Pontifici reſeruata. Hæc concluſio habetur expreſſa, in multis iuribus antiquis, quæ longum eſſet nimis velle in præſentiarum recenſere, ſed ſpecialiter in Bulla Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis Romæ de nouo promulgatur in die ſupradicto Cœnæ, quæ quidem Bulla, vt inquit Magiſter Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. concluſione 5. promulgari cœpit tempore Martini V.

circa

Quo tempore cœpit prædicari Bulla Cœnæ Domini?

circa annum Domini 1420. quo tempore Boemorum hæreſes, in Concilio Conſtantienſi fuerunt damnatæ. Cuius etiam Bullæ meminerunt Paulus Secundus, & Sixtus Quartus, in peculiaribus ſuis Extrauagantibus incipientibus, *& ſi Dominici gregis*, ſed poſtmodum Leo Decimus, eandem auxit aduerſus Martinum Lutherum, quod & deinde fecerunt Paulus Tertius, Paulus etiam Quartus, & omnes alij Summi Pontifices, qui poſtmodum eoſdem ſunt ſubſecuti. Cuius quidem Bullæ, primus caſus eſt hæreſis, & omnes ibidem hæretici excommunicantur, cuiuſcunque nominis, ſexus & conditionis extiterint, ipſorumque fautores, defenſores, & receptatores, ea ratione qua ſunt hæretici, & eiuſdem excommunicationis cenſura, atque ipſius abſolutio ſoli Romano Pontifici reſeruatur. Intelligendum tamen hoc eſt, de hæreſi vocali, verbo, facto ſiue ſcripto exterius prolata & publicata, vt notat & aduertit Soto, vbi ſupra & Caietanus, verbo *hæreſis*. Videatur etiam hac de re, Enriquez in 1. tomo lib. 3. de Sacramento Pœnitentiæ, cap. 16. num. 2. & Doctores innumeri, qui ibidem ab ipſo ad idem citantur.

Difficultas. An Generalis Miniſter abſoluere poſſit ſibi ſubditos ab hæreſis crimine occulto?

Hoc igitur præmiſſo atque præſuppoſito, eſt in præſentiarum difficultas, de abſolutione prędicta ab hæreſis occulto crimine quoad Regulares, & Religioſos, an ſit etiam Summo Pontifici reſeruata, & an Generalis Miniſter ſibi ſubditos ab ea vllo modo poſſit abſoluere? Et ratio dubitandi eſt, nam in Concil. Trident. Seſſion. 24. de reformat. cap. 6. facultas conceditur Epiſcopis abſoluendi ſibi ſubiectos, & ſuffraganeos ab huiuſmodi hæreſis occulto crimine, quamuis in foro conſcientiæ tantùm, & dicitur quod ipſis, non verò eorum Vicarijs, id ipſum ſit permiſſum. Vnde cũ prædictus Generalis Miniſter & Religionum Prælati, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habẽtes (vt in præcedẽti articulo diximus) Epiſcopis ſint quã maxime ſimiles, in iuriſdictione circa ſibi ſubditos, non modica quidem inſurgit dubitã di ratio. An id ipſum reſpectu ſuorum ſubditorũ, per ſe ipſos facere poſſint, & abſoluere ſubditos ſibi religioſos, à prædicto hęreſis crimine occulto ſicut iuxta opinionẽ multorum, id facere poſſunt Epiſcopi ſupradicti, ex dicto decreto Conci. Trid. Propter hanc fortiſſimam rationem, multi grauiſſimi Doctores, partem tenent affirmatiuam, fundati in doctrina Panormit. in cap. *at ſi clerici. de iudicijs* §. *de adulterijs*. num. 18. qui ſecutus Benedictum & Fredericum, conſtanter atque affirmanter dicit, quod quidquid conceditur Epiſcopis, pertinens ad poteſtatem iuriſdictionis, conceditur etiã prædictis Prælatis Regularibus circa ſibi ſubditos, ex eo quod in eo caſu ſunt quaſi Epiſcopi, & iuriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem. Quod expreſſe etiam dicit Gloſſa in Clement. 1. *de rebus Eccleſiæ non alienandis, verbo, proprij Prælati*, citans ad idem cap. *Abbates, cum gloſſa de priuilegijs. lib. 6. verbo, quaſi Epiſcopalẽ*, vbi dicit loquẽdo de illis, *quod cũ Epiſcopalem iuriſdictionẽ non habeant, quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem dicuntur habere*. Id quod & in ſimili alio caſu, atque propoſito, expreſſe tenet Nauarro in ſuo Manual. cap. 12. num. 75.

Prima opinio aſſerentium Prælatos Regulares, abſoluere poſſe ſibi ſubditos, ab hæreſis occulto crimine

Secunda opinio, aſſerens

Sed Emmanuel Rodericus, tomo 1. qq. Regula. quæſt. 20. art. 10. dicit, quod quamuis verum ſit, quod in dicto Concil. Trident. facultas conceda-

Prælatos Regulares, non poſſe abſolucre ſibi ſubditos, ab hæreſis occulto crimine.

tur ſupradictis Epiſcopis, abſoluendi ſibi ſubditos in foro conſcientiæ ab hæreſis occulto crimine, non proindè ſequitur Prælatos Regulares, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, eandem habere, quia (inquit) Epiſcopi vltra id quod Epiſcopi ſunt, habent modo titulum & officium Inquiſitorum, quin verò & verè ſunt hæreticæ prauitatis Inquiſitores, quod non habẽt prædicti Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum; licèt olim illud habuerint. Ac proinde non ſequitur, Prælati Regulares habent iuriſdictionem Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem, erga ſibi ſubditos, ergò poſſunt id ipſum facere quod Epiſcopi erga ſuos, & conſequenter eoſdem abſoluere à crimine hæreſis occulto. Non (inquit) valet hæc conſequentia, quia Epiſcopi vltra iuriſdictionem ordinariam Epiſcopalem, quam habẽt, ratione ſuæ dignitatis eiſdem conceſſam, habent etiam annexum munus & officium Inquiſitorum, vt dictum eſt.

Sed hæc ſententia & argumenti ſolutio non alijs placet, tùm quia officium prædictorum Inquiſitorum quoad hæreſis crimen, multo tempore ante dictum Concilium Tridentinum, eiſdem Epiſcopis fuit ſublatum, quemadmodum & Prælatis Regularibus, qui & ante ipſum illud etiam habuerũt reſpectu ſuorum ſubditorum, ex quo ad id muneris ſpeciales Inquiſitores ſunt electi, inſtituti & deſtinati: tùm etiam quia dicta conceſſio, de qua in præſentiarum eſt ſermo, non fuit facta eiſdem, qua ratione ſunt, aut eſſe dicuntur hæreticæ prauitatis Inquiſitores, nec de hoc vlla mentio fit ibidem, ſed qua ratione ſunt Epiſcopi & ordinarij Prælati, & Epiſcopalem iuriſdictionem habent. Cum igitur in hoc (vt dictum eſt) Prælati Regulares, Generales & Prouinciales, Epiſcopis ſint per quamſimiles aut coæquales circa ſibi ſubditos, & Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem in iure dicantur iuriſdictionem habere, vt omnes communiter Doctores, ſine diſcrimine & abſque delectu concedunt, neque ſubditi Religioſi peioris eſſe debeant conditionis, quam Clerici aut cæteri ſeculares, dicendum perinde videtur Epiſcopi ſi id facere poſſunt, quod eadem ſit ratio de illis & de Epiſcopis, quoad facultatem abſoluendi ſibi ſubditos in foro conſcientiæ tantùm, à prædicto hæreſis occulto crimine. Præterquam quod ſi Inquiſitorum officium, ad hoc aliquid facere videbatur, etiam ipſi Prælati Regulares olim ex ſpeciali priuilegio, quin verò innumeris priuilegijs, reſpectu ſuorum ſubditorum erant hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & cognoſcebant de hæreſis ab ipſis commiſſo occulto crimine, vt conſtare facile poteſt ex noſtri Ordinis Monumentis, vbi ad hoc multa habẽtur priuilegia, quæ breuitatis cauſa facio miſſa, & quia iam ſunt reuocata & non in vſu. Sed referuntur à Collectore Priuilegiorum, verbo, *Inquiſitores* per plures §§. quibus Regulares eximebantur à iuriſdictione Inquiſitorum, præcipiebaturq; ſtrictè vt de nullis eorum cauſis, ad Fidem ſpectãtibus cognoſcerent, ſed omnes ſuis proprijs remitterent Prælatis & Superioribus. Neque ſolùm olim ſupradicti Prælati Generales & Prouinciales, reſpectu ſuorum ſubditorũ erãt Inquiſitores, verum

Nota quod Prælati noſtri ſacri Ordinis olim, reſpectu ſuorum ſubditorum erant Inquiſitores, ſed hodie eiuſmodi facultas iam eſt ſibi ſublata.

verum etiam & Inquiſitores creabant, & conſtituebant Fratres ſibi ſubditos, vt expreſſe conſtat ex aliquibus ex priuilegijs ſupradictis, & ex Gloſſa in Clementina *nolentes, de hæreticis*, & ex his quæ late tradit Sylueſter, verbo, *hæreſis*. 2. q. 1. vbi agit particulariter de antiqua Inquiſitorum inſtitutione. Ex quibus omnibus, aliiſque breuitatis cauſa omiſſis, ſatis colligitur, quod allata ſolutio ſupradicti Emmanuelis Roderici ad argumentum prædictum, parum, vel nihil valeat, ac ſubinde, quod ſi vera eſt illorum opinio, quæ tenet, iuxta ſupradictum Concilij Tridentini præſcriptum, & decretum, Epiſcopos in foro conſcientiæ, ab hæreſis crimine occulto ſibi ſubditos, poſſe abſoluere, id etiam perinde facere poſſunt ſupradicti Prælati Regulares erga ſuos, cum etiam vt dictum eſt, nõ ſint aut eſſe debeant ſubditi Regulares, peioris conditionis quam Clerici aut alij ſæculares. Nec valet dicere, vt ait prædictus Rodericus reſpondendo huic replicę, quod non ſunt peioris conditionis, poſtquam ipſi etiam Regulares, poſſunt ſe ſubmittere iuriſdictioni Epiſcoporum, renunciando priuilegium ſuæ exemptionis, quod habent quoad hoc vt ab eiſdem abſoluantur, nam non eſt cur Religioſi in has redigantur anguſtias, mẽdicẽt que ab alijs, quod per ſe ipſos poſſunt præſtare, & authoritatẽ, iuriſdictionẽ, gloriã & honorem, quem in id ex Summorũ Pontificum clementia & benignitate habent, ſine ratione & cauſa, & abſq; neceſſitate & ſufficienti fundamento alijs velint dare. Vnde ſub cenſura cuiuſlibet melius ſentientis, pro ſupradictæ difficultatis reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Tertia Concluſio.

Si vera eſt opinio quæ tenet, Epiſcopos, ſibi ſubditos ab hæreſis crimine occulto in foro conſcientiæ, etiã nunc poſſe abſoluere, idem etiã Prælati Regulares facere poterunt erga ſibi ſubditos.

SEntentia & opinio eſt multorum grauiſſimorũ DD. quod ſi vera eſt opinio, quæ tenet Epiſcopos ab hæreſis crimine occulto, iuxta præſcriptũ & decretum ſupradicti Concilij in foro conſcientiæ poſſe abſoluere, practicarique nunc poteſt, eadem ratione id ipſum facere poterunt circa ſibi ſubditos, Miniſtri Generales & Prouinciales Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem habentes iuriſdictionem. Hæc concluſio ſtatuitur in primis probabiliter, non tam ex mea propria ſententia, & opinione, quam aliorum, & ſub correctione ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ, & cuiuſlibet melius ſentientis. Cuius veritas fundatur in omnibus ſupradictis. Quibus de nouo nihil addendum occurrit, præterquam id, quod Pius Quintus Pont. Max. circa hoc etiam dicitur ſtatuiſſe, ordinaſſe atque dixiſſe quodam ſuo Motu proprio, expedito anno 1561. qui incipit, *Romanus Pontifex*, cuius meminit Paraſſellus in ſuo Priuilegiorũ lib. fol. 127. vbi habetur pro fratribus ſui Ordinis Prædicatorum. *Quod vt ne fratres Ordinis Prædicatorum, peioris conditionis quam clerici, aut ſeculares exiſtant, conceſſit illorum Prælatis pro ſibi ſubditis, omnem illam auctoritatem, quam Concil. Trident. Seſſion. 24. cap. 6. in foro conſcientiæ concedit Epiſcopis pro ſibi ſubditis, tam abſoluendi quam diſpenſandi, &c.* Quod quidem valde facit, ad comprobandam propoſitam concluſionem, nam ſi hæc valet conceſſio, omnes etiam Ordines fruuntur ea per viam communicationis. Neque dictis obſtat vt quidam dicunt, quod in decreto Conc. Triden. prædicto nulla fit mentio, neque in generali, neq; in ſpeciali de ſupradictis Prælatis Regularibus, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionẽ habentibus, fit autem expreſſa mentio de Epiſcopis. Ex quo videtur, iuriſdictionem aliàs abipſis ſublatam, quoad hoc, vt ſuos diœceſanos ab hæreſis crimine poſſent abſoluere, per dictum decretum eiſdem fuiſſe reſtitutam, non autem proinde cõceſſam Prælatis Regularibus ſupradictis, quoad abſoluendos ſibi ſubditos ab eodem hæreſis occulto crimine. Hoc inquam nihil obſtat, neque vllo modo ſupra poſitæ reſolutionis eneruat vires: haud enim opus fuit, quod expreſſe illud dixiſſet Concilium, cum expreſſo vno ſatis manifeſte colligatur & aliud: de ſimilibus, vt dicitur ſimile eſt iudicium, & quoad cõſcientiæ forum, taciti & expreſſi eadem eſt omninò ratio. Neque hoc nouum eſt in dicto Concilio, quin verò multa decreta habentur in ipſo expreſſa de Epiſcopis, quibus ob ſimilitudinem rationis vtuntur atque vti poſſunt Prælati Regulares, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, quamuis ibi non dicatur expreſſe, dummodo aliàs non ſint prohibiti: quod eſt valde notandum atque memoriæ commendandum. Adnotare tamen oportet, quod ratio & cauſa, ob quam in ſupradicta concluſione vſi ſumus prædicta conditionali particula, ſi, & quaſi dubitanter diximus, *ſi vera eſt opinio*, ea eſt, quia modo poſt præfatum Concilij Trident. decretum, quotannis promulgatur Bulla Cœnæ Domini, per cuius proceſſum, hæreſis crimen etiam occultiſſimum, vtcunque commiſſum, expreſſe Summo Pontifici reſeruatur, & ſolummodo ex cõceſſione conceditur atque cõmittitur hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus. Ex quo proinde videtur ſupradictam facultatem conceſſam prædictis Epiſcopis à Concilio in dicto decreto, & ſecundùm opinionem, & ſententiam nimis probabilem iam dictã, Prælatis Regularibus, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus circa ſibi ſubditos, per dictam Bullam Cœnæ ipſiuſque annualem promulgationem, eſſe iam omninò reuocatam, demptam atque ſublatam, & quod nunc neutri, neque Epiſcopi, neque Prælati Regulares prædicti, à dicto hæreſis crimine occulto, quempiam etiã in foro conſcientiæ poſſunt abſoluere.

Nota hoc valde, pro ratione dubitandi & quod prædicta dicũntur conditionaliter.

Difficultas. An decretum Conc. Tridẽ. quo conceditur Epiſcopis poſſe ſibi ſubditos in foro conſciẽtiæ ab ſoluere ab hæreſis crimine occulto, reuocatum ſit per annualem publicationem Bullæ Cœnæ Domini.

Sed hæc difficultas maior eſt, & quæ ampliori indiget diſputatione & diſcuſſione, de qua duas eſſe video in Scholis ſolemnes Doctorum opiniones. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 272. dicto 15. tenet quod nullus præter Papam, aut ſine ipſius ſpeciali commiſſione, poteſt quempiam abſoluere ab hæreſis crimine etiam occultiſſimo, & cenſura ei annexa, quia Papa eam ſibi quotannis reſeruat in Bulla Cœnæ Domini, quamuis alias Concil. Trid. Seſſion. 24. cap. 6. concedat Epiſcopis, vt per ſemetipſos in ſuo Epiſcopatu, poſſint abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta. Addit præterea, quod licèt poſſit contendi, quod non ſit derogatum quoad hoc illis per Bullam Cœnæ, tamen Gregorius XIII. & Pius V. adeò id expreſſe declararunt, vt etiam Summo Pœnitentiario negauerint illam facultatem, niſi cum certis quibuſdam modificationibus, ſine quibus neque ipſe abſolurt ſine

Prima opinio

maxi-

Nota ſententiam Nauarri pro non abſoluendis caſibus cõtẽtis in Bulla Cœnæ Domini.

maxima cauſa, neque ille dum vixit abſoluebat etiam cum illa. Verba ſunt expreſſa ſupradicti Doctoris Nauarri, in rebus Romanę Curię callentiſſimi & exercitatiſſimi. Quæ quidem verba nimis faciunt dubiam ſententiam, quæ dicit, poſſe nunc Epiſcopos prædictos, abſoluere in foro conſcientiæ ab hæreſis occulto crimine, cum facultas ſibi conceſſa per dictum Concilium per ſupradictam Bullam, & annualem ipſius promulgationem videatur ſublata & reuocata. Propterea igitur vſi ſumus conditionali particula prædicta, ſi, & dixi mus, quod *vera eſt opinio, &c.*

Secunda opinio.

Sed contrariam ſententiam tenet Angles Epiſcopus olim Boſenſis, in ſuo 4. q. de Confeſſione. art. 5. difficultate 6. loquendo de Epiſcopis, nam de Prælatis Regularibus, nihil omninò ibidem dicit. Cui etiam ſoquendo de eiſdem Epiſcopis, non verò de dictis Prælatis Regularibus, ſubſcribit prædictus Emmanuel Rodericus loco ſupra citato, tom. 1. qq. Regul. quæſ. 20. art. 10. tenens per publicationem, & proceſſum annualem Bullæ Cœnæ Domini, nullatenus auctoritatem & facultatẽ prædictam, abſoluendi ab hæreſis occulto crimine in foro conſciẽtiæ, fuiſſe ſublatam ſupradictis Epiſcopis. Id quod & probat ex auctoritate Enriquez Societatis Ieſu, in primo ſuo tomo de Sacramentis, agendo de Sacramento Pœnitentiæ, lib. 3. cap. 14. num. 7. vbi expreſſe dicit, poſſe etiam nunc Epiſcopos in foro conſcientiæ, abſoluere ab hæreſis occulto crimine, neque prædictam ſuam auctoritatem & poteſtatem ſublatam, ſiue abrogatam fuiſſe ſibi per Bullam Cœnæ Domini. Quod & dicit tenuiſſe olim innumeros Salmanticenſis Academiæ Doctores, Theologos, & Iuriſperitos, nempe Magiſtrũ Peña, Medina, Gallo, ex Prædicatorum familia, & Doctorẽ Moya & Solis, Iuris Canonici, & Ciuilis Primarios Cathedraticos, multoſque Epiſcopos, ſcilicet D. Sanctium Epiſcopum Segouienſem, D. Guerrerum Archiepiſcopum olim Granatenſem, Dominum Blancum Archiepiſcopum Compoſtellanum, & refertur etiam quod illuſtriſsimus pariter atque reuerendiſſimus Dominus Cardinalis Garrafa, nomine Congregationis Cardinalium, id ipſum reſcripſit ad Dominum Chriſtophorum Vela Archiepiſcopũ Burgenſem, quin verò & declaratum id olim fuiſſe in Toletana Synodo, anno 1583. præſidente in ea Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. Cardinale Quiroga Archiepiſcopo Toletano. Cuius poſitionis & ſententiæ ratio in promptu eſt, quia inquiunt Concilium Trident. per ſupradicta verba reſtituit, atque concedere viſum eſt Epiſcopis ſupradictis, iuriſdictionem ab eiſdem ſublatam, quam habebant olim de iure communi Canonico, necnon & diuino, ſecundũ quoſdam, ſibi conuenientem circa ſuos ſubditos, ad abſoluendum ipſos à quibuſcunque delictis, caſibus & cenſuris, quamuis ſubordinatam, reſtringibilem à Papa, vt ſupra diximus, quo fit, vt & de iure cõmuni canonico, atque diuino, niſi expreſſe limitẽtur, poſſunt facere circa ſibi ſubditos quidquid & Summus Pontifex poteſt in tota Eccleſia. Cum igitur, inquiũt, ſupradictum decretũ Concilij Tridentini, in hoc ſit lex correctoria quę reſtituit Epiſcopis quod ab ipſis fuerat ablatum, reducendo ipſorum iuriſdictionem auctoritatem

Nota ſententiam, quorundam aſſerentiũ, poſſe nũc Epiſcopos abſoluere ab hæreſis occulto crimine.

& poteſtatem, ad terminos iuris communis antiqui, non videtur poſſe huiuſmodi decretum abrogari ſeu derogari per generalia verba, & annualẽ ſupradictæ Bullæ Cœnæ Domini promulgationẽ, niſi de eo in illa expreſſa mentio fiat, vt loquendo de ſimilibus Conſtitutionibus & decretis, tenent communiter innumeri Doctores Iuriſperiti, Molina, lib. 3. de primog. cap. 4. num. 25. Gutierrez de iuramento confirmatorio, cap. 51. num. 8. Couarru. lib. 3. variar. reſol. ca. 6. num. 4. qui omnes dicunt, quod in omnibus Conſtitutionibus, quæ communiter à Sede Apoſtolica emanant, quando aliquod Concilij decretum derogatur ſeu limitatur, expreſſa fit de ipſo mentio, ac dicitur quod talis cauſa ſiue caſus Sedi Apoſtolicæ reſeruatur, non obſtante prædicto Concilio. Quod cum non habeatur in dicta Bulla Cœnæ Domini, dicendum videtur (inquiunt prædicti Auctores) quod etiam modo Epiſcopi in foro conſcientiæ, à dicto hæreſis crimine occulto poſſunt abſoluere, non obſtante annuali Bullæ Cœnæ Domini publicatione. Sed an id poſitum nunc ſit in conſuetudine, & communiter obſeruetur in praxi, & Epiſcopi hoc faciant etiam nunc, vtentes prædicto ſuo priuilegio & munere omninò latet me, & hac in re nolo iudicem agere, contentus dixiſſe atque attuliſſe, quæ circa hoc dubium verſantur opiniones, & communiter ducuntur à Doctoribus.

Nota quod cõciliorũ decreta, non derogantur nec reuocantur, per generalia verba, & niſi de illis ſpecialis mentio fiat.

Difficultas: An ſit abrogatum prædictum decretũ quo ad Prælatos Regulares ſpecialiter.

Sed ex ſuppoſitione, quod id ita fit: & ita communiter practicetur, practicarique poſſit ab Epiſcopis, inſurgit modo difficultas. An Prælati Regulares prædicti, Generales & Prouinciales, idipſum poſſint ſimiliter facere circa ſibi ſubditos? & nec minima quidem eſt, quin verò magna ratio dubitandi. Nam pro vna parte videtur quod ſic, ex quo ipſi etiam vt diximus, iuriſdictionem habent circa ſibi ſubditos, Epiſcopalem aut quaſi Epiſcopalem. Sic enim nominantur in iure & à Doctoribus communiter, & iuxta communem Regulam, de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Et præterea quia ſecundùm probabilem ſuperius poſitam opinionẽ ipſi etiam Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum ſunt verè Prælati, & conſequenter auctoritatem habent à iure diuino, & non ſolùm ex priuilegio Papali humano, quo fit, vt circa ſibi ſubditos videtur quod eodem iure poſſint, quidquid & Epiſcopi ſupra ſuos, imòverò & quidquid Summus Pontifex in tota Eccleſia, in quibus non ſunt expreſſe prohibiti. Hæc ſunt quæ faciunt pro hac parte.

Sed pro alia in contrarium facit, quod eiuſmodi Prælatorum Regularium iuriſdictio circa ſibi ſubditos, quod ſit de iure diuino, quamuis quorundam ſit probabilis opinio, non tamen ab omnibus recepta vnanimiter, nam non deſunt qui dicant contrarium, neque ſibi competere eiuſmodi iuriſdictionem, niſi ſolummodo ex iure Papali humano, & ex ſpeciali priuilegio, ſeu priuilegijs, Ordinibus & eorum Prælatis conceſſis, ad regendum & gubernandum ſibi ſubditos. Ex quo conſequẽter videtur dicendum, quod eorum facultas atq; poteſtas quaſi Epiſcopalis, quamuis ſtando in ſupradicto decreto Concil. Trident. extenderetur, extendiq́ue poſſet per ſimilitudinem, ſiue identitatem rationis, ad abſoluẽdum ſibi ſubditos in foro

conſ-

conſcientiæ, ab hæreſis occulto crimine eo modo, quo ſecundùm tantorum Patrum atque DD. opinionem, id poſſe facere diximus Epiſcopos, per dictam tamen Bullam Cœnæ, eſſe eiſdem Prælatis Regularibus ſublatam, præſertim ſi ea ſibi competat ſolùmodo ex priuilegio, cũ in dicta Bulla, omnia talia priuilegia reuocẽtur, & derogentur, quæ quidem ratio non currit in ſupradictis Epiſcopis, vt probe notat & aduertit ſupradictus Henricus Enriquez, loco ſupra citato in gloſſa. Quo fit vt non cum eadem conſtantia, atque ita aſſeueranter dicere poſſimus, quod Prælati Regulares virtute ſupradicti Concil. Trident. poſt promulgationem ſupradictæ Bullæ Cœnæ, ſibi ſubditos in foro cõſcientiæ ab hæreſis crimine poſſint abſoluere, eo modo quo Epiſcopi id ipſum facere poſſunt, in caſu quo vera ſit prædicta opinio. Nam Epiſcoporũ facultas non videtur ſublata cum ſit diuina, & cõpetat ſibi de iure diuino abſque contradictione, regularium verò Prælatorum facultas, non ita certò ſit diuina, aut de iure diuino illis competẽs, ſed ſolummodo ex Papali humano, & ex ſpeciali priuilegio, cui quidem priuilegio, per dictam Bullam ipſiuſq; proceſſum derogari videtur, cum expreſſe ibidem omnia talia priuilegia reuocentur, non tamen ſupradicti Concil. Trident. decretum iuxta ſuperius dicta, cum de eo non fiat expreſſa mentio. Hæc omnia referre ac dicere libuit, vt harum opinionum aliqualis habeatur notitia, ſubcenſura & correctione ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ, & cuiuſlibet melius ſentientis, de reliquo nolo hac in re iudicem agere, teneat quilibet quod probabile magis ſibi viſum fuerit.

Nota hoc valde, pro Prælatis Regularibus, circa ſibi ſubditos.

Multa alia à Doctoribus hic ſolent adduci dubia. An ſcilicet Prælati Regulares, Generales & Prouinciales, ſaltem hoc poſſint facere ex aliquo ſpeciali priuilegio, & etiam an Epiſcopi in caſu quo id ipſum ſint facturi alicui alij perſonæ poſſint committere, & an per Bullam Cruciatæ, ab hæreſis crimine occulto, in foro conſcientiæ quiſpiã poſſit abſolui? ſed ne iſte articulus nimium excreſcat, hæc omnia fuſius dicenda reſeruantur in ſequentibus Articulis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aliqua fuerint olim ſpecialia priuilegia, quibus Religionum Prælati, ſed præſertim Miniſter Generalis Ordinis Minorum & Prouinciales, ab hæreſis crimine occulto, Fratres ſibi ſubditos, in foro conſcientiæ poſſent abſoluere, & an hæc ſint reuocata hodie, per Bullam quæ dicitur Cœnæ Domini?

VCuſque diximus, quæ dicenda viſa fuerunt, ſtando in iure communi, & in ſupradicto decreto Concil. Trident. facto pro Epiſcopis, quæ certa ſunt reſolutiue determinantes, quæ verò dubia, ſub dubio & opinione relinquentes, & etiam loquendo de priuilegijs, quæ interdum Religionibus concedũtur, ad abſoluendum à caſibus Papæ reſeruatis. Supereſt modo vt dicamus quid dicendum ſit, loquẽdo de priuilegijs particularibus, quibus olim conceſſa fuit facultas prædictis Prælatis Regularibus, Generalibus & Prouincialibus, abſoluendi ſibi ſubditos etiam à caſibus contentis in Bulla Cœnę Domini, quorum vnus, ac primus eſt hæreſis, vt dictum eſt in præcedenti articulo. Et quidem quã maxima differẽtia eſt inter vna & alia priuilegia. Nam licèt ſint aliquæ Bullæ Apoſtolicæ ſeu Breuia, auctoritatem concedentia, vt fratres virtute ipſorum, ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis poſſint abſolui, non perinde aut eorum virtute abſolui poſſunt à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini. Nam ex communi omnium reſolutione, huiuſmodi caſus adeò ſunt notabiles & atroces, vt in generali conceſſione minime viã antur comprehendi, niſi de eis expreſſa mentio fiat. Quod & ſpecialiter verum habet, in hæreſis crimine, vt ſupra diximus per cap. *huic ſoli ſedi.* diſt. 17. & ca. *quod tranſlationem de officio legati, & cap. ſedes, de reſcrip.* ad quod etiam facit lex, *ita apud Labreonem. §. ait prætor. ff. de iniurijs.* attamen quando aliqua breuia ſiue priuilegia expreſſe cõcedunt, vt per ea quippiam poſſint abſolui etiam à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, noua inſurgit dubitandi ratio, an talia priuilegia reuocentur ſeu reuocari videantur, per eandem Bullam Cœnæ Domini, quæ quotannis prædicatur & promulgatur, cum noua reſeruatione prædictorum caſuum, & maximis cenſuris contra abſoluentes ab eis, ponendo clauſulam reuocatoriam expreſſam, quorumcunque priuilegiorum, & dicendo non obſtantibus quibuſcũque priuilegijs, etiam Ordinibus Mendicantibus cõceſſis, & alijs ſufficientibus Derogatorijs, &c. Et vt ad caſum, de quo quæritur in præſenti articulo deueniamus, eſt notandum quod Sixtus. IIII. vt habetur in Monumentis Ordinis 1. impreſ. fol. 59. & 2. fol. 143. con. 345. explicando & declarando quaſdam litteras Clement. Quarti, quibus conceſſerat Miniſtris, Vicarijs & Cuſtodibus fratrum Minorum, facultatem abſoluendi ac diſpenſandi cum fratribus eiuſdem Ordinis, &c. niſi talia perpetraſſent crimina, propter quæ eſſent merito ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi, declarauit. *Dumtaxat eſſe ad Sedem Apoſtolicã merito deſtinandos, Hæreticos relapſos, & ſchiſmaticos, & qui litteras Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, ſed in reliquis omnibus, etiam ſimoniæ prauitate irretitis, poſſe per illos quibus inibi conceditur, abſolutionis & diſpenſationis beneficium iuxta caſuum exigentiam impertiri.* Quæ quidẽ conceſſio maxima fuit pluriſque æſtimanda: nam per eam videbatur poſſe Prælatos Regulares, abſoluere ſibi ſubditos hæreticos, maximè occultos & in foro conſcientię, ſi non eſſent hæretici, relapſi aut ſchiſmatici, aut cõtenti in caſibus ibidem expreſſis. Hoc præmiſſo ac preſuppoſito, inſurgit modo difficultas: An dicta priuilegia expirauerint, & ſint reuocata per Bullam, quæ dicitur Cœnæ Domini? Collector Priuilegiorum Mendicantium in compendio, verbo abſolutio ordinaria quoad fratres. §. 13. de ſupra dicta conceſſione agens, dicit quod dicta conceſſio, per mortem concedentis vide-

Nota circa caſus contentos in Bulla Cœnæ Domini, quam magna verſetur differẽtia, inter eos & alios cõmuniter Sedi Apoſtolicæ reſeruatos.

Nota quod in Generali conceſſione, non comprehendũtur caſus particulares & enormes, niſi de eis ſpecialis mẽtio fiat.

Nota quod aliqua erant olim priuilegia conceſſa pro abſoluendis caſibus contẽtis in Bulla Cœnæ Domini.

Difficultas. Opinio Collectoris Priuilegiorum.

videtur expiraſſe, & idem inquit eſſe dicendum de omnibus Conſtitutionibus tangentibus prædictum proceſſum Bullæ Cœnæ Domini, cum quo libet anno proceſſus ille cenſurarum de nouo promulgetur, cum noua reſeruatione prædictorum caſuum, & maximis cenſuris contra abſoluentes, vt dictum eſt, ponendo ibi expreſſe reuocationem quorumcũque priuilegiorum, &c. Vnde ait, quod tempore primi Capituli Generaliſſimi, conſultus ſuper hoc reuendiſſi. Cardinal. Alexand. qui & Præpoſitus appellatur, reſpondit Reuer. Patri bonæ memoriæ, F. Martiali Boulier, tunc temporis Vicario Generali fratrum Minorum Ciſmontanorum de obſeruantia, dicens, quod Prælati noſtri Ordinis, non poterant abſoluere fratres ſuos, nõ ſolùm ab illis quatuor caſibus contentis ſeu exceptis in Mari magno, ſed neque ab aliquo alio, contento in Bulla Cœnæ Domini, & quod illa conceſſio vel declaratio Sixti Quarti, contenta in dicto Mari magno potuit valere in ipſius vita, quia licèt ipſe etiam faceret proceſſum quolibet anno, ſemper tamen intendebat excipere fratres, prout ipſe conceſſerat, niſi in dictis quatuor caſibus, qua quidẽ ratione ſubdit ſupradictus Collector, propterea Reuerendiſſimus Pater Generalis prouideat quid hac in re faciendum ſit, vel faciendo ipſe cũ alijs Generalibus aliorum Ordinum, quod ponatur ſemper in Bulla Cœnæ Domini exceptio Religioſorum quoad fratres ſuos, vel præcipiat vt quolibet anno Procurator Ordinis ſeu Commiſſarius Curiæ, tranſacta die Iouis Sancti, poſt promulgationẽ dictarũ cenſurarũ, facultatẽ obtinet abſoluendi ab illis caſibus, omnes fratres & alias perſonas, ſuper quas Prælati noſtri auctoritatem habent, ſcilicet Moniales, & Tertiarios vtriuſque ſexus, oblatos, famulos, & domeſticos, &c. Hæc ſupradictus Collector. Quibus proculdubio verbis inſinuare videtur ea priuilegia, quibus facultas Prælatis conceditur, abſoluendi ſibi ſubditos à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, derogata eſſe & reuocata, & quotannis derogari & reuocari per annualem prædicationem ſeu promulgationem eiuſdem Bullæ Cœnæ Domini: nam quotieſcunque promulgatur, omnia priuilegia etiam de ipſa ſpecialem mentionem facientia derogantur, ac vt inutilia aut nullius prorſus valoris declarantur.

Opinio Emmanuelis Roderici.

Sed contrariam omninò ſententiam tenet Emmanuel Rodericus, tom. 1. qq. Regular. quæſt. 20. art. 9. quam & probare contendit, multis & efficaciſſimis rationibus, atque in primis dicit, eandem ſententiam tenuiſſe olim doctiſſimum Doctorem Morgouejo, Primarium ſacrorum Canonum Cathedraticum, in illuſtri Vniuerſitate Conimbricenſi, & Canonicum Doctoralem huius Cathedralis Eccleſiæ Salmanticenſis, in hac inclyta poſtea Salmanticenſi Academia, ſacrorum Canonũ Prælectorem, qui legens ac vidẽs ſupradicti Collectoris explicationem, dixit duram eam ſibi nimis videri, & quod ex ipſa quã plurima ſequi videantur abſurda & inconuenientia, quæ & ipſe latiſſime proſequitur. Sed ego ea in præſentiarum paucis perſtringam, ex eiſque rationes & argumenta deſumam, quibus ipſe vtitur ad probandam ſuam prædictam ſententiam: nempe quod priuilegia quibus ſpecialiter conceditur, vt per ipſa quiſpiam poſſit abſolui, etiam à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, non reuocantur neque reuocata eſſe cenſetur, per annualem promulgationẽ, quæ quotannis fit, eiuſdem Bullæ Cœnæ Domini.

Nota quod voluntas Principis, debet eſſe conſtans firma, immobilis.

Primo probat hoc ipsũ, quia, vt habetur in iure, voluntas Principum, debet eſſe conſtans, firma, immobilis atque perpetua, & vt ipſi iuriſtę dicunt, vt lapis angularis & polus in cœlo. Facit ad hoc, cap. *imputari, de fide inſtrument.* & Clemen. vnica de renunciatione in principio, vbi dicitur, quod illuſio & variatio in perſonis Eccleſiaſticis maxime ſunt vitanda, atque etiam in laicis, id quod habetur, in cap. *quod ſemel, & cap. decet. de reg. iur.* lib. 6. Facit & ad hoc, *l. vbi repugnantia. ff. de reg. iuris.* & multa alia, quæ breuitatis cauſa referre omitto. Sed ſi priuilegia ſpecialia, quibus facultas conceditur abſoluendi etiam à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, quotannis reuocarentur per annualem prædicationem ſeu promulgationem eiuſdem Bullæ Cœnæ Domini, iam voluntas Summorum Pontificum, non omninò eſſe videretur conſtans & firma, quin verò redoleret inconſtantiam, mutabilitatem, & repugnantiam, quæ omnia prorſus ſunt aliena à tam magnis, ſanctiſſimis Principibus, & Pontificibus: ergo id nullatenus eſt dicendum aut credendum, nec vllo modo fit vero ſimile, quod aliquis Summus Pont. per talem promulgationem, reuocare intendat, quod ſui anteceſſores, forſan eodem anno conceſſerunt, abſque expreſſa talium conceſſionum facta mentione. Hoc eſt primum argumentum, quod adducit præfatus Emmanuel Rodericus.

Secundo probare contendit id ipſum, ex facto quorundam Summorum Pontificum, qui proprijs ſuis temporibus facere volentes ſupradictam Bullæ Cœnæ Domini promulgationem, expreſſe appoſuerunt clauſulam reuocatoriam, quorumcunque aliorum priuilegiorum, etiam ſpecialiter cõceſſorum ad abſoluendum expreſſe de caſibus cõtentis in eadem Bulla Cœnæ Domini. Alij verò è contrario non id ipſum fecerunt, aut appoſuerunt huiuſmodi clauſulam, quin verò expreſſe prædicta ſpecialia priuilegia exceperunt, vt & fecit Sixtus Quintus, in ſua Bulla Cœnæ Domini, publicata anno Domini 1586. Pontificatus ſui anno 1. in cuius fine poſt alia verba habetur, *Niſi in eis etiam caſus, præſentibus litteris expreſſe comprehendantur.* Quam eandem exceptionem fecit etiam Clemens VIII. in alia ſua Bulla Cœnæ, publicata anno Domini. 1593. Vbi in fine, poſt aliorum priuilegiorum reuocationem, ſequentia appoſuit verba, *niſi in eis etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur.* Ex quibus exceptiuis verbis, manifeſte, vt videtur, colligitur, noluiſſe prædictos Summos Pontifices, in generali ſua omnium priuilegiorum reuocatione, quæ fit quotannis, quotieſcunque promulgatur Bulla Cœnæ Domini, comprehendi & derogari priuilegia ſpecialiter & expreſſe prædictos caſus concedentia & continentia. Nec dictis, inquit, obſtat, quod aliqui Summi Pontif. in alijs ſuis Bullis, ſupradictorum verborum nullam prorſus mentionẽ fecerunt, nam dici poteſt, quod ideò eorum non meminerunt, quia ſi viſum fuerit cenſeri deberẽt expreſſa, quamuis de facto non exprime

ren-

rentur, cum taciti & expreſſi idem ſit iudicium. Quocirca addit prædictus Emmanuel, quod ſicuti in generali Conceſſione aliquorum priuilegiorum, non comprehenduntur nec cenſentur comprehendi caſus contenti in Bulla Cœnæ Domini, niſi priuilegia ipſa de eis expreſſam atque ſpecialem mentionem faciant, ita etiam neque in generali reuocatione, reuocata cenſeri debent priuilegia, quibus ijdem caſus expreſſe & ſpecialiter ſunt conceſſi, cum reuocatio res ſit odioſa &. ſtricti iuris, ac proinde ſtricte, non verò ample ſit interpretanda. Quod & confirmatur ex eo, nam quando Summi Pontifices id facere volunt, illud expreſſe dicunt, ſicut & quando concedunt facultatem abſoluendi à quocunque caſu Sedi Apoſtolicæ reſeruato, ſi id volunt intelligi etiam de caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, non id quidem prætermittunt, quin verò expreſſe exprimunt. Vnde ait, quod ad hoc, vt opinio Collectoris ſupradicti vera eſſet, neceſſum erat quod Summus Pontif. in Bulla Cœnæ, explicite atque expreſſe diceret, quod per nullum priuilegium ſiue per nullam auctoritatem aut facultatem, à caſibus ibi contentis quiſpiam poſſet abſolui, etiamſi in tali priuilegio appoſita eſſet clauſula, quod poſſet abſolui à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, hæc Doctores ſupra dicti. In qua controuerſia, & differentia nolo ipſe iudicem agere, ſed opiniones prædictas, in propria cuiuſlibet probabilitate relinquendo, propoſito Articulo faciam ſatis per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Quelibet harum opinionũ in ſua probabilitate relinquitur. Cõſulatur Sanctiſs. aut etiã Illuſtr. Cardinales, nec enim ego hac in re iudicem volo agere.

QVamuis aliqua olim fuerint Prælatis Regularibus priuilegia ſpecialiter conceſſa, quibus abſoluere poſſent ſibi ſubditos, etiam à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, exceptis his, quos excepit prædictus Sixtus Quartus, an hæc modo cenſeantur reuocata, & derogata per eandem Bullam, quæ quotannis publicatur, ſeu aliunde quoad Regulares etiam, & quantum ſpectat ad ſuorum ſubditorum abſolutionem, in foro tantùm conſcientiæ faciendam, conſulatur Sãctiſſimus D.N. aut etiam Illuſtriſſimi. ſanctæ Congreg. Cardinales, nam ego hac in re, iudicem nolo agere. Ad ſtatuendã hanc Concluſionẽ prædicto modo, moueor, ex eo quod hoc diuerſis in partibus hoc negotiũ diuerſimode practicari video, & contrarios atque diuerſos eſſe inter ſe Doctores, nec ipſe in alicuius iuraui verba Magiſtri, ſed ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, Illuſtriſſimiſque Cardinalibus, in omnibus & per omnia obſequentiſſimus eſſe volo, alij iudicium ferant, ſat ſit hac in re breuiter dixiſſe cum ſuis fundamentis, & rationibus, quæ communiter à Doctoribus adducuntur.

(*)

ARTICVLVS IIII.

Quidnam ſit faciendum in caſu, quo Generalis Miniſter nec alij Prælati Regulares, vti velint ſupradictis Clementis IIII. & Sixti IIII. Cõceſſionibus, & qualiter Regulares, ſi quod abſit forte in aliquã hæreſim incideriṅt, ab eiuſdem occulto crimine, in foro conſcientiæ poterunt abſolui?

IAM in præcedentibus Articulis diximus quid referant, & tradant Doctores, circa abſolutionem Religioſorum ab hereſis occulto crimine, & quid iuxta quorundam opinionem & ſententiam facere poſſint aut non poſſint Prælati Regulares. Nũc ſupereſt dicamus, quid faciendum ſit in caſu, quo Prælati ſupra dicti noluerint vti dictis Cõceſsionibus, exiſtimantes, aut formidantes, id non eſſe ſibi licitum, quin verò omninò illicitum. Quod remediũ habere poſſunt ſubditi, vt à ſupra dicto hæreſis crimine occulto, occulte etiam atque in foro cõſcientiæ tantùm poſſint abſolui? Ad quod cum tria remedia poſſint occurrere, operæ pretium eſt, vt de ipſis in particulari aliquid dicamus. Et primo, an vti poſſint Bulla Cruciatæ, ipſaque ſufficiat in partibus vbi publicatur: vt per eam quis à prædicto hæreſis crimine occulto, in foro ſaltim conſcientiæ abſolui poſſit? Cui primæ propoſitæ difficultati, breuiter & reſolutiue reſpondeo, per ſequentem Concluſionem.

Prima Concluſio.

Per nullã Bullã Cruciatæ, vel Iubileum abſolui quiſpiã poteſt ab hæreſis crimine etiã occulto, niſi hoc ibi concedatur expreſſe,

PEr nullam Bullam Cruciatæ aut Iubileum vtcunque pleniſſimũ ab hæreſis occulto crimine, quiſpiam poteſt abſolui, etiamſi in dicta Bulla ſiue Iubileo, concedatur expreſſe facultas abſoluẽdi à caſibus Bullæ Cœnæ Domini, niſi expreſſe ibi facultas cõcedatur abſoluendi ab hæreſis crimine. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Nauar. in ſuo Manual. cap. 27. num. 272. in 15. dicto, quam & probat argumento deſumpto, ex cap. *fin. de offic. Vicarij lib. 6. & ex cap. in Generali, de Regul. iuris, eodem libro.* Vbi habetur, quod in generali Conceſſione ſiue mandato, non veniunt intelligenda, quæ ſpecialiter ſunt prohibita. Facit & cap. *frater noſter.* 16. quæſt. 1. iuncto dicto Sancti Antonini. 3. part. 24. c. 77. §. 1. vbi inquit, quod facultas generalis abſoluendi ab excommunicatione, non includit abſolutionem illius, quæ ſpecialiter non fuiſſet conceſſa. Hæc ſupradictus Nauarr. ſed circa veritatem ſupradictæ Concluſionis, diuerſæ ſunt opiniones. Magiſter Soto in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. tenuit olim contrariũ omninò, nempe quod per Bullã Cruciatæ, & Iubileum, in quo conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus reſeruatis, & contentis in Bulla Cœnæ Domini, dabatur etiã facultas abſoluẽdi à crimine hæreſis ſaltim occulto, hoc eſt

Nota quoãgenerali mãdato ſiue conceſſione, non veniunt intelligẽda, quæ ſpecialiter ſunt prohibita.

Notadifferentiã quæ olim fuit, circa abſolutionẽ ab hæreſis occulto crimine, virtute Bullæ Cruciatæ in partibus vbi publicatur.

à culpa & ab excommunicatione ipſius, cum eſſet generalis conceſſio, comprehendens omnia crimina ſpecialia quantumuis enormiſſima, quorũ vnũ ex contentis in dicta Bulla eſt hæreſis. Contrariã tamen ſententiam tenuit Couarr. ſuper cap. *alma mater*. 1. par. §. 11. num. 5. Et Symãcas in Enchir. tit. 5. quorũ fundamenta referre nolo in præſentiarũ vt breuitati ſtudeam, & quia apud eoſdem auctores videri poterũt, & præſertim id facio, quia hæc quæſtio & difficultas, iam omninò extincta atque determinata fuit olim per Gregor. XIII. in quodã ſuo Motu proprio, edito anno 1576. die 22. Septẽb. in quo declarauit, *nõ eſſe ſuæ intentionis, nec ſuorũ Prædeceſſorum, in Bulla Cruciata & Iubileis, facultatem concedere, abſoluendi ab hæreſis crimine etiã occulto.* Qui quidem Motus proprius Toleti vt dicitur, fuit promulgatus, in domo S. Inquiſitionis præſidente illuſtri quodã Inquiſitore D. Ioanne Llano de Valdes, ad ſcitis atque vocatis ad hoc, omnibus Prælatis Religionum, & Curatis eiuſdem ciuitatis. 20. die Martij, anno Domini 1577. dictumq; eſt omnibus, quod contrarium facientes, & quempiam hæreticum vt cunque occultũ abſoluentes, vt fautores hæreticorum punirentur. Videatur hac de re Simancas de Cathol. inſtit. tit. 3. de abſolut. n. 1. & ſequent. & Enriquez lib. 3. de ſacram. Pœnit. cap. 16. nu. 2. in Gloſſã, littera I. Vbi plura eaq; notatu digniſſima, ad hoc propoſitum licebit adinuenire, quæ ne que pigebit legiſſe. Præſuppoſito ergo, quod per ſupradictam Bullam Cruciatæ, neque per Iubileũ non concedens dictum caſum expreſſe, à crimine hæreſis etiam occulto, quiſpiam poteſt abſolui, recurramus oportet ad aliud remedium, de quo fit ſecunda Concluſio.

Nota hoc val de, pro nõ abſoluendo hæreſis etiam occultiſſimo crimine virtute cuiuſcunque Bullæ Cruciatæ.

Secunda Concluſio.

Religioſus irretitus occulto hæreſis crimine, ad patres, & cenſores fidei debet adire, per ſe, aut per alium, & vt abſoluatur expoſtulare.

REligioſus irretitus hæreſis occulto crimine, ire tenetur ad Dominos & Patres, qui præſũt Officio S. Inquiſitionis, & per ſe ſiue per aliũ, humiliter petere, vt fiat ſibi facultas, vt à prædicto hæreſis occulto crimine poſſit abſolui. Hoc remediũ eſt ordinariũ, nã Inquiſitores prædicti ſunt in id muneris à Sũmo Pontif. iudices deſtinati, delegati & conſtituti in vtroque foro, ipſi verò ex cõmuni omnium conſenſu, committere poſſunt alicui confeſſario, graui & docto, vt in conſcientiæ foro, eiuſmodi abſolutionẽ faciat de dicto hæreſis crimine occulto, quod & ipſi, vt videtur libenter facere debent, niſi conſtitutione aliqua aut ſupremi iudicis mandato fuerint prohibiti. Videatur hac de re Simancas, Veteranus Inquiſitor, & in hiſce rebus multum exercitatus, libro illo ſuo aureo, de Catholicis inſtitutio. tit. 3. de abſolutione num. 5. cum ſequentibus, & in lib. qui dicitur Enchiridion, violatæ Religionis cap. 5. num. 4.

Difficultas.

Sed difficultas eſt: An prædictorũ Inquiſitorum quiſpiã ſeorſum facultatẽ ſupradictã facere poſſit alicui? Cui quæſtioni & difficultati, communiter reſpõdetur, quod nõ, & id expreſſe tenet Enriquez lib. 3. de ſacram. Pœnitent. cap. 17. n. 4. in Gloſſa littera S. niſi forſan dũ ſolus viſitat aliquam Prouinciam, tunc enim ſeorſum confeſſionẽ alicuius poſſet audire, & eũdem ab hæreſi occulta abſoluere, facta eiuſdẽ hæreſis abiuratione, aut etiã ex cauſa hoc alteri Confeſſario committere, circa perſonã longe diſtantem aut impeditã venire, vt pote Monialem ſeu aliam ſimilẽ. In alijs verò cauſis ſiue cauſibus vnus ſolus Inquiſitorũ ſine alio cõmunis eſt reſolutio, quod non quippiã circa hoc facere poſſit, nec vllũ à caſibus eidem S. Inquiſitioni reſeruatis abſoluere, multoque minus alij cõmittere abſolutionem, & ratio eſt quia iuriſdictio reſidet in officio & in toto cõſenſu, nõ verò in perſonis particularibus, ſiue in aliquo particulari, prout in ſimili caſu, dicit Sylueſt. verbo *confeſſor*. 1. §. 5. in fine aſſerendo, quod iuriſdictio eſt tota in toto Capitulo, non verò in particularibus. Sed quid ſi ſupradictus hæreſis crimine irrititus, id facere renuat atque formidet, nam vt inquit Simancas, loco ſupra citato, n. 6. pauci iam noſtris tẽporibus reperiũtur qui velint ſe ipſos iudicibus ſeu Inquiſitoribus manifeſtare. Quid ergo in tali caſu erit faciẽdum? Reſpondetur per ſequentem Concluſionem, quæ erit terta in ordine.

Tertia Concluſio.

In caſu quo quiſpiam ire renuat ad Inquiſitores, vadat ad Epiſcopum pro abſolutione crimnis hæreſis occulti, in caſu quo vera ſit opinio, quod id ipſum poſſunt facere, neq; illis ſit prohibitum.

IN caſu ſupradicto, recurrendum eſt ad Epiſcopum ſiue Epiſcopos, qui niſi ſpecialiter id facere fuerint prohibiti, iure communi ſunt Inquiſitores, & ab hæreſis crimine occulto, poſſunt abſoluere. Hoc eſt vltimum refugium ſiue remedium. Circa probabilitatem prædictę opinionis, plura ſuper que ſatis dicta ſunt à nobis, ſupra in art. 2. concl. 3. Sed de nouo dicendum occurrit, quod etiam Simancas cum eſſet Inquiſitor, eandem ſententiam, & opinionem tenuit in dicto lib. de cath. inſtitution. tit. 3. n. 5. quin verò & Nauarr. lib. 1. conſil. tit. de Conſtitutionibus conſil. 1. id ipſum tanquã certum præſupponit, expreſſiuſque in li. 5. conſil. tit. de priuilegijs cõſ. 11. Nam quamuis ibidem dicat, fuiſſe ſibi reſcriptum à quodam Cardinale, quod in Congregatione eorundem, propoſita quæſtione. An prædicta facultas conceſſa Epiſcopis abſoluẽdi ab hæreſi in foro conſcientiæ tantùm, per Cõcilium Tridentinum ſit abrogata, per Bullam Cœnæ, quæ quotannis prædicatur, per illa verba, *ac cuiuſuis concilij Decreta*: pars affirmatiua fuerit determinata, diffinita atque concluſa, nempe, quod per dictam Bullam abrogata eſt prædicta facultas: nihilominus tamen prædictus Nauarr. vrbane ſatis, atque humiliter vti par erat, contra prædictam reſolutionẽ replicat, afferẽdo inconuenientia innumera, quæ ex eadem ſubſequuntur, aut ſubſequi poſſunt. Et tandem, vt patebit intuenti, inclinare videtur in partem negatiuam: nam quamuis non id expreſſe affirmet, ſeu dicat, dicit tamen quod ſufficit ſuperque ſatis eſt, ad hoc vt ex ſua reſponſione facile poſſit colligi, quid ipſe reſponderet in hoc caſu, ad præfatam quæſtionem. Concludendo ergo dico, quod in caſu, quo hæc ſententia, & opinio practicari poſſit & debeat, cuius quidem rei in præſentiarum ego iudicem nolo agere, ſed aliorum ſit iudicium hoc vnum eſt quod reliquum habebit remedium, ſupradictus Religioſus, hæreſis occulto crimine irretitus, vt Epiſcopum Diœceſanum conſulat, ab eoque humiliter petat vt ipſum in conſcientiæ foro dignetur abſoluere.

Difficultas.

Sed difficultas eſt: An ſupradicti Epiſcopi id ipſum facere poſſint, non ſolùm per ſe ipſos, verum etiam & per ſuos Vicarios? Et ratio dubitandi eſt.

Nam

Nam in Decreto Concilij Tridentini ſupra dicto, Seſſione 24. de refor. cap. 6. de hac re agendo ſequentia habentur verba. *In hæreſis crimine, liecat Epiſcopis ſibi ſubditos abſoluere in foro conſcientiæ tantum, non verò eorum Vicarijs ſit permiſſum.* Per quæ verba euidenter (vt videtur) colligitur, quod Vicarij Generales Epiſcoporum, virtute ſuæ Generalis commiſſionis, nequeunt abſoluere etiam in foro conſcientiæ à dicto hæreſis crimine occulto, cum hoc illis expreſſe per dictum Concilium ſit prohibitum. Sed caſu dato quod ipſi ex ratione prædicta id non poſſint. Quæritur, an ſaltim ex commiſſione ſpeciali, hoc ipſum alicui ſpecialiter Epiſcopi poſſint committere, vt ſcilicet, quempiam à crimine hæreſis occulto abſoluat? Hanc difficultatem tangit Nauarro lib. 1. conſiliorum tit. de conſtitution. conſil. 1. num. 87. quæſt. 48. & lib. 5. conſilior. tit. de priuilegijs conſil. 11. num. 3. ibi ad 3. quæſt. Et propoſito quodam argumento pro parte negatiua, nam (inquit) videtur quod nō, cum id fuerit conceſſum ſupradictis Epiſcopis, propter ſuam induſtriam, qualis commiſſio non eſt delegabilis, per cap. *fin. §. cæterum de offic. delegati*, & cap. *is cui, eod. tit. lib. 6.* nihilominus tamen parti adhæret affirmatiuæ. Cui & ipſe adhæreo, ac pro ea ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota quod cōmiſsio facta alicui ob propriam induſtriam, non eſt delegabilis.

Quarta Concluſio.

In caſu quo Epiſcopis liceat abſoluere ab hæreſis occulto crimine, bene etiā poterunt delegare prædictam ſuam auctoritatem ſi ſint impediti

IN caſu quo Epiſcopis liceat abſoluere ab hæreſis occulto crimine, & ex aliqua rationabili cauſa aut propter abſentiam, nō poſſint per ſe ipſos id facere, bene poſſunt illud alicui ſpecialiter delegare. Hæc concluſio eſt ſupradicti Nauarr. locis ſupracitatis, & ante ipſum eam tenuit Corduba, in Summa, q. 8 hoc innixus fundamento, quia in dicto Concilio non dicitur, quod Epiſcopi non poſſint committere alicui ſpecialiter prædictam facultatem, ſed ſolummodo quod eorum Vicarijs non liceat abſoluere à prædicta culpa & cenſura. Quod dicit eſſe intelligendum, virtute generalis Commiſſionis, quæ dari ſolet Vicarijs Epiſcoporū, ad abſoluendum à quibuſcumque caſibus ſibi reſeruatis. Per id tamen, inquit, nō tollitur, quin ipſi Epiſcopi ſubdelegare poſſint, & cōmittere ſuā auctoritatem alicui perſonæ particulari, efficiēdo ipſum ſuum Commiſſarium, ad effectum prædictæ abſolutionis. Et ratio eſt, quia quamuis Epiſcopi in dicto caſu, ſint Commiſſarij Summi Pont. ad dictum effectum, ex priuilegio iuris poſito in dicto Conc. Trid. cum tamen huiuſmodi priuilegium ſit perpetuum, certum eſt quod poſſunt vices ſuas alteri committere aut ſubdelegare, maximè cum in eodem Concil. non prohibeantur id facere. Cōſequentia videtur legitima, nam iuxta communem iuris Regulam, Commiſſarius ex priuilegio ſiue commiſſione perpetua, bene poteſt ſubdelegare, vt conſtat ex cap. *fin. de offic. delegati.* vbi dicitur, *quod cui competit ex officio abſoluere, poteſt illud per alium facere.* Idem habetur in capit. *etiam fināl. de offic. ordinarij*, & docent Doctores communiter cum Sylueſtro verbo, *abſolutio* 4. q. 2. num. 6. & verbo, *Commiſſarius ſiue delegatus.* num. 2. cum ſequētibus. Hanc eandem ſentēriam tenet Angles. in 4. quæſt. de confeſſione art. 5. difficultate 6. dicens, quod Pœnitentiarij Epiſcoporū, in Eccleſijs Cathedralibus conſtituti, poſſunt abſoluere ab excōmunicatione hęreſis occultæ. Hoc tamen eſt intelligēdū, quando Pœnitentiarij prædicti habuerint ſpecialem cōmiſſionem ad illum caſum, vt dictū eſt, nā per generalem poteſtatem ſibi traditā, haud quaquam id poterunt facere, neq; à prædicto crimine hæreſis occulto abſoluere, vt expreſſe tenet Nauarr. in ſuis Conſil. lib. 1. de Conſtitutionibus Cōſil. 1. n. 89. & lib. 5. de priuil. conſ. 11. num. 5. ibi ad 5. Vbi reſpondens ſupra dictæ rationi dubitandi, qua dicitur quod in dicto Decreto Concilij videtur Epiſcopis commiſſa huiuſmodi facultas propter ſuam induſtriam, qualis cōmiſſio non videtur delegabilis, inquit, quod poteſt Epiſcopus ſi ſibi placuerit, tradere Cōmiſſario nudam poteſtatē abſoluendi, non verò deliberandi. Ita quod Epiſcopus informatus recte de caſu, arbitretur modum, pœnitentiam, & onus imponendū, ei qui venit abſoluendus, nullo arbitrio relicto ei qui eſt ipſum abſoluturus, per quod tollitur inconuenies ſupradictum. Sed tandem in fine addit, quod quāuis vtrunque fiat, & vnū & alterū committatur, licite fieri poteſt, nam prædictum ca. *fin. §. cæterum. de offic. delegati*, procedit in eo qui ex delegatione & commiſſione habet poteſtatē abſoluendi, & nō in eo qui habet illam ex officio, & priuilegio ſuæ dignitatis, de quo loquitur aliud cap. *fin. de offic. ordinarij.* Supradicta omnia de abſolutione, ab hæreſis occulto crimine, ſunt difficillima & maximè dubia, in quibus proinde iudicialis, & diffinitiua reſolutio à ſolo Summo Pontif. eſt expectanda. Ne igitur in ijs tāti momenti rebus errare contingat, ſi placuerit ad ipſum recurratur, interim tamen à nobis ſunt dicta, quæ iuxta communiorem Doctorum ſententiam atque doctrinam, magis probabilia viſa fuerunt.

Nota hoc val de pro Epiſcopis.

Nota hoc val de.

Nota quod cōmiſſarius ex commiſsione perpetua, bene poteſt illam alteri cōmittere, ſine ſubdelegare.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm Generalis Miniſter, transferre poſsit Prouincialem, ex vna in alteram Prouinciam?

Concluſio.

GEneralis Miniſter non poteſt transferre Prouincialem vnius Prouinciæ, ad alteram Prouinciam vel è contra, ſine licentia ſpeciali Summi Pontificis. Hæc ſententia eſt expreſſa Sylueſtri, verbo, *caſus.* nu. 2. *caſu.* 2. qui eſt de tranſlation Epiſcoporum, vbi dicit quod tranſlatio Epiſcoporum de vna in aliam Diœceſim eſt Summo Pont. reſeruata, & ſolūmodo Summus Pont. id poteſt efficere, vt dicunt multa iura: ſed præſertim habetur in cap. 1. & 2. *de tranſlatione Epiſcoporum*, & cap. 3. & 4. de officio legati idē eſſe dicit de depoſitione Epiſcoporum, per cap. *quamuis.* 3. quæſt. 6. & ca. *dudum*, ibidem. Idem & de Abbatibus perpetuis exemptis. Neq; verò acceptare eorundem renūciationē, qui immediatè ſubſunt Sedi Apoſtolicæ, per c. *denique.* 6. q. 3. & dicto c. *inter corporalia de tranſl. Epiſcopo.* & c. 3. *de offic legati*, & c. *licet. de regul.* videatur Sylueſt. vbi ſupra in 3. & 4. caſu, quod & conſequenter, quin verò & potiori ratione, intelligendū etiam eſt, de tranſlatione

Generalis Miniſter nō poteſt transferre Prouincialē vnius Prouinciæ in aliā ſine ſpeciali licentia ſummi Pontif.

Prælatorum Regularium, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentium, quales ſunt Miniſtri Prouin. & de depoſitione & acceptatione renunciationis officiorũ eorum nempe quod Generalis Miniſter ſola auctoritate ordinaria ſine ſpeciali Summi Pontificis licentia transferre, neque priuare ſine culpa & cauſa cognita poteſt eorum vllum de iure communi, neque acceptare renunciationes ſuorum officiorum. Non deſunt qui dicant id ipſum extendendum eſſe etiam, ad Guardianos & Priores & quod nullus, Summo Pontifice inferior, Guardianum ſiue Priorem vnius Conuentus ad alium poteſt transferre, quia huiuſmodi mutationes ſunt omninò iure prohibitæ per locum à ſimili, & quia ſunt contra generalem conſuetudinem, quod (inquiunt) ſufficit, vt omninò cenſeantur interdictæ, vt expreſſe dicit Innocentius III. vbi ſupra in dicto cap. *inter corporalia, de tranſlation. Epiſcoporum.*

Nota hoc val de, pro auctoritate Miniſtri Generalis, ad eligendos ſiue deponendos Prouinciales Miniſtros, & alios Prælatos.

Sed tamen hoc quod de Guardianis, & Prioribus dicitur, non ita crediderim eſſe verum, quin verò exiſtimo quod Generalis Miniſter in hoc diſpenſare poteſt, cum eiuſmodi tranſlatio non ſit tranſlatio Prælatorum, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentium, ſed tãtum Prælatorum localium, qui Curatis animarum curam habentibus correſpondent, & aſſimilantur, vnde in ipſis nõ eadem eſt omninò ratio. Et ſi quãdo Doctores, extendunt ſupradicta iura etiam ad Abbates, id intelligendum eſt de Abbatibus perpetuis, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalẽ iuriſdictionem habentibus, quos Syluester loco ſupra citato vocat Abbates exemptos, non verò de alijs, nec de Guardianis, aut Prioribus, quorum Prælationes nõ ſunt quaſi Epiſcopales, neq; perpetuę, ſed temporales, & hæc de iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Generalis Miniſter, poſsit eximere religioſum aliquem, ab obedientia ſui Prouincialis, ſeu Guardiani, in cuius Conuentu commoratur?

Concluſio.

De iure communi, exemptio ſubditorũ ab Ordinarijs eſt Sũmo Pontifici reſeruata.

DE iure communi ſubditorum exemptio ab Ordinarijs, eſt etiam Sũmo Pontifici reſeruata, ac proinde non poteſt Generalis Miniſter, eximere Guardianum ſeu alium Religioſum, ne ſubſit Prouinciali Miniſtro, aut Guardiano, in cuius Conuentu commoratur. Hæc concluſio eſt Syluestri in Summa, verbo *caſus.* num. 2. *in caſu.* 5. vbi in particulari agit de exemptione Epiſcoporum, vt ſcilicet Archiepiſcopis non ſint ſubiecti, quod dicit eſſe ſoli Sedi Apoſtolicæ reſeruatum, quod probat ex cap. *frater noſter.* 16. quæſt. 1. Et idem eſſe intelligendum dicit de quibuſcunque Religioſis vel Clericis, qui ſunt in aliqua Diœceſi, vt non ſubſint iuriſdictioni Diœceſani, nam id facere contrarium videtur rectę rationi, & contra generalem conſuetudinẽ, eſtque ſolummodo, vt dictum eſt, auctoritati & poteſtati Summi Pontif. reſeruatum. Ex quo etiam colligitur, non poſſe Prælatos Generales propria ſua auctoritate, efficere Prædicatores Generales, vt prædicent vbique terrarum ad libitum, ſine licentia. Nõ dico Epiſcoporum, nam hoc eſſet contra Concilium Tridentinum, & plures ſacros Canones, ſed neque ſine licentia ordinariorum Prælatorum, quia hoc in effectu eſſet eximere eiuſmodi Religioſos à iuriſdictione ſuorum Prælatorum, quod vt dictum eſt, ſolus Summus Pontif. efficere valet. Quod & cõprobatur ex eo quod habetur in Concil. Triden. Seſſio. 25. de Regularibus, cap. 4. vbi ſtricte præcipitur. *Ne quis Regularis ſine ſui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu, ſubijciat ſe alicuius Prælati, Principis vel Vniuerſitatis, vel communitatis obſequio, aut alterius cuiuſcunque perſonæ, ſiue loci, nec ei aliquod priuilegium, aut facultas ab alijs ſuper his obtenta ſuffragetur, quod ſi contra fecerit, tanquam inobediens, arbitrio Superioris puniatur.* Quamuis enim in ſupradictis Concilij verbis, nulla Generalium Prælatorum mentio habeatur, aut dicatur, quod ipſi nõ poſſunt talem facultatem facere, aliqua tamen ſunt iura, quibus id ipſum inſinuatur, ſed præſertim cap. *fin.* 9. q. 3. & ca. *qui reſiſtit.* 11. quæſt. 3. vbi ſoli Summo Pontif. videtur huiuſmodi facultatem tribui, vt poſſit eiuſmodi licẽtias dare, & quemlibet Religioſum ſiue Monachũ, tam contra ſuam voluntatem, quam contra volũtatem Abbatis, de Monaſterio extrahere, & alicui Prælato vel Principi in ſocium conſtituere, vt ſe cum illum teneat. Qua de re videatur Syluester, verbo, *caſus*, vbi ſupra *caſu* 38. Cum prædictis tamen ſtat, quod iuſta aliqua exiſtente cauſa poſſit Generalis Miniſter, ratione quadam eximere ſubditum ſiue Guardianum, ab obedientia ſiue Prouincialis, ad hunc ſenſum, vt in officio aliquo poſitus non perturbetur, aut ſi forſan fuerit in aliquo delicto præoccupatus cauſa ipſius adeundem Generalem remittatur, quod & quandoque obſeruatur in praxi, idq; iuridice, neque, vt videtur, cõtra rationẽ.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, poſsit reſtituere degradatos & ſolemniter electos ab Ordine?

RAtio dubitandi eſt, quia vt habetur in iure, reſtitutio depoſitorum, ſiue degradatorum ab Ordine, eſt Summo Põtifici reſeruata, ex decreto Iulij Primi, & habetur in capit. *ideo* primo & ſecundo 2. quæſt. 6. & tradit illud Sylueſt. verbo *caſus*, num. 2. quæſt. 1. *caſu* 6. ſed quia circa hoc eſt controuerſia quam maxima inter Iuriſperitos Doctores, qualiter ſint prædicta iura intelligenda, & de quibus depoſitis ſiue degradatis ab Ordine ibidem mentio fiat, ex quo etiam pendet vera ſupra poſitæ difficultatis reſolutio, præmittere, atque aduertere oportet, quòd in iure duplex reperitur degradatio ſiue depoſitio, quædam verbalis tantùm, alia verò ſolemnis & actualis. Degradatio verbalis eſt, quæ fit tantummodo verbis, per quam deponitur quiſpiã ab Ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis quos habet,

Quid ſit degradatio, & quotuplex.

habet, & secundùm ius fieri potest à proprio Episcopo, assistente certo quodam Canonico Episcoporũ numero, de quo statim dicemus, & tradit hoc Panor. in cap. *non potest de re iudicata*. Et verba quibus vtitur Episcopus in tali degradatione sunt, quæ sequuntur. *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filij, & Spiritus sancti & nostra, te degradamus, priuantes omnino Ordine & beneficio, & priuilegio Clericali, &c.* Alia est degradatio, solemnis & actualis, quæ fit non solùm verbis, verum etiam & factis. Nam degradandus, siue deordinãdus vestibus indutus sacris, & manu tenens vas, aut instrumentum, seu ornamentum ad suum Ordinem spectans, ac si in suo officio deberet solemniter ministrare, adducitur ad præsentiã Episcopi, & auferuntur ab eo omnia, quæ data sunt illi in sua ordinatione, incipiendo ab vltimo gradatim, vsque ad vestem datam in prima tonsura. Deinde tondetur, & traditur sibi corona, ac dicit Episcopus. *Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filij, & Spiritus sancti & nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, deponimus, degradamus, expoliamus, & exuimus te, omni Ordine, & beneficio, & priuilegio Clericali.* Colliguntur, hæc omnia ex c. *degradatio. de pœnis*, lib. 6. & tradit ea Panor. in cap. *qualiter & quando el 2. de accusation.* Ex quibus infertur, quod degradatio actualis & solemnis, est quasi executio degradationis verbalis, nam degradãdus actualiter, iam prius est degradatus verbaliter; & vt dicitur in Pontificali Romano. fol 190. ad eam non necessariò requiritur Episcoporum numerus, sicut ad degradationem verbalem. Etenim vt habetur in dicto cap. *degradatio*, & in cap. *felix* 15. quæst. 7. & tradit Panorm. vbi supra, ad degradationem verbalem, si deponendus, & degradandus, est in sacris constitutus, requiritur non solùm quod fiat ab Episcopo, verum etiam assistente certo Canonico Episcoporum numero. Si degradandus est Episcopus, vltra Metropolitanum, requiruntur duodecim Episcopi. Si verò est tantùm presbyter, vltra proprium Episcopum, requiruntur alij sex. Si verò est Diaconus vel Subdiaconus tres. Si verò nõ est in Sacris constitutus, fieri potest à solo proprio Episcopo, sine aliorum Episcoporum præsentia, sed non sine præsentia Capituli, aliàs sententia erit nulla, prout late tradit Panor. vbi sup. de quo videtur Sylvest. verbo *degradatio*, num. 1.

Qualiter, & quibus verbis, fiat degradatio, quæ solummodo est verbalis.

Qualiter fiat degradatio, solemnis, & actualis, & quibus verbis

Nota pro degradatione Clericorum.

Difficultas.

Hoc supposito atque præmisso, circa præsentem difficultatem, est inter Doctores controuersia, de qua harum degradationum, sint intelligenda supra dicta iura, quæ dicunt restitutionem depositorum siue degradatorum, esse reseruatam Summo Pontifici? Ioannes Andreas, ait, quod intelliguntur simpliciter & absolutè, de omni deposito & degradato, vtcunque fit, siue solummodo verbaliter, siue verò solemniter & actualiter. Et ratio illius est, nam cum prohibitio facta reperiatur simpliciter in iure, intelligenda est etiam simpliciter & absolutè, non solùm de solemni & actuali degradatione, verum etiam de verbali.

prima opinio

Alia opinio.

Sed alia est aliorum sententia & opinio, quam tenet Glossa supradicti cap. *ideò el. 1. 2.* quæst. 6. verbo, *ac restitutionibus*, vbi dicit, intelligenda ea esse, solummodo de depositis, & degradatis solemniter & actualiter, secus autem, inquit est de depositis tantùm verbaliter. Quam sententiam sequũtur Speculat. Archid. & Panor. prout refert Sylu. vbi supra dicẽtes Episcopum posse restituere verbaliter depositum, per cap. *at si Clerici de iudicijs*. Quæ opinio, vt communior & probabilior, tenetur vbique & consequenter per eam Minister Generalis & Religionum Prælati, iurisdictionem habentes Episcopalem, vel quasi Episcopalem, id ipsum facere poterunt, restituereque degradatos, & ectos ab Ordine tantũ verbaliter. Sed quia hæc omnia maiori indigent explicatione & tractatione, pro eorum omnium vltima resolutione, sequẽtes statuo Conclusiones.

Prima Conclusio.

Si degradatio & electio, fieret ab Ordine verbaliter tantum, & absque priuatione atque spoliatione habitus, Generalis Minister & Religionũ Prælati, bene possunt degradatos ab ordine restituere. Nota quod cõsuetudo erat olim, ijciendi Monachos ab Ordine cũ habitu, & postea pœnitentia facta, ab ipsis Prælatis iterum recipiebantur.

SI degradatio & electio, fieret ab Ordine tantũ verbaliter, & absque priuatione & spoliatione habitus, certissimum est quod stando etiam in iure communi, Generalis Minister & Religionum Prælati, Episcopalem vel quasi Episcopalem iurisdictionẽ habentes, possunt huiusmodi sic verbaliter tantùm electos ad Ordinem restituere. Pro intelligentia simul, & probatione huius conclusionis, adnotare libet, vt satis constat, ex cap. *fin. de Regularibus*, quod Religionum Prælati olim licentiam & facultatem habebant, ejciendi suos Fratres, & iterum recipiendi electos ab Ordine, quin verò & mandatum habuerunt à Greg. IX. eosdem sollicite annuatim requirendi, vt constat ex cap. *fin. de regul.* prædict. quod cum nõ debeat aut possit intelligi, de electis solemniter & actualiter, & cum priuatione, & spoliatione habitus; nam horum restitutio semper extitit Summo Pont. reseruata, dicendum videtur, id esse intelligendum de alijs electis, non quidem solemniter & actualiter, cum priuatione & spoliatione habitus, sed tantũmodo verbaliter, habitu retento ac nunquam dimisso. Quod autem olim hæc inoleuerit consuetudo in Religionibus Monachalibus ejciendi Religiosos è Monasterijs, propter eorum incorrigibilitatem & contumaciam, habitu retento & nunquã dimisso, colligitur etiam expresse, ex ea. *ea quæ pro Religionis honestate, de statu Monachorum*, vbi Honor. III. *Visitatoribus Monachorum præcipit, vt Monachos, quos contumaces inuenerint & rebelles, iuxta modum culpæ, vice sua regulari censura percellant absque personarum delectu, non parcendo rebellibus ob suam pertinaciam, vel potentiam amicorum, quin quem morbidam ejciant ab ouili, ne inficiat sanas oues*. Verba sunt expressa prædicti Honor. III. Quin verò & Innocen. III. in cap. *cum ad Monasterium eod. tit.* agens de Monachis proprietarijs, inquit, *quod si quispiam Monachus proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, Regulari monitione præmissa de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius nisi pœnitentiã, agat secundũ Monasticam disciplinam*. Ex supradictis iuribus satis colligitur, qualiter olim in Ordinibus & Religionibus maxime Monachalibus, consuetudo inoleuit, propter aliqua crimina & delicta, Monachos insolentes, & incorrigibiles, è Monasterijs ejcere, quod absq; dubio intelligendum tantùm venit, de electis verbaliter & non solemniter & actualiter, cum spoliatione, & priuatione habitus. Et de huiusmodi Monachis, etiam intelligendum, & interpretandum venit, supradictum c. *fin. de Regularib.* quando dicitur quod Religionum Prælati, tenentur supradictos

ectos ab Ordine ſuo, ſollicite annuatim requirere, & quod iterum in Ordine recipiantur, ſi id expediens fuerit viſum. Quod prædictum Capitulum, expreſſe loquatur de his Monachis eiectis, non verò tantummodo de fugitiuis (vt quidam dicunt) patere poteſt intuenti, & expreſſe cõſtat ex illis verbis ibidem poſitis, *fugitiuos ſuos & eiectos de Ordine ſuo, requirant ſollicite annuatim.* Vbi notandum venit, quod loquitur copulatiue dicendo. *fugitiuos ſuos & eiectos de Ordine ſuo*, vt & hos atq; illos cõprehendat, non ſolũ fugitiuos, verũ etiam & eiectos, & ſit ſermo vt dixi, de eiectis ab Ordine verbaliter nam non vllo modo credendũ eſt, quod loquatur Sũmus Pont. de eiectis ſolemniter & actualiter cum ſpoliatione & priuatione habitus. Etenim ſi de his loqueretur Decretalis prædicta, & in idibi dem facultas facta fuiſſet Prælatis, f. uſtra poſtea impetrata fuiſſent ab illis tot ac tanta priuilegia, ad eijciendos ſubditos ſuos inſolentes & incorrigibiles ab Ordine, eo modo, quo nunc fit, cum priuatione & ſpoliatione habitus, cum ad id faciẽdũ, in iure tam clara & aperta, reperiretur licentia, & auctoritas conceſſa. Dicendũ eſt igitur atque concludendum, quod non intelligitur, niſi de eiectis tantummodo verbaliter, nam mos erat olim, & in praxi, & cõmuni cõſuetudine poſitum, Religioſos aliquos propter aliqua crimina interdum è Religionibus eijcere tantùm verbaliter, ad modũ, quo & Clerici olim, etiam aliquando tantùm verbaliter degradabantur, vt conſtat ex multis iuribus. Qui ſic eiecti habitu retento, pœnitẽtiam agebãt, & ea peracta humilitatis oſtendentes ſigna, ad Religionem iterum admittebãtur, & recipiebantur. Quod & faciebant, tenebanturque Prælati facere per ſupradicta iura, quia vt dictum eſt illa depoſitio ſiue degradatio, erat tantũ verbalis, non verò ſolemnis & actualis, cõpetebatq; illis auctoritatẽ Epiſcopalẽ vel quaſi Epiſcopalẽ habẽtibus, ſuorũ ſubditorũ eiectorũ ſiue degradatorũ, prædicta reſtitutio ad modũ quo diximus de iure cõmuni etiã Epiſcopis cõpetere, reſtitutionem ſuorũ Clericorum verbaliter degradatorum, iuxta ſupradictum ca. *at ſi Clerici. de iudicijs.* His igitur ſic præmiſſis atque præſuppoſitis, quæ quã maxima ſunt animaduerſione digna, dicit modo noſtra concluſio, quod ſi degradatio & eiectio Religioſorum ab Ordine, eſſet tantũ verbalis, nõ verò ſolemnis & actualis & fieret abſque priuatione & ſpoliatione habitus, idque eſſet nunc in praxi & cõſuetudine poſitum, etiam ſtando in iure communi, Generalis Miniſter & Religionum Prælati, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habẽtes, bene poſſent huiuſmodi eiectos verbaliter tantũ, ad Ordinem reſtituere. Cuius concluſ. ratio clara eſt & ſatis cõſtat ex dictis. Nam ſi ſtando in iure communi, cum ſuis Clericis id facere poſſunt Epiſcopi, ex cõmuni omnium reſolutione, depoſitos, inquã, tantùm verbaliter ad ſuũ Ordinem reſtituere, cum ipſi etiã circa ſibi ſubditos, eandẽ aut certè ſimilẽ vel coæqualem habeant poteſtatem, certũ & manifeſtum eſt, quod idem ſimiliter poſſent. Et præterea id poſſent, per alia ſupradicta iura, quibus diximus fuiſſe olim conſuetudine poſitum, propter aliqua delicta, Religioſos interdum ab Ordine eiectos, tantùm verbaliter & non dimiſſo, & ſpoliato habitu, rurſus poſt pœnitentiæ, contritionis atque humilitatis ſigna, ad Ordinem reſtituere & admittere. Sed iam mos iſte deſuetus omninò, neq; nũc eſt in praxi & cõſuetudine, & expulſiones ſeu eiectiones Religioſorum omnium ab Ordine, quæ efficiuntur hoc noſtro tempore nõ ita fiunt, ſed qui expelluntur, & eijciuntur ſimul priuantur & ſpoliantur habitu, quorum proinde depoſitio & degradatio, non eſt tantùm verbalis, ſed verè ſolemnis & actualis, quapropter, vt de horum reſtitutione ad Ordinem, quid tenendum & practicandum ſit dicamus, ſecundam ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Reſtitutio ſolemniter degradatorum ab Ordine, Summo Pontifici eſt reſeruata.

REſtitutio depoſitorum, ſiue ſolemniter & actualiter degradatorum ab Ordine, de iure commuri, ſolummodo Summo Pontifici eſt reſeruata. Hæc Concluſio ſatis conſtat ex ſupradictis, in notabili poſito in principio huius articuli, & eam tenet expreſſe Gloſſa in cap. *ideò el* 1. 2. quæſt. 6. ſed quod Miniſter Generalis & Religionum Prælati, ſtando in iure communi, non poſſint huiuſmodi ſemel depoſitos, eiectos & vt ita loquar, degradatos, ſolemniter & actualiter ab Ordine, & iam priuatos & ſpoliatos habitu, ſine auctoritate Apoſtolica, iterum ad Religionem admittere, hac efficaciſſima ratione probatur, nam tales ſic à Religione eiecti, & habitu Regulari & Monachali perpetuo priuati, in omnibus & per omnia aſſimilantur, quin verò & æquiparantur Clericis ſolemniter depoſitis & actualiter degradatis, vt patet ex ſupradicto notabili: ſed Clerici ſolemniter depoſiti & actualiter degradati (vt tenet communis opinio ſine contradictione) non poſſunt ab Epiſcopis, nec ab alio, niſi per Papam reſtitui: ergo nec Generalis Miniſter id poteſt, nec vlli Religionum Prælati, ſine ſpeciali auctoritate Apoſtolica, vel Sanctæ Congreg. Cardinal. Conſequentia exinde tenet nam eorum omnium poteſtas & auctoritas, ad ſummum, Epiſcoporum auctoritati, & poteſtati ſeu iuriſdictioni aſſimilatur & æquiparatur: ergo quod Epiſcopi non poſſent efficere, neque facere poſſunt ipſi Religionũ Prælati. Confirmatur præterea prædicta concluſio, nam ſicuti Clerici ſolemniter depoſiti, & actualiter degradati, ſtatim deſinunt eſſe de iuriſdictione Epiſcoporum, & traduntur Curiæ ſeculari, efficiunturque de ſecularium iudicum iuriſdictione, ſic etiã & fratres ſolemniter depoſiti, & actualiter degradati ab ordine, ſtatim eſſe deſinunt de iuriſdictione Ordinis, & efficiuntur de iuriſdictione Epiſcoporum (ſi ſunt Clerici) vel ſi ſunt Laici de iuriſdictione iudicum ſecularium: ſed Epiſcopi poſtquã ſolemniter degradauerint Clericum, nullam ſuper illum iuriſdictionem habent, neque poſſunt propria auctoritate à iudicum ſecularium iuriſdictione illum extrahere: ergo neque Prælati prædicti, vllam habent poteſtatem, religioſos ſemel eiectos iterum recipiendi, & admittendi ad ordinem cum iam nõ ſint ſibi ſubditi, ſed Epiſcoporum aut ſecularium iudicum, in vtroque foro ad ligandũ, atque ſoluendũ eos, tanquã ſi eſſent mere ſeculares aut Clerici. Et certe contrarium facere, videretur falcem in alienã meſſem mittere, idq; ſine iure

Nota valde. Pro eiectis ab Ordine ſolemniter, & actualiter cum ſpoliatione habitus, quod nõ reſtitui poſſunt per Miniſtros Generales, ſine ſpeciali licentia Apoſtolica, vel S. Cong. Cardinalium.

aut

aut potius contra ius, nam vt dicitur, par in parem non habet imperium, iuriſdictionem ſiue poteſtatem. Sed dicet quiſpiam, hanc rationem nullam eſſe, & argumentum nihil prorſus valere: nam etiam Clericus ſecularis, eſt ſubiectus Epiſcopo, & de ipſius iuriſdictione, & poteſt nihilominus ſi velit eſſe frater, admitti & recipi ad Ordinem, abſque licentia, & conſenſu eiuſdem Epiſcopi: idem ergo dicendū eſt de huiuſmodi eiectis, quod poſtquam ſemel fuit electi & expulſi de iuriſdictione ordinis, & facti de Epiſcoporum iuriſdictione, ſi iterū voluerint fieri fratres, & Prælatis expediens viſum fuerit, quod abſq; eorū iniuria, iterū poterunt aſſumi, & recipi ad Ordinem. Sed huic replicæ facile reſpondetur, dicēdo, quod eſt longe diſpar ratio: nam in primo caſu, Summi Pōtifices eo ipſo quo approbant & confirmant aliquam Religionē, conſequēter proinde concedūt licentiam & facultatē eorūdem Prælatis, quo omnes è ſeculo fugientes ad profitendū habiles, in eādem poſſint admittere & recipere, & vt illi ipſorū poſſint ſe iugo & iuriſdictioni ſubijcere, nam iuxta ſententiam Ariſtot. qui dat formam, dat etiam conſequentia ad formam, & ſecundū ius, qui concedit aliquid, concedere perinde videtur, omnia ſine quibus illud omninò non poteſt conſtare. Quid enim quæſo, prodeſſet Regulam ſiue Religionem aliquam confirmare, & approbare, niſi ſimul cum eiuſdem confirmatione & approbatione, præſtaretur facultas, vt ad ipſam ſeculares, ſiue conuerſi, aliàs habiles venientes recipi poſſent? At non ex hoc ſequitur, quod eadem ratione, ad Religionem poſſint recipi & admitti ij, qui alias de iure communi ſunt inhabiles, & inhabilitatem poſitiuam habent, expreſſamque iuris prohibitionem, vt ſine licentia & facultate Papæ, recipiantur in eodem Ordine, quales ſunt ſupradicti ſolemniter depoſiti, degradati, habitu ſpoliati, & eiecti ab Ordine. Hæc certe ratio fortiſſima eſt & neruoſiſſima. Cui & accedit alia meo quidem videri neque minus efficax: nam iuxta communē omnium Iuriſperitorum doctrinā, diffinitiuæ ſententiæ latæ, per eundem iudicem nihil poteſt addi, minui vel mutari, vt habetur. *in l. qualem. ff. de arbitr. & in cap. in litteris, de offic. deleg & in c. cum inter de ſententia & re iudicata, & in cap. cum Bertol. eod. tit.* Et hoc loquendo tam de iudice ordinario, quàm de extraordinario & delegato, cum vterque iam functus fuerit officio ſuo. Cum igitur Religionum Prælati, eijciendo Religioſos prædictos ab Ordine, per ſententiam diffinitiuam, quæ iam trāſiuit in rem iudicatam, functi fuerint officio ſuo, manifeſtum fit, quod non poſſunt amplius ſententiam ſuam reuocare, minuere vel mutare, neque cum ipſis vllo modo diſpenſare, magis quam Epiſcopi cum Clericis actualiter & ſolemniter degradatis. Hæc certè ratio fortiſſima eſt Archidiaconi, in ſupradicto capit. *ideò, el 1. 2. quæſt. 6.* Prædicta omnia ſunt vera, & neceſſariò dicenda, ſtando in iure communi: ſecus tamen erit, ſoquendo de priuilegio, ſi ſpeciale aliquod ad idem habeatur. At quidem ego, nullum hucuſque tale inueni, licet cunctarum Religionum priuilegia, antiqua pariter & noua perluſtrauerim. Inuenire quidem licebit aliqua priuilegia, quibus Religionum Prælatis conceditur, fitque facultas, vt ſubditos ſuos rebelles, & criminoſos puniāt, & à Religione poſſint eijcere, & etiam habitu priuare, ſi id expediens viſum fuerit, vt diximus in primo tomo quæſt. 52. loquendo de eiectis; nullum tamen priuilegium hucuſque reperi, quo ſemel eiectos, priuatos atque habitu ſpoliatos, ad Religionem iterum poſſint reſtituere, & admittere, niſi iliud, cap. final *de Regul.* quod vt latiſſime dictum eſt, intelligendum eſt de eiectis verbaliter tantùm, non verò de degradatis, ſeu eiectis ſolemniter, & cum ſpoliatione habitus. Non me latet, quod hoc non obſtante, aliqui grauiſſimi Patres in hiſce rebus nimium exercitati dicunt, in noſtro ſacro Ordine Minorum, atque etiam in Religione fratrum Prædicatorum, ſemper fuiſſe vſu receptū, & in conſuetudine poſitum, quod Miniſtri Generales dictorum Ordinum, quando huiuſmodi electi, habituque priuati & ſpoliati, ad meliorem mentem redibant, & reuertebantur ad cor, contritionis, pœnitentiæ atque humilitatis oſtendentes ſigna, amiſſum habitum ab eiſdem inſtanter, & humiliter expoſtulantes, ſi id expediens ſibi videbatur, eoſdem ad proprium Ordinem, interdum admitterent, habitumque illis redderent, abſque alia licentia & facultate, ſeu Summi Pontificis diſpenſatione. Id quod & dicunt fuiſſe ſemper in ſupradictis Ordinibus vſu receptū & practicatū, & quod fieri, & practicari poteſt hodie, cum ſit hæc de te cōſuetudo tam diuina, & antiqua legitime præſcripta, & vt videtur etiam immemorialis, quæ proinde vim legis, aut ſaltim priuilegij habet, iuxta capit. fin. *de conſuetudine, & legem hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotidiana, & eſtiua.* Crediderim tamen ſupradictos Patres Generales, prædictarum Religionum adeò illuſtrium, vbi tot ac tanti viri reperiuntur litterati, abſque maximo fundamēto hoc numquā feciſſe aut fuiſſe practicatos, abſque aliqua ſpeciali conceſſione, aut viuæ vocis oraculo, alicuius Summi Pontif. de quo non omnibus conſtitit, neque ad Collectoris priuilegiorum peruenit manus, & notitiam, aut forſan ex aliquo reſcripto Illuſtriſſimorum Cardinalium, ante quorum conſpectum prædicti eiecti habitu priuati & ſpoliati, per viam appellationis aut ſimplicis querelæ, comparere ſolent, allegantes ſe grauatos atque iniuriam paſſos fuiſſe, & habitu ſpoliatos ſine iuſta cauſa, obſecrantes, & petentes humiliter, vt eoſdem fouere & patrocinari coram dictis Prælatis dignarentur. Quo facto, ipſi eiſdem ſolent reſcribere, rogantes aut forſan præcipientes, vt de nouo illos recipiant, & intra clauſtra ſub ſua obedientia, & diſciplina regulari admittant, quod & ipſi iuſſis parendo faciunt, ac facere tenentur. Hoc in quam crediderim eſſe certum, neque aliter Prælatos prædictos, ſupradictam eiectorū receptionē auſos fuiſſe practicare, & certe cum viri alias grauiſſimi, doctiſſimi atque religioſiſſimi id fecerint, præſumptio plane ſtat pro ipſis. Sed quidquid de hoc ſit, de ſupradicta antiqua & diutina conſuetudine præſcripta, quod nos in præſentiarum in noſtra concluſ. dicimus, dumtaxat eſt, hoc nullatenus fieri poſſe de iure cōmuni, ſine Summi Pont. diſpenſation, eſeu aliquo alio decreto. Nam communi iure, ſupradictorū ſolem-

Nota hoc val de.

Nota quod ſē tentiæ diffiniti uæ late, per eundem iudi cem, nihil poteſt addi, minui, vel muta ri.

Nota quod cō ſuetudo anti qua, & immē morialis, vim legis habet.

niter eiectorum, depositorum atque degradatorũ cum spoliatione habitus restitutio, solummodo pertinet ad Summum Pontificem, nec sine ipsius licentia fieri potest. Quocirca in nostris Constitutionibus Generalibus Toletanis, cap. 6. vbi agitur de correctione delinquentium. §. de incorrigibilibus, statuitur, *vt qui semel ab ordine fuerit eiectus, iterũ ad eundem non assumatur, & Prælatus qui secus fecerit, sit priuatus legitimis actibus.* Quæ constitutio, an etiam obliget nostri Ordinis Generalem Ministrum, aliorum esto iudicium, nam non est præsentis loci illud determinare. Obligabit quidẽ, si extiterit auctoritate Apostolica facta & confirmata, & ad maiorem abundantiam, dico, quod modo hac de re, extat specialis quidam Motus proprius siue Constitutio Sixti Quinti edita 16. die Augusti anno 1585. & incipit, *Cum primum*, qua constituit, atque deputauit tres S. R. E. Cardinales, qui cognoscerent de causis eiectorum Fratrum, sublata omnibus alijs etiam Sacræ Regular. Congr. Cardinalibus, & Legatis à latere, auctoritate aliter iudicandi. Quod certe magnum indicium est, vt semel & iterum dixi, quod Sedi Apostolicæ reseruatus existat iste casus. Quæ certè constitutio, quamuis à quibusdam dicatur quod non est recepta, credide rim tamen, quod ad vnguem à Prælatis omnibus, quoruncumque Ordinum & Religionum obseruetur, & practicetur, aut saltem mihi non constat contrarium.

Nota hoc val de.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Generalis Minister auctoritatem & facultatem habeat, interpretandi iura & Priuilegia, pro nostro Sacro Ordine Minorum, a Sede Apostolica concessa & emanata?

Prima Conclusio.

Certissimum est, quod iudicialis diffinitio seu interpretatio iurium, legum atque priuilegiorum, Summo Pontif. reseruatur.

Nota quod cuius est legem condere, eiusdem etiã est, eandem interpretari.

CErtissimum est & omni dubio procul, quod iudicialis diffinitio seu interpretatio iurium, legum atque priuilegiorum, quæ à Sede Apostolica emanant, de iure communi est Summo Pontifici reseruata. Hæc conclusio habetur expressa, in cap. *cum venissent. de iudicijs*, vbi dicitur, quod solus Papa cognoscit de dubijs priuilegiorum Apostolicæ Sedis & non inferior. Quod & eidem fuisse reseruatum, multum fuit iuri ac rationi cõsonum: nam secundùm ius, cuius est legem condere, eiusdem est eandem interpretari, vt habetur in cap. *inter alia de sent. excommuni.* & in cap. *sicut. §. ex his.* 11. quæst. 1. & in l. vlt. C. *de legibus, & in l. in prætorijs. ff. de prætor. stipulat.* Videatur hac de re Syluester verbo, *casus.* num. 2 quæst. 1 *casu.* 7. vbi dicit secundum Hostiens. idem esse dicendum, si dubitetur de aliquo Apostolico rescripto, ita quod ab alio per viã determinationis solui non potest, quam à Summo Pont. ad quod allegat cap. 2. *de offic. legat.* Idem etiã dicit, esse intelligendum, secundùm eundem, de interpretatione statuti facti per Legatum, cuius iurisdictio finita est, nec alius ei succedit. Idem & de dispensatione in casibus, qui per eadem statuta Papæ reseruantur. Sed per hoc non tollitur aut prohibetur, doctrinalis, seu magistralis declaratio, quam non solùm Religionum Prælati, verum etiam quicunque alij litterati, secundùm naturalẽ rationem & iurisfundamenta, præstare possunt de priuilegijs & legibus quibuscumque, non solùm respõdẽdo particularibus quæstionibus, siue quęsitis, verum etiam publica edendo commentaria. Si tamen Religionum Prælati, in dubijs emergentibus circa priuilegia Apostolica seu aliquos Canones, declarationes iudiciales in scriptis vel alias facerent, prohibendo sub aliqua pœna, ne sub ditivti possint alia declaratione, siue interpretatione, peccarent quidem, & sua declaratio esset nulla, quia, vt dictum est, eiusmodi iudicialis declaratio & interpretatio, de iure communi est Summo Pontifici reseruata. Videantur, quæ hac de re, dicit Glossa in dict. cap. *cum venissent, verbo iudicari*, vbi ad hoc propositum dicuntur plura, eaque notatu dignissima.

Secunda Conclusio.

Religionum Prælati circa iura, leges & priuilegia possunt facere expositionẽ, seu doctrinalem declarationẽ, cui subditi auscultare debent, interim quod ad Sedẽ Apost. recurritur.

Prælati Religionum possunt suspendere priuilegia Religionibus concessa, donec Sũmus Pontif. consulatur.

SI ex alicuius legis Apostolicæ vel priuilegij promulgatione, inter subditos aliqua exoriatur dubia, & præcipuè si ea spectent ad totam cõmunitatem, bene possunt Religionum Prælati, doctrinalem quandam condere interpretationem, & per suas literas sibi subditos ad ipsius obseruantiam exhortari & admonere, interim quod ad Sũmum Pontificem recurritur.

Hæc Conclusio est manifesta, & ex dictis satis constat, quia de hoc nulla inuenitur facta prohibitio, quin verò est bona gubernatio. Quin verò addo, quod si Religiosi abuterentur aliquibus gratijs, priuilegijs siue facultatibus Apostolicis, possent Generales Prælati, eiusmodi gratias, priuilegia, & facultates suspendere, donec Romanus Pontifex consulatur. Hoc habetur ex concessione Sixti Quarti, de qua in Monumẽtis Ordinis, 1. imp. fo. 56. & 2. fol. 52. con. 58. & refertur in compend. priverbo, priuil. fratrum. §. 9. Item quando occurrũt dubia, super negotijs & priuilegijs Ordinibus concessis, Innocentius Octauus *Cõcessit facultatem Vicario Generali Ordinis Prædicatorum Congregationis Hispaniæ pro tempore existenti, & idem est iudicium de Ministro seu Vicario Generali nostri sacri Ordinis Minorum, priuilegium habentium communicationis quod cum aliqua persona in dignitate Ecclesiastica constituta, & duobus alijs Iurisconsultis, interpretari possit eiusmodi dubia, & fratres supradicti stare possint secure declarationibus per eosdem faciendis* Habetur in Monumentis Ordinis. 2. imp. fol. 76. conce. 195. & supple. fol. 101. conc. 394. & in cõp. verbo priuil. fratrum. §. 13. Leo etiam X. *concessit Generali & Prouincialibus Ministris & Custodibus, cum consilio aliquorum Patrum, si res magnæ momenti fuerint, quod in rebus dubijs & scrupulosis, conscientias fratrum Minorum subditorum tangentibus, possint auctoritate Iuæ Sanctitatis, determinare in scrupulis & rebus huiusmodi, atque eorum determinationi subditi, secura conscientia possint & debeant stare.* Quod & postea ampliauit ad Guardianos & quoscunque alios Prælatos. Item Capitula Generalia, sine alia speciali licẽtia

&

& auctoritate Papæ, poſſunt limitare ſeu tollere vſum Priuilegiorum Ordinibus cõceſſorum, quia hoc fit ex cõſenſu partiũ, cõtento in toto Capitulo per modum compromiſſi, cum certum ſit priuilegium non concedi in inuitum. Quod tamen per ſe ipſos ſolum, facere non poſſunt Generales Prælati, abrogando priuilegia Ordini cõceſſa, aut tollendo illorum vſum, niſi ad id ſpecialem habeãt facultatem. Item Leo Decimus, vt habetur in ſup. fol. 94. conceſſ. 269. & refertur in comp. verbo viuę vocis oraculo. §. 3. *conceſsit Generali in ſuo capitulo generali, & Prouinciali in ſuo capitulo Prouinciali, vt de conſenſu eiuſdem capituli generalis ſiue Prouincialis, vel maioris partis, declarare poſsit, an ſit abſtinendum ab vſu alicuius conceſsionis, factæ viuæ vocis oraculo, & poſt talẽ declarationem prædictum oraculum ita eſſe inualidum, ac ſi per ſuam ſanctitatem eſſet ſuſpenſum, & reuocatũ.* Hęc certè diſpoſitio facta per Leonem X. nimis fuit iuridica, & quammaxime neceſſaria, non enim eſt credendum velle Summ. Pont. qui iura tuetur, vnico verbo ſuſpendere voluiſſe, quæ multis tẽporibus ac vigilijs fuerant excogitata, vt iura diſponunt. Verum ſi dubia ſint circa leges & litteras Apoſtolicas, vel circa incurſionem alicuius pœnę & res ad iudicium fuerit deducta, poterit generalis Miniſter & alij Religionum Prælati, illam opinionem ſequi, quæ ſibi probabilior viſa fuerit, in infligenda pœna vel releuando ab ea, & tunc ſententia erit valida, nam ſententia lata contra ius dubium, non eſt ipſo iure nulla, ſed valida, vt docent omnes communiter ſcribẽtes, ſed præcipue Panorm. in cap. 1. *de ſententia, & reiudicata*, num. 9. adducendo ad id multa iura, quę maxime faciunt ad hanc rem confirmandam.

Nota valde, quod Leo X. conceſsit Miniſtro generali cũ Capitulo generali, & Prouinciali cũ prouinciali vel maioris partis, vt declarare poſsint, an ſit abſtinẽdũ ab vſu alicuius priuilegij, ſiue viuæ vocis oraculi.

Nota quod ſententia lata contra ius dubium, non eſt ipſo iure nulla, ſed valida

Sed circa Canones Concilij Tridentini, libet ſpecialiter aliquid dicere, An Prælati Regulares, circa ipſius explicationem poſſint aliquid facere, & declarare ſiue explicare illud? de quo ſit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio.

Circa canones Conc. Trident. Stricta, atq; ſpecialis prohibitio facta eſt, vt nullus præter Roman. Pont. ipſum poſsint declarare.

Nota valde omnia quæ ſequuntur.

STricta atque ſpecialis facta eſt prohibitio, circa Concilium Tridentinum, vt nullus præter Romanum Pontificem, ipſum audeat explicare, aut declarare. Hæc prohibitio habetur in Bulla confirmationis eiuſdem Concilij, facta à Pio IIII. quæ incipit, *Benedictus Deus*, & eſt inſerta in fine eiuſdem Concilij, in qua cunctis Prælatis atque perſonis præcipitur, ſub grauiſſimis pœnis ibidem appoſitis, ne commentaria, gloſſas, annotationes, ſeu ſcholia, vllumve interpretationis genus, ſuper ipſius Concilij decretis, quoquo modo edere aut ſtatuere audeant, etiam prætextu maioris corroborationis, ſeu executionis eiuſdem Concilij. Circa quam Bullam notandum occurrit, quod nõ prohibetur per eam, ne aliquis ad adiuuandam memoriam, vel ad ſuam eruditionem & ſpecialem inſtitutionem, annotationes, ſeu commentaria, vel ſimile aliud quid quam efficiat, ſed ne id faciat, ad edendum & publicandum prædicta commentaria ſiue ſcholia, veluti ſi quis ad hunc finem, librum aliquem typis mandaret, aut Codicem manuſcriptum componeret, eo animo vt ipſius copia, ad omnium manus poſtea poſſet peruenire.

Rurſum aduertendum eſt, quod per ſupradictã Bullam, non prohibetur Aduocatis, qui litem aliquam defendunt, ortam ex aliqua dubia, intelligẽtia alicuius decreti præfati Concilij Tridentini, quin poſſint ſcribere & componere aliquas, quæ dicuntur, *Informationes*, in puncto iuris ad ſuum patrocinium & ad perſuadendum & conuincendum Iudicum animos, id quod & quotidie fit. Et idem eadem ratione eſt dicendum de alijs Aduocatis, & literatis viris, qui verbo, vel etiam ſcripto, ſatiſfaciunt huiuſmodi ſcriptis, & informationibus, & etiam de his, qui doctoraliter reſpondent ſpecialibus dubijs, & quæſtionibus ab eiſdem quæſitis, circa veram intelligentiam alicuius Decreti præfati Concilij, ad ſedandas, quietandas, & aſſecurandas aliquorum conſcientias, id quod etiam habetur in vſu quotidie. Quinuero nec per dictam Bullam prohibentur aut cõdemnantur Auctores aliquorum librorum, qui non ex propoſito, ſed incidenter, interpretantur aliqua eiuſdem Conc. decreta ab eis allegata, vt & ipſe facio, ſæpiſſime in hoc Manuali, & fecit ſuo tempore doctiſſimus Doctor Nauarr. & alij quamplures Doctores moderni, ſcribentes circa aliquos particulares caſus ſiue cauſas, nam hoc non eſt edere aliquod genus Commentarij, ſuper ipſius decretis, & has omnes aſſertiones, licitas eſſe, iam vniuerſalis declarauit conſuetudo. Maior difficultas eſt de alijs, qui expreſſe & directè, ſcripſerunt circa aliqua præfati Cõcilij decreta, vt fecit ſapientiſſimus Pater F. Andreas de Vega, Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, Prouinciæ Diui Iacobi, & noſtri Salmanticenſis Conuentus magnum decus & ornamentum, qui ex propoſito ſcripſit, & in lucem edidit, magnũ & aureum illud opus, quod communiter circumfertur, & de Iuſtificatione nuncupatur. Sed ad hoc omni proculdubio credendum eſt, illum ſpecialem habuiſſe licentiam & facultatem, quinuero expreſſum mandatum, cum fuerit vnus ex Patribus, qui ex noſtra Hiſpania, affuerunt prædicto Concilio, quod & ſimiliter credi debet de alijs, ſi qui forſan ſimile quippiam fecerunt.

Difficultas. Circa illos, qui ſcripſerunt ſuper canones Conc. Trid. an id facere fuerit licitum?

ARTICVLVS. IX.

Vtrùm Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, propria auctoritate deſerere poſsint aliquod Monaſterium?

HAc de re multa ſunt à nobis dicta in præcedenti tomo, quæſt. 34. vbi per tres continuos Articulos, egimus de Monaſterijs, quantum attinet ad ipſorum deſtructionem ſeu deſertionem: ſed nihilominus vt hic etiã omnia prę manibus habeantur, & circa propoſitam difficultatem aliquid dicamus, ſequẽtem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Prohibitum eſt omnibus

PRohibitum eſt omnibus Religionum Prælatis Mendicantibus, ne ſine ſpeciali Summi Pontificis

Religionum Prælatis Mēdicātibus, ne ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolica, Monaſteria ſemel capta deſerant, vel de vno ad alium locum trāſferant.

ficis licentia, loca ſiue Monaſteria ſemel accepta, deſerant omnino, vēl de vno ad alium locum trāſferant. Hoc habetur expreſſe, in cap. *vnico, de religioſis domibus, & in cap. cum ex eo, de exceſſibus Prælatorum, lib. 6.* Et eſt lata excommunicatio, contra omnes Prælatos oppoſitum facientes, de qua videndus eſt Sylueſter, verbo, *caſus, num. 2. quæſt. 31. caſu 8. & verbo excommunicatio, 8. §. 20,* & hoc eſt verum loquendo de iure communi.

Sed Sixtus Quartus, *conceſsit Miniſtro generali Fratrum Minorum Obſeruantiæ, licentiam, & facultatem, ea loca quæ Fratribus ſuis minus commoda eſſe cognouerit, dimittendi in manibus Ordinariorum locorum, & illa licite deſerendi, prout ei viſum fuerit expedire, ſuper quo eiſdē Generalis conſciētiam oneranit, & hoc voluit non obſtante Conſtitutione Bonifacij Octaui, prohibente loca ſemel recepta deſeri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.* Habetur hæc conceſſio in Monumentis Ordinis, primæ impreſs. fol. 47. & 2. fol. 131. conceſs. 293. & refertur in Compēd. verbo, ędificare. Vbi notandum venit, quod per dictam conceſſionem, nec Prouincialis Miniſter, nec vero Prouincia tota, facultatem habet deſerendi prædicta loca, ſine licentia generalis Miniſtri aut Commiſſarij generalis, quibus hoc ſolummodo conceditur, quod multum oportet memoriæ commendare.

ARTICVLVS X.

Vtrùm generalis Miniſter, de nouo poſſit recipere aliquem Conuentum, ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ?

HAc etiam de re, in præcedenti tomo, ſpecialem fecimus quæſtionem, quæ numero eſt. 33. vbi egimus de Monaſterijs Religioſorū, quantum attinet ad ipſorum conſtructionem, ædificationem, ſeu reædificationē. Sed vt etiam præmanibus habeatur, quid hac in re tenendum ſit propoſito Articulo breuiter reſpondeo, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Iure prohibitū eſt Religionū Prælatis, ne de nouo aliquem conuētum recipiāt, ſine ſpeciali licētia, & auctoritate Apoſtolica.

IVre prohibitum eſt Religionum Prælatis, ne de nouo aliquem poſſint Conuentum recipere, ſine ſpeciali licētia, & auctoritate Apoſtolica. Hæc concluſio, conſtat ex decretali Bonifacij Octaui, poſita, in *cap. vnico, de exceſſibus Prælatorum.* & Gregorij X. in Conc. Lugdunenſi, poſita, in *cap. vnico, de religioſis domibus, in 6.* de qua videatur Sylueſter, verbo, *caſus, num. 2. quæſt. 1. caſu 9.* Et præter auctoritatem Apoſtolicam de iure antiquo requiſitam, nunc de nouo per Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 3. requiritur etiam licentia Epiſcopi ordinarij, in cuius dioceſi Monaſteria ſunt erigēda. Circa quod decretum, quidam dubitare ſolēt, An ſufficiat licentia Epiſcopi ordinarij ſolum, ad nouam alicuius Conuentus conſtructionem, an verò ſit neceſſaria & requiratur licentia Papæ? Cui dubitationi iam reſponſum eſt, per Cardinales interpretes Concilij Tridentini, dicēdo quod Monachi non poſſunt ædificare Monaſteria, in Parochia in qua ea non habent, ſine cognitione, & licentia Papæ. Quæ quidē declaratio fuit quāmaxime iuridica: nam Concil. Trid. in prædicto decreto, non abrogauit diſpoſitionem iuris communis, iuxta quod ad id requiritur Summi Pontificis facultas, ſed tantum de nouo indixit, vt ſimul cum licentia Papę, concurrat etiam facultas Epiſcopi, quæ ſemper erit neceſſaria, niſi Summus Pontifex aliud diſpoſuerit. Sed quæri poteſt, An poſt prędictam iuris determinationem, qua cauetur, ne de nouo conſtruantur Monaſteria, ſine Papæ facultate, & licentia, ſint aliqua Religioſis conceſſa priuilegia, ad idipſum faciendum? Cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Secunda Concluſio.

Aliqua ſunt priuilegia. Regularibus conceſſa, conſtruēdi ædificandi Monaſteria, ſine noua Papæ licentia.

ALiqua ſunt priuilegia, quibus facultas eſt Regularibus conceſſa, conſtruendi, & ædificandi Monaſteria, ſine noua Papæ licentia. Supradicta priuilegia ad vnguem poſita ſunt in præcedenti tomo, in ſuo proprio loco, & cum non expediat eadem iterum repetere, ſummatim dico, quod ad hoc habetur priuilegium quoddam Iulij Secūdi, cuius fit mentio in Monum. Ordin. 1. impr. fol. 43. & 2. fol. 126. conceſ. 278. & refertur in Compend. verbo ędificare, §. 10. Quod priuilegium idem Iulius Secundus poſtea ampliauit, ac veluti de nouo conceſſit in alia ſua Bulla, expreſſe mentionē faciente de ſupradicta Conſtitutione Bonifacij Octaui, vt habetur in dictis Monumentis Ordinis 2. impreſ. fol. 211. concluſ. 515. & Supplem. fol. 71. conc. 218. & refertur in Compend. vbi ſup. §. 11. conceſſiones dictæ factæ ſunt nobis Fratribus Minoribus. Sed prętereà idem Iulius Secundus, fecit aliam ſimilem, quinuero ampliorem conceſſionē Fratribus Ordinis Minimorum, concedendo ipſis vt poſſent Monaſteria ædificare, abſque aliqua licentia Ordinarij, & quocumque Prælato Eccleſiaſtico contradicente, quæ conceſſio habetur in Supplemento fol. 8. conceſ. 27. & refertur in Compēd. verbo vbi ſupra. §. 20. vbi Priuilegiorum Collector dicit, huiuſmodi priuilegium fuiſſe magnū, & practicatum olim de facto contra quendam Archiepiſcopum Hiſpalenſem, quo contradicente ædificationem cuiuſdam Conuentus, obtinuerūt dicti Fratres Minimi. Sed hoc fuit ante dictum Cōcilium Tridentinum, nam poſt decretum factum in ipſo, neceſſario dicendum eſt, quod vltra prædicta priuilegia Papæ, requiritur abſque dubio facultas diœcęſani Epiſcopi.

Sed dubitabit quiſpiam, An declaratio Cardinalium hac de re nouiter facta, abrogauerit priuilegia Fratribus olim conceſſa, ad recipienda Monaſteria, ita, vt ſit modo neceſſaria noua alia Papę licentia? Cui difficultati breuiter reſpondendo, dicunt communiter Doctores quod non, nam in dicta declaratione, nulla fuit facta abrogatio priuilegiorum, ſed tantummodo decretum eſt, quod vltra licentiam Epiſcopi, requiritur ad dictum effectum, facultas Papæ ac Summi Pont. quod eſt veriſſimum, ſiue alia ſit iam conceſſa per antiqua priui-

Qualiter ſint Monaſteria de nouo ædificāda.

priuilegia, ſiue verò per alia in poſterum concedenda. Vltimo pro pleniori huius Articuli intelligentia aduertendum eſt, quod omnia illa, quæ requiruntur pro Monaſterij vnius erectione, requiruntur etiam ad eiuſdem de vno ad alium locum translationem, quia non videtur eſſe maior ratio de vno quam de alio, & ſupradicta iura de his omnibus loquuntur pariformiter, ſicque ad vtrumq; requiritur licentia Papę & ſimul Epiſcopi, poſt Concilium Tridentinum, id quod & tenendum eſt ſe, iam communis vſus declarauit. Aduerto etiã, quod ſupradictus Iulius Secundus, pro nobis Fratribus Minoribus, *ſtatuit, vt qui in vna prouincia ſecundum mores dicti Ordinis viuunt, nequeant ædificare domos in alia Prouincia, quæ ſub aliena obedientia exiſtunt, niſi de licentia generalis Miniſtri, & decreuit irritum & inane, quidquid in contrarium attentari contigerit*, vt habetur in Monum. Ordin. primę impreſs. fol. 43. & 2. fol. 126. & fol. 127. conceſ. 276. & 532. & refertur in Comp. verb. ędificare, §. 12. & 13.

Nota valle, pro non ædificandis Monaſterijs in alienis Prouincijs.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Generalis Miniſter poſſit de nouo aliquam Prouinciam fundare, & erigere, ſeu iam erectam atque fundatatam diuidere?

Concluſio.

Iure prohibitum eſt Prælatis, aliquã nouã prouinciam fundare aut iam fundatam diuidere, ſeu alteri ſubijcere, abſque ſpeciali licentia Sũm. Pont.

PRohibitum eſt generali Miniſtro, & omnibus Religionum Prælatis, ne poſſint de nouo aliquam Prouinciam fundare & erigere, ſeu iam fundatam atque erectam diuidere, nec vnã Prouinciam alteri ſubijcere, abſque ſpeciali licentia Summi Pontificis. Hæc concluſio probatur à ſimili, de Conſtitutione nouæ ſedis Epiſcopalis, de quo habetur expreſſa prohibitio, *in cap. felix. 10. q. 1.* quod eſt deſumptum ex Concil. Carthaginenſi ſecundo, cap. 5. & idem dicitur eſſe ſtatutum in Conc. Toletano duodecimo, cap. 4 facit & capit. *præcipimus eadem cauſa & quæſt.* idem etiam habetur in cap. *de Locorum. de conſec. diſt. 1.* quod eſt Geleſij Papæ. Et de mutatione Sedis Epiſcopalis, habetur, in cap. *temporis. 7. q. 1. & cap. mutationes. ead. cau. & quæſt.* Quibus omnibus in locis ſtatuitur, vt conſtitutiones ac mutationes nouæ Sedis Epiſcopalis non fiant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali: & eadem eſt ratio de erectione ſiue mutatione cuiuslibet Prouinciæ, nam, vt ſæpe dictum eſt, de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Videatur hac de re Sylueſter, verbo, *caſus, num. 2. quæſt. 1. caſu. 8. & 9. & 10.* Vbi & ad hoc propoſitum adducuntur alia iura cap. *ſicut vnire. de exc. ſub. Prælatorum, cap. niſi ſpecialis, & cap. quod translationem, de officio Legati.* Supradicta omnia iura, quæ loquuntur de conſtitutione nouæ Sedis Epiſcopalis, & quibus præcipitur ne vnio, diuiſio ſiue ſubiectio eiuſdem, fiat abſque ſpeciali Papæ facultate, iure optimo poſſunt & debent accommodari, ad erectionem, fundationem ſiue conſtitutionem nouæ Prouinciæ, & vnionem diuiſionem ſiue ſubiectionem Prouinciarum, quæ omnia ſunt Summo Pontifici reſeruata, vt etiam expreſſe ſtatuit atq; præcipit Nicolaus Quartus, *ordinando ac diſtricte inhibendo, ne in Ordine Fratrum Minorum fiat diuiſio aliquius Prouinciæ, vel nouarum Prouinciarum multiplicatio, abſque Romani Pont. licentia ſpeciali, per eius patentes litteras concedenda, facienteque plenam & expreſſam de huiuſmodi ſtatuto & ordinatione ac inhibitione mentionem: decreuitque irritum & inane, ſi ſecus in hac parte contigerit attentari.* Habetur in Monument. Ordin. primę impreſs. fol. 53. & ſecundæ fo. 136. conceſſion. 315. & refertur in Compend. Priui leg. verbo, *prouincia. §. 1.* quæ Conſtitutio, quam ſit iuri communi conſona, ſatis cõſtat ex ſupradictis.

Nota hoc valde, pro non faciendis nouis prouincijs neque diuidendis antiquis.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Generalis Miniſter, ſeu alius Prælatus generalis, poſſit efficere, atque diſpenſare, vt vnus Religioſus ſimul habeat plures Guardianatus ſiue Prioratus?

HAc de re peculiarem facimus quæſtionem, ſupra quęſt. 3. artic. 3. ſed nihilominus, vt præmanibus habeatur, quod iure prohibitum eſt facere generali Miniſtro, & cuicũque alij ſimili Prælato, propoſitæ difficultati breuiter reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Nullus inferior Papa, diſpẽſare poteſt in eo, quod quiſpiam plures Guardianatus habeat Prioratus, ſiue Abbatias.

NVllus inferior Papa diſpenſare poteſt, in eo quod vnus Religioſus plures ſimul habeat Guardianatus, Prioratus ſiue Abbatias. Hæc concluſio ſatis conſtat ex his, quæ dicta ſunt ſupra loco citato. Vbi adducta ſunt innumera iura, quibus prohibitum eſt, vt ne quis habeat ſimul duo beneficia animarum curam habentia. De quo etiã videatur Sylueſter, verbo, *caſus, num. 2. quæſt. 11. caſu 21.* Ad quod probandum adducit, cap. *de multa*, de *præbend.* & quod non vni Eccleſiæ duo ſimul pariter præſint, habetur in cap. *fin. 21. q. 2.* Diximus etiã de iure communi, id ipſum etiam debere intelligi de obtinenda diffinitione, ſeu Diffinitoris officio, ſimul cum Guardianatu, quamuis ſuper hoc, vt habetur in noſtris Conſtitutionibus generalibus, c. 7. de electionibus & inſtitutionibus officiorum, generalis Miniſtri, auctoritate Apoſtolica diſpẽſare poſſunt. Hæc de iſto Articulo & tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVÆ-

QVAESTIO. VIII.

Circa ſupradicti Generalis Miniſtri iuriſdictionem, auctoritatem, & poteſtatem in ſibi ſubditos, in qua etiam ponuntur plura, in quibus ipſe nihil poteſt, eo quod ſint de iure communi, Summo Pontifici reſeruata, in quartuordecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Generalis Miniſter, poſsit diſpenſare cum ſibi ſuditis, circa ætatem ad faciendam profeſsionem requiſitam, & ad recipiendos ſacros Ordines, & retinenda Ordinis officia?

Prima Concluſio.

Generalis Miniſter, & Religionũ Prælati, diſpenſare nõ poſſunt circa ætatem Nouitiorum ad faciendam profeſsionem requiſitam.

GEneralis Miniſter, & Religionum Prælati, diſpenſare non poſſunt, ſuper ætate Nouitiorum ad faciendam profeſſionem requiſita. Hæc concluſio habetur expreſſa in Cõcilio Tridentino ſeſſ. 25. de Regul. c. 15. vbi determinatur tempus faciendi, atq; emittendi profeſſionem expreſſam, ſexdecim annorũ, & præcipitur, vt profeſſio antea facta, nulla ſit, nullamque obligationem inducat. De qua concluſione plura, ſuperque ſatis diximus in præcedenti Tomo quæſt. 22. art. 1. 2. & 3. eadem ratione & cauſa Generalis Miniſter, diſpenſare nõ poteſt, in eo quod profeſſionem emittat, qui minori tempore, quam per annum poſt receptum Religionis habitum, in probatione extiterit, quod etiam præcipitur ibidem, & annullatur, & irritatur profeſſio aliter facta, de quo etiam probationis anno, plura à nobis ſunt dicta, loco citato, & qualiter eſſe debeat continuus, vbi incipiat, quando finiatur, & multa alia, ad hoc propoſitum ſpectantia, quæ videri poterunt ibidem.

Secunda Concluſio.

Generalis Miniſter, & Religionũ Prælati diſpenſare nõ poſſunt ſuper ætate ad ſacros Ordines requiſita

SVpradictus etiam Generalis Miniſter, diſpenſare non poteſt, ſine ſpeciali licentia, & priuilegio Summi Pontificis, in eo quod noſtræ Religionis iuuenes profeſſi, ad ſacros Ordines promoueãtur, abſque ætate legitima, de Iure communi, innouato per Concilium Tridentinum, ad idipſum requiſita. Hæc concluſio habetur expreſſa, *in clement. generalem, de ætate, & qualitate,* & in dicto Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 11. & 12. vbi tempus ſuſcipiendorum omnium Ordinum præfigitur, & innouatur; qua etiam de re nos etiam longam tractationem fecimus, in præcedenti Tomo quæſt. 39. vbi latiſſime diximus, (ni fallor) omnia, quæ ad hoc propoſitum deſiderari poſſunt. Videantur ibidem, & Sylueſter, verbo, *caſus, n. 2. quæſt. 1. caſu*, 23.

ſacros Ordines requiſita

Tertia Concluſio.

Generalis Miniſter & Religionũ Prælati, non etiam poſſunt diſpẽſare, ſuper ætate requiſita ad Præfecturas.

NOn etiam poteſt Generalis Miniſter, diſpenſare in eo quod quiſpiam promoueatur ad Præfecturas, & dignitates Ordinis, animarum curam habentes, abſque ætate legitima, de iure communi, ad id muneris (reſpectiuè) requiſita. Hæc concluſio habetur etiam expreſſa, *in cap. cũ nobis olim, de electione, & in cap. licet Canon. eodem tit. lib. 6.* Vbi agendo de Epiſcopatu dicitur ad id muneris eſſe triginta annorum ætatem requiſitam, ad obtinendas verò Eccleſias, ſeu dignitates curatas, viginti quinque annorum, & ſimili modo procedendum, atque philoſophandum eſt, de ætate requiſita ad obtinendum officium Prouincialis Miniſtri, quod cum dignitati Epiſcopali correſpondeat, ad minus trigeſimum annum expletum expoſtulat, ad obtinendos verò Guardianatus, ſiue Prioratus, quæ quidẽ officia Curatis, ſiue animarũ curam habentibus correpondẽt, viginti quinque annorum ætatem habere ſufficit, vt etiam nos latiſſimè diximus ſupra in iſto 2. tomo quæſt. 3. artic. 1. agentes de Prælatis Regularibus, quantum ad ipſorum ætatem, quæ cum habeantur ibidem, non eſt cur in præſentiarum repetãtur, videatur etiam hac de re Sylueſter vbi ſupra, caſu 22.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis in bigamia, ad hoc, vt ad ſacros Ordines poſsint promoueri?

PRo huius Articuli intelligentia, & vt paremus viam ad ea quæ in ſubſequentibus ſunt dicenda, oportet aliquot præmittere fundamenta. Et primo quia Religio-

ligionum Prælati, iure prohibentur in pluribus irregularitatibus diſpenſare, ne, vt dicitur, ad ignota, per ignota procedamus, adnotare oportet, quid ſit irregularitas in communi ſumpta? Et dico cum Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 191. quod hoc nomen *irregularitas*, non multum eſt Latinum, & generaliter acceptum, ſignificat id, quod ponit aliquem extra regulã, quia componitur ab *in*, quod eſt non, & *regularitas*, ſiue Regula, idemque pollet, atque non Regularis, vel qui eſt extra Regulam. Quo ſit vt irregularitas ipſa quãtum ad præſens attinet propoſitum ſit *impedimentum canonicum, quo quis ad Eccleſiaſticos Ordines promoueri, vel iam promotus, in eiſdem directe prohibetur miniſtrare, etiam poſt factam pœnitentiam.* In qua diffinitione, inquit prædictus Nauarr. quod verbum, *impedimentum*, ponitur pro genere, & dicitur *canonicum*, (id eſt inductũ à iure canonico) ad inſinuandum, quod non eſt impedimentum iuris naturalis, nec diuini, quamuis aliqua irregularitas ex veteri Teſtamento ortum, atque originem duxerit, ſeu ad inſtar ipſius in Eccleſiam fuerit introducta, ſecundum mentem, *gloſſæ in cap. 1. de conſecrat. diſt. 1*, Dicitur etiam in prædicta diffinitione, *eſſe impedimentum, quo quis ad Eccleſiaſticos Ordines prohibetur promoueri, aut iam promotus in ipſis miniſtrare*, nam aliqua irregularitas impedit acceptionem Ordinum, & non vſum acceptorum, aliqua verò vnum vſum, & non alium, vt conſtat ex cap. 2. *de Clerico ægrotante*, & alijs. Tandem apponitur illa particula, *directe*; ad inſinuandum, quod ad veram & propriam irregularitatem, non ſufficit, quod quis ſit prohibitus ſuſcipere Eccleſiaſticos Ordines, vel in ſuſceptis miniſtrare indirectè ſed requiritur, quod ſit directè. Indirectè enim vtrumque contingit in excommunicatione, nam excommunicatus, eo ipſo, quo excommunicatus eſt, priuatus eſt omnium Sacramentorum communicatione, ex quo indirecte ſequitur, quod non poſſit promoueri ad ſacros Ordines, nec in ipſis promotus miniſtrare, non tamen propterea ſequitur, quod excommunicatio, ſit vere & proprie irregularitas, vt egregie annotat Nauarr. loco ſupracitato, contra Speculatorem. Et idem dicendũ eſt, de ſuſpenſo ab officio & beneficio, & de interdicto, quæ quidẽ quãquã Ordines, & ipſorũ vſum impediãt, quatenus ſunt cõmunicatio, aut Sacramẽta, ſiue officia, aut beneficia Eccleſiaſtica, nõ tamen quatenus ſunt Ordines directè, at verò irregularitas vera & propria, prohibet directè Ordinũ promotionẽ & executionẽ, in quãtũ ſunt Ordines Eccleſiaſtici, ſiue ſint Sacramẽta, ſiue nõ, vt patet in ordinibus Minoribus, quæ non ſunt Sacramenta, & irregularitas nihilominus priuat dictis Ordinibus in quantũ ſunt Ordines Eccleſiaſtici. Non autẽ irregularitas prohibet directè Ordinũ promotionẽ & executionẽ, in quantũ ſunt Sacramẽta (nam hoc ſpectat ad excommunicationem) neque in quantum ſunt officia (nam etiam hoc pertinet ad ſuſpenſionem) ſed in quantum ſunt Ordines Eccleſiaſtici tantum. Hæc eſt enim eius eſſentia, & ij ſunt proprij ipſius effectus, de quibus videatur Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 3. Art. 1. per totũ. Sed eſt vlterius poſitum in diffinitione prædicta, illud verbum, *etiam poſt factam pœnitentiam*, ad maiorem naturæ ipſius irregularitatis explicationem, ſiue declarationem, & ſignificandum poſſe quempiam abſolui à peccato quo irregularitas incurritur, remanente ipſa irregularitate, ſecundum Cardinalem, *in Clem. dudum de ſepult. §. ac deinde quæſt. 8.* quidquid innuat *Extrauagans 1. de priuileg.* De quibus omnibus videatur Suarez, 5. tom. in 3. part. D. Thom. diſput. 40. ſectione prima, & ſecunda, per totas.

1. Nota, quid nam ſit irregularitas in cõmuni ſumpta.

Nota hoc val de circa differentiam quæ verſatur, inter irregularitatem & excõmunicationẽ.

Secundo pro maiori dicendorum intelligentia præmitto, quod licet irregularis celebrans, non incurrat nouam aliam irregularitatem, peccat tamẽ mortaliter quotieſcumque celebrat, antequam obtineat diſpenſationem, vt probe tradit ſupradictus Nauarr. loco ſupracitato, num. 194. id probãs ex multis iuribus & Doctorum auctoritatibus. Vbi etiam dicit, quod firma ratio ob quam irregularis celebrans, etſi peccet mortaliter, non tamẽ nouam aliam irregularitatem incurrit, ea eſt, quia irregularitas non eſt vera ſuſpenſio, nec cenſura Eccleſiaſtica, atque ita celebrans illa irretitus, nullam violat cenſuram neque aliquid aliud, cuius violatio nouam irregularitatem infligat, præterquam quod ipſa non incurritur, niſi in caſibus iure expreſſis, vt aperte habetur, in cap. 1. *de ſentẽtia excomunic. lib. 6.* & nos inferius latius dicemus. Aduertit inſuper ſupradictus Nauarr. quod poteſtas abſoluendi à quibuſcumque peccatis, etiam facta per Bullas Papæ quę dicuntur Cruciatæ, ad diſpenſationem irregularitatis non extenditur, prout ipſe latiſſime probat in eodem capite num. 249. & expreſſius num. 250. quamuis habeant clauſulam abſoluendi à qualicumque cenſura, quia, inquit, irregularitas non eſt cenſura, nec ipſius abſolutio neceſſaria ad peccatorum abſolutionem, quod & multis probat, ſed de hoc alias.

2. Nota, quod irregularis celebrans, non incurrit nouã irregularitatẽ: peccat tamen quotieſcũq; celebrat antequã obtineat diſpenſationem.

Nota ex Nauar. quod irregularitas, non abſoluitur, neq; tollitur per Cruciatæ bullã, neq; per priuilegia, abſoluendi à quibuſcumq; peccatis.

Tertio & vltimo pro hoc Articulo & ſequentibus aduerto, quod quamuis nonnulli dicant, irregularitates non poſſe ad certum numerum reduci, nos tamen ſequuti eundem Nauarr. vbi ſupra, cap. 27. num. 192. & num. 193. eas ad quinque ſpecies reducimus. Quarum eſt prima, quæ prouenit ex defectu Sacramenti, vt bigamia; ſecunda verò ex defectu corporis, vt mutilatio paſſiua; tertia verò ex defectu animæ, vt ignorantia; quarta ex defectu perfectæ lenitatis, vt mutilationes actiuę & occiſiones illicitæ, atque interdũ licitæ. Quinta verò eſt ex delicto proueniens, de quibus omnibus in particulari eſt agendum, in hoc & ſequentibus Articulis, an Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, cum ſibi ſubditis poſſint in ſupradictis irregularitatibus diſpenſare. Sed primo proponitur in iſto de irregularitate, quæ prouenit ex bigamia. Pro qua ne etiam per ignota procedamus, antequam propoſito Articulo ſatis fiat, vt non laboremus in æquiuoco, dicamus oportet quid ſit bigamia, & quę eius ſpecies & quibus rebus priuet: de quo ſit quartum notabile.

3. Nota, quod irregularitates omnes, ad quinque ſpecies reducuntur.

Quarto noto, & dico, quod bigamia vt conſtat ex Nauar. in ſupradicto Manual. cap. 27. num. 195. eſt ſtatus coniugati cum duabus coniugibus, ſiue ante ſiue poſt baptiſmum ductis, ex cap. *acutius 26. diſt. & gloſſa. in cap. vna, diſt. eadem.* De qua irregularitate dicit gloſſa in Summa eiuſden diſtinctionis quod fuit ſtatutum, vt ipſa eſſet impedimentum Ordinum, ob quatuor. Primo quia bis coniugatus

4. Nota quid nam ſit bigamia, quæ ipſius ſpecies, & quibus rebus priuet.

non

non poteſt apte ſignificare vnionem Ieſu Chriſti cum Eccleſia, vnica & ſancta ſponſa ſua, *per cap. de bitum, de bigamis*, vbi gloſſa communiter recepta, verbo, *Sacramentum*, id late declarat. Secũdo, quia excellentia Sacramenti ordinis, hoc meretur, *per dictum cap. vna*. Tertio, quia eſt ſignum incontinentiæ, per *cap. propoſuiſti, diſt.* 82. Et tandem vltimo, quia ad perſuadendam caſtitatem, auctoritatem adimit, *per dictum cap. vna*. Hæc prædicta bigamiæ ir regularitas eſt triplex. Quædam vera, alia verò ficta ſeu interpretatiua, alia autem ſimilitudinaria, iuxta *gloſſam receptam, in cap. 2. de bigamis*, quam omnes communiter Doctores ſequuntur.

Nota quod triplex eſt bigamia, ſeu tres ipſius ſunt ſpecies, vera ficta ſeu interpretatiua, atque ſimilitudinaria.

Vera eſt eius, qui habuit, atque cognouit duas vere vxores, vnam poſt alteram, per dictum cadebitum, quamuis vtramque vel alteram cognouiſſet, ſeu habuiſſet antequam fuiſſet Chriſtianus, per cap. *deinde. & cap. acutius, diſt.* 26. In qua bigamia defectus reperitur Sacramenti, nam in matrimonio ſignificatur vnio, & coniunctio Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt vnius cum vna, quæ ſignificatio omnino deeſt in dicta bigamia, atque ideo dicitur vera irregularitas, vt inquit Diuus Thomas in 4. diſtinctione 27.

Ficta verò, ſeu interpretatiua bigamia eſt, quam incurrit is, qui fingitur duas habuiſſe vxores, qualis eſt contrahens cum vna ſola, ſed vidua, aut iã per alium corrupta. per cap. *maritum, diſt.* 33. ſecus autem ſi per eund m ipſum, *iuxta gloſſam r ceptam, in cap. fin. de bigamis, & cap. 2. de Clerico coniugato*. Et idem dicendum eſt, ſi cum virgine, quam poſt cõmiſſum adulterium cognouit, per cap. *ſi cuius, diſtinctione* 24. quamuis per ignorantiam id contigerit, *iuxta gloſſam receptam in dicto cap. ſi cuius*, & Panormitanum in cap. *ſi vir, de adulter*. Qualis eſt etiam contrahentis cum vna validum matrimonium, cum alia verò inualidum, aut cum duabus de facto, & cum neutra valide, ob aliquod impedimentum, vi uentibus ambabus, aut vna ſuperſtite, mortua verò altera.

Bigamia ſimilitudinaria eſt quam incurrit ſacro Ordine inſignitus, vel voto ſolemni adſtrictus, cõtrahens, & conſummans cum aliqua etiam vnica, per cap. *quotquot* 26. *quæſt.* 1. *& cap. fin. de bigamis*. Licet illa ſit virgo, vt ſentit Angelus, verbo, *bigamia*. Cui & conſentit Sylueſter eodem verbo, in princ. Et Diuus Antoninus 3. par. tit. 21. cap. 1. & late probat ſupradictus Nauar. dicto n. 195. Quibus ſic præmiſſis, ad propoſitum Articulum, ſub diſtinctione reſpondeo, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Generalis Miniſter, & Religionũ Prælati, diſpenſare nõ poſſunt cũ bigamis, bigamia vera, ſiue interpretatiua, vt ad ſacros Ordines promouẽtur

GEneralis Miniſter, & Religionum Prælati, diſpenſare non poſſunt cum Religioſis bigamis, vera aut interpretatiua bigamia, vt promoueãtur & ordinentur Ordinibus ſacris, videlicet Subdiaconatu, Diaconatu, aut Presbyterio, nam talis bigamia, & ipſius diſpenſatio, de iure communi, eſt Summo Pontifici reſeruata. Videatur hac de re Sylueſter, verbo, *caſus, n. 2. quæſt. 1. caſu* 14. vbi probat hoc, per cap. *nuper, & cap. finale, de bigamis*. Hæc etiam concluſio eſt expreſſa D. Thomæ, in Quodlibeto 4. & eam tenet Nauar. in ſupradicto Manuali cap. 27. num. 197. in dicto 6. quam & probat multis Doctorum auctoritatibus, vbi etiam dicit, quod quamuis aliqui dicant, Summum Pontificem non poſſe diſpenſare in dicta bigamia, exiſtimantes ip ſam eſſe contra ius diuinum, contraria tamen ſententia, eſt verior & tenẽda, quam tenet D. Thom. & eſt communis, quia vt dictum eſt, omnis irregularitas eſt ſolo iure humano introducta, licet aliqua aut omnis fuerit olim à Diuo Paulo inſinuata vt conſtat ex cap. *lector, cum gloſſa, diſt.* 34. quamuis etiam in vera bigamia, non ſoleat aut poſſit, ſine magna cauſa ordinaria poteſtate diſpenſare, in interpretatiua verò, & ſimilitudinaria, ſoleat & poſſit, ſed cum iuſta cauſa. Hæc Nauar. vbi ſupra. Cum igitur eiuſmodi diſpenſatio ſit Papæ reſeruata, & circa hanc irregularitatem, nulla ſit facta cõceſſio Religionum Prælatis, manifeſte ſequitur, quod in ipſa diſpenſare non poſſunt, vt ipſorum ſubditi eadem irretiti, promoueantur aut initientur Ordinibus ſacris. Dixi, *Ordinibus ſacris*, hoc eſt Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyterio, nam loquendo de Ordinibus minoribus aliud eſt iudicium, de quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Generalis Miniſter, atque Religionum Prælati, poſſunt diſpenſare cum prædictis bigamis ſibi ſubditis, vt promoueãtur ad minores Ordines.

GEneralis Miniſter, & Religionum Prælati, bene poſſunt diſpenſare, cum bigamis ſibi ſubditis vera, & interpretatiua bigamia, vt ad minores Ordines promoueantur. Hanc concluſionem, tenet expreſſe Diuus Thomas in 4. diſtinctione 27. & Sylueſter, verbo, *bigamia quæſt.* 5 cuius rationem reddunt, quia nullibi in iure, horum reſeruatio reperitur. Nec obſtat, inquiunt, Decretalis Gregorij Decimi in Concilio Lugdunenſi, poſita in cap. *vnde, de bigam. lib.* 6. nam in ea nulla fit mentio de reſeruatione, ſed tantum modo diſponitur, vt bigamus Clericali habitu non vtatur: quod intelligendum eſt, quamdiu nulla fuerit ei conceſſa diſpenſatio. Videatur hac de re Nauar. vbi ſupra, nu. 197. vbi refert contrarias circa hoc Doctorum opiniones, & ipſe media quadam incedit via, dicendo quod ſi bigamus non eſt promotus, ipſius diſpenſatio Papæ reſeruatur, vt poſſit promoueri; ſi verò fuerit promotus, dicit nõ reſeruari, vt iam promotus poſſit miniſtrare, & ſuper eo Prælatos ordinarios poſſe diſpenſare. Sed melior, & verior eſt opinio Diui Thom. aſſerentis, quod nullibi in iure reperitur talis reſeruatio, vt ſupradicti bigami ad minores Ordines non aſſumantur, ex quo ſequitur, quod Epiſcopus, & cõſequenter Religionum Prælati, poſſunt in hoc cum bigamis ſibi ſubditis diſpenſare, cum iuxta communem regulam, poſſint cum ſibi ſubditis, quidquid & Summis Pontifex in tota Eccleſia, in quibus non ſunt prohibiti. Sed quid de bigamis ſimilitudinarie dicendum? Reſpondeo & ſit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

Cum bigamis bigamia ſimilitudinaria, bene poteſt Generalis M.

CVm bigamis bigamia ſimilitudinaria ſi vxor erat virgo, bene poteſt diſpenſare Generalis Miniſter & Religionum Prælati, vt etiam ad ſacros Ordines promoueãtur. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis, in cap. 1. *qui Clerici, vel voluentes*, vbi eam tenet Gloſſa & Panormit. Cardinal. &

niſter, & Religionū Prælati diſpenſa rei.

nal. & Præpoſitus, quos refert Nauarr. vbi ſupra num. 197. in fine. Qui omnes dicunt, in dicta irregularitate poſſe Epiſcopos diſpẽſare, quia nullibi de eiuſmodi bigamis ſimilitudinarijs, facta eſt reſeruatio, quando vxor, cum qua quiſpiam contraxit, erat virgo. Ex quibus omnibus infertur, vera intelligentia aliquorum Priuilegiorum, concedẽtium facultatem Prælatis Regularibus, ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis in certis irregularitatibus, excepta bigamia: nam ſunt intelligenda de bigamia, vera aut interpretatiua, & hoc reſpectu Ordinum ſacrorum, non verò reſpectu Ordinum Minorum, nam in bigamia tantum ſimilitudinaria, Epiſcopi & Religionum Prẹlati bene poſſunt diſpenſare. Multa alia forent dicenda circa dictam bigamiæ irregularitatem, & in quibus caſibus incurratur, & an ſit neceſſarium, quod de facto interueniat copula, & quod vltra copulam, fiat effuſio ſeminis in proprio vaſe; à quibus omnibus in præſentiarum conſulto abſtineo, vt non plus nimio noſtra protrahatur oratio, videantur apud Sũmiſtas proprijs in locis, & Conſulatur hac de re Sylueſter, verbo, *bigamia*. per plures numeros, & Soto in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1.

Nota quod quando in priuilegijs, excipitur bigamiæ irregularitas vt ſuper ea non poſsit diſpenſari, intelligẽdũ eſt, de bigamia vera aut interpretatiua, nõ autem de ſimilitudinaria.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, diſpenſare poſsint cum ſibi ſubditis, in irregularitatibus prouenientibus ex vitio, ſiue defectu corporis?

IAm in præcedenti Articulo diximus, quod ſecunda ſpecies irregularitatis, prouenit ex vitio ſiue defectu corporis, aut ex mutilatione paſſiua alicuius membri. Sed cum multipliciter poſſit contingere, vt præmanibus habeantur, quæ ad hanc irregularitatis ſpeciem ſpectant, & congruenti ordine dicere poſſimus, in quibus irregularitatibus, Religionum Prẹlati poſſunt aut non poſſunt diſpenſare, operæpretium eſt, omnes irregularitates, ad vitium ſiue defectum corporis pertinentes, paucis hic comprehendere, ac ſummatim explicare. Et dico cum Nauar. in Manual. cap. 27. num. 198. quod defectus cuiuſlibet membri principalis ob culpã contingens, inducit hanc ſecundam irregularitatis ſpeciem, quod probat, per cap. 1. & *cap. ſi Euangelica, diſt.* 55. quãuis membrum ſit occultum, & facultatem vtendi Ordine non impediat, vt ſunt pudenda, per cap. *ſi quis abſciderit, cum ſeqq. diſt. ſupradicta*. Quamuis etiam quis ea ſibi non abſcindat, ſed alius ſua culpa, quia iuſſit, aut rogauit, aut quia illicitẽ rei dans operam, caſu perdidit, *argumento ca. presbyterũ, c. cõtinebatur, de homicidio*, aut ſi fuit membrum aliquod alicui abſciſſum ab inimicis, in pœnam alicuius delicti, vt tenet Hoſtien. in Summa, de corpore vitiatis. §. & quæ, & *in cap. ex parte, eodẽ tit.* quem ſequuntur Ioannes Andreas, & omnes cõmuniter Doctores, vt de eo, cui maritus mulieris cũ qua fuit deprehẽſus, pudenda abſcidit, & à fortiori ſi iure fuerunt abſciſſa. *arg. cap. fin. de temp. ordin.* Addit præterea, & dicit ſupradictus Nauarr. id etiam eſſe dicendum, de defectu partis membri, quam quiſpiam ſibi per indignationem abſcidit, quamuis fatultatem naturalem bene celebrandi non adimat, per cap. *qui partem, diſt.* 55. maxime quã do eſt notorium, quod per indignationnem, ſiue impatientiam id fecit, alias verò non, iuxta Antonium, & Cardin. in cap. fin. *de corpore vitiatis*: quãuis quidam de eo dubitent, ſed inquit, poſſe eos conciliari, dicendo, quod iſte talis non eſt irregularis ob defectum membri, ſed ob notorietatem peccati, quod abſcindendo illud commiſit, per dictum, *cap. fin. de corpore vitiatis*. Tandem dicit, quod neque imbecillitas membri, nec defectus contingens abſque propria culpa, ſi non impediat celebrationem irregularem efficit, qualis eſt illius, cui conſilio Medici, aut Chirurgi, propter valetudinem, aliquod membrum abſcinditur, ſeu ab infidelibus, aut ab inimicis ſine ſua culpa; qualis etiã eſt defectus illius, qui natus fuit ſine pudendis, aut à parentibus ſeu per vim poſtea ab alijs fuit caſtratus, qualis etiam eſt claudicatio eius, cui ſcipio in altari non eſt neceſſarius, *iuxta glo. ſſam in cap. ſi quis in infirmitate, diſt.* 55. qualis eſt etiam macula oculi, quæ non priuat viſu, nec notabilem deformitatem facit, per c. 2. *de corpore vitiatis*, qualis eſt etiam gibbus, aut nimia magnitudo alterius, ſeu vtriuſque oculi, ſi non ſint notabilis deformitatis.

Quenã ſint irregularitates prouenientes ex vitio ſiue defectu corporis.

Ad hanc etiam irregularitatis ſpeciem pertinent lepra & aliæ infirmitates corporales, & defectus, qui in quibuſdam reperiuntur, de quibus omnibus quid ſit tenendum, & in quibus Prælati Regulares poſſint diſpenſare, ſequentes per ordinẽ explicabunt concluſiones.

Prima Concluſio.

Si defect⁹ corporis aut mẽbri, ſit adeo notabilis, & facultatẽ celebrandi impediat, in tali defectu nõ poteſt fieri diſpenſatio.

SI defectus corporis ſeu alicuius membri, in tãtum ſit notabilis, quod reddat hominem impotentem ad celebrandum, vt ſi quis ſit omnino ſine manu, aut careat oculis, cum huiuſmodi nullus Prælatus poteſt diſpenſare. Hæc concluſio habetur expreſſa, *in cap. penult. & vlt. de corpore vitia. & diſt. 55. per totam & in cap. 2. de clerico ægrotante.* & ibi Panormitan. quod etiam tenet Sylueſter, verbo, *corpore vitiatus, & n. 2. verbo, caſus, num. 2. quæſt. 1. caſu* 16. Quod adeò verum eſt, vt ratione periculi, & ſcandali, non deſint qui dicant, quod in eo nec Summus ipſe Pontifex, poteſt licite diſpenſare. Id quod & colligitur ex quadam Decretali Eugenij Papæ, quæ habetur, *in cap. 2. de clerico ægrotant.* & tradit Soto in 4. diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 3. atque adeò numquam legitur Summum Pontificem, cũ talibus vnquam diſpenſaſſe. Hinc incidenter quidam dubitant, quodnam dicatur vitium corporis, aut corporalis defectus, ex quo oriri, aut generari poteſt ſcandalum, & quis hac in re debeat eſſe iudex. De quo Angelus in Summa, verbo, *corpore vitiatus*, tenet Religioſum eſſe promouendum, vel remouendum ab Ordinibus recipiendis ratione ſcandali, iudicio ſui Prælati, & ipſius examini hoc eſſe relinquendum, at Sylueſter eodem verbo, n. 2 dicit non hoc eſſe iudicandum à Prælato, ſed ab Epiſco-

Difficultas.

Nota hoc valde.

Episcopo, qui debet ipsum ordinare, & illi Ordines conferre. Quam sententiam, & opinionem tenet Nauarr. cap. 27. num. 200. Sed ego hanc litē, & controuersiam, sic diluendam, atque dirimendā existimo, quod loquendo de iure, & de per se, prædictum iudicium pertinet ad Prælatum Regularem, qui ordinariam habet in suum subditum potestatem, ac ideo non tenetur Regularis Prælatus eiusmodi Religiosum remittere ad Episcopum, vt ea de re iudicium ferat. Sed tamen loquendo de per accidens, & de facto, pertinere videtur tale iudicium ad Episcopum, qui eundem debet ordinare, ipsique Ordines conferre, cum non possit, vt plane constat, cogi Episcopus per Regularem Prælatum, ad hoc, vt id faciat inuitus. Vnde si Religiosus prædictus, post promotionem ad sacros Ordines, in dictum inciderit corporis vitium, de quo etiam merito dubitetur, an oriatur, & generetur scandalum celebrando, necne, non tenebitur quidem in eo casu Prælatus eundem ad Episcopum, remittere, sed ipse solus ea de re poterit facere iudicium, de iure & de facto. Quod quammaximum argumentum est, quod loquendo de per se, ad Prælatum Regularem pertinet supradictum iudiciū. Sed quidquid de hoc sit, procedamus ad alia, & sit secunda conclusio, loquendo de prędicto impedimento, cessante omni scandalo, atque periculo.

Secunda Conclusio.

Si defect⁹ corporis aut mēbri, adeo sit enormis, & notabilem deformitatē faciat, in hoc solummodo Pōtifex dispensat.

SI defectus corporis adeò sit grauis & enormis, vt notabilem deformitatem faciat, vt si verbi gratia, alicui abscissa sint pudenda sua culpa, in hoc defectu solus Papa potest dispensare. Hæc cōclusio est omnium Doctorum communis, in cap. *si quis abscideri, dist.* 55. Et eam tenet expresse Nau. loco supracitato, num. 98. Cuius rei ratio cōmuniter circumfertur, quia tales homicidę reputātur, vt habetur in dicto cap. *si quis abscideri*, ibi, *quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus.* Super quæ verba videatur glossa, ibi, vbi affert exemplum de Origene, qui se eunuchum fecit & pudenda abscidit, vt liberius posset in occulto mulieribus prædicare, tempore persecutionis Ecclesiæ, & tamē postea apud Cęsareā factus est Sacerdos. Item & de Diuo Marco dicit, quod præcidit sibi pollicē, quo sic indignus Sacerdotio fieret, vt legitur in Historia Ecclesiastica, sed respondet, & dicit, quod hæc non sunt trahenda ad consequentiam, per cap. *vlt.* 4. *quæst.* 1. & *cap. petisti*, 7. *quæst.* 1. Sed aduerto, quod dictum, capit. *si quis abscideri*, solummodo loquitur de his, qui sibi ipsis amputauerunt virilia, & tales *ibidem* dicuntur sui ipsius homicidæ, vt inquit ibi glossa, non quod homicidæ actu fuerint, sed propter homicidij periculum, quod exinde ex tali infectione sequi poterat. Sed tamen Nauar. vbi supra, generaliter loquitur de omnibus, quibus abscissa sunt pudenda, & virilia sua culpa, quamuis id fuerit effectum ab alijs, quod probat argumento capit. *presbyterum, & cap. continebatur, de homicidio*, vbi dicitur, quod homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, qua ratione (inquit) in vtroque casu, iure reputatur homicida is, cui amputata sunt pudenda, & virilia, sua culpa. Sit tertia conclusio.

Nota hoc valde, de Origene qui vt dicitur sibi pudenda abscidit, vt liberi⁹ mulieribus posset, in secreto prædicare, tēpore persecutionis Ecclesiæ.

Nota, q̄ homicidiū casuale, imputatur ei qui dat operam alicui rei illicitæ.

Tertia Conclusio.

In quibus⁹ corporis defectibus Generalis Minister, & Religionum Prælati possint cum sibi subditis dispēsare.

CVm omni Religioso, qui habet membrum occultum, siue manifestum non sua culpa abscissum, & quotiescumque cessat homicidij præsumptio, & huiusmodi membrum non reddit ipsum impotentem ad celebrandum, Generalis Minister, & quilibet Prælatus Regularis, Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habens, potest dispensare. Probatur hæc conclusio, nam quamuis supradictæ sint irregularitates de iure, non tamen sunt Papæ reseruatę, neque in aliquo iuris loco, aut Cōstitutione aliqua Apostolica quidpiā tale reperitur. Quo fit quod sicut Episcopus potest dispensare in huiusmodi casibus, cum suo Clerico seculari, sic & Generalis Minister, & Prouincialis cum suis subditis Regularibus. Quod & probatur à simili, nam sicut Episcopi ordinarij, & Prælati Regulares, generaliter possunt absoluere, ab omni excommunicatione lata à iure, & quę habetur in iure communi, dummodo non sit specialiter Summo Pontifici reseruata, sic & dispensare possunt in irregularitatibus prædictis, cum nullibi reperiantur Summo Pontifici reseruatæ. Vnde infero, quod si alicui Religioso deficiat digitus, dummodo non sit pollex, qui simpliciter necessarius est ad celebrandum, aut si deficiat oculus dexter, dummodo non sit sinister, qui dicitur oculus Canonis, secundum stylum Romanum, quia cum eo necesse est videre Missę Canonem, Generalis, & Prouincialis Minister, cum huiusmodi poterunt dispensare, quamuis dispensare non possint cum deficiente sibi oculo sinistro, ita, vt legere nō possit sine magna indecentia, & facie ad populum nimium conuersa, nam talis indecentia, & scandalū quod exinde poterit generari, facit vt eiusmodi casus Papæ sit reseruatus secundum omnes. Nec sat est dicere, quod eiusmodi Religiosus magna pollet memoria, & quod ex memoria dicere poterit Canonem, nam tunc etiam adest obliuionis periculum, & propter tale periculum, fit indispensabilis iste casus, & soli Papæ reseruatus. Eadem ratione, Prælati regulares dispensare possunt, cum Religioso habente tantum vnum pedem & alterū ligneum. Quæ omnia vera sunt secundum mentem Astensis, & Hostiensis verbo, *corpore vitiatus*, quos refert, & sequitur Syluester, eodem verbo. Nā quamuis supradictus Auctor, confuse ibidem aliquantulum loquatur, Nauar. tamen in suo Manual. cap. 27. num. 200. hac de re agens, inquit, hoc tenere prædictum Syluestrum, & Auctores ab eo citatos: quamuis ipse contrariam teneat sententiam, & dicat quod in omnibus prędictis irregularitatibus, solus Papa dispensat, secundum Innocētium, in cap. 1. *de re iudicata, lib.* 6. & *in cap.* 2. *de corpore vitiatis*, receptum à Ioanne Andrea, & ab Antonio, in cap. *significauit, eodem tit.* Sed nihilominus contraria sententia à nobis posita, est verior, & probabilior, nam omnis pœna posita in iure, quæ specialiter non reseruatur Papę, potest per ordinarium remitti, dummodo non sit notabilis indecentia, aut notabile scandalum exinde oriatur, vt colligitur ex capit. *nuper. de sententia excommunicat.* Et quamuis in iure expressæ sint prohibitiones; vt ta-

Episcopi & Prælati Regulares, dispensare possunt in omnibus casibus, qui nō sunt Papæ specialiter reseruati, idemque est iudicium de absolutione ab excōmunicationibus, non reseruatis Papæ.

Nota hoc valde.

Nota valde q̄ omnis pœna posita in iure & specialiter non Papæ reseruata, per Episcopum & Prælatū ordinariū potest remitti.

vt tales corpore vitiati & defectum corporis habentes non ordinentur, non tamen in illis iuribus dicitur, vt diſpenſatio cum eiuſmodi, ſolummodo Summo Pontifici reſeruetur, quod cum non fuerit factum, remanet in diſpoſitione iuris communis, atque ita Prælati ordinarij ſiue Epiſcopi, in his poterunt diſpenſare.

Supradicta omnia dicta ſunt de iure communi, nam loquendo de iure ſpeciali, atque ex priuilegio, vt ſuo loco dicemus, Generalis Miniſter noſtri ſacri ordinis Minorum, facultatem habet diſpenſandi, ſuper quacumque irregularitate, præterquam in homicidio voluntario, aut præſtatione auxilij, vel fauoris huiuſmodi homicidij, aut ex bigamia proueniente, ita vt illa non obſtante, ſibi ſubditi ad omnes ſacros Ordines, etiam Preſbyteratus poſſint promoueri. Eſt ad hoc priuilegium Iulij II. cui in noſtris Monumentis aliqua habentur ſimilia, de quibus inferius dicemus. Sed circa conceſſionem prędictam adnotare libet, quod cum in ea ſolum excipiantur irregularitates ſupradictæ, nec fiat mentio de iſta, de qua in præſentiarum loquimur, nempe de corpore vitiatis; liquidum profecto fit, quod ſuper ipſam Generalis Miniſter optime poſſit diſpenſare, cum vt habetur in iure exceptio omnis firmet Regulam in contrarium.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſsit cum Religioſis lepra infectis, & patientibus alias graues corporis infirmitates, vt ad ſacros Ordines promoueantur, aut promoti in ipſis poſsint miniſtrare?

Prima Concluſio.

Cũ infectis lepra, ſeu alia infirmitate, quæ ſcandalũ generat, ſolus Papa diſpẽſat

AD corporis vitium, ſiue defectum reducitur lepra, & alia quæcumque infirmitas, quæ ſcandalum celebrãdo generat, in quibus irregularitatibus ſolus Papa poteſt diſpenſare. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarri in Manuali c. 27. n. 203. vbi inquit, quod prædicta lepra irregularitatem inducit, & impedit non ſolum ſuſceptionẽ Ordinum, verumetiã vſum ſuſceptorum, quod probat. *per cap. cum percuſſio. 7. q. 1. & cap. de Rectoribus, & cap. ex parte. de clerico ægrot.* Quod ipſum, inquit, eſſe dicendum de qualibet alia corporis infirmitate, quæ notabile ſcandalum Ordinũ vſui præbeat, ſaltem quoad actus, in quibus illud facit, argumento deducto, *ex l. illud ff. ad leg. Aquiliam. & ex c. 2. de tranſ. Præl.* Et quod in dicta irregularitate ſolus Papa diſpenſet, probat argumento deducto ex adnotatis in *c. at ſi clerici. § 1. de iudicijs.*

Nota hoc valde.

Secunda Concluſio.

Cum illis qui patiũtur Epilepſiam, ſine morbũ cadũ cum, ſolus Papa diſpenſati vt poſsint ordinari.

CVm illis qui patiuntur Epilepſiam, quæ alio nomine dicitur Morbus caducus, & eſt ille qui habentem facit in terram cadere, ſolus etiam Papa, vt ordinetur poteſt diſpenſare. Hæc etiam concluſio eſt ſupradicti Nauar, vbi ſupra, & probat eã ex c. *in litteris 7. q. 2.* Et quod ſolus Papa ſuper ea irregularitate diſpenſet, probat per adnotata in dicto c. *at ſi Clerici.* adeòq; dicit eſſe irregularem, qui dictam infirmitatem patitur, vt qui ſemel hoc morbo fuerit infectus, nunquam amplius poſſit ordinari, quamuis poſtea omnino ſanus appareat. *argum. c. finalis. 15. q. 1.* quod eſt D. Hieronymi, vbi dicit, quod *qui aliquando inſaniunt, non debent ad ſacerdotium promoueri.* Neq; quia iam ordinatus eſt, ſi ſæpe decidit, neq; etiam ſi raro, modo ſpumas ore vomat, celebrare poteſt, alias verò ſic, vt colligitur ex c. *communiter, & duobus ſeqq. diſt. 33. & c. illud, c. nihil. 7. q. 1. & c. penult. 7. q. 2.* adiuncto ſocio prępparato, ad perficiendam Miſſam inceptam, ſi forte morbo corriperetur, perdictũ, *c. illud & c. nihil.* facit & ad idem auctoritas prædicti D. Hieronymi dicẽtis, quod ſi quiſpiam poſt ſacerdotium furere cæpit, non ideo ſacerdotio carebit, niſi forſan ad ſanæ mentis officium illum numquam redire contigerit. Debet ergo illis conueniens tempus aſſignari ad arbitrium Prælatorum, vt experimentum faciant, & ſi viderint, quod non ſunt omnino liberati, ſed frequenter tales patiuntur paſſiones, non debent cum illis diſpenſare, vt decreuit Alexander II. in c. *in litteris, 6. q. 2.* & Pius, *in c. communiter, d. 33.* ſed ſi raro, diſpenſare cum eis poterunt. Et quod de Epileptico dicitur (inquit dictus Nauarro) etiam intelligendum eſt de amente, lunatico, atq; furioſo, & multo melius de arreptitijs, energumenis, & à dæmone obſeſſis, qui omnes ſunt irregulares, & numquam celebrare debent, quod probat ex Aluaro Pelagio, de planctu Eccleſiæ, lib. 1. c. 48. & ex D. Antonino 3. par. tit. 28. c. 5. Videatur hac de re Syluester, verbo, *corpore vitiatus q. 8.*

Tertia Concluſio.

Hermaphroditi non debent ordinari.

HErmaphroditus, & qui vtroq; ſexu eſt prædictus nõ eſt capax characteris, in ſexu fœmineo magis quam virili præſtet, & licet in magis virili, quam fœmineo poſſeat, illius ſit capax, non tamẽ poteſt aut debet ordinari. Hęc concluſio eſt etiã ſupradicti Nauar. vbi ſupra n. 203. in 15. dicto, quam & probat argumento deducto, *ex c. illiteratos, diſt. 36. & ex c. fin. diſt. 49.* Et ex D. Anton. 3. part. tit. 28. c. 6. §. 5. cuius rationem reddens, inquit, quia huiuſmodi eſt monſtrum, in qua proinde irregularitate, ſolus Papa diſpenſare poteſt, quod tamen nũquam facit, quamuis Soto in 4. diſt. 25. q. 1. art. 2. tenere videatur contrarium.

Quarta Concluſio.

Qui omnino vinũ bibere nõ poſſunt ad ſacros Ordines ſunt irregulares.

CVm his, qui vinum bibere non poſſunt, quin ſtatim illud euomant, nullus poteſt diſpenſare, & ſunt etiã irregulares ad ſuſcipiendos ordines. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Nauarr. vbi ſup. n. 204. in fin. quam & probat, *per gloſſam ſingulariter, in c. ipſi Apoſtoli, 2. q. 7.* Et inquit, cum his etiam Papa non poſſe diſpenſare, niſi teneatur poſſe diſpẽſare, vt qui celebrat, non ſumat ſub vtraq; ſpecie, *contra c. comperimus, de conſecr. diſt. 2. & c. illiteratos, diſt. 36. & c. fin. de temporibus ordinandorum, libr. 6* in fine tamen dicit, quod non videt, cur ij promoueri non poſſint ad ordines minores, cũ nõ teneantur

rur communicare ſub ſpecie vini, etiam ſi ſeruare tur *cap. peracta, de conſecrat. diſt. 2.* de quo mouetur gloſſa ibidem appoſita. Sed difficultas eſt, An Miniſter Generalis & Religionũ Prælati, diſpenſare poſſint cũ eo Religioſo, qui laborat adeò graui infirmitate capitis, vt celebrare minime poſſit niſi velato capite? Cui difficultati reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Quinta Concluſio.

Bene poteſt fieri diſpenſatio, cum illo qui non niſi velato capite poteſt celebrare.

MIniſter Generalis, quinuero & alij inferiores Pręlati Regulares Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, bene poſſunt diſpenſare cum Religioſo, qui propter infirmitatem capitis celebrare non poteſt, niſi velato & cooperto capite. Hęc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Nauarr. lib. 3. Conſil. tit. de celebratione Miſſarum conſil. 6. vbi latiſſime hac de re agit, conſtanter aſſerens, quod non eſt irregularis Sacerdos, qui propter infirmitatem & fragilitatem capitis, celebrare non poteſt, niſi velato capite, quin uero addit quod de iure communi antiquo, atque vt ſibi videtur, ex Eccleſiæ inſtitutione & antiqua cõſuetudine, celebrandũ foret velato, & amicto capite, ad quod, inquit, inter alias ſacras veſtes, celebranti amictus iubetur imponi, ſcilicet ad velandum caput, quod credit fuiſſe factum, ad hoc vt Clerici maiori deuotione & attentione ea, quę ſunt diuini cultus exequerentur. Tandem concludit, quod non ſolum qui laborat infirmitate & fragilitate capitis, verumetiam quilibet aliùs fortis & ſanus, dicere poteſt Miſſam, ac facere ſacrum opertus amictu, aut aliquo alio honeſto tegumento in capite poſito, præſertim vſque ad conſecrationem ceſſante ſcandalo, quod ait, nullum erit, aut facile ceſſabit publicata cauſa, qua id facit. Et addit quod ſi cuipiam hac de re ſcrupulus ſeſe offert, poterit adire Epiſcopum, qui cum eo facillimo negotio diſpenſabit, idque iure optimo propter rationes ſupradictas, quod & eadem ratione cum ſibi ſubditis, facere etiam poterunt ſupradicti Prælati Regulares.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Generalis Miniſter diſpenſare poſſit cum infamibus, ad hoc, vt ad ſacros Ordines promoueantur, item & cum ſeruis inuitis ſuis dominis?

Prima Concluſio.

Infames de iure & de facto ſunt irregulares, cum quibus infamia eſt iuris, ſolus Papa diſpẽſare poteſt,

OMnes infames, de iure & de facto ſunt irregulares, cum quibus, vt ad ſacros promoueantur ordines, ſi infamia eſt iuris, ſolus Papa poteſt diſpenſare. Hæc concluſio eſt etiam Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 204. quam & probat, *ex cap infamibus, cum Gloſſa de Regulis iur. lib. 6. & ex cap fin. iuncta Gloſſa de Ord. ne cognition. & ex cap. ipſi Apoſtoli. 2. q. 7.* Et dicit quod eſt differentia inter huiuſmodi infames, nã in infamia iuris & irregularitate, quæ ex ipſa procedit, ſolus Papa diſpenſat, diſpenſareque poteſt, vt tenent omnes communiter Iuriſperiti, niſi forte quãdo Epiſcopus diſpenſans ſuper delicto, ad quod ſe extẽdit ſua facultas, acceſſorie etiam tolleret, & adimeret infamiam, iuxta *Gloſſ. in cap. Euphemius. §. 1. 2. quæſt. 3.* Cui ſimilis eſt alia, *in cap. Domino diſtin. 50.* & tradit etiam ſupradictus Nauarr. *in cap. at ſi Clerici, §. 1. de iudicijs.* At verò in illa irregularitate, quæ naſcitur ex infamia facti (qualis eſt illa, quæ naſcitur ex crimine aliquo graui notorio) Epiſcopus de iure diſpenſat, vt conſtat ex omnibus iuribus ſupradictis. Quin etiam addit Nauar. quod facta pœnitẽtia & pręcedente emẽdatione vitæ, interdum ſupradicta tollitur infamia, quia omnis res per quaſcũque cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur, *per cap. 1. de Regul. iuris, & c. teſtimoniũ de teſtibus, & verb. atteſtatio. & Gloſſa in c. 1. diſt. 25.* in fine. Ex dictis infertur, quod Generalis Miniſter & Religionum Prælati, diſpenſare non poſſunt cũ Fratribus maculatis infamia iuris. Quare ſi (quod abſit) Religioſus quiſpiam conuictus fuerit de crimine nefando, & iuridice condemnatus, crediderim, quod iſte talis nullomodo poſſit promoueri, neq; poſt promotionem miniſtrare, cum infamati iuridice de crimine enormi, ipſo ſint iure irregulares, vt latiſſime probat ſupradictus Nauarr. in ſuo Manual. cap. 27. num. 248. in qua irregularitate ſolum Summus Pontif. poteſt diſpenſare, non verò Religionum Prælati. Nec dictis obſtat, quod priuilegia & facultates conceſſæ Miniſtris Generalibus, & Prouincialibus, ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis, ſuper quibuſcumque irregularitatibus, ſolummodo excipiunt homicidium voluntarium, mutilationem membrorum, atque bigamiã & conſequenter, quod excipiendo dictas irregularitates, videntur licentiam & facultatem concedere, ad diſpenſandum in omnibus alijs: nam dico quod quamuis hoc ita ſit, & exceptio ibidem non fiat expreſſa, niſi de illis tantum tribus irregularitatibus, adhuc (vt ſupra diximus) omnes irregularitates corporis, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis vitio & defectu, ex quo merito poteſt exoriri & generari ſcandalum, propter huiuſmodi ſcandalum quod fidelibus inde poſſet prouenire, cenſentur Summo Pontifici iure communi reſeruatæ, & ita fit de facto. Et ſic eadem ratione loquendum eſt, de eiuſmodi Religioſo (quod abſit) comprehenſo, & conuicto de crimine nefando, nam propter enormitatem delicti, & propter ipſius infamiam, necnon & propter ſcãdalum, quod exinde alijs oriri & generari poterat, videndo ipſum celebrare, eiuſmodi irregularitas cenſetur Papę reſeruata ad ipſumq; recurrendum eſt, nec ſuper ea diſpenſare poſſunt Religionum Prælati, & etiam ſi poſſent non quidẽ illud debent facere.

vt ad ſacros Ordines promoueantur.

Nota quod per quaſcũq; cauſas res naſcitur, per eaſdẽ diſſoluitur.

Nota q; Religionum Prelati, non poſſunt diſpenſare, cũ infamibus infamia iuris.

Nota pro Sodomitis, & ſi de tali nefario crimine fuerint conuicti, neq; poſſunt promoueri, neq; in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare.

Ad prędictam corporis irregularitatem ſpectat ſeruitus, ſeu eſclauitudo, & quamuis ſerui in Religionibus, vt diximus ſupra, in præcedenti tom. q. 17. art. 2. non poſſint aut debeant admitti, & de facto non admittantur, nihilominus tamen ne huiuſmodi difficultas, & prædicta irregularitas in præſentiarum videatur omiſſa, pro ea ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota hoc vlt. de.

Secunda

Secunda Concluſio.

Omnes ſerui ſunt irregulares, & ſine facultate ſuorũ Dominorum, ordinari non poſſunt.

OMnes ſerui ſunt irregulares, nec ſine facultate ſuorum Dominorum ordinari poſſunt. Hæc concluſio eſt ſupradicti Nauar. in ſuo Manual. cap. 27. num. 203. in 16. dicto, vbi & dicit, quod ſi quis ſeruus cum licentia & facultate ſui domini ordinetur eo ipſo fit liber, at ſi ordinetur ipſo ignorante vel contradicente, manet ſeruus, ſicut erat antea, ſi ſolum initietur Ordinibus minoribus: ſi autem initietur maioribus, vt Subdiaconatu & Diaconatu, dicit Nauarr. quod poteſt ſe liberare dato alio ſeruo æquali ſui loco, aut iuſto ſoluto pretio. Ad Presbyterium, ſiue Presbyteratum autem promotus, manet omnino liber dato ſuo peculio, aut redimendo ſe ſi non habet peculium, & ſi nec habet vnde ſe poſſit redimere, ſatisfacit domino, præſtando illi obſequia non indecentia ſuo preſbyterio, vt tradit D. Antoninus 3. part. tit. 28. cap. 6. §. 6. & colligitur, *ex cap. 2. & 3. & cap. nonnulli. & cap. ex antiquis, & cap. frequens diſt. 54. & ex toto tit. de ſeruis non ordinandis*, quæ omnia ſunt multum notãda, ac memorię commendanda.

Nota hoc val de de ſeruis ordinatis inuitis ſuis dominis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſſit cum ſibi ſubditis, in irregularitate proueniente ex illegitimitate, ſiue ex defectu natalium, quantum ad ordines, & quantum ad dignitates Eccleſiaſticas?

IAm hac de re plura ſunt à nobis dicta in præcedenti tomo, quæſt. 19. articul. 3. agendo de conditionibus & qualitatibus requiſitis ex noſtris Generalibus Conſtitutionibus pro recipiendis Nouitijs, quarum vna eſt, vt recipiendi ad Ordinem ſint legitime nati, & in præſenti tom. q. 2. art. 1. & 2. & 3. agendo de facultate, quam habent Prælati Regulares, ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis illegitimis, ad hoc vt ad ſacros Ordines & etiam ad Prælatias, & dignitates Eccleſiaſticas promoueantur ſeu promoueri poſſint. Sed cum ſupradicta illegitimitatis irregularitas, quæ procedit ex defectu natalium, vna ſit ex Summo Pontifici reſeruatis, vt non videatur oblita, aut omiſſa, vt etiam hic omnia ſimul præ manibus habeantur, in quibus de iure communi Religionum Prælati non poſſunt diſpenſare, ſine ſpeciali Priuilegio & Summi Põt. auctoritate, propoſito Articulo breuiter reſpondeo, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Illegitimitas ſiue defectus natalitũ, vna eſt ex irregularitatibus Summo Pontifici reſeruatis.

ILlegitimitas, ſiue defectus natalium, vna eſt ex irregularitatibus Summo Pontici reſeruatis, quæ ad defectum corporalem reducitur, inclu-

dit que omne illegitimorum genus, ſuper qua de iure communi, & ſecluſo priuilegio, nullus præter Summum Pontificem poteſt diſpenſare, nec quantum ad Ordines, nec quantum ad Prælatias & Eccleſiaſticas dignitates. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & eam tenet Nauarro, *in dicto Manual. cap. 27. num. 201.* quam & probat primo, *ex gloſſa in cap. niſi cum pridem de renuntiat. verbo, manceres, & per cap. per Venerabilem. §. quod autem, qui filij ſint legitimi. & per cap. 1. & fin. de filijs presbyter.* Quod dicit eſſe verum, quamuis eorum defectus ſit occultus, & publice habeantur pro legitimis, quales ſunt multi filij, quos mulieres coniugatæ, ex adulterinis complexibus habuerunt. Ita quod qui ſcit aut credit per dictum ſuæ matris ſe eſſe talem, tenetur petere diſpenſationem & legitimationem occulte, quæ & facile illi debet concedi, iuxta D. Anton. & Hoſtienſ. *in dicto cap. primo de filijs presbyt.* Dicit tamen Nauarr. quod prędictus ſi nolit non tenetur credere matri adulteræ, iuxta Doctores ſupradictos, & plura alia, quæ etiam ipſe dicit in eodem Manual. cap. 16. num. 45. cum ſeqq. & cap. 27. num. 194. Dicit præterea, quod quamuis in dicta irregularitate ſolus Papa diſpenſet, quantum ad ordines ſacros, & quantum ad habendam dignitatem, ſeu beneficium Curatum, tamen quantũ ad Ordines Minores, & ad habendum vnum beneficium ſimplex, etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, per cap. 1. *& 2. de filijs Presbyterorũ, lib. 6.* & etiã per profeſſionem Religionis tollitur ſupradicta irregularitas quoad omnes ordines, *per cap. 1. de filijs Presbyt.* non tamen quoad dignitates, & vt huiuſmodi eſſe poſſint Prælati, *per d. cap. verbo, nullatenus, in ſua gloſſa Clement. fin. vt ij qui, verbo nullomodo, de ætate, & qualitat.* quæ probat, quod etiam Epiſcopus ad hoc, diſpenſare nullomodo poteſt, & conſequenter neque Prælati Regulares, vtcumque poteſtatem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habentes. Hęc omnia dicta ſunt de iure communi: ſed loquendo de iure ſpeciali, ſiue ex priuilegio ſit ſecunda concluſio.

eſt ex irregularitatib' Sũmo Pontifici reſeruatis.

Nota pro illegitimis occultis, qualiter debeant diſpẽſationem petere.

Secunda Concluſio.

Multa ſunt priuilegia quibus facultas conceditur vt Religionum Prælati diſpenſare poſſint cum ſibi ſubditis illegitimis, vt ad Prælatias & dignitates promoueantur.

MVlta ſunt priuilegia, quibus Prælatis Regularibus facultas conceditur, vt poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis illegitimis, vt ad prælatias & dignitates Eccleſiaſticas promoueantur. Hæc concluſio ſatis conſtat ex his, quæ dicta ſunt ſupra quæſt. 2. art. 2. Vbi adduximus, atque retulimus ſupradicta priuilegia, & latiſſime diximus, qualiter modo poſſint & debeant practicari, poſt Conſtitutiones Sixti V. editas contra ſupradictos illegitimos, & poſtmodum modificatas per Gregor. XIIII. quæ cum ſatis ſuffi cienter poſita habeantur ibidẽ, nõ, eſt cur ea iterum in præſen tiarũ hinc inde trãſ feramus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, in irregularitatibus prouenientibus ex animi ſeu animæ defectu, quantum ad hoc, vt habentes ipſas poſsint ordinari.

TErtia irregularitatis ſpecies eſt, quæ procedit ex animi, ſeu animæ defectu, ad quam irregularitatem reducitur ignorantia, vt ſi quis ſit totaliter idiota, atque etiam infidelitas, ſeu noua conuerſio, de quibus omnibus in præſentiarum agendum eſt à nobis per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Idiota ſiue totaliter illiteratus & ignarus irregularis eſt, neq; promoueri debet ad ſacros ordines, ſuper qua irregularitate ſolus Papa diſpenſat.

IDiota ſiue illiteratus, & qui penitus atque totaliter eſt literarum ignarus, eſt irregularis & ſuper ea irregularitate nullus inferior Papa poteſt diſpenſare. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarr. in ſuo Manuali. cap. 27. num. 205. & probat eam per cap. *illiteratos, diſt.* 36. Vbi illiterati prohibentur ad ſacros Ordines promoueri, *ſed gloſſa ibi verbo illiteratos*, addit huiuſmodi particulã, *penitus*, & dicit, q̃ ſufficit ad hoc, vt quiſpiã ordinetur mediocris ſcientia. Ad quod probandum adducit, capit. *cum nobis olim, cum gloſſa, de electione, verbo literaturæ*, Vbi agitur de literarum ſufficientia in Epiſcopis requiſita & dicit, Gloſſa, *in prædicto cap. illiteratos*, quod in Clerico non requiritur tanta aut ſumma perfectio, quod probat, *ex l. ſciendum. §. illud. ff. de ædilitio edicto, & l. ſi quis venditor. eod. tit.* Facit & ad propoſitum irregularitatis prædictæ, qua illiterati prohibentur ordinari, *cap. in ſingulis diſt. 77.* & id quod de nouo ſtatuit, atque determinauit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 23. cap. 4. 11. & 12. Vbi agitur de idoneitate & ſufficientia, ad id muneris requiſita, & vt inquit Nauar. loco ſupracitato, quod Concilium videtur facere irregularem, etiam ad primam tonſuram, eum, qui neſcit legere, & ſcribere, & ad quatuor Minores Ordines, eum qui ſaltim Latinam linguam non intelligit. Qua de re videatur dictus Nauar. in prælectione, *cap. ſi quando, de reſcriptis, num. 45. & 50.* Vbi etiam dicit, quod ſuper hoc defectu Summ. Pontifex raro, aut numquam diſpenſat directe, quamuis ſic indirecte, diſpenſando ſuper ætate ad diſcendum neceſſario requiſita. Sed quidquid de hoc ſit, ad Regulares & Religioſos deueniendo, difficultas in præſentiarum ſeſe offert, An Generalis Miniſter, & Religionum Prælati diſpenſare poſſint cum Religioſis totaliter idiotis, & illiteratis, nullam habentibus Latinæ linguæ cognitionem, vt licite promoueantur ad ſacros Ordines? Cui difficultati, vt recte reſpõdeam præmittere libuit prius aliquot dicta ſiue reſolutiones.

Difficultas.

Nota valde. Circa ſcientiã & ſufficientiam Religioſorum vt ordinentur.

Primo dico eſſe certiſſimum, atque conſtitutiſſimum, quod in Religioſis, non requiritur tãta ſcientia ad ſuſcipiendos ordines, quanta requiritur in alijs ſecularibus Clericis. Cuius quidem hæc ratio eſt. Primo quia Religioſi Regulariter loquẽdo non ordinantur ad habendam curam animarum, ſed ſolummodo ad aſſiſtendum choro, diuiniſq; officijs, & miniſtrandum in altari, faciendamq; rẽ ſacram, ad quod, vt de ſe patet, non tanta requiritur ſcientia & ſufficiẽtia, quanta requiritur in his, qui ex ſe, atque ex natura ſua ordinantur ad habẽdam, & gerendam animarum curam. Secũdo, quia quamuis ad habendam dictam animarum curam, ſacris initiarentur, adhuc non requiritur in ipſis tanta ſcientia, atque in alijs. Et ratio eſt, nam ſemper remanet in illis ſpes de comparanda tali ſcientia, & cognitione neceſſaria ad ſuum munus & officium peragendum, propter continuam inſtructionem, quę hiſce de rebus habetur in Religionibus cunctis, in quibus ſemper ſunt in Cœnobijs, ſiue Monaſterijs Fratres Religioſi, zeloſi, literati, continuo ſtudio incumbentes, à quibus, quãdo aliqui errant, edocentur, quinuero reprehenduntur, poſſuntq; facillimo negotio edoceri.

Secundo dico, quod quamuis Clerici illiterati omnino ſint repellendi ab Ordinibus ſuſcipiendis, non ſic autem Religioſi prędicti; quinuero, vt credo bene legentes & cantãtes, etſi in lingua Latina aliqualiter deficiant, tuta, & ſecura conſcientia à Prælatis Regularibus poſſunt præſentari vt ordinentur, & ab Epiſcopis ipſis ordinari. Hãc ſententiam tenet Enriquez tom. 2. de ſacramento ordinis, lib. 10. c. 16. in fine. allegans in id Maiolum, lib. 1. de irregularitate c. 31. n. 5. In quam ſententiã, adduci etiam poteſt Gloſſa celebris, & à nemine, quẽ viderim reprobata, in *c. legi. 16. q. 1. verb. inſtructio.* Vbi propter inſtructionem continuam, quæ habetur in Religionibus cunctis, ad edocẽdos Religioſos de his, quę neceſſaria ſunt, eſſeq; videtur ad ſuum propriũ inſtitutum, inquit, *Gloſſa quod ſufficit Monacho, quod tantum bonus ſit, licet ſit illiteratus*, Quam etiã ſententiã tenet Sylu. verbo, *clericus, 2. n. 1.* agendo de ſufficientia in Clericis requiſita, à qua generali Regula excipit Monachos, quia, inquit, contemplatione ipſi magis indigent, quã ſcientia, ad quod probãdũ adducit ſupradictã Gloſſam. Idem tenet Angelus in ſumma, verbo, *clericus 2. n. 2.* Et Philipus Francus, & Dominicus, in *c. nullus, de temp. ordin. lib. 6.* dicuntq; id colligi, ex dicto ca. vbi illiteratus tonſurari prohibetur, niſi Religionem intret. Tandẽ hanc ſententiã tenet Magiſter Soto in 4. diſt. 25. q. 1. art. 4. Vbi agendo etiã de Religioſorum ſufficientia ad hoc, vt ſacris ordinibus initiari poſſint, inquit, quod in Religioſis qui animarum curam non habent, nec ordinantur ad habendã eam, non requiritur alia ſcientia, quam vt myſterium ſacramenti intelligant, nec requiritur vt ſciant omnes difficultates ad dictum ſacramentũ pertinentes, ſed ſufficit vt ſciant & intelligãt omnia eſſentialia quæ cõmuniter ſcire ſolent alij ſacerdotes celebrantes, qui animarum curam nõ habent, nempe, quod in Sacramento altaris facta conſecratione, continetur realiter & ſubſtantialiter, corpus & ſanguis Chriſti Domini, quod materia eſt panis triticeus & vinũ, & quę nõ ſit forma conſueta; quod ſeptẽ ſunt Eccleſiæ ſacramenta, & quod omnia conferunt gratiã, &c.

Nota hoc valde.

Vltimo dico, quod cum ſufficientia ſupradicta, ſecura & tuta conſcientia Domini Epiſcopi poterunt Religioſos prædictos ſacris ordinibus initiare, propter rationes prædictas & propter bonã ſpem,

ſpem, quæ in dies ſemper habetur de ipſorum ſufficientia acquirenda. Nec dictis obſtare videntur, quæ ſuperius ſunt adducta ex Concilio Tridentino; nam verba illa quammaxime locum habent in Clericis, & in his certe neceſſariſſimum eſt, vt ad vnguem obſeruentur, nam ſemel ordinati nihil penitus vltra addiſcunt, neque ſtudere amplius procurant, non ſic autem eſt in Religioſis vt dixi. Et quando circa hanc rem, prædictis Dominis Epiſcopis inijciatur ſcrupulus, tute atque ſecure eumdem poterunt deponere, ſequendo doctrinam & opinionem probabilem tantorum Doctorum & Patrum, remittendo hanc cauſam ad proprios ipſorum Prælatos, eorumdem onerando conſcientiam. Nam cum Concilium Tridentinum prædictum, non præcipiat, vt examinent ordinandos per ſe ipſos, quinuero poſſint id munus alijs committere, non eſt cur magis credant teſtimonio examinatoris clerici, teſtificantis de Religioſi alicuius ſcientia, & ſufficientia, quam literis teſtimonialibus Regularium Prælatorum, in ſuis literis patentibus eadem de re fidem facientibus. Hæc dicta ſufficiant, ad temperandum (ſi placet) multorum Epiſcoporum interdum rigorem nimium, circa examinandos & ordinandos Religioſos, quos quidem benignius atque clementius tractari, haud quaquam contra rationem erit, cum eorundem ſint perpetui oratores, diuino cultui ſemper, atque continuo inſiſtentes, & poſtea maiores effecti literarum ſcientia imbuti, in gerenda fidelium animarum cura, prædicando & confeſſiones audiendo, Epiſcoporum, & clericorum omnium, fideliſſimi coadiutores exiſtant.

Secunda Concluſio.

Super irregularitate infidelitatis, nullus neq; etiã ipſe Summus Pont. poteſt, aut valet diſpenſare.

INfidelitas etiam eſt irregularitas, ex his, quæ ad defectum animi, ſeu animæ pertinẽt, ſuper qua nullus inferior Papa, quinuero nec ipſe Papa diſpenſare poteſt. Loquor de infidelitate, ſeu irregularitate infidelitatis, quæ prouenit ſimpliciter ex defectu fidei, vt contingit in illo, qui non eſt baptizatus. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Nauar, in Manual. cap. 27. num. 205. in tertio dicto, vbi dicit, quod defectus fidei, omnino irregularem efficit, ita vt qui non eſt baptizatus, ſimpliciter non ſit ordinis capax, quod probat, *ex cap. 1. & cap. veniens, de presbyter. non baptizat.* quod dicit eſſe verum, quantumuis quiſpiam ſit catechumenus, & quantumcunque ſanctus, habeatque baptiſmũ in voto. Nam character ordinis, ſimpliciter præſupponit characterem baptiſmi, iuxta Ioannem Andream & omnes Doctores communiter, *in d. cap. 1. de presbyt. non baptizat.*

Tertia Concluſio.

Neophiti, Iudæi, & Sarraceni, ſiue Pagani, & omnes recenter conuerſi ad fidem ſunt irregulares, ſu-

NEophiti, Iudæi & Sarraceni ſiue Pagani, omneſque recenter conuerſi & nouiter baptizati ſunt irregulares, neque poſſunt ad ſacros Ordines promoueri, aut cum illis vllus prælatus inferior Papa diſpenſare. Hæc concluſio eſt ſupradicti Nauar. vbi ſupra, & probat eam, *ex c. 1. & 2. diſt. 48. & ex cap. conſtituit. 17. quæſt. 4.* Et inquit, ſe loqui de recenter conuerſis, & de nouo baptizatis, non vero de illis, quos vulgus appellat Chriſtianos nouos, qui etiam abhinc plus decem, viginti, triginta, aut quadraginta annis ad fidem conuerſi ſunt; nam in his, inquit, ſupradicta locum non habent, quod probat argumento deducto, *ex cap. eam te, de reſcriptis.* Vbi videndus eſt Felinus num. 12. & multo minus in eorum filijs, quos etiam nonnullorum praua conſuetudo, Chriſtianos nouos appellat. Hoc dicit eſſe de iure communi, quamuis aliud ſit dicendum, loquendo de ſtatutis aliquarum Eccleſiarum, ſeu Religionum, per ſedem Apoſtolicam confirmatis. Et ſi quis quærat & roget, quanto tempore duret nouitiatus in fide, in quo Neophitus, aut nouiter conuerſus ſiue baptizatus, non poteſt ad ſacros ordines promoueri? Dicunt quidam, quod durat per aliquod tempus commodum, per Epiſcopum aſſignandum reſpectu clericorum ſecularium, aut per Prælatos Regulares quoad ſibi ſubditos, in illis Religionibus, quę ſtatuta non habent, quibus prohibeatur quod huiuſmodi non recipiantur. Sed Nauarr. vbi ſupra inſinuare videtur, quod ſufficit tempus decem, aut viginti annorum, magis vel minus, prout maior, vel minor ſpes de profectu eorumdem habeatur. Ad quod facit quammaxime, *cap. ſicut Neophitus diſt. 48* quod eſt D. Gregor. vbi ad hoc propoſitum habentur notabilia ſequentia verba, *ſicuti ædificati parietes, non prius lignorum pondus accipiunt, quam à nouitatis ſuæ humore ſiccentur, ne ſi antea pondera quam ſolidentur accipiant, cunctam ſimul fabricam ad terram deponant. ſic & Neophiti non ſtatim, ſed ordinate, & per gradus ad ordines promouendi ſunt, quia caſum appetit, qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum.* Verba ſunt notatũ digniſſima.

per qua irregularitate ſolus poteſt Summus Pont. diſpenſare.

Quãtũ duret Nouitiatus in fide, infraquẽ Neophiti non poſſunt ordinari.

Nota hoc vãlde. Pro Neophitis, ſeu nouiter conuerſis, non ſtatim ordinandis, & promouẽdis.

Quarta Concluſio.

Hæretici, & fautores hæreticorum, etiã ſunt irregulares, ſuperquã irregularitate, ea durante nullus poteſt diſpenſare.

HAEretici & fautores hæreticorũ etiam ſunt irregulares, neque ad ſacros ordines poſſunt promoueri, quamuis ſint iam conuerſi. Hæc etiam concluſio, eſt Nauarr. vbi ſupra, & probat eam, *per cap. ſiquis omnem 1. quæſt. 7. & per cap. 2. §. hæretici, de hæreticis, lib. 6.* Quod etiam dicit eſſe intelligendum de Hæreticorum filijs, qui tales deceſſerunt, vſque ad ſecundam generationem, per lineam virilem, ſiue maſculinam incluſiue, & vſque ad primã per fæmininam, quod probat, *per dictum. §. hæretici, & per cap. ſtatutum, el. 2. eodem tit. lib. 6.* Sed quid ſit circa dictos Iudæos, Sarracenos, Paganos, ſiue hæreticos, & ab eiſdem intra quartum gradum deſcendentes, faciendum in noſtro ſacro Minorum ordine, quantum ad eorum receptionem, ſeu potius non receptionem ad Religionem, ſuperq; ſatis dictum fuit à nobis ſupra in præcedenti tomo, quæſt. 19. art. 7. Quantum verò attinet ad dignitates & prælatias, multa etiam ſunt dicta, in iſto Tomo q. 1. art. 1. 2. & 3. cum ſequentibus, qua propter cùm nihil de nouo dicendũ occurrat, ab hac re cõſulto in præſentiarum ſupersedeo.

Nota pro deſcẽdentibus ex hæreticis quaſliter & intrã quod tempus non poſſunt ordinari.

BIBLIOTECA PROVINCIAL

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Generalis Miniſter, quantum ad ordines, diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, in irregularitate prouenient ex defectu lenitatis?

Varta ſpecies irregularitatis eſt, quæ prouenit ex defectu perfectę lenitatis, ad quam pertinent muti lationes actiuæ & omnes occiſiones etiam licitę. Pro cuius intelligentia adnotare libet, hoc fuiſſe ab Eccleſia conſtitutum, quia non ſibi viſum fuit, ſatis poſſe referre, atque repręſentare lenitatem & manſuetudinem Chriſti, qui propter nos omnes ſuum proprium effudit ſanguinem, mortique ſe tradidit, eum, qui mutilauit aliquę, ſeu aliquod ipſius membrum, vel qui alium occidit, etiam licite. Hac etiam ratione prohibitum eſt clericis pugnare & bellica exercitia exercere, & in cuius rei ſimilitudinem dictum fuit olim D. Petro, in perſona omnium clericorum, Matthęi 26. *Conuerte gladium tuum in locum ſuum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Videantur quæ ad hoc propoſitum dicit D. Thom. 2. 2. quęſt. 40. art. 2. Videatur etiam Nauarr. in ſuo Manual. capit. 27. num. 207. vbi latiſſime tractat de mutilatione & his, quę ad ipſam pertinent, dicendo, & explicando quodnam dici debeat membrum, ex cuius mutilatione ſupradicta irregularitas incurritur, & quæ ſit occiſio iuſta, quæ verò iniuſta, & multa alia, quę cum etiam ad noſtrum præſens pertineāt propoſitum, adhuc dici, ob temporis penuriam non poſſunt. Quibus habitis pro præmiſſis, vt quanitor breuitati ſtudeam, propoſitę difficultati reſpōdeo, per ſequentem concluſionem.

Quā ob cauſā occidēres ſiue mutilantes etiā licite, ſint irregulares.

Concluſio.

Omnis defectus lenitatis, qui pertingit ad occiſiones, ſeu mēbri cuiuslibet muti lationē, induc it irregularitatē, per ſolū Sūmū Pont. diſpēſabilem

OMnis lenitatis defectus, qui pertingit vſque ad mēbri alicuius mutilationē, ſeu cuiuſuis hominis occiſionem, inducit irregularitatem, per ſolum Summum Pontificem, vt communiter dicitur, diſpenſabilem. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Nauarr. vbi ſupra num. 209. & dicit intelligi debere, de mutilatione ſeu occiſione in caſu etiā licito, alio quā infirmitatis. Nā de mutilatione ſeu occiſione in caſu illicito, inferius eſt dicēdū, idenim nō pertinet ad ſupradictā irregularitatē, ſed ad aliā alterius ſpeciei peioris, quæ prouenit ex aliquo commiſſo delicto, & conſtituit quintā irregularitatis ſpeciem. Ad prædictam irregularitatem etiam pertinet occiſio, ſiue mors, quę infertur à iudicibus, & alijs in id auxilium ferentibus, ſiue præſtantibus, & de præliantibus, ac dimicantibus in bello iuſto, de quibus videndus eſt ſupradictus Nauarr. num. 213. cum ſeqq. vbi in fine dicit, quod in dicta irregularitate ſolus Papa diſpenſat, quamuis longe facilius & ex minori cauſa quam in ſequenti, quę prouenit ex actu illicito, licet poſt Concilium Tridentinum, in illa ſi eſt occulta, diſpenſet Epiſcopus, in hac verò non.

Hæc ſupradictus Nauarro vbi ſupra.

Sed circa ſupradicta verba inſurgit difficultas & quidem non parua, ſed maxima, An ſcilicet Epiſcopus diſpenſare poſſit cum homicida voluntario cuius irregularitas non prouenit ex aliquo delicto, vel culpa, quinvero interdum cum maximo merito, vt contingit in iudicibus, & dimicātibus, & aſſiſtentibus alicui bello iuſto, aut in occidendo hominem inimicum? Qua de re eſt magna lis, & cō trouerſia inter Doctores. Nam Nauarro loco ſupracitato videtur tenere, quod non, dum dicit, quod in dicta irregularitate, quæ prouenit ex mutilatione ſeu occiſione iuſta, ſolus Papa diſpēſat, quamuis longe facilius, atque ex minori cauſa, quam in illa, quæ oritur & naſcitur ex actu illicito; dicendo etiam quod poſt Concilium Tridentinum, in iſta ſi eſt occulta, diſpenſare poteſt Epiſcopus, in illa verō non, & idem omnino tenere videtur, lib. 5. conſiliorum tit. de homicidio. conſ. 34. quamuis ſubobſcure aliquantulum loquatur, dicens pro hoc facere communem conſuetudinē totius orbis, petendi in dictis caſibus, & irregularitatibus ſemper diſpenſationem à Papa. Sed his nihilominus non obſtantibus, contraria ſententia tenetur à multis grauiſſimis Doctoribus, aſſerentibus in ſupradicta irregularitatis ſpecie, quę prouenit ex mutilatione, ſeu homicidio iuſto, quantumuis voluntario, (nam voluntarie iudex occidit latronem, voluntarie etiam Miniſtri eidē iuſtitiæ aſſiſtentes, mandant occidere eum, & milites præliantur,) Epiſcopum poſſe diſpenſare. Et quod irregularitas homicidij voluntarij, quæ communiter dicitur eſſe Summo Pontifici reſeruata, eſt illa, quæ procedit ex aliquo delicto, & quando homicidium contra iuſtitiam & contra iuris ordinem, eſt culpabiliter perpetratum. Hanc ſententiam & opinionem tenet Caietanus in ſumma, verbo, *irregularitas*, & Couarr. in 1. parte relectionis, *Clementinæ, ſi furioſus §. 3. num. 7. in fin.* Quinuero & ſupradictus Nauarr. vbi ſupra num. 240. eandem tenere videtur ſententiam. Nam loquendo de homicidio voluntario, ſuper cuius irregularitate diſpenſandi poteſtas excipitur in omnibus facultatibus, quę conceduntur ad diſpenſandum, tam ſummo Pœnitentiario, quam Legatis à latere & Cruciatarum Commiſſarijs, & quibuſuis alijs, diffiniens ipſum dicit, quod poteſt diffiniri, dicendo, *eſſe homicidium illicitum, intentum ſiue volitum in ſe, ſaltim æquipollenter, alias quam vitandæ mortis cauſa ab oratore.* Quam diffinitionem per omnes ſuas particulas explicat, atque declarat, ibidem & maxime particulam illam, *illicitum*, quam dicit ſe apposuiſſe, ad differentiam eius, quod nec eſt licitū neque illicitum, quale eſt homicidium factum, ſiue perpetratum ab infante ſiue furioſo, *per capitulum illud* 15. *quæſt.* 1. Ad differentiam etiam eius quod eſt iuſtum, quale eſt, quod miniſtri iuſtitiæ, vel milites in bello iuſto iuſte faciunt. Ex quibus Nauarri verbis colligi videtur, quod huiuſmodi homicidium iuſtum, de mente ipſius, non Summo Pontifici reſeruatur, quamuis ſi recurramus ad locum, ad quem ſe ibidem remittit, qui eſt ad numerum 217. vbi agit de quarta ſpecie irregularitatis, contrariam ſententiam tenere omnino videatur, dicendo in fine & in vltimis verbis, quod in illa

Difficultas.

An Epiſcopus, diſpenſare poſſit, cum homicida voluntario, cuius irregularitas non prouenit ex delicto.

Prima opinio

Secūda opin.

Diffinitio homicidij volūtarij illiciti.

Quod Epiſcopus poteſt diſpẽſare in homicidio voluntario, iuſto & licito, cuius irregularitas non prouenit ex delicto, multorum eſt opinio.

illa irregularitate ſolus Papa diſpenſat. Sed quid quid de hoc ſit, prædictam ſententiam tenet Mag. Bañes, ſecunda ſecundæ quæſt. 40. articulo 2. dubio 4. Vbi agendo de Prælatis Regularibus, dicit poſſe illos diſpẽſare cũ ſibi ſubditis, qui in bello iuſto aliquẽ occiderũt, eũ hoc homicidiũ nõ ſit aliud homicidiũ volũtariũ, ratione cuius cõtrahitur irregularitas, ſolũmodo per Sũmũ Põtificẽ diſpẽſabilis. Hanc etiam opinionem, tenet Viuald, in ſuo Candelabro aureo 2. parte, titulo de irregularitate. §. de diſpenſatione quoad Fratres, num. 326 & 327. dicens ita practicari. Et Mayolius lib. 5. de irregularitate cap. 48. §. 3. dicit, quod homicidium voluntarium, cuius irregularitas ſoli Papæ reſeruatur, & quod non comprehenditur in Iubileis, & in alijs priuilegijs concedentibus facultatem, ad diſpenſandum in irregularitatibus, ſolummodo comprehendit illud homicidium, quod eſt prohibitum, & illicitum, quia inquit, homicidium, ſignificat factum iniuſtum, quod prohibetur per quintum præceptum Decalogi, iuxta doctrinam traditam à D. Auguſtino libro primo, de libero arbitrio, cap. 4. & 5. relatam, à D. Thom. 1. 2. quæſt. 88. artic. 6. in ſolutione ad tertium. Vbi inquit, quod qui iudex iuſte occidit latronem, & milites, qui occidunt hoſtes Reipublicæ, non proprie appellãtur homicidæ. Ex qua doctrina colligitur, quod quando Concil. Trident. *ſeſſione 24. de reformatione cap. 6.* facultatem facit Epiſcopis, vt poſſint in foro conſcientiæ abſoluere à quacumque irregularitate Papæ reſeruata, orta ex delicto occulto & non deducto ad forum contentioſum, & excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, multo melius per ipſam poſſunt ijdem Epiſcopi diſpenſare, in irregularitate occulta, procedente ex occiſione iuſta hominis etiamſi ſit voluntaria, quinuero etiamſi ſit publica, cum vt præmiſſum eſt de mente D. Auguſtini & D. Thomæ, huiuſmodi occiſiones, non dicantur nec dici debeant, homicidium voluntarium, de quo loquitur ſupradictum Concilium. Sed ad hoc dicunt quidam, quod quamuis prædicta occiſio, non dicatur nec dici debeat homicidium voluntarium, quod ſit prohibitum, aut illicitum, eſt tamen occiſio inducens irregularitatem, non tam ratione culpæ occultæ, ſeu manifeſtæ, quę vt ſupponitur nulla fuit, quam ex defectu lenitatis, quod eſt propriũ huius irregularitatis quartæ ſpeciei, per ea quę diximus in initio huius Articuli, & Cõciliũ ſolũmodo cõcedit licẽtiã Epiſcopis in ſupradicto loco, diſpenſandi in irregularitatibus procedentibus ex delictis occultis. Sed ad hãc inſtãtiã facile reſpõderi poteſt, dicẽdo quod nos non negamus, ſupradictam eſſe irregularitatem dictæ quartæ ſpeciei, ſed ſolummodo dicimus (idque ex multorum probabili opinione) non ipſam eſſe Summo Pont. reſeruatam, & quod irregularitas mutilationis ſiue occiſionis, quę cõmuniter dicitur Papæ reſeruata, eſt ſolummodo irregularitas quintę ſpeciei, de qua ſtatim dicemus, illa nempe, quæ prouenit ex mutilatione ſiue homicidio iniuſto, illicito atque prohibito. Nec per hoc, quod ſupradictum Concilium, facultatem facit prædictis Epiſcopis, diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto

Nota valde.

prouenientibus, non deductis in iudicium & excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario iniuſto & illicito, negare videndum eſt, quod diſpẽſare etiam poſſint, in irregularitate procedente ex occiſione hominis iuſta occulte facta, quinuero nec publice, qualis eſt illa, quæ fit à iudice occidente latronem, & à iuſtitiæ Miniſtris, qui in hoc illi fauorem & auxilium præſtant, & ab exiſtentibus in bello & occidẽtibus inimicos Crucis Chriſti, cum tales occiſiones (vt dixi) non ſint aut dici debeant homicidium. Argumenta quidem ſunt iſta fortiſſima, videatur hac de re Medina in ſua ſumma, 1. part. capit. 12. §. 12. vbi hoc idem tenere videtur, & dicit eſſe multorum Doctorum opinionem.

Prælati Regulares, per ſua priuilegia diſpẽſare poſſunt cum ſibi ſubditis, in irregularitate, prouenientes ex homicidio voluntario, nõ in iuſto, neq; illicito, ſed iuſto, & licito.

Sed quidquid ſit de Epiſcopis, deueniendo ad Prælatos Regulares, & ad noſtra priuilegia nimis etiam probabiliter dici poteſt quod priuilegia illis conceſſa, quo diſpenſare poſſint cum ſibi ſubditis, in omnibus irregularitatibus, exceptis tribus, nempe homicidio voluntario, bigamia & mutilatione membrorum, facultatem illis faciunt, ad diſpenſandum in dicta irregularitate quartæ ſpeciei, quæ prouenit ex defectu lenitatis. Nam id quod dicitur de homicidio voluntario, non eſt intelligendum de quocumque voluntario homicidio, ſed de homicidio voluntario iniuſto, illicito, atque prohibito, vt modo diximus, quod pertinet ad irregularitatem quintæ ſpeciei, non vero de homicidio voluntario, facto iuſte à iudice, eiuſq; Miniſtris, ſeu ab exiſtentibus in bello, nam huiuſmodi improprie & non proprie, dicuntur homicidæ, vt dictum eſt.

Et idem dico de mutilatione membrorum iuſte etiam facta, cum huiuſmodi occiſiones & mutilationes, nullo modo ſint contra quintum præceptum Decalogi. Quodnam dicatur ſeu dici debeat bellum iuſtum, quod vero iniuſtum, non eſt præſentis ſpeculationis illud dicere, videatur hac de re, D. Thom. 2. 2. q. 40. artic. 1. & quæſt. 66. artic. 8. & Bañes 2. 2. q. 40. art. 1. & Ildefonſus de Caſtro, lib. aduerſus hæreſes, verbo *bellum*, & hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſſit in irregularitate prouenìente ex homicidio voluntario, publico, illicito atque prohibito?

QVinta irregularitatis ſpecies eſt, quæ prouenit ex delicto, quale eſt homicidium illicitum & prohibitum, & etiam omnis mutilatio illicita, atque prohibita. Sed cum hoc multifariam poſſit contingere, nã quandoque delictum eſt notorium & manifeſtũ, interdũ verò ſecretũ & occultũ, vt maiori cũ diſtinctione & claritate procedamus, de his omnibus difficultatibus oportet agere ſeorſũ, & in præſenti Articulo tãtũ agendũ eſt de irregularitate

proueniente ex delicto ſiue homicidio, notorio, & publico, de qua quæritur, An Generalis Miniſter, ſeu aliquis Religionum Prælatus, Summo Pontifice inferior, in ea diſpenſare poſſit? Cui difficultati breuiter reſpondetur, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Nullus Summo Pont. inferior, diſpenſare poteſt in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, illicito, notorio, & publico.

NVllus Summo Pontifice inferior, diſpenſare poteſt ſuper irregularitate proueniente ex homicidio voluntario illicito, notorio, & publico. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarr. in ſuo Manuali. cap. 27. num. 240. vbi & diffinit homicidium voluntarium, ſuper cuius irregularitate diſpenſandi poteſtas excipitur in omnibus facultatibus, quæ conferuntur ad diſpenſandum ſuper irregularitatibus, factis tam ſummo Pœnitentiario, quã Legatis à latere & Cruciatarum Commiſſarijs & quibuſuis alijs, dicẽs, *Eſſe homicidium illicitum, intẽtum, ſiue volitum in ſe, ſaltim æquipollenter, alias quam vitandæ mortis cauſa ab oratore.* In qua diffinitione illa particula, *illicitum*, ponitur ad differẽtiam eius quod neque eſt licitum neque illicitum, quale eſt vt ſupra etiam diximus, homicidium factum ab infante, vel furioſo, per cap. *illud 15. quæſt. 1.* item ad differentiam eius, quod eſt iuſtum, quale eſt quod Iudices, ſiue Miniſtri Iuſtitiæ, vel milites in bello iuſto, iuſte faciunt, de quo dictum eſt in præcedẽti Articulo. Dicitur, *intentum ſiue volitum in ſe*: nam non ſufficit, quod ſit volitum in ſua cauſa, quale eſt omne caſuale producens irregularitatẽ, ſecundum Diuum Thomam communiter receptum, ſecunda ſecundæ quæſtione 64. articulo vltimo. Sed dicitur, *ſaltim æquipollenter*, ad includendum illud, quod non eſt quidem intentum, ſeu volitum in ſe, eſt tamen intentum ſeu volitum in ſua cauſa, adeo propinqua, vt moraliter loquendo, vix ſint compatibilia, velle illam cauſam, & nolle occidere, cuiuſmodi eſt nolle occidere, & velle propinare venenum, quod quiſpiam ſcit eſſe mortiferum, aut ferire quempiam enſe punctim circa caput, vel circa præcordia. Appoſita eſt etiam illa particula, *alias quam vitandæ mortis cauſa*, ad excludendum homicidium intentum ob defenſionem propriam, & cauſa vitandæ mortis propriæ: & tandem vltimo eſt appoſita illa particula, *ab oratore*, hoc eſt à petente diſpenſationem, quia non ſufficit vt intendatur ab alio. Sæpiſſime enim contingit, quod vnum & idem homicidium, ſit voluntarium vni, & non alteri, quale eſt illud, quod facit (verbi gratia) Petrus percutiendo quempiam animo occidendi ipſum, mandante vero Ioanne, vt aliam leuem ei iniuriam inferret citra mortem, aut deformationem, huiuſmodi homicidium in Petro eſt voluntarium, in Ioanne vero non. Econtra vero contingit in homicidio, quod facit famulus propinando alicui potum veneno infectum, animo iocãdi, mãdato heri ſibi perſuadẽtis eſſe ſolo ſale conſperſum, tale homicidium in famulo, non eſſet voluntarium, in hero vero, ſic. Hæc eſt exacta homicidij voluntarij, illiciti, atque prohibiti diffinitio, & nimis conſona Decretis Concilij Tridentini, quod ſeſſione, 14. cap. 7. de eiuſmodi homicidio agens, ſemel & iterum repetit huiuſmodi particulas, *per induſtriam*, *per inſidias*, *ex propoſito*, *propria voluntate*, &c. ad inſinuandum quod eiuſmodi homicidium, de quo loquitur, & cuius irregularitas dicitur ibidem, quod ſit Summo Pontifici reſeruata, debet eſſe illicitum, intentum, & volitum ſiue voluntarium in ſe, aut ſaltim æquipollenter in ſua cauſa, vt dictum eſt. Per quas etiam particulas, excluduntur à ratione talis homicidij, omnes occiſiones, quæ fiunt à iudicibus, & à Miniſtris iuſtitiæ iuridice, & ab exiſtentibus in bello iuſto. Nam eiuſmodi occiſiones, quamuis alias ſint voluntariæ, & propria voluntate fiant, nõ tamen fieri dicuntur per inſidias, nec per induſtriam, propria voluntate, aut ex propoſito: quæ omnia verba, aliquod malum prohibitum atque illicitum inſinuant, quod non contingit in ſupradictis. Et de prædicto homicidio voluntario, illicito, atque prohibito, ad ſenſum ſupradictum intelligenda ſunt omnia priuilegia Regularibus conceſſa, quando in facultatibus exhibitis, ad diſpenſandum in quibuſcumque irregularitatibus, excipiuntur tres caſus, quorum vnus eſt irregularitas procedens ex dicto homicidio voluntario. De tali, inquam homicidio voluntario, illicito atque prohibito intelligenda ſunt, non verò de alio licito. Similiter, & quando per Concilium Tridentinum, *ſeſſione 24. de reformatione cap. 6.* conceditur Epiſcopis facultas, abſoluendi & diſpenſandi in omnibus irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, intelligendum eſt de huiuſmodi homicidio voluntario, modo iam explicato, quo fit vt diſpenſare ipſi iure poſſint, in irregularitate orta ex homicidio caſuali, vt in ſequentibus dicemus, & etiam in homicidio occulto, vt tenet ſupradictus Nauarro cap. 27. num. 240.

Nota diffinitionem homicidi voluntarij, illiciti, at q; prohibiti.

Nota hoc valde.

Et aduerto quod qui comprehenduntur & ſunt irregulares, irregularitate proueniente ex ſupradicto homicidio voluntario, illicito & prohibito, non ſunt ſolummodo irregulares quoad ordines, verum etiam, & quoad quaſcumque Prælaturas, & dignitates, quales in Religionibus ſunt Guardianatus, Prioratus & Prouincialatus. Nam quamuis olim contrarium fuerit determinatum, ſeu potius declaratum in quodam noſtro Capitulo Generali Baſilienſi, attamen nunc in Concilio Tridentino, *ſeſſione 14. capit. 7. dicitur, quod huiuſmodi, nullo tempore ad ſacros Ordines promoueri poſſint, neque aliqua illis Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam animarum non habeant, conferri liceat, ſed omni ordine, ac beneficio & officio Eccleſiaſtico perpetuo careant.* Vbi poſtquam per Concilium prohibentur ſupradicti, habere beneficia Eccleſiaſtica, perinde etiam prohibentur in Religionibus habere Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas, quę pro illo articulo breuiter dicta ſufficiant.

Irregulares irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, illicito atque prohibito non ſolũ ſũt irregulares, vt ad ſacros ordines non poſſint promoueri, verũ neq; ad dignitates, & Prælaturas, & officia animarũ curam habentia.

(··)

ARTI-

ARTICVLVS X.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſſit in irregularitate, prouenente ex homicidio voluntario iniuſto, & prohibito ſed omninò occulto?

Difficultas.

ANte quam ad huius difficultatis explicationem accedamus, atque ipſius afferamus reſolutionem, operæ pretium eſt explicare, præuiã aliam difficultatem, ea eſt. An homicidium omninò occultum, etiã illicitum & prohibitum, inducat irregularitatẽ? Et ne, vt dicitur, ad ignota per magis ignota procedamus adnotare oportet, quod dupliciter ſtare poteſt, quod homicidium aliquod dicatur omninò occultum. Vno modo ita vt nulla poſſit ratione probari, nec adduci in iudicium aut in mentem ſiue notitiam hominum venire, niſi ex ſola propria occiſoris confeſsione. Alio modo dicitur aliquod homicidium occultum, quod non eſt deductum in iudicium, neque in forum contentioſum, poteſt tamen deduci, denunciari & accuſari, quia nempe ad id ſufficientia ſunt indicia, aut forſan poteſt legitimis teſtibus comprobari. Et de homicidio occulto hoc ſecundo modo, certum eſt & abſq; omni prorſus dubio, & illud communis tenet opinio quod inducit irregularitatem. Solummodo eſt difficultas de homicidio occulto primo modo, de quo ſunt duæ extremæ opiniones.

An per homicidiũ omninò occultum, etiam illicitũ, incurratur irregularitas?

Quotupliciter contingat, aliquod homicidium, dici occultum.

Prima opinio dicentiũ, propter homicidium omninò occultum, nullam irregularitatem incurri.

Prima opinio eſt aſſerentium, quod per homicidium omninò occultum primo modo, nulla irregularitas incurritur. Hanc ſententiam & opinionem tenuit Doctiſſimus olim P. F. Ildefonſus de Caſtro lib. 2. de lege pœnali cap. vltimo, verſiculo 3. ad principalem Concluſionem, nam quamuis illi placeat opinio Abbatis Panormit. dicentis quod ex prædicto homicidio, in foro conſcientiæ contrahitur irregularitas, ſed tamen per Epiſcopum tantũ diſpenſabilis: verumtamen ſi rectè ac penitus introſpiciantur, ipſius rationes eo tendunt, vt per ipſas probare contendant, per ſupradictum homicidium omninò occultum, nullam prorſus inducì irregularitatem, nullaq; in eo caſu eſſe opus etiã Epiſcopi diſpenſatione, & hoc tenere, atque ſentire prædictum Patrem de Caſtro, dicit expreſſe Couarruuias de homicidio. 2. par. §. 3. num. 4. videlicet, quod nulla per ipſum contrahitur irregularitas, & probat ſuam ſententiam, ex quadam decretali Alexandri III. in cap. *ex tenore, de temporibus ordina.* vbi ſequentia verba habentur: *Verum quoniã peccatum ipſius fore occultum dixiſti, mandamus quatenus pœnitentiam ei congruam imponas, & ſuadeas vt parte pœnitentiæ peracta, ordine ſuſcepto vtatur, quo contentus exiſtens, ad ſuperiores amplius non aſcendat, verumtamẽ quia ſtens, ad ſuperiores amplius non aſcendat, verumtamẽ quia peccatum occultum eſt, ſi promoueri voluerit, eum nõ debes aliqua ratione prohibere.* Quæ verba quam maximè ſunt natatu digna, nimiſque ponderanda, nam loquitur, vt conſtat ex ipſius decretalis initio, de lecto degradatione digno, & per quod ſi eſſet pũ blicum, degradaretur ab ordine quem ſuſcepit, & amplius non poſſet ad ſuperiores ordines promoueri. Hoc certè argumentum eſt fortiſsimum pro hac parte, ad probandum quod irregularitas non contrahitur per peccatum ſiue delictum omninò occultum.

Nota hoc val de.

Circa homicidium omninò occultum.

Nota, & pondera huius decretalis verba

Sed præterea probatur id ipſum; nam irregularitas, vt communis tenet opinio, & Nauarr. in ſua Summa cap. 27. num. 144. contra Sotum, & Medina in ſua ſum. par. 1. cap. 11. §. 10. non incurritur, niſi in caſibus à iure expreſsis, ſed nullus textus eſt expreſſus in iure, in quo ſit determinatum quod per delictum omninò occultum contrahatur irregularitas, ergo non eſt dicendum. Conſequentia eſt legitima, minor autem probatur, nam quamuis habeatur in iure, in cap. *niſi. §. perſona. de renunciatione*, & in Concil. Trident. Seſsio. 14. cap. 7. & Seſsi. 24. cap. 6. *de reformatione*, quod ſit illata irregularitas etiam quando culpa latet, & quando delictum eſt occultũ, ſed tamen neq; ibi, neque alibi habetur, quod talis pœna ſit inflicta ſiue inferatur, quando culpa omninò latet, & quando crimen ſiue delictum eſt omninò occultum, de quo loquimur in præſenti. Quin verò Concil. Trident. vbiſupra Seſsio. 14. cap. 7. fauere videtur dictæ ſententiæ, vocans homicidium occultum, propter quod inducitur irregularitas, illud quod quamuis non ſit deductũ in iudicium, ſeu ordine iudiciario probatum, poteſt tamen probari, aut aliqua ratione fieri publicũ. Ex quibus verbis ſatis colligitur, quod quamuis per crimen occultum ſecundo modo (de quibus diximus ſupra) irregularitas incurratur, non tamen per illud, quod eſt totaliter occultum, ita quod nullus omninò illud ſcit, niſi qui ipſum commiſit, nulloque modo poteſt deduci in iudicium, aut vlla ratione fieri publicum, ſed moraliter loquendo, de per ſe & ſimpliciter eſt ſecretũ, & occultum.

Nec ad hoc vt videtur, valet dicere, quod nonnulli dicunt, nempe quod delictum quodcunque exterius commiſſum, quamuis à nemine videatur, eſt publicum de per ſe, quamuis alias ſit occultũ per accidens, nam hoc habet verum loquẽdo metaphyſicè, non verò moraliter, hoc enim modo loquendo, illud eſt omninò ſecretum & occultum per ſe, quod nullo modo poteſt deduci in iudiciũ, nec vlla ratione fieri publicum, moraliter loquendo. Cum ergo Concilium Tridentinum, loco ſupracitato, non loquatur de crimine occulto vel publico metaphyſice, ſed de occulto vel publico moraliter, & quantum attinet & ſpectat ad mores, manifeſte ſequi videtur, quod illud homicidium ſit ſimpliciter & abſolutè occultum, & ſecretum, quod nulla ratione poteſt exterius deduci in iudicium, nec aliquo modo fieri publicũ, & quod homicidium quod prædictum Concilium vocat occultum, & per quod dicit irregularitatem incurri, eſt illud, quod quamuis ſit occultum, potuit tamẽ aliqua ratione fieri publicum, & aliquo modo deduci in iudicium, & iudiciario ordine comprobari. Nam Conciliorum verba moraliter, non verò metaphyſice ſunt intelligenda, ſecundum communem vſum, ac morem loquendi hominum, & non ſecundum naturam à rebus & moribus hominum abſtractam.

Tandem vltimo poteſt prædicta ſententia, &

opinio comprobari, alia etiam efficaciſſima ratione. Nam ille qui eſt excommunicatus propter delictum omninò occultum, aut ſuſpenſus, non tenetur ſe abſtinere ab officio & exercitio ordinis ſuſcepti, ne ea ratione ſe prodat, vt communis tenet opinio, cuius meminit Nauarr. vbi ſupra num. 239. ſignum ergo eſt, quod Eccleſia, quæ eſt pietatis mater, non vult alicui pœnam aliquam exteriorẽ infligere, propter crimen omninò occultum, nam multa ſunt delicta, quæ non ſunt punienda, ſed diuino iudicio relinquenda ac reſeruanda, vt probe notat Gloſſa ſupradicto cap. *ex tenore*, verbo *occulto*, vbi inquit, *quod probatione ceſſante, vindictæ ratio cõquieſcit*, pro quo alligat cap. *Chriſtiana*, 32. quæſt. 5. *Et quod ſecretorum & cognitor & index ſit Deus*, habetur in cap. *erubeſcant* diſt. 32. & in cap. *cõfeſſi*. 2. quæſt. 5. & eiuſmodi delicta ſolum Deum habent vltorem, vt habetur, in l. *iuris iurandi*. C. *de iure iurando*, de Eccleſia etiam ſancta noſtra dicitur, quod non iudicat de occultis, nec vllam omninò hucvſque intulit exteriorem pœnam, propter crimina omninò occulta. Quamuis enim de excommunicatione verum ſit, & de ipſa communiter dicatur, quod ipſo facto poſita ſtatim incurritur; etiam propter crimen omninò occultum, exterius tamẽ commiſſum quantum ad priuationem ſuffragiorum, quæ etiam eſt pœna occulta & ſecreta, non tamen quantum ad communicationem exteriorẽ, & participationem Sacramentorum, nam in eo caſu licitum eſt excommunicato ſe ingerere ne ſe prodat ſiue infamet, vt tenet cõmunis opinio. Hæc ſunt quæ faciunt pro hac opinione.

Nõ omnia delicta ſunt puniẽda, ſed quæ probari poſſunt, aut non ſunt ſimpliciter ſecreta.

Nota hoc vide.

Sed contraria eſt aliorum ſententia, aſſerentiũ irregularitatem incurri, propter homicidium etiã omninò occultum primo modo, hoc eſt quod nulla poteſt ratione probari, neque adduci in iudiciũ, eſtque communis opinio, quam tenet Abb. Panor. & multi alij grauiſſimi Doctores, quos breuitatis gratia omitto. Quæ & probari poteſt hac efficaciſſima ratione, nã irregularitatis pœna, ex homicidio voluntario, vtcunque occulto proueniens, non ſolùm infligitur propter homicidij delictum, ſiue in vindictam ipſius, verum etiam & principalius propter indecentiam, & propter defectum ſignificationis, vt diximus ſupra initio art. 8. de mente D. Thom. 2. 2. quæſt. 40. art. 2. nam qui quẽpiam occidit, non congrue poteſt in altari immaculatum Agnum repræſentare, qui pro nobis omnibus ſanguinem ſuum fudit, quæ quidem repræſentatio, neceſſaria eſt in quolibet ordinando, cũ omnes clericales ordines ordinentur ad ſacrum altaris myſterium, in quo Chriſtus Dominus realiter continetur, & à Sacerdote repræſentatur. Quo fit vt quamuis in homicidio omninò occulto, irregularitas ratione delicti non incurratur, incurritur tamẽ ratione indecẽtiæ & obdefectũ ſignificationis, eo modo quo etiã ſupra in hac q. art. 2. diximus de bigamis, qui contraxerunt matrimonium bis, ſeu cũ vidua, aut prius corrupta ab alio, in quibus caſibus quamuis prior corruptio ſit omninò occulta, adhuc bigamiæ irregularitas incurritur. Et hoc ſufficit ad hoc, vt propter hanc ſolã rationem, prædicta opinio videatur probabilior & tenenda, prout à nobis in præſentiarum tenetur. Nam quamuis contraria non ſit omninò improbabilis, neque in conſcientia videatur damnandus, qui eam fuerit ſecutus, adhuc tamen iſta longe eſt probabilior, & quæ communiter ab omnibus tenetur, atque defenditur.

Secunda opinio dicentiũ irregularitatem incurri, propter homicidium omninò occultum.

Nota hoc vide.

Reſolutio ſupra poſitæ difficultatis eſt, quod hæc ſecunda opinio eſt probabilior & tenenda.

Quibus ſic præmiſſis, vt ad propoſitam difficultatem deueniamus, quæritur nunc. Quiſnam diſpenſare poſſit in ſupra dicta irregularitate, prouenientè ex homicidio voluntario, illicito & prohibito, ſed omninò occulto? Cui difficultati breuiter reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

In irregularitate proueniente ex homicidio omninò occulto, Epiſcopi diſpẽſant cum ſibi ſubditis.

IN ſupra dicta irregularitate, proueniente ex homicidio voluntario illicito, & prohibito, ſed omninò occulto, Epiſcopi diſpenſare poſſunt cum ſibi ſubditis. Hanc concluſionem tenet expreſſe Couarr. in Clement. *ſi furioſus, de homicidio*. 2. part. §. 5. num. 4. & probat eam ex multis Doctorũ auctoritatibus, quos refert & ſequitur, ſed præcipuè ex Abbate, in cap. *ex tenore*. Et eam etiam tenet & approbat tanquam nimis probabilem, P. Ildefonſus de Caſtro, loco ſupra citato, & Angelus in Summa, verbo *homicidium*. 5. quæſt. 1. hi omnes dicunt, quod in irregularitate proueniente ex crimine omninò occulto, & quod nullis poteſt teſtibus comprobari, neque aliter, quam per propriã confeſſionem ſciri, poteſt Epiſcopus diſpenſare, & quod quoad hoc, remanſit ius commune omninò intactum; neque per Concil. Trident. eſt aliquid innouatum, nec prædicta irregularitas eſt Summo Pontifici reſeruata, ſed Epiſcopo. Neque obſtant, prout obſtare putauit Nauarr. in dicto cap. 27. num. 239. verba, quæ habentur in eo loco ſupra citato; nam Concilium intelligendum eſt, de illo homicidio occulto, quod quamuis actu non ſit deductum in iudicium, neque ad forum contentioſum, eſt tamen ex ſe probabile, quamuis actu in iudicio Ordinario non ſit probatum, non autem de homicidio omninò occulto de quo in præſenti loquimur, quod probari nullo modo poteſt. Et quamuis Salzedo in ſua Practica criminali cap. 94. pag. 329. teneat opinionem contrariam, aſſerendo in prædicto etiam caſu, neceſſarium eſſe recurrere ad Papam, ad huiuſmodi diſpenſationem impetrandam; nihilominus noſtra concluſio veriſſima & probabiliſſima eſt, & Salzedo minus bene innititur fundamentis adductis pro alia in contrariũ opinione. Sed loquendo de Prælatis Regularibus, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Generalis Miniſter, & Prælati, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalẽ iuriſdictionẽ habentes, bene poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis, in irregularitate, proueniente ex homicidio omninò occulto.

GEneralis Miniſter & Religionum Prælati, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalẽ iuriſdictionem habentes, bene poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis, in irregularitate proueniente ex homicidio omninò occulto. Hæc concluſio ſatis colligitur ex ſupra dictis: nam ſi Epiſcopi, vt dictum eſt, id poſſunt, eadem ratione & Generalis Miniſter & Religionum Prælati, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, poterunt id ipſum facere, cum aliquo ſibi ſubdito, qui forſan cũ eſſet olim ſecularis homicida fuit, ſed omninò occultus. Totale huius ſententiæ & opinionis fundamen-

damentum eſt quia ex tali homicidio omninò occulto, vel nulla contrahitur irregularitas, vel ſaltim ea non eſt Papæ reſeruata, ſed Epiſcopis, ac proinde ſicut Epiſcopus diſpenſare poteſt cum ſibi ſubditis, ita & Prælatus Regularis, iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habens cum ſuis. Et quando ſuprà dicta opinio cum ſecularibus practicari non poſſet aut deberet, conſentaneum rationi nimis erat, vt cum Religioſis practicaretur, ad tollendos multos inutiles diſcurſus & omnem diuagandi materiam.

Nota ſpecialia priuilegia quæ ad hoc habentur.

Sed præterea Generalis Miniſter, & Religionũ Prælati, ad id faciendum ſpecialia habent priuilegia; nam in primis Martinus V. conceſſit Priori Monaſterij Sancti Benedicti Valli Soletani: *quod in foro conſcientiæ poſſet abſoluere ſuos Monachos, ab omni excommunicationis ſententia, etiamſi talis eſſet quam ipſe Summ. Pontif. reſeruare conſueuit, & cum eis ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſeruat (in morte videlicet & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione) valeat diſpenſare, dum tamen aliquod horum trium non ſit notorium & hoc propter ſcandalum.* Vbi valde venit notandum verbum, dummodo non ſit aliquod horum trium notorium. Habetur hæc conceſſio in Compendio priuileg. Mendic. verbo *abſolutio ordinaria quoad fratres.* §. 4. Vbi aduertit Collector, quod licèt primo ſupra dicta conceſſio facta fuerit ſoli Priori ſeu Abbati Monaſterij Sancti Benedicti Valli-Soletani, poſtea tam extenſa ſeu communicata fuit, omnibus Prioribus vel Abbatibus aliorum Monaſteriorum, vt habetur in verbo *communicatio priuilegiorum.* §. 34. Et ait ſe præfatam conceſſionem vidiſſe in prædicto Conuentu, ſub ſigillo authentico Valliſoleti & inde eam fideliter extraxiſſe. Simile priuilegium conceſſum eſt à Iulio Secundo, Ordini Prædicatorum, vt refertur in Compendio Societatis Ieſu, verbo *diſpenſatio.* §. 1. & in Compendio Ordinis Diui Hieronymi Hiſpaniæ, eodem verbo §. 24. & dicit Pater Corduba in addition. ad dictũ Compendium, verbo, *diſpenſatio.* §. 24. quod dicta diſpenſatio, intelligitur de quocũque homicidio voluntario vel caſuali, directo vel indirecto, dummodo iudicialiter non poſſit probari, aut ſit notorium, quia vbi Papa non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Neque inquit obſtat, quod Sixtus Quartus, qui ſucceſſit poſt ſupradictũ Martinum V, conceſſit facultatem diſpenſandi, in homicidio caſuali, excipiendo expreſſe homicidium voluntarium, vt paret ex ſupradicto Compendio priuileg. Mendicant. verbo *diſpenſatio.* §. 10. 12. & 13. & habetur in Monumentis noſtri Ordinis. 1. impreſ. fol. 63. & 2. fol. 66. conceſ. 102. & in ſupplem. fol. 95. conceſ. 319. Nam huic obiectioni reſpondetur, omiſſis alijs multis ſolutionibus, quod prædicta exceptio & limitatio, intelligitur vt procedat ſolùm, circa conceſſiones factas ab eodem Sixto Quarto, & non vt extendatur ad alias factas ab alijs Summis Pontificibus: nam ſi prædictus Sixtus Quartus, hoc voluiſſet, id vtique expreſſiſſet, quod non fecit. Cum igitur priuilegium conceſſum, nullo modo abrogetur, niſi de illo ſpecialis mentio aut generalis fiat, quæ ipſum comprehendat, relinquitur quod ſupradictum priuileg. in ſuo remanet vigore. Neque etiam eſt abrogatum per Concilium Tridentinum, in illo loco, quo conceſſa eſt facultas Epiſcopis, & conſequenter Prælatis Ordinarijs, ſimilem iuriſdictionem habẽtibus, ad diſpenſandum in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepto homicidio voluntario, nam hæc exceptio ſolùm procedit reſpectu illorum caſuum, qui in eodem decreto conceduntur, non tamen reſpectu illorum, qui conceſſi ſunt per aliqua alia priuilegia, cum in dicto Concilio loco citato, nulla facta ſit priuilegiorũ abrogatio & reuocatio. Ex dictis omnibus colligitur, quod ſi homicidium eſt occultum ſecundo modo, ſolus Papa ſecundùm ius diſpenſare poteſt in dicta irregularitate, ſi verò eſt occultum omninò & primo modo, poſſunt ſuper ea diſpenſare Epiſcopi & Generalis Miniſter, & omnes alij Religionũ Prælati, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes. Et hoc duplici ex capite, primo de iure communi, ſicut & ſupradicti Epiſcopi, cum ſibi ſubditis, ſecundo de iure ſpeciali & ex ſpeciali conceſſione ſupradicti Martini V. qua fruũtur omnes Religiones, priuilegium habentes cõmunicationis. Sed aduertendum eſt nimis, ad peccatum ſiue delictum, quod ſit omninò occultum (vt dictum eſt) & nullo modo notorium, nam tũc nihil valeret diſpenſatio, virtute ſupradicti priuilegij facta, cum non ſeruetur forma reſcripti. Et dicitur notorium, quantum ad hoc propoſitum, quando ſunt tot coniecturæ, vt non ſit locus tergiuerſationi, vt notat Panormit. in cap. 1. *de cohabit. Clericorum.* num. 7. & Angelus, verbo *concubinarius*; aſſerentes, tunc aliquid dici eſſe notorium, quando nullam habet tergiuerſationem, aut dubietatem.

Generalis reſolutio.

Nota quod Priuilegium cõceſſum, nullo modo abrogatur, niſi de eo fiat mẽtio,

aut ſpecialis, aut Generalis, quæ ipſũ cõprehendat.

Nota quodnã crimen dicatur, ſeu dici debeat notorium?

In calce huius Articuli libuit aduertere, quod ſupradicta conceſſio Martini V. optime practicari poteſt (quidquid alij dicant aſſerentes, quod non eſt in vſu) nam re vera, vt dicitur eſt in vſu, & Vera-Cruz in ſuo Compendio manuſcripto, refert quod hac facultate vti ſunt in Indijs Occidentalibus fratres Prædic. in primo Capit. Prouinciali, celebrato in Guatimala, anno Domini 1553. neque verò conſtare cuipiam poteſt, quod dictum priuileg. non ſit in vſu, cum Prælati eo vtantur, nõ in plateis, nec verò in Monaſteriorum Clauſtris, ſciẽtibus ac videntibus cunctis, ſed in occulto, cum id ipſum conceſſum ſit tantùm pro caſibus omninò occultis.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſſit cum ſibi ſubditis, in irregularitate prouenient ex mutilatione voluntaria alicuius membri?

Simutilatio volũtaria eſt occulta, & nullo modo deducta in iudicium ſeu ad forum contẽtioſum,

SI huiuſmodi mutilatio ſit occulta, nec deducta in iudicium, ſeu ad forum contẽtioſum, in irregularitate ex ipſa proueniente, Generalis Miniſter, & religionum Prælati, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, optime poſſunt diſpenſare. Pro intelligentia ſimul & probatione huius

Bene possunt super tali irregularitate, Prælati Regulares dispensare.

huius conclusionis est notandum, quod olim solus Papa, poterat dispensare in irregularitate procedente ex mutilatione voluntaria membrorum, prout habetur in iure cap. 1. *de Clericis pugnant. in duello*: & tradunt communiter Doctores, quos refert Couar. in Clementina, *si furiosus*. 1. part. §. 3. n. 7. & Nauar. in suo Manuali cap. 27. num. 206. sed postea per Concilium Tridentinum, Sessione 24. ca. 6. *de reformat.* iam id fuit sublatum, postquam conceditur Episcopis, vt possint dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum. Nam postquam summo excipitur, supradictum homicidium voluntarium, & irregularitas ab ipso proueniens, & aliæ deductæ ad forum contentiosum, manifestum fit, quod dispensare possunt Episcopi in irregularitate proueniente ex mutilatione voluntaria alicuius membri, dummodo delictū sit occultum. Nec requiritur quod sit occultum primo modo ex dictis in præcedenti Articulo, sed sufficit quod sit occultum secundo modo, hoc est non deductum in iudicium, neque ad forum contentiosum. Nec obstat quod homicidium voluntarium & voluntaria mutilatio, pro eodem accipiuntur in iure, nam hoc intelligi debet ita, quod sicut ex homicidio voluntario incurritur irregularitas, ita etiam ex mutilatione voluntaria irregularitas incurritur, & sicut ipsa non incurritur, quando occisio hominis facta fuit ad propriam defensionem; ita etiam non contrahitur, quando mutilatio ipsa necessaria fuit ad propriam defensionem. Ex hoc autem non licèt colligere, quod irregularitates ex prædictis delictis prouenientes, simili modo & eodē rigore sint reseruatæ, ita vt quod vni tribuitur, sit necessariò tribuendum & alteri, nec de hoc talis regula generalis habetur in iure, quin verò homicidium & mutilatio apud sacros Canones, in diuersis titulis collocantur, vt constat ex Decretalibus, vbi diuersus est titulus, de homicidio & de corpore vitiatis, & in Clementina, *si furiosus*, de homicidio & de mutilatione membrorum separatim fit mentio, id quod & fecit Alexander III. in cap. 1. *de Clerico pugna. in duello*, diuersimode loquēs de homicidio, & membrorū mutilatione. Ex quo fit, quod cum in dicto Conc. Trid. facultas fiat Episcopis, dispensandi (vt dictū est) in foro conscié tiæ, in omnibus irregularitatibus procedentibus ex delicto occulto, & nō deductis in iudiciū (excepto homicidio voluntario) homicidium voluntarium dumtaxat excipientes supradicti Concilij Patres, satis clare innuere visi sunt, concessam esse perinde licentiam & facultatē prædictis Episcopis, ad dispensandum in irregularitate, procedente ex voluntaria mutilatione membrorum, dū tamen delictum sit occultum, & nullo modo deductum in iudicium, si quidem vt notum est in iure, exceptio firmat regulam in contrarium, neque enim ignorabant supradicti Patres, homicidij volū tarij nomine, non venire intelligendam voluntariam mutilationem membrorum. Hoc supposito atque constituto, manet simul probata & declarata nostra conclusio, nam cum Generalis Minister & Religionum Prælati (de quibus loquimur) iurisdictionem habeant Episcopalem vel quasi Episcopalem, consequens perinde fit, quod etiam ipsi in supradicta irregularitate dispēsare optime possunt cum sibi subditis. Quod & cōfirmatur ex speciali concessione Sixti Quinti, facta Prouincialibus Ordinis Prædicatorum, de qua diximus supra quæst. 7. art. 2. concluſ. 3. qua concessit illis circa sibi subditos facultatem, quam Concil. Trident. cōcessit Episcopis circa suos Dœcesanos. Id quod & Gregorius XIII. concessit, anno Domini 1574. Generalibus & Abbatibus Ordinis Cisterciensis Congregationis Hispaniæ, vt refertur in Compendio dicti Ordinis, verbo *absolutio quoad fratres.* §. 11.

Quænam sit mutilatio mēbrorum, inducens irregularitatem in foro exteriori, Summo Pontif. reseruata.

In calce huius Articuli breuiter adnotare libuit, quænam sit mutilatio membrorum, inducens irregularitatem in foro exteriori Papæ reseruatam, vt exinde scire atque inuestigare possimus, quænam sit irregularitas prouenies ex occulta mutilatione membrorum, in qua Episcopi, & Religionum Prælati supradicti, in foro conscientiæ possunt aut non possunt, dispensare? Pro quo dico de mente Nauarri in Manuali capit. 27. numero. 206. quod mutilatio membrorum in hac materia, est diminutio alicuius membri totalis, quo fit quod quando vnus alteri debilitat aliquod membrum, si non totaliter aufertur aut minuitur, non incurrit irregularitatem, etiamsi tale membrum debilitatum, ad suas exercendas operationes reddatur inutile. Nam non propterea desinit esse membrum vtile, saltem ad corporis ornatum, & certum est quod pœnæ benigne debent interpretari, & cum ius iudicet, atque pronunciet irregularitatem, contra mutilantem membrum; hoc ius pœnale non debet extendi ad debilitantem. Vnde qui deformauit gladio alicuius hominis faciem, aut qui læsit alicuius oculos non totaliter excæcando ipsum proculdubio non erit irregularis, prout tenet Couarruuias in dicta Clementina, *si furiosus*, vbi supra, & Nauarrus etiā vbi supra, quamuis Salzedo in sua Practica criminali, cap. 90. teneat contrarium, allegando Syluestrum, verbo *homicidium*. 3. numer. quarto. Secundo dico, quod non incurritur irregularitas, ratione mutilationis eorum membrorum, quæ non sunt necessaria ad exercendas corporis operationes, ex quo infertur, quod ex mutilatione alicuius digiti, non incurritur irregularitas, nam digitus nō est propriè membrum, sed pars membri, vt dicit Nauarr. loco supra citato contra Caietanum, secunda secundæ quæst. 93. artic. primero, quem sequitur Soto lib. secūdo de iustitia & iure, quæs. 5. art. 1. quod late probat supradictus Nauarr. addendo plura ad hoc propositum nimis necessaria, quæ cum adeò breuitati studeam & ibidem possint videri, ab eisdem consulto abstineo.

ART.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, in irregularitate proueniente ratione homicidij voluntarij ad hoc, vt ad Dignitates & Prælatias in Religione promoueantur?

Nota hoc valde, quod ſecũdum ius commune antiquũ, bene poterant Epiſcopi diſpenſare, cum homicida voluntario, vt retinere poſſet beneficium curatum, obtentũ ante irregularitatem, quãuis non poſſent diſpenſare, vt obtinere aliquod beneficium curatũ de nouo.

PRO intelligentia hũius Articuli, aliqua oportet aduertere. Et dico primo, quod olim de iure antiquo, bene poterant Epiſcopi diſpenſare, cum homicida voluntario, vt retinere poſſet beneficium curatum, obtentum ante irregularitatem, quamuis non poſſent diſpenſare, vt obtineret aliquod beneficium curatũ de nouo, prout tradit Couar. in Clementina, *ſi furioſus*. 2. part. §. 3. num. 6. Et Nauar. in Manual. cap. 27. num. 240. in fine, quod ſimiliter ob rationis paritatem poterant facere Prælati Regulares, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes cum ſibi ſubditis, vt in Religione obtinere poſſent Prælationes, quas ante irregularitatem obtinebant, quamuis non poſſent cum eiſdem diſpenſare, vt aliquas de nouo dignitates acquirerent. Quapropter ex parte Ordinis, impetratum fuiſſe dicitur priuilegium à Sixto Quarto: *Quo conceſsit Generali, & Prouincialibus Miniſtris Ordinis Minorum, & eorum Vicarijs, vt poſſent diſpenſare cum ſibi ſubditis, irregularitatem patientibus (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ & mutilationis membrorum) vt ad quaſcunque adminiſtrationes, & officia dicti Ordinis, eligi, recipi & aſſumi poſſent, illaque gerere & exercere libere, & licite valerent, &c.* Habetur in Monument. Ordinis. 1. impreſ. fol. 61. & 2. fol. 144. conceſ. 252. & refertur in Cõp. verbo, *diſpenſatio*, §. 12. vbi etiam dicitur, quod idẽ Sixtus Quartus, hoc ipſum conceſſit Generali Magiſtro & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & Ordinis Prædicatorum. Circa quam conceſſionem dicit Emmanuel Rodericus primo tomo ſuarum qq. Regular. quæſtion. 24. articul. 16. vbi hac de re agit, quod dictum priuilegium explicari debet loquendo ſecundùm ius antiquum, nẽpe quoad Prælationes de nouo obtinendas, nam ad hoc tantùm prædicta diſpenſatio erat neceſſaria, non autem ad retinendas Prælationes antiquas ante irregularitatem obtentas, nam vt diximus ad ipſas retinendas, ſecundùm ius commune antiquum, ſupradicti Prælati Regulares, cum prædicto homicida voluntario diſpenſare poterant. Sed re vera ſi intime conſideretur priuilegium ſupradictum, ad dictum propoſitum à prædicto Patre adductum, neque quoad hoc neque quoad illud quidquam facit, cum expreſſe ibidem, vt patebit intuenti excipiatur irregularitas, quæ prouenit ex homicidio voluntario, ſicque neque deſeruiat ad retinendas dignitates & Prælationes antiquas, cum id poſſet concedi ab Epiſcopis & Prælatis Regularibus ſecundùm ius antiquum (vt dictum eſt) nec verò deſeruiebat ad obtinendas illas de nouo, cum expreſſe in dicto priuilegio, excipiatur irregularitas, quæ prouenit ex homicidio voluntario. Sed quidquid de hoc ſit, iam vtrũque ſublatum fuit per Concil. Trident. Seſſio. 14. cap. 7. vbi præcipitur: *Vt homicida voluntarius etiamſi ſit occultus, nullo tempore ad ſacros Ordines poſsit promoueri, neque aliqua illi Eccleſiaſtica beneficia conferri, etiãſi animarum curam non habeant, ſed omni ordine, ac beneficio & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat.*

Nota, quod de nouo circa hoc ſtatuit Conc. Trid.

Secundo præmitto, quod ſicut habens beneficium aliquod curatum, & committens aliquod homicidium voluntarium, non remanet ipſo facto priuatus tali beneficio, ſed per ſententiam iudicis debet priuari, & quouſque priuetur remanet cum ſuo beneficio, vt tradit Nauar. in Manuali. cap. 27. num. 249. & in cap. *ſi quando, de reſcriptis, except.* 9. & Couarru. in Clementina, *ſi furioſus* 2. part. §. 3. nu. 6. dicendo Concilium Tridentinum in hoc minime innouaſſe, cum in eo ſolùm diffiniatur, quod de nouo ipſi homicidæ nullum beneficium Eccleſiaſticum conferatur, ita & eodem modo Religioſus homicida, non ipſo iure amittit Guardianatum ſiue Prælatiam Regularem, quam habet, ſtatim ac homicidium committit, ſed neceſſarium eſt, vt à ſuo Prælato per ſententiam priuetur, & licèt non poſſit exercere in ſua adminiſtratione ea, quæ irregularibus prohibentur, poteſt tamen retinere prædictum officium, & quæ ſibi minime ſunt interdicta opere conſummare. Vnde cũ per irregularitatem ſolùm interdicatur vſus Ordinum Eccleſiaſticorum, & acceptio ipſorum, & aliquod beneficium, ſeu officium de nouo obtinere, manifeſtum fit quod reliqua omnia, quæ ad iſta tria munera minime reducuntur, per prædictos homicidas Eccleſiaſticos ſiue Regulares poſſunt exerceri, donec à proprijs Prælatis per ſententiam arceantur. Ita quod Clerici poterunt percipere fructus & prouentus ſuorum beneficiorum, & Regulares ſuarũ Prælationum quas habent, eiſque frui in foro cõſcientiæ, nam ante latam ſententiam minime ea tenentur reſtituere. Poſſunt præterea Prælati Regulares quamuis fuerint homicidæ, in ſuis Conuentibus & Monaſterijs præſidere, præcipiendo & mãdando, non tamen poſſunt ponere præcepta ſpiritualia, nam iſta minime poſſunt imponi, niſi ab habente ſacros Ordines, & ab eo qui eiſdem vti nõ eſt prohibitus, cum, vt de ſe conſtat, ſpiritualis iuriſdictio poteſtatem Ordinis præſupponat. His præmiſſis, ad propoſitum articulum reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Habens beneficium curatũ & cõmittens aliquod homicidium voluntarium, non remanet ipſo facto, eo priuatus, ſed debet prius per iudicis ſententiam priuari. Nota pro Religioſis, aliquod homicidium committentibus.

Concluſio.

Epiſcopi & Religionum Prælati, diſpenſare non poſſunt, vt homicida voluntarius, beneficium Eccleſiaſticum, ſiue dignitatẽ obtineat.

QVamuis olim ſecundùm ius antiquum, Epiſcopi & conſequenter Religionum Prælati, diſpenſare poſſent cum homicida voluntario, vt obtinere valeret beneficium Eccleſiaſticum, ſiue Prælaturam & dignitatem ante irregularitatem obtentam, id ipſumque hodie facere poſſint, non tamen poſſunt diſpenſare, in hoc, vt huiuſmodi homicida voluntarius, de nouo aliquod beneficiũ Eccleſiaſticum, ſeu aliquam Prælaturam obtineat. Hæc concluſio ſatis conſtat ex ſupradictis in primo & ſecundo notabili, & exprohibitione expreſſa, quam hac de re facit Concil. Trident. vbi ſupra

ſupra. Nam vt diximus, prædictum priuilegium Sixti Quarti, nihil ad propoſitum facit, reſpectu Prælationum ac dignitatum de nouo obtinendarum, cum in eo expreſſe prædictum homicidium voluntarium excipiatur, ſicque neceſſariò in tali caſu, ad Summum Pontificem erit recurrendum, etiamſi dictum homicidium voluntarium fuerit occultum, prout expreſſe habetur in ſupradicto Concilio Tridentino, loco ſupra citato, neque adductum fuerit in iudicium, niſi forſan (vt diximus in art. 10.) fuerit omninò occultum. Nam in tali caſu, vt ibi dictum eſt, bene poterunt Epiſcopi & Religionum Prælati cum ſibi ſubditis diſpenſare, non ſolùm quoad ſacros Ordines, verum etiã quoad beneficia, dignitates & Prælationes, tam adquiſitas quam de nouo obtinendas, in foro cõſcientiæ tantùm. Nam quando prædictus Sixtus Quartus excipit in dicto priuilegio homicidium voluntarium, intelligendum ideſt, de homicidio voluntario publico, vel occulto ſecundo modo, non autem de omninò occulto, nam ſi illud ſit omninò occultum, ita quod nullo modo poſſit probari, neque deduci in iudicium, bene poſſunt Religionum Prælati in foro conſcientiæ, diſpenſare cum huiuſmodi non ſolùm ad ſacros Ordines, verum etiam vt ad Prælaturas promoueantur, vt in dicto priuilegio dicitur. Hæc dixerim nimis probabiliter, ſub cenſura ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ, & cuiuſlibet melius ſentientis.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Miniſter Generalis, diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio caſuali, & facto cauſa defenſionis propriæ?

Quid nam ſit homicidiũ caſuale?

Vid nam ſit homicidium caſuale, & factum cauſa propriæ defenſionis, conſtare facile poteſt ex ſupradicta diffinitione homicidij voluntarij illiciti & prohibiti, adducta in art. 9. ad probationem concluſionis, ſed nunc dico breuiter, quod homicidium caſuale eſt & dicitur illud, quod non eſt directè neque per ſe volitum, ſed indirectè & per accidens, quia nempe qui illud commiſit, non ex propoſito occidit hominem, dans operam rei illicitæ, vel non adhibendo diligentiam debitam, quamuis de facto occiderit dãdo operam rei licitæ. Ex quo non incongrue oritur dubium, An ſint omninò idem homicidium caſuale, & homicidium factum cauſa defenſionis? & quamuis Nauar. in Manual. cap. 27. num. 239. dicere videatur, quod homicidiũ factum defenſionis cauſa, non ſit caſuale ſed volitum in ſe, quamuis propriæ defenſionis cauſa, melius tamen dicendum videtur, quod vtrunque verè & propriè ſit caſuale, quia neutrum eſt directè voluntarium, ſed indirectè & per accidens, etiam factum ad ſe melius defendendũ. Nec huic reſolutioni obſtat, quod habetur in Concil. Trid. Seſſio. 14. cap. 7. vbi ſub diſiunctione loquitur, de homicidio caſuali, & de illo, quod ſit defenſionis cauſa

Difficultas. Anhomicidiũ caſuale, & factum defenſionis cauſa, ſint omninò idẽ?

Reſolutio.

Inquit enim, *ſi vero homicidium non eſt ex propoſito, ſed caſu vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte liberet, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum & altaris miniſterium & beneficia quæcunque ac dignitates, iure quodammodo diſpenſatio debeatur, &c.* Ex quibus verbis colligunt quidam, eſſe diuerſum homicidium caſuale, ab illo, quod fit defenſionis cauſa, nam ſi eſſent omninò idem, ſuperfluerent verba illa, *vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte liberet, &c.* cum hoc etiam homicidium ſub caſuali contineretur, nam reſpondeo quod illa dictio diſiũctiua, nõ eſt adiecta à Concilio cauſa diſtinctionis formalis ſignificandæ inter illa duo homicidia, ſed cauſa maioris declarationis, atque adeò non ſuperfluit illa diſtinctio à Concilio poſita, præſertim quia in exemplis non eſt ſemper ſeruandus locutionis rigor. Vnde dicẽdum videtur, quod de mente Concilij non fuit docere, quod homicidium factum defenſionis cauſa ſit voluntarium in ſe, imò cõtrarium omninò ex verbis eiuſdem colligitur, & quod ipſum ſit etiam caſuale, nam de vtroque dicit Concil. quod non ſunt ex propoſito facta. Cum igitur id, quod non eſt ex propoſito factum de ſententia Ariſtot. 2. Phyſicorũ caſuale ſit, manifeſte profecto colligitur, quod homicidium defenſionis cauſa factum & perpetratum, verè & propriè ſit caſuale. Sed quidquid de hoc ſit, parum enim hoc refert, de illo queri ſolet: An irregularitatem inducat? Cui difficultati breuiter reſpondetur ſub diſtinctione, nam ſi in tali homicidio defenſionis cauſa facto, ſeruetur moderamen (quod dicitur) inculpatæ tutelæ, nulla per ipſum irregularitas incurritur, prout expreſſe diffinitur in Clementina vnica *de homicidio*. Si autem occiſor modum inculpatæ tutelæ exceſſerit, quia nempe potuiſſet alio modo ſeu alia via mortem euadere fugiendo (quamuis ad id ſi eſſet ſæcularis in conſcientia non teneretur) reuera manebit irregularis, & in hoc caſu intelligendum eſt prædictum decretum Concilij Tridentini, quando dicitur, quod qui occidit aliquem defenſionis cauſa, vim vi repellẽdo & vt ſe à morte liberet, iure etiã quodammodo diſpenſatione indiget, ad depellendam irregularitatem.

Difficultas. Vtrùm homicidium, cauſa defenſionis factum, irregularitatem inducat?

Nota reſolutionem dictæ difficultatis.

His ſuppoſitis atque conſtitutis, inſurgit modo noſtra difficultas, quisnam poſſit diſpenſare in prædictis irregularitatibus, prouenientibus ex homicidio caſuali, & facto defenſionis cauſa? Cui breuiter reſpondentur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si homicidiũ caſuale, vel ſactum defenſionis cauſa, ſit publicum & manifeſtum, in irregularitate ex ipſo proueniente, quantũ ad ordines maiores dinesmaiores ſolus Papa diſpenſat.

SI ſupradictum homicidium caſuale, aut factum defenſionis cauſa, ſit publicum & manifeſtum, quantum ad ordines maiores, in irregularitate ex ipſo proueniente, ſolus Papa diſpenſare poteſt. Hæc concluſio eſt communis ſententia omnium Doctorum, de qua videndus eſt Couarru. in Clementina *ſi furioſus de homicid.* 2. par. §. 3. num. 5. & ſatis colligitur ex ſupradicto decreto Concilij Tridentini in vltimis verbis, vbi etiam dicitur, quod eiuſmodi diſpenſatio, non debet eſſe facilis, ſed difficilis, nec fieri niſi cognita cauſa, & probatis & narratis precibus, & quod non aliter diſpenſatio fieri poſſit.

Secunda

Secunda Conclusio.

Ad Minores Ordines Episcopi, & Religionum Prælati, possunt dispensare in dicta irregularitate.

AD Minores verò ordines, Episcopi & Religionum Prælati, bene possunt dispensare secundùm ius, cum sibi subditis in homicidio casuali publico, siue facto defensionis causa. Hæc etiam cõclusio est sententia omnium Doctorum communis, quos refert & sequitur Couarruuias loco supra citato.

Tertia Conclusio.

Si homicidiũ casuale, seu factum defensionis causa sit occultum, Episcopi & Religionum Prælati possunt in eo dispensare, in foro conscientiæ, non solùm quoad Ordines Minores, verum etiam & quoad maiores.

SI homicidium casuale, siue factum defensionis causa sit occultum, Episcopi & Religionum Prælati bene etiam possunt dispensare in foro conscientiæ, in irregularitate ex ipso proueniente cum sibi subditis. non solùm quoad Ordines Minores, verum etiam quoad maiores. Probatur hæc conclusio, nam in dicto Concil. Trident. Sessio. 24. cap. 6. expresse conceditur facultas Episcopis, dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspẽsionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quę oritur ex homicidio voluntario, & alijs ad forum contentiosum deductis. Vnde cum supradictum homicidium casuale, seu factum defensionis causa non sit proprie ac directè voluntarium (vt dictum est) neque comprehendatur in supradicta exceptione, manifestè colligitur, quod subest Episcoporum dispensationi, ac consequenter Prælatorum omnium Regularium, similem auctoritatem habentium. Qui & hoc ipsum facere possunt alia speciali ratione, nempe ex speciali priuilegio & cõcessione Sixti Quarti, qui (vt supra diximus) Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, ac Prædicatorum concessit, vt dispensare possint cum sibi subditis in omni irregularitate, exceptis tribus, nempe ea, quæ procedit ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum, prout habetur in Monum. Ordin. primæ impressionis, fol. 61. & secundæ, fol. 149. concess. 252. & refertur in cõpend. priuileg. verbo, *dispensatio*. §. 12. & 13.

ARTICVLVS XIIII.

Utrùm Generalis Minister, dispensare possit in omnibus alijs irregularitatibus, ex culpa siue delictis prouenientibus, exceptis tribus supradictis?

Difficultas. An per Bullam Cruciatæ dispẽsari possit, in omnib⁹ irregularitatibus, ex culpa siue delicto occulto prouenientibus.

ANtequã prædictæ difficultati respondeam, & ad ipsius resolutionẽ accedam, explicare libuit quandam aliam præuiam, cuius hic locus mihi visus est proprius, & ea est, An per Bullam, quæ communiter dicitur Cruciata, in partibus vbi publicatur & viget, dispensari possit in omnibus irregularitatibus ex culpa, siue ex delicto occulto prouenientibus? vt verbigratia, in irregularitate illius, qui existens excommunicatus celebrauit, seu Ordines suscepit, aut cum esset tantùm Diaconus, præsente Presbytero baptizauit cum solemnitate, & absque necessitate, in quo casu irregularitas etiam incurritur, secundùm Syluestrum, verbo *Baptismus*. 3. nu. 1. & Nauar. in Manua. cap. 22. nu. 6. & Sotum in 4. dist. 4. quæst. vnica. Et ratio dubitandi est, nam in dicta Bulla, sequens apponi consueuit clausula, quod *Facultas conceditur omnibus idoneis Confessoribus, absoluendi à quibuscunque peccatis & censuris, etiam Papæ reseruatis, & contentis in Bulla Cœnæ Domini, excepto crimine, ac delicto hæresis.* In cuius prædicto verbo, *censuris* includi atque contineri videtur irregularitates omnes, à culpa & delicto occulto prouenientes, ac perinde, quod per eam præ dicti Confessores in foro conscientiæ ab eisdem possunt absoluere. Hoc præmisso dico, quod hac de re

Ratio dubitãdi.

Prima opinio

Est duplex opinio. Prima Canonistarum, quam refert & tenet Nauar. in Manua. cap. 27. num. 254. & Suarez 5. tomo in 3. part. D. Thom. disput. 1. sectio. 3. num. 3. & Sayrus lib. 1. sui thesau. cap. 1. nu. 3. cum sequentibus, qui partem tuentur negatiuã, & dicunt quod Confessarij electi per supradictã Bullam Cruciatam, cum nullo irregulari possunt dispensare, quamuis habeat clausulam absoluendi à qualibet censura. Et ratio eorum est, quia (inquiunt) irregularitas non est censura, neque eius absolutio est necessaria ad peccatorum absolutionem. Quod dicit supradictus Nauarr. esse verum, etiamsi prædicta Bulla clausulam habeat dispensandi in quibuscunque votis, & absoluendi à quibuslibet censuris & pœnis: tùm quia stylus Curiæ habet, quod per eam non intelligatur data facultas, dispensandi super irregularitate, nisi exprimatur, quod colligitur ex eo, quia aliquoties exprimitur: tùm etiam, quia quoties exprimitur, concedendo facultatem expressam dispensandi super irregularitate, solet Pontifex excipere illam, quæ ex bigamia, & homicidio nascitur, ac propterea ex contrario facto sequeretur, quod facultas absoluendi simpliciter ab omnibus censuris & pœnis, quæ passim in Iubileis & Bullis Indulgentiarum apponitur, sine clausula & irregularitatis expressione, maioris esset virtutis, quam cũ ea, quia in hoc casu semper excipitur irregularitas, quæ ex bigamia & homicidio voluntario emanat, in illo verò non. Tandem dicit Nauar. hoc esse tenendum, nam alias pari ratione posset quis absolui à pœna pecuniaria, pro aliquo peccato à iudice sibi imposita, vel imponenda, quod quidem nullus dicet, & est plusquam falsum. His omnibus addit, quod facultas illa absoluendi à censuris & pœnis quæ ponitur in dictis Iubileis, & Bullis Cruciatis, solùm videtur respicere illas censuras & pœnas, quæ impediunt absolutionem à peccatis, nam & in eum finem dantur. Vnde cum absolutio peccatorum, recte fieri possit sine ablatione irregularitatis, non videtur eius sublatio concessa, nisi exprimatur, ex fine enim (inquit) desumenda est intentio Auctoris siue legislatoris. Hæc supradictus Nauarr. & est opinio communis omnium Canonistarum.

Secunda opinio.

Sed alia est sententia Theologorum, quam tenet & refert Soto in 4. dist. 22 quæst. 3. art. 1. & tenuit eam olim doctissimus Magist. Cano, quos etiã sequutus postea fuit Medina, in Summa 1. part. ca. 11. §. 9. & eandem tenent omnes recentiores Thomistæ, vt videre est apud Bañes 2. 2. quæst. 64. ar. 8.

Hi omnes defendunt partem affirmatiuam, & dicunt poſſe quemquam abſolui, per ſupradictam Cruciatam Bullam, ab irregularitatibus ex culpa & delicto occulto prouenientibus. Et ratio iſtorũ eſt, nam per dictam Bullã facultas conceditur Cõfeſſoribus, abſoluendi à quibuſcunque pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis. Cũ igitur dicta irregularitas, quæ ortum & originem habet à culpa, verè & propriè ſit cenſura & pœna Eccleſiaſtica, liquidum, inquiunt, profecto fit, quod à tali irregularitate per dictam Bullam recte quiſpiam poſſit abſolui. Neque huic reſolutioni obſtat dicere, quod irregularitas non eſt cenſura, neque eius abſolutio neceſſaria ad peccatorum abſolutionem, aut ipſa verè dicatur abſolui: nam dicunt, quod irregularitas verè eſt cenſura & pœna, & quamuis eius abſolutio, ſeu potius diſpenſatio, nõ ſit neceſſaria ad peccatorum abſolutionem, parum hoc refert. Neque etiam, inquiũt, quicquam facit, quod communiter non dicatur abſolui, ſed diſpenſari, nam in iure reſpectu irregularitatis, idem eſt & pro eodem reputatur vnum & alterum, quia nulla ſunt in iure determinata verba ad tollendam irregularitatem, quin verò per quæcunq; tolli poteſt, & liberum eſt cuilibet Confeſſori, dicere: *Ego tibi remitto, hanc irregularitatem*, aut, *diſpenſo tecum in omni irregularitate*, vel etiam *abſoluo te ab omni irregularitate*. Solũ enim (aiunt) eſt neceſſarium, quod per aliquem actum iuriſdictionis illa tollatur ab habente auctoritatem & poteſtatẽ, ſiue per hæc ſiue per illa verba tollatur, aut remittatur. Vnde fit, quod ex eo quod in Bullis non dicatur, quod detur facultas ad diſpenſandum, ſed ſolummodo ad abſoluendũ ab omni pœna & cẽſura, nõ recte colligitur, quod irregularitas ibidem non comprehendatur, nam tollitur ac tolli poteſt, per diſpenſationem & per abſolutionem, & quocumque alio ſimili modo, & per qualiacũque verba. Neque etiam, inquiunt obſtant omnia alia, quæ adducit Nauarr. de ſtylo Curiæ, & de bigamia & homicidio voluntario, &c. nam de his longe aliud ac diuerſum eſt iudicium. Hæc ſunt quæ circa hanc difficultatem dicuntur à Doctoribus. Ego verò hac in re nolo iudicem agere, ſed ſolummodo dico, quod hæc vltima ſententia & opinio, benignior eſt & æquitati conformior, neque videtur omninò improbabilis. Vnde pro ea ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Nõ eſt improbabile omnino, quod habẽtes Bullam Cruciatæ, poſſunt abſolui, ab irregularitatibus, ex culpa ſiue delicto occulto prouenientibus, tribus tamen ſemper exceptis.

NOn omninò eſt improbabilis opinio, quæ dicit quod habentes Bullam, quæ communiter dicitur Cruciatæ, per eam poſſunt abſolui ab irregularitatibus, ex delicto occulto & culpa prouenientibus, excepta bigamia & homicidio voluntario, & voluntaria ac publica mutilatione membrorũ. Hanc ſententiam & opinionẽ tenet Soto, Medina, & Bañes, locis ſupra citatis, & Cord. in ſuo quæſtionario, quæſt. 43. dubio 4. & Ioannes Gutierr. in ſuis qq. cano. cap. 3. num. 5. & nouiſſime. Eman. Rodericus in explicatione eiuſdem Bullæ Cruciatæ. §. 9. dubitat. 2. agendo de irregularitate, quamuis ab ea poſtmodum receſſerit, in qq. Regularib. 1. tomo, quæſt. 20. artic. 17. Hæc ſententia fundatur in argumentis & rationibus ſupradictis. Sed excipitur (vt dixi) ab hac generali Regula, bigamia & homicidium voluntariũ, & voluntaria mutilatio membrorum, nam in his (vt ſupra diximus) aliud eſt iudicium, & non tam contrahitur, ſiue incurritur irregularitas propter culpam aut delictũ, quã propter indecentiam, & defectũ ſignificationis. In præſentiarum autem non fit ſermo de illis irregularitatibus prouenientibus ex culpa, & delicto, vbi ſimilis indecentia & defectus ſignificationis reperitur, ſed ſolummodo de pœna & cenſura irregularitatis illatæ propter culpam, vt pote quia quiſpiã excommunicatus celebrauit, aut in excommunicatione exiſtens, Ordines factos ſuſcepit & ſimiles. Et quod dicta opinio ſic explicata & declarata non ſit improbabilis omninò, præter fortiſſimas & probabiliſſimas rationes quas pro ſe habet, ſuperque ſatis conſtat, poſtquam à tot tantiſq; grauiſſimis Doctoribus ſuſtinetur, at quod ſuſtineri & practicari poſſit aſſeritur, quin verò congruentiſſimum atque conuenientiſſimum exiſtimant, vt vbiq; practicetur, ad turandas & quietandas multorum Sacerdotum conſcientias, qui forſan celebrauerunt neſcientes ſe eſſe excommunicatos (ex quo proinde irregularitatem incurrunt) quos durum eſſet nimis, pro diſpenſatione Romam, ſeu ad Epiſcopos velle mittere. Sed quicquid de hoc ſit, pro maiori reſolutione ſupradictæ difficultatis, & vt ſciatur, quid ſecluſa prædicta Bulla Cruciatæ, practicari poſſit, de iure ſiue ex priuilegio, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Secunda Concluſio.

In irregularitate proueniente ex delicto occulto, Epiſcopi & Prælati Regulares poſſunt diſpenſare in foro conſcientiæ.

SI delictũ propter quod irregularitas incurritur, omninò ſit occultũ primo modo, de quo ſupra diximus, atque etiam ſi ſit occultum ſecundo modo, ita quod poſſit deduci ad iudicium, tamen de facto non ſit deductum ad forum litigioſum, bene poſſunt Epiſcopi & conſequenter omnes Religionum Prælati, ſimilem auctoritatem habentes, in irregularitatibus ex huiuſmodi delictis prouenientibus, in foro conſcientiæ diſpenſare. De Epiſcopis habetur hoc expreſſe, in Concil. Triden. Seſſio. 24. de reform. cap. 6. vbi ad eiuſmodi propoſitum, ſequentia habentur verba: *Liceat Epiſcopis, in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare.* Id quod & videri poteſt eſſe etiam de iure communi antiquo, ex iuribus adductis in margine præfati decreti Concil. Trid. vbi ad hoc propoſitũ, allegatur cap. *miror.* & cap. *contumaces*, diſt. 50. & cap. *erga.* 1. q. 1. & cap. *at ſi clerici de iudic.* & ca. *nuper, de ſentent. excom.* quibus omnibus locis dicitur, aut ſaltim inſinuatur conceſſum eſſe Ordinarijs, quidquid non expreſſe & ſpecialiter Papæ reſeruatur. Sed quidquid de hoc ſit, quod Religionũ Prælati ſimilem iuriſdictionem habentes id ipſum poſſint efficere cum ſibi ſubditis, patet ex verbis ſupradicti Concil. Vt enim tenet expreſſe Panormitan. ab omnibus receptus, & iam pluries à nobis citatus & allegatus, quidquid in iure conceditur Epiſcopis & locorum Ordinarijs, reſpectu ſuorum ſubditorum, conceditur etiam Religionũ Prælatis, iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habentibus circa ſibi ſubditos, eo quod

Nota quod quidquid non expreſſe atq; ſpecialiter Papæ reſeruatur eſt conceſſum Epiſcopis & Prælatis Regularibus, Epiſcopalẽ iuriſdictionem habẽtibus, de iure cõmuni.

quod vtrique quoad iuriſdictionem ſunt æquales, aut ſaltim omninò ſimiles, de quo vt credo, nullũ eſt, aut eſſe poteſt dubium.

Tertia Concluſio.

Si delictũ propter quod excõmunicatio eſt lata ſit occultum, quãuis celebratio ſit publica, etiam poſſunt ſupradicti diſpenſare.

SI delictum, propter quod excommunicatio incurritur, ſit occultum (vt dictum eſt) quamuis celebratio Miſſæ ſeu aliud quodlibet opus, ratione cuius irregularitas ipſa incurritur ſit publicũ & manifeſtum, in tali etiam caſu poſſunt Epiſcopi & Religionum Prælati cum ſibi ſubditis diſpenſare in irregularitate ex ipſo proueniente. Hanc Concluſionem quantum ad Epiſcopos, expreſſe tenet Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 241. ſed eadem eſt ratio de Religionum Prælatis, propter rationem ſupradictam. Probat ſuam ſententiam Nauar. argumento *legis. in delictis. §. ſi extraneus. ff. ad legem Aquiliam.* Et præterea, quia quamuis actus celebrãdi ſit publicus, non eſt tamen publica eius malitia: dicitque hoc in ſacro Pœnitentiario Prætorio fuiſſe olim diffinitum, atque determinatum. Quod quidem multum eſt notandum, ac memoriæ commendandum.

Quarta Concluſio.

Si delictũ ex quo dicta irregularitas incurritur ſit publicum, non poſſunt Epiſcopi neque Religionum Prælati de iure communi in tali irregularitate diſpẽſare.

SI tamen delictum, ex quo contrahitur irregularitas eſt publicum aut ſaltem probabile, ita quod poteſt deduci in iudicium, veluti ſi quis Ordines ſuſcepit aut executus fuit, dum eſſet ſuſpenſus, interdictus ſeu excommunicatus, vel ſi diuina officia celebrauit ſolemniter exiſtendo excommunicatus, vel ſi quis eſt notorius alicuius criminis patrator, propter quod ſit depoſitione dignus, in his & ſimilibus irregularitatibus nõ poſſunt Epiſcopi nec Religionum Prælati, de iure communi diſpenſare, quia huiuſmodi diſpenſationes ſoli ſunt Papæ reſeruatæ. Hanc cõcluſionem tenet expreſſe ſupradictus Nauar. in d. cap. 27. num. 241. & eſt omnium DD. communis. Sed difficultas eſt de iure ſpeciali, An ſint aliqua ſpecialia priuilegia, Religionum Prælatis conceſſa, ad diſpenſandum in quibuſcunque irregularitatibus, ex delicto prouenientibus (excepto homicidio voluntario, bigamia & voluntaria mutilatione membrorum) nõ ſolùm in foro conſcientiæ, verum etiam in foro exteriori? Cui difficultati reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Quinta Concluſio.

Religionum Prælati priuilegia habent ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis in omnibus irregularitatibus (tribus ſẽper exceptis) in vtroq; foro.

RElegionum Prælati priuilegia habent ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis, in omnibus irregularitatibus in vtroque foro, tribus ſemper exceptis. Probatur hæc concluſio, nam in Monumentis Ordinis, 1. impreſ. fol. 64. & 2. fol. 58. conc. 252. item fo. 240. conc. 57. & refert. in Comp. verbo, *diſpenſatio*, §. 12. & 13. habetur quod Sixtus IIII. *conceſſit Generali Miniſtro, & Prouincialibus Miniſtris Ordinis Minorum, ac eorum Vicarijs, vt diſpenſare poſſint cum fratribus dicti Ordinis, in quibuſcunque irregularitatibus, ante ingreſſum Religionis vel poſt ingreſſum contractis, exceptis irregularitate bigamiæ, & homicidij voluntarij, & mutilationis membrorum.* Idem conceſſit Magiſtro Generali & Prioribus Prouincialib. & Conuentualibus Ordinis prædicatorum, vt habetur ibidem. Quod autem huiuſmodi conceſſiones procedant, fieriq; poſſint in vtroque foro, non ſolùm cõſcientiæ, verum etiam in foro iudiciario, & exteriori, præterquam quod conſtat ex ipſarũ expreſſis verbis, tenet Cord. in annotation. ad dictum Compẽ. verbo, *diſpenſatio*. §. 24. habetur præterea in eiſdem Monument. 1. impreſ. fol. 64. & 2. fol. 68. conc. 131. & ſupplem. fol. 96. conc. 341. quod idem Sixtus IIII. *conceſſit omnibus Religioſis Minoribus de obſeruantia, vt poſſint ſemel eligere Confeſſorem de obſeruantia, qui valeat cum illis diſpenſare in omni irregularitate, excepta ea, quæ prouenit ex homicidio voluntario, & mutilatione membrorum, & eis remiſſionem generalem & plenariam omnium peccatorum impertiri, & quod hoc idem poſſit in mortis periculo.* Excipitur ab hac conceſſione irregularitas proueniens ex bigamia, vt aduertit Collector Priuilegiorum, in Compend. verbo, *abſolutio extraordinaria quoad fratres.* §. 5. vbi dicit quod prædicta irregularitas ex bigamia prouenies, quamuis expreſſe non excipiatur, ſemper tamẽ debet haberi pro excepta, cum ſit cæteris grauior ad diſpenſandum, ſicque moris eſt, vt in qualibet ſimili conceſſione, ſemper apponantur ſubſequentia verba: *Exceptis tribus, ſcilicet homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum.*

Nota valde, quod bigamia quãuis in priuilegijs aliquando nõ excipiatur, ſemper tamen intelligitur excepta.

Præter ſupradicta priuilegia, habetur & aliud Clement. IIII. *Quo conceſſit, quod Magiſter Ordinis Prædicatorum, & Priores Prouinciales & Conuentuales, atque eorum vicem gerentes in Conuentibus, poſſint diſpenſare cum Fratribus ſibi commiſſis, necnon cum Fratribus ſui Ordinis ad eos declinantibus vndecunque abſolutione & diſpenſatione indigentibus, in irregularitatibus, quas cõtraxerunt, ante vel poſtquam Ordinem intrauerunt, à iure vel à iudice generaliter promulgatas, ex eo quod excommunicati vel ſuſpenſi, vel interdicti celebrarent, aut in locis interdicto ſuppoſitis diuina officia exercuerunt, vel ſic ligati Ordines ſuſceperunt.* Habetur hæc conceſſio in Monumentis Ordinis. 2. impreſ. fol. 236. conceſ. 48. item 1. impreſ. fol. 57. & 2. fol. 140. conceſ. 318. & 319. item 2. impreſ. fol. 180. conceſ. 432. Idem conceſſit Generali & Prouincialibus Miniſtris Ordinis Minorum, & idem habetur conceſſum quoad Carmelitanos. Omnia illa habentur in dictis Monument. & referuntur in Compend. verbo, *abſolutio ordinaria quoad fratres.* §. 7. Vbi dicit Priuilegiorum Collector, prædicta priuilegia eſſe omninò idem, præterquam quoad Prædicatorum priuilegium, extenditur etiam quoad Priores Conuentuales, in noſtro verò nulla fit mentio de Guardianis, circa quod ponit adnotationem quandam, de qua infra, ſuo proprio loco dicemus.

Nota pro hoſpitibus abſolutis, & diſpenſandis in irregularitatibus.

Sed circa prædictas conceſſiones, eſt modo aduertendum, quod in ipſis expreſſe conceditur facultas, ad diſpenſandum in irregularitate cum hoſpitibus, per illa verba: *Fratribus ibidem conſtitutis, necnon alijs Fratribus eiuſdem Ordinis ad eos declinantibus, abſolutione & diſpenſatione indigentibus.* Quod eſt maxima animaduerſione dignum, nõ enim ſemper fit aut vbique conceditur in priuilegijs, quod Prælati vnius Prouinciæ, diſpenſare poſſint cum fratribus alterius Prouinciæ, aut Prælati vnius Conuentus, cum fratribus alterius, nam omnes conceſſiones, quæ communiter reperiuntur, & facultatem faciunt ad diſpenſandum, dicunt vt

diſpenſare poſſint cum ſibi ſubditis, aut cum proprijs Fratribus, non verò cum Fratribus ad eos vndecumque declinantibus ſiue cum hoſpitibus. Nec obſtat dicere, quod hoſpites ad quæcunque loca declinantes, dicuntur eſſe ſubditi Prouincialium & Prælatorum localium, vbi eos declinare contigerit, & vbi hoſpitātur: nam hoc eſt ex ſpeciali conſtitutione aliquarum Religionum, prout habetur in noſtra ſacra Fratrum Minorum: poſſetque intelligi & interpretari ad hoc tantùm vt Prælati poſſint illis aliquid per obedientiam, ſeu forſan per excōmunicationē præcipere, non verò vt cum eiſdē poſſint diſpenſare in irregularitatibus, imò nec ipſos abſoluere, niſi in illis caſibus, in quibus ſecundū ius, & ſecundū generales conſtitutiones & conſuetudinē receptā, & priuilegia Apoſtolica, dicti hoſpites poſſunt diſpēſari & abſolui, quo fit, vt ſupradictū priuilegiū ſit maximè memoriæ cōmendandū. Et hæc dicta ſufficiāt, circa poteſtatē & auctoritatem Generalis Miniſtri diſpenſandi in irregularitatibus: iam tempus præ ſe fert vt ad alia procedamus.

QVAESTIO IX.

Circa iuriſdictionem, auctoritatem & poteſtatem ſupradicti Generalis Miniſtri, in qua etiam ponuntur plures caſus & cauſæ, in quibus nihil poteſt, eo quod de iure communi, ſint Summo Pontifici reſeruatæ, in decem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Generalis Miniſter, Religionumq; Prælati, diſpenſare poſſint in impedimentis matrimonij cum ſecularibus?

HAC de re iam plura diximus, ſupra in præcedenti tomo, quæſt. 47. per plures Articulos, vbi latiſſimè egimus de auctoritate, quam habebant olim Confeſſores Regulares per ſuos Prælatos expoſiti, & ab Epiſcopis approbati, ad audiendas Confeſſiones & ad diſpenſandum cum ſæcularibus coniugatis, inceſtuoſis ſeu caſtitatis voto adſtrictis, ad hoc vt poſſint petere debitum, ſed iam hæc omnia ex ſpeciali decreto Clementis Octaui, de quo ſupra, quæſt. 46. artic. 2. immutata, derogata atque reuocata ſunt. Sed vt ne locus iſte intermiſſus videatur, dicamus oportet, quæ fieri poterant olim: haud enim parum horum etiam meminiſſe iuuabit: de quibus ſit prima Concluſio.

Prima Concluſio.

*Loquendo de iure cōmuni, omnibus Epiſcopis, ac Religionum Prælatis, prohibitū eſt diſpenſare in gradibus prohibitis, conſanguinitatis, & affinitatis, maxime quoad matrimonium contrahendum, nam horum omnium diſpenſatio de iure, ad ſolum ſpectat Roman. Pontif. Hæc concluſio eſt omnium DD. communis, de qua & videndus eſt Sylueſt. verbo *caſus.* nume. 2. quæſt. 1 *caſu.* 41. quam & probat per cap. *litteras. de reſtitut ſpoliat.* & per cap. *non debet, de conſang. & affinit.* facit & cap. *cuncta per mundum.* 9. quæſt. 3. & cap. *propoſuit, de conceſs. præben.* Vnde ſecundùm ius commune, nec Epiſcopi neque Religionum Prælati, diſpenſare poſſunt cum inceſtuoſis ſecularibus, nec ante matrimonium contractum, neque poſt contractum, nam ad id ex iure, nullam habent iuriſdictionem. Solùm eſt difficultas, An de iure ſpeciali & ex aliquo ſpeciali priuilegio, ad id habeant aliquam auctoritatem, & poteſtatem, ſaltim poſt contractum, quantū ad petitionem debiti? De quo ſit ſecunda Concluſio.

ſare, in gradibus prohibitis ad contrahendū matrimonium, ſed eorum diſpenſatio ſpectat ad Sum. Pōt.

Secunda Concluſio.

Si non ſtetiſſent reuocata Religionum Prælati aliqua habebant priuilegia ad diſpēſandum cum ſupradictis.

SI non fuiſſent reuocata in noſtri Ordinis Monument. aliqua erant olim priuilegia, per quæ Religionum Prælati, & Confeſſores ab eiſdem expoſiti, & ab Epiſcopis approbati, ad audiendas ſecularium Confeſſiones, quantum ad petitionem debiti, diſpenſare poterant cum coniungatis inceſtuoſis. Supradicta priuilegia ad vnguem reſeruntur in quæſtion. 47. præcedenti tomo articulo primo, nec libet ea iterum in præſentiarum referre, ſeu quod dicitur, hinc inde tranſcribere. Solùm modo aduerto, quod ea omnia eſto, ſi reuocata non ſtetiſſent, intelliguntur de his, qui poſt matrimonium contractum, conſanguineum aut conſanguineam ſui coniugis cognouerunt, quod eſt impedimentum, vt dicitur tantùm impediens. Secus eſt autem quando talis carnalis copula matrimonium præceſſit, tunc enim eſt impedimentum, non tantùm impediens matrimonium contrahen-

Nota hoc val de.

trahendum, verum etiam & dirimens poſt contractum (ſi ſit intra gradus prohibitos, vt ibidem eſt dictum) & ſuper tali impedimento, communis eſt ſententia & opinio, quod nullus inferior Papa poteſt diſpenſare, nec ad id vllum eſſe dicitur priuilegum Regularibus conceſſum, ad hoc vt matrimonium quod alias erat nullum & inualidum, fieret validum & efficax. Sed pro difficultatibus, quæ circa hoc negotium occurrere poſſunt referre in præſentiarum libet, quod dicit Nauarro in ſuo Manual. c. 22. nu. 85. nempe hoc facere poſſe Epiſcopos, & illud eos habere quaſi de iure cõmuni quando impedimentum eſt occultum. Cuius verba quia quã maxime ſunt notatu digna, vt videantur volo hinc inde tranſcribere. Agendo de prædicta diſpenſatione, poſt alia ſubdit. Non poteſt autem (inquit) Epiſcopus diſpenſare in aliquo impedimento, quod impedit & dirimit ſecundùm omnes, niſi quando impedimentum eſt occultum & matrimonium publicum, & ſeparatio magno ſcandalo foret, & ad Papam ſiue ad eius Nuncium confugi non poteſt, propter magnã paupertatem aut alia legitima impedimenta, vt aſſimant Angel. & Sylueſt. quorum dictum, primi euulgauimus Salmanticæ, propter quorum ſententiam demonſtratam, ſed non approbatam nec reprobatam à nobis, nonnulli Epiſcopi aliquoties diſpenſauerunt, quam tamen ſententiam tandem approbauimus, per argumenta neruoſa, in capit. *at ſi clerici. §. de adult. de iudic.* ſecuti Ioann. de Ligna. & Panormitan. ibidem. Hæc ſupradictus Nauarro. Cuius ſententia egregios alios habet patronos, atque eandem ſequentes olim multi grauiſſimi Doctores tenuerunt, quod ſimili ſeu eadem ratione Religionum Prælati, auctoritatem ſiue poteſtatem Epiſcopalem habentes, atque ex ſuis priuilegijs facultatem diſpenſandi in caſibus Epiſcopis reſeruatis, etiam diſpenſare poterant cum ſupradictis coniugatis, qui ſcienter vel ignoranter contraxerunt in gradibus prohibitis conſanguinitatis & affinitatis, non ſolùm in impedientibus, verum etiam dirimentibus matrimonium, quando ſcilicet impedimentum eſt occultum, & matrimonium publicum, & ſeparatio fieri non poteſt, ſine magno ſcandalo, nec haberi recurſus ad Papam ſiue ad eius Nuncium, propter magnam coniugatorum paupertatem & alia impedimenta. Sed iam id vt ſæpius dixi, facere non licèt, cum facultas diſpenſandi in caſibus Epiſcopis reſeruatis ab omnibus Regularibus ſublata omninò fuerit, ex decreto Clementis Octaui, de quo mentionem fecimus ſupra in primo tomo, quæſt. 46. artic. 2. Circa prædicta omnia. Tandem eſt notandum (id quod etiam aduerrit Nauarr. vbi ſupra) quod matrimonium, quod alias ob aliquod impedimentum erat nullum, non incipit valere propter ſolam diſpenſationem Papæ, ſeu aliorum ſuperuenientem, nec per ſolam cohabitationem & copulam ſubſequentem, imò neceſſum eſt quod de nouo contrahatur de facto, quod non debet fieri publice, ſed clam & ſecrete, modo tradito ab eodem Nauarr. in dicto cap. 22. num 47. Imò quando alter coniugum ignorat impedimentum, & forſan timetur de non præſtando nouo conſenſu, eiuſmodi conſenſus per induſtriam eſt petendus ab eo, aliquo congruenti modo, vt vel ſic ſecreto conſentiant ac de nouo contrahant. Hæc omnia ſunt valde notãda ac memoriæ commendanda.

Nota hoc val de ex Nauar.

Tertia Concluſio.

IVre etiam communi prohibitum eſt, diſpenſare ſuper voto caſtitatis ſimplici, quod quidam ante matrimonium contractum emiſerunt, quia hoc etiam eſt Summo Pontif. reſeruatum, ſed ex ſpeciali priuilegio, non deſunt qui dicant, quod id poſſunt facere Epiſcopi, & Religionum Prælati, quin verò & Confeſſores approbati ad audiendas ſecularium confeſſiones, ad hoc, vt ſic coniugati, licite poſſint petere debitũ ſi non ſtetiſſent reuocata priuilegia. Hæc concluſio quantum attinet ad Epiſcopos eſt expreſſa, ſupradicti Doctor. Nauarr. in ſuo Manual. cap. 16. nu. 3. & capit. 22. n. 73. quantum verò attinet ad dictos Prælatos Regulares, ſiuè Confeſſores ab eiſdem expoſitos, & à ſupradictis Epiſcopis approbatos, ad audiendas ſecularium confeſſiones, probata eſt latiſſime à nobis ſupra in præcedent. tomo, quæſt. 47. articulo 2. vbi, & ad hoc retulimus conceſſionem quandam ſpecialiter factam à Sãctiſ. P. Pio Quinto, patri fratri Ioanni de Aguilera quodam viuæ vocis oraculo, anno 1569. quæ conceſſio magni eſſet ponderis ac momenti, ſi non fuiſſet reuocata in generali clauſula Clementis Octaui, qua prohibuit Regularibus virtute quorumcunque Priuilegiorum, abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, ſed hæc non tam eſt abſolutio, quam diſpenſatio, & certo crediderim expedire quam maxime ea vt nullatenus fuiſſet reuocata, vt pro tam pluribus occurrentibus caſibus, congruum aliquod remedium haberẽt ad manũ, & non cogerentur fideles, cum tantis ſcrupulis recurrere ad Epiſcopos, ſeu ipſorum vicarios.

Epiſcopi & etiam Religionum Prælati, & Confeſſores approbati diſpẽſare poſſent, ſuperimpedimẽto votiſimplicis, quantum ad petitionẽ debiti ſi non eſſent reuocata priuilegia.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, facultatem habeãt concedendi Indulgentias?

Prima Concluſio.

IVRE prohibitum eſt Epiſcopis & Religionum Prælatis, Indulgentias plenarias etiam ſuis ſubditis cõcedere, quia hoc eſt Summo Pontifici reſeruatum. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Sylueſt. verbo, *caſus*, nume. 2. quæſt. 1. *caſu.* 43. vbi dicit, quod ſolus Summus Pontifex poteſt concedere Indulgentias plenarias & generales, certis locis atque perſonis, & eas extendere etiam ad animas exiſtentes in Purgatorio, ſecundum S. Thom. & alios. Et concluſio eſt vera, nam quamuis certum ſit, Epiſcopos & Archiepiſcopos, iure diuino, auctoritatem ordinariam habere, concedendi ſibi ſubditis indulgentias, vt communis tenet opinio, & late probat Corduba in ſuo quæſtionario de Indulgentijs,

Iure prohibitum eſt Epiſcopis, & Religionum Prælatis, Indulgentias plenarias, etiã ſuis ſubditis concedere.

quæſt. 12. propoſitio. ſecunda, limitata eſt tamen eorum poteſtas atque facultas per ius, vt conſtat ex cap. *cum ex eo, de pœnit. & remiſſio.* & ex cap. *indulgentiæ. eodem titul.* lib. ſexto, vbi taxatur & limitatur eorum facultas, vt non poſſint concedere, niſi Indulgentiam vnius anni, in dedicatione Baſilicæ ſiue Eccleſiæ, & quadraginta dierum in Anniuerſario eiuſdem Dedicationis, atque in fine dicitur, quod ſolus Summus Pontifex quoad hoc, obtinet plenitudinem poteſtatis. Quæ limitatio facta Epiſcopis & Archiepiſcopis, procedit etiam & potiori ratione quoad Religionum Prælatos in caſu, quo etiam ipſi de iure, poſſent aliquas Indulgentias concedere.

Difficultas. An Religionũ Prælati, concedere poſſẽt Indulgentias de iure cõmuni, & ſecluſo priuilegio.

Sed difficultas eſt, An Religionum Prælati ſupradicti, de iure communi & ſecluſo ſpeciali priuilegio, poſſint concedere aliquas Indulgentias, eo modo quo Archiepiſcopi & Epiſcopi: hac de re inter Doctores controuertitur.

Corduba in ſuo quæſtionario vbi ſupra, tenet partem negatiuam, pro qua multos Auctores adducit.

Sed Medina noſtræ huius ſacræ Religionis etiã alumnus, lib. illo ſuo, quem inſcripſit de Indulgentijs, diſputatio ſexta capit. 29. parti adhæret affirmatiuæ, quam & probare contendit, ex eo quod huiuſmodi Religionum Prælati, ſecundum ſuam opinionem & ſententiam nimis probabilem, verè ſunt Eccleſiæ Prælati de iure diuino conſtituti, ex quo de iure diuino inſtitutum fuit à Chriſto Domino, vt in Eccleſia eſſent Religiones, quæ proprios haberent Prælatos, & etiam quia eiuſmodi Prælati, iuriſdictionem Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem habent, quin verò & ampliorem, quam Epiſcopi circa ſibi ſubditos, cum aliquid poſſint facere circa illos, quod non poſſunt Epiſcopi circa ſuos. Non enim ſolum poſſunt eos excommunicare, verum etiam & eorum intentionem applicare, & ipſorum bona opera, vt dicemus infra cum agemus de benefactoribus. Ex his colligit prædictus Medina, quod cũ poteſtas concedendi indulgentias, verè ſit iuriſdictionis Epiſcopalis, aut quaſi Epiſcopalis, & Prælati prædicti eandem aut ſimilem iuriſdictionem habeant circa ſibi ſubditos de iure diuino, quod poſſunt etiam de iure diuino, ipſis Indulgentias concedere. Neque (inquit) obſtat decretum Innocentij Tertij, in cap. *accedentibus, de exceſſib. Prælator.* in quo reprehenduntur quidam Abbates, pro eo quod indulgentias concedebant, & dicitur eſſe quaſi falcem mittere in meſſem alienam, cum id ſit tantùm muneris Epiſcopalis, nam ad hoc Capitulum reſpondetur, quod ſupradicti Abbates non erant exempti, ſed Epiſcopis ſubiecti, & dato quod eſſent exempti, non habebant iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem, quia ſolum erant Præfecti locales, aut forſan concedebant indulgentias ſine limite & ſine modo, vel non ſolùm Religioſis ſibi ſubditis, verum etiam viris ſecularibus. Non etiam (inquit Medina) prę dictis obſtat conſuetudo in contrarium, qua dicitur quod Religionum Prælati, nunquam conſueuerunt ex officio ſuo, indulgentias concedere, nã ad id reſponderi poteſt, quod iſta non conſuetudo, ſiue diſſuetudo tollit quidem vſum, non tamen ius vtendi, ſiue poteſtatem illas concedendi, nam contra ius diuinum nulla eſt præſcriptio. Ex omnibus ſupradictis infert prædictus Medina, quod ſi Religionum Prælati modo attentaſſent indulgentias concedere, factum teneret. Sed intelligẽdum (inquit) eſt de Prælatis Epiſcopis ſimilibus ſeu coæqualibus, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus, non verò de alijs Epiſcopis inferioribus, quales ſunt Prælati locales, vt pote Priores & Guardiani, qui in Eccleſia correſpondent Curatis & animarum curam habentibus. Nam iſti ex officio ſuo, nullam poteſtatem ordinariam habent, iure diuino conceſſam, ad concedendas indulgentias, cum eiuſmodi poteſtas pertineat præciſe ad iuriſdictionem Epiſcopalem, vt conſtat expreſſe ex dicto capi. *accedentibus*, vbi dicitur quod Abbates, de quibus ibi loquitur, extẽdebãt manus ſuas ad ea, quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis. Sed quamuis ſupradicta opinio Medinæ non omninò ſit improbabilis, nihilominus contraria ſententia eſt probabilior, nempe quod Religionum Prælati, ex officio ſuo & de iure diuino, non poſſunt indulgentias concedere, niſi ex particulari priuilegio & conceſſione ſpeciali id habeatur, vt dicitur in dicto cap. *accidentibus*. Sed an tale aliquod habeatur priuilegium in Religionibus quæritur? Cui difficultati reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Nota hoc valde.

Secunda Concluſio.

De iure ſpeciali, aliqua ſint priuilegia Regularibus præ latisconceſſa, ad concedendas indulgentias.

ALiqua ſunt conceſſa priuilegia Regularibus Prælatis, ad concedendas indulgentias. Hæc Cõcluſio nõ aliter poteſt probari quã adducendo aliqua ex dictis priuilegijs, atque in primis Leo Decimus *Conceſſit omnibus Prouincialibus Fratrum Minorum de obſeruantia, quod facta viſitatione ordinaria in Conuentibus, ſeu Prouincia, facultatem habeant concedendi indulgentiam plenariam, omnibus Fratribus cuiuſlibet Conuentus ſic viſitatis, & idem intelligatur de Monialibus ſanctæ Clarę, & de Tertiarijs in Congregatione viuentibus.* Habetur in Supplemento, fol. 93. conceſ. 285. & refertur in Compend. priuileg. Mendicant. verbo, *indulgentiæ plenariæ quoad Fratres.* §. 16. Circa quam conceſſionem eſt notandum, quod quamuis ea directè conceſſa ſit ſolummodo Prouincialibus Miniſtris, in praxi tamen & conſuetudine poſitum eſt, vt ea etiam vtantur Miniſter Generalis & eius Commiſſarius Generalis, & merito quidem, nam quoad hunc effectum, recte ſub nomine Prouincialium poſſunt comprehendi, & quod inferioribus conceditur, ſuperioribus & potioribus non videtur eſſe denegatum, maximè quando vtrobique eadem ſeu potior militat ratio. Idem Leo Decimus *Conceſſit Indulgentiam plenariam, omnibus morientibus & ſepelientibus ſe in habitu ſancti Franciſci, confirmando omnes indulgentias, quas ſui prædeceſſores Clemens I I I. Nicolaus I I I. Vrbanus V. conceſſerunt eiſdem.* Habetur in dicto Supplement. fol. 61. conceſ. 185. & refert. in Compend. verbo, *indulgentiæ quoad ſæculares. 6. §. 6. 7. & 8.* quod poſtea extẽdit & ampliauit, ad mulieres morientes, & ſepelientes ſe in habitu Sororum Tertiæ Regulæ eiuſdem ſancti Franciſci, ſub obedientia Miniſtrorum Generã-

Nota pro indulgẽtia, quã conſequũtur, qui in noſtro Sancto habitu ſepeliũtur

neralis & Prouincialium degentium, vt habetur in eodem Supplement. ac declarauit quod ſufficit petere prædictum habitum, & ſuper ſe vſque ad mortem illum habere, & in eo ſepeliri, etiamſi ante mortem non induatur. Omnia dicta priuilegia referuntur à Collectore in Compend. Mendicant. verbo, *indulgentiæ, quoad ſæculares.* §. 6. 7. & 8. Aduertendum eſt tamen, quod prædicta Indulgẽtia non valet, niſi prædictus habitus concedatur per Guardianum Conuentus aut per Superiorem Prælatum, vt decreuit, & determinauit expreſſe Sixtus Quartus, quadam ſua Bulla, quæ dicitur, Aurea, vbi etiam ſtatuit: *Quod illorum ſic indutorum cadauera diſcooperta, nullo pallio vel tegumento ſuper impoſito, cum habitu huiuſmodi, ad ſepulturam deferri poſſint, non obſtante Ordinariorum locorum, etiam ſub cenſuris, prohibitione, & ordinatione qualibet in contrarium facta.* Habetur in Monument. Ordinis. 1. impreſ. fo. 65. & 2. fol. 149. conceſ. 364. & refertur in Compend. verb, *habitus fratrum, & Monialium.* §. 11.

Nota quod habitus noſtri Ordinis concedi debet per guardianum, ſiue Prælatum ſuperiorem.

Nota, quod quiſepeliatur in noſtro ſancto habitu, poſſunt deferri, diſcoopertafacie.

Aliæ multæ indulgentiæ ſunt Prælatis Regularibus conceſſæ, in ordine ad ſæculares, noſtras viſitantes Eccleſias, ſeu audientes noſtras conciones in eis. Sed quia & pene ſunt innumeræ, breuitatis cauſa eas prætermitto, vel forſan alio in loco ponentur, ſi per tempus licuerit.

ARTICVLVS III.

Vtrum Generalis Miniſter, diſpenſare poſsit in legibus latis à ſuis Superioribus, nempe à Papa ſiue à Concilio Generali, aut Prælati inferiores, in legibus latis ab alijs ſuis Superioribus?

Prima Concluſio.

Nullus inferior de iure communi, diſpenſare poteſt in legibus latis à ſuo ſuperiore.

DE iure communi, certiſſimum atque conſtitutiſſimũ eſt, quod nullus inferior diſpenſare poteſt in legibus latis à ſuo Superiore. Hæc concluſio eſt generalis omnium DD. reſolutio, & habetur expreſſa in iure Canonico in cap. *inferior.* diſt. 21. & in Clementina, *ne Romani, de elect.* & in iure Ciuili in leg. 1. C. *de legib.* Videatur hac de re Syluеſ. verbo, *diſpenſatio.* num. 13. 14. 15. & 16. & Nauarr. in Manuali cap. 22. num. 81. & Medina. 1. 2. quæſt. 97. art. 4. Ex qua plane cõcluſione colligitur, quod Epiſcopi & Religionum Prælati, diſpenſare non poſſunt in legibus latis à Summo Pontif. ſeu à Concil. generali. Sed pro maiori intelligentia ſupradictæ Concluſionis, adnotare oportet ex ſupra dicto Medina loco ſupra citato concluſ. 2. quod aliud eſt diſpenſare in lege, aliud verò diſpenſare in pœna legis iam contracta. Diſpenſare enim in lege, eſt tollere obligationem eius ab aliquo in particulari, propter aliquam cauſam, diſpenſare verò in pœna legis, eſt tollere pœnam iam cõtractam, propter legis tranſgreſsionem. Quo ſuppoſito dico, quod quando dicit noſtra Concluſio, quod inferior non poteſt diſpenſare, regulariter loquendo in lege ſui Superioris, intelligenda eſt in ſubſtantia legis à Superiore latæ, tollendo ipſius obligationem, neque in communi, neque in particulari, quia nequit inferior diſpoſitionem ſui Superioris tollere, niſi ab eo fuerit ſibi expreſſe vel interpretatiue conceſſum: verumtamen lõge alia atque diuerſa ratio eſt, quoad abſolutionem & diſpenſationem pœnæ. De quo ſit ſecunda Cõcluſio.

Nota valde, quod aliud eſt diſpenſare in lege, aliud verò in pœna legis.

Secunda Concluſio.

Prælati benè poſſunt diſpẽſare in pœna legis latæ à ſuis ſuperioribus, dũmodo id non ſit etiã ſpecialiter reſeruatum.

QVamuis Prælatus inferior, non poſsit tollere obligationem legis latæ à ſuo ſuperiore, bene tamen poteſt pœnam iam contractam propter legis tranſgreſſionem, dummodo talis pœna non ſit ſpecialiter reſeruata. Hæc Concluſio eſt ſupra dicti Medinę, cuius & rationem reddit; nam vt pluries ſupradictum eſt, Prælati ordinarij poſſunt omnia, in quibus à ſuperiore non ſunt ſpecialiter prohibiti & ponit exemplum, adducẽdo generale documentum ex iure, nam quando excommunicatio aliqua eſt lata in canone, etiamſi lata ſit à Summo Pontifice, ſi nominatim non eſt eidem reſeruata, Epiſcopus vel etiam Parrochus ab ea poteſt abſolucre, vt hac de re eſt expreſſa determinatio, in ca. *nuper de ſentent. excom.* Vbi habetur quod communi cans cũ excõmunicato, eſt ipſo facto excõmunicatus per iuris diſpoſitionem, ſed dicitur, quod quia conditor canonis, eius abſolutionẽ ſibi ſpecialiter nõ retinuit ſiue reſeruauit, eo ipſo videtur facultatẽ cõceſſiſſe alijs. Ex quibus verbis cõſtare poteſt, veritas vtriuſq; Cõcluſionis ſuprapoſitæ. Nempe quod Prælatus inferior diſpenſare non poteſt cũ aliquo in lege ſui ſuperioris, quantum ad ſubſtantiam ipſius (nullus enim inferior Papa diſpenſare poteſt, vt non quis in excommunicationem incidat, communicãdo cum excommunicatis, id enim eſſet diſpenſare in ſubſtantia legis, vt dicit prima Concluſio) poteſt tamen prædictus Prælatus inferior, à ſupradicta excommunicatione abſoluere, cum non fuerit ſpecialiter reſeruata, quod eſt pœnam legis tollere poſt iam cõtractam, & hæc eſt generalis omnium DD. reſolutio. Quam applicando ad noſtrum propoſitũ dico, quod quamuis Generalis Miniſter diſpenſare non poſſit in legibus ſui ſuperioris, vt pote Summi Pont. atque generalis Concilij, quãtum attinet & ſpectat ad ipſorum ſubſtantiam: poteſt tamen diſpenſare in earũ pœnis, que ſibi non fuerint ſpecialiter reſeruatæ. Sed difficultas eſt, in quibus pœnis Generalis Miniſter & Religionum Prælati poſſint diſpenſare de iure? & quæ nam pœnæ de iure etiam ſint Sum. Pontif. reſeruatæ?

Nota hoc valde, quod Prælati ordinarii poſſunt circa ſibi ſubditos omnia, in quibus ſpecialiter non ſunt prohibiti.

Tertia Concluſio.

Pœnæ, & irregularitates, de iure cõmuni Sũm. Pon. reſeruatæ, ſunt omnes quæ contrahuntur per omnia crimina adulterio maiora.

POenæ & irregularitates, de iure Communi Summo Pontif. reſeruatæ, ſunt omnes contractę ex criminibus adulterio maioribus. Hęc cõcluſio eſt Syluеſtri, verbo, *caſus.* num. 2. quæſt. 1. *caſu.* 13. 14. & 15. Vbi & numerat multas pœnas ſiue irregularitates, quarum crimina eſſe dicit adulterio maiora, quarum etiam diſpenſatio ad ſolum Rom. Pontif. ſpectat: quod & probat in primis per cap. *at ſi clerici.* §. *de adult. de iudicijs*, vbi ſequentia verba haben-

habentur: *in adulterijs verò & alijs criminibus quæ ſunt minora, poteſt Epiſcopus cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare.* Ex quibus verbis à contrario ſenſu colligitur, quod in his, quæ adulterijs ſunt maiora Epiſcopus diſpenſare non poteſt, & conſequenter nec Generalis Miniſter, aut Religionum Prælati id poſſunt facere, cum in iuriſdictione Epiſcopis ſint ſimiles aut æquales. Videatur hac de re Couar. in 5. par. cap. 6. §. 8 num. 2. & ſequentib. & Salzedo in pract. capit. 86. vbi ponunt multa crimina, in quibus Epiſcopi de iure communi diſpenſare non poſſunt, & inter alia vnum eſt peccatum Sodomiæ, ſed vt præ manibus habeantur quæ dicit prædictus Syluester, eſſe crimina adulterio maiora, libet ea nunc breuiter referre. In primo loco ponit binam baptizationem ſeu, rebaptizationem factã ſciẽter, per c. *eos.* & c. *qui bis, de conſecr.* diſt. 4. Et idem intelligendum eſſe dicit, ſi ignoranter & poſtea ratificetur. Secundo binam receptionem eiuſdem ordinis, per cap. *ſaluberrimum.* 1. q. 7. & idem eſt etiam dicendum de Confirmatione ſeu rechriſmatione, per cap. *dictum, de conſecratione.* diſtinct. 5. Tertiò ſuſceptionem ordinis ab hæreticis ad fidei ſubuerſionem, per cap. *conuenientibus.* 1 quæſt. 7. in quibus criminibus ſolus Papa diſpenſat. Item quarto in ſuſpenſione contracta ex ordinatione ſimoniaca, ex parte ordinatoris & ordinati, per cap. *ab excommunicatis.* 9. quæſt. 1. & cap. *ſi quis Epiſcopus.* 1. quæſt. 1. & hoc qualitercumque interuenerit ſimonia, per Extrauagant. Martini Quinti, quæ incipit, *Damnabile*, & aliam Eugenij Quarti, quæ incipit, *cum deteſtabile*, & eadem eſt ratio, in retentione beneficij ſimoniace obtenti vel alterius dignitatis. Item quinto, ſolus Pontifex diſpenſat cum bigamo vt poſſit ordinari, per cap. *nuper.* & cap. *fin. de bigam.* Item ſexto, cum clerico non ordinato, miniſtrante in ordine ſacro quem non habet, qui ſine Papæ diſpenſatione ad ſuperiorem ordinem non poteſt promoueri, & ſi in ſuſcepto per Epiſcopum poſſit tolerari, per cap. 1. 2. & 3. *de clerico non ordin. Miniſtr.* Item ſeptimo, cum excommunicato excommunicatione maiori, recipiente ordines, per cap. *cum illorum, de ſent. excommun.* & eodem modo ſi exiſtens Apoſtata à Religione recepit ordines, per cap. *fin. de Apoſt.* Vltimo, cum excommunicato excommunicatione maiori, ſuſpenſo vel interdicto miniſtrante, in aliquo ordine ſacro. Hi vltimi caſus, ponuntur à prædicto Syluestro, vbi ſupra caſu 18. & 19. in quibus omnibus criminibus, dicit quod incurritur irregularitas, per ſolum Summũ Pontif. diſpenſabilis, cum omnia ſint adulterio maiora. Sed vt ſupra diximus quæſtione præcedenti, per plures Art. ex ſpeciali priuilegio, facultatem habet Generalis Miniſter, omniumque Religionum Prælati, diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, Summo Pontifici reſeruatis exceptis tribus, nempe homicidio voluntario, bigamia & mutilatione membrorum. Plura quæ ad hanc diſpenſationis materiam ſpectant, latius dicẽtur in propria quæſtione, quæ hac de re, infra eſt facienda.

Quæ nam ſint crimina adulterio maiora, Sum. Pontif. reſeruata, in quibus neque Epiſcopi, neque Prælati Regulares diſpenſare poſſunt de iure.

Nota hoc valde, pro apoſtatis ſuſcipientibus ordines in Apoſtaſia.

(2)

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſſit, in eo quod mulieres interiora, noſtrorum Monaſteriorum ingrediantur?

Concluſio.

PRohibitum eſt ſub grauiſſimis pœnis, omnibus in vniuerſum Religioſis, ſubditis atque Prælatis, ne mulieres introducere vel admittere præſumant, in eorundem Religioſorum Monaſteria. Hic caſus apponitur, quia eſt vnus ex his, qui prohibiti ſunt Generali Miniſtro, & omnibus in vniuerſum Prælatis ac ſubditis, quæ prohibitio habetur in quadam Extrauagante Pij V. data Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris. 18. die Octobris. Anno 1566. Pontificatus ſui anno primo, quæ incipit, *Regularium perſonarum*, cuius meminit, & de ea longiſſimam tractationem facit Nauart. in cap. *ſtatuimus*, num. 16. Sed quia circa explicationem prædictę Extrauagantis peculiarem infra in libro, cui titulus eſt de delictorum pœnis, facturi ſumus quæſtionẽ, circa innumerabiles difficultates, quas habet, & quis ab excommunicatione aliiſque pœnis propterea incuſſis poſſit abſoluere, ab hac re pro nunc conſulto ſuperſedeo, hoc ſolummodo contentus dixiſſe, quod is ſit vnus ex caſibus prohibitis Generali Miniſtro, de cuius poteſtate & auctoritate agimus in præſentiarum.

Prohibitũ eſt ſub grauiſſimis pœnis, ingreſſus mulierum in Monaſteria virorũ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſsit in perſonali reſidentia Prælatorum Regularium.

Concluſio.

OMnes in vniuerſum Prælati, animarum curam habentes, reſidere tenentur perſonaliter inter ſuas oues, & intra ſuas Diœceſes, nec in hac perſonali reſidentia, niſi forſan ad certum & determinatũ tempus, Generalis Miniſter aut vllus Summo Pontif. inferior, poteſt diſpenſare. Hæc concluſio habetur expreſſa in Concil. Trident. Seſs. 23. *de reformatione*, cap. 1. vbi hoc ipſum ſtricte præcipitur Epiſcopis, & cunctis Eccleſiæ Prælatis, habetur etiam ſeſ. 6. cap. 1. & 2. ſuntque ad id innumera alia iura, nempe cap. *extirpanda.* §. *quia vero, de præbend.* & c. *nonnulli, de cleric. non reſident. cap. peruenit,* & *cap. non oportet cũ multis ſequentib.* 7. quæſt. 5. Qua de re videatur Cajetan. 2. 2. quæſt. 81. art. 5. & Soto de iuſtitia, & iure lib. 9. quæſt. 2. art. 1. & 2. & Couar. lib. 3. variarum reſolution. cap. 3. num. 9. qui omnes probare cõtendunt, Prælatorum reſidentiam eſſe de iure diuino, licèt in aliquibus caſus & caſibus excuſet propter vniuerſalem, vel particularem Eccleſiæ vtilitatem, iuxta cap. *Perlatum, de Cleric. non reſidẽt.* de quo videatur Soto in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2. Ad

Nullus inferior Papa, diſpenſare poteſt in perſonali reſidentia Prælatorum, niſi ad certum tẽpus.

Quod Prælatorum reſidẽtia ſit de iure diuino, multorum eſt opinio.

quas

quas duas cauſas, reducende ſunt duodecim, quas ponit Abb. in cap. *extirpandæ. §. quia vero, de præbend.* qua de re videatur etiam Nauarr. in Manual. capi. 25. num. 125. Vtilitas autem vniuerſalis vel particularis Eccleſiæ dicitur ea, quam ius talem eſſe interpretetur, per cap. *licet, de præb. end.* & cap. *fin. de Magiſtr.* & talis reputatur abſentia docentis ſacrã Theologiam, ſeu ius Canonicum, vt communis tenet opinio, per Abbatem, *in rubrica de clericis non reſidentibus*, num. 6. & per Gloſſam in Clement. 1. *de reſcript.* receptam per Iaſonem, in leg. *certi condictio. ff. ſi certum petatur*. Et hoc idem innuare videtur Concilium in illis verbis, quæ habentur dicta ſeſ. 23. cap. 1. ibi, *nam cum Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debiti obedientia, ac euidens Eccleſiæ vel Reipub. vtilitas, aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent & exigant, &c.* quo caſu recurrendum eſt (inquit Concil.) ad Roman. Pontif. ſeu Metropolitanum, &c. Quæ omnia quamuis in dicto Concil. ac ſupradictis iuribus, expreſſe loquantur de Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus & in vniuerſum de omnibus Presbyteris Curatis, animarum curam habẽtibus, non dubium eſt, quin etiam comprehendant Religionum Prælatos, ſimilem curam habentes, cum ſit eadem omninò ratio. Vnde Generalis Miniſter, abſque iuſta & legitima cauſa, in hac perſonali Reſidentia Prælatorum diſpenſare non poteſt, ipſiſque Prælati non reſidentes intra oues ſuas, & intra proprias Diœceſes ſine legitima cauſa, mortaliter peccant, & ſi ſunt tales qui temporales habeant fructus, aliqua ſibi ratione deputatos, illos ipſo facto & abſque vlla declaratione amittunt, neque vlla ratione eos faciunt ſuos. Hoc dixerim propter aliarum Religionũ Prælatos, qui aliquos habent redditus annuos, quod ex decreto præfati Concilij, verum habet in omnibus Eccleſiæ Prælatis generaliter.

Quæ ſit cauſa legitima diſpenſanda in reſidentia Prælatorum.

De reſidẽtia Gen. Miniſt. & de eius abſentia.

Sed adnotare oportet, quod Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, cum vt nomen ipſum ſonat, Generalis totius Religionis ſit, ſuæ reſidentiæ nõ habet determinatum locum, ſed reſidere poteſt in omnibus totius mundi partibus, tenetur tamen reſidere in eo loco ſiue locis, vbi magis ipſius præſentia fuerit neceſſaria, & in quo facilior patẽre poſſit aditus ad expedienda occurrentia negotia. Sed poſſet quæri, an ad aliquorum Regum ſiue Principum inſtantiã, & propter aliqua ardua negotia, ad partes aliquas remotas, extra limites & cõfines ſuæ Religionis prædictus Generalis Miniſter poſſit accedere, verbi gratia, ad Conſtantinopolim? Cui difficultati breuiter reſpondeo dicendo, quod ſi ipſius abſentia vltra tres menſes durare debet, crediderim eſſe certum, quod abſque ſpeciali Summi Pontificis licentia, id non poterit efficere, neque fungi tali legatione, iuxta id quod in Concil. Tridentin. eſt cautum de Epiſcopis & Archiepiſcopis, nam vt dicitur in iure de ſimilibus ſimile eſt iudicium; at ſi non per multum temporis, eorundem abſentia durare debet, non in eo quid quam erit inconuenientis, prædictis Regibus ſiue Principibus in eiusmodi rebus morem gerere.

Nota hoc val de.

De reſidẽtia Miniſ. Prou.

Hæc omnia dicta ſint de Prælatorum reſidentia in communi, ſiue in generali. Sed deſcendendo ad particularia, dico quod licèt prædictus Generalis Miniſter, & Commiſſarius Generalis, cum ſint Generales reſidere poſſint vbicumque voluerint, ſeu neceſſitas exegerit in ſuis proprijs diſtrictis, at Miniſtri Prouinciales ſine eorum ſpeciali licentia, à ſuis Prouincijs abeſſe non poſſunt, niſi ad celebrationem Capituli Generalis, vel ad aliquod negotium totam Prouinciam concernens, quo caſu bene poterunt egredi. Nam facultas collata Epiſcopis à Concilio Tridentino, diſcedendi à proprijs Epiſcopatibus, propter munera eiſdem adiuncta, conceſſa etiam intelligitur Prouincialibus ſupradictis, cum vtrobique eadem ſit omninò ratio. Sed tamen ſi alia ratio aut particularis cauſa occurrat, non coniuncta neque annexa proprijs ſuis prælaturis ſiue officijs, ſed ſuarum perſonarum propria, vt propter aduerſam conſanguineorum valetudinem, ad videndos & viſitandos ipſos vel aliquid ſimile, crediderim prædictos Prouinciales Miniſtros, abeſſe quidem ad multum poſſe à ſuis terminis & Prouincijs, per duos, vel per tres menſes, ſed non amplius, ſine ſpeciali licentia Miniſtri Generalis, ſiue ipſius Generalis Commiſſarij. Ad quod dicendum moneor, quia prædictum Concilium loco ſupracitato, ſimilem facultatem facit Epiſcopis, vt poſſint abeſſe ſine ſpeciali licentia Summi Pontificis per tres menſes, quibus cum ipſi ſunt ſimiles in iuriſdictione, de ſimilibus ſimile eſſe videtur iudicium. Vnde dico quod per idem Capitulum, quo prohibentur Epiſcopi egredi, & iubẽtur intra proprias Diœceſes habere reſidentiam, conceditur etiam ſibi, vt per tres dictos menſes poſſint abeſſe, illis commendando, vt fiat abſque ſuarum ouium detrimento, quod & per dictum Concilium Epiſcoporum conſcientiæ relinquit. Sed tamẽ ſi maior futura ſit abſentia, & non propter aliquam cauſam ſuis proprijs officijs annexam, etiamſi ſit ad charitatem concernens, neceſſaria proculdubio erit ipſis licentia Papæ, vel Generalis Miniſtri, ſiue ipſius Commiſſarij Generalis.

De reſidẽtia Prælatorum localium.

Prælativerò locales, vt ſunt Guardiani, Priores, &c. tenentur eodem iure, quoad culpam & quoad pœnam, in ſuis Conuentibus reſidere, iuxta decretum ſupradicti Concil. Trident. cum ſint verè Prælati, animarum curam habentes, vnde nec ab ipſis poſſunt recedere propria auctoritate, ſine licentia ſuorum Prouincialium aut Generalis Miniſtri, niſi per paruum tempus, quod quidem cum Concilium non determinet, aut taxet de curatis, id vt videtur relinquitur Epiſcoporum iudicio, & idem eſt dicendum de Prælatis Regularibus.

Qui aliquantiſper abſũt à ſuis adminiſtrationibus, ſecundum ius non dicuntur abeſſe.

Qua de re, vt credo, peculiares habentur conſtitutiones & prohibitiones, in cunctis Religionibus, & ad eaſdem me remittens, concludendo dico, quod Prælatorum abſentia debet eſſe parua, nec fieri ſine magna atque legitima cauſa, & abſque vllo ouium detrimento, cum hoc tamen ſtat, quod de iure communi loquendo innouato per Concil. Trident. ſupradictum, qui aliquantiſper abſunt, ſecundum ius non dicuntur abeſſe, quæ de iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſsit in obſeruantijs regularibus?

Prima Concluſio.

Religiouum Prælati iure prohibentur diſpenſare, in tribus votis Religionis eſſentialibus.

Vre prohibitum eſt omnibus Religionum Prælatis, dispẽſare in obſeruantijs regularibus, ſtatui Religionis eſſentialibus, quales ſunt quæ cõmuniter dicũtur, tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota Obedientiæ, ſcilicet, paupertatis & caſtitatis. Hæc concluſio eſt certa, & cõmunis omnium Doctorũ reſolutio, adeòq; vera, vt etiam cõmunis ſit Doctorum ſentẽtia, quod in prædictis tribus eſſentialibus, & ſubſtantialibus Religionis votis, nec ipſe Summ. Pontif. poteſt diſpenſare, niſi forſan ex aliqua magna atque vrgentiſsima cauſa, faciendo de Religioſo non Religioſum. Hac de re latiſſimam habuimus diſputationẽ, in præced. tomo, q. 25. art. 13. vbi hoc ipſum luculenter oſtendimus. Sed modo probatur Concluſio, ex quadã decretali Innocẽtij III. & habetur in cap. *cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*, vbi in fine dicit. *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate, poſsit cum aliquo Monacho diſpenſare, nam abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa regulæ Monachali, vt contra eam, nec ipſe Summus Pontifex, poſsit licentiam indulgere.* Super quæ verba notat & aduertit Gloſſa ibi, *abdicatio proprietatis*, quod multa ſunt in quibus non poteſt Papa, & inter alia ponit exemplũ in prædictis. Circa quæ venit etiam notandũ id, quod ſemel & iterũ in præced. tomo me dixiſſe memini, quodquamuis in prædicto capitulo, Summ. Pontif. de obedientia expreſſam non faciat mentionem, ſed ſolummodo de abdicatione proprietatis & cuſtodia caſtitatis, eadem ratione quin verò & potiori, de obedientia id ipſum eſt intelligendũ, cum & ipſa ita intrinſeca & eſſentialis ſit Religionis ſtatui, atq; alia duo vota, quin verò inter ipſa principẽ locũ obtineat, vt tradit D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 5. cum ſequentib. & maxime ar. 8. Nec obſtat exceptio ſupradicta, de duobus tantum votis, caſtitatis & paupertatis, nã iuxta communem iuris regulã, exceptiones in iure extenduntur ad omnes ſimiles, prout tradit & probat Couarr. ex multis iuribus, lib. 3. var. reſol. cap. 5. n. 6. Sed præterea ſupradicta noſtra probatur concluſio, ex Conc. Trident. Seſſ. 25. cap. 1. vbi cunctis Prælatis ac ſubditis tam viris quam mulieribus præcipitur, vt ad regulæ, quam profeſſi ſunt præſcriptum, vitam ſuam inſtituant atque componant, & in primis vt ea, quæ ſuæ profeſſionis ſunt, obedientiam ſcilicet, paupertatem & caſtitatẽ obſeruent. Et poſt alia loquendo cum Prælatis prædictis, ſubdit Concilĩ, quod ea, quæ ad ſubſtantiã regularis vitæ pertinent, nullo modo poſſunt ab eis relaxari, ad quod allegat ſupradictum cap. *cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*. Hoc itaq; eſt certiſſimum atque conſtitutiſſimum. Sed difficultas eſt, an ſupradictus Miniſter Generalis, & Religionum Prælati, diſpenſare poſſint cum ſibi ſubditis, in alijs obſeruantijs Regularibus obligatorijs, exceptis tribus eſſentialibus ſupradictis? Et pro maiori horum intelligentia, atq; explicatione aduertere libuit, quod triplex eſſe poteſt obſeruãtia regularis, vt clare colligitur ex ſupradicto Concil. Trident. loco ſupracitato. Prima dicitur eſſentialis, & ſubſtantialis in genere ſeu abſolutè, quia nempe eſt de intrinſeca ratione cuiuſcunque Religionis in communi, & talis eſt obſeruatio ſupradictorum trium votorum eſſentialium.

Nota quod exceptiones in iure extendũ tur ad omnes ſimiles.

Obſeruantia Regularis eſt triplex.

Secunda dicitur obſeruãtia etiam eſſentialis & ſubſtantialis, ſed non in genere & in cõmuni ſeu abſolutè, ſed ſolummodo in ſpecie & in particulari aut reſpectiuè, quia nempe ex ſpeciali inſtitutione ſeu conſtitutione alicuius Religionis, omnes ſuos alumnos & profeſſores, ad culpam mortalẽ ſpecialiter obligat. Talia ſunt in ſacro noſtro Ordine Fratrum Minorum de obſeruantia viginti quatuor præcepta, quæ communiter dicuntur noſtræ Regulæ obligaroria obligantia ad culpam mortalem, quamuis non omnia omnes æqualiter atque vniuerſaliter obligent (vt quidam putant) ſed hæc quoſdam, illa verò alios in particulari, quẽdã ſubditos, alia verò Prælatos, &c. Idem eſt etiam dicẽdum de alijs ordinibus, & Religionibus, ſi quæ habent ſpecialia & particularia præcepta, & de Religione Clericorum Societatis Ieſu, vbi vltra tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota, dicuntur eſſe alia ſpecialia, quæ obligant ad pecatum mortale, vt eſt votum obediendi Summo Pontif. in ſuis Miſſionibus, item de non immutando ſtatu paupertatis in eadem Religione inſtituto item de non procurando directè aut indirectè aliquo officio in eadem Religione, & de detegendo eo, qui aliquod miniſterium fuerit repertus procuraſſe, & non acceptanda aliqua dignitate extra eandem Religionem, niſi coacti fuerint per obedientiam, ab eo qui eiuſdem Ordinis profeſſores poſſit ad culpam obligare, &c. Idem dicendum eſt de obſeruantia Carthuſianorum, de quibus dicitur ſub lethalis culpæ noxa, obligatos eſſe ad perpetuam carniũ abſtinentiam, & ad alia, quæ per tẽpus non licet dicere neque oportet cum in ipſorum regula poſſint videri, idem & de abſtinentia Fratrum Minorum, ſeu qui communiter dicuntur S. Franciſci de Paula, qui vt dicitur quartũ quoddam emittunt votum, de abſtinendo etiam à carnibus atque lacticinijs & de ſemper vtendo cibis quadrageſimalibus, excepto infirmitatis tempore, & de ſimilibus obſeruantijs ſpecialibus & particularibus aliarum Religionum ſi quæ ſunt.

Tertia obſeruantia Regularis eſt, quæ nullo modo eſt aut eſſe dicitur eſſentialis, ſed quodammodo accidentalis, quæ ſuos profeſſores ad nullam culpam ſaltim mortalem obligant, quales ſunt omnes communiter obſeruantiæ Fratrum Prædicatorum, Auguſtinianorum, & aliorum, quorum ſtatuta & conſtitutiones ad nullam, vt dicitur, culpam mortalem obligant, quin verò nec tota ipſorum Regula, præter tria eſſentialia & ſubſtantialia Religionis vota. Tales etiam ſunt aliquæ obſeruantiæ noſtræ, quæ pertinent ad communem victum & veſtitum & regularem vitam, quæ habentur in noſtris conſtitutionibus generalibus, quibus dicitur cap. 8. §. *de conſtitutionibus*, quod per eiuſmo-

eiuſmodi ſtatuta, Fratres non adſtringuntur ad culpam, niſi alias per ius diuinum, vel humanum, ad idipſum fuerint obligari, & niſi in illis caſibus, in quibus excommunicationis cenſura, aut obediẽtia ponitur. Quo præmiſſo ac præſuppoſito, quæritur nunc, an Generalis Miniſter & Religionum Prælati, diſpenſare poſſint in dictis obſeruantijs Regularibus, ſecundi & tertij generis, nam de primis, iam in prima Concluſione diximus, quod non. Cui difficultati reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Secunda Concluſio.

Religionum Prælati diſpẽſare non poſſunt in obſeruantijs regularibus ſecundi generis, in cõmuni aliqs in vniuerſali

SI ſit ſermo de diſpenſatione in communi & pro toto Ordine facta, Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, diſpenſare non poſſunt in illis obſeruantijs Regularibus, quę ſunt ſecundi generis, tranſgreſſores obligantibus ad mortale, & continentur in ſuis Regulis. Ratio huius Concluſionis in promptu eſt, nam diſpenſatio ſic in cõmuni facta, & abſque legitima cauſa, non eſſet propriè diſpenſatio, quinuero diſſipatio, vt dicit D. Bernard. lib. de diſpenſatione & præcepto, & refertur à Sylueſtr. verbo, *diſpenſatio num. 2.* vbi dicit quod Prælati dantes pro ſua valuntate licentiã veniendi contra legem & contra præcepta, ſine iuſta & rationabili cauſa, diſſipatores ſunt, non diſpenſatores. Quod & confirmatur, quia nulla eſt, aut eſſe poteſt, iuſta & rationabilis cauſa, diſpenſandi, in tota aliqua Regula, alias per ſedem Apoſtolicam, vt perfecta, ac perfectionis via confirmata & approbata, neque in ipſius obſeruantijs ſecũdi generis eſſentialibus, & obligatorijs, profeſſoreſque ſuos obligãtibus ad mortale: & dato quod talis eſſet iuſta & rationabilis cauſa, non poſſunt ipſi Regulares Prælati, qui Regulam ipſam non condiderunt, per ſe & abſque ſpeciali licentia, & facultate Summi Pontificis, leges & præcepta in ea poſita (vt præmittitur obligatoria) propria ſua auctoritate abrogare, quia eſſet totam ipſam Regulam deſtruere, quod ſolummodo pertinet ad Papam & Roma. Pontificem, cui ſicut conuenit omnium Religionum Regulas approbare, per capit. *ne nimiæ, de Religioſis Domibus, & cap de Religionum eodem tit. in 6.* ita etiam ipſi ſoli conuenit, eadem ex cauſa & cum ſibi opus viſum fuerit illas reprobare, abolere & derogare, atque in totis earumdem præceptis diſpenſare; ſicut & ex communi omniũ ſententia, diſpenſare poteſt in omni voto & iuramento, ex iuſta & rationabili cauſa, dummodo nõ vergat in præiudicium tertij. Vt enim habetur in iure, per quaſcumque cauſas vnaquæque res naſcitur, per eaſdem diſſoluatur neceſſe eſt. Quo fit, vt cum Prælati ſupradicti, ſuarum regularum & legum in ipſis contentarum, non fuerint inſtitutores aut inuentores, nec confirmatores & approbatores, ſed ſolummodo profeſſores, non ad ipſos pertinet eaſdem in totum deſtruere, quod eſſet in omnibus ſuis obſeruantijs eſſentialibus & obligatorijs diſpenſare, ſed hoc ſolummodo (vt dixi) ſoli reſeruatur Sũmo Põtifici. Et hic eſt vnus ex caſibus de iure ſibi reſeruatis, & in quibus ipſi inferiores nõ poſſunt diſpenſare, vt tradit Syluester in ſũma, verbo, *caſus n. 2. quæſt. 1. caſu 45.* de mente Paludani in quarto.

Nota hoc valde pro Prælatis diſpenſantibus in præceptis Regulæ abſque iuſta, & rationabili cauſa.

Quiſnã poſſit Regulam aliquã dẽſruere ſeu in tota aliqua Regula vt ne obliget diſpenſare.

Tertia Concluſio.

Religionum Prælati, bene poſſunt diſpẽſare, in obſeruantijs Regularibus ſecũdi generis, cũ aliquo vel aliquibus in particulariex cauſa legitima.

SI verò fiat ſermo, de diſpenſatione non in communi, ſed in particulari, Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, iuſta exiſtente, & rationabili cauſa, bene poſſunt diſpenſare cum aliquo Religioſo in particulari, in aliquibus, ſeu in omnibus obſeruantijs Regularibus, & eſſentialibus ſecundi generis, etiamſi alias omnes ſuos profeſſores obligent ad mortale, dummodo non ſit aliqua ſpecialis prohibitio, per Summum Pontificem ſeu ipſius auctoritate ſpeciali ſtatuto facta. Hæc concluſio, vt credo, veriſſima eſt (quidquid alij dicant) cuius & præcipuum fundamentum eſt nam nulla hac de re facta reperitur prohibitio, qua Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, id ipſum non poſſint facere, quinuero ex ipſo iure clare colligitur, quod iuſta & rationabili interueniente cauſa, & in aliquo particulari caſu, in omnibus obſeruantijs ſupradictis, vtcumque eſſentialibus & obligantibus ad mortale (exceptis tribus votis eſſentialibus) non inquam in communi, ſed in particulari, cum ſibi ſubditis poſſunt diſpẽſare. Et quod hoc ita ſit probatur aperte & manifeſte, ex ſupradicto, cap. *cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum*, ex illis verbis Innocent. III. *Neque æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare, nam abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec ſummus ipſe Pontif. poſſit licentiam indulgere.* In quibus verbis, quam maxime penſanda & ponderanda ſunt illa, *nec æſtimet Abbas, &c.* quod fuit, ac ſi expreſſius diceret: Etſi tota poteſtas Monaſterij ad Abbatem pertineat, per cap. *nullam 18. quæſt. 2.* quod eſt Pelagij Papæ, poſſitq; proinde Abbas cum ſibi ſubditis in omnibus obſeruãtijs, vtcumq; eſſentialibus diſpenſare, non tamen æſtimet, quod diſpenſare poteſt ſuper habẽda proprietate, &c. Nam abdicatio inquit, proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulę Monachali, vt contra eam nec ſummus ipſe Pontifex poſſit licentiam indulgere. Per quæ dicta verba, dum excepit Summus Pontifex dumtaxat prædicta tria vota eſſentialia, quæ ſunt ſtatui Monachali annexa, atq; vt dicitur de eſſentia & ſubſtantia, ac intrinſeca & formali ratione cuiuslibet Religionis, ſeu ſtatus Religioſi, plane perinde viſus eſt concedere, quod in omnibus alijs non ita intrinſecis, vtcumq; eſſentialibus, diſpenſare poſſit Abbas, cum exceptio in iure ſemper firmet Regulam in contrarium, & faciat formam contrariam, in omnibus, quæ non ſunt excepta, vt luculenter probat ex multis iuribus Cou. lib. 2. variarum reſolution. cap. 5. n. 6. quam nimirum regulam, non ſolummodo eſſe approbatam à Dino, quinuero ait, eſſe omnium conceſſione receptam. Sed hanc eam dẽ veritatem & prædictam Concluſionem, libet etiã probare ex alio decreto Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 1* vbi agendo de votorum Regularium cuſtodia, & obſeruantia, differentiam, atque diſtinctionem cõſtituit, inter ſupradicta tria Religionis eſſentia-

Nota hoc valde.

Nota q̃ exceptio firmat ſemper Regulam in contrariũ, & formã facit cõtrariã in omnibus, quæ excepta non ſunt.

lia & ſubſtantialia vota (obedientiam nempe, paupertatẽ & caſtitatẽ) & alia cuiuslibet Regulæ, & Ordinis peculiaria præcepta, ſiue vota (reſpectiue) pertinẽtia ad ſupradictorũ obſeruantiam, nec non ad communem vitam, victum atque veſtitũ, ac tandem verba faciens de tribus votis ſupradictis, cõpertum eſſe dicit, quod ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitę pertinent, non poſſunt per Superiores relaxari, cuius & rationem reddens, ait, *Etenim ſi illa quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exacte non fuerint cõſeruata & cuſtodita, totum ſtatim corruat ædificium neceſſe eſt.* Ex quibus Cõcilij verbis ſic ego colligo argumentum: omnia quæ non ſunt de ſubſtantia regularis vitæ, de mẽte Concilij ex cauſa per ſuperiores poſſunt relaxari, & in eis diſpenſari: ſed obſeruãtiæ, quæ ſunt ſecundi generis (de quibus ſupradiximus) vtcũq; eſſentiales & obligatoriæ ſint, ſuoſq; profeſſores ad peccatum obligent, non ſunt de eſſentia & ſubſtantia regularis vitæ, ſiquidem ſine ipſis aliæ Religiones reperiri poſſunt: ergo obſeruantiæ prædictæ, ex cauſa & in caſibus particularibus, Superiorũ ſubſunt diſpenſationi. Conſequentia legitima eſt, & tenet manifeſte per illam generalem iuris regulam ſuperius allatam, qua diximus quod exceptio firmat regulam in cõtrariũ. Huic etiam noſtræ ſententiæ & Concluſioni fauet Ang. in ſua ſumma, verbo, *diſpenſatio.* §. 8. & Sylueſt. *eod. verb. n.* 20. *q.* 14. *in 7. caſu*, vbi dicunt, quod iuſta exiſtente & rationabili cauſa Religionum Prælati diſpenſare poſſunt, in omnibus ſpectantibus ad Regulã, exceptis tribus votis eſſentialibus. Quod probãt argumento à cõtrario deducto, *ex dicto c. cũ ad Monaſterium*, dicuntq; id tenere Pan. modo id fiat debite, ita vt ſit diſpenſatio non vero diſſipatio. Ad quod facit etiam ſententia D. Bernardi lib. de præcep. & diſpenſ. Cuius verba ſunt quæ ſequuntur. *Quãdiu*, inquit, *cũ charitate non militant ſtatuta Regulæ, immobiliter fixa ſunt. At ſi forte contra charitatem aliquando viſa fuerint, ijs dũtaxat quibus hoc poſſe videre datũ eſt, nõne inſtiſſimũ eſt, vt aliqua verba ſi expedire videbitur, vel omittantur vel in aliud forte tẽpus cõmodius dimittãtur.* Hæc D. Bernard. Qua de re videatur D. Tho. 1. 2. q. 97. art. 4. & Medina ibidẽ & Soto lib. 1. de iuſtitia & iure. q. 7. art. 7. vbi propoſita difficultate & quęſtione, vtrùm in legibus humanis Rectores multitudinis poſſint ex cauſa diſpenſare? affirmatiue reſpondet vtendo prædicta diſtinctione, qua & nos vſi ſumus, de diſpenſatione facta ſuper aliqua lege aut regula, non quidẽ in cõmuni, ſed in particulari, & iuſta exiſtẽte & rationabili cauſa. Quod & probat multis & validiſſimis rationibus, quas ego in præſentiarũ breuitatis gratia omitto, & quia hac de re iterum redibit ſermo, in propria quæſtione, quæ extruenda à nobis eſt, infra circa materiam diſpenſationis.

Circa verò obſeruantias tertij generis, quæ minoris ſunt, aut certe nullius prorſus obligationis quid ſit dicendũ, & reſpondẽdũ, iã ex ſupradictis cõpertũ eſt, ſatiſq; cõſtare poteſt, nẽpe quod multo melius diſpenſare poſſunt. Sed quia huius rei pertractatio ad leges & ſtatuta pertinet, horũ etiã omnium reſolutio illuc vſq; reſeruatur, vbi de his omnibus in particulari, ſpeciales à nobis conſtituendæ ſunt quæſtiones, & articuli.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſſit cum ſibi ſubditis, ſuper tranſlatione ad alios Ordines?

AB hac difficultate breuiter me expediam, cũ hac de re, in præcedenti Tomo q. 31. per 24. art. longiſſimum habuerim ſermonem, agendo in cõmuni & in vniuerſali, de Religioſis iam profeſſis, quantum attinet ad tranſitum ad alias Religiones, vbi, ni fallor, dicta ſunt, quæ circa hoc propoſitum deſiderari poſſunt. Ne tamen in præſentiarum locus iſte intermiſſus videatur, aut difficultas ſupradicta totaliter oblita, & quia hoc vnum eſt ex his, quæ dicuntur Generali Miniſtro, & Prælatis Regularibus prohibita, eidem difficultati breuiter, & reſolutiuè reſpondeo, per ſequentẽ Concluſionẽ.

Concluſio.

QVamuis de iure communi antiquo, multa fuerint olim ordinata & ſtabilita circa Monachorum, & Religioſorum tranſitum ad alios Ordines, neq; facultas præſtandi licentiam ad id Superioribus & Prælatis fuerit interdicta, in quibuſdam caſibus & cum certis quibuſdam limitationibus; hodie tamen per Conc. Trid. & per ſpeciales Summ. Pont. Conſtitutiones, nullus Prælatus Regularis, prædictam facultatem poteſt facere, niſi ſeruata forma ibidẽ cõtenta. Hac de re, videãtur ea, quæ dicta ſunt à nobis ſupra in præcedenti Tomo q. 31. & maxime artic. 1. & Cõc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 11.* vbi ſtrictè præcipitur, *quod nullus Religioſus translatus de vno ad alium ordinem ibidem ſuſcipiatur, niſi perpetuam obedientiã in clauſtro ſeruaturus, & quod taliter ſic trãslatus, etiãſi fuerit canonicorũ Regularium, ad obtinenda ſecularia beneficia etiam curata, omnino incapax exiſtat.* Videatur etiam, *ſeſſ. 25. c. 19.* eiuſdem Concilij, *vbi ſtrictè cauetur, vt nullus regularis cuiuſcũq; facultatis vigore, ad laxiorem Religionẽ tranſferatur.* Videatur etiã Motus proprius, hac de re editus à Pio V. anno Domini 1569. pridie Idus Octob. Pontificatus ſui anno quarto, qui incipit, *Quæcũq; ſacrarum Religionum*, vbi generaliter atque vniuerſaliter, reuocantur & abolentur omnia, & quæcũque priuilegia, facultates, diſpenſationes, & indulta præter iuris communis diſpoſitionem emanata recipiendi, vel retinendi Fratres Monachos, Canonicos, & alios etiam laxiorum Ordinum profeſſores, conceſſa quibuſcumq, Ordinibus Monaſterijs, hoſpitalibus, militijs, & pijs locis, per quoſcumque Rom. Pont. ſuos prædeceſſores, & per ſe ipſum. In compendijs etiam priuilegiorum regularium, habentur ad idipſum innumera priuilegia, religionibus aliquibus in particulari conceſſa, quibus præcipitur, vt ipſorum alumni nullatenus recipiantur. Videri poterunt dicta priuilegia, *verbo, Apoſtata, & verbo, obedientia, & verbo obſeruantes Fratres, & verbo, recipere Fratres, ſeu tranſire ad alios Ordines*, de quibus omnibus in particulari innumera diximus ſupra.

Qualiter ſe debeant habere Prælati Regulares, in præſtandi licentia ad trãſeundum ad aliũ Ordinẽ.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Generalis Miniſter, diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, in voto Hieroſolymitano, Sancti Iacobi, & viſitandi limina SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Mariæ Lauretanæ?

Concluſio.

Religionum Prælati de iure communi, diſpẽſare nõ poſſunt in voto Hieroſolymitano, & S. Iacobi, & viſitandi limina Apoſtolorum.

GEneralis Miniſter, de iure communi diſpenſare nõ poteſt in ſupradictis votis. neque in alijs ſpecialiter Summo Põtifici reſeruatis. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, verbo, *caſus n. 2. q. 1. caſu* 11. & Nauar. in ſuo Man. c. 12. n. 75. vbi inquit, quod ſolus Papa vel qui poteſtatem ab ipſo peculiarem habet, diſpenſare poteſt ſuper quinque votis, ſcilicet ſuper voto perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis in Hieruſalem, vel in Romam, ſeu ad ſanctum Iacobum Compoſtellanum; quibus & de nouo additum eſt votum viſitandi Sacellum S. Mariæ Lauretanę, & dicit quod quamuis nullus textus reperiatur expreſſus, quo omnia iſta vota ſoli Papæ reſeruentur, præter votum Hieroſolymitanum, *per cap. ex multa, de voto, iuncta Gloſſa ſingulari, verbo, incumbit*, quinimo neque hoc, quando ex deuotione fit, & non in ſubſidium Terræ ſanctæ, ſecundum Panorm. *in d. cap. ex multa*, ſecundum tamẽ ſtylum Romanæ Curiæ, omnia hęc ſunt Summo Pontifici reſeruata, vt ſatis colligitur ex Extrauag. Sixti IIII. *in cap. etſi Dominici, de pœnit. & remiſſion.* Idem etiam dicit Sylueſter vbi ſupra, & addit dictus Nau. quod qui inferior Papa, ab aliquo iſtorum vtorum tentaret abſoluere, præterquamquod peccaret mortaliter, pœnam etiam excommunicationis incurreret (ſecundum aliquos) per ſupradictam Extrauag. quod quidem ille non credit eſſe verum, niſi in illis tantum, qui ex facultate vel conceſſione eiuſdem Papæ Sixti IIII. abſoluuntur, quoniam de his tantum ipſa loquitur, quod probat ex Sylueſtro, verbo, *excommunicatio. 7. caſu.* 32. & ex Angel. *eodem verbo, excommun.* 5. 8. 31. & tandem ſubdit, quod in cæteris alijs votis omnes Prælati inferiores vtpote Epiſcopi, & qui poteſtatem & iuriſdictionem Epiſcopalem habent, poſſunt diſpenſare, quamuis Panorm. *in c. pro poſuit, de conceſſione prębend.* ſolam commutandi poteſtatem illis tribuat, atque concedat, quod (inquit) nõ eſſe verum, propter ea, quæ idem Panor. docuit, *in c. 1. de voto.* A quorum tractatione in præſentiarum conſulto abſtineo, cum etiam hac de re, infra ſpecialem facturi ſumus quæſtionem. Solummodo in calce, & fine huius articuli libuit aduertere, quod ſupradicta omnia ſunt vera, non ſolum de iure communi, verum etiam de iure ſpeciali, nam hucuſque nullum viſum eſt ſpeciale priuilegium Regularibus conceſſum, ad diſpẽſandum cum ſibi ſubditis in ſupradictis votis. Verum eſt tamen, quod poterunt Prælati patria poteſtate illis irritare votum cuiuſcumque peregrinationis, de quo agemus etiam infra, in ſpeciali quæſtione, circa votorum diſpenſationem, commutationem atque irritationem.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Generalis Miniſter, poteſtatem habeat concedendi ſibi ſubditis, licentiam veniendi contra iuramẽtum licitum?

HIc etiam eſt vnus ex caſibus, qui communiter dicuntur Summo Pontif. reſeruati, de quo agit Syluester, verbo, *caſus, num. 2. q. 1. caſu* 12. Cui difficultati breuiter, ac reſolutiue reſpondeo, per ſequẽtem Concluſionem.

Concluſio.

Religionum Prælati, non poſſunt licentiã præſtare ſibi ſubditis, veniendi contra iuramẽtũ licitum.

GEneralis Miniſter, non poteſt concedere facultatem ſibi ſubditis, veniendi contra iuramentum licitum. Hæc Concluſio eſt Syluestri vbi ſupra, & probat eam, *per cap. veniente, de iureiurand.* dicitque prædictum caſum, eſſe ſpecialiter Summo Pontifici reſeruatum, non ſolum quando certo ſcitur, iuramentum eſſe licitum, verum etiam quãdo eſt dubium, an ſit licitum, quod probat, *ex cap. venerabilem, de electione*, §. *idem etiam.* Et addit Syluester, quod nec ipſe Papa, ſine rationabili cauſa idipſum debet facere, aut licentiam cuipiam concedere, veniendi cõtra iuramentum licitum. Multa hac de re forent dicenda, quæ breuitatis cauſa à me in præſentiarum omittuntur. videatur ſupra dictus Sylueſt. loco citato, & *verbo iuramentum. 3. q. 7.* vbi quærit, Vtrum inferior Papã iuramentum poſſit interpretari, & verbo, *iuramentum. 4. q. 14. & 15.* vbi quærit, vtrum obliget iuramentum, quando mandatum legis, aut Superioris vult contrarium. & an etiam obliget, quando factum eſt in alterius præiudicium, quæſt. etiam 16. in eodem loco quærit, vtrum obliget, quando factum eſt contra legem poſitiuam, aut contra ſtatutum? quibus omnibus in locis, ad hoc propoſitum dicuntur plura maxime notatu digna, & etiam verbo, *iuramentum 5. num. 2. 3. & 4.* vbi proponit quatuor famoſiſſimas quæſtiones, circa hanc materiam; Prima an liceat iuramento propria auctoritate contrauenire; Secunda, an iuramentum poſſit diſpenſari, aut abſolutio ſuper eo impendi; Tertia an hoc ipſum Epiſcopus facere poſſit; Et tandẽ quarta, qualiter Papa, ab Epiſcopo differat in iuramenti diſpenſatione; quæ omnia maxime erant tractatu digna, niſi breuitati ſtuderem tantopere, & aliarum rerum deſiderium, me alio aũocaret. Quã ob cauſam & quia iſthæc non tam ſunt Regularium propria, quã omniũ cõmunia, ab his in præſentiarũ conſulto ſuperſedeo.

ARTI-

ARTICVLVS X.

Vtrùm Generalis Miniſter, poſsit abſoluere ſibi ſubditos, à caſibus ſpecialiter Summo Pontifici reſeruatis, etiam à contentis in Bulla Cœnæ Domini, & ab interdicto, & ſuſpenſione à diuinis?

Quidnã ſit caſus reſeruatus

PRo huius Articuli intelligentia, præmitto ex Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 254. quod caſus reſeruatus, eſt peccatum, cuius abſolutio iure humano eſt prohibita presbytero, qui ſtando in ſolo iure diuino, ab omnibus peccatis poſſet abſoluere iuxta illud Ioann. 20. *quorum remiſeritis peccata*, &c. vt late probat idem Nauarr. *in cap. placuit, de pœnitent. diſt. 10. num. 2. 11. & 17.* Ex quo infert, aliud eſſe caſum reſeruatum, aliud vero cenſuram, quæ eſt ipſius peccati pœna, prout latius explicat ipſe, *in eodem cap. 27.* dicti Manual. num. 1. & num. 151. & 164. quibus in locis agit de Eccleſiæ cenſuris, quæ ſunt excommunicatio, ſuſpenſio à diuinis & interdictum, quorum quodlibet eſt pœna correſpondens alicui ſpeciali culpæ. Et tandem ſubdit, quod nullus eſt caſus Papæ ſeu Summo pontifici reſeruatus, cui non ſit annexa aliqua cenſura, vt etiam tenet D. Antoninus 3. part. tit. 2. capit. 11. verbo, *caſus*, quo fit vt bulla, quæ concedit facultatem abſoluendi à caſibus Papalibus, perinde videatur concedere poteſtatem abſoluendi ab omnibus cenſuris Papæ reſeruatis, nempe ab excommunicatione, ſuſpenſione à diuinis & interdicto, quod non eſt verum in caſibus reſeruatis Epiſcopis, prout ibidem dicit ſupradictus Nauarr. reddens rationem differentiæ. Quo præmiſſo notabili, quæritur in præſentiarum, vtrum Generalis Miniſter, ſtando in iure communi, poteſtatem, & facultatem habeat, abſoluendi ſibi ſubditos à caſibus Papæ reſeruatis, & caſu quo id non habeat de iure communi, an ſaltim illam habeat ex aliquo ſpeciali priuilegio? Cui difficultati reſpondetur, per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

A caſibus Papæ reſeruatis ſecluſo priu. nullus omnino abſoluere poteſt.

A Caſibus Papę reſeruatis & contentis in Bulla Cœnæ Domini, & ab interdicto & ſuſpenſione à diuinis, ſecluſo priuilegio, nullus omnino poteſt abſoluere. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis. Et eam tenet expreſſe Sylueſt. verbo, *caſus*, *num. 2. quæſt. 1. caſu. 33.* vbi dicit, quod ſolus Papa abſoluit à ſententijs excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, per iuris conſtitutiones, vel ſpecialem Extrauagantem ſibi reſeruatis. Quod etiam tenet Nauarr. in Manuali cap. 27. numero 72. agendo ſpecialiter de excomunicationibus Papę reſeruatis, per Bullam Cœnę Domini, ſeu aliter à iure, vbi & ad litteram ponit omnem ſupradictam Bullam Cœnę Domini, in cuius fine, poſt alia, inquit Pontifex: *A quibus ſententijs, nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus abſolui poſsit, neque etiam tunc, niſi ſufficienti cautione præſtita, de ſtando ſacræ Romanæ Eccleſiæ mandato, & ſatisfaciendo parti, etiam prætextu Confeſsionalium, ſeu quarumuis facultatum, quibuſuis perſonis, cuiuſcumque præeminentiæ, & quibuslibet Collegijs, & Ordinibus, etiam militiarum conceſſarum à nobis, vel à prædicta ſede, ac cuiuſuis Concilij generalis canonibus, &c. Illos autem, qui contra tenorem præſentium, talibus abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, excommunicationis ſententia innodamus, eiſque prædicationis, lectionis, adminiſtrationis Sacramentorum, & audiendi confeſsiones, officia interdicimus, denunciantes eiſdem grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter proceſſuros, & quidquid egerint nullius ſit roboris, vel momenti.* Hæc in ſupradicta Bulla Cœnę Domini.

Sed loquendo de iure ſpeciali, & ex priuilegio, difficultas eſt, An fuerint olim aliqua priuilegia, Prælatis Regularibus conceſſa, quibus ſibi ſubditos abſoluere poſſent, à caſibus Papæ & Summo Pontifici reſeruatis? de quo fit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Aliqua erãt olim priu. quibus Regulares abſoluti á caſibus Papæ reſeruatis poterant á ſuis Prælatis.

ALiqua erant olim priuilegia, Prælatis Regul. conceſſa, quibus ſibi ſubditos abſoluere poterant, à caſibus Papæ reſeruatis, ſaltim abhis, qui continentur in iure, & in ſpecialibus Extrauagantibus, ſiue conſtitutionibus, & ab interdicto & ſuſpenſione à diuinis. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam adducendo, & referendo ſupradicta priuilegia, & in primis Clemens IIII. *Conceſsit, vt Generalis & ſinguli Prouinciales Miniſtri ordinis Minorum, & eorum Vicarij, ac etiam Cuſtodes, in Prouincijs, & Cuſtodijs ſibi commiſsis, Fratribus ibidem conſtitutis, necnon Fratribus alijs eiuſdem ordinis, interdũ ad eos declinantibus, vndecumque abſolutione & diſpenſatione indigentibus, ſiue priuſquam intrauerint ordinem ſiue poſt in caſibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrant ſententias, à iure, vel à iudice generaliter promulgatas, & huiuſmodi ſententijs innodati, aut in locis ſuppoſitis interdicto, diuina officia celebrantes, vel ſuſcipientes ordines ſic ligati, nõtam irregularitatis incurrerint, abſolutionis & diſpenſationis beneficium valeant impartiri, niſi adeo fuerit graue, & enormis exceſſus, quod ſint ad Sedem Apoſtolicam merito deſtinandi. Ac ſim. liter conceſsit, quod Fratres quos Generales & Prouinciales Miniſtri, & eorum Vicarij, ac etiam Cuſtodes, in proprios habuerint Confeſſores, poſsint eis abſolutionis, & diſpenſationis beneficium impartiri.* Habetur prædicta conceſſio in Monumentis Ordinis, primę impreſ. fol. 57. & 2. fol. 140. conceſ. 318. & 319. & refertur in Comp. *verbo abſolut. ord. quoad Fratres*, §. 7. Circa quod priuilegium notãdum eſt, quod in eo generalis conceditur facultas, abſoluendi à qualibet excommunicatione, atque ab interdicto & ſuſpenſione à diuinis, & diſpenſandi in omni irregularitate, quod multum oportet memoriæ commendare.

Nota pro ſuſpenſione. atq; interdicto.

Simi-

Similem conceſſionem habent Fratres Prædicatores, præterquam, quod ſua extenditur etiam ad Priores Conuentuales, vt habetur in eiſdem Monument. ſecundæ impreſſion. fol. 236. conceſſion. 548. Idem habetur quoad Carmelitas. Et referuntur hæc priuilegia in Compen. verbo, vbi ſupra, vbi in fine dicit Collector, quod caſus, pro quibus Fratres ad Sedem Apoſtolicam ſunt merito deſtinandi, ſpecificantur à Sixto Quarto, & ponuntur ab ipſo infra, eodem verbo. §. 13. vbi dicit, quod Sixtus Quartus, circa litteras Clement. Quarti, ſupra poſitas, quibus conceſſerat Miniſtris Vicarijs, & Cuſtodibus Fratrum Minorum facultatem abſoluendi, & diſpenſandi Fratres eiuſdem Ordinis, niſi talia perpetraſſent, propter quæ eſſent merito ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi, declarauit, *dumtaxat eſſe ad Sedem Apoſtolicam merito deſtinandos, hæreticos relapſos, ſchiſmaticos, & qui litteras Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, ſed in reliquis omnibus etiam ſimoniæ prauitate irretitis, poſſe per illos, quibus idipſum conceditur, abſolutionis & diſpenſationis beneficium, iuxta caſuum exigentiam impartiri.* Ita habetur in Monument. Ordin. primæ impreſſion. fol. 59. & ſecundæ fol, 143. conceſſion. 345. Circa quam conceſſionem aduertit Collector ea, quæ diximus ſupra quæſt. 7. artic. 3. de reuocatione ſupradicti priuilegij, & omnium ſimilium, per nouum proceſſum Bullæ Cœnæ Domini, quæ quotannis prædicatur, cum noua reſeruatione omnium caſuum, qui in ipſa continentur, quod diximus ad propoſitum de abſolutione ab hęreſis occulto crimine. Præter ſupradictum priuilegium Clement. Quarti olim conceſſum nobis Fratribus Minoribus Prædicatoribus & Carmelitanis, explicatum. & declaratum per ſupradictum Sixtum Quartum, fuit & ad id etiam aliud Leonis Decimi. *Quo conceſſit generalibus ſingulorum Ordinum Mendicantium, & eorum Vicarijs, ac etiam illis, quibus ipſi Generales duxerint ſpecialiter committendum, vt poſſint abſoluere ſuos ſubditos (reſpectiue) ab omnibus & ſingulis caſibus & cenſuris, ſecundum conceſſiones & declarationes Sixti Quarti, & Iulij Secundi, & aliorum Romanorum Pontificum, non obſtantibus reuocationibus, reſtrictionibus, reſeruationibus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nuper in Lateranenſi Concilio, vel alias quomodolibet factis, vel ſi in poſterum fierent.* Habetur hoc priuilegium in Supplement. priuileg. Ordinis, fol. 27. conceſſion. 89. & refertur in Compend. Mendicantium, *verbo, abſolutio ordinaria quoad Fratres.* §. 25. Præter ſupradicta priuilegia, fuit & aliud Martini Quinti, conceſſum viuæ vocis oraculo, Priori Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoletani, *vt in foro conſcientiæ poſſet abſoluere Monachos ab omni excommunicationis ſententia, etiamſi talis eſſet, quam ipſe Summus Pontifex reſeruare conſueuit. Et cum eis ſupra omni irregularitate valeat diſpenſare, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſeruat, in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione, dum tamen aliquid horum trium non ſit notorium & propter ſcandalum.* Refertur hoc priuilegium in Compendio priuileg. *verbo, abſolutio ordinaria quoad Fratres.* §. 40. vbi dicit Collector, quod quamuis prædicta conceſſio, primo facta fuerit ſoli Priori, ſeu Abbati Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoletani, poſtea tamen extenſa ſeu communicata fuit omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monaſteriorum, per priuilegium communicationis eiuſdem Ordinis, quod refertur ab ipſo in eodem Compend. *verbo, communicatio priuilegiorum.* §. 34. quam conceſſionem dicit, ſe ipſum vi diſſe ſub ſigillo authentico, in præfato Conuentu Valliſoletano, & inde ſupradicta fideliter extraxiſſe. Sed aduertit, quod dicta conceſſio, non etiam ſe extendit ad caſus, & cenſuras, qui in Bulla Cœnę continentur, propter rationem ſuperius dictam, & à ſe poſitam in eodem loco. §. 13. Circa quam Collectoris ſententiam, & opinionem, & circa prædicta priuilegia, ſpecialiter pro Religioſis conceſſa, quibus Religionum Prælati abſoluere poterant ſibi ſubditos, etiam à caſibus Papæ, ac Summo Pontifici reſeruatis, quin vero & contentis in Bulla Cœnę Domini, exceptis ſupradictis, An cenſeantur, atque cenſeri debeant reuocata, & annullata, per annualem publicationem prædictæ Bullæ, aut verò per generalem priuilegiorum quoruncumque reuocationem, factam à Clemente Octauo, de qua plura diximus ſupra, in primo Tomo quæſt. 46. articul. 2. nihil ſeſe offert in præſentiarum dicendum de nouo præter ea, quæ ibidem dicta ſunt, & in artic. 3. 4. & 5. vbi hac de re latiſſime egimus. Videatur etiam in hoc Tomo quæſt. 7. articul. 3. vbi concludendo diximus, nolle nos iudicis officium hac in re agere, & quod aliorum ſit iudicium, ſeu potius conſulatur Sanctiſſimus D. N. & Illuſtriſſimi Cardinales, & hactenus de iſto Articulo, & tota quæſtione.

QVAE-

QVAESTIO. X.

De alijs ſpectantibus ad iuriſdictionem, auctoritatem, & poteſtatem ſupradicti Generalis Miniſtri, in ſibi ſubditos, & obedientiam illi debitam, & ad depoſitionem ipſius cum deliquerit, ſeu viſum fuerit non expedire, & ſubrogatione alterius, in ſeptem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Fratres Minores, ſpeciali ratione, atque ſtrictiori obligatione, quam alijs quibuſcumque Prælatis, Generali Miniſtro teneantur obedire?

Concluſio.

Obedientia Generalis Miniſtri, noſtri ordinis Minorũ ſtrictior eſt & maiori vinculo obligat, quã aliorum quorũcumq; Prælatorum.

OBedientia Generalis Miniſtri, in noſtro ſacro minorum Ordine arctior eſt, atque maiori & ſtrictiori vinculo obligat, quam aliorum Prelatorum quorumcumque. Hæc Concluſio eſt expreſſa Cordubæ, in expoſitione noſtræ Regulæ, capit. 8. quæſt. 1. vbi verſans illa verba, qua vniuerſi Fratres præcipiuntur, vnum de Fratribus iſtius Religionis ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius fraternitatis, & quod ei teneantur firmiter obedire; dicit hoc eſſe quammaxime obligatorium ex vi regulæ, quamuis non computetur inter alia obligatoria ipſius, vt diſtinctum ab alijs, pro eo quod includitur in alio præcepto obligatorio, poſito in eadem regula capit. 10. quo cunctis ſubditis firmiter præcipitur, vt obediant ſuis Miniſtris, in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ & regulę noſtrę. Dicit verò quod nihilominus fit ibi mentio de prædicta obedientia Generalis Miniſtri, repeturque hoc præceptum iterum atque iterum in dicta Regula, vt fieret liquidum, obediendum eſſe eidem fortius, ac firmius, quam cæteris alijs Prælatis Ordinis, tanquam ſummo totius noſtrę Religionis capiti. Verba ſunt expreſſa ſupradicti Patris Cordubę. Quæ autem ſint illa in quibus Fratres ſubditi, prædicto Generali Miniſtro, ac alijs Religionum Prælatis teneantur obedire, ſatis colligitur, atque explicatur, per illa verba, quibus dicitur, quod generaliter in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ & regulæ noſtræ. Circa quæ verba, ac debitam Prælatorum obedientiam multa forent dicenda, niſi ea de re in præcedenti Tom. quæſt. 26. longiſſimum habuiſſemus ſermonem, agendo de Religioſis profeſſis, quantum attinet ad obedientię votum, & obligationem ſtrictiſſimam, quæ ex huiuſmodi voti profeſſione reſultat. Vbi per duo decim continuos Articulos, latiſſime egimus de dignitate & excellentia obedientiæ, & in particulari de omnibus, in quibus ſubditi tenentur, aut non tenentur, ſuis Prælatis & Superioribus obedire, in his quæ ſunt iuxta regulam, aut verò ſupra ipſam, vbi etiam explicauimus, quænam præcepta dicantur eſſe contraria animæ & regulę noſtræ, & alia quæ ad hoc propoſitum ſpectant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Generalis Miniſter, per ſeipſum & ſine conſilio Patrum, & Prælatorum Ordinis, ſtatuta ſeu Conſtitutiones aliquas poſsint efficere?

Prima Concluſio.

Generalis Miniſter, per ſe ipſum & ſine conſenſu Generalis, aut Prouincialis Capituli, non poteſt ſtatuta ſiue Conſtitutiones condere, quæ vim legis habeãt.

PRohibitum eſt Generali Miniſtro in noſtro ſacro Minorum Ordine, vt ſine conſenſu Generalis, aut Prouincialis Capituli, per ſeipſum ſtatuta, ſiue Conſtitutiones aliquas poſſit efficere, quæ vim legum habeant, aut in poſterum cæteros obligare poſſint. Hęc concluſio habetur expreſſa in noſtris Generalibus conſtitutionibus Toletanis, ſeu Barchinonenſibus Toleti reformatis, c. 8. §. de conſtitutionibus, vbi hoc expreſſe habetur, & vt res certa, & indubitata ibidẽ declaratur. Dicitur tamen, quod poterit Generalis Miniſter in toto ordine & Prouincialis in ſua Prouincia, ſiue diſtrictu, ſi ſibi opus viſum fuerit, aliqua præcepta ponere, quæ vim & robur habebunt obligandi, pro tempore ipſa ſtatuentis. Conſulitur autem, vt idipſum non paſſim fiat, & vt caueant Prælati in Capitulis à multiplici legum conſtitutione, & à ni-

à nimia præceptorum & cenſuratum impoſitione, vt non multiplicitas contemptum pariat, & vt euitetur imminens periculum tranſgreſſionis, & obliuionis ipſorum. Sed aduerto quod conſtitutiones prædictæ, ſi quæ à Generali Miniſtro per ſe ipſum, & ſine conſenſu Generalis Capituli, aliquando fierent, ſeu à Miniſtro Prouinciali, ſine cõſenſu ſui Prouincialis Capituli, non dicentur leges aut ſtatuta, nec legum, aut ſtatutorum vim & robur habebunt, ſed præceptorum dumtaxat, ac particularium quorundam conſtitutionum, ſiue mandatorum: inter quæ & illa hoc verſatur differi minis, quod ſtatuta rite, ac recte ſemel edita, & approbata fixa ſunt, firma, & permanentia, obligantque in poſterum ſucceſſores, etiam poſt mortem prædictorum Prælatorum Generalium, ſiue Prouincialium, ad ipſorum obſeruantiam, & executionem; at verò mandata & præcepta prædicta, ſtatim expirant poſt mortem illa facientium, & terminationem ſuorum officiorum.

Nota q̃ Gener. Miniſter poteſt facere aliqua mãdata, quæ pro ſuo tempore obligent, idẽque facere poteſt Miniſter Prouincialis, in ſua Prouincia, non vero ſtatuta.

Secunda Concluſio.

Etiã ſupradicta mandata à Generali, ſiue Prouincialibus Miniſtris, fieri nõ debẽt ſine aliquorum Patrum cõſilio.

ETiam ſupradicta præcepta, & mandata, Generalis Miniſter efficere non debet, ſine conſilio ſaltim aliquorum Patrum, præſertim in caſu, quo præcipienda ſunt, aliqua ardua & difficilia. Hæc concluſio eſt etiam certa, & multum iuri communi, & rationi naturali conſona, quę & probari poteſt ex multis iuribus. Sed probatur in primis, exẽplo Dei Opt. Max. qui quantumuis ſupremus ſit Iudex, abſolutus, atq; independens ab aliquo, in cunctis ſuis operibus & conſilijs, quo tamen omnia iuxta Sapientis dictum, *Sapient. 8.* congrue & ſuauiter, immenſa ſua ſapientia diſponat, quidquid in rebus ordinario modo operatur, nõniſi per cauſas ſecundas, & cum ipſarum miniſterio id ipſum efficit, tamquam per inſtrumẽta quædam, quibus quaſi vlr adiuuari. Quo fit, vt omnia perfectiſſime, ac prudentiſſime attingat, vt dicitur, ibidem a fine vſque ad finem fortiter. Quem quidem in omnibus, ſed in hoc quammaxime, Generalis Miniſter, & Religionum Prælati cuncti debent ſequi & imitari, omnino nihil ſtatuentes, ſine alioquorum Patrum conſilio, quorum opera & induſtria in ſuis adminiſtrationibus adiuuentur. Facit etiam ad hoc, quod dixit olim Salomon, Prouerb. 24. *quod ibi eſt ſalus, vbi multa conſilia.* Id quod & Chriſtus Dominus in Euangelio ſuo exemplo ſuo nos docuit, qui cum ſapientia eſſet plenus quinuero & ipſa ſapientia Dei Patris, à ſuis etiam proprijs diſcipulis interdum conſilium accepit ſiue expoſtulauit, vt habetur Ioannis cap. 6. & in multis alijs locis, quo certe facto, de petendo, atque expoſtulando conſilio, maxime in rebus arduis, & difficillimis, qualis fuit ſaturatio quinque milliũ hominum, quamuis alias ipſe ſciret, quid eſſet facturus mirificum Prælatis cunctis tradidit exemplum. Sed prẽterea probatur & confirmatur ſupradicta concluſio, exẽplo omniũ fere Sũmorũ Pontificũ, qui ſemper ſed maxime in rebus arduis, & difficillimis nihil omnino ſine conſilio operantur, ordinant, ſiue ſtatuunt, vt facile videre licebit in eorum Conſtitutionibus, in quibus fere ſemper ſequentia reperiuntur verba, *de conſilio Fratrum noſtrorũ Cardinalium*, &c. Exemplum quidem magnũ, atque mirabile, à cunctis tam Prælatis quam Iudicibus, & Superioribus, vtcumque grandibus imitandum. Debent prẽterea ſtudere ſummopere omnes Prælati Generales & Superiores, in efficiendis, & multiplicandis conſtitutionibus, vt nõ ſint nimium faciles, aut in idipſum procliues, ſed omne ipſorum ſtudium verſetur, in procurando, vt quæ ſemel rectè ordinata, atque ſtatuta ſunt, inuiolabiliter obſeruentur & executioni tradantur, exemplo eorumdem Summorum Pontificum, quorum vſus ordinarię poteſtatis, nihil omnino aliud eſſe videtur, quam modis omnibus curare, vt re & opere ſeruentur, quæ ſemel ſacri Canones, aliorumque Pontificum decreta, & iuris conſtitutiones, determinarunt, & declararunt, vt habetur, *in c. cum dilecti, de dolo, & contumacia, & in c. cũ nobis olim, in fin. de electione.* Quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Generalis Miniſter, per ſe ipſum ſolum, ſtatuta in Capitulis Generalibus ſemel facta, poſſit immutare, aut derogare?

Prima Concluſio.

Generalis Miniſter non poteſt ſtatuta generalia immutare, quæ Auctoritate Apoſtolica ſunt facta, neq; in ipſis diſpenſare ſine Papæ licẽtia ſpeciali.

OQuando de ſtatutis generalibus, in quibus continentur conſtitutiones Apoſtolicæ, ſeu Apoſtolica auctoritate factę, ſine eiuſdem Sedis Apoſtolicę ſpeciali licentia, Generalis Miniſter in ipſis nõ poteſt diſpẽſare, ſeu illa vllo modo immutare. Hæc Concluſio habetur expreſſa in noſtris conſtitutionibus generalibus Toletanis cap. 8. §. de diſpenſatione earumdem conſtitutionum, quæ Deciſio & conſtitutio, nimium eſt iuri conſona, & decretis ſacroſancti Conc. Trid. quod nuperrime, *ſeſſ. 25. c. 18.* hac de re agendo, decreuit, & ſtatuit, *quod ſacri Canones, exactè & indiſtinctè ab omnibus obſeruentur, quodq; ſi quando vrgens neceſſitas, iuſta ratio & maior quandoq; vtilitas expoſtulauerint, vt in aliquo caſu cum aliquibus diſpenſetur, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate fiat per illos, ad quos diſpenſatio pertinebit, aliterque facta diſpenſatio ſubrepticia cenſeatur.* Eadem prorſus verba apponuntur in noſtris generalibus cõſtitutionibus, loco ſupracitato, vbi hoc ipſum ſtrictè cauetur.

Secunda Concluſio.

In alijs cõſtitutionibus & Religionis ſtatutis, poteſt generalis Miniſter diſpenſare, ſed id fieri nõ debet, niſi in ſcriptis, & de conſilio Pa-

INcæteris Conſtitutionibus, quæ præciſe à Religione ſunt conditæ, Generalis Miniſter diſpẽſare poteſt, ſed id facere prohibetur, niſi in ſcriptis, & cum conſilio Diſcretorum Patrum Prouinciæ alicuius. Hæc etiam concluſio habetur expreſſa in dictis Conſtitutionibus, loco ſupracitato, vbi & additur, quod prædicta diſpenſatio non ſuum ſortiatur effectum, quouſque fuerit ſubſcripta & ſigillo autentico munita, & quod aliter facta nullius ſit effectus, roboris, atque momenti. Circa quam concluſionem eſt notandum, vt aduertit Corduba, in expoſitione noſtræ Regulæ,

trũ, ſiue Diſcretorum alicuius Prouinciæ.

gulæ, cap. 8. quæſt. 3. quod ſecundum quatuor Magiſtrorum & Hugonis, & aliorum expoſitionem, id quod de conſenſu Superiorum, nempe Vocaliũ & inferiorũ per compromiſſum, in Capitulo Generali noſtri ordinis generaliter fuerit ordinatum, & maxime ſi fuerit per Papam approbatum, & tãgens ad Regulæ noſtræ puritatem, ſeu in quo fit ordinatio aut limitatio poteſtatis Miniſtri generalis nullomodo poteſt infirmari, aut immutari, per eũdem Generalem Miniſtrum, ſine aſſenſu, & conſenſu Capituli generalis ſeu maioris partis. Quod etiam expreſſe habetur in alia noſtræ Regulæ expoſitione, quæ dicitur, Serena conſcientia quæſt. 90. & in Conſtitutionibus Martini V. & in alia expoſitione, quæ communiter circumfertur, ſine titulo. Cui ſentent. adhęret prædictus Pater Corduba, & dicit eſſe verum tunc, vel maxime, quando conſtat, quod talium ſtatutorum mutatio, non eſt relicta arbitrio ſupradicti Generalis Miniſtri, ſine præfato aſſenſu & conſenſu Capituli generalis, quod & aſſerit noſtrę Regulæ quam maxime eſſe conſentaneum. Nam ex quo Regula ponit abſolutionem Generalis Miniſtri in iudicio & poteſtate Capituli generalis, iuxta ea, quæ inferius ſunt dicenda, & expreſſe continentur in dicto capit. 8. manifeſte (inquit) ſequitur, quod Regula præponit generale Capitulum Generali Miniſtro, ac proinde quod plus tenemur obedire Capitulo generali & ſtatutis ab ipſo factis, quam prędicto Generali. Hæc prædictus Pater Corduba, & idem dicit expoſitio ſine titulo. Vnde in tabula 5. Miniſtri Generalis habetur, quod poteſtas ipſius & cæterorum Prælatorum, poteſt per Capitulum generale coarctari, id quod & eſſe rationi conſonum patet ex dictis, & ex quotidiana practica generaliũ Capitulorum ſatis comprobatur.

Nota hoc vel de, qualiter poteſtas generalis Miniſtri poteſt per Capitulũ generale limitari, & coarctari.

Tertia Concluſio.

In caſu ſpeciali, & iuſta exiſtẽte, & rationabili cauſa, licitũ eſt Generali Miniſtro, cũ conſilio Diſcretorũ Prouinciæ pœnas in noſtris ſtatutis generalibus poſitas commutare, aut etiam mitigare.

IN aliquo caſu ſpeciali, & iuſta exiſtente rationabili cauſa, licitum eſt generali Miniſtro, cum conſilio Diſcretorum Prouincię, pœnas in noſtris ſtatutis generalibus poſitas commutare, aut etiã mitigare. Hæc concluſio habetur etiam in dictis Conſtitutionibus in fine. Vbi additur, quod ſi ex eorum remiſſione ſoluatur ordinis diſciplina, accuſentur Prę lati Generales, poterunt que ea de re conuenire in Capitulo generali. Additur etiam, quod ſi quos ipſi Prælati Generales inuenerint Fratres diſcolos & contumaces, poterunt eoſdem grauioribus pœnis cogere, quam ſint in noſtris generalibus Conſtitutionibus conſtitutæ, cum cõſilio aliquorum Diſcretorum Patrum Prouinciæ, id quod & nimis iuridicum eſt, ac rationi conſonum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Generalis Miniſter, ex officio teneatur totum Ordinem viſitare?

DIfficultas præſentis Articuli, in duplici ſenſu poteſt intelligi, ſiue inueſtigari. Primo, An teneatur ad prædictam viſitationẽ faciendam, ex vi noſtræ Regulæ, per illa verba, quæ ponuntur in ipſa, cap. 10. quibus dicitur *quod Fratres, qui ſunt miniſtri, & ſerui aliorum Fratrum, viſitẽt, & moneant Fratres ſuos, humiliter & charitatiue corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram.* Secundo, an ſaltem teneantur ad id, ex iure diuino & naturali, qua ratione ſunt Paſtores & Prælati, aſtringũturque proinde ſuas oues viſitare? Circa primum prima concluſio ſtatuitur.

Prima Concluſio.

Generalis Miniſter noſtri Ordinis, ex officio ſuo & ex vi noſtræ Regulæ, nõ tenetur ex præcepto, totũ Ordinem viſitare, ſeu aliquã ipſius partẽ, ſed tantũmodo de conſilio.

GEneralis Miniſter ex officio ſuo, atque ex vi noſtræ Regulę, non tenetur ex præcepto totũ ordinem viſitare, nec vero aliquam ipſius partem, niſi tantum ex conſilio. Hanc concluſionem tenet expreſſe Corduba ſuper cap. 10. noſtrę Regulæ, quæſt. 1. & eandem ſententiam tenet Diuus Bonauentura, qui explicando ſupradicta noſtræ Regulæ verba, *Fratres qui ſunt Miniſtri, &c.* dicit, quod loquitur, ibi ſpecialiter cum Miniſtris Prouincialibus. Quinuero addit, quod nec ipſis ex vi Regulæ id eſt obligatorium, ſed ſolummodo admonitio quædam, vt conſtat ex declaratione Clementis V. *in clement. exiui de paradiſo, de verborum ſignificat. articul. 2.* vbi referendo præcepta obligatoria noſtræ Regulæ, hoc viſitationis miniſterium, non inter alia computauit, ſiue enumerauit, ſed inter conſilia & admonitiones, quæ ex vi prædictæ Regulæ cadunt ſub conſilio, non verò obligant ſub mortali. Sed quamuis ex vi Regulæ hoc non ſit ſpecialiter obligatorium, prędicto Generali Miniſtro, nec vero Prouincialibus, eſt tamen id ex alio capite, nempe ex iure naturali, & diuino, quo cuncti Prælati tenentur, & Paſtores, proprias oues viſitare. De quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Generalis Miniſter & omnes Prælati, inquãtũ ſunt Prælati, atq; Paſtores, oues ſuas tenentur viſitare.

GEneralis Miniſter, ſimiliter & Prouinciales, qua ratione ſunt Prælati & Paſtores, tenentur pro ſuo poſſe, ſibi ſubditos viſitare, emendare, & dum opus fuerit, corrigere. Hæc concluſio eſt ſupradicti Cordubæ, & communis omnium Doctorum ſententia, nam iure naturali, & diuino, omnes Paſtores tenentur agnoſcere vultum pecoris ſui, & curare, ac prouidere ea, quę ſunt de ratione ſui officij, maxime quibus animarum cura eſt annexa iuxta illud Salomonis, Prouerb. 27. *Diligẽter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Quade re videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. artic. 2. & Caietanus ibidem, Adrianus etiã in 4. de correctione fraterna, & Gabriel ſuper Canon. lect. 74 & Sylueſter, *tit. correctio*, & latius, *tit. inquiſitio*, *per totum* Per quas ſupradictas concluſiones poſſunt ad concordiam reduci aliqui noſtræ Regulæ expoſitores, dicentibus quibuſdam hoc eſſe obligatorium Prælatis, negantibus vero alijs: concordari, inquam, poſſunt dicendo, id quidem, non eſſe obligatorium ex vi Regulæ per ſupradicta, eſſe tamen obligatorium de iure naturali, & diuino, quo generaliter tenentur omnes in vniuerſum Prælati & Paſtores, oues ſuas viſitare, & vultum pecoris ſui agnoſcere & maxime per illa verba, quæ dixit Chriſtus Dominus olim, D. Petro, Lucæ 22. ſub eius nomine cunctos alloquens in vniuerſum

Præ-

Prælatos, *Paſce oues meas.* Et alibi: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quæ quidem verba ad omnes Prælatos animarum curam habentes, merito referuntur. Id quoque etiam poſitiuo Eccleſiaſtico eſt cautum, ac ſummopere commendatum, in Concilio Tridentino ſeſſion. 25. de de Regularib. capit. 8. & 20. vbi ſequentia poſiuntur verba. *Omnes Religionum ſuperiores qui Epiſcopis non ſubduntur, ex officio viſitent inferiora Monaſteria.* Et de ordinarijs Prælatis loquendo; quales ſunt Prouinciales, prædixerat ſeſſion. 7. capite octauo. *Vt ſua Monaſteria ſingulis annis viſitare teneantur.* Generalis vero Miniſter noſtri ſacri ordinis, ſat erit ſi totum Ordinem in ſuo ſexennio viſitauerit, & hoc eſt quod in noſtris generalibus Conſtitutionibus, *capite ſexto. de correctione delinquentium. §. de viſitatione*, mirum in modum eiſdem commendatur, vt id faciat quantum commode fieri poſſit, & vt intereſſe conentur, in omnibus capitulis Prouincialibus. Hac de re & circa formam ſeruandam in dicta viſitatione multa forent dicenda, quæ ſciens & prudens in præſentiarum omitto; cum ſatis explicata iam ſint, in noſtro libro Ordinis iudiciarij, & de modo procedendi in cauſis criminalibus, tam in foro Eccleſiaſtico quam ſeculari agitandis: quo lectorem remitto.

ARTICVLVS V.

De conditionibus, & qualitatibus Generalis Miniſtri.

Am ſupra quæſtion. 4. & 5. per plures Articulos latiſſime egimus, de conditionibus & qualitatibus morum, ſcientiæ, bonitatis, & prudentiæ, atque alijs, quas oportet habere omnes in vniuerſum Religionum Prælatos in communi, ſed tamen, quia, vt legitur in noſtris Chronicis. 1. part. lib. 2. capi. 13. Seraphicus Pater noſter Franciſcus, iamiam morti proximus ac prope diem ex hoc mundo diſceſſurus, in particulari circa conditiones & qualitates prædicti Generalis Miniſtri, profuſis lachrymis & neque ſine crebris, ac magnis ſuſpirijs nonnulla dixit, quammaxime notatu digniſſima, & de futuro ſibi ſucceſſore, qui eiuſdem locum teneret, ſpecialem habuit ſermonem, qua de re ibidem extructum eſt peculiare Capitulum, non incongruum viſum fuit illud ſummatim complectendo, aliqua in præſentiarum dicere, circa ſupradictas Generalis Miniſtri qualitates & conditiones, quas beatiſſimus, atque Seraphicus Pater noſter Franciſcus, quammaxime deſiderabat. Quæ in eiſdem quidem omnes, ſatis colliguntur, ex ſpecialibus nominibus, quibus ſupradictus Generalis Miniſter, in Regula noſtra nominatur, appellatur, atque inſignitur, de quibus ſit Concluſio.

Concluſio.

De cõditionibus & qualitatibus, quas

QValitates & conditiones, quas Seraphicus noſter Pater Franciſcus, ſpecialiter in Generali Miniſtro, & cunctis ſui Ordinis & religionis Prælatis deſiderabat, facile ex ipſius Regula, & ex nominibus ibidem, eiſdem traditis licebit colligere. In primis conſideranda ſunt & quammaxima animaduerſione digna, duo illa nomina, *Serui, & Miniſtri*, quibus Beatiſſimus noſter Pater, c. 8. de ſupradicto Generali Miniſtro verba faciens, eundem inſigniuit, quando dixit: *Vniuerſi Fratres, vnum de Fratribus iſtius Religionis, teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.* Quæ verba tractans, atque explicans Seraphicus Pater noſter Bonauẽtura: multum ea extollit, nimiumq; ponderat, nõ fuiſſe vſum ſanctiſſimum noſtrum Patrem Franciſcũ, in omni ſua Regula, Prælati nomine, aut illud vnquam ſibi in mentem veniſſe, ſed duntaxat Serui & Miniſtri, quod fecit (inquit) ad expellendã, ac penitus relegandã à ſua Religione omnem extollentiam, & arrogantiam, & vt ſciret aduerteretq; quammaxime ſanctæ huius Religionis Generalis Miniſter, vtcũq; grandis, ſummus, atq; ſupremus & Generalis licet ſit, non ſe eſſe ſuæ Religionis, ſiue ſuorum ſubditorum dominum, quin vero è contra Miniſtrum & ſeruum, debereq; proinde omnibus Fratribus ſibi ſubiectis ex animo ſeruire & miniſtrare quãmaxima humilitate, relegata procul, omni extollentia, ſuperbia & iactãtia, inſtar Chriſti Domini, qui de ſe ipſo in Euangelio dixit, Mat. 20. & Lucæ 22. quod non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. *Quis* (inquit) *maior eſt in vobis, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Hoc dixit Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis, atq; Diſcipulis, poſt quæ verba ſubdit: *Principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt & poteſtatem habent ſuper eos benefici vocãtur, vos autem non ſic, ſed quicumq; voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe erit veſter ſeruus, ſicut Filius hominis, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animã ſuam in redẽptionẽ pro multis.* Verba quidẽ ſunt iſta notatu digniſſima. Ex quibus ſecũdũ omnes Regũlę noſtræ expoſitores, Seraphicus noſter P. deprompſit ſupradicta nomina, Serui, & Miniſtri, quibus in eadem Generalem Miniſtrum inſigniuit, & generaliter omnia alia, quibus in ſua Regula fuit vſus, ex Euangelio ſunt deſumpta. Atq; ita oportet ſummopere, prædictum Generalem Miniſtrum, ea memoria retinere, ac plane reminiſci, iuxta ſuperius dicta, nõ ſe quidem ſuorum ſubditorum Dominum, ſed miniſtrum ac ſeruum huius totius Fraternitatis: ita vt ſicut dicit Diuus Bonau. loco ſupra citato, qui antea dum erat ſubditus, obediebat tantũ vni, aut alteri, electus iam in generalem Miniſtrum, ſciat ſe obedire debere Fratrũ omnibus neceſſitatibus, tantaq; modeſtia, affabilitate, charitate, atq; ſi ita loqui decet, familiaritate, omnes ſibi ſubditos tractare, vt non ipſe Prælatus, ſed omniũ ſubditus, & ſeruus omnino eſſe videatur, cum ſit alias omniũ ampliſſimus, digniſſimus, atq; reuerendiſſimus Pater. Quã hoc totis præcordijs Seraphicus noſter Pater ardenter deſiderauerit, facilẽ etiam licebit colligere ex alijs verbis, quæ habentur in eadem Regula capite decimo: vbi poſtquam dicitur, quod *vbicumque ſunt & ſe inuenerint Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare, ad ſuos Miniſtros debeant, & poſſint re-*

Seraphicus noſter Pater Frãciſcus, deſiderabat in Generali Miniſtro.

currere ſubdit, Miniſtri verò charitatiue & benigne eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, vt dicere poſſint eis & facere ſicut Domini ſeruis ſuis. Nam ita debet eſſe, quod miniſtri ſint ſerui omnium Fratrum. Hæc de ſupradictis nominibus, ſerui & Miniſtri dicta ſufficiant. Dicamus modo aliquid, de Cuſtodis nomine, quo etiam interdum in eadem Regula Generalis Miniſter inſignitur.

Deſiderabat præterea Beatiſſimus Pater noſter, in Generali Miniſtro, & cunctis ſuæ Religionis Prælatis ſeu potius Miniſtris, ſummam in proprio ouili cuſtodiendo vigilantiã & diligẽtiã, ad quod ſignificandum, in eadem Regula ſæpiſſime vſus eſt, Cuſtodis, ſiue Cuſtodum nomine. Quod quidẽ nomen (vt inquit Seraphicus Pater noſter D. Bonauent.) eſt Angelorũ propriũ & dicit actum, nõ gradũ, ſicut & nomẽ Seraphim in ſacra pagina, innuit ardentis dilectionis & amoris, in eiſdem Angelis actum & non gradum ſiue ordinem. Eſt igitur officium & obligatio Cuſtodis ſiue cuſtodum, & eorum omnium, qui tali inſigniuntur nomine, ſemper inuigilare, & ſi opus fuerit, nunquam dormire, ita vt iure optimo Generali Miniſtro, & Prouincialibus noſtri ſacri Ordinis applicari illud poſſit, quod ad ſimile propoſitum dixit olim Eſaias cap. 21. *Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? &c.* & additur ibi: *Reſpondebitque cuſtos, venit mane, & venit nox, ſi quæritis, quærite, conuertimini & venite.* Ac ſi expreſſius diceret, quod ex eo vigilat ac quieſcere non valet, quia vigilare ex officio ſibi competit, cum ſit cuſtos Dominici greges, & cunctis dicere, quod venit mane, ideſt tempus bene operandi, & benefaciendi venitque iterum nox, ideſt tẽpus rationem reddendi, quo nemo poterit operari, & ea propter, ſi quæritis quærite conuertimini & venite. Omnia iſta myſterijs ſunt plena, & quamplurima animaduerſione digna in ſacra noſtra Regula. Hanc itaque ob cauſam omnes promiſcue huius noſtræ Seraphicæ Religionis Prælati, tam Generales quàm Prouinciales, etiam locales (quales ſunt Guardiani) dicuntur & nuncupantur Cuſtodes, propter eorum vigilantiam maximam, quam ſanctiſſimus Pater noſter Frãciſcus, in ipſis tantopere deſiderabat, quam etiam eoſdẽ habere oportet, ſuper commiſſum ſibi gregẽ, iuxta præſcriptum Diui Pauli ad Hebræos 13. quaſi rationem reddituros de animabus ſibi commiſſis.

Voluit præterea Seraphicus noſter Pater (vt huic rei iam finem faciamus, ac paucis dicamus, & comprehendamus, quæ multis forent dicenda, neque quidem ſufficerent) noſtri ſacri Ordinis Generalem Miniſtrum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum modeſtum, moderatum & caſtum, non vinolentum, non percuſſorem, non litigioſum, ſed hoſpitalem, benignum, non cupidum, ſed domui, ſiue Religioni bene præpoſitum, teſtimonium habentem bonum, ab his qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli, vt etiam non vituperetur eius miniſterium. Inſuper & eſſe Doctorem habentem & amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens eſſet exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicũt arguere. Supradicta omnia ſummatim deſumpta ſunt ex ſupradicto capitulo, de conditionibus in Generali Miniſtro requiſitis, quod habetur in noſtris Chronicis, & originaliter ſunt deprompta, ex doctrina Diui Pauli in epiſtola prima ad Timotheum, cap. 3. & ad Titum cap. 1. A quorum omnium ampliori tractatione, in præſentiarum ſuper ſedeo, quia nõ ideſt præſentis ſpeculationis, & vt non multũ excreſcat hic noſter liber. Tandem tot ac tãta ſunt, quæ deſiderabat Seraphicus Pater, ac neceſſaria eſſe dicebat in generali Miniſtro, vt proprio ſuo poſſet incumbere officio & muneri, vt vix crederet ac difficulter diceret, in ſuo ordine inueniri poſſe quempiam, qui ijs conditionibus & qualitatibus, ac virtutum inſignibus, ad id muneris neceſſarijs præfulgeret, eſſetque inſignitus, quod ſæpiſſime iterum atque iterum dicebat, non quidem ſine magnis ſuſpirijs, & crebis lachrymarum imbribus. Quamuis tamen hoc ita ſit, vixque inueniri ac reperiri poſſit, qui ad vnguem ſatisfaceret votis & deſiderijs tanti viri, atque ſanctiſſimi Patris, multi nihilominus in noſtro ſacro Ordine diuerſis temporibus inuenti ſunt Generales Miniſtri, grauiſſimi, ſanctiſſimi, & religioſiſſimi, neq; deſperandum eſt, Dei optimi maximi opitulante gratia, quod eisdem ſimiles reperiantur in dies. Quæ hac de re dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS VI.

De depoſitione, ſiue priuatione Generalis Miniſtri, cum deliquerit, aut non conueniens viſus fuerit, pro noſtri ſacri Ordinis regimine.

PRouidentiſſimus noſter Pater Franciſcus, videns ex præſcripto ſuæ Regulæ, perpetuum eſſe Generalem Miniſtrum, neque, niſi ex cauſa ipſum eſſe remouendum, alterumve eligendum, niſi forſan propter eiuſdem ad maiora officia & munera, electionem & promotionem, aut per obitum ſiue deceſſum, vt omnia in ſua Regula neceſſaria, ſapientiſſime atque prudentiſſime prouiſa, & conſtituta remanerent, cunctis Fratribus præceptum indixit, & formam ſeruandam præſcripſit, circa ipſius depoſitionem, & priuationem quando deliquerit, & appareret vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium & Cuſtodum, eundem non eſſe ſufficientem ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum. Qua quidem de re in iſto Articulo tractandum eſt, atque inueſtigandum, ad quoſnam pertineat ſupradicta priuatio, ſiue depoſitio? & quænam cauſæ ad id ſint ſufficientes, & neceſſario requiſitæ? Quibus omnibus per ordinem, fiet ſatis per ſequentes concluſiones.

(1)

Prima

Prima Concluſio.

Priuatio ſiue depoſitio Generalis Miniſtri ex vi noſtræ Regulæ, ſpectat ad Vniuerſitatem Miniſtrorũ Prouincialium & Cuſtodum, in capitulo generali congregãdorum.

PRiuatio ſiue depoſitio ſupradicti Generalis Miniſtri, ex vi noſtræ Regulæ, ſpectat ad vniuerſitatem Miniſtrorum Prouincialium & Cuſtodum in capitulo generali congregatorum. Hæc concluſio habetur expreſſa in cap. 8. eiuſdem Regulæ, vbi poſt alia, ſequentia ponuntur verba: *Et ſi aliquo tempore, appareret Vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem, ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem.* Quę verba, dum tenẽtur dicit, iuxta explicationem Clementis, V. *in clementina, exiui de paradiſo, art.* 2. præceptum indicant, ſuntque præcepti vim habentia, & ſub mortali obligant ſupradictos Prouinciales Miniſtros & Cuſtodes, quibus ex præſcripto eiuſdem Regulæ, electio data eſt. Quæ quidem electio ſeu vero depoſitio, fieri non poteſt niſi in generali Capitulo, infeſto Pentecoſtes, in quo ſupradicti Prouinciales Miniſtri, & Cuſtodes (vt ibidem dicitur) tenentur ſemper inſimul conuenire, vbicumque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum. Quod quidem præceptum quammaxime iuridicum eſt, aciuri & rationi conſonum. Nam ſecundum ius, per quaſcumq; cauſas vnaquæque res naſcitur, per eaſdem diſſoluatur neceſſe eſt, ſicque ad eoſdem pertinere debet, abſoluere ſiue deponere Generalem Miniſtrum, ad quos ſecundum Regulam, eiuſdem etiam pertinet electio; nec depoſitio fieri poteſt aut debet, niſi in Capitulo generali celebrato in feſto Pentecoſtes, vbi etiam & dicta electio facienda eſt. Videãtur hac de re, quæ latiſſime dicit Corduba, ſuper dictum cap. 8. noſtræ Regulę, quæſt. 2. in 1. puncto, & quæſt. 1. puncto 3. vbi & ad hoc propoſitum, ait, quod in caſu quo dictus Generalis Miniſter diſcedat ſeu promoueatur, alterius electio, non ſtatim fieri debet, niſi in Capitulo generali, conſtituto & aſſignato in feſto Pentecoſtes. Sed de hoc dicemus ſtatim, in Articulo ſequenti.

Circa vero cauſas priuationis, ſeu depoſitionis ſupradicti Generalis Miniſtri, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

De cauſis depoſitionis, ſeu priuationis, Generalis Miniſtri.

CAuſæ depoſitionis, ſeu priuationis Generalis Miniſtri, ad duo capita reducuntur, nempe ad inſufficientiam, aut ſi videatur minus conueniens ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum. Hæc concluſio ſatis colligitur, ex verbis ſupradictis, appoſitis in cadẽ Regula. Et quidẽ inſufficiẽs Generalis Miniſter eſſe dicetur, quotieſcumque in eiuſdem perſona, aliqua notabilis inſufficientia fuerit reperta, vtputa ratione infirmitatis ſeu alterius impotentiæ, propter quam non poſſet cõmode exercere ſuum munus & officium, neque debite intereſſe, quibus tenetur, aut viſitare perſonaliter, quæ viſitanda ſunt. Hæc eſt prima cauſa depoſitionis eiuſdem. Sed ſecunda inſufficiens eſſe iudicaretur, quando prædictus Miniſter non videretur aptus, aut conueniens, ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum, vtpote ſi eſſet (quod abſit) notorius Regulæ, aut iuris diuini ſeu Apoſtolicarum Conſtitutionum tranſgreſſor, vel notorie criminoſus, ſeu ſcandaloſus, aut ſi eſſet oneroſus & grauis nimis Fratribus in expenſis ſuperfluis, & tandem ſi careret aliis conditionibus neceſſario requiſitis, de quibus videndus eſt latiſſime ſupradictus Corduba, loco ſupra citato, quæſt. 2. ſecundo puncto, & Serena conſcientia, quęſt. 93.

Sed circa ſufficientiam ſuptadictarum cauſarum & quibus conueniat examinatio, deciſio & determinatio, de inſufficientia prædicti Generalis Miniſtri, & quinam hac de re diffinitiuum ferre poſſint iudicium, fuit olim inter Patres Ordinis nonnulla differentia, fundata in illis verbis: *Et ſi aliquo tempore appareret Vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum &c.* quid namque eſſet intelligendum per hæc verba. Quidam enim dicebant, eſſe ad id neceſſarium conſenſum duarum partium omnium Vocalium, nec medietatem ſufficere. Sed alij in contrarium dicebant ſufficere maiorem partem, nam ſecundum ius, in omni priuatione, ſeu depoſitione cuiuſcumque gerentis aliquod officiũ & electione alterius, ſi via iuridica id faciendum eſt, maior pars medietatis vocum, ſiue Vocalium, Vniuerſitas nuncupatur, & in hoc eſt ſtandum: vnde, cum Seraphicus noſter Pater, Vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium & Cuſtodũ, idipſum in ſua Regula commiſerit, quæcumque maior pars erit ſufficiens ad depoſitionem ipſius, ſicut & ad alterius cuiuslibet electionem, quod etiam tenet Corduba, loco ſupracitato, & hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VII.

De Vicario generali ordinis, & quidnam ſit faciendum, ſuperueniente vacatione Generalis Miniſtri, per mortem, promotionem, ſeu renuntiationem, aut aliam quamcumque cauſam?

De Vicario generali ordinis & quinã ſecũdũ noſtras generales cõſtitutiones, eiuſmodi inſigniatur nomine.

IN hoc Articulo venit tractandum de Vicario generali totius Ordinis, & de ipſius electione, ſeu nominatione, poteſtate & iuriſdictione. Quod vt plenius notum fiat, aduertere libuit, quod ſecundum noſtras generales conſtitutiones, Vicarius generalis Ordinis nuncupatur ille, qui ex decreto & generali Conſtitutione totius Ordinis, ſufficitur, & ſubrogatur, in locum præcedentis Generalis Miniſtri, defuncti, impediti, aut forſan depoſiti, ſiue priuati. Cuius quidem Vicarij generalis iuriſdictio, non proinde delegata, ſed ordinaria cenſenda eſt, & ordinariam iuriſdictionem habet, cum ſit à iure conceſſa, vt ſatis colligitur ex quadam *gloſſa in l. 2. C. de officio eius, qui vices alterius gerit.* Vbi Bartol. & omnes communiter ſcribentes, affirmanter tenent, eiuſmodi iuriſdictionem eſſe ordinariam & non delegatam, nã vt conſtat, *ex c. ſane, el 2.*

de offic delegati, & l.1. C. de offic. eius, qui vicem alterius gerit, & ex l.1.§.2. ff. delegatis, 3. Delegatus dicitur ille, cui Iudex ordinariam iurisdictionem habens aliquam causam committit, eundem sufficiendo, & subrogando loco sui, vt vicem eius gerat. At ordinarius, cui non ab homine, sed à iure, potestas & iurisdictio ad aliquod munus peragendum est concessa. Quo fit vt dictus Generalis totius ordinis Vicarius, pro tempore, quo eius durat officium, à iure nostrarum Constitutionum sibi concessum, Ordinarius sit dicendus & nō subdelegatus. Quo præmisso, atque supposito, dico quod Nicolaus IIII. olim *statuit & ordinauit, ac districtè inhibuit nobis Fratribus Minoribus, ne deficiente Generali Ministro, posse mus eligere, atque constituere, aliquem Fratrem in Vicarium Ordinis, ab que Romani Pōtificis, & Protectoris eiusdem Ordinis licentia speciali, per ipsius Rom. Pont. patentes litteras concedenda, faci nes plenam & expressam mē tionem de huiusmodi litteris.* Habetur in Monum. Ordin. 1. impret. fol. 31. & 2. fol. 32. conc. 33. & refertur in Comp. Priuileg. Mendic. *verbo, Vicarius.* §. 1. Sed postea Clemens V. in Conc. Viennen. *in clem. exiui de paradiso, de verbor. significe.* §. cæterum quamuis decreuit, & statuit, quod si contigerit ordinem Ministro Generali carere, per Vicarium fiat quod per Ministrum erat faciendum, non tamen dixit neq; determinauit modum, quo facienda erat ipsius creatio, aut electio, quam ob causam, circa cō stitutionem, electionem, siue nominationem Vicarij supradicti, plura facta sunt statuta generalia auctoritate Apostolica, primum Barchinonæ, cuius proinde statuta Barchinonensia sunt appellata, quæ & postmodū acceptata fuerunt, ab omnibus familiæ regularis obseruantiæ Patribus, in capitulo Parmensi, sed correcta atque emendata fuerūt, postmodum in capitulo generali Tolosano, anno Domini 1532. & multo melius in Toletano, celebrato apud S. Ioannem Regium, anno Domini 1583 De quorum statutorum diffinitione & determinatione, circa prædictum Vicarium generalem totius Ordinis, quid sit faciendum, explicabitur per tres sequentes conclusiones.

Quisnam dicatur Iudex delegatus, quis vero Ordinarius.

Vicarius generalis Ordinis est ordinari', non vero sub delegatus.

Prima Conclusio.

Quisnam debeat tenere sigillū ordinis, & regiſtrum interim quod Vicarius generalis eligitur, superueniente vacatione Generalis Ministri.

SVperueniēte vacatione generalis Ministri, per mortem, promotionem siue renuntiationē, vel quacumque alia ratione & causa extra capitulum, si prædicta vocatio sit in partibus familiæ ex qua dictus Generalis Minister assumptus fuit, tenere debet regiſtrum & Ordinis sigillum, ille qui fuerit antiquior Pater & Discretus Ordinis, degens in illa natione, in qua præfata vacatio contigit. Hæc conclusio habetur expressa, in prædictis Constitutionibus cap. 7. de electionibus & institutionibus officiorum. §. de Vicario Ordinis. Vbi ad tollē dam è medio omnem ambiguitatem, declaratur ad hunc effectum, tres esse nationes in Cismontana familia (sic loquor, quia hic liber modo, 2. typis mandatur in Hispania) nempe Hispaniam Galliam atque Germaniam, tam superiorem, quam inferiorem. Declaratur præterea, Patres & Discretos Ordinis esse & appellari, qui quondam fuere Generales Ministri, aut Commissarij generales, electi secundum Bullam Vnionis, aut qui actu sunt Diffinitores generalis præcedentis Capituli, inter quos illi dicuntur esse antiquiores, qui primo ad prædicta ministeria fuerunt electi, siue assumpti. Ad quorum meliorem obseruantiam præcipitur, vt quam primum facta fuerit vacatio prędicta, si Prouincialis abfuerit Guardianus loci coram Discretis Conuentus, & Secretario illius familiæ regiſtrū claudat & sigillo muniat, idemq; faciat de omnibus litteris & scripturis, nihil omnino legendo, & Ministro Prouinciali prędentet, & tradat simul cum sigillo Ordinis. Prouincialis vero Minister, illius Prouinciæ, in qua vacatio contigit, sine aliqua mora statim mittat sigillum, regiſtrum & scripturam ad prædictum antiquiorem Patrem & Discretum, vt faciat quod facere tenetur. Hoc habetur in dictis constitutionibus generalibus vbi supra.

Quinā dicantur Patres, atque Discreti ordinis.

Secunda Conclusio.

In casu que in dicta natione, nullus sit Discretus ordinis, tenebit sigillū Minister Prouincialis illius Prouinciæ, vbi vacatio contigit.

SI in prædicta natione, nullus sit Pater, siue Discretus Ordinis Minister Prouincialis in cuius districtu prædicta vacatio contigit, tenebit sigillū Hæc conclusio habetur etiam expressa loco supra dicto, vbi & præcipitur omnibus ad quos spectat tenere sigillum & regiſtrum Ordinis & scripturas, vt nullum Ordinis negotium expediant, sed statim nulla dilatione interposita, is qui tenet sigillum, conuocet sex Ministros Prouinciales & sex Custodes siue Discretos Prouinciarum, ex vicinioribus Prouincijs respectu illius Prouinciæ, in qua moratur is, ad quē pertinet tenere sigillū, ita, vt ex qualibet Prouincia ex prædictis vicinioribus, veniat is qui actu est Minister Prouincialis, & si forsan sit Custos electus ad Capitulum generale mittendus, is cum Prouinciali conuocetur, sin minus Discretus antiquior illius Prouinciæ cū Ministro citetur, & vltra præfatos conuocabuntur omnes discreti Ordinis in illa natione tantum degentes. Tenens autem sigillum, assignabit locū & diem, in quo facienda est electio Vicarij generalis supradicti, & præsidebit huic Congregationi, habebitq; in ea votum actiuum & passiuum, & ad hunc effectum fungetur potestatis plenitudine. Hæc in dictis Constitutionibus vbi supra.

Qualiter est facienda cōuocatio ad electionē Vicarij generalis.

Tertia Conclusio.

Qualiter sit facienda electio Vicarij generalis ordinis.

DIe ad faciendam prædictam electionem assignata, solemniter prius cantata Missa de Spiritu sancto, cōuenient ad capitulū prædicti Prouinciales & Discreti, & à Congregationis Præside cū aliquorū consilio, vnus Secretarius & duo testes eligentur, ex seipsis vel ex alijs de eorum consensu, qui omnes procedent ad electionem canonicā Vicarij supradicti, sicut dictū est, de electione canonica Generalis Ministri, & ille qui maiorē partem votorum illius Congregationis habuerit, ipso facto est confirmatus in Vicarium generalem totius Ordinis, habebitq; in vniuersam Religionē potestatis plenitudinē, ac si esset Generalis Minister, continuabitq; officiū suū, vsq; ad sequens generale Capitulum, in quo cōplendū erat tempus Ministri generalis, qui vt prædictum est vacauit. Hæc conclusio habetur expressa loco supracitato. Et quod officium supradicti Vicarij Generalis du-

De duratione officij prædicti Vicarij generalis Ordinis.

ſis durare debeat, vſq; quo fuerit prouiſum de alio Generali Miniſtro, habetur expreſſe, *in clement. exiui de paradiſo, de verbor. ſignific.* facta in Concilio Viennenſi. Et in ſupradictis Conſtitutionibus dicitur, quod in dictã electionem Vicarij generalis ſupradicto modo factam, vniuerſus noſter Ordo intelligatur compromiſiſſe, ita, vt quod egerint Suffragatores ſupra memorati, tota Religio illud habebit fixum & ratum. Nam quemadmodum familia Vltramontana in ſuis ſtatutis generalibus à Iulio II. confirmatis, cap. 8. fol. 41. compromiſit in familiam Ciſmontanam, in caſu in quo Generalis Miniſter ibidem vacauerit, ita & è conuerſo familia Ciſmontana compromittit in Vltramontanam. Et ad maiorem firmitatem declaratur, quod electio Vicarij generalis facta à prędictis Suffragatoribus tantũ, ita ſit fixa, & firma, ac ſi facta fuiſſet à tota noſtra Religione: nam capitulũ generale, omnes ſuas vices compromittit in Prouinciales, & Diſcretos ſupradictos, quod ſtatuendum eſſe duxit, ne in tam breui tẽporis ſpatio, commoueatur, & conturbetur vniuerſus Ordo ſeu tota familia, cum ſumma ſæcularium admiratione, & immenſis expenſis. Ob quam eandem rationem ſtatuitur, quod ſi Generalis Miniſter vacet in partibus, in quibus præeſt Commiſſarius generalis electus ſecundum formam & Bullam Vnionis, ipſe teneat ſi gillum & regiſtrum, qui tamen nullum expediet negotium, concernens ad illam familiam, ex qua erat Generalis defunctus, ſed ſtatim conuocabit omnes diſcretos & Patres noſtri ordinis, degentes non in tota familia, ſed in illa natione tantum in qua prædictus Generalis obijt, & ſex proximiores Prouinciales, ac totidem Diſcretos earumdem Prouinciarum, & ille Frater, in quem maior pars illorum conſenſerit, erit Vicarius generalis, vt dictum eſt, dummodo is, qui in Vicarium totius Ordinis fuerit electus, ſit ex illa familia, in qua erat Generalis Miniſter, qui vacauit. Qui nimirum Vicarius generalis ordinis, exercebit ſuum officiũ vt ſuperius dictum eſt, vſq; ad complementum tẽporis generalis illius qui vacauit, nã ſeruata hac forma, familia Ciſmontana compromittit in ſupradictos Suffragatores, ſicut in ſubſtantia Vltramontana compromiſit in Ciſmontanam, & vtraq; habet pro rato & fixo, quod per illos fuerit effectũ, ac ſi à toto ordine fuiſſet factum. Hæc in ſupradictis conſtitutionibus, & quod dicitur de familia Ciſmontana, vel Vltramontana, intelligẽdum eſt reſpectu habito ad Hiſpaniam, & ad Toletanam ciuitatem, vbi illæ factæ, & conſtitutæ ſunt. Tãdẽ in dictis conſtitutionibus concluditur, quod ſi Prouincia in qua prædicta vacatiõ contigerit, orbata fuerit Prouinciali Miniſtro, Commiſſarius illius Prouinciæ, illi prædictis eandem habebit auctoritatem, ac ſi eſſet Prouincialis Miniſter, & ſi prædicta vacatio fiat in terminis communibus pluribus Prouincijs, præferatur Miniſter prioris & antiquioris Prouinciæ in ordine Prouinciarũ. Ex quibus omnibus colligitur, quod non propter vacationem Generalis Miniſtri ſupradicti, abbreuiandum eſt capitulum generale, ſed faciendum eſt ſuo loco, & tempore, prout prius fuerat ordinatum, & quo tempore generalis ſupradictus explebat ſuum miniſterium & officium, prout etiam determinauit Martinus V. in ſuis conſtitutionibus c. 8. & multis tradit Corduba ſuper c. 8. noſtræ Regulæ q. 1. puncto 3. Et hæc de iſto Articulo, & tota quæſtione & ijs, quæ ad generalẽ Miniſtrũ ſpectant, dicta ſufficiant, nã iam tempus præſefert, vt progrediamur ad alia & agamus de Commiſſario generali, electo ſecundum formam & Bullam Vnionis.

Nota q̃ familia Ciſmontana, atq; Vltramõtana cõpromiſerũt in ſe inuicem circa electionẽ Vicarij generalis faciendam.

Omnia hæc ſunt valde notanda, & ad vnguẽ obſeruanda.

QVAESTIO XI.

De Commiſſario Generali Ciſmontano, vel Vltramõtano electo ſecundum formam & Bullam Vnionis, & de Capitulo Generali intermedio, & alijs ad eius auctoritatem, & iuriſdictionem ſpectantibus, in Nouem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

De inſtitutione Cõmiſſarij generalis, & de ipſius electione & confirmatione.

Prima Concluſio.

Inſtitutio Cõmiſſarij gen. incepit á Leone X. anno Dñi 1517. vt habetur in Bulla Vnionis

INſtitutio Cõmiſſarij generalis, facta eſt à Leone X. Pont. Max. anno Domini 1517. in Capitulo generaliſſimo, celebrato Romę in cõuentu de Aracæli eodem anno, in feſto Pentecoſtes. Hæc cõcluſio cõſtat ex Bulla Vnionis, quæ vt ſupradiximus incipit, *Ite & vos in vineam meam.* Et habetur in Supplem. fol. 28. Cauſa huius inſtitutionis fuit, quia vt ibidẽ dicitur, noſter ſacer Ordo mirum in modũ per vniuerſum Chriſtianũ orbẽ eſt dilatatus, ne ob huiuſmodi amplitudinẽ, debito paſtoralis regiminis careret beneficio. Hinc auctoritate Apoſtolica decretum eſt, quod ſi generalis Miniſter de Vltramõtanis fuerit electus, vnus ſit Commiſſarius generalis in partibus Ciſmontanis, á Miniſtris Prouincialibus & Cuſtodibus Ciſmõtanę familiæ in capitulo generali eligẽdus. Et quod eodẽ modo fiat in familia Vltramõtana, quãdo generalis Miniſter fuerit de Ciſmõtana. Viſum eſt enim Põtifici Maximo, quod noſtra ſacra Religio vix poterat,

propter maximam eius amplitudinem, congrue & commode, ab vno Generali Ministro regi & gubernari, ac propterea voluit vt esset Commissarius quidam generalis, qui eundem in suo ministerio adiuuaret.

Secunda Conclusio.

Quænam sint electores Commissarij general. & quãdo eiusmodi electio sit facienda.

ELectores supradicti Commissarij generalis, iuxta Apostolica statuta esse debent Vocales illius familiæ, de qua dictus Commissarius generalis assumendus est. Qui nimirum eodem die quo Generalis ipse eligitur, nempe Sabbato ante Pentecosten post prandium, iterum ad capitulum cõuocantur, illi nempe Vocales qui fuerint de familia, ex qua erat Generalis Minister, qui in eo capitulo complet suum officium. Et simul iuncti eligunt suum Commissarium generalem, cui electioni præest Generalis totius Ordinis Minister, de nouo electus, peractaq; electione ab ipso confirmatur, & postmodum eliguntur duodecim Diffinitores, sex ex vna familia & sex ex altera, vt statim suo proprio loco dicemus, qui etiam à dicto Generali Ministro confirmãtur. Hæc omnia constant ex supradicta Bulla Vnionis, & ex nostris constitutionibus generalibus Toletanis cap. 8. §. de capitulo generali totius Ordinis, ibi, *post prandium.* Visa institutione, electione, & confirmatione supradicti Commissarij generalis Ministri, reliquum est, vt de eius auctoritate agamus, de quo fit secundus Articulus.

ARTICVLVS II.

Quænam sit auctoritas Commissarij generalis Ministri?

Conclusio.

Auctoritas siue potestas iurisdictionis prædicti Commissarij generalis plenissima est, eadẽq; omnino in sua familia, quam Generalis Minister habet in totum Ordinem.

AVctoritas supradicti Commissarij Generalis Ministri, plenissima est in sua familia, & eademmet quam habet Minister Generalis in vniuersum nostrum Ordinẽ. Hæc conclusio habetur expressa, in supradicta Bulla Vnionis, & etiam in nostris constitutionibus generalibus Toletanis cap. 7. de electionibus & institutionibus officiorum. §. de Commissario generali, vbi hoc ipsum expresse habetur. Et additur. Ita tamen quod prædictus Cõmissarius generalis, Ministro Generali omnino subijciatur, vt cæteri dicti Ordinis Prælati illi subijciuntur, ac ipsi per omnia secundum Regulam obedire teneãtur. Poterit tamen idem Commissarius generalis suum munus exercere, etiamsi Gener. Minister maneat in familia, in qua idem Cõmissarius electus est, nisi Generalis Minister aliqua negotia, vel nonnullas Prouincias sibi reseruauerit. Habetur in supradictis constitutionibus Tolet. Circa quã conclusionem est notandum, quod nomine Fratrũ in dicta constitutione, comprehenduntur, etiam Moniales, cum sit vulgatum in iure, appellatione masculini generis, comprehendi etiam fœmininum: id quod verũ habet, non solum in concessionibus & priuilegijs, verumetiam in Correctorijs, vt ferunt omnes communiter Iurisconsulti, sed in nostro casu, vsus & consuetudo id iam declarauit omnino, nam eandem potestatem, quam dictus Cõmissarius generalis & Minister generalis habet in Fratres, exercet etiam & in omnes Moniales suæ familiæ, vt constat experimento.

Commissari' gener. obedire tenetur Gener. Ministro in omnibus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm prædictus Commissarius generalis, sit Prælatus ordinarius, an verò subdelegatus?

Prima opinio

HAc de re fuit olim aliqualis differentia, inter Patres nostri sacri Ordinis, nã Collector Priuileg. in Compend. verbo, *Commissarius, n.* 3. circa eiusdem auctoritatẽ & potestatem, nonnulla proponit dubia, quorum primum est, An prædictus Commissarius generalis, electus secundum formam & Bullam Vnionis, stando in ipsius verbis, sit Iudex & Prælatus ordinarius, an vero subdelegatus, & respondendo, dicit ipsum habere potestatem, non quidem ordinariam, sed subdelegatam, & proponit aliqua suæ opinionis fundamenta, quorum est primum. Nã delegatus dicitur, qui vices alterius gerit, vt notatur, *in rubrica de offic. deleg. & in l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio:* sed talis est (inquit) Commissarius generalis prædictus: ergo intentum. Minorem probat, ex prædicta Bulla Vnionis. §. *verum.* vbi habentur hæc sequentia verba: *Generalis Minister, instituet vnum Commissarium generalem, cui vices suas cõmittat.* Ecce qualiter Minister gener. vices suas Commissario generali committit, ipseq; illius vices gerit: ergo dicendũ est quod sit delegatus, non vero Ordinarius. Secundo probat idipsum, quia inquit, Cõmissarius gener. prędictus non potest iurisdictionem habere ordinariam, sed subdelegatam, cum non eligatur ab vniuersitate Ordinis, sed tantum à Cismontanis, vel Vltramontanis respectiue, atque diuisiue, vt dictum est, & certum est, inquit, quod Cismontani & Vltramõtani simul, faciunt vnum corpus, siue vnum Collegiũ, & vnam Vniuersitatẽ. Cismontani autem siue Vltramontani tantũ, non vnum corpus, Collegiũ, siue Vniuersitatem possunt efficere, præsertim post præfatã Bullã Vnionis, quæ ex Cismontanis, & Vltramontanis vnum fecit corpus. Quãuis igitur dictus Cõmissarius generalis, eligatur canonice (vt reuera fit) cũ tamen sua electio, vt cõstat ex dictis, non sit ab Vniuersitate, sed à parte Collegij & à quibusdam particularibus, pro vtilitate & cõmodo sibi particulariter tangẽte, sequitur, inquit, quod non potest dici vera electio, nec proinde eius auctoritas ordinaria, sed subdelegata, cum non fiat à toto Collegio & à tota Vniuersitate, sed à quadam Collegij parte. Hac ratione dicit prædictus Collector, quod verbum illud, *eligendum*, positum in dicta Bulla, in supradicto. §. *verum.* non sapit electionem iuridicã, siue canonicam, iuxta id quod habetur in *tit. de elect.* sed sapit quendam consensum, seu approbationem, illorum quibus prædictus

Nota Quisnã dicatur iudex siue Prælatus delegat' quis vero Ordinarius.

ctus Commiſſ. General. præponitur. Fuit enim vti le viſum, concedere prædictum Commiſſarium, propter latitudinem Ordinis: & quod Commiſſarius eiuſmodi inſtrueretur ad beneplacitum & cõſolationem eorum, quibus dabatur, ac ideo illis fuit conceſſum, eundem vt eligerent, ac ſi diceretur, quod pro voluntate & conſolatione ſua in illum conſentirent, argum. deducto, *exc. ſuper quæſtionum. §. verum de offic. deleg.* Quinuero addit ſupra dictus Collect. quod etiam poſito, quod ſupradicta eſſet vera electio, adhuc non ſequitur quod dictus Commiſſarius ſit Ordinarius, quod probat ex alia peculiari ratione. Et ſit tertium argum.

Quæ requirantur ad ordinariã iuriſdictionẽ, quæ vero iuriſdictio dicatur ſubdelegata.

Nam ad conſequendam ordinariam iuriſdictionem, duo tantum requiruntur, & ſufficiunt, nempe electio Collegij, & cõfirmatio Superioris, quibus peractis ſtatim electus & confirmatus, ordinariam conſequitur iuriſdictionem, legis miniſterio & operatione, nec opus eſt alia commiſſione hominis, vt habetur in cap. *tranſmiſſam de elect.* qua etiam ratione ſupradicta iuriſdictio dicitur ordinaria, quia conceditur à lege: ſed in noſtro caſu, in quit Collector ſupradictus, Commiſſarius generalis, non ſtatim conſequitur ſuam iuriſdictionem ex duobus ſupradictis, ſcilicet electione & confirmatione, ſed neceſſarium eſt tertium, ſcilicet, quod Generalis Miniſter illi vices ſuas committat, prout ipſa Bulla diſponit, per illa verba ſuperius dicta: *Cui vices ſuas committat*, ita quod iuriſdictionem recipit ab homine, vices ſuas ſibi cõmittente, & non à lege miniſtrante, ſeu operante, ſequitur ergo, quod eſt delegatus, non verò ordinarius.

Nota q̃ licet Vicarius generalis Epiſcopi, ordinariã habeat iuriſdictionẽ, non tamen Vicarius foraneus non generalis ſed particularis, qui reſidet in aliqua parte diœcejis

Quarto & vltimo ſic argumentatur ad idem prædictus collector, nam quamuis Vicarius generalis Epiſcopi, nempe Prouiſor, recipiat iuriſdictionem ex ipſius commiſſione, & ordinarius nihilominus ſit, ordinariamq; dicatur habere iuriſdictionem, per gloſſam *in c. 2. de officio Vicarij, lib. 6. cum ſimilibus* attamen Vicarius Epiſcopi, non generalis, ſed particularis, qui reſidet in certa parte Diœceſis, ſeu Epiſcopatus, alio nomine vocatus Vicarius foraneus, non habet iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam, *per Gloſſam & Doctores in clementina: Et ſi principalis, de reſcriptis, cum ſimilibus*, ergo à ſimili, cum ſupradictus Commiſſarius generalis, non cõſtituatur generaliter à Generali Miniſtro in toto Generalatu, ſed in quadam ipſius parte, nempe in familia Ciſmontana, ſiue Vltramontana (reſpectiuè) liquidum fieri videtur, quod ipſius iuriſdictio, auctoritas, ſiue poteſtas, non ordinaria debet dici, ſed vere ſubdelegata. Multa alia ad hoc propoſitum dicit ſupradictus Collector, quæ breuitatis gratia, facio miſſa, cum dicta ſufficiant. Sed his nihilominus non obſtantibus, contraria ſententia eſt verior, & tenenda. De qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Iuriſdictio ſupradicti Commiſſarij generalis, eſt ordinaria, & non ſubdelegata.

IVriſdictio ſupradicti Commiſſarij generalis Miniſtri, eſt ordinaria, & non ſubdelegata. Hæc cõcluſio probatur ex multis, atque efficaciſſimis rationibus. Sed primo, nam ad hoc quod huiuſmodi iuriſdictio ſit ordinaria, & non ſubdelegata, ſufficit ſuperq; ſatis eſt, quod dictus Commiſſarius Generalis eligatur ab vniuerſitate vnius familiæ, quæ facit ac veluti conſtituit vnum corpus: licet etiam Ciſmontani & Vltramontani ſimul & non ſeorſum, faciant vnum corpus, vnum Collegium, ſiue vnam Vniuerſitatem reſpecta totius Ordinis, & Franciſcanæ Religionis; per hoc tamen non tollitur, quod Ciſmontana aut Vltramontana familia (reſpectiuè & ſeorſum) cũ Generalis Miniſter eligitur ex alia, non faciat vnum Corpus, vnum Collegium, & vnam Vniuerſitatem, reſpectu electionis vnius Commiſſarij Generalis Miniſtri; quãuis & ipſe cum omni ſua familia, non diuidatur ab obedientia Generalis totius Ordinis, quod etiam electio facta ab Vniuerſitate vnius familiæ, ſufficiat ad efficiendam ordinariam iuriſdictionem, expreſſe tenet gloſſa, *in cap. cum ab Eccleſiarum prælatis, de offic. ord.* & illud etiam tradit Panorm. *in c. ſuſpicionis, de offic. deleg. v. 9.*

Nota hoc valde, quod electio facta ab Vniuerſitate vnius familiæ ſufficit ad præſtandã ordinariã iuriſdictionem.

Sed præterea probatur noſtra concluſio: nam ad hoc vt ſupradicti Commiſſarij Generalis Miniſtri iuriſdictio, ordinaria, & non ſubdelegata dicatur, ſecundum Innocẽtium, *in c. 1. & in c. ad hoc, de offic. Archidiac.* ſufficit ſuperque ſatis eſt, quod ſuam auctoritatem habeat beneficio legis, & non ex cõmiſſione hominis: ſed talis eſt iuriſdictio ſupradicta, cum tradatur: eidem, ex beneficio, conſtitutione & determinatione legis, poſita in noſtris Generalibus conſtitutionibus, quæ quidem diſponunt, quod dictus Commiſſarius generalis canonice per ſupradictos Patres cuiuslibet familiæ (reſpectiue) eligatur, vt habetur in dictis conſtitutionibus, de electione canonica, & quod ſic electus à Miniſtro Generali confirmetur, qua electione & confirmatione peracta, abſque vlla alia vlteriori diligẽtia, ſeu noua commiſſione, ſuam aſſequatur iuriſdictionem: ergo dicenda eſt ordinaria, & non ſubdelegata prædicta iuriſdictio.

Nota q̃ iam habetur determinatũ, quod iuriſdictio cõmiſſarij generalis ordinaria ſit, non vero ſubdelegata.

Tandẽ tertio idipſum probatur ex facto, nã hoc iam expreſſe eſt determinatũ, in quodam Capitulo generali Pinciano, anno Dñi 1565. celebrato, & auctoritate Apoſtolica cõfirmato. Cuius verba ſunt, quæ ſequuntur: *Commiſſarius generalis, tamquã Miniſtrorum Prouincialium miniſter, Ordinarius eſt ſuæ familiæ, atq; adeo iure optimo, ſine ſpeciali commiſſione poteſt Commiſſarios creare, & delegare ſuã auctoritatẽ, quoties ſibi videbitur expedire.* Quod quidem efficere minime potuiſſet, ſi eſſet tantũ delegatus, vt contendebat Collector, nã iuxta vulgatã iuris regulam, iudex ſiue Prælatus delegatus non poteſt ſubdelegare, niſi id illi à ſuo Superiore concedatur, dicendum ergo eſt, quod prædictus Commiſſarius generalis, eſt ordinarius, & habet ampliſſimã dignitatem, iuriſdictionemq; ordinariã, poteſtq; iure optimo eſſe Legatus Apoſtolicus, illiq; conueniunt omnia, quæ à iure, ſeu Papalibus Conſtitutionibus, conueniunt alijs Prælatis Eccleſiaſticis, in dignitatibus conſtitutis. Sed intelligendum hoc eſt, ſolummodo de Cõmiſſario generali prædicto, electo ſecũdũ modum & formam traditã in ſupradicta Bulla Vnionis, nam alias ſi alio modo eligeretur aliquis Commiſſarius generalis à Generali Miniſtro, ex eo quod propter bella aũt propter aliquod aliud impedimentum, non potuit congregari capitulum generale, eiuſmodi Commiſſarius, ſic electus, non erit ordinarius Prælatus, nec dicetur ha-

Nota caſum, in quo Cõmiſſarius generalis, non habebit iuriſdictionem ordinariam, ſed ſubdelegatam.

tur habere dignitatem Eccleſiaſticam, neque habebit votum, & vocem in generali Capitulo, neque illas præeminentias, quæ ſecundum noſtras Conſtitutiones, conueniunt prædicto Commiſſario generali electo ſecundum formam & Bullam Vnionis, vt expreſſe habetur in ſupradictis noſtris generalibus Conſtitutionibus, niſi forſan is, qui inſtituitur, alias fuiſſet olim Miniſter aut Cõmiſſarius generalis, vt latius infra dicemus, ſed ſupereſt modo reſpondere, ad argumenta propoſita pro parte Collectoris.

Ad primum reſpondetur conceſſa maiori, negãdo minorem, nec ſatis colligitur, ex eo quod habetur in prædicta Bulla Vnionis. §. *verum*; nam quamuis ibidem dicatur, quod Generalis Miniſter inſtituat vnum Commiſſarium, cui vices ſuas committat, non ſic tamen id eſt intelligendum, quod eiuſmodi commiſſio ſit libera, & voluntaria, & ſolius Generalis Miniſtri: nam ſtatim additur, *prout generali Capitulo videbitur expedire*; quo fit, vt cõmiſſio non ſit ſolum Generalis Miniſtri, ſed eiuſdem cum Capitulo, & facta iuxta legem conſtitutam in eodem Capitulo, & ſic non eſt commiſſio hominis, ſed commiſſio tradita à lege, & à iure, & totius Ordinis ſtatuto, ac proinde ordinaria & non ſubdelegata.

Ad ſecundum dico, quod ad hoc, vt commiſſio, Commiſſarij generalis ſupradicti, ſit ordinaria & non ſubdelegata, & ſit propria & vera electio, nõ eſt neceſſum, vt fiat ab Vniuerſitate totius Ordinis, quinuero ſufficit, ſuperq; ſatis eſt, quod fiat ab Vniuerſitate totius vnius familię, quę recte valet conſtituere vnum Collegium & vnum corpus, vt diximus in prima ratione poſita ad ſupradictam concluſionem. Nec electio, quæ fit in generali Capitulo, ſeu intermedio, ſupradicti Commiſſarij Generalis Miniſtri, eſt voluntaria, aut ſolum quædam conſultatio, ſed reuera eſt propria & vera electio canonica, vt docet communis praxis, & habetur expreſſe in ſupradictis noſtris generalibus Conſtitutionibus.

Ad tertium etiam reſpondetur, negando quod præter ſupradictam Commiſſarij generalis electionem & confirmationem, ſit aliud tertium de nouo requiſitum, ſcilicet, quod Miniſter Generalis illi vices ſuas committat, per quendam nouum actum in ipſo voluntarium, quinuero ſtatim, ac eo ipſo quo confirmatur, diſpoſitione legis & ex vi & virtute ſupradictarum Conſtitutionum, eiuſmodi vices cenſentur ſibi commiſſę & conceſſæ, non tam à prædicto Generali Miniſtro, quam ab ipſo ſimul cum toto Capitulo, ita diſponente & ordinante.

Ad quartum & vltimum dico, quod non eſt eadem ratio de Commiſſario generali prædicto, & de Vicario foraneo Epiſcopi, non generali pro toto Epiſcopatu conſtituto, ſed ſpeciali pro aliqua ipſius parte: nam licet ſimilitudo aliqualiter teneat & currat, reſpectu generalitatis ſeu ſpecialitatis, non tamen currit reſpectu modi eligendi, nã electio prædicti Vicarij foranei, in Epiſcopo eſt mere libera, & voluntaria, eligiturq; ſeu potius nominatur ab ipſo ſolummodo, at vero electio Cõmiſſarij generalis ſupradicti, de quo loquimur, electio ſecundum modum & formam contentam in Bulla Vnionis, & ſecundum modum, quo fit in Generali Miniſtro, non eſt libera & voluntaria, nec ſolummodo eligitur aut nominatur ab ipſo, ſed ab eo ſimul cum toto Capitulo per electionem canonicam, vt dictum eſt, qua facta & confirmato Cõmiſſario generali ſupradicto, ſtatim transfunditur in ipſum omnimoda, atq; plenaria iuriſdictio, pro tota ſua familia, quam habet Generalis in toto ordine, vt dictum eſt ſupra, diceturq; amplius in ſequenti Articulo.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Generalis Miniſter, per ſe ſolũ amouere poſſit prædictum Commiſſarium generalem, aut ipſius iuriſdictionem, ſiue poteſtatem limitare, minuere aut coarctare?

Prima Concluſio.

Generalis Miniſter per ſe ipſum ſolum non poteſt remouere Commiſſariũ generalẽ, aut ipſi' iuriſdictionẽ, limitare, ſiue coarctare.

VAmuis Commiſſarius generalis ſupra dictus, in omnibus & per omnia, ſit ſubditus, atque ſubiectus generali Miniſtro, non tamen ipſe poteſt per ſeipſum ſolum illum amouere, aut eius auctoritatem, & iuriſdictionem limitare. Hæc concluſio quantum ad primam partem, habetur expreſſa in ſupradicta Bulla Vnionis, & in noſtris Conſtitutionibus generalibus loco ſupracitato. Quantum verò ad ſecundam probatur, nam modus, & forma inſtitutionis ſupradicti Commiſſarij generalis, traditur à Summo Pontifice, in ſupradicta Bulla Vnionis, quo fit, vt electione ſemel facta, nullo modo alterari ſeu immutari poſſit, nec ab alio quam ab eodem Summo Pontif. prædictus Cõmiſſarius generalis remoueri ſine culpa, & vt dicitur, cauſa cognita, dijudicata, atque diffinita. Et ea dẽ omnino ratio currit de limitatione, ſeu diminutione ſuæ poteſtatis, & de iuriſdictione: nam generalis Miniſter (vt conſtat ex dicta Bulla) reſpectu totius ſuæ familiæ, tenetur illi vices ſuas committere, prout Capitulo generali videbitur expedire: ergo ſemel facta electione per Capitulum generale ſupradictum, nullaq; antea vel poſt, facta in eodem Capitulo poteſtatis, & iuriſdictionis ſupradictæ coarctatione, aut limitatione, non erit liberũ Gener. Miniſtro, illam poſtea limitare, aut coarctare, quinuero, ſicut non poteſt facere, quod dictus Cõmiſſarius ſemel electus & confirmatus, non ſit Commiſſarius, ſic nec poteſt efficere, vt minorem poteſtatem habeat, quam per capitulum, & generales Conſtitutiones habet, pro tota ſua familia.

Nec dictis obſtat, quod Generalis Miniſter illi vices ſuas committat (iuxta dictã Vnionis Bullã) nã non ipſas illi committit voluntarie & ad libitũ (vt dictũ eſt) ſed iuxta Capituli generalis prę ſcriptum, quæ quidem conceſſio, cum non fiat in fauorem propriæ perſonæ dicti Commiſſarij generalis, ſed totius ſuæ familiæ, fauorabilis eſt, & non odioſa (quidquid alias velit Priuileg. Collector)

amplian-

ampliandaque proinde & non reſtringenda. Eo vel maximè, quia aliàs non plene prouideretur neceſſitati & vtilitati ſuæ familiæ, ſi non ipſe haberet in ea omnem auctoritatem, & poteſtatem, quam Generalis Miniſter habet in totum Ordinẽ, cum ſæpiſſime reſideat Generalis Miniſter, in partibus adeò longe diſtantibus. Et hęc certè fuit intentio ſupradicti Papę Leonis Pont. Max. in dicta Bulla Vnionis, vt propter amplitudinem noſtræ Religionis, non ipſa careret debito beneficio paſtoralis regiminis, & certum eſt quod ſi dicta iuriſdictio reſtringeretur atque limitaretur, haud dubium quin multiplices ſæpiſſime defectus euenirent, ſicque Pontificis intentio fruſtraretur, & quaſi inanis redderetur. Vnde omni proculdubio tenendum eſt, quod omnia quæ in iure, priuilegijs ſiue Conſtitutionibus conceduntur ſupradicto Generali Miniſtro, conceduntur perinde & dicto Commiſſario generali, reſpectu ſuæ familiæ, niſi quando in aliquo ſpeciali caſu, in ſupradictis conſtitutionibus, aliquid ſibi fuerit ſpecialiter prohibitum, nam eius auctoritas & iuriſdictio, non datur ſibi ratione ſuę perſonæ, ſed ratione ſui officij, tranſeuntque proinde cuncta in dictum Commiſſarium generalem reſpectu ſuæ familiæ, quæ pertinent ad Miniſtrum Generalem reſpectu totius Ordinis, cuius perſonam repræſentat, viceſque eius gerit in omnibus, quæ ad eius pertinent officium.

Nota quod Omnia, quæ in iure, priuilegijs, ſiue cõſtitutionibus conceduntur Gen. Miniſtr. reſpectu totius Ord. concedũtur etiam præfato Cõmiſſario generali reſpectu ſuæ familiæ, niſi ſibi ſit aliquod ſpeciali ter prohibitũ

Neque etiam dictis obſtat, quod vt dictum eſt, in omnibus & per omnia ſit illi ſubditus atq; ſubiectus, Generaliſque Miniſter illi Superior, nam non ex hoc colligitur, quod ipſius poſſit pro libito reſtringere, ſiue limitare iuriſdictionẽ. Eſt quidem ſuperior ad puniendum & corrigendum ipſum, ſi deliquerit idque cauſa cognita & ſeruato iuris ordine, & etiam ad hoc etiam vt poſſit ſibi reſeruare aliqua ſpecialia negotia, & prohibere ea illi, ſi cauſam dederit ſufficientem, atq; legitimã: non tamen ita vt ad libitum limitare poſſit ipſi, ſuam iuriſdictionem & poteſtatem, aut ſine iuſta cauſa prohibere illi viſitationem alicuius Prouinciæ, quod ſi de facto fuerit effectum, peccabit quidem Generalis Miniſter, dignuſque erit, vt in Capitulo Generali, ea de re conuictus corrigatur, tũ quia fecit contra iuſtitiam & contra ius commune, limitando ſine cauſa auctoritatem & poteſtatem iudicis atque Prælati ordinarij, tùm etiam quia fecit contra prædictam Bullam Vnionis, in qua hoc expreſſe habetur. vt dictus Commiſſarius generalis, in ſua familia habeat omnes vices, & omnem auctoritatem quam habet in toto Ordine Miniſter Generalis.

Secunda Concluſio.

Iuſta exiſtente cauſa, & de conſenſu generalis Capituli, vel ex ſpeciali licentia Apoſtolica bene poteſt Miniſter gene

GEneralis Miniſter, iuſta exiſtente atque legitima cauſa, de conſenſu Gener. Capituli, vel ex ſpeciali licentia Summi Pontif. bene poteſt in aliquo caſu, limitare ac reſtringere Commiſſarij generalis iuriſdictionem. Hæc concluſio conſtat expreſſe ex his, quæ dicuntur in ſupradicta Bulla Vnionis, vbi habetur *quod ſupradictus Generalis Miniſter, committat vices ſuas dicto Cõmiſſario, prout Gener. Capitulo videbitur expedire*. Ex quo infertur quod præcedente conſenſu Gener. Capit. limitari poteſt atque reſtringi, ſupradicti Commiſſarij generalis iuriſdictio, quod adeò verum eſt, vt iam fuerit effectum de facto, nam hac ratione Capitulum Generale Toletanum ſtatuit, vt dictus Commiſſarius non ſe intromittat, ac vllam habeat iuriſdictionem, in fratres & Prouincias Indiarum, ſeu noui Orbis, quod & neceſſario eſt adimplendum. Nam quamuis Generalis Miniſter, & totum ſimul Capitulum generale non poſſint efficere, vt dictus Generalis Commiſſarius, Generalis non ſit reſpectu ſuæ familiæ, cum id habeatur ex præſcripto Apoſtolico poſito in dicta Bulla Vnionis, poſſunt tamẽ ipſius auctoritatem & iuriſdictionem limitare iuxta ipſam, prout expreſſe habetur ibidem, ſicque nullatenus poteſt in illis rebus ſe intromittere.

ralis limitare Commiſſarij generalis iuriſdictionem.

Sed ſi quæratur, quænam ſint cauſæ iuſtæ, ad faciendam prædictam reſtrictionem atque limitationem? Reſpondeo, quod hac de re non poteſt præſcribi & tradi certa regula, ſed relinquitur boni & prudentis viri arbitrio. Hoc ſolummodo ſit ſatis dixiſſe, quod non ad id ſufficiunt quæcunque fratrum querimoniæ, aut memorialia, quæ interdum exhibeantur, quæ quia vt plurimum falſa, nõ ſemper ſunt admittenda, niſi magnum aliquod malũ continerent, aut graue aliquod ſcandalum timeretur exinde. Non enim eſt rationi conſonum, vt propter quorundam Fratrum querimonias, ordinaria Ordinis gubernatio euertatur, imò verò per hoc quod admittuntur tales rumores amplius inualeſcunt. Magiſque debent inclinari Generales Miniſtri, ad patrocinium Prælatorum Ordinarium quam ad ſuſcipiendas querelas contra ipſos, cum vt dicitur ſint poſiti tãquam ſignum ad ſagittam: & quia quandoque aliquos reprehendunt, nec omnibus placere poſſunt, multorum odiũ incurrunt, vt habetur in cap. *qualiter, & quando, el 2. de accuſ.*

Difficultas. Quænam ſint cauſæ iuſtæ ad reſtringendã iuriſdictionẽ interdum Cõmiſſarij Generalis?

Sed reſtat alia difficultas, An dictis nihilominus non obſtantibus, Generalis Miniſter per ſe ſolùm, poſſit conſtituere Commiſſarium quendam Generalem alicuius nationis, in ea familia in qua eſt Cõmiſſarius Generalis Ciſmontanus, ſeu Vltramontanus? Cui difficultati reſpondetur ab aliquibus Ordinis Patribus quod ſic, quia hac de re nulla reperitur ſpecialis facta prohibitio. Non tamen (inquiunt) poterit Generalis Miniſter excludere prædictum Commiſſarium Ciſmontanum, ſiue Vltramontanum ſine cauſa, à gubernatione dictæ Nationis, quia de hoc ſpecialis eſt prohibitio, per ea, quę dicta ſunt, atque adeò quãuis Generalis Miniſter, in Francia & Prouincijs Belgicis, conſtituerit vnum Commiſſarium Generalem illarum nationũ, non propterea poteſt excludere Commiſſarium Generalem ſupradictum, à viſitatione & gubernatione illarum partium, id quod vſu & conſuetudine eſt receptum & confirmatum. Nam quando olim primo Generalis Miniſter conſtituit Commiſſarium Generalem Indiarum, qui in Curia Regia reſideret (de quo infra dicemus) non propterea pro illo tempore amouit Cõmiſſarium Generalẽ, qui tunc erat, à gubernatione illarum partiũ, quia nempe reuera ipſe per ſe ſolùm id minime facere poterat: quod eſt multum notandum.

Difficultas. An Generalis Ord. poſſit cõſtituere Commiſſariũ Gen. aliũ in ea natione, vbi eſt Cõmiſ. Gene.

ARTICVLVS V.

An ſit modo de facto aliqua Prouincia, ſeu aliquis Conuentus in Ciſmontana familia, exemptus à iuriſdictione ſupradicti Commiſſarij Generalis?

Opinio Patris Fratris Ioannis à Bobadilla.

CIrca hanc difficultatem, non defuerũt aliqui noſtri ſacri Ordinis Patres, qui in ea fuerint opinione, vt dicerẽt, nullam fuiſſe factam hucuſque iuridicam exemptionem, Prouinciarum noui orbis, à iuriſdictione Commiſſarij Generalis Ciſmõtani, ac proinde etiam nunc omnes Indiarum Prouincias, eſſe pleno iure illi ſubditas atque ſubiectas, non obſtante quod ex vi noſtrarum Generalium conſtitutionum, habent ſuum proprium Cõmiſſarium Generalem, qui in Curia Regia reſidet, præter duos alios Commiſſarios, qui etiam dicuntur Generales, qui reſident in illis partibus. Hanc ſententiam & opinionẽ tenuit olim Doctiſſimus P. Bobadilla, in ſuo Enchiridione ſiue Manuali manuſcripto, quam & multis rationibus & argumentis probare contendebat, & ſatisfacere omnibus, quæ in contrarium adducebantur. Sed eo nihilominus non obſtante, contraria ſententia eſt verior atque tenenda, quam etiam auctoritate Regia, obſeruat hodie communis praxis, pro quaſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Prouinciæ Indiarum & noui orbis exẽptæ ſunt à ſupradicti Commiſſarij Gen. iuriſdict.

PRouinciæ Indiarum ſeu noui orbis, ex vi noſtrarum conſtitutionum exemptæ ſunt à ſupradicti Commiſſarij Generalis Ciſmontani iuriſdictione. Hæc Concluſio probatur.

Primo nam in conſtitutionibus Generalibus, factis pro Indiarum Prouincijs, c. 1. de Commiſſario Generali Indiarum, ſequentia habentur verba. *Commiſſarius Generalis Indiarum, immediatè ſit ſubditus Generali Miniſtro in omnibus & per omnia, & nulli alteri Prælato & Superiori erit ſubditus & ſubiectus*, & infra agendo de ſocijs eiuſdem dicitur, *qui nimirum ſocij, erunt ſubditi tantum Miniſtro Generali & Commiſſario Generali Indiarum*. Ex quibus ſuperque ſatis colligitur ſupradicta concluſio. Etenim ſi Indiarũ Prouinciæ eſſent ſubditæ & ſubiectæ Commiſſario Generali Ciſmontano, non videtur qualiter dictus Commiſſarius Generalis Indiarum, eiuſque ſocij ab ipſius iuriſdictione commode eſſe poſſent exempti.

Nota hoc valde.

Secundo probatur idipſum, nam prædictæ conſtitutiones ſæpiſſime dicunt, quod Indiarum negocia referantur ad generalem Miniſtrum, vel ad ſuũ Commiſſarium Generalem Indiarum: nunquam vero dicunt, quod referantur ad dictum Commiſſarium Generalem Ciſmontanum, ſignum ergo eſt, quod eiuſmodi Prouinciæ non ſunt illi ſubditæ, neque ſubiectæ, quinvero omnino exemptæ ab ipſius iuriſdictione.

Tertio probatur idipſum, ex vſu & experientia & communi praxi, nam ex quo ſupradictæ conſtitutiones Generales Toletanæ conditæ ſunt, Cõmiſſarius Generalis Ciſmontanus, nunquam ſe intromiſit, ſeu quempiam actum iuriſdictionis exercuit in ſupradictas Indiarum Prouincias, neque in Fratres in illis partibus exiſtentes, aut in cauſis & negotijs illinc venientibus & ad Indias ſupradictas pertinentibus, neque vero ſi vellet illudque facere attentaret, vllo ſibi modo à Senatoribus ſupremi Regalis Conſilij Indiarum permitteretur, cum præter generalia ſtatuta, id multis Regalibus mandatis & prouiſionibus, ſit omnino veritum atque prohibitum: dicendum igitur eſt, firmiterque tenendum, quod nullã omnino illic habet iuriſdictionem, & quamuis in toto orbe antiquo nulla ſit noſtri ordinis prouincia, in tota Ciſmontana familia, quæ non ſit ſubdita ſupradicto Commiſſario Generali, tamen in orbe noub, ſeu in Indiarum partibus, & Prouincijs, quæ noui orbis eſſe dicuntur, nullam prorſus ipſe iuriſdictionem habet; ſed immediate in omnibus & per omnia, ſubduntur proprio ſuo Commiſſario Generali in Regali Curia reſidenti, de quo dicemus ſtatim. Dixi notanter nulla prouincia, non autem nullus cõuentus, nam vt dicitur, idque accepi à teſtibus fidedignis, facer noſter Conuentus Pariſienſis, exẽptus eſt à iuriſdictione prædicti patris Commiſſarij Generalis, & immediate ſubiectus Generali Miniſtro, iuxta quandam antiquam concordiam, quæ hac de re olim facta fuit, quæ etiam hucuſq; dicitur obſeruari.

Nota quod Pariſienſis Conuentus, exẽptus eſt à iuriſdictione Commiſſarij Generalis Ciſmontani, & immediate ſubijcitur Generali Miniſtro.

ARTICVLVS VI.

De duratione officij ſupradicti Commiſſarij Generalis.

Concluſio.

Officium ſupradicti Commiſſarij Generalis, hodie durat per triennium tantum.

OFficium prædicti Commiſſarij Generalis, nunc eſt triennale. Pro huius Cõcl. declaratione adnotare oportẽt, quod duratio officij ſupradicti Commiſſarij Generalis olim fuit per triennium tantum ſecundum Bullam vnionis, ſed poſtmodum eius officiũ extenſum fuit ad quadriennium, per nouam Conſtitutionem Pij V. in Bulla, quæ incipit, *Paſtoralis officij*, publicata in capitulo Generali Romæ, celebrato anno Domini 1571. at nunc de nouo redactũ eſt ad triennale tempus, per nouam aliam Conſtitutionem Sixti V. quæ incipit, *Et communis cura paſtoralis officij*. Data Romæ die 29. Iulij, anno 1587. Pontificatus ſui anno 3. Et hoc eſt quod nunc habetur in cõmuni praxi. Nam quamuis in noſtris Generalibus Conſtitutionibus Toletanis, cap. 7. agendo de eiuſmodi Commiſſario Generali, dicatur quod eius officium durat per quadriennium: loquuntur iuxta id quod eo tempore obſeruabatur, per ſupradictam Conſtitutionem Pij. V. Dicitur etiam ibi, quod dicto tempore elapſo, nouus Commiſſarius Generalis eſt eligendus in Capitulo generali intermedio, à Miniſtris Prouincialibus & Cuſtodibus, & à reliquis Vocalibus illius familiæ, qui ſecundum ordinis ſtatuta vocem habent in Capitu-

Notãda circa prædictũ Cõmiſſarium Generalem Miniſtrum.

pitulis Generalibus, & quod dictus Commiſſarius Generalis, in eo Capitulo, in quo ſuum expleuerit officium, & deinceps in omnibus Comitijs Generalibus habebit vocem in omnibus electionibus tam in Diſcretorio, quam in Diffinitorio.

Ordinatur vlterius ibidem, quod dictus Commiſſarius Generalis, non poſſit ad idem officium, nec ad miniſterium Generalis Miniſtri eligi, niſi poſt 16. annos. Hæc vt olim: ſed modo dicendum eſt, poſt 12. per nouam cõſtitutionem Sixti V. poſtquam ſuo fuerit officio functus, ſecundum Apoſtolicas Conſtitutiones, niſi aliud à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum. Vicarius tamen Ordinis, ſiue Vicecommiſſarius Generalis bene eſſe poterit, qui olim fuit Commiſſarius Generalis, etiamſi huiuſmodi anni nondum fuerint finiti & terminati.

Statuitur præterea in dictis Conſtitutionibus, quod ſi prædictus Cõmiſſarius Generalis, electus ſecundum formam & Bullam vnionis per mortẽ vacauerit, aut ex quacũque alia cauſa & ratione, idem omnino fiat quantum ad Vicecommiſſarium Generalem, quod dictum eſt de vacatione Generalis Miniſtri, & Vicarij Ordinis: nam ille, qui fuerit canonice electus à Diſcretis Ordinis, exiſtentibus in ea natione, & ſex Prouincialibus & totidem Diſcretis Prouinciarum ex vicinioribus Prouincijs conuocandis, erit Vicecommiſſarius Generalis, vſque ad Capitulum quod erit celebrandũ, habens plenitudinem poteſtatis. Et additur, quod virtute eiuſdem Conſtitutionis erit ipſo facto confirmatus, & ſtatim exercebit ſuum munus & officium ſine alia vlteriori diligentia. Hæc in ſupradictis Conſtitutionibus Generalibus Toletanis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in noſtris Generalibus Conſtitutionibus, ſint aliqua interdicta atq; prohibita ſupradicto Commiſſario Generali, & ſolummodo Miniſtro Generali reſeruata?

ET videtur ex vna parte quod non, nã vt dictum eſt, Commiſſarius generalis prædictus ex decreto & Conſtitutione Apoſtolica, tradita in prædicta Bulla vnionis, habere debet in omni ſua familia, quid quid & Generalis Miniſter in toto Ordine, ſuasq; illi vices debet trãsfundere, ex quo videtur quod quidquid conceditur Generali Miniſtro ratione ſui officij, omne illud omnino habere debet prædictus Commiſſarius, eo ipſo quod eligitur & cõfirmatur, ratione ſui miniſterij. Et confirmatur, nam inſtitutio Commiſſarij generalis ſupradicti (vt etiam dictum eſt ſupra) facta fuit in fauorem, & beneficium totius Ordinis, & propriæ ſuæ familiæ (reſpectiuè) ergo non oportuit ipſius auctoritatem reſtringi, quin vero potius ampliari, ſiquidem expedit, vt in vnaquaque familia, habeatur tota poteſtas Generalis Miniſtri, vt ne ipſius iuriſdictio in ſuo miniſterio ſit manca, ſiue defectuoſa.

Sed his nihilominus non obſtantibus, certiſſimũ eſt aliqua eſſe in noſtris generalibus conſtitutionibus, dicto Commiſſario generali prohibita, & ſolum Miniſtro generali reſeruata, quæ vt præmanibus habeantur, de eis ſequens ſtatuitur Cõcluſio.

Concluſio.

Quæ dicantur eſſe prædicto Commiſſario Generali prohibita?

QVamquam in Conſtitutionibus generalibus nihil reperiatur expreſſè, Miniſtro generali reſeruatum, & Commiſſario generali prohibitũ, nihilominus aliqua ibidem ſunt verba, ex quibus idipſum non incongrue colligitur, & ſunt quæ ſequuntur.

Primo habetur in Conſtitutionibus Toletanis, cap. 1. de receptione Nouitiorum. § de Laicis, *quod nullus poſt profeſſionem, de Laicatu ad Clericatum aſcendat, niſi de licentia Capituli, vel Miniſtri Generalis*, ex quo colligunt quidam, id eſſe prædicto Commiſſario generali prohibitum.

Secundo in eiſdem Conſtitutionibus, cap. 4. de modo interius conuerſandi, §. de incorporatione habetur, *quod nullus incorporetur in alienã Prouincia, niſi ex licentia vtriuſque Prouincialis, vel Generalium Prælatorum, & ex conſenſu Capituli Prouincialis, quod diſſentiente nulla alicuius Prælati licentia ſuffragetur, niſi Miniſter Generalis ex officio id effecerit.* Et additur ibidem: *Monemus tamen eundem Reuerendiſſimum Miniſtrum Generalem, ne id vnquam faciat, niſi magna & notoria efflagitante ratione.* Ex his etiam verbis, colligũt prædicti, id eſſe ſolummodo Miniſtro generali reſeruatum.

Tertio in cap. 9. earundem conſtitutionum, agẽdo de ſuffragijs defunctorum, habetur, *vt nullus Prælatus poſsit in dominicis diebus, pro aliqua occaſione etiam pro expenſis Capituli Generalis, vel Prouincialis aliquas Miſſas dicendas diſtribuere, nec alicui Fratri concedere, vt pro ſua vel alterius intentione poſsit celebrare.* Hoc dicitur eſſe etiam ſupradicto Commiſſario generali prohibitum.

Quarto dicunt, quod Commiſſarius generalis ſupradictus, non poteſt celebrare capitulum generale, ad eligendum ſucceſſorem, quia id omnino pertinet ad Miniſtrum generalem, vt conſtat ex communi vſu & conſuetudine.

Quinto dicitur quod Commiſſarius generalis, non poteſt mittere fratres ad partes Hieroſolymitanas, per expreſſam prohibitionem ſibi factam in Capitulo generali Burdegalenſi, celebrato anno Domini 1520. cuius meminit Enchiridion, fol. 101. pagin. 1.

Sexto in eodem capitulo prohibitum fuit eidẽ, & cunctis Prouincialibus Miniſtris, vt non mittãt Fratres ad Romanam Curiam, ſine manifeſta neceſſitate & cum conſilio Patrum.

Septimo dicitur eſſe ſibi prohibitum ex conſuetudine, habere votum in electionibus Prouinciarum, nempe Prouincialium, Diffinitorum, Cuſtodum, & Diſcretorum, neque in electione Guardianorum, & in reliquis omnibus electionibus, pertinentibus ad Prouincias.

Octauo dicitur, eſſe etiam ſibi prohibitum diſpenſare in omni diſpoſitione, qua in noſtris Generalibus conſtitutionibus dicitur, quod aliquid poſſit facere Miniſter generalis, ſeu conceditur Miniſtro

ſtro generali in ſingulari, quia (inquiunt) quando dictæ conſtitutiones volunt, vt Commiſſarius generalis prædictus id poſſit facere, vtuntur plurali numero & vniuerſali Prælatorum nomine dicendo, nulli Prælati hoc poſſint facere, niſi fuerint Prælati generales, vel hoc non fiat ſine expreſſa Prælatorum generalium licentia.

Quæ in cõmuni atq; in generali cõueniant Cõmiſſario Generali prædicto.

Hæc ſunt, quæ dicuntur prohibita ſupradicto Commiſſario generali Miniſtro, in reliquis autem omnibus poteſt in ſua familia, quidquid Miniſtri generales in toto ordine, & electus iuxta modum & formam contentam in Bulla vnionis, atque eligitur modo, habet vocem in cunctis electionibus capituli generalis, quando incipit & deſinit ſuum officium actiuam & paſſiuam, tam in diffinitorio, quam in Diſcretorio, imo vero peracto ſuo officio habet votum in omnibus capitulis generalibus ſuæ familiæ, tam quoad electionem Commiſſarij generalis, quam quoad omnes alias electiones, quæ fiunt in Diſcretorijs & Diffinitorijs, nam vt habetur in ſupradictis conſtitutionibus Toletanis cap. 8. §. de capitulo generali totius ordinis, poſt peractum ſuum officium, prædicti Commiſſarij generales ſunt perpetui Vocales, & perpetui Diffinitores, ad omnia capitula generalia ſuæ familiæ, & qui fuit Commiſſarius generalis electus modo prædicto, habet etiam vocem actiuam & paſſiuam ad electionem Vicarij generalis totius Ordinis.

ARTICVLVS VIII.

De Capitulo Generali intermedio, qualiter & quando ſit celebrandum?

Prima Concluſio.

Diffinitorij vnio Commiſſarij Generalis cogendũ eſt Generale Capitulũ interme diũ, ad electionem alterius.

DInito triennio Commiſſarij generalis, electi ſecundum Bullam Vnionis, cogendum eſt generale capitulũ per Miniſtrum generalem, aut per Vicarium totius Ordinis ad electionem alterius. Hæc concluſio habetur expreſſa in ſupradicta Bulla vnionis, & in noſtris generalibus conſtitutionibus Toletanis, cap. 8. §. de capitulo generali intermedio, vbi dicitur quod ad hoc capitulum, accedere tenentur omnes Prouinciales & Cuſtodes, & cæteri Vocales totius familiæ, pro qua eligendus eſt Commiſſarius generalis ſupradictus, & quod huiuſmodi capitulum intermedium, celebrandum eſt in capitulo Pentecoſtes, vbi fuerit ſtatutum, & Vocales tenentur accedere ad locum, in quo dicta Comitia ſunt celebranda, Feria ſexta ante dictum feſtum ad horam prandij.

In dicto Capitulo Generali intermedio, eligendus eſt nouus Cõmiſſarius Generalis, & ſex Diffinitores ex eadẽ familia.

Secunda Concluſio.

IN dicto generali capitulo intermedio, eligendus eſt nouus Commiſſarius generalis, & ſex Diffinitores de eadem familia, neque reeligi poſſunt, qui in præcedenti capitulo totius Ordinis fuerunt Diffinitores ab eadem familia electi, & in eiuſmodi Diffinitores generales non poſſunt eligi, niſi ſint de corpore capituli, quamuis ſint præſentes. Hæc concluſio habetur expreſſa, in ſupradictis conſtitutionibus generalibus Toletanis, capit 8. §. de capitulo generali intermedio, & cap. 7. de electionibus & inſtitutionibus officiorum. §. de Diffinitoribus generalis capituli, & ibidẽ §. de Commiſſario generali. Vbi etiam dicitur, quod ſi propter bella, aut propter aliquod aliud impedimentum, non poſſit commode prædictum capitulum generale intermedium conuocari, in eo caſu generalis Miniſter, de conſilio aliquorum Patrum, poterit eundem Commiſſarium continuare, vel alium de nouo inſtituere. Statuitur tamen & declaratur, quod Commiſſarius generalis ſic inſtitutus non erit Prælatus ordinarius, nec habebit votum in capitulo generali, neque habebit eaſdem præeminentias, quas habent Commiſſarij generales, electi ſecundum Bullam vnionis, niſi forſan is qui inſtituitur, fuiſſet olim Miniſter, aut Commiſſarius generalis, habebit tamen plenitudinem poteſtatis, ad gubernandam totam ſuam familiam.

Tertia Concluſio.

RElIqua omnia, ſpectantia ad electiones, ſyndicationes, conſtitutiones, concluſiones, Prædicationes, & quoad Congregationem Diſcretorij, & Diffinitorij, & confectionem Tabulæ, ſimili modo fieri debent, ſicut eſt dictum ſupra de capitulo generali. Hæc concluſio habetur vbi ſupra cap. 8. §. de capitulo generali intermedio, vbi etiam dicitur, quod ordo ſedendi ſeruetur, ſicut dictum eſt ſupra de capitulo generali, & quod ſi commode fieri poteſt, omnes Miniſtri Prouinciales ſedeant ad manum dexteram, & Cuſtodes ad læuam, nec Miniſtri cum Cuſtodibus, & Cuſtodes cum Miniſtris commiſceantur.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Generalis Miniſter, ſi à ſua familia velit diſcedere, poſſit in illis partibus Commiſſarium Generalem inſtituere.

Concluſio.

Si Generalis Miniſter à ſua familia velit diſcedere, poterit loco ſui, de cõſilio patrũ, aliquẽ Cõmiſſarium inſtituere.

SI Miniſter generalis, propter aliquam rationem & cauſam à ſua familia velit diſcedere, poterit pro tempore quo fuerit abſens, loco ſui alium Commiſſarium inſtituere, de conſilio & aſſenſu Diffinitorum, ſeu aliquorum Patrum Diſcretorum alicuius Prouinciæ. Hoc conceſſit expreſſè Leo X. in ſupradicta Bulla vnionis. Verum eſt tamen, quod ibi dicitur, *vt fiat de conſilio & conſenſu Diffinitorum Capituli Generalis duntaxat*, ſed in noſtris conſtitutionibus Toletanis, cap. 7. §. de Commiſſario generali, vbi hac de re agitur, dicitur quod id poterit facere, *cum conſilio aliquorum Diſcretorum alicuius Prouinciæ*, cum difficile ſeu potius impoſſibile cenſendum ſit, ad hunc effectum, & ad conſimiles cauſas Diſcretos & Patres Ordinis, & Diffinitores conuoca-

uocare. Sed aduerto quod huiuſmodi Commiſſarius Generalis ſic inſtitutus nominatus, ſiue ſuffectus, expleto officij ſui miniſterio, & aduenientе Generali Miniſtro, nullam propterea exemptionem, ſeu præeminentiam habebit, cum non ſit electus ſecundum Bullam vnionis, vt in præcedenti Articulo dictum eſt. Hactenus de iſto Articulo, & tota Quæſtione.

QVAESTIO. XII.

De Diffinitoribus Capituli Generalis, atque etiam intermedij, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quotnam ſint eligendi Diffinitores, in Capitulo generali totius Ordinis, ſiue in intermedio?

Prima Concluſio.

In Capitulo Generali totius Ordinis, duodecim Diffinitores vtriuſque familiæ ſunt eligẽdi. ſex ex vna ſex vero ex alia.

IN Capitulo Generali totius Ordinis, vtriuſque familiæ duodecim Diffinitores ſunt eligendi, ſex ex vna familia, & totidem ſex ex alia, & vnaquaque familia, quæ reſpectiuè Ciſmontana vel Vltramontana nuncupatur ſuos eligit Diffinitores.

Hæc concluſio habetur expreſſa, in noſtris Conſtitutionibus Generalibus Toletanis cap. 7. de electionibus & inſtitutionibus officiorum. §. de Diffinitoribus Capituli Generalis, vbi & dicitur: quod vt vnitas & verá fraternitas, diutius in Ordine conſeruetur, declaratur ad Ciſmontanam familiam, quætalis eſſe dicitur reſpectu exiſtentium Toleti ſequentes Prouincias pertinere.

Prouinciæ pertinentes ad familiã Ciſmontanam, ſunt quæ ſequũtur

1 Prouincia Franciæ.
2 Prouincia Franciæ Pariſienſis.
3 Prouincia Caſtellæ.
4 Prouincia Saxoniæ, Sancti Ioannis Baptiſtæ.
5 Prouincia Saxoniæ Sanctæ Crucis.
6 Prouincia Turoniæ.
7 Prouincia Turoniæ Pictauienſis.
8 Prouincia Aragoniæ.
9 Prouincia Argentinæ.
10 Prouincia Aquitaniæ.
11 Prouincia Sancti Iacobi.
12 Prouincia Coloniæ.
13 Prouincia Sancti Bonauenturæ.
14 Prouincia Portugaliæ.
15 Prouincia Sancti Ludouici.
16 Prouincia Hyberniæ.
17 Prouincia Scotiæ.
18 Prouincia Conceptionis.
19 Prouincia Daciæ.
20 Prouincia Britanniæ.
21 Prouincia Angliæ.
22 Prouincia Bethicæ
23 Prouincia Burgenſis.
24 Prouincia Angelorum.
25 Prouincia Pietatis.
26 Prouincia Sancti Gabrielis.
27 Prouincia Carthaginenſis.
28 Prouincia Flandriæ.
29 Prouincia Germaniæ inferioris.
30 Prouincia Algarbiorum.
31 Prouincia Sancti Euangelij de Mexico.
32 Prouincia Maioricarum.
33 Prouincia Aquitaniæ Reformat.
34 Prouincia Sancti Michaelis.
35 Prouincia Cantabriæ.
36 Prouincia duodecim Apoſtolorum Limæ.
37 Prouincia Canariæ.
38 Prouincia Sancti Andreæ.
39 Prouincia Sardiniæ.
40 Prouincia Valentiæ.
41 Prouincia Cathaloniæ.
42 Prouincia Sancti Ioſeph, in noua Hiſpania, aliàs de Yucatam.
43 Prouincia Arrabidorum.
44 Prouincia Sancti Ioſeph in Caſtella.
45 Prouincia Sancti Ioannis Baptiſtæ.
46 Prouincia Sancti Petri & Pauli, Mechoacã, in noua Hiſpania.
47 Prouincia nominis Ieſu de Guatimala.
48 Prouincia Sanctæ fidei nouæ regni Granatẽſis
49 Prouincia Sanctiſſimæ Trinitatis de Chile.
50 Prouincia Sancti Franciſci de Quito.
51 Prouincia Sancti Antonij Charcarum.
52 Prouincia Sancti Georgij Nicaragua, in noua Hiſpania.
53 Prouincia Sanctæ Crucis Inſulæ Sancti Dominici, Hiſpaniolæ nuncupatæ.
54 Prouincia Granatenſis.
55 Prouincia S. Pauli in Caſtella.
56 Prouincia, ſiue Cuſtodia Sancti Thomæ in India Orientali.
57 Cuſtodia Terræ firmæ Indiarum,

¶ Ad familiam vero Vltramontanam. ſequentes ſpectant Prouinciæ.

Prouinciæ pertinentes ad familiam Vltramontanã ſunt quæ ſequũtur

1 Prouincia ſancti Franciſci.
2 Prouincia Romana.
3 Prouincia Marchiæ.
4 Prouincia Tuſciæ.
5 Prouincia Bononiæ.
6 Prouincia Sancti Antonij.

Pro.

7 Prouincia Genuæ.
8 Prouincia Mediolani.
9 Prouincia Principatus.
10 Prouincia septem Martyrum.
11 Prouincia Siciliæ.
12 Prouincia Sancti Nicolai.
13 Prouincia Sancti Bernardini.
14 Prouincia Sancti Angeli.
15 Prouincia Dalmatiæ.
16 Prouincia Candiæ.
17 Prouincia Bosnæ Croatiæ.
18 Prouincia Austriæ.
19 Prouincia Bohemiæ.
20 Prouincia Poloniæ.
21 Prouincia Corsicæ.
22 Prouincia Ragusij.
23 Prouincia Brixiæ.
24 Prouincia Basilicatæ.
25 Prouincia Vngariæ Saluatoris.
26 Prouincia Bosnæ Argentinæ.
27 Prouincia Vngariæ Sanctæ Mariæ.
28 Prouincia Terræ laboris.
29 Prouincia Lituaniæ.
30 Prouincia Custodiæ terræ Sanctæ.
31 Prouincia Custodiæ Albaniæ.
32 Prouincia Tirolensis.
33 Prouincia Calabriæ.
34 Prouincia Sancti Didaci.

Qualiter sint eligendi Diffinitores familiæ Cismontanæ.

Sex Diffinitores Cismontanæ familiæ sic eligẽtur ab omnibus Vocalibus prædictæ familiæ; duo Diffinitores eligentur ex Prouincijs Hispaniæ, & noui Orbis.

Vnus vero ex quatuor Prouincijs reformatorum in Gallia, quæ sunt sequentes, videlicet Prouincia Franciæ, Prouincia Turoniæ, Prouincia Sancti Bonauenturæ, Prouincia Aquitaniæ recẽtioris.

Alius Diffinitor eligetur, ex quinque Prouincijs de familia, quæ sunt in Gallia, & sunt sequentes, videlicet, Prouincia Franciæ Parisiensis, Prouincia Turoniæ Pictauiensis, Prouincia Aquitaniæ, Prouincia Britanniæ, Prouincia Sancti Ludouici.

Alius Diffinitor eligetur ex sex Prouincijs Belgicis, & ex alijs quæ sunt cũ illis aggregatæ, quæ sunt sequẽtes. Prouincia Hiberniæ, Prouincia Scotiæ, Prouincia Angliæ, Prouincia Flandriæ, Prouincia Germaniæ inferioris, Prouincia Sancti Andreæ.

Alius Diffinitor eligetur, ex Prouincijs Germaniæ superioris, quæ sunt sequentes. Prouincia Saxoniæ Sanctæ Crucis, Prouincia Saxoniæ Sancti Ioannis Baptistæ, Prouincia Argentinæ, Prouincia Coloniæ, Prouincia Daciæ.

Si vero contingat, quod ex prædictis nationibus, vnus aut alter tantum venerit, ille eligatur, si vero nullus ex prædictis nationibus venerit, ex alijs Prouincijs sufficiantur, prædicti Diffinitores ad arbitrium Capituli Generalis.

Qualiter sint eligendi diffinitores familiæ Vltramontanæ.

Quantum vero attinet ad Diffinitores Vltramontanæ familiæ, præcipitur vt seruentur illarum partium consuetudines & statuta. Hæc quantum ad Diffinitores Capituli Generalissimi totius Ordinis: quantum vero attinet ad Diffinitores Capituli Generalis intermedij, sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

In Capitulo generali intermedio, tantũ sunt eligendi sex diffinitores.

IN Capitulo Generali intermedio, tantum sunt eligendi sex Diffinitores, nec reeligi possunt illi qui in præcedenti Capitulo totius Ordinis, fuerunt Diffinitores ab eadem familia electi. Hæc cõclusio habetur in supradictis Constitutionibus Generalibus cap. 8. §. de Capitulo Generali intermedio, & in cap. 7. præcedenti, titulo de Diffinitoribus Capituli Generalis in fine, vbi habetur, quod quando Capitulum Generale intermedium fit celebrandum, vacabunt sex Diffinitores pro illa familia electi in præcedenti Capitulo Generali, & alij sex secundum prædictum Ordinem de nouo eligentur, & etiam statuitur, vt prædicti Diffinitores Generales, non possint eligi nisi sint de corpore Capituli, quamuis sint præsentes.

ARTICVLVS II.

Quodnam sit supradictorum Diffinitorum munus & officium?

Prima Conclusio.

Diffinitorum generalium munus & officiũ est simul cum generali Ministro diffinire atque expedire, omnia ordinis negotia, seu cuiuslibet familiæ respectiue.

SVpradictorum Diffinitorum Generalium munus & officium (vt ipsum nomen sonat) est in Capitulo Generali, seu intermedio cõgregatos, simul cũ Generali Ministro, diffinire & expedire omnia, quæ ad bonam, atque exactam gubernationem totius Religionis, seu cuiuslibet particularis familiæ, respectiuè, pertinent. Hæc conclusio satis cõstat ex supradictis. Sunt itaque supradicti Diffinitores ad modum Senatorum, à quibus in Romana olim Republica, cuncta cuiusuis ponderis atque momenti negotia expediebantur & diffiniebantur, quibus etiam inconsultis, nihil omnino agebatur æstimatione dignum. Hoc etiam in praxi & consuetudine positum fuit, à nostri sacri Ordinis primordijs, & statutum atque ordinatum, vt simul cum Generali Ministro, essent semper aliqui nostræ Religionis Patres assistentes eidem, ad diffiniendas, decidendas atque determinandas res omnes ad nostrum sacrum Ordinem pertinentes, qui & proinde Diffinitores vocantur. Quod & credo obseruari in Religionibus cunctis, quamuis non eodem nomine nuncupentur, sed alicubi Consiliarij, alij vero assistentes, nonnunquam Consultores. Vtcumque id sit, officium tamen & ministerium eorum, est omnino vnum & idem, & sola est differentia in nomine, secundum varias & diuersas Religionum Constitutiones.

Secunda Conclusio.

Diffinitores actuales supradicti, sunt actu discreti & Patres Ordinis.

DIffinitores prædicti, dum actu sua munera & officia exercent, hoc est à Capitulo in quo electi sunt, vsque ad sequens Capitulum, sunt Discreti & patres Ordinis, habentque votum & vocem in cunctis electionibus, tam Ministri, quam Commissarij Generalis. Vocarique debent ad electionem Vicarij Generalis, & ad quodcumque negotium totum Ordinem concernens (si id commode fieri

Notá quod ſit ſpecialiter munus & officiũ dictorum diffinitorum.

fieri poſſit) & in Diffinitorio habent vocem electiuam, conſultiuam atque diffinitiuam, tam in Capitulo Generali, quã in Capitulo ſiue Cõgregatione intermedia, ad decidendas omnes res grãues, quæ illuc deferuntur. Quorum conſilium nõ ſolùm petere, verum etiam & ſequi tenentur Generales Miniſtri, in his quæ ad agendum cum conſilio, ſunt obligati, quæ omnia Diffinitores prædicti fideliter tenentur præſtare. Habetur hæc concluſio, in varijs noſtrarum Generalium conſtitutionum partibus, ſed præcipue. cap. 7. de electionibus. §. de diſcretorum electione, & §. de Commiſſario Generali Miniſtro, & de Vicario Ordinis, & §. de Capitulo Generali totius Ordinis, vbi dicitur, quod in ſingulis diebus durante dicto Capitulo Diffinitorium congregetur, in quo fiat collatio ſuper his, quæ de Prouincijs ad Capitulũ ſunt tranſmiſſa. & ordine ſuo videantur in Diffinitorio & illic omnes cauſæ diffinantur. Et additur ibidẽ quod nulla ſtatura valeat Diffinitorium efficere, ſine conſenſu maioris partis Capituli, nec totum Capitulum valeat aliquid determinare, ſine approbartione maioris partis Diffinitorij. Hoc eſt ſupradictorum Diffinitorum Generaliũ munus, & officium, quæ pro iſto Articulo, & tota quæſtione dicta ſufficiant: nam reliqua, quæ in communi ad Diffinitorum omniũ munus & officium ſpectant, congruentiori loco dicentur infra, quando agemus de Prouinciarum Diffinitoribus.

QVAESTIO XIII.

De Procuratore & Commiſſario Romano, & de Commiſſario etiam in Curia Hiſpaniarum Regis reſidente, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vnde nam ortum & originem habuerit officium Procuratoris Romani, in noſtro ſacro Minorum Ordine, & quod nam ſit eius munus & officium?

ALij duo Officiales conſtituuntur in noſtro ſacro Minorum Ordine, ad abſoluenda & peragenda negocia, quæ in Romana Curia ſolent occurrere, quorum alter appellatur Procurator generalis Ordinis, alter verò Commiſſarius Romanæ Curiæ. De quibus in hac quæſtione eſt agendum à nobis per ordinem, & poſtmodum de Commiſſario in Curia Regis Hiſpaniarum reſidente. Et primo dico, quod de primæua inſtitutione prædicti Procuratoris Generalis, nihil in Ordine habetur omninò exploratum, nam in Regula Seraphici Patris noſtri Franciſci, nulla huius muneris & officij fit mentio, imò verò nec in cõſtitutionibus antiquis. Solummodo in libro, cui titulus Supplementum in principio, fit mentio cuiuſdam Patris F. Martini à Garibay, olim in Romana Curia noſtri Ordinis Minorum ſancti Franciſci Commiſſarij ſeu Procuratoris, fratrum Vltramontanorum. Ex quo colligitur primo. quod ſaltem hoc munus & officium in Ordine, non eſt nouum quin verò antiquum, nã quamuis ibidem non præfigatur annus, neque de ipſius dicatur initio; conſtat tamen fuiſſe ante tẽpora Sixti IIII. qui vt dicitur in Chronicis, & refertur in Catalogo Summorum Pontificum, præfuit Eccleſiæ anno Domini 1471. atque hoc officiũ habet antiquitatis, ad minus 140. annos. Secundo colligitur, quod olim munus & officium Procuratoris & Commiſſarij Romani, erat vnum & idẽ, vtroque enim nomine nuncupatur ſupradictus frater Martinus à Garibay indiſtincte, loco ſupra citato, iam Procurator, iam verò Commiſſarius Romanus. Ex quo apparet quod olim nõ erãt duo diſtincta prædicta officia, ſed tantùm vnum & idem. At modo duo ſunt diſtincta & deſeruit eorũ vnum pro Ciſmontanis, aliud verò pro Vltramontanis, modo infra dicendo. Et ſi quæratur, ad quem pertineat inſtitutio prædicti Procuratoris Generalis Ordinis? Reſpondetur quod de iure pertinet ad ſolùm Generalem Miniſtrum, nam reuera Procurator Ordinis ſupradictus, eſt verus ipſius Procurator & Vicarius & ſubſtitutus Generalis Miniſtri, ad peragendas cauſas ab eo ſibi commiſſas, ac propterea ad ipſum pertinet eiuſdem inſtitutio, cum quilibet Prælatus ſecundum ius, poſſit & debeat Procuratorem & Vicarium ſuum inſtituere; id quod vſu & conſuetudine eſt confirmatum, cũ aperte conſtet, ſolum Generalem Miniſtrum per ſuas patentes litteras, Procuratorem Generalem Ordinis ſemper inſtituiſſe. Neque dictis obſtat cõſuetudo, qua introductum eſt vt Procurator Ordinis eligendus, proponatur in Diffinitorio à Generali Miniſtro, & quod legatur in Tabula Capituli Generalis, inter reliqua officia, quæ per veram electionem fiunt. Nam quamuis id ita ſit, & Generalis Miniſter ex conſuetudine, ſoleat conſulere Diffinitores & Diſcretos Ordinis, congregatos in Diffinitorio Capituli Generalis, ad eligendum prædictum Procuratorem, non tamen tenetur eorum ſequi conſilium, imò verò ſecundum multos, ſi totum Diffinitorium nominaſſet aliquem in Procuratorem Romanæ Curiæ, & ſolus Generalis Miniſter alium inſtituiſſet, ille eſſet verus Ordinis Procurator, nam nulla lex eſt in Ordine, obligãs Gene-

Ad quem pertineat de iure inſtituere prædictum procuratorem Romanum.

Generalem Miniſtrum, vt eligat dictum Procuratorem ex conſenſu Diffinitorum. Nec etiam dictis obſtant conſtitutiones Generales Toletanæ, cap. 8. §. de capit. General. totius Ordinis, *ibi Procurator Ordinis*, vbi habetur, *quod Procurator Ordinis, & Romanæ Curiæ Commiſſarius, debent in Diffinitorio eligi & nominari.* Nam reſpondetur ad hoc quod cum dictæ conſtitutiones non fuerint factæ in Capitulo Gener. totius Ordinis, ſed ſolummodo Ciſmontanæ familiæ, non potuerunt obligare Gener. Miniſtrũ, atque adeò verba illa, *debent eligi & nominari in Diffinitorio*, non dicunt neceſſitatis debitum, ſed honeſtatis tantummodo. Vel ſecundo dici poteſt, quod quamuis verba prædicta obligarent ſub debito neceſſitatis, non inde ſequitur, quod Diffinitores debent neceſſariò eligere canonice prædictum Procuratorem, quia id in eo loco non dicitur, atque adeò ſufficit quod Miniſter Genera pro ponat ipſum, eligatque eum ſolus, nam verbum *eligere*, in illo loco non ſignificat canonicam electionem, ſed ſimplicem dumtaxat nominationem ex conſilio factam: nã ſecundum ius, quæ ex conſilio ſunt facienda, non neceſſariò obligant ad ſequendum conſilium, vt dicit Sylueſt. verbo, *conſilium*. §. 2. & tenet DD. communiter.

His de inſtitutione officij Procuratoris Romani totius Ordinis dictis, reliquum eſt vt de ipſius auctoritate & poteſtate dicamus, & de alijs quæ ad eius munus & officium ſpectant, quod fiet per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Auctoritas & poteſtas iuriſdictionis, procuratoris Romani eſt illa quã Generalis Miniſter illi contulerit, oportet autẽ vt ipſa ſit plenaria.

AVctoritas & poteſtas iuriſdictionis Procuratoris Romani ſupradicti, in particulari non eſt determinata in noſtris gener. cõſtitutionibus, ſed erit illa quam Miniſter gener. ſibi contulerit. Oportet autem vt ſibi eam conferat plenariam quoad omnia ad ſuum munus & officium ſpectantia. Hæc Concluſio habetur expreſſa in noſtris generalib. conſtit. cap. 7. §. de Procuratoris. gener. Romanæ Curiæ, ibi: *Hinc Procuratori Romani totius Ord. Gener. Miniſter in ſuis litteris atque patentibus, auctoritatem plenariam conferet, ſuper omnes hoſpites eiuſdem familiæ ad Romanam Curiam venientes, item ad abſoluendos Apoſtatas, remittendosque ipſos ad proprias Prouincias, item ad peragenda & dirigenda omnia negocia, quæ in Romana Curia occurrerint, præter ea quæ in eiſdem conſtitutionibus ſpecialiter ſunt ſibi prohibita.* Quorum eſt primum, vt nullo modo ſe intromittant in negocijs de fratribus, pertinentibus ad regimen Prouinciarum, neque intentare audeant aliquod negocium totum Ordinem concernens & eius libertatem coarctans, abſque Generalis Miniſtri ſcitu, cõſenſu & expreſſa licẽtia, nec illud procurari permittant, neque etiam ſe ingerant in agendis negocijs ſecularium. Hæc vbi ſupra.

Quæ nam ſint prohibita, prædicto Procuratori romano.

Secunda Concluſio.

Præeminentia Procuratoris Romani eſt maxima, & ipſe eſt tertia perſona totius Ordinis.

PRæeminentia Procuratoris Romani ſupradicti eſt maxima, cum eius officium ad quod aſſumitur, tantæ ſit auctoritatis vt ſit tertia perſona in vniuerſo Min. Ord. nam poſt Generalem Miniſtrũ, & Commiſſarium Gener. ſtatim ſuccedit Procurator Gener. Ord. Et præterea ad ipſum pertinet, orare in capella Domini Papæ, & eidẽ Capellæ debito tempore intereſſe, vt ibidẽ repræſentet perſonam Generalis Miniſtri, habetque vocem actiuã in electione Generalis Miniſtri atque alijs, & Diffinitorio, & in reliquis omnibus actibus, vt cautũ eſt auctoritate Apoſtolica. Hæc omnia habentur in ſupradictis conſtitutionibus Gener. loco ſupracitato, vbi etiam dicitur, quod ſupradictus Procurator Gener. Ord. ſemper inſtituatur de eadem familia, ex qua aſſumptus eſt Gener. Miniſter, & quod omnes hoſpites ſuæ familiæ, ad Romanam Curiam venientes, in Conuentu de Ara-Cœli coram ipſo ſe præſentent, eidemque ſua negocia exponant, quæ habent peragenda, quo facto poſt triduum omninò à Curia recedant, relinquentes prædicta negocia eidem Procuratori Romano expedienda. Et præcipitur, quod nullus omninò frater, cuiuſcunque gradus & conditionis extiterit, ſub pœna priuationis actuum legitimorum, ſe intromittere poſsit in negocijs Ordinis, vel procurare audeat aliquam gratiam in præfata Romana Curia, ſtatum familiæ noſtræ concernentem, aut aliquod negotium in dicta Curia expedire, ſine illius aſſenſu & licẽtia. Et quod Miniſtri Prouincia. hoc obſeruent, & in ſuis Prouincijs obſeruari faciant, tam quoad fratres quam quoad Moniales, & oppoſitum facientes per Prælatos gene. puniantur. Præcipitur etiam, vt Procurator Ordinis ſupradictus, fratres ſine obedientia ad eius præſentiam veniẽtes, ad nullam aliam Prouinciam præterquam ad propriam, poſſint deſtinare. Ex dictis omnibus ſequitur, qualis eſſe debeat, & quantæ auctoritatis, Religioſus dicto muneri præficiendus, nam eſſe debet vir litteratus, aptus negocijs gerendis, bonæ perſonæ, bene natus, amabilis, affabilis, & qui apparere poſſit conſpectui Summi Pontificis, & Illuſtriſſi. Cardinalium, & inter ſeculares conuerſari, & de ſe & negotijs Ordinis ſibi cõmiſſis, exactam rationem reddere. Hinc in Capit. gener. Romano, habito anno 1587. ſtatutum fuit, vt ad id muneris nullus aſſumatur, niſi Prouincialatus officio fructus fuerit.

Quæ nam ſint officium Procuratoris Romani.

Tertia Concluſio.

Procurator Ordinis, ſiue Romanæ Curiæ, nulli ſubijcitur, niſi Generali Miniſtro, & Cõmiſſario Generali illarum partiũ, in abſentia Generalis Miniſtri

PRocurator Ordinis ſupradictus, nulli omninò ſubijcitur, niſi Gener. Miniſtro, & Commiſſario Gener. illarum partium, dum ab eiſdem partibus abierit gener. Miniſter, ita quod ab ipſo Commiſ. gener. poterit corrigi ſi deliquerit, etiam vſque ad ſuſpenſionem ſui Officij, ſaltem quoad vſque, ea de re certior fuerit factus, ſupradictus gener. Miniſter. Hoc habetur in dictis Conſtit. gener. loco ſupracitato vbi & dicitur: *Alteri autem Prælato, ſiue locali ſiue Prouinciali, vna cum duobus ſocijs quos ſecum habere poteſt non ſubijciatur.* In Capitulo autẽ gener. habet maximam præcedentiam dictus Ordinis Procurator, nam præcedit omnes Prouinciales Miniſtros ſuæ familiæ, excepto Miniſtro Prouinciali illius Prouinciæ in qua celebratur Capitulum, vt diſponitur in dictis Conſtitutionibus generalibus; ipſum tamen Procuratorem, ſolummodo præcedunt illi, qui fuêre olim Miniſtri aut Cõmiſſarij generales, & qui ſunt actu Diffinitores

Capi-

Capituli Generalis, expletoque ſuo Miniſterio & officio in ſua Prouincia, ſecundùm in conſenſu locum tenet, eſtque eiuſdem Prouinciæ perpetuus Diſcretus, vt habetur ex Capitulo Generali Romano, habito anno 1587.

Quarta Concluſio.

Officium Procuratoris Romani nũc nõ durat vltra triennium.

CIrca durationem eſt auctoritate Apoſtolica decretum, vt ipſius officium durare non poſſit vltra triennium, nec poſtea ad dictum officium iterum eligi, neque in Miniſtrum aut Commiſſarium Generalem, niſi poſt duodecim annos, vt conſtat ex quadam Conſtitutione Pij Quinti, quæ incipit, *paſtoralis*, & alia Gregorij XIII. quæ incipit, *conſueuit*. Vbi aduertendum eſt, dici ibidem, quod debet officium prædictum durare per quadriennium, & quod poſtea ſuo functi officio non poſſint reeligi, niſi poſt ſexdecim annos, ſed loquuntur iuxta id quod in conſuetudine poſitum erat illo tempore, quod poſtea immutatum fuit, per aliam Bullam Sixti Quinti, quæ incipit, *Et communis cura paſtoralis officij*. Vbi prædictæ durationis tempus, redactum eſt ad triennium, iuxta formam antiquam traditam à Leone X. in Bulla vnionis pro Commiſſario Generali, excluſionis verò ab alio officio ad duodecim annos, vt ſupra de prædicto Commiſſario Generali etiã diximus. Sed quia hæc mutari & variari ſolent, obſeruandum erit quod ea de re pro tempore à Summo Pontifice fuerit conſtitutum atque determinatum. Tandem dicitur in noſtris Conſtitutionibus, quod quia Procurator prædictus plures facit expenſas in adminiſtratione ſui officij, Prouinciales Miniſtri illius familiæ, teneantur eidem ſecũdùm poſſibilitatem Prouinciarum, competentem eleemoſynam mittere, & quod vt hoc debitum ſortiatur effectum, Miniſtri Generales id obnixe curabunt. Hactenus de officio Procuratoris Generalis Ordinis ſiue Romanę Curiæ.

ARTICVLVS II.

Vnde ortum & originem habuerit officium Commiſſarij Romani, & quodnam ſit eius munus, & quanta ipſius auctoritas?

Quo tempore cæperit officiũ Commiſſ. Romanæ Curiæ?

EX dictis in præcedenti Articulo conſtat, quod licèt modo Commiſſarij Romani & Procuratoris Ordinis, officia ſint diſtincta, olim tamen erat vnum & idem, ſed poſtea quam ſtatus Regularis obſeruantiæ cæpit multiplicari, & habere Prælatos ex ſe ipſis, exeomet tempore, officium Commiſſarij Romani, ſeu Romanæ Curiæ cæpit etiam eſſe, nam Vicarij Generales Regularis obſeruantiæ, non contenti ad Prædictum Procuratorem ſuas cauſas remittere (erant enim tunc Conuentuales Fratres) pro peragendis ſuis negocijs, inſtituebant in Romana Curia ſuos peculiares Commiſſarios. Quod eſſe verum, conſtat ex libro Ordinis, Supplementum nuncupato fol. 96. quo loco dicitur, quod Pater frater Ioannes Philippus, Vicarius Generalis Fratrum Minorum Regularis obſeruantiæ, tempore Sixti Quarti, conſtituit ſuum Commiſſarium in Romana Curia, Patrẽ fratrẽ Natalem de Pomier. Sed à tempore Leonis X. quo ſigillum Ordinis & Generalatus miniſterium, fuit tranſlatum ad obſeruantiam, Generalis Miniſter non ſolùm inſtituit Procuratorem Generalem Ordinis, verum etiam & Commiſſarium Romanæ Curiæ, ſecundùm eam formam, quam obſeruat in Conſtitutione Procuratoris Generalis, proponendo ſcilicet prædictum Commiſſarium in Diffinitorio Capituli Generalis, vt cum Conſilio Diffinitorum & Diſcretorum fiat talis inſtitutio, & etiam ponitur in Tabula officiorum Ordinis, quæ in Capitulis Generalibus confici ſolet. Qui quidem prædictus Commiſſarius Romanæ Curiæ, neceſſariò eligendus eſt ex illa familia, de qua aſſumptus eſt Commiſſarius Generalis, ita quod Procurator Generalis Ordinis, debet eſſe de familia, ex qua ſumptus eſt Generalis Miniſter (vt dictum eſt) Commiſſarius autem Curiæ ex altera familia, ad quem etiam pertinet omnia familiæ ſuæ negotia peragere, ſicut & de Procuratore Generali totius Ordinis eſt dictum. Circa verò ipſius munus, auctoritatem & poteſtatem, & reliqua omnia, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Ad quem ſpectat prædictũ Commiſſ. Romanæ Curiæ conſtituere?

Concluſio.

Auctoritas & poteſtas Commiſſarij Romani, eſt omninò eadem, cum auctoritate, & poteſtate Procuratoris Ordinis, in ſua familia.

AVctoritas atque poteſtas Commiſſarij Romani ſupradicti reſpectu ſuæ familiæ, eſt eadem omninò, cum auctoritate & poteſtate Procuratoris Generalis totius Ordinis in ſua familia. Hæc concluſio conſtat ex noſtris Conſtitutionibus generalibus loco ſupradicto in præcedenti Articulo, vbi de eis indiſtincte ſub vno dumtaxat. §. loquuntur, ac proinde omnes qualitates & conditiones, quas neceſſarias eſſe diximus in Procuratore Generali totius Ordinis, eædem omninò in dicto Commiſſario Romano ſeu Romanæ Curiæ, ſunt neceſſariò requiſitæ, & omnem auctoritatem poteſtatem, & præeminentiam, quam Procurator ſupradictus Ordinis, habet in ſua familia, & in Conuentu de Aracæli & vbique, eandem omninò habet Commiſſarius Romanæ Curiæ ſupradictus, omneſque prohibitiones & obligationes, quæ vni conueniunt, conueniunt & alteri, & etiam ſecundum habere locum in confeſſu, & ſuæ Prouinciæ Patrem eſſe perpetuum expleto ſuo officio, vna ſola dempta obligatione, orandi coram Summo Pontifice, & facultate intereſſendi in Capella ipſius, nam hæc præeminentia ſolum competit Procuratori Romano ſupradicto, qui in capella Domini Papæ, vt dictum eſt ſupra, repræſentat perſonam Generalis Miniſtri.

Et hæc de iſto officio dicta ſufficiant.

(.?.)

ARTICVLVS III.

Vtrùm expediat bonæ gubernationi, vt in Curijs Regum conſtituatur vnus Commiſſarius, ad peragenda Ordinis noſtri negotia, qui dicatur Cõmiſſarius Regalis Curiæ?

HAec difficultas varie agitata atq; cõtrouerſa olim fuit, inter Patres noſtri ſacri Ordinis, affirmantibus quibuſdam id eſſe expediens, multumque neceſſariũ, negantibus verò alijs. Et vt ex oppoſitione contrariorum, veritas plenius eluceſcat, pro parte negatiua, aliquot proponam rationes & argumenta quæ afferebantur à quibuſdam.

Primo quia non videtur expedire bono regimini, atque gubernationi, vt in aliquo Conuentu ſit aliquis Religioſus, qui neq; Guardiano nec verò Prouinciali ſit ſubditus & ſubiectus (quæ ſunt prędicti Commiſ. Regalis Curiæ exemptiones) quin verò id eſſe videtur contra ius & cõtra omnẽ prorſus rationẽ, & cõtra ea, quæ à nobis ſuperius ſunt dicta, de exẽptione Religioſorũ à Prælatorũ ordinariorũ iuriſdictione. Nam quod in præcedẽtibus articulis dictum eſt, de Procuratore Generali Romano & Commiſſario Generali Romanæ Curiæ, haud dubie credendum eſt, quod non id fuerit niſi ex auctoritate Apoſtolica factum & expreſſa aut tacita licentia Summorum Pontificũ, & cum magna atque vrgentiſſima cauſa.

Secundò ad idem ſic argumentabantur. Nã experientia compertum eſt, nullam omninò moraliter loquendo pacem conſeruari poſſe in Cõuentibus, inter Guardianos & prædictum Cõmiſſarium Regalis Curiæ ſi habeatur, quin verò nec inter Prouincialem Prouinciæ, cum & ab ipſius etiã ſit obedientia & iuriſdictione exẽptus, ſed cõtinua futura bella & diſſidia, atq; immortales lites, cũ magno ſcandalo Religioſorum, & ſeculariũ, monſtruoſum eſt enim (aiebant) in vno corpore & vno & eodem Conuentu duo eſſe diſtincta capita, & quod Cõmiſſarius prædictus, abſolutè præcipere & imperare poſſet, liberamq; & abſolutam iuriſdictionem exercere in ſuos hoſpites.

Tertiò ad idem dicebãt, quòd ex eo tota Regularis diſciplina diſſoluebatur in Cõuentu, nã Religioſi (alias diſſoluti, irreligioſi & diſcoli) ad poſtulandã licentiam & egrediendũ Conuentus limites, modo in Cõmiſſarium prædictũ, modo in Guardianum declinabunt, nullaq; omninò erit clauſura, & ſi delinquant, cum iuriſdictio ſit diſtincta, remanebunt quãplura delicta impunita, aliaque innumera afferebant inconuenientia, quæ referre in præſentiarum non libet, neque per tẽpus id licẽt aut expedit, cum ſupradicta ſufficiant. Dicebant præterea in confirmationem ſuæ ſententiæ, quod apud cæteras Religiones nullus talis regalis Curiæ Commiſſ. reperiebatur, qui non eſſet Priori ſiue Guardiano aut locali præfecto pleno iure ſubiectus, & in Rom. Curia quãuis id vtcunq; tolerari poſſit, propter negotiorum difficultatem, officiorũ antiquitatem, & rerum ipſarum neceſſitatem, & propter alias cauſas, at in Hiſpania (aiebant) id nullo modo eſſe permittendũ. Hæc pro hac parte. Sed multi alij in contraria erant ſententia & opinione, aſſerentes & dicentes, quammaximè bono regimini atque gubernationi expedire, vt in Curijs Regum & maxime in Hiſpaniarũ partibus, aliquis conſtitueretur Commiſſarius, negocijs hoſpitum & totius Religionis ſpecialiter deputatus, qui ſuper eadem inuigilet ſummo ſtudio, poſtquam ei id ipſum competit ex officio, & afferebant in confirmationem ſuæ poſitionis, communem vſum & antiquiſſimam praxim, nam poſtquam id olim antiqui Patres ſtatuerunt, & decreuerunt, haud quaquam credendum eſt, ſine magno fundamento atque vrgenti ratione factum fuiſſe. Vt igitur hac in re quid ſentiam paucis dicam, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Si debite id fiat ac vti par imminẽtibus occurratur periculis & in conuenientibus, non videtur incommodum, vt in regali Curia vnus conſtituatur Commiſſarius.

SI debito modo fiat, atque vti par eſt imminentibus ſemper occurratur periculis & conuenientibus, quæ exinde interdum exoriri poſſunt, congruentiſſimum videtur bonæ gubernationi & regimini, vt in Regali Curia vnus conſtituatur Pater, Religioſus, doctus, modeſtus, grauis & prudens, qui ſuper negotijs illic occurrentibus inuigilet, cui etiam omnes hoſpites quadam ratione ſint ſubditi, & ſubiecti, ipſamque eidem reddere teneantur de rebus à ſe geſtis. Ad ſtatuendam cõcluſionẽm prædictam mouetur in primis, propter auctoritatem tantorum grauiſſimorum Patrum, de quibus credendum eſt, quod niſi rebus omnibus intime penſatis atque conſideratis, id ipſum ordinauerunt, & ſtatuerunt, vt modo fit de facto, & habetur in communi praxi, nam certè interim quod contrarium non aperte & manifeſte conſtiterit, præſumptio ſtare debet pro ipſis. Præterea fauet huic noſtræ reſolutioni & ſentẽtiæ, quia nõ noua hæc conſuetudo eſt, ſed antiqua nimis, vt ſatis conſtat ex Capitulo Toloſano, celebrato anno Domini 1532. & alio Valliſoletano ſeu Congregatione Generali ibidem habita, anno Domini 1534. Vbi hac de re loquendo ſequens habetur ſtatutum: *Strictiſſime ſeruetur ſtatutum Toloſanum, quoad Commiſſarium Regalis Curiæ, ſuper qua re Miniſtri & Guardianus Conuentus vbi Curia agitur, ſimul & Reuerendus P. Fr. Gundiſaluus, Continuus Sereniſſim. Imperatricis Confeſſor, iuxta ſuam Commiſſionem inuigilabunt, vt omnes euagatores expellantur exinde. Miniſter verò & Fratres qui negotia habent, per eundem Commiſſarium expedire ea debẽt, & illi ſemper primo ſe repreſentent*, hęc vbiſupra. Et quidem maximæ auctoritatis eſt, ſupra dictum ſtatutum & multum facit ad credendum & perſuadendum, id ſemper viſum fuiſſe rationi conſonum, expediens atque conueniens vt in Regia Curia peculiaris quidam Commiſſarius exiſteret, qui hoſpitum omnium curam gereret, & ibidem negotia omnia occurtentia, per ſemetipſum expediret. Hoc ipſum ſtatutum poſtea, confirmatum atque innouatum fuit, in Capitulo generali Romano, habito anno 1587. & in alio Valliſoletano, habito anno 1593. vbi conceſſum eſt dictis Commiſſarijs Curiæ Regiæ, vt dum actu

munus

munus ſuum exercent, voce actiua & paſſiua gaudeant in capitulo in ſuis Prouincijs.

Multæ etiam ad hoc propoſitum rationes poſſent adduci, quas breuitatis gratia prætermitto. Nec minima eſt, ſeu inter ipſas infimum tenet locum, vt vel ſic euitetur Fratrum diſcurſus & Religioſorum diſtractio, & ne tot fratres ad dictam Regalem Curiam accedant, ſed per dictum Commiſſarium ſolummodo expediantur illic omnia negocia occurrentia. Hac etiam ratione & cauſa, ſtatutum ſemper fuit & in communi praxi obſeruatum, vt hoſpites omnes illuc vſque vndequaque aduenientes, ſupradicto Commiſſario primo poſt loci Guardianum ſe repræſentent, & ſuis expoſitis negocijs, eidemque ea relinquentes, poſt triduum ſtatim à Regali Curia recedant. Quod quam ſit vtile bono regimini atque gubernationi, ad euitanda innumera inconuenientia & ſcandala, nemo eſt qui neſciat, & qui illud non uideat, ſi recte limpidiſque intueatur oculis, ac bene conſideret. His omnibus accedit indefeſſa atque vigilantiſſima cura, quam ſemper, prædicti Commiſſarij habent, in inquirendis Apoſtatis Fratribus, perditis & diſcolis, qui vt plurimum ſine Prælatorum ſuorum licentia, ad ſupradictam Regalem Curiam ſolent accedere, quæ omnia & plura alia quæ prudens ſilentio prætereo, Guardiani (etiamſi velint) per ſe ipſos non quidem poſſent explere.

Neque rationes & argumenta in contrarium adducta adeò concludunt, vt non facile ſupradictis omnibus inconuenientibus prouideri poſſit, ſtatuendo, vt dicitur in concluſione, quod Commiſſarius Curiæ ſupradictus, ſit Pater Religioſus, doctus, modeſtus, grauis & prudens, qui interioris atque exterioris pacis quammaximam curam gerat, & ſuper negocijs gerendis occurrentibus ſummopere inuigilet, taliterque ſit eſſeque velit à Prælatorum iuriſdictione exemptus, in rebus ad ſuum munus & officium ſpectantibus, vt alias in his & in alijs, eiſdem exoptet & cupiat, quammaxime eſſe ſubiectus ac valde amicus, quique cauſam Dei & totius Religionis agat, non verò propriam ſuam vtilitatem quærat. Sic fiet vt euitentur inconuenientia omnia, pro alia in contrarium parte allata, & inter Prouincialem, Guardianum, & Commiſſarium prædictum, optata omninò pax conſeruetur, & Regularis diſciplina non diſſoluatur, nihil abſonum, diſſonum ſiue à Religioſis moribus alienum, in Conuentu vnquam cõtingat, ſed omnia debite fiant ad Dei laudem & gloriam.

QVAESTIO. XIIII.

De Commiſſario Generali Indiarum in Regali Curia reſidente, & de alijs Commiſſarijs Generalibus in nouo orbe exiſtẽtibus, & ſpecialibus quibuſdam, qui interdum mittuntur pro fratribus ad Indos colligendis, in tres articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

De inſtitutione Commiſſarij Generalis Indiarum in Regia Curia reſidentis, & omnibus ad ſuum munus & officium ſpectantibus.

De multiplici differentia Commiſſariorum Indiarũ.

VArios atq; multiplices fuiſſe olim in noſtro ſacro Minorum Ordine, quin verò & eſſe modo, Indiarum Commiſſarios ex noſtris vt credo, nemo eſt qui ambigat. Nam quidã eſt ſupremus Cõmiſſarius generalis omnium Indiarum, qui in Curia Catholici Regis ſemper tenetur reſidere; alij autem conſtituũtur, vt ſint Commiſſarij etiam generales, ſed in noua Hiſpania aut in noua Caſtella, quæ alio nomine dicitur Regnum Peru, ſed alij conſtituũtur Commiſſarij, non quidem generales ſed particulares, vt per Prouincias diſcurrant, ad excitandos exhortandos, & colligendos Fratres, qui ad Indorum conuerſionem procurandam velint ire, & deducendos ipſos ad illas partes, ſiue verò inde extrahendos & reducendos illos ad noſtras in Hiſpaniam. De quibus omnibus in particulari, ſumma breuitate atque reſolutione à nobis in præſenti quæſtione eſt agendum. Et primo de ſupremo Cõmiſſario generali omnium Indiarum in Regia Curia reſidente, de quo præſens inſtituitur articulus.

Qualitercæperit fides in Indijs prædicari & dilatari ibique Monaſteria & Prouinciæ fundari.

Et primo dico, quod poſtquam, non quidem ſine ſuperni numinis ope, Catholicorum Hiſpaniarum Regum induſtria & potentia, barbaras noui orbis ſub Euangeli iugo deuinxit nationes, anno ſcilicet Domini 1517. ſtatim in ipſo operis initio, huic adeò ſancto ac pio operi, Fratres Minores ſunt deſtinati, pluraque in illis partibus & regionibus Monaſteria, Regijs ſumptibus pro ipſorum habitatione conſtructa atque ædificata. Quibus multiplicatis, ex his tandem erectæ ſunt, primo cuſtodiæ, poſtmodum verò Prouinciæ vt Fratres illic degentes & commorantes, prædicationi atque Euangelio promulgando, & propagando vacarent, & in omnibus & per omnia, Dei Optm. Max. gloriam & obſequium, & Catholico-

rum Regum obedientiam, commodum & vtilitatem quammaxime procurarent. Experientiaque ipsa, rerum omnium magistra posteà compararuni fuit, quod supradictæ Prouinciæ sustentari commode nullo modo poterant, nisi ex his Hispaniarum Prouincijs, congruis temporibus interdum illic Fratres transportarentur & adducerentur, factis in id expensis à Regia Catholica Maiestate. Hanc igitur ob causam, ad instantiam Caroli Quinti, Catholicissimi Regis, Imperatoris postea, in nostro sacro Minorum Ordine cautum, atque ordinatum fuit, vt vnaquæque Hispaniarum Prouincia, tertio quoque anno tres aut quatuor Fratres ad Indos destinaret, probandos per Diffinitores & Ministrum Prouincialem, simulque est statutum, vt Guardianus Hispalensis in absentia Prouincialis, Commissarius esset cum plenitudine potestatis, super omnes Fratres ad Indos euntes & redeũtes, dummodo non se ingereret, in negotijs Fratrum existentium in Indijs. Hæc ordinata atque statuta sunt, in Capitulo generali Tolosano, celebrato anno 1532. vt patet ex tabula eiusdem Capituli, & hæc est prima cõstitutio, quæ reperitur facta in nostro sacro Minorum Ordine, pro Fratribus pergentibus ad Indos, & eadem fuit postea confirmata & innouata, in capitulo generali Nicęno, anno Domini 1535. celebrato à P. F. Vincentio Lunello Generali Ministro, & ordinatum ibidem vt vnus Frater per ordinationem Guardiani Hispalensis, aut Ministri Prouinciæ Bethicæ, aut per electionem Fratrum ad Indias euntium, Commissarius eligeretur, qui esset illorum Prælatus vsq; dum ad Indias peruenirent.

Quisnam fuerit primus cõmissarius, pro fratribus ad Indos proficiscentibus.

Ex quibus colligitur, primum Commissarium pro Fratribus ad Indos proficiscentibus seu verò pertinentibus, fuisse Ministrum Prouincialem Prouinciæ Bethicæ, & in absentia illius Guardianum Hispalensem, sed postea in Congregatione generali, celebrata Valli-Soleti anno Domini 1538. per Patrem Fratrem Nicolaum Herbonium, Commissarium Generalem huius Cismontanæ familiæ, institutus fuit in Commissarium Indiarum, Pater frater Christophorus Anguix, Prouinciæ Bethicæ Alumnus, cui & data est facultas, vt ex omnibus Hispaniarum Prouincijs (demptis Prouincijs Portugaliæ) colligere posset Fratres ad Indos mittendos, & vt simul cum ipsis ad nouam Hispaniam se transferret, ad visitandos omnes Fratres illic existentes. Quo fit vt iste fuerit primus Commissarius, qui solemniter institutus est, ad regendos Fratres habitantes apud Indos.

Quisnam fuerit primus Cõmiss. gene. Indiarũ, pro fratribus ibidem existentibus?

Sed postea in Capitulo Generali Mantuæ celebrato anno Domini 1541. institutus est in Commissarium Generalem, omnium Fratrum existentium apud Indos, subditos Cæsareæ Maiestati Caroli Quinti, Imperatoris Maximi, Pater frater Iacobus de Testera, ea tamẽ lege, vt esset subditus Ministro & Commissario Generali, in Hispaniarũ partibus existenti. Et hic est primus Commissarius Generalis Indiarum, institutus in nostro Ordine Minorum, nam reliqui dici potest quod non fuerunt Commissarij generales, sed particulares. Qui nimirum Frater Iacobus de Testera ad Indos profectus, & omnes postea qui eidem successerũt, apud illos residebant, & omnia occurrentia negotia, circa mittendos Fratres ad Indos, vel circa illos qui in illis partibus residebant, ad Ministrum seu Commissarium Generalem referebantur. Sed tempore procedente, plura nec ferenda in hoc incommoda, atque inconuenientia experimento sunt deprehensa, in damnum & perniciem, non solùm fratrum, verum etiam & Catholicæ Maiestatis. Nam fratres ex Indis venientes, interdum cogebantur totam fere Hispaniam peragrare, ad conquirendum Generalem Ministrum, seu eius Commissarium generalem. Sæpe etiam compellebantur ire & diuagari extra Hispaniam ad dictos Prælatos Generales perquirendos, interimque Indica classis, quæ tarda nescit moliminа, vela tendebat ventis, & eius rei gratia, negotia alioquin grauia, ardua & valde necessaria Religioni, & Catholico Regi, omninò peribant. Hac de causa Catholicissimus huius nominis Rex Philippus Secundus, in animum sibi induxit, procurandi, vt ex nostro sacro Ordine Commissarius quidam generalis crearetur atque instituerentur, pro omnibus Religiosis quoquomodo ad Indos pertinentibus, qui in Curia eiusdem resideret, ne cum tanta rerum pernicie illarum partium negotia dilatarentur, & si quæ essent ardua, eidem Regi communicanda, obseruata, qua decet concordia, inter Catholicum Regem & nostrum sacrum Ordinem, summa cum facilitate absoluerentur. Nam Hispaniarum Reges, præterquam quod auctoritate Pontificia (vt iam supra in primo tomo satis diximus) vniuersales sunt totius noui orbis patroni, habent etiam ius quæsitum, vt nulli fratres cuiuscumque Ordinis & Religionis sint, ad Indias adsportentur, nec in illis contra ipsorum Regum voluntatem & consensum commorentur. Hanc igitur ob causam, Pater frater Christophorus de Capite Fontium, Generalis olim Minister totius nostri Ordinis, libentissime annuit atque concessit, supradicto Regi Philippo Secundo vt ex nostris fratribus aliquis Pater doctus, Religiosus & grauis, in negotijs gerendis exercitatus quem ipse vellet & eligeret, esset Commissarius Generalis Indiarum cum plenitudine potestatis, qui & in ipsius Curia resideret eius expensis alendus, vt constat ex patentibus litteris eidem directis à prædicto Generali Ministro, anno Domini 1572. quæ quidem litteræ habentur in Archiuo Supremi Regalis Indiarum Consilij, quarũ virtute & facultate, prædictus Catholicus Rex, matura habita deliberatione, elegit tunc in Commissarium generalem Indiarum, sacri Ordinis nostri Minorum Patrẽ fratrem Franciscum de Guzman, olim Ministrum Prouincialem Prouinciæ sancti Michaelis, & Commissarium generalem Cismontanę familię, filium & alumnum illustrissimi huius nostri Conuentus Sancti Francisci Salmanticensis. Hunc præclarissimum virum, in multis grauissimis rebus probatum, tanquam primum lapidem (non minorem quempiam) voluit Catholica Maiestas, in huius ministerij prima electione siue constructione constituere, qui litteris & morum obseruantia, ac rerum gerendarum experientia, plane erat insignis, & in eo officio & ministerio exercendo, tanta fuit vsus prudentia & modes-

Primus Commissarius Generalis Indiarum, qui in Regali Curia resideret, institutus est anno Dñi. 1572.

modeſtia, vt nullam prorſus Hiſpaniarum Prouincijs (vt dicitur) moleſtiam vnquam intulerit. Eiuſmodi enim officia, potius prudentia, ſuauitate atque modeſtia, quam auſteritate & potẽtia exercenda ſunt, quod & fecit prædictus grauiſſimus, ac religioſiſſimus vir, feceruntque ſemper alij, qui eundem poſtmodum ſunt ſubſecuti.

Hic igitur fuit primus Commiſſarius Generalis Indiarum in Regia Curia reſidens, cuius officiũ in capitulo ſeu Cõgregatione generali, habita Toleti anno 1583. ipſo iubente Catholiciſſimo Rege, & efflagitante neceſſitate confirmatum eſt, ſicque in Conſtitutionibus generalibus ibidem factis, capit. 16. §. de Commiſſario Generali Indiarum, ſimile habetur ſtatutum. *Pro Fratribus Indiarum, vnus Commiſſarius Generalis conſtituatur, à Reuerendiſſimo Patre Generali ex aſſenſu & beneplacito Regis Catholici præficiendus, qui & in ipſius Curia reſideat.* His dictis de ſupradicti Commiſſarij Generalis Indiarum inſtitutione, reliquum eſt vt de ipſius auctoritate, poteſtate & iuriſdictione, ac de alijs ad eius munus & officium ſpectantibus, per Concluſiones aliqua breuiter atque reſolutiuè dicamus.

Prima Concluſio.

Cõmiſſarius Generalis Indiarum, in Regia Curia reſidens eſt Miniſtro Generali immediate, & nulli alij ſubiectus.

CErtiſſimum, atque conſtitutiſſimum eſt & omni dubio procul, quod ſupradictus Commiſſarius Generalis Indiarum, eſt immediatus Generali Miniſtro, in omnibus & per omnia, & nulli alij Prælato vel Superiori ſubditus ſiue ſubiectus. Hæc concluſio habetur expreſſa, in ſupradictis conſtitutionibus generalibus loco ſupra citato. Circa quam conſtitutionem ſtatim, exorta fuit difficultas magna iis, & controuerſia, An Commiſſarius Generalis ſupradictus, eſſet ſubditus Commiſario Generali Ciſmontano? De qua difficultate iam nos diximus ſupra quæſt. 11. arti. 5. agendo de poteſtate prædicti Commiſſarij Generalis, vbi & appoſuimus concluſionem negatiuam, dicentes ſolummodo eſſe ſubiectum, immediatè Generali Miniſtro, tam quoad ſuam perſonam, quam quoad perſonas ſociorum ſuorum, & omnium fratrum ad Indias pertinentium, ac denique quoad omnia ſpectantia, ad ſuum munus & officium, & hoc eſt certiſſimum atque in communi praxi obſeruatum, de quo nulli eſt omninò dubium. Sit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Quanta ſit auctoritas Commiſſarij Generalis Indiarũ & ſuper quibus illam habeat.

AVctoritas prædicti Commiſſarij Generalis Indiarum quam maxima eſt, quia habet poteſtatis plenitudinem, in omnes Fratres & Sorores in Prouincijs noui orbis exiſtentes, & ad illas partes quoquomodo pertinentes, & in vniuerſos Fratres qui ex Hiſpaniarum Prouincijs, ſunt ad Indos tranſmittendi, & in reliquos omnes Religioſos, tam ſubditos quàm Prælatos, qui auſi fuerint impedire Fratres volentes ad Indos proficiſci. Hæc concluſio habetur expreſſa in dictis Conſtitutionibus generalibus vbi ſupra, vbi etiam additur quod habebit plenitudinem poteſtatis ad puniendos prædictos perturbatores.

Quod qualiter fieri debeat, dicetur ſtatim.

Tertia Concluſio.

De ſocijsque ſecum habere poteſt, cõmiſſarius Generalis Indiarũ

PRædictus Commiſſarius Generalis Indiarum, facultatem habet eligendi ſibi ſocios neceſſarios, quos quidem ad arbitrium ſuum ex quibuſcunque Prouincijs poterit eligere, qui nimirum ſocij tantummodo ſunt ſubditi Miniſtro Generali & Commiſſario Generali Indiarum ſupradicto. Hæc concluſio habetur expreſſa, in dictis conſtitutionibus generalibus vbi ſupra.

Quarta Concluſio.

De alijs ſpectantibus ad auctoritatem & poteſtatem commiſſarij Generalis Indiarum.

HAbet præterea Commiſſarius ſupradictus, auctoritatem & facultatem, remittendi Fratres venientes ex Indijs, ad ſuas natiuas Prouincias, quarum Prouinciales Miniſtri tenentur illos recipere. Si verò tales Religioſi in Indiarum partibus, & Prouincijs habitum noſtræ Religionis induerunt, & non ſunt iterum ad illas partes reuerſuri, poteſt Commiſſarius Generalis ſupradictus, illos ad quam voluerit Prouinciam remittere, tenenturque Miniſtri eos recipere: ſed quantum attinet, ad ipſorum incorporationem, ſeruari habent Generales noſtræ Conſtitutiones cap. 4. vbi agunt de Fratrum incorporatione. Hæc concluſio habetur etiam expreſſa, in dictis Conſtitutionibus generalibus Indiarum cap. 4.

Quinta Concluſio.

Commiſſarius Generalis Indiarum, vocẽ habet in omnibus capitulis generalibus.

PRædictus Commiſſarius Generalis Indiarum, eſt Vocalis ordinarius ad omnia Capitula generalia, in quibus in omnibus electionibus & actibus Capitularibus, habet vocem actiuam & paſſiuam. Hæc concluſio etiam habetur expreſſa in dictis Conſtitutionibus generalibus cap. 1. vbi dicitur, quod cum propter nimiam diſtantiam, ex Indiarum partibus pauci Fratres accedere ſoleant, ad dicta generalia comitia, neceſſariũ viſum fuit, vt prædictus Commiſſarius Generalis, tanquam Miniſter Miniſtrorum Indiarum, in prædictis Capitulis generalibus ſit præſens, non ſolùm vt vocem habeat actiuam & paſſiuam, ſed etiam vt poſſit rationem reddere, eorum omnium, quæ pertinent ad prædictas Prouincias. Dicitur tamẽ quod ſi prædicta Comitia generalia, celebranda fuerint extra Hiſpaniam, non poterit Commiſſarius Generalis Indiarum prædictus, ad illa ſe conferre ſine ſpeciali licentia Regij Senatus Indiarum. Cum verò poſtea inter nonnullos ſacri noſtri Ordinis Patres, ſuborta fuiſſet lis & controuerſia, An prædictus Commiſſarius Generalis Indiarum vocem haberet, in electione Generalis Miniſtri. Eiuſmodi difficultas, omninò ſublata fuit, in Capitulo generali Romano, habito anno 1587. quo electus fuit in Generalem Miniſtrum, P. frater Franciſcus à Toloſa vbi pro Indijs inter alia, ſequens factum fuit ſtatutum. *Generalis Indiarum Commiſſarius, nunc & pro tempore exiſtens, tum vocem actiuam, tum verò paſſiuam, in Capitulo & Congregatione generalibus habeat, atque etiam in Capitularibus actionibus ex præſenti declaratione, quia in hoc Ciſmontana & Vltramontana familia cõſenſerũt. Et S. D. N. Sixtus Papa V. proprio Motu id*

vult, præfatoque Commiſſario atque Generalibus Indiarum Commiſſarijs debitum aſſignat. Per hoc fuit ſupradicta difficultas abſoluta, de qua etiam nulli eſt dubitandum, dubitatum poſtea extitit, an votum & voci haberet in ſua propria Prouincia in electionibus, & actionibus capitularibus cui & viſum eſt dicere & reſpondere quod ſic. Nam cui conceſſum eſt maius, viſum eſt cõceſſum eſſe & minus, quod dixerim ſub aliorum iudicio, & hoc commune obſeruatum eſt praxi.

Poteſtas prædicti Commiſſarij Generalis Indiarum, eſt ordinaria, & non ſubdelegata.

Rurſus circa poteſtatem Commiſſarij Generalis Indiarum prædicti, dubitatum eſt, An ipſius iuriſdictio eſſet ordinaria an verò delegata? aſſerentibus quibuſdam, negantibus verò alijs eam eſſe ordinariã, ſed tandem ex mente & ſententia melius ſentientium, & ſuperiorum diffinitione, atque determinatione concluſum eſt, quod eſt ordinaria, non verò ſubdelegata. Cuius & ratio in promptu eſt, nam quamuis non inſtituatur per electionem, & per communia ſuffragia, ſed per nominationem Generalis Miniſtri, & ex beneplacito & aſſenſu Catholici Regis, ſiue ipſius ſupremi Indiarum Regalis Conſilij (vt dictum eſt) habet tamen ſuam auctoritatem, non tam ex commiſſione ipſius, quam ex beneficio legis nempe Conſtitutionis Toletanæ, vnde cum non ſit Commiſſio hominis ſpecialis, ſed legis latæ, clarum profecto fit atque perſpicuum, quod eſt ordinaria & non delegata. Multum probabile quin verò & certiſſimum videtur, quod ſemel electus & nominatus ab ipſo Generali Miniſtro, citra culpam, ſiue defectum notabilem & legitime probatum quod hoc ipſum promereatur, non poteſt ab officio ſuo remoueri, ſaltem abſque aſſenſu & conſenſu prædicti Regalis Conſilij, & hoc nullum omninò patitur dubium. Ex quo etiam infertur, quod prædictus Commiſſarius Generalis Indiarum, poteſt ſubdelegare & creare alios Commiſſarios inferiores, ſpeciales & particulares, ad diuerſa munera obeunda ad ſuum officium ſpectantia, non ſolum quia eſt Commiſſarius ex commiſſione perpetua, & ad vniuerſitatem cauſarum (de quibus certiſſimum eſt in iure, quod poſſunt ſubdelegare) & quia ad abundantiam, in ſuis patentibus literis habet id ipſum, vt poſsit facere, verũ etiam quia reuera eſt iudex ordinarius ſupremus in ſuo officio, ac proinde poteſt ſuam auctoritatem ad particularia quæ ſe offerunt, alijs committere & demandare.

Mortuo, promoto, vel amotogenerali Miniſtro, aut expleto ſuo officio, nõ ceſſat officium Commiſſarij Generalis Indiarum.

Ex quibus ſequitur vlterius, quod Generali Miniſtro mortuo, promoto vel amoto, aut expleto & abſoluto ſui Generalatus officio, non ceſſat, aut expirat prædictum Commiſſarij Generalis officium, propter rationem dictam, quia nempe eſt ordinarius, non verò delegatus, & quia facta prædicta nominatione à Generali Miniſtro (quod dumtaxat eidem commiſſit Generale Capitulum) iam non tam auctoritate hominis (vt ſic loquamur) quam ex auctoritate & beneficio legis, ſuum exercet munus & officium. Quę omnia ſunt multum iuridica, & iuri atque rationi quam maxime conſona, & proinde multum memoriæ commendanda.

Sed dubitari ſolet, an prædicto Commiſſario Generali Indiarum, ſint aliqua interdicta, atque prohibita? Cui difficultati reſpondetur per ſequentem Concluſionem, quæ erit ſexta in ordine.

Sexta Concluſio.

ALiqua ſunt in noſtris Generalibus Conſtitutionibus, interdicta & prohibita prædicto Commiſſario Generali Indiarum, & ſunt quæ ſequuntur.

Aliqua ſunt interdicta atque prohibita, prædicto Commiſſario Generali Indiarum.

Primo quod non poſſit ire ad Capitulum extra Hiſpaniam celebrandum, ſine aſſenſu & conſenſu Regij Senatus Indiarum, habetur in capi. 1. ſtatutorum generalium pro Fratribus ad Indiarum Prouincias pertinentibus, in fine eiuſdem Capituli. Et ratio huius prohibitionis eſt, nam cum dictus Commiſſarius ſit inſtitutus ad inſtantiam Catholici Regis, & eius expenſis ſuſtentetur, indecens omninò viſum fuit quod ſine eius aſſenſu & licentia aut Regij ſui Senatus, tam prolixam faceret abſentiam, abſque eo quod ſui ipſius eiſdem redderet rationem.

Secundo prohibetur, ne Fratres vllos ad Indos mittat, niſi qui à Regio Indiarum Senatu fuerint expoſtulati, aut ſine ipſius aſſenſu & licentia, nec maior mittatur numerus Fratrum, quam à prædicto Senatu fuerit conſignatus atque taxatus, habetur in cap. 2. earundem Conſtitutionum.

Nota quod nemo poteſt cogi, ad eundum ad Indos ſiue inter infideles.

Tertio interdictum ſibi eſt ne cogat aliquem Fratrem, ad hoc vt vadat ad Indiarum partes, habetur etiam in eodem capit. ſecundo. Cuius prohibitionis ratio eſt, quia ſecundum noſtram Regulam, Fratres non ſunt cogendi neque poſſunt cogi, vt vadant ad commorandum inter infideles, ſed hoc debet procedere ex eorum libera voluntate. Quod Regulæ noſtræ præceptum & ſupradicta prohibitio, quammaxime eſt iuri, ac rationi conſona, nam humana præcepta, non debent imponi nec obligant cum diſcrimine vitæ, & nemo eſt qui neſciat, cum quam magno vitæ periculo fiat tranſitus ad Indos, propter immenſam tam vaſti, ac profundiſſimi maris nauigationem. Et Præterea quia nemo debet cogi inuitus creſcere vt habetur in iure, nec obligari ad tantam perfectionem, nec verò expedit vt Fratres ad Indos vadant coacti, ſed liberi & ſpontanei, vt merito de eis ſperari poſſit, quod ſedulo & diligenter ſua exequentur miniſteria. Propter has rationes & plures alias pertinentes ad bonam gubernationẽ, nũquam in noſtra ſacra Religione permiſſum eſt, aut in conſuetudine poſitum, vt Fratres ire cogãtur ad Indos.

Quarto prohibetur prædictus Commiſſarius Generalis Indiarum, per ſe ipſum præſtare facultatem alicui Fratri particulari ad Indos tranſmigrandi, ſed omnes Fratres illuc mittendi, per ſpeciales Commiſſarios, ad id muneris per ipſum deputandos, debent nominari. Et ratio huius prohibitionis eſt, nam Commiſſarius Generalis Indiarum prædictus, importunis ſæpe precibus cogebatur, extra tempus extrahere Fratres à ſuis proprijs Prouincijs, prætextu & ſub colore eundi ad Indos, ex qua re non ſolum Regularis diſciplinæ & obedientiæ oriebatur contemptus, verum etiam multi inutiles ſeque-

quebantur diſcurſus & vagationes ſcandaloſæ. Habetur hæc prohibitio in capit. 2. dictarum Conſtitutionum.

Quinto prohibetur Commiſſarius generalis prædictus, vt non poſſit licentiam præſtare, alicui Fratri qui venerit ex Indis, vt iterum illuc poſſit redire, ſine licentia & conſultatione Regij Conſilij, niſi fuerit ab illarum partium Prælatis miſſus in Hiſpaniam, ad expediendā interdum aliqua Indiarum negotia. Habetur hæc prohibitio in eodem dicto capit. 2. Quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

De Commiſſarijs generalibus Indiarum, nouæ Hiſpaniæ, & nouæ Caſtellæ, ſiue del Peru, & ipſorum poteſtate & auctoritate.

ALij duo inſtituuntur Commiſſarij generales Indiarum, vt vnus eorum reſideat in Prouincijs nouæ Hiſpaniæ, alter vero in Prouincijs nouæ Caſtellæ, quæ alio nomine dicuntur del Peru, qui prædicti Commiſſarij inſtitui debent à ſolo Generali Miniſtro, vt habetur in cap. 3. ſupradictorum Statutorum generalium Indiarum. Auctoritas vero ipſorum qua debent pollere, non dicitur, aut declaratur in dictis Conſtitutionibus, ſed erit ea, quam ſibi Generalis Miniſter contulerit, & quæ fuerit ſpecificata in ſuis patentibus literis. Et ſi quæratur quantam illam eſſe oporteat? reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Prima Concluſio.

Quãmaxime oportet, vt poteſtas, & auctoritas prædictorum Cõmiſſariorũ, ſit pleniſsima pro ſuis Fratribus.

QVammaxime oportet, vt auctoritas & poteſtas ſupradictorum Commiſſariorum generalium, in Indiarum partibus exiſtentium, pro ſuorum officiorum munere, ſit ſumma & ſuprema, atq; ita plenaria, vt poſſint ipſi in illis partibus, quidquid & Generalis Miniſter potuiſſet, ſi ibi præſens affuiſſet. Hæc concluſio probatur & ſatis apparet eſſe vera, ex nimia illarum partium diſtantia, atq; ex innumeris inconuenientibus, quæ ex contrario facto poſſent exoriri, cum magno diſpẽdio & detrimento animarum ſalutis, multorumq; aliorum negotiorum, ſi eorum auctoritas non ita eſſet plenaria. Et quod talis eſſe debeat, Conſtitutiones ipſæ generales ſatis videntur innuere, cũ & hac ratione ipſi in eiſdem expreſſe Commiſſarij generales nuncupentur, per quos debent expediri & abſolui, negotia omnia illic occurrentia.

Difficultas. An Cõmiſſarij generales, in Indiarum partibus exiſtentes, ſint ſubditi Commiſſarij generalis Indiarum, in Curia Regia reſidentis.

Sed ſtatim occurrit dubium, An Commiſſarij generales prædicti, in Indiarum partibus exiſtentes, ſint ſubditi Commiſſarij generalis Indiarum, in Regia Curia reſidentis, eique teneantur in omnibus obedire? Cui difficultati breuiter reſpondetur affirmatiuè, & in hoc nulli eſſe poteſt dubiũ, poſtquam id ſemper docuit, atque oſtendit communis praxis, ac ordinariæ conſuetudo ab inſtitutione officiorum eorundem. Nam quamuis à ſolo Miniſtro Generali (vt præmittitur) ſint electi, non propterea eidem ſunt immediate ſubiecti, ſed obedire tenentur ſupradicto Indiarum Commiſſario generali. Ad quod etiam adduci poteſt, exemplum familiare, nam quamuis in caſu aliquo, Generalis Miniſter per ſe ipſum immediate quempiam inſtituat Guardianum, non propterea Guardianus ille ſic inſtitutus, immediatus erit ipſi Generali, aut exemptus à iuriſdictione ſui Miniſtri, & certe oppoſitum dicere, magnus eſſet error, in materia gubernationis & rebus moralibus. Tandem quod hoc ita ſit, expreſſe colligitur ex ſupradictis Statutis, atque Conſtitutionibus generalibus Indiarum, capite tertio, vbi habetur quod dicti Commiſſarij generales, non poſſint recedere ab illis partibus, ſine expreſſa licentia Generalis Miniſtri aut ſui Commiſſarij generalis Indiarum, in Regia Curia reſidentis. Ex quibus verbis ſatis colligitur, quod ſint ſibi ſubditi.

Difficultas. An prædictorũ Cõmiſſariorũ auctoritas & iuriſdictio ſit ordinaria, an vero delegata?

Præterea circa dictorum Commiſſariorum auctoritatem & iuriſdictionem dubitatur, An ſit ordinaria, an vero delegata? Cui difficultati breuiter reſpondetur, quod eſt delegata: id quod & eui denter conſtat ex ſupradictis Conſtitutionibus, vbi habetur quod creatio, iuriſdictio, auctoritas, atque poteſtas ſupradictorum Commiſſariorum, totaliter pendet à dicto Miniſtro generali, qui poteſt ad libitum non ſolum eorum iuriſdictionem limitare, verumetiam eoſdem Commiſſarios prorſus atque totaliter amouere. Nec vero inde ſequitur, quod non poſſint ipſi ſubdelegare, & cum opus fuerit in illis partibus ad aliquod ſpeciale negotium, Commiſſarium quempiam conſtituere, nam ad hoc ſpecialis ſibi facultas conceditur, in ſuis patentibus literis, quæ ſemper dantur cũ clauſula poſſe ſubdelegandi.

His breuiter ſic dictis atque præmiſſis, reliquum eſt vt eadem breuitate dicamus, quænam ſint prohibita ex vi noſtrarum Conſtitutionum, ſupradictis Commiſſarijs generalibus Indiarũ, quod fiet per ſequentem concluſionem.

Secunda Concluſio.

Aliqua ſunt prohibita, ſupradictis Cõmiſſ. general. exiſtentibus in partibus Indiarum.

ALiqua ſunt prohibita Commiſſarijs generalibus Indiarum ſupradictis, & ſunt quæ ſequuntur. Primo tenentur dicti Commiſſarij generales, in illis partibus (reſpectiuè) reſidere, nec ab illis poſſunt recedere, ſine expreſſa licentia Generalis Miniſtri, aut ſui Commiſſarij generalis Indiarum in Regia Curia reſidentis, ſed tenentur expectare Viſitationem, inibi de ſuis officijs & perſonis faciendam. Habetur in capite tertio earumdem Conſtitutionum, pro Prouincijs Indiarum.

Secundo prohibentur Commiſſarij prædicti, vt non ſemper hæreant vni loco & Prouinciæ eidem, ſed per omnes Prouincias, ſeu diſtrictum ſuum circumeant, viſitando, monendo & corrigendo, & paſtorale munus & officium exercendo, ouiumque ſuarum vultum inſpiciendo, idque præſertim ad viſitandas Prouincias, quando celebrandum erit Capitulum, in quo ſit eligendus Prouincialis Miniſter. Habetur in eodem cap. 3.

Tertio, quod quando Fratres ex illis partibus ad Hiſpaniam venerint, non ſinant ipſos venire

solos, sed vnum Religiosum illis præficiant, qui omnibus præsit, quousque ad Conuentum Hispalensem peruenerint, dicitur tamen quod cum accesserint ad Conuentum de la Auana, Guardianus illius loci, tali Præsidenti & reliquis forensibus Religiosis præsidebit, quamdiu ibidem moram traxerint, habetur in cap. 4.

Nota quod nõ esse potest Cõmiss. Gener. in Indiarum partibus, qui ad minus non prius fuerit in sua Prouincia Diffinitor & qui suum munus, & officiũ, per triẽnium laudabiliter exercuerint, ad suas Prouincias reuersi, potiuntur præmijs & priuilegijs eorũ, qui fuerunt Prouinciales.

Quarto prohibentur Commissarij prædicti, fratres euntes ex Hispania ad certam Prouinciam destinatos ad aliam transportare, nec debent fratres incorrigibiles & scandalosos in Hispaniam mittere, maxime si apud Indos desumpserunt habitum, siquidem hoc est valde periculosum, ne dũ vnam intendunt purgare Prouinciam, vniuersam Religionem inficiant, habetur in capit. 2. & in cap. 4.

Quinto, tenentur facere, vt obseruentur in illis partibus & Prouincijs, constitutiones Barchinonenses, in Concilio generali Toletano reformatę, in omnibus rebus, quæ non sunt contrariæ, Constitutionibus factis specialiter pro Indiarum Prouincijs, habetur in cap. 5.

In calce & fine huius articuli libuit aduertere, quod auctoritas dictorum Commissariorum, est maxima. Ac propterea, in constitutionibus factis in Capitulo generali, seu Congregatione celebrata in Conuentu de Victoria anno 1596. statutũ est: *Vt nullus frater Commissarius Generalis ad illas partes mittatur, qui in sua Prouincia non prius fuerit functus ad minus Diffinitoris officio, & qui hac lege & conditione per trium annorum spatium, prædictum Commissariatus Generalis officium, laudabiliter, ac cum Superiorum approbatione, & satisfactione exercuerit, ad propriam postmodum reuersus Prouinciam, illis præmijs, priuilegijs ac præeminentijs potiatur, quibus vtuntur & fruuntur, qui ibidem olim fuerunt Prouinciales.*

Aduerto etiam, quod non expirat prædictorum Commissariorum generalium auctoritas, per mortem seu vacationem Generalis Ministri, neq; per quodcunque aliud, quousque noua fiat promotio & electio aliorum Commissariorum, tùm propter speciale priuilegium, quod hac de re habetur, tùm etiam quia beneficio legis, vt videtur, ipsi suam auctoritatem & potestatem habent. Si verò contigerit, quod Commissarij prædicti ibidem moriantur, interim quod prouidetur de alio, tenebit sigillum & scripturas, Minister Prouinciæ, in qua morietur, & prædictus Minister occurrentia absoluet negotia, habebitque plenitudinem potestatis. Sed tenebitur statim aut cum primum opportunitas occurrerit, certiorem facere Generalem Ministrum, aut eius Commissarium in Curia residentẽ, de obitu dicti Commissarij: si verò illa Prouincia in qua mori contigerit Commissarius Generalis supradictus, careat Prouinciali Ministro, qui fuerit Commissarius illius Prouinciæ, exercebit officium prædicti Commissarij Generalis, vt habetur in cap. 3. dictarum constitu. pro Prouincijs Indiarum in fine.

Quid sit faciẽdum quando moritur ibidem, aliquis supradictorũ Commissariorum.

ARTICVLVS III.

De Cõmissarijs specialibus & particularibus Indiarum, creatis & constitutis ad colligendos & illuc transportandos Fratres.

ALij vt supra diximus constituuntur Indiarum Commissarij, non quidem generales, sed speciales & particulares, ad discurrendum per Prouincias, excitandos atque exhortandos Fratres, qui velint ire ad Indos, & ipsos illuc vsque transportandos. Qui quidem Commissarij, instituuntur à Commissario generali Indiarum, in Regia Curia residẽte, & quia circa huiusmodi Commissarios, aliqua sunt instituta & ordinata in nostris Constitutionibus generalibus pro Prouincis Indiarum, libuit ea in sequentibus Conclusionibus summatim complecti, vt præ manibus habeantur.

Prima Conclusio.

IN primis statuitur, quod Generalis Minister aut eius Commissarius generalis qui in Curia Regia residet, ad id muneris eligat cum sibi opus visum fuerit, Commissarios particulares, viros probos, qui per Prouincias discurrant, exhortantes & excitantes Fratres, ad profectionem adeò sanctam atque laudabilem. Habetur in cap. 2. dictarum Cõstitutionum, quibus Commissarijs conferuntur patentes litteræ, quibus numerus fratrum ad Indos mittendorum assignatur atque taxatur. Similiter & nominantur Prouinciæ, ex quibus colligendi sunt supradicti Fratres necnon & assignantur Prouinciæ Indiarum ad quas mittuntur: postmodum verò à prædicto Commissario Generali Indiarum, datur prædictis Commissarijs particularibus, cõpendiaria quædam instructio omnium agendorũ, monetque illos & aduertit, omnia quæ animaduertere digna occurrunt.

Qui nam sint eligendi, ad dictum ministerium, & officium?

Secunda Conclusio.

COmmissarij prædicti, in singulis Conuentibus, cum primis suas patentes litteras Guardianis ostendunt, ipsosque inducunt, vt publice coram fratribus & tota communitate legantur, & vt fratres suos moneant illosque exhortentur ad suscipiendam tam sanctam, piam atque laudabilem peregrinationem. Hoc etiam habetur expresse in dictis constitutionibus Indiarum, cap. 2. Idem habetur statutum in Capitulo Valli-Soletano, habito anno 2593. diciturque, vt non munus & officium suum dicti Commissarij exerceant, nisi prius per se vel per alium, Prouincialem Ministrum, suarum litterarum & commissionis certiorem faciant, sub pœna priuationis ab officio. Præcipitur etiam Cõmissarijs particularibus supradictis, vt non Fratres discolos eligant, sed probatæ vitæ & bonæ æstimationis. In quorum consequentiam statuitur, quod

Quid debẽt facere Commiss. Indiarũ, qui mittũtur pro colligẽdis fratribus.

quod ſi forſan aliquis Frater, ob ſua demerita fuerit aliqua pœnitentia mulctatus, nullo modo poſſit eiuſmodi ad Indos deſtinari: & quod idem ſit intelligendum de quocunque Fratre, qui crimen aliquod commiſerit, propter quod à ſuo Prælato, in breui puniendus credatur. Iniquum enim omninò eſſet, vt ſub prætextu & colore, quod prædicti Fratres volunt ire ad Indos crimina, & delicta rẽmaneant impunita. Hoc etiam multum commẽdant Conſtitutiones factæ in Congregatione generali, habita in Conuentu de Victoria, anno 1596. & in Capitulo Romano habito anno 1600. eadem de re multa habentur ſtatuta, quæ breuitatis gratia omittuntur, cum facile poſſint videri ibidem. Non tamen dicere prætermittam, quod in dictis Cõſtitutionibus generalibus Toletanis, factis pro Indiarum Prouincijs, cap. 2. impoſitum eſt obediẽtiæ præceptum, vt nullus Frater, ſubditus ſiue Prælatus, vllo pacto impediat ſeu impedire audeat Fratres volentes ire ad Indos, quin verò exhortãtur omnes, vt omnem fauorem impendant Commiſſarijs particularibus ſupradictis, cum ad id miſſi eris per alienas Prouincias diſcurrunt.

Tertia Concluſio.

Commiſſarij prædicti, non poſſunt Confeſſores aut Prædicatores cõſtituere, neque quempiã ad ſacros Ordines promouere.

COmmiſſarij particulares ſupradicti, non poſſunt Confeſſores, aut Prædicatores inſtituere, neque quempiam ad ſacros Ordines promouere. Habetur in cap. 2. earundem Conſtitutionum. Sed per hoc non prohibetur Commiſſarius Generalis Indiarum, vt poſtquam dicti iam Fratres ad Indos fuerint deſtinati, non poſſit eos promouere, & in Prædicatores & Confeſſores inſtituere, ſed ſi retro aſpiciant aut retrocedant, eorũ inſtitutio erit nulla, nam Commiſſarius Generalis, non potuit illos inſtituere, niſi in ordine ad illas partes, vt Prælatus illarum, & ita conſuetudo id declarauit. Attamen illi Prædicatores & Confeſſores, qui in Indiarum Prouincijs conſtituti ſunt, ſi poſtea ad Hiſpaniam redeant, haudquaquam dubium eſt, quod eorum inſtitutio ſit valida, nec opus eſt illis alia noua inſtitutione, poſtquã via ordinaria à ſuo Prælato ordinario fuerunt inſtituti. Statutum eſt preterea in dictis Conſtitutionibus, cap. 4. quod ſi prædicti Fratres, fuerint reuerſi ante decennium expletũ in illis partibus, per quadriẽnium careãt voce actiua & paſſiua in omnibus electionibus. Et quia interdũ contingit, quod poſtquã Fratres ſunt à ſuis Conuentibus egreſſi, vt iter ad Indiarũ partes arripiant, temere & abſque rationabili cauſa, ab incepto opere deficiũt, præcipitur in dictis cõſtitutionibus, c. 2. vt prædicti Fratres retro aſpiciẽtes, per quinquennĩũ ſint ipſo facto actibus legitimis priuati, & omninò cogantur, reddere expenſas, quas ex pecunijs Regijs pro ſuo itinere accepe runt. Hoc habetur in dicto c. 2. vbi etiã in fine præcipitur, quod nec in Prouincia Canariæ, neque in Inſula S. Dominici, nec in Conuentu Carthaginẽſi Terræ firmæ, poſſint Fratres ad alias partes Indiarum euntes, detineri per Prælatos illarum regionum omni fraude ceſſante, & quod oppoſitũ faciẽtes, ſint ſuis officijs priuati. Tandem præcipitur, quod ſi aliqui Fratres propter ſua demerita fuerint ab Indijs reiecti, Superiores eorum teneantur certiorem facere, Commiſſarium Generalem Indiarum de illorum defectibus, vt ſi non prius fuerint puniti, debite puniantur. Venientes autem in Hiſpaniã ad aliqua negocia, ad Prouincias illarum partiũ ſpectantia, præcipiũtur vt nullo pacto poſſint apud Catholicum Regem aut eius Regiũ Senatũ, nec in aliquo Tribunali negotia prædicta tractare aut proponere, ſine licentia Miniſtri Generalis, vel eius Commiſſarij Generalis Indiarum, in Curia reſidẽtis, quæ de iſto Articulo & tota quæſtione dicta ſufficiant.

Pœna Fratrũ venientiũ ex Indis ante decennium expletum, & eorum qui à ſimul cœpto itinere retrocedunt, poſtquã ſunt aſſignati.

QVAESTIO. XV.

De Commiſſarijs Prouincialibus, & alijs particularibus, & his quæ ad ipſorum munus & officium ſpectant, in tres Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

De Commiſſario Prouinciali, inſtituto in abſentia Prouincialis Miniſtri?

Triplex differẽtia Cõmiſſariorũ Prouincialium.

POſtquam egimus de Commiſſarijs Generalibus, iam tempus præſefert vt agamus de particularibus Prouinciarum, qui quidem in triplici ſunt differentia. Quidam enim dicuntur Commiſſarij Prouinciales, qui eliguntur ad regendas Prouincias, per mortem, abſentiam ſeu vacationem Miniſtrorum Prouincialium. Alij ſunt Commiſſarij Prouinciales ſeu Prouinciarum, qui eliguntur vt vadant ad Generale Capitulum, nomine eorundem Prouincialium ac tandem alij dicuntur Commiſſarij Prouinciales, qui alio nomine vocantur Prouinciarũ Viſitatores, pro eo quod eliguntur ad viſitandas Prouincias ex præſcripto noſtrarum conſtitutionum, ante celebrationem cuiuſlibet Prouincialis Capituli. De quibus omnibus agendum eſt à nobis in præſentiarum per ordinem, & primo de Commiſſarijs electis ad regendas Prouincias, per mortem, abſentiam ſeu vacationem Prouincialis Miniſtri. Qua de re dico, quod huiuſmodi Commiſſarij, eligendi ſunt ſecundùm formam traditã

in vnaquaque Prouincia, vt cautum eſt in conſtitutionibus generalibus Toletanis cap.7.§. de Cõmiſſarijs Prouinciarum, vbi circa hoc ſequentia habentur verba: *Si Miniſter Prouincialis moriatur, vel ſi á Prouincia receſſerit, vel ex quacumque alia ratione vacauerit, erit Prouinciæ Commiſſarius, cui prædicta commiſſio conueniat, ſecundum ſtatuta vniuſcuiuſque Prouinciæ: nam quidquid vnaquæque Prouincia hac de re conſtitutũ habuerit, vel in poſterum voluerit conſtituere, illud ratum & firmum haberi volumus.* Hæc in dictis Conſtitutionibus generalibus. Verum ſi aliqua Prouincia in his nihil habuerit conſtitutum ſpecialiter, circa modum & formam eligendi huiuſmodi Commiſſarium, ſeruanda erit forma tradita in ſtatutis generalibus antiquis, vt etiam habetur in dictis Conſtitutionibus generalibus Toletanis, capit.8. §.de Conſtitutionibus. Vt tamen hæc forma præmanibus habeatur, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Quid ſit faciẽ dũ, quãdo aliquis Prouincialis mori cõtigerit?

SI Prouin. Miniſt. moriatur in aliqua Prouincia, in qua adhuc ſunt Cuſtodiæ, Cuſtos illius Cuſtos in qua mori contigerit, tenere debet ſigillum & ſtatim Diſcretos Prouinciæ conuocare, & ille in quem eorum maior pars conſenſerit, erit Prouinciæ Commiſſarius. Si vero in tali Prouincia nõ ſunt Cuſtodiæ, Guardianus in cuius Conuentu mortuus fuerit Prouincialis, idipſum efficiet quod de Cuſtode eſt dictum, & dictus Cuſtos, ſiue Guardianus, habebit vocem actiuam & paſſiuam in electione dicti Commiſſarij. Hoc ſtatutum eſt in Conſtitutionibus Salmantinis, ſeu Monelianis, capit.8. de Miniſtro Prouinciali, quæ nimirum Conſtitutio, reformauit aliam olim factam in Capitulo Toloſano, eodem cap.8. in qua diſponebatur, quod Guardiani in quorum conuentu ſiue Guardianatu, Prouincialis Miniſter à vita deceſſiſſet, regerẽt & gubernarent Prouincias. Quæ certe Conſtitutio innumera continebat inconuenientia, nam cõtingere poterat, quod Conuentus in quo Prouincialis Miniſter mortuus fuiſſet, eſſet paruus, haberetque Guardianum, pro tali quidem Conuentu aptum, ſed ad regendam, & gubernandam Prouinciam, etiam ad modicum tempus, minus idoneum ſeu inſufficientem omnino, & qui cæteris Religioſis eſſet probro ac ludibrio; quam ob cauſam in prædicto caſu, Conſtitutio ſupradicta Salmantina obſeruanda eſt, nam quamuis illæ Conſtitutiones non ſint admiſſæ in familia Ciſmontana abſolutẽ, in caſu tamẽ aliquo ſunt receptæ, præſertim, quia hæc eadem Conſtitutio, fuit antea facta in Capitulo Generali, Aſſiſijs celebrato, anno 1547.

Secunda Concluſio.

Quid ſit faciẽ dũ, quãdo officium Prouin. Miniſt. vacauerit, non per mortẽ, ſed ob aliã cauſam.

SI officium Prouincialatus, vacauerit propter aliquam aliam cauſam, quomodolibet, vel quia Miniſter incidit in amentiam vel quia fuit promotus ad Epiſcopatum, idem omnino eſt faciendum, quod in præcedenti concluſione eſt dictum: nam promotus ad Epiſcopatum, ab eo die in quo Bullę ſunt eidem conceſſæ, expirat ſui Prouincialatus officium, quamuis non ſit conſecratus, quia ab eo die incipit eſſe verus Epiſcopus, atque ideo eſſe nequit Prouincialis, Prouincialatus enim, & Epiſcopatus, ſunt duæ dignitates incompatibiles, vt de ſe patet.

Tertia Concluſio.

Quid ſit faciẽ dũ, quãdo Prouincialis, abſcedit à Prouincia per multũ temporis.

SI Miniſter Prouincialis abſcedat à Prouincia, & abſentia futura ſit per paucum tempus, ſeu ad locum non multum diſtantem, non erit neceſſe in tali caſu conſtituere Commiſſarium, nam iuxta Concil. Trident. ſeſſ.23. de Refor. cap.1. qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non cenſentur abeſſe, ſiquidem ſunt ſtatim reuerſuri. Si tamen per multum tempus recedãt, & abſentia futura ſit magna, idem Prouincialis cum conſilio Diſcretorum eliget Commiſſarium, & ſi Prouincialis mori contigerit extra Prouinciam, idem Commiſſarius reget ipſam, vſque ad futurum Capitulum Prouinciale. Hæc concluſio habetur expreſſa, in quodam Capitulo generali Aſſiſijs celebrato, anno 1526. Sed difficultas eſt, quid ſit faciendum in caſu quo omnes Diſcreti, vel eorum maior pars, diſſentiat à Miniſtro Prouinciali prædicto in electione Commiſſarij? Cui reſpondeo & dico, quod tunc ſtandum erit determinationi Miniſtri Prouincialis, nam cum ad eum pertineat huius rei vltima reſolutio, eum ſecundum iura, *cap. ne pro defectu, & cap. cum in veteri, de election.* qui tenentur aliquid facere cum conſilio, nõ tenentur de neceſſitate ſequi conſilium, ſed ſolũmodo ex honeſtate, vt etiam tenet Sylueſt. *verbo conſilium. q.1.* Hinc eſt quod in tali caſu, erit ſtandum iudicio & determinationi ſupradicti Prouincialis Miniſtri. Quinvero dicunt quidam, quod ſi Prouincialis qui ex lege tenetur petere conſilium, noluiſſet tale conſilium requirere, male quidem faceret, ſed nihilominus Commiſſarius ab eo nominatus, eſſet verus Commiſſarius, atque ab omnibus obediendus, ex eo quod quando ſtatutum prędictum fuit factum, de captando conſilio in electione Commiſſarij, iam Prouinciales habebant poteſtatem ordinariam, ad eligendum Commiſſarium, ac ideo actus geſtus ab eis validus eſt, vt probat Sylueſt. vbi ſupra quæſt.1. & 2. in alio ſimili caſu, quod etiam tenet expreſſe P. F. Ioannes à Bobadilla in ſuo Enchiridione ſiue Manuali manuſcripto. Si vero quæratur, quanta ſit poteſtas Commiſſarij ſupradicti? Reſpondeo & ſit quarta concluſio.

Nota hoc valde, circa electionẽ Cõmiſſ. Prouincialis.

Nota, quod qui tenetur agere cũ conſilio, nõ neceſſario tenetur ſequi cõſilium, ſed ex honeſtate.

Quarta Concluſio.

Quænam ſit poteſtas Cõmiſſarij Prouincialis?

POteſtas Commiſſarij ſupradicti, eſt omnino eadem cum poteſtate Prouincialis Miniſtri. nec iure poſſunt ipſi Prouinciales, arctare ſiue limitare auctoritatem ipſorum Commiſſariorum. Hæc concluſio probatur, ex eo quod non poſſunt Prouinciales prædicti recedere à ſuis Prouincijs, niſi fuerit prius ſufficienter prouiſum de ſuarum ouium gubernatione, vt habetur expreſſe in Concil. Trident. *ſeſſ.23. cap.1. §. interea.* Vbi agendo de Epiſcoporum abſentia, ſequentia ponuntur verba, *Interea meminerint diſceſſuri, ita ouibus ſuis prouidendum, vt quantum fieri poterit ex ipſorum abſentia nullum damnum recipiant.* Sed ſi Prouinciales prædicti

lim

limitarent & coarctarent, ſuam auctoritatem & iuriſdictionem dictis Commiſſarijs, iniuria nec modica eorum quibus eſſet illata, cum caruiſſent debito remedio, in multis occurrentibus caſibus propter abſentiam dictorum Prouincialium: ergo id facere non poſſunt. Verum eſt tamen, quod quamuis id ipſi facere non poſſint, Statuta generalia, & quidem iure optimo, in aliquibus limitauerunt ſupradictorum Commiſſariorum auctoritatem & iuriſdictionem, quæ reſtrictio & limitatio ſtatuitur in ſequente concluſione.

Quinta Concluſio.

Quænã ſint extra ſtatutis, prohibita Cõmiſſarijs Prouincialibus?

COmmiſſarij Prouinciales, in abſentia Prouincialium & interim quod Vocales miſſi ad Capitulum generale fuerint reuerſi, nullum Capitulum Prouinciale nec vero congregationem habẽtem vim Capituli, poſſunt celebrare, & ſi contrarium factum fuerit, eſt irritum & inane. dummodo mora prædictorum & ipſorum regreſſus, non fuerit culpabilis ſeu impoſſibilis. Hæc concluſio habetur expreſſa, in Conſtitutionibus generalibus Toletanis cap. 8. §. de Capitulo Prouinciali, & Congregatione habente vim Capituli. Quin vero quædam antiqua Statuta, facta in Capitulo generali Lugdunenſi, anno Domini 1538. quorum meminit Enchir. fol. 106. quæ etiam ſunt hodie ſeruanda decreuerunt, quod interim quod prædicti Vocales non fuerint reuerſi, nihil notabile in Prouincia fiat, aut innouetur per Miniſtrum remanentem ſeu per eius Commiſſarium. Si tamen aliquod ſcandalum euenerit, propter quod Guardianus, ſiue Confeſſor Monialium ſit puniendus, & mereatur priuari & non expediat punitionem differri, tunc præſidens Prouinciæ cum Diſcretorum conſilio, poterit prouidere de remedio, vt Statuta Salmantina diſponunt, in cap. 8. §. de Miniſtro Prouinciali, priuando criminoſum ſeu alium ipſius loco ſubſtituendo, vſque ad reditum Vocalium.

Nota hoc valde.

In calce huius Articuli, libuit aduertere duo: primum quod litteræ & patentes Prouincialis abſentis omnino ſunt obſeruandæ, ac ſi eſſet præſens non enim propter abſentiam iuriſdictionem amittit, cum nulla ſit Conſtitutio quæ id expreſſe dicat, imo ſemper eſt ſuę Prouinciæ verus, atque legitimus Prælatus.

Quid habeat Prouin. Min. qui à Generali Miniſtro cõſtituitur ſuæ Prouinciæ Cõmiſſarius, cũ plenitudine poteſtatis.

Secundo aduerto & eſt valde notandum, quod quandoque Miniſtri Prouinciales, in ſuis proprijs Prouincijs ſolent conſtitui & nominari Commiſſarij Prouinciales, cum plenitudine poteſtatis, ſibi conceſſa à Miniſtro Generali, quæ quidem commiſſio deſeruit ad multa, quæ cum ſubiecta ſint, Miniſtrorum Generalium ditioni, aliàs erant interdicta & prohibita ſupradictis Miniſtris Prouincialibus. Quare multum conducit in id plenitudinẽ habere poteſtatis, poſſeque omnia in ſua Prouincia, quæ in toto ordine poſſunt Miniſtri Generales, Sed non propterea eximuntur prædicti à poteſtate & iuriſdictione Commiſſariorum generalium, vt expreſſe eſt determinatum in Capitulo generali Aſſiſij, celebrato anno Domini 1526. in quo ſequentia habentur verba, *Declaratur quod per commiſſiones Miniſtris Prouincialibus dari ſolitas à Generali, non ſoluantur quouis modo prædicti Miniſtri á Commiſſariorum generalium ſubiectione, ſed ipſi Miniſtri præfatis Commiſſarijs ſubijciantur ac ſi eiſdem nulla data fuiſſet commiſſio. Et idem eſt dicendum de Commiſſarijs ſeu Viſitatoribus, miſſis á Generalibus ad viſitandas Prouincias: nam prædicti Prouinciales tenentur illis obedire, ac ſi nullam habuiſſent Commiſſionem talem.* Hoc etiam habetur in Conſtitutionibus Salmantinis ſiue Monelianis, *cap. 8. de Miniſtro Prouinciali, verſ. nullus Miniſter.* Et nuperrime hoc idem habetur expreſſum, atque determinatum in quodam Motuproprio Gregorij XIII. dato Romæ 8. die April. anno 1575. Pontificatus ſui anno 3. qui incipit: *Quoniam*, & continetur in Manipulo Fratrum Minorum, part. 10. fol. 325. *Vbi per excommunicationem ipſo facto Sedi Apoſtolicæ reſeruatam, & ſub pœna priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa vel alia quæcumq; dicti ordinis officia exercenda, ac vocis tam activæ, quam paſſiuæ, eo ipſo incurrendis pœnis, præcipitur, ne quis Prouincialis aut Guardianus, vel cuiuſcumque alterius gradus Religioſus aut Religioſa Ordinis Minorum, ab ipſo Generali Miniſtro miſſis ad viſitandas Prouincias Commiſſarijs reſiſtere, nec eis ſe opponere aut contradicere, ſeu rebellem exhibere, quacumque de cauſa, aut quæſito colore non recipiendo audeat nec debeat.* Hæc Gregorius in dicta ſua Bulla. Quidnam veniat intelligendum per illa verba, quæ interdum apponi conſueuerunt, *cum plenitudine poteſtatis*, &c. explicabitur inferius in Articulo tertio.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS II.

De Commiſſarijs Prouincialibus, miſſis ad Capitulum generale.

SVnt alij Commiſſarij Prouinciales, qui Prouincialium nomine mittuntur ad Capitulum Generale, pro eo quod ipſi impediti ſunt illo ire, in quo caſu Cõmiſſarij inſtituendi ſunt, per Miniſtrum & Diſcretos Prouinciæ, vt cautum eſt in Conſtitutionibus Toletanis, *cap. 7. §. de Miniſtris Prouincialibus.* Quæ quidem electio non pendet à ſolo Miniſtro Prouinciali, ſed ab ipſo ſimul cum Diſcretis Prouinciæ, & ille, in quem maior pars conſenſerit, erit Commiſſarius ad dictum Capitulum generale, vt etiam determinatum eſt in Capitulo generali Pariſienſi celebrato anno Domini 1579. quin vero & alio celebrato, Naualis anno Domini 1505. cuius meminit Enchiridion fol. 106. pag. 2. idipſum erat ſtaturum. Sed forma ſeruanda in hac electione, non eſt determinata in dictis Capitulis, vnde oportet, vt eam ſtatuamus, quod & fiet, in ſequenti concluſione.

Prima Concluſio.

Quænã ſit forma eligẽdi cõmiſſarium Prouinci. lẽ mittendũ Prouincialis loco ad gener. Capit.

FOrma ſeruanda in ſupradicta electione Commiſſarij Prouincialis, mittendi ad generale Capitulum eſſe credideram, vt fiat per ſchedulas ſecretas. Saltim eſſet multum conueniens, quamuis non ita vti par erat hoc obſeruetur. Probatur hæc concluſio, nam hæc forma traditur in noſtris generalibus Conſtitutionibus Toletanis cap. 7. cum agitur de electionibus. Vbi dicitur quod omnes

electio

electiones in noſtra ſacra Religione ſint canonicæ,& iuxta Concil. Trid. *ſeſ.25.cap.6.* ſacratę,ita vt eligentium nomina non ſciantur neque publicentur quod cum abſolute dicatur de quibuſcumque electionibus non ſolum ſuperiorum,verum etiam officialium ad euitandas tot contentiones & lites neſcio cum non in hac etiam electione obſeruetur. Cuius dictæ electionis dari debent literæ teſtimoniales,à Præſidente in tali electione. Quod ſi roges,quanta ſit auctoritas & quod munus & officium ſupradictorum Commiſſariorum? reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Secunda Concluſio.

Quodnã ſit munus & officiũ dictorũ cõmiſſariorum Prouincialium,in generali Capitulo?

MVnus & officium ſupradictorum Commiſſariorum,eſt habere in generali Capitulo, vocem actiuam & paſſiuam in omnibus electionibus ac ſi eſſent veri Prouinciales,& ſimul afferre excuſationem autenticam ſui Prouincialis, Capitulo generali præſentandam, qua conſtet fuiſſe ipſum legitime impeditum: nam cum ex regula teneantur Prouinciales Miniſtri,ad Capitulum generale accedere, ſi ſine legitimo impedimento, illo ire prætermittant,á ſuis officijs ſunt abſoluendi, & priuandi. Sed contra hoc quod dicitur, quod Cõmiſſarij prædicti vocem habebunt actiuam & paſſiuam,in electione Generalis Miniſtri, ſicut cæteri Vocales duplex inſurgit difficultas. Et primo, quia id videtur contrarium eſſe noſtræ Regulæ, in qua dicitur quod electio Generalis Miniſtri fieri debet à Miniſtris Prouincialibus & Cuſtodibus: ſed prædicti Commiſſarij, non ſunt Prouinciales, neque Cuſtodes: ergo non poſſunt habere vocem in tali electione. Secundo obijcitur, nam id etiam videtur eſſe contrarium,decreto eiuſdem Conci. Trident *ſeſs.25. de Regularibus, cap.6.* quo prohibetur in electionibus, abſentium voces & ſuffragia ſuppleri. Sed ad has duas inſtancias breuiter reſpondetur per ordinem,ad primam, quod revera ſuffragium ſupradicti Commiſſarij Prouincialis, eſt quaſi eiuſdem Prouincialis, cum in ea electione ſuffragetur ex ipſius commiſſione, quam dare optime potuit,cum certum ſit in iure & ſecundũ ſacros Canones,*in cap.qua propter,de electioni.* quod abſens iuſto impedimento detentus,poteſt conſtituere procuratorem qui eius nomine eligat, qui nimirum procurator, eſſe poteſt etiam extraneus à Capitulo ſi in id ipſum conſentiat, vt decreuit Bonif. VIII. *in cap.ſi quis iuſto de elect. lib.6.* Secundo dico, quod auctoritate Apoſtolica id etiam optime fieri potuit, quod prædicti Commiſſarij haberent vocem in tali electione, vt & illam habent eadem auctoritate, Commiſſarius generalis Indiarum & Procurator generalis ordinis,& Commiſſarius generalis Romanæ Curiæ, qui nec ſunt Miniſtri,nec Cuſtodes, & nihilominus poſſunt eligere Miniſtrum Generalem habentque vocem in tali electione: ita ergo in propoſito dicendum eſt de ſupradictis Commiſſarijs Prouincialibus,quod id poſſunt quamuis non eſſent prædictorum Prouincialium Procuratores,nam ſtatuta generalia, hoc ſtatuentia & Præcipientia auctoritate Apoſtolica ſunt confirmata.

Nota quod in electionibus, abſens & iuſto impedimẽto detentus,poteſt cõſtituere procuratorem loco ſui.

Ad ſecun damnſtantiam reſpondeo, quod hoc nullo modo eſt contrarium decretis Concilij Tridentini: nam in ſupradicto decreto, non prohibetur quod abſentes poſſint procuratorem ad eligẽdum ſuo nomine conſtituere, cum ſit ſecundum ſacros Canones, nec per hoc dici poſſunt abſentium vota ſuppleri: hæc enim non eſt ſuppletio, ſed vera commiſſio. Voti namque ſuppletio, tunc ſolummodo eſt, quando Prælati Generales ad effectum alicuius electionis, eos qui non ſunt Prouinciales neque Cuſtodes neque Diſcreti,nec habent auctoritatem aliquam ad ferenda ſuffragia pro abſentibus,aſſignantur,vt ipſa ſuffragia ferãt. Iſta eſt propria ſuppletio, illa vero non, ſed vera commiſſio,atque ita eſſe declarauerunt Illuſtriſſimi Cardinales anno Domini 1570. die 8. Auguſti, prout refert Paraſellus,Ordinis Minimorum quõdam Generalis Miniſter, in ſuo Priuilegiorum Compendio.

Nota pro electionibus,quãdo dicãtur vota ſuppleri, quando vero nõ, licet mittatur aliquis procurator.

Tertia Concluſio.

COnſtitutionibus generalibus antiquis ſtatutum fuit,quod in caſu quo Miniſter Prouincialis,auſus fuerit celebrare Prouinciale Capitulum antequam fuerint reuerſi Vocales Capituli generalis,eo ipſo per tres menſes ſit ſuſpenſus à ſuo officio & durante tempore talis ſuſpenſionis, Commiſſarius Prouincialis,qui ierat ad Capitulum generale debet Prouinciam gubernare. Hoc cautum & ſtatutum fuit, in Capitulo generali Carpenſi, anno Domini 1521. Cuius meminit Enchirid. fol. 106. pag.2. Sed notandum opus eſſe, vt ſuſpenſionem prædictam,præcedat ſententia declaratoria, Iudicis competentis,vtputa Miniſtri aut Commiſſarij generalis, facta tamen declaratione de dicta ſuſpenſione, ſine noua commiſſione prædictus Commiſſarius Prouincialis, ipſo facto regere & gubernare poterit Prouinciam, auctoritate ſupradicti Capituli generali,ſed ante quam,dictus Cõmiſſarius id faciat,ne ſuccedant ſcandala oportet, vt fiat priusſupradicta declaratio,per iudicẽ cõpetentem ſiue Diffinitores, virtute ſuptadictæ Conſtitutionis,quod multum eſt notandum,ac memoriæ commendandum.

Pœna Prouincialis Miniſtri qui celebrauerit Prouincialeꝰ Capitulum, interim quod Cõmiſſarius Prouincialis, & Cuſtos fuerint ad Capit. gener.

ARTICVLVS III.

De Commiſſarijs ſeu Viſitatoribus Prouinciarum.

COmmiſſarij ſeu Viſitatores Prouinciarum appellantur, qui ex commiſſione Prælatorum generalium,mittuntur ad viſitandas Prouincias. De quibus in Conſtitutionibus Toletan.cap.7. §. de Viſitatoribus Prouinciarum,ſequentia habentur verba: *Admonemus omnes Prælatos generales, vt quantum commode fieri poſsit, non mittant Viſitatores,præſertim ad celebrãda Capitula,ſed per ſe ipſos viſitent Prouincias, & interſint Capitulis celebrandis. Quod ſi neceſsitas exegerit vt Viſitatores mittantur, ordinamus vt non poſsint aſſumi ex eadem Prouincia,ſed ex aliena,& quod ſint ex grauioribus & probatioribus Patribus.* Hac ratione in ordine eſt conſuetudine poſitum,vt ad id muneris non mittan-

Quales eſſe debeant Viſitatores Prouinciarum.

tantur, ſiue inſtituantur, niſi qui vel aliquando fuerunt Prouinciales, vel qui proborum iudicio tantæ ſint auctoritatis, vt de eis certa ſit ſpes, quod ſtatim futuri ſunt Prouinciales. Nam qui actu ſunt Prouinciales, non ſunt ad hoc munus eligendi, vt ſupra dictum eſt, agendo de reſidentia Prælatorum, ne à ſuis Prouincijs abſint, in quibus tenentur reſidere diuino iure. Neque etiam huic muneri ſunt præficiendi illi, de quibus ſuſpicari poſſit, fauore potius quam meritis ad tale officium fuiſſe promotos. Vnde in Capitulo olim generali Toloſano, celebrato anno Domini 1532. ſtatutum fuit vt in Capitulo generali aſſignarentur huiuſmodi Viſitatores, & ex eis tantum non vero ex alijs, aſſumendos eſſe prædictos Prouinciarum Commiſſarios, quod quidem ſtatutum, an modo etiam eſſet innouandum, atque executioni mandãdum, qui aſſeruerit non aberrabit multum. Hoc vnu dicere non præteribo, ex ſiniſtra ſeu minus recta horũ Viſitatorum interdum promotione, Religionem noſtram grauem quandoqu. paſſam fuiſſe iacturã, dolendumque quammaxime eſſe, vt ij cenſores, gubernatores, inquiſitores, & officiorum promotores, ac tandem Prouinciarum iudices conſtituãtur, qui integritatis ſuæ vitæ, bonum non habent teſtimonium, nec vllam prorſus rerum experientiam. Sed miſſa hæc facientes deueniamus ad ea, quæ ad prædictorum Commiſſariorum, ſeu Viſitatorum Prouinciarum munus & officium ſpectant, quæ vt præmanibus habeantur, & melius memoriæ commendari poſſint, explicabuntur per ſequentes concluſiones.

Nota hoc valde.

Prima Concluſio.

Auctoritas dictorum Cõmiſſariorum plenaria eſt, & taliſeſſe debet

IN primis ſupradictorum Commiſſariorum auctoritas, plenaria eſt & talis ea eſſe debet, vnde & in cõſuetudine eſt poſitum, vt illis literæ patentes dentur, cum plenitudine poteſtatis. Quod qualiter ſit intelligendum inferius, in vltima concluſione explicabitur. Sed quamuis eorum auctoritas plenaria ſit, merito tamen per Conſtitutiones Generales, in aliquibus ſibi reſtringitur, & modificatur, & aliqua prohibentur eiſdem, de quibus dicemus per ordinem in ſequenti concluſione.

Secunda Concluſio.

Cõmiſſarij prouinciarũ, non poſſunt exercere ſuã munus & officiũ, donec ſuas patẽtes literas Prouinciali Miniſtro repræſentent.

IN primis prohibitum eſt Commiſſarijs ſeu Viſitatoribus Prouinciarum ſupradictis, vt ſuum munus & officium non exerceant, donec Prouinciali conſtẽt ſuæ commiſſiones. Hoc ſtatutum fuit in Capit. Generali Romano, celebrato anno Domini 1571: & innouatum in Congregatione Generali Toleti, habita anno Domini 1583. vt habetur in Conſtitutionibus ibidem factis cap. 7. de Viſitatoribus Prouinciarum, in caſu tamen quo non id commode fieri poſſit, ſat erit de ſua commiſſione eundem facere certiorem. Facta tamen Prouinciali Miniſtro ſuarum literarum oſtenſione, accipiunt ab eo Prouinciæ ſigillum paruum, quo vtuntur in ſui officij executione. Hoc etiam ſtatutum fuit in Capitulo Generali Romano, habito anno 1587.

Nõ poſſunt ſtatuta facere extra Capitulum neq; ea quæ ſunt Prouinciarum immutare.

Secundo prohibitum eſt eiſdem, vt non poſſint ſtatuta aliqua condere extra Capitulum, nec aliquid immutare in Prouincia, totam ipſam Prouinciam concernens, abſque aſſenſu Miniſtri Prouincialis & Diſcretorum Prouinciæ. Hoc fuit ſtatutũ atque determinatum, in capitulo generali Pariſiẽſi, celebrato anno Domini 1578. & poſtmodum in congregatione Generali Toletana, & habetur loco ſupra citato.

Non poſſunt cõfeſſores, & prædicatores inſtituere, nec Nouitios recipere, neq; fratres extra prouinciã mittere

Tertio prohibentur prædicti Viſitatores, vt non poſſint confeſſores nec Prædicatores inſtituere, nec Nouitios recipere, nec fratres extra Prouinciam ſibi commiſſam mittere, niſi ſpecialiter hoc illis fuerit commiſſum, vel niſi forte eos mittant ad Superiores & Generales Prælatos, ad notificandum illis eiuſdem Prouinciæ ſtatum, habetur vbi ſupra.

Nõ poſſũt eligi in prouinciales prouintiarum quas viſitant.

Quarto prohibentur in eiſdem Prouincijs, quas viſitant, eligi in Prouinciales Miniſtros, & præcipitur illis, vt in promotionibus ad officia Ordinis faciendis, & in correctionibus criminum & in alijs grauioribus negotijs, ſemper conſilium requirant & ſeruent patrum Diſcretorum Prouinciæ vel maioris partis eorum, & quod omnino caueãt à verbis ſuperfluis, & prouocatorijs in conſilijs tribuendis: habetur vbi ſupra.

Non habẽt vocẽ in electionibus vllis neq; in Diffinitorio

Quinto eſt ipſis prohibitum habere votum in electionibus vllis nec in Diffinitorio, ſed tantum habent auctoritatem ad confirmandas electiones, ſi Miniſter Generalis fuerit abſens à capitulo, vt dicitur in conſtitutionibus Salmantinis; & tenet expreſſe Pater Ioannes Bobadilla in ſuo Manuali, ſiue Enchiridion manuſcripto cap. 8. Sed de alijs, quę conueniunt Commiſſarijs, ſeu Viſitatoribus Prouinciarum ſupradictis, ſtatuamus aliam concluſionem, quæ erit tertia in ordine.

Tertia Concluſio.

Commiſſarijs prouinciarum prædictis, obediẽdũ eſt in omnibus & per omnia, abſque vlla prorſus contradictione.

PRædictis Commiſſarijs obediendum eſt in omnibus & per omnia abſque vlla prorſus contradictione, & in ipſos rebellantes aut eiſdem cõtradicentes, ſunt ipſo facto excommunicati, per Extrauagantem Gregor. XIII. quæ incipit, *quoniam* relatam ſupra in Artic. 1. vbi etiam habetur, quod *Statuta facta per Commiſſarios ſupradictos in capitul. cum conſenſu Diſcretorum patrum, reſcindi, mutari, aut contẽni nullo modo poſſint, ſine expreſſa licentia & permiſſione Generalis Miniſtri, qui ſolus ea immutare poteſt & valet, & decernitur irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his á quocumque quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.* Hæc Gregor. XIII. vbi ſupra. Cuius quidem decretum & conſtitutio eſt valde iuridica, nam quidquid prædicti Commiſſarij faciunt auctoritate Miniſtri Generalis, à quo miſſi ſunt id efficiunt. Vnde licet expleto viſitationis tempore eorum extinguatur poteſtas, durat tamen poteſtas Generalis Miniſtri, cuius auctoritate prædicta ſtatuta ſunt facta.

Quæ ſint firmitatis, Statuta facta in Capitulo, à Commiſſarijs prouinciarum.

Nota quod Cõmiſſarij prouinciarũ præſidẽ in omnibus comunitatibus ſuæ viſitationis.

Præterea, ſupradicti Commiſſarij præſidere debent in omnibus communitatibus & Hoſpitijs vbicumque fuerint, ſi fuerit abſens Generalis Miniſter, duratque ipſorum auctoritas, vſque ad 10. dies poſt celebrationem capituli, quibus tranſactis tenentur ſtatim à Prouincia recedere, vt cautum eſt in conſtitutionibus Salmantinis, cap. 8. de Commiſſa-

missarijs Prouinciarum, & in capitulo generali Vallisoletano, habito anno 1583. statuitur, quod *nulli Commissario seu Visitatori Prouinciarum, liceat vltra tres menses in visitatione sibi commissæ Prouinciæ immorari, quo elapso tempore si statim Capitulum celebrandū non sit, ex illa Prouincia egredi teneatur, neque ad eam regredi valeat, quoadusque à patre Generali prædiffinitum capituli tempus superueniat.* Sed hanc constitutionem hucusque nunquam vidi obseruari in communi praxi, neque positam fuisse in consuetudine.

Nota hoc valde de tempore quo durat officium prædictorum Commissariorum.

Aliqua præterea sunt summa animaduersione digna, ac supradictis Cōmissarijs nimis proficua: de quibus sit quarta conclusio.

Quarta Conclusio.

Quænam sum mopere debēt aduertere supradicti cōmissarij Prouinciarum.

ADuertant oportet summopere Commissarij Prouinciarum supradicti, rectæ gubernationi non expedire, vt Guardiani priuentur, siue suspendantur, cum actu ipsorum conuentus visitantur, sed quod id reseruetur vsque ad Capitulum. Nam ex priuationibus huiusmodi extra Capitulū factis, vt plurimum inter seculares innumera exoriuntur scandala, existimantes plura exorbitantia crimina, atque scandalosa ab eisdem fuisse cōmissa, à quibus proinde omnino debent abstinere, & omnino curare vt ipsorum vindicta & priuatio, reseruetur vsque ad Capitulum Prouinciale, vbi id commodius fieri poterit. Quod est intelligendum, nisi rei, seu alicuius scandali grauitas aliud exposcat: hoc vero cessante, sinant eosdem permanere in Conuentibus vsque ad Capitulum, & interim, si quæ occurrunt Reformatione digna, de conuenienti remedio prouideant.

Etiam oportet summopere animaduertāt Commissarij supradicti, quod nec Prouincialis Minister nec vllus alius P. prouinciæ qualificatus (etiamsi deliquerit) puniri debet per solum arbitrium prædictorum Commissariorum, sed per arbitrium atque consensum omnium Discretorum, vel maioris partis Prouinciæ, quod quidem in quam pluribus Capitulis est statutum, & ordinatum, & præterea vt non se ingerant, siue intromittant, in visitationibus siue electionibus Monialium, nisi forsan in aliquo necessario casu, quia hæc magis pertinent ad Prouinciales, quam ad Commissarios. Vt autem sciatur, quid intelligendum veniat, per illam generalem clausulam communiter in patentibus literis dari consuetam, *cum plenitudine potestatis* &c. sequentem statuo conclusionem.

Quinta Conclusio.

Quidnā intelligatur per illam clausulā cōmuniter poni consuetā, in patētibus literis dictorū cōmissariorū, cum plenitudine potestatis, &c.

PEr supradictam clausulam, *cum plenitudine potestatis*, &c. in primis non eximuntur supradicti Commissarij seu Visitatores Prouinciarum, á iurisdictione & obedientia Commissariorum generalium, etiamsi suæ patentes literæ, illis fuerint concessæ ab ipso Ministro Generali. Hoc fuit expresse determinatum in Capitulo Generali celebrato Assisij, anno Domini 1526. & idem habetur in Constitutionibus Salmantinis seu Monelianis, *cap.* 8. agēdo de Prouinciali Ministro, *verficulo, nullius Minister.*

Secundo, prædicta commissio, *cum plenitudine potestatis*, non suffragatur habentibus ipsam, nec valet ad eos casus, in quibus tota prouincia, vel Diffinitores simul cum Prouinciali habent potestatē: vt expresse decretum est *in cap. Burdegalensi.* celebrato anno Domini 1528. Vnde sequitur, quod virtute dictæ commissionis, in nostro Minorum ordine Regularis obseruantiæ, non possunt Commissarij prædicti, Prædicatores, nec Confessores instituere extra Capitulum, neque eijcere ab ordine aliquem Fratrem incorrigibilem, quia hæc omnia, & similia pertinent ad totam Prouinciam capitulariter congregatam: & propter eandem rationem, per dictam commissionem non datur facultas ipsis Commissarijs, vt possint aliqua in Prouincia ordinare, aut ordinata immutare, vel contra statuta Prouincialia facere, sine consensu Patrum Discretorum Prouinciæ, pro tempore existentium, vel maioris partis eorum. Declaratum est hoc in Constitutionibus Salmantinis, capite octauo verficul. *item nullus.*

Prodest tamen commissio cum clausula supradicta, ad hoc vt Commissarius Prouincialis supradictus, possit dispensare in omnibus statutis Generalibus, in quibus ipse Generalis Minister dispensare poterat, & in casibus, qui specialiter non sunt reseruati ad totam Prouinciam, in capitulo seu cōgregatione capitulari congregatam. Non autem in illis casibus, qui in dictis statutis siue constitutionibus, specialiter sunt sibi prohibiti, nisi aliàs sibi concedantur. Quin vero addo, quod si contra prædicta Statuta aliquid intentare velint, non obstante plenitudine suæ potestatis, Fratres non tenebuntur illis obedire, & inobedientes & cōtradictores non incident in pœnas positas, in dicta Extrauaganti, siue constitutione Gregorij XIII. Nam licet dictus summus Pontifex præcipiat vt nullo modo contraueniatur suis ordinationibus, hoc intelligendum est, de illis ordinationibus & mandatis, quæ iuste & iuridice possunt efficere, non excedendo limites nostrarum constitutionum, & Statutorum Generalium. Haud enim credibile est, vel le summum Pontificem, per generalem concessionem & commissionem, derogare alijs Statutis, cū consilio & rationabiliter factis, vt habetur *in cap. 1. de constitutionibus in 6.* & in nostris constitutionibus generalibus Toletanis vbi supra, habetur quod Visitatores prouinciarum, excedentes limites suarum commissionum, aut non seruantes ordinationes generales, puniantur pœna Talionis.

Nota hoc valde.

In calce huius Articuli libuit aduertere, quod supradicti Commissarij, non mittuntur ad prouincias regulariter, nisi quando occurrit tempus capituli, in quo eligendus est Prouincialis Minister, vel nisi prouincia aut Prouincialis illud petierit. Fratres vero particulares sub pœna carceris prohibentur Visitatorem petere à Prælatis Generalibus, poterunt tamen ipsis humiliter suas necessitates & vexationes (si quas patiuntur) exponere, & Prælatorum Generalium iudicio relinquitur, in quo casu prædicti Commissarij mitti debeant, an non. Hoc cautum est in pluribus capitulis Generalibus, sed præsertim in Tolosano, celebrato anno Domini. 1532. Cuius meminit Enchiridion folio 107. pag. 2. Et in Salmantino siue constitutionibus Monelianis, factis anno 1553 capit. 8. de Commissarijs. Verum si roges, quid intelligatur in prædictis

Quando mittēdi sunt Visitatores ad visitādas prouincias Quando & quinā possint petere cōmissariū pro visitāda aliqua Prouincia.

dictis ſtatutis, nomine Prouinciæ ad petendum Commiſſarium dico, quod ad hunc caſum, Diſcreti Prouinciæ, quamuis non ſint congregati, Prouinciam repræſentant, & ſufficiunt ad petendum Commiſſarium, in caſu, quo Prouincialis ad id aliquam ſufficientem cauſam dederit.

Forma ſeruanda in viſitatione, traditur in Conſtitutionibus Generalibus Toletanis, ca. 6. §. 1. Et in Salmantinis, eodem loco: à qua ego tractatione in præſentiarum ſuperſedeo, quia hac de re in ſubſequentibus longior futurus eſt ſermo: & multa diximus in libro noſtri Ordinis Iudiciarij.

QVAESTIO XVI.

De Capitulo Prouinciali & electione Prouincialis Miniſtri, & ijs, quæ ad eius munus & officium ſpectant: in nouem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſit Capitulum Prouinciale, & quis dicatur Prouincialis Miniſter?

Quidnam ſit Capitulum?

PRO huius Articuli intelligentia, oportet breuiter præmittere, quidnam ſit Capitulum, quid etiam intelligatur Prouinciæ nomine. Et de primo dico, quod Capitulum quantum attinet ad præſens propoſitum, eſt locus, in quo Vocales ſiue Capitulares congregãtur ad aliquid agendum, Vocales autem voco, qui habent vocẽ in Capitulo. Vel dicamus ſic, quod Capitulum eſt congregatio illa multorum Vocalium ſiue Capitularium, & præcipue religioſorum, qui certo aliquo & determinato tempore & loco, ad aliquid agendum congregantur, & conueniunt in vnum. Si eiuſmodi Congregatio ſit generalis, & ex omni parte, etiam ipſum Capitulum eſt generale, ſi vero non fuerint ex omni parte, ſed ex aliqua vna Prouincia, dicitur Prouinciale. Pro cuius pleniori intelligentia, videamus oportet quidnam ſit Prouincia, ſeu quid veniat intelligendum Prouinciæ nomine? Et vt rem hanc fuſius, atque (vt dicitur) ex ſuis principijs eruamus, dico quod apud Romanos, Prouincia dicebatur olim, regio illa, quæ ab Italia erat procul poſita, armiſque deuicta, cui & Præfectum conſtituebant Romani, qui eam pleno iure gubernaret. Ita docet Egeſippus, & Cicero in Verrem dicit, quod prima regio, quæ olim appellata eſt Prouinciæ nomine, fuit Sicilia. In Hierarchia vero Eccleſiaſtica, Prouincia idem pollet, atque Metropolis, Metropolis autem, eſt ciuitas præcipua, aliquarum plurium ciuitatum caput, & mater. Ex quo infertur, quod quantum attinet ad præſens noſtrum propoſitum, Prouincia proprie loquendo, eſt diſtrictum, in quo ſunt plures ciuitates Diœceſes ſiue Epiſcopatus, ſubditi & ſubiecti vni Archiepiſcopo Metropolitano, quoad appellationis refugium & ad celebranda Prouincialia Concilia. Hæc omnia ſunt excerpta, *ex cap. ſcite 12. 6. q. 3.* vbi latiſſimè dicitur, quid ſit intelligendũ Prouinciæ nomine, & quot ciuitates habeat ſeu habere debet vnaquæque Prouincia. Qua de re videatur etiam Sylueſter, verbo, *Prouincia*. Ad eundẽ igitur modum, apud Regulares & Religioſos, ſed præſertim apud nos Minores fratres, Prouincia dicitur diſtrictus, in quo multa ſunt oppida, ſeu Ciuitates, & in ipſis plures conuentus, diuerſaque Monaſteria, quæ omnia ſubduntur vni Prouinciali Miniſtro. Quo præmiſſo, haud difficile erit colligere, quidnam dicatur Prouinciale Capitulum, & quiſnam ſit ac dici debeat Miniſter Prouincialis? quod & fiet plenius per ſequentem concluſionẽ.

Quidnã ſit prouincia & quid ueniat intelligendũ prouinciæ nomine?

Concluſio.

CApitulum Prouinciale eſt illud, in quo multi vnius Prouinciæ Vocales, ſiue Capitulares cõueniunt ad electionem vnius Prouincialis Miniſtri, ſeu ad aliquid peragendum, in caſu, quo ille non ſit eligendus. Prouincialis vero Miniſter dicitur qui præeſt multis Monaſterijs, ſiue conuentibus, vnius & eiuſdem Prouinciæ. De huiuſmodi Prouincialibus Miniſtris, fit expreſſa mentio in noſtra fratrũ Minorum Regula, quæ pluribus in locis loquitur de ipſis, tanquam de Prælatis ordinarijs, Superioribus, Præſidentibus, Guardianis, & Cuſtodibus, ac reliquis Religioſis, ſubditis tamen Miniſtro Generali. Sed aduertendum eſt, quod in dicta Regula, prædicti Prouinciales non hoc inſigniuntur nomine, ſed abſolutè vocantur Miniſtri, quod crediderim hanc ob cauſam factum fuiſſe, quia quando ſupradicta Regula fuit conſtructa, aut etiam confirmata, nondum erant Prouinciæ diuiſæ. Nam vt conſtat ex hiſtorijs & chronicis noſtri Ordinis, prima Prouinciarum diuiſio, facta eſt à Seraphico Patre noſtro Francisco, in primo Capitulo Generali Aſſiſij celebrato anno Domini 1217. vbi dicitur, quod totus ordo Minorum, diuiſus eſt in duas familias, Vltramontanam ſcilicet, & Ciſmontanam, & rurſus quælibet familia, in plures Prouincias: nam Vltramontana diuiſa eſt in Prouincias Italiæ, & Germaniæ, Ciſmontana vero in Prouincias Galliæ, Hiſpaniæ, & Angliæ. Et in eodem Capitulo inſtituti ſunt Miniſtri Prouincia

Prouinciale Capitulũ, eſt illud, in quo multi vnius Prouinciæ Vocales, conueniunt ad eligẽdũ vnum eiuſdem Prouinciæ Miniſtrũ qui omnibus Monaſterijs præſideat.

Quare in regula nõ dicãtur Prouinciales, ſed Miniſtri?

Quando fuerit facta in noſtro ordine, prima Prouinciarũ diuiſio?

uinciales, qui præsſent Prouincijs, & ab eo tempore cœperunt Ministri Prouinciales nuncupari.

ARTICVLVS II.

De electione ſupradicti Prouincialis Miniſtri, & qualiter fieri debeat?

Nota quod de forma ſeruãda in electione Miniſtrorum Prouincialiũ, nihil omnino habetur in regula noſtra.

PRo huius Articuli intelligẽtia oportet præmittere, quod in Regula Seraphici Patris noſtri Franciſci, nihil prorſus diffinitur, circa electionem Prouincialium Miniſtrorum, atque adeo non ſatis conſtat quænam forma fuerit obſeruata olim in ipſorum electione, in noſtro ſacro ordine. Nam quamuis ſecundum iuris diſpoſitionem, inſtituendi eſſent per ſuorum ſubditorum electionem Canonicam, nulla tamen hac de re fit mentio in noſtris Chronicis, & Monumentis, imo vero creditur, quod auctoritate Apoſtolica inſtituebantur in Capitulis generalibus. vt conſtat ex prima parte noſtrarum Chronicarum, cap. 48. factum fuiſſe per Seraphicum Patrẽ noſtrum Franciſcum, in ſupradicto primo Capitulo Generali, Aſſiſij celebrato, anno 1217. Clemẽs tamen V. in Conciſio Viennenſi, celebrato anno 1311. *in Clementina quæ incipit Exiui de paradiſo, poſita in titulo de verbor. ſignifi. art. 9 §. demum.* videns quod Seraphicus Pater noſter Franciſcus, in ſua Regula nullam prorſus de prædictorum Miniſtrorum Prouincialium electione & inſtitutione, fecerat mentionem, & quod ſuper hoc inter Fratres dubitatio oriri poterat, aut forſan iam ſuborta fuerat, decreuit & ſtatuit, *vt electio ſupradictorum Miniſtrorum Prouincialium, pertineret ad Capitulum Prouinciale, ita quod ille in quem maior pars Capituli conſenſiſſet, eſſet Prouincialis Miniſter, confirmandus tamen per Miniſtrum Generalem, aut per eum qui eius vices haberet,* poſtque addit, *quod ſi electio fuiſſet infirmata, reuertatur ad dictum Capitulum, ſi tamen in die ad eligendum aſſignata, Capitulum eligere prætermittat, quod prouiſio pertineat ad ſupradictum Generalem Miniſtrum. In Prouincijs tamen Vltramõtenis maritimis, ſi Capitulo & Miniſtro Generale expedire fuerit viſum, atque ex rationabili cauſa, conceſſit vt Prouinciales Miniſtri poſſent inſtitui per Miniſtrum Generalem, cum aliquorum proborum ordinis conſilio.* Hæc in dicta Clementina vbi ſupra, de qua plura dicturi ſumus infra, in quæſtione, quam in communi facturi ſumus de electionibus: Sed iam nunc tradita eſt forma ſeruanda in electione Prouincialis Miniſtri, & cuiuſlibet alterius Prælati, quã non licet præterire, de qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Clemens V. in Conc. Vienn. tradidit formã ſeruãdam in electione Prouincialis Miniſtri.

Concluſio.

Quænã forma obſeruãda ſit hãc in electione Prouincialis Miniſtri.

IN electione Prouincialis Miniſtri, ſeruandæ ſunt omnes conditiones præſcriptæ à Concilio Tridentino, & à Conſtitutionibus noſtris Generalibus Toletanis; quarum transgreſſio electionem reddet irritam & nullam. Vt autem hoc melius ſciri poſſit dico, quod in Concilio Tridentino c. 6. præcipitur in primis, *vt electiones omnes per vota ſecreta fiant, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, & præterea vt nullo modo liceat ad effectum electionis faciendæ, aliquos titulares conſtituere, aut vocet & ſuffragia abſentium ſupplere, & dicitur quod ſi contra huius decreti Conſtitutionem, aliquis fuerit electus, electio ipſa irrita ſit & nulla.* Idem habetur in ſupradictis Conſtitutionibus Generalibus Toletanis, capit. 7. §. de electionibus, & §. de Prouincialibus Miniſtris. Et ad maiorem ſupradicti Concilij obſeruantiam, ſtatuitur, vt electiones fiant per ſchedulas ſecretas, quod neceſſario faciendum eſt, ac nimium obſeruari oportet. Cum hoc tamen ſtat, vt multorũ ſit opinio, quod ſi electio aliqua, fieret per vota vocaliter exhibita, coram ſcriba, & teſtibus (vti antea fieri ſolebat) quod talis electio non eſſet irrita, & nulla, & dicunt quod non eſt contra Concilium, prædicta eligendi Vocalis forma, neque vlla eſt lex, irritans & annullans electionem Prouincialium, ſeu quorumcumque Superiorum, ſic vocaliter facta. Huius opinionis, & ſententiæ inter alios, fuit olim Pater Frater Ioannes de Bobadilla, in ſuo Manuali ſeu Enchiridione manuſcripto, qua de re ipſe nolo ferre iudicium.

Difficultas An Prouincialis Miniſter eligi neceſſario debeat, decorpore Capituli

Sed deinde quæritur: An prædictus Prouincialis Miniſter, eligi neceſſario debeat de corpore Capituli? & dico quod non, quilibet vero de tota Prouincia eligi poteſt, quemadmodum & Miniſter Generalis, quamuis non ſit vocalis. Nam nullus qui habuerit partes ad id muneris requiſitas, ſecundum noſtras generales Conſtitutiones, à voto paſſiuo eſt excluſus, imo omnes qui ſunt de Prouincia, iure eligi poſſunt, id quod & multoties contingit. Et quamuis Capitulum Prouinciale eligere non poſſit Prouincialem, qui ſit alterius Prouinciæ, pro eo quod non habet poteſtatem, ad cogendum ipſum vt acceptet præfecturam, verumtamen ſi Prælati Generales id ipſum conceſſerint, poterit quidem Capitulum Prouinciale, Fratrem qui alterius ſit Prouinciæ, in Prouincialem ſibi eligere. Nam nulla eſt lex, quæ huiuſmodi electionem prohibeat, quin vero ita fuiſſe factum, ab hinc 45. annis, ex quo deſumpſi ſacræ huius noſtræ Religionis habitum, practicari multoties, & vidi, & audiui. Attamen Prælati Gener. ſine vrgentiſſima cauſa, & vt crediderim ſine ſpeciali licentia & facultate Summi Pontificis, nõ debent aut poſſunt Capitula Prouincialia ad idiptum cogere, nam talis coactio, nimis eſſet odioſa, atque iniurioſa, facereque id prohibentur iure, per quandam noſtram Conſtitutionem, factam in Capitulo generali Romano, celebrato anno 1600. vbi habetur, *quod Miniſtri Prouinciales non eligantur ex alienis Prouincijs, niſi magna & vrgenti neceſſitate, & ex conſenſu totius Diffinitorij* Prohibetur etiam idipſum, per ſpecialem Conſtitutionem Pij V. quæ incipit: *Paſtoralis*, quæ hoc expreſſe prohibet. Nec etiã facile licentiam debent præſtare, ad eligendum Fratrem extra Prouinciam in Prouincialem miniſtrum, niſi cum magna cauſa, & niſi talis licẽtia fuerit ab ipſo Capitulo petita, aut accedente eiuſdem Capituli conſenſu. Panorm. tenet id, quod multum oportet aduertere, quòd ad eligendum extraneum, non ſufficit conſenſus maioris partis Collegij ſiue Capituli, ſed quod omnes nemine diſcrepante conuenire debent, habetur *in cap. cum Vintonienſis Eccleſia, de elect.* in caſu vero quo omnes velint, & conſentiant, poterũt nominari tres aut quatuor Patres, à generali Miniſtro, vt

ſtro, vt ex ipſis ab eis eligatur vnus, nec propter hoc dicetur electio limitari, aut coarctari. Sed de his plura poſtmodum ſumus dicturi, quando agemus de electionibus in communi.

ARTICVLVS III.

De modo & forma celebrandi Capitula Prouincialia, ad eligendum Prouincialem Miniſtrum?

MOdus & forma celebrandi Prouincialia Capitula ad vnguem ponitur, *in noſtris Generalibus Conſtitutionibus Toletanis, cap. 8. §. de Prouinciali Capitulo*, vt tamen omnia quæ illic dicuntur, per ordinem clarius, atque diſtinctius hic præmanibus habeantur, libuit ea, in ſequentes concluſiones diuidere.

Prima Concluſio.

Quonam tẽpore, celebrãdũ ſit Prouinciale Capitulũ.

IN primis abſoluto olim quadriennio, nunc vero triennio, cuiuſlibet Prouincialis Miniſtri, inuiolabiliter celebrari præcipitur Prouinciale Capitulum. Hoc vero Capitulum in quo eligendus eſt Prouincialis Miniſter, haberi nullo modo poteſt, niſi præſente Miniſtro, aut Commiſſario generali, ſeu alio aliquo Viſitatore eorum auctoritatẽ habente, & ſi aliter celebretur eſt irritum & inane, quidquid ibidem factum fuerit. Hæc concluſiõ habetur expreſſa, vbiſupra, Qua propter in eiſdẽ conſtitutionibus, cap. 7. §. de Prouincialibus Miniſtris præcipitur, vt omnes Miniſtri Prouinciales, ante ſex menſes ſuæ vacaturæ, teneantur Prælatos generales certiores facere, de die in qua ſuum quadriennium, ſiue triennium expletur, vt commodius poſſit, de illius Prouinciæ Viſitatore prouideri, atque deliberari.

Nota quod Prouinciales Miniſtri, tenẽtur certiorem facere Generalem, aut Commiſſariũ Gen. determinatione ſui officij.

Secunda Concluſio.

De aſſignatione diei in quo celebrandũ eſt Prouinciale Capitulũ, & qua die debẽt conuenire patres & diſcreti Prouinciæ.

SVpradictum Prouinciale Capitulum, hoc celebrandum eſt ordine, quod interim dum viſitatur Prouincia, aſſignatur à Viſitatore ſeu Præſidente Capituli dies, in quo celebrari habet, & præcipitur in Conſtitutionibus Generalibus, quod ſit dies Dominica, quantum commode fieri poterit, & quod Viſitator Prouinciæ, Prouinciales Miniſter Diffinitores, ſiue Diſcreti Prouinciarum accedant ad locum Capituli, tribus diebus antequam accedant reliqui Vocales, vt in hoc tempore ſi quæ fuerint culpæ graues, ex Viſitatore Prouinciæ reſultantes, contra Miniſtrum Prouincialem, illi in ſcriptis reuelentur, & audientia eidem præbeatur, & coram Præſide, & Diſcretis Prouinciæ, accuſationes & excuſationes diſcutiantur, & illud circa correctionem vel liberationem Miniſtri Prouincialis fiat, quod maiori parti fuerit viſum. Hæc concluſio habetur vbiſupra.

Tertia Concluſio.

Qua die Vocales omnes debent intraire,

VOcales prædicti Prouincialis Capituli, accedere debent, vigilia vigiliæ celebrandi Capituli, ad horam prandij, & deliberare vſque ad ſequentem diem, in quo poſt primã decantatur miſſa de Spiritu ſancto, & ſtatim pulſatur ad Capitulum, in quo conueniunt omnes, & primo dicitur Hymnus, *Veni Creator*, qui ab omnibus decantatur, & dicta oratione fit ſermo corã omnibus, qua peracta concione, egrediuntur, qui non ſunt de corpore Capituli, & fit exhortatio à Præſide de his, quæ conueniunt ad electionem. Hæc etiam concluſio habetur vbi ſupra.

ſine ad Capitulum conuenire, & de ordine agendorũ

Quarta Concluſio.

Quilibet Prouincialis præteritus, culpas ſuas debet recognoſcere.

IN dicto Capitulo, antequam deueniatur ad electionem futuri ſucceſſoris, Miniſter Prouincialis, qui ſuum iam expleuit officium, debet coram toto Capitulo, officij ſui renuntiationem facere, & ſigillum, atque regiſtrum Præſidi conferre, ac ſuas culpas de more recognoſcere, & veniam precari genuflexus, & ibi à Præſide laudetur, ſeu corripiatur. Qui ſi liber euaſerit, in omnibus electionibus habebit vocem, non ſolum in Diſcretorio, verumetiam & in Diffinitorio, ni forſan ob ſua merita priuetur. Habetur hæc concluſio loco ſuprad.

Quinta Concluſio.

De nominatione diſquiſitorũ prodictae electione facienda, & fratrũ abſolutione.

PEractis ſupradictis, ſi qui ſunt alij corripiendi, & priuandi, tunc priuantur: poſtq; eliguntur à Præſide & Diſcretis Prouinciæ. de corpore Capituli, vnus Secretarius, & duo teſtes, qui & Diſquiſitores ſolent appellari, nam electio ſine huiuſmodi Diſquiſitoribus facta erit omnino nulla, vt habetur in dictis Conſtitutionibus, ca. 7. §. de electionibus. Sed antequam ad electionem procedatur, abſoluuntur omnes Vocales, á cẽſuris, ſuſpenſionibus, & irregularitatibus cunctis, ſi quas incurrerũt præuia Generali confeſſione, ac deinde proceditur ad ſucceſſoris electionem, quæ & facienda eſt, modo dicendo in ſequenti concluſione.

Sexta Concluſio.

Obſeruãda in electione prouincialis Miniſtri.

IN dicta electione, ſequentia ſunt obſeruanda. Primo quod voces & ſuffragia abſentium, nullatenus poſſunt ſuppleri. Secundo quod electio debet fieri per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, ad quod ſunt faciendæ ſecretæ quædam ſchedulæ. Tertio, quod huiuſmodi electio debet eſſe canonica, ita vt maior pars Capituli, libere in aliquem conſentiat. Ad maiorem autem partem, ſufficit quicumq; exceſſus quantumuis minimus, ſupra medietatem Capituli, quare ſi omnia Capituli ſuffragia fuerint viginti & vnum, & vndecim in aliquem conſenſerint, electio erit canonica & valida. Quarto, quod ſupradicti Diſquiſitores debent poni in loco patẽti, ita vt ſi commode fieri poſſit, valeant videri (nõ tamen audiri) à Vocalibus in Capitulo congregatis. Ad quos Diſquiſitores, ſinguli electores ſuo ordine accedent, portantes ſchedulas, à ſe factas, ſuiſque nominibus conſignatas & obſeratas, ita vt eligentis nomen, videri non valeat, & hic eſt vnus ſupradictarum ſchedularum faciendarum modus. Vel ſi placet eiuſmodi ſchedulæ ſcribantur à Secretario, ſuoq; nomine obſignabũtur, totq; ſchedulas cuilibet exhibebit Secretario ſcriptas,

Modus faciẽdi ſchedulas pro dicta electione

quot fuerint nomina eligendorum petita. Adquos ſupradictos Diſquiſitores accedentes electores & vocales, ad minus petant duo nomina, vel duas ſchedulas: & hic eſt ſecundus ſupradictarum ſchedularum faciendarum modus. Ex quibus ſchedulis Electores, ſiue ſuffragatores, vnam ſecreto eligunt, quam coram præſide & toto Capitulo apponunt in vaſe pro eligendo præparato, & in alio vaſe reponuntur reliquæ ſchedulæ inutiles, ſtatim regulatur vota à Præſide, & Diſquiſitoribus ſimul exiſtentibus in menſa coram Præſide in loco Capituli præparata, vbi ſedere debet ipſe Prælatus, qui electioni præeſt, & Diſquiſitores ſupradicti, reliqui autem Vocales in ſuis ſedent locis, interim quod vota, ſiue ſuffragia regulantur, & facta electione, promulgatur, & publicatur, modo & forma dicenda in ſequenti concluſione.

Septima Concluſio.

Forma promulgandi electionẽ Prouincia. Miniſt. nouiter electi.

FActa electione ſurgit Secretarius & dicit. *In nomine Patris, &c. hæc eſt electio canonica N. facta in hoc Conuentu N. tali die, menſe, & anno, hoc ordine P. F. N. habuit tot ſuffragia* (& incipit ab his qui pauciora ſuffragia habent) & cum venerit enunciare nomẽ illius, qui canonicè eſt electus, iterum dicit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Ego F. N. nomine meo, & nomine omnium veſtrum, qui mecum conſenſiſtis, eligo P. F. N. cum tot ſuffragijs, in Prouincialem Miniſtrum huius Prouinciæ, &c.* Deinde fit electio quatuor Diffinitorum eodem modo & ordine quo dictum eſt, diceturq; amplius in propria ipſorũ quæſtione. Hic eſt modus eligendi Prouincialem Miniſtrum. Sed aduertendum eſt, quod electus nullã habet auctoritatem, quouſq; fuerit confirmatus, ab eo qui electioni præeſt, qui nimirum, niſi iuſta ſubſit cauſa, eundem continuò confirmabit, & electus tenebitur etiam ſtatim electionem de ſe factã acceptare, ſed confirmatio & acceptatio, non ſtatim eſt facienda in Capitulo, ſed in eccleſia. Nam peractis ſupradictis, cantatur ſolemniter: *Te Deum Laudamus*, & pulſantur omnes campanæ Conuẽtus vaduntq; omnes fratres in proceſſionis forma ad Eccleſiam, vbi dicta oratione, Prouinciales, & Diffinitores electi, à Præſide Capituli confirmantur.

Miniſter electus nullã habet auctoritatẽ, antequam confirmetur à Præſide, qui neceſſario ipſum debet confirmare, niſi ſubſit iuſta & legitima cauſa.

Quæ ſint obſeruandæ in congregat. Diſcr. atq; Diffinit.

Reliqua omnia quæ pertinent ad Congregationem Diſcretorij, & Diffinitorij, & quoad conſtitutiones faciendas, prædicationes, concluſiones, & tabulæ confectionem, fieri debent ſuo modo, ſicut dictum eſt ſupra quæſt. 6. art. 2. concluſion. 11. agendo de Capitulo generali, quæ non libuit in præſentiarum referre, vt non iſte Articulus nimium excreſcat.

Qualiter pronuntianda ſit Capituli tabula, & de alijs ibidẽ faciẽdis

Quibus omnibus ſic conſtitutis, & peracta officiorum tabula, omnes iterum ad Capitulum conuocantur, & in eo Præſidens facit exhortationem quandam paruam, admonẽdo omnes fratres ad Regularem obſeruantiam, Prouinciæ defectus generaliter reprehendendo, & ſtatim denunciabit, ſeu nunciari coram ſe, & omnibus faciet, quæ ſunt à toto Capitulo ordinata, & tabula officiorum, & dictarum ordinationum promulgabitur, & conceſſa auctoritate, vt per aliquos dies generaliter fratres abſoluí poſſint, & data benedictione & licentia redeundi, diſſoluitur ſupradictum Prouinciale Capitulum. Hæc omnia habentur in cõſtitutionibus generalibus, vbi ſupra, vbi etiam dicitur, quod poſtquã capitularis tabula fuerit promulgata, Diffinitoriũ nõ poſſit dilatari vltra octo dies, quibus tranſactis, ipſo facto manet ſupradictũ Diffinitoriũ diſſolutũ, & ſine vlla capitulari auctoritate.

Quo tempore diſſoluitur Diffinitoriũ Capituli.

ARTICVLVS IIII.

Quanto tempore duret, officium Prouincialis Miniſtri?

PRo huius Articuli intelligentia præmittere oportet, quod vt colligitur ex Monumentis, & Chronicis noſtri ordinis, & expreſſius ex bulla, quæ cõmuniter dicitur Vnionis, Prouinciales Miniſtri olim erant perpetui, nec expirabat eorum officiũ, niſi per mortem, promotionẽ, vel amotionem. Sed Leo X. in ſupradicta Bulla Vnionis, ſtatuit, & decreuit, *vt dicti Prouinciales eſſent triennales, & quod vltra triennium in ſuis officijs non poſſent continuari, quo triennio elapſo præcipitur, vt pro abſolutis ab officio à cunctis fratribus habeãtur.* Hæc in ſupradicta Bulla Vnionis. Sed poſtmodum Pius V. in alia Bulla, quæ incipit, *Paſtoralis*, publicata in Capitulo gener. Romano, anno 1571. *ſtatuit vt eſſent quadriennij*, quod & duravit toto ſuo tẽpore, & Grego. XIII. Attamen Sixtus V. in alia ſua Bulla, quæ incipit, *Etſi communis cura Paſtoralis officij*, Data Romæ, anno Domini 1587. decreuit, *vt iuxta aliqnã noſtri ordinis cõſuetudinẽ, tẽpus durationis Prouinc. Min. duntaxat eſſet trienniũ*, & idẽ dicẽdũ eſt de Guardianis, & de omnibus alijs officijs, excepto Gener. Miniſtro: cuius officium voluit eſſe ſexennium, & ſic obſeruatur modo. Vnde propoſitæ difficultati, reſpondeo, per ſequentem ſtatuo concluſionẽ.

Notaquodpro uincialesolim in initionoſtri ordinis erant perpetui.

Quo tempore Prouinciales eſſe cœperint triennales.

Concluſio.

TEmpus durationis officij Prouin. Min. dũtaxat eſt triennium. Sed aduertendũ eſt, nõ ita præciſe hoc eſſe intelligendũ, quin poſſit per menſem ſiue per menſes, huiuſmodi officiũ prolongari, ſeu abbreuiari, ſecundũ quod & ipſa Capitula Prouincialia protrahuntur, ſiue accelerantur: quod & expreſſe diffinitũ, & determinatum fuit, in Capitulo Valliſoletano, celebrato anno 1593. quin vero & multo ante, in quodam Capitulo generali, celebrato in Cõuentu Laballis Prouinciæ Turoniæ, anno 1503. vbi habentur ſequentia verba: *Non autẽ ita præciſe intelligendum eſt huiuſmodi trienniũ, quin poſsit per mẽſem, vel per menſes prolongari, ſeu abbreuiari, ſecundum quod Capitula Prouincialia accelerantur vel protrahũtur.* Refertur huiuſmodi ſtatutũ, in memoriali ordinis agendo de vigeſimo primo Vicario gener. fol. 249. refertur etiam à Collectore Priuilegiorũ in Cõpẽdio, v. *officia ordinis*, §. 2. *in fine*. Vnde dico, quod quãuis per Bullã Vnionis, expleto triẽnio ſupradicto, auctoritate Apoſtolica ipſo facto Prouinciales prę dicti abſoluti erant à ſuo officio, & ab illo die auctoritate Cap. generalis, jam non erant Prouinciales, ſed Cõmiſſarij Prouinciæ, modo tamen nõ ſtatim vacat, quantum ad rem, & quantum ad ſubſtantiam attinet, ſupradictum Prouincialiũ officium, quamuis ſit expletum atque completũ triẽnium, quia de hoc auctoritate Apoſtolica nulla re

Tempus durationis officij, Miniſtr. Prouincialiũ, modo eſt per triẽnium tantum.

Non ita præciſe prædictũ durationis tẽpus intelligẽdum eſt, quin poſſit per vnum vel duos, aut tres menſes abbreuiari, aut prolongari.

peri-

peritur facta conſtitutio, ſed tantum vacat, quantũ ad nomem, ſeu denominationem, auctoritate multorum Capitulorũ generalium: ſed præcipue Salmanticenſis, celebrati anno Domini 1553. & Toletani, ſeu Congreg. generalis Toletanæ, habitæ anno 1583. Vbi in cap. 7. §. de Commiſſarijs Prouinciarum habetur, quod poſtquam Miniſter Prouincialis ſuum quadriennium, ſiue triennium expleuerit, ſi Viſitator Prouinciæ nondum ad illam accеſſerit, ipſe Miniſter ſit ipſius Prouinciæ Cõmiſſarius, auctoritate Capit. generalis, qui & ab eo die, in quo quadriennium fuerit completum, non appellabitur Miniſter Prouincialis, ſed Commiſſarius Prouinciæ. Hæc in dicta Congregatione generali. Sed quæſtio hæc videtur, non tam de re, quam de nomine, nam certum eſt quod etiam ſi quadriẽnium, aut triennium fuerit expletum, ſi Viſitator Prouinciæ nondum aduenit, quantum ad rem erit Prouincialis, & non Commiſſarius Prouinciæ.

ARTICVLVS V.

De reelectione Prouincialis Miniſtri, & quantum tempus debeat eius officium vacare?

Olim Prou. nõ poterat reeligi in dictum officium, niſi poſt ſexenniũ tranſactum.

PRo intelligentia huius Articuli præmittendum eſt, quod tacito quodam totius ordinis conſenſu, receptum fuit ſtatutum, Reuerendiſſimi Patris Lũnelli olim Generalis Miniſtri, quo cautum eſt, vt qui ſemel fuiſſet Prouincialis, non poſſet ad idem Prouincialatus Miniſterium aſſumi aut eligi, niſi tranſacto ſexennio. Sed per ſexenniũ ſecundum ordinis ſtatuta & conſuetudinem, non intelligebatur tempus, completum ſex annorum, ſed tempus medium inter duas electiones, duorũ Miniſtrorum Prouincialium, ita quod ille qui Prouincialis olim fuiſſet, poterat iterum ad idem officium eligi, & aſſumi. ſi interea alij duo Prouinciales fuiſſent electi, & à ſuo officio abſoluti, quamuis inter duos illos Prouinciales, non eſſet completum prædictum ſex annorum tempus. Triennium enim olim, ſeu triennale tempus in noſtro ſacro Minorum ordine, non ſumebatur, niſi pro tempore quo aliquis Prouincialis eligebatur, vſque ad Capitulum in quo à ſuo officio abſoluebatur, quamuis illud eſſet modicum & paucum, vt expreſſe conſtat ex conſtitutionibus Salmantinis, ſeu Monelianis, capite octauo, vbi fit mentio de Prouincialibus Miniſtris. Sed poſtea Pius Quintus in ſupradicta ſua Bulla, quæ incipit, *Paſtoralis*, publicata anno Domini 1571. ſtatuit, *vt Prouincialis Miniſter, poſtquam ſuo fuiſſet officio functus, non poſſet iterum ad id munus eligi, niſi poſt 16. annos.* Sed hoc autem ſtatutum, ſiue conſtitutionem, reformauit poſtmodum Gregorius Decimus tertius, in quadam alia ſua Bulla, quæ incipit, *Conſueuit*, publicata in Capitulo generali Pariſienſi, celebrato anno Domini 1578. ſtatuens, *vt Prouinciales noſtri ordinis, poſt functum ſui Prouincialatus officium, vacare debeant, nec iterum eligi poſſint, niſi poſt duplum temporis, quo illud exercuerunt.* Per duplum vero temporis, conſtit. Tol. c. 7. §. de Pro. Min. declararũt, tẽpus 8. annorũ expletũ, ſiue poſt 8. annos expletos, erãt enim tũc tẽporis Prou. ſupr. quadriẽnij, ſiue quadriennales.

Qualiter olim cõputabatur ſexennium.

Quo hoc præmiſſo, vt harũ rerũ aliqualis haberetur notitia, eſt modo difficultas, an prædicta declaratio fuerit iuridica? Qua de re P. F. Ioannes de Bobadilla in ſuo Manuali, ſeu Enchiridione manu ſcripto, dicebat per duplum temporis, intelligi debere tempus duarum electionum, qualecumq; illud ſit, & non tempus 8. annorum completorũ. Et ratio eſt, nam cum dicta conſtit. Grego. XIII. facta fuerit pro noſtro ſacro Minorũ Ord. intelligẽda venit ſecũdũ Conſtitutio. eiuſdẽ Ord. oportet enim iura concordari iuribus, vt habetur in iure. Cũ igitur in noſtris conſtitut. gener. Salmantinis, ſiue Monelianis (vt dictum eſt) conſtitutum fuerit, vt Prouincialis Miniſter, ſuo functus officio, non iterum eligatur, ſeu poſſet eligi, niſi poſt quam alij duo Prouincialis, eiuſmodi functionem ſubierunt, manifeſte ſequitur (ſupradictus Pater aiebat) per duplum temporis, non eſſe intelligendum tempus octo annorum expletum, ſed tẽpus duarum electionum. Id quod & confirmare volebat ex alia Extr. Greg. XIII. quæ incipit, *conſueuit*, data Romæ apud S. Marcum die 8. Septembris, anno Domini 1573. vbi expreſſe dicit, quod per duplum temporis intelligatur (ſecundum ordinis ſtatuta) tempus duarum electionum. Et quia hoc magnã difficultatem habet, & non omnes capiunt verbum iſtud, expreſſa verba ſupradictæ Extrauagantis, referre libet. Inquit Gregorius ſupradictus, poſt alia. *Et quod diſponebatur, de officio gener. Miniſtri, quod per octo annos duraret, Commiſſarij vero, & Procuratoris generalis, necnon Prouincialis per quatuor, ipſique ſemel officio functi, ad idem eligi non poſſe, niſi poſt 16. annos, &c. nos ad ſtatutorum generalium dicti ordinis, ſeriem & formam reducimus, quibus dicitur expreſſe, quod officia ſemel exercentes, ab eis qui ea geſſerunt per duplum temporis vacare debent, ita vt duæ electiones celebrentur, antequam ad eadem officia iterum eligantur.* Hæc Gregorius. Cuius verbis innixus, dicebat ſupradictus P. Bobadilla, quod prædicta declaratione, Congreg. gener. Toletanæ non obſtante, ſi quis Religioſus eligeretur in Miniſtrum Prouincialem, poſt duas electiones duorum Prouincialium, poſtquam deſijt eſſe Prouincialis, prædicta electio non ſolum eſſet licita in conſcientia, verumetiam firma, & valida, quamuis non eſſent completi ſupradicti octo anni. Nam ſupradicta declaratio nõ fuit iuridica, quia fuit contra legem expreſſam, & contra formam noſtrarum Conſtitutionum, ac proinde nullam aliam habuit vim, niſi eam quam ſortiuntur cæteræ conſtitutiones, & cum nulla ſit cõſtitutio ex generalib. noſtris, quæ ſua vi obliget ad culpam, niſi in caſu, quo ponatur obedientia, aut cenſuræ (vt in eiſdem conſtitutionibus Toletanis expreſſe continetur) manifeſte inquit ſequitur, quod in caſu quo eligendus eſſet pater quidam multum conueniens, nimiſque vtilis futurus Prouinciæ, tuta conſciẽtia prædicta declaratio poſſet prætermitti, ipſeque in Prouincialem Miniſtrum præfici, poſt duas prædictas tranſactas electiones, quãuis nõ eſsẽt expleti, & cõpleti ſupradicti 8. anni. Hæc ſup. P. Bobadilla. In qua adeò magna & graui difficultate, nollẽ certè ipſe iudicẽ agere, ſed aliorũ expectare iudiciũ. Sed tamẽ ſi mea reſolutio alicuius eſt momẽti, pro ea ſequẽtẽ ſtatuo cõcluſion.

Difficultas.

Concluſio.

Non eſt neceſſum, quodoctoſeu ſexennorũ tempus ſit phyſice expletũ, vt poſsit quis iterũ eligi in Prouincialem dummodo trã ſactæ fuerint duæ electiones

QVamuis qui olim fuit Prouincialis Miniſter, iuxta ſuperius dicta reeligi, ac iterũ præſici non poſſet, niſi poſt duplum temporis ſui officij, ſi tamen defectus temporis ſit paruus, haud dubito quod ipſius electio ſit firma & valida, etiamſi tempus non ſit omnino expletum, cum tamen interea tranſactæ fuerint duæ electiones. Pro huius concl. intelligentia aduerto, quod hucuſq; locuti ſumus de octennio, & quadriennio, iuxta id quod olim poſitum erat in praxi tempore ſupradictorũ Pij V. & Gregor. XIII. quo tempore Prouinciales (vt diximus) erant quadriennij, & poſtea per octiẽniũ à prædicto ſuo officio debebãt vacare. Sed poſt modum hæc omnia immutata ſunt, per Sixtum V. (vt etiam ſupradiximus) ac durare debet ſupradictorum Miniſtrorum Prouincialium officium per triennium: vnde & eiuſdem vacatio, vſq; ad ſexennium tantum protrahitur. Quo præmiſſo, atq; ſuppoſito, dicit modo noſtra cõcluſio, quod licet hoc ita ſit, ſi tamen defectus tẽporis vacationis ſit paruus (ſit octennium, ſit vero ſexennium) cum tranſactæ fuerint duæ electiones, qui olim fuit Prouincialis Miniſter, iterum poterit reeligi, etiamſi vacationis tempus phyſice conſideratum, non ſit omnino expletum. Ad quam concluſionem tenendã, moueor in primis, propter ſuprapoſitam Gregor. XIII. conſtitutionem, quæ vt expreſſe patet, duplũ temporis exponit per celebrationem duarum electionum, antequam Prouinciales ad eadem officia iterum eligantur, quod dicit ſe facere reducendo, quæ antea dixerat Pius V. ad ſeriem & formam noſtrorum generalium ſtatutorum. Præterea facit ad idem, quia in Iure, quod paruum eſt, pro nihilo reputatur: paruum autem dico, tempus vniusmenſis & etiam trium menſium, iuxta declarationem ſuperius factam in præcedenti Articulo, de tempore durationis Prouincialis Miniſtri, ex decreto Capituli generalis celebrati in Conuentu Laballis. Id quod & in alio ſimili caſu determinauit Nauarrus lib. 1. conſiliorum, tit. de ætate & qualitate, con. 7. n. 2. vbi inquit, quod conſtitutiones non habent locum, in paruo temporis defectu, quod & multis iuribus, auctoritatibus & rationibus comprobat. Vnde cum in noſtro caſu, ſpecialiori etiam ratione eadem omnino currat ratio, tenendum procul dubio videtur id, quod in concluſione eſt dictum, ſemper tamen ſalua correctione ſuperiorum & Capitulorum generalium, ſi quod me præterit, alicubi aliud fuerit declaratum ſiue determinatum, nam in tali caſu, in eo erit ſtandum.

Nota quod cõſtitutiones nõ habent locũ in paruo temporis defectu quãdo expreſſe non apponitur, quod ipſum ſit expletum.

ARTICVLVS VI.

De poteſtate Prouincialis Miniſtri, in omnes ſibi ſubditos.

Concluſio.

Auctoritas Prouincialis Miniſtri, in ſibi ſubditos,

AVctoritas & poteſtas Miniſtrorum Prouincialium, ad exequendum ſuum munus & officiũ, eſt pleniſſima & omnino eadem in ſuis Prouincijs, quam habet generalis Miniſter in totum ordinẽ, in quibus ſpecialiter non ſunt prohibiti. Hæc concluſio eſt cõmunis omnium Doctorum reſolutio, & de mente Panor. ab omnibus receptus, & in hoc à nemine reprobati, *in c. at ſi Clerici, de iudicijs*, poſſunt prædicti Prouinciales Miniſtri, circa ſibi ſubditos in ſuis Prouincijs, quidquid & Epiſcopi in toto ſuo Epiſcopatu. Sunt tamen ſupradictis Prouincialibus interdicta atq; prohibita, quæ ſupra q. 7. cũ ſeq. per plures Articulos, interdicta eſſe diximus, etiam ipſi generali Miniſtro, & ſolũmodo ſummo Pont. reſeruata, quæ oportet videre ibidem, vbi hac de re longiſſimum, atq; copioſiſſimũ fecimus Elenchũ, quæ vero omnia Miniſter generalis poteſt efficere ſiue ex iure, ſiue ex priuilegio in toto noſtro ordine, eadẽ omnino, & ipſi Prouinciales Miniſtri facere poſſunt in omnibus ſuis Prouincijs reſpectiuè, vbi ſpecialiter nõ ſunt prohibiti. Vt autẽ pręmanibus habeantur, ea quæ ſupradictis Prouincialibus ſpecialiter ſunt prohibita, ponẽtur in ſequẽti Art.

eſt pleniſſima & omnino eadẽ, cũ poteſtate generalis Miniſtri in totũ ordinem, in quibus non eſt prohibitus.

ARTICVLVS VII.

Quænã Miniſtris Prouincialibus ſunt ſpecialiter interdicta & prohibita, ex vi noſtrarum generalium conſtitutionum?

QVæ Miniſtris Prouincialibus de iure communi ſunt prohibita, iam ſuperius ſunt poſita, in q. 7. cum ſeq. vbi appoſuimus omnia, quæ ſunt prohibita Miniſtro generali, nam quod generalibus non conceditur ex iure, multo minus conceditur Prouincialibus Miniſtris. Et generaliter dico, eiſdem eſſe interdicta, omnia quæ in iure Epiſcopis ſunt prohibita, nam eorum auctoritas atque facultas, ad ſummum eſt Epiſcopalis, vel quaſi Epiſcopalis. Sed præterea in noſtris conſtitutionibus generalibus, ſunt etiam aliqua, quæ cum generales Prælati facere poſſint ſupradictis Prouincialibus ſpecialiter ſunt interdicta, de quibus ſit concluſio.

Concluſio.

QVæ Prouincialibus Miniſtris ſpecialiter ſunt prohibita ex vi noſtrarum generaliũ conſtitutionum, ſunt quæ ſequuntur.

Miniſtri Prouinciales, non poſſunt diſpenſare in conſtitutionibus generalibus in caſu quo aliquibus ſibi ſpecialiter cõmittatur.

Primo prohibentur Miniſtri Prouinciales diſpẽſare in conſtitutionibus gener. niſi in illis caſibus, in quibus illis expreſſe & ſpecialiter huiuſmodi cõceditur facultas. Habetur hæc prohibitio, in c. 8 cõſtit. gen. Toleti reformatarũ. §. de diſpẽſat. cõſtit. v. *Miniſtri vero Prouinciales*, ſed tamen ibidẽ concedi tur ſibi, vt in caſu aliquo ſpeciali, atq; ex rationabili cauſa, cum conſilio Diſcretorum Prouinciæ cõmutare poſſint, & etiam mitigare, pœnas in eiuſmodi conſtitutionibus poſitas. Sed additur, quod ſi ex eorũ remiſſione, propterea ſaluatur Ordinis diſciplina, accuſentur in Prouinciali Capitulo.

Non poſſunt diſpenſare cũ Religioſo laico, vt aſcendat ad Clericatum.

Secundo prohibentur diſpenſare cum Religioſo laico, vt aſcendat ad Clericatum. Habetur hæc prohibitio, in capite 1. earundem Conſtitutionum. §. de

§. de laicis. vbi hoc reseruatur solum Capitulo vel Ministro generali.

Nō possunt licentiē præstare, vt fiat scriptura, qua proprietas Capellæ, sine sepulturæ, inaliquē transferatur.

Tertio prohibentur supradicti Prouinciales, licentiam, siue facultatem præstare, vt fiat instrumētum, seu scriptura, à Fratribus capitulariter cōgregatis, in qua dominium, siue proprietas alicuius Capellæ, vel sepulturæ, transferatur in aliquam personam. Hoc habetur in c. 3. de obseruantia paupertatis, §. de redditibus annuis, quia (inquiunt Constitutiones) hoc esse omnino contra Regulam & contra nostrum institutum, nam repugnat vt aliquis det quod non habet. Si tamen aliqua occasio sese obtulerit, in qua oporteat satisfacere deuotæ fidelium voluntati, præcipitur, seu potius permittitur, vt id fiat per modos nostræ Regulæ, & instituto congruentes. Circa hanc prohibitionem, multa sese offerrent dicenda, nisi latissimè à me superque satis dicta fuissent, in explicatione nostræ Regulæ: videantur ibidem.

Poteſt tamen prædicta ſcriptura, fieri per Syndicūm ex cōſenſu Fratrū per aliquem modū licitum

Non possunt de nouo recipere aliquem Conuentum.

Quarto prohibentur prædicti Prouinciales, de nouo recipere aliquem Conuentum Fratrum, vel Monialium, nam id pertinet ad solos Prælatos Generales. Habetur hæc prohibitio, in capit. 3. §. de ædificijs.

Nō possunt recipere laicos, ad Tertiariorū habitum.

Quinto prohibentur recipere ad habitum Tertiarios viros, siue mulieres, vt in domibus suis in seculo habitent, nam id solum modo pertinere dicitur ad Prælatos generales. Habetur in ca. 1. §. de Tertiarijs. Sed circa hoc iam aliter est ordinatum, & quod modo habetur in praxi obseruandum est.

Prohibentur à carcere liberare, falſificatorem, ſigilli Miniſtrorū gen.

Sexto prohibentur Prouinciales prædicti, absoluere ab excommunicatione illata contra suborna tores, nam id solum reseruatur Prælatis generalibus. Habetur in cap. 6. §. de subornatoribus, vbi etiam dicitur, & explicatur, quinam dici debeant subornatores.

Septimo prohibentur liberare à carcere, eum qui sigillum, vel literas generalium Prælatorum falsauerit. Habetur hæc prohibitio, in capit. 6. §. de falsificatoribus, vbi aduertendum est, quod Prouinciales non prohibentur prædictos falsarios carri mancipare, & etiam conuictos esse reos punire, & sentētiare, sed solū prohibentur eosdem à carcere liberare, sine assensu & expresso cōsensu Prælatorum generalium.

Nō possunt tap ponere excōicatio nisi ſententiam, niſi in ſcriptis.

Octauo prohibentur Prouinciales, & quicumq; alij Prælati, sententiam excommunicationis imponere per modum ordinationis, vel statuti ad præcauenda delicta, vt est prohibitio ingressus in cellas, siue in aliquas secularium domos, & id generis alia, nisi in scriptis. Habetur hæc prohibitio in supradicto cap. 6. §. de pœna excommunicationis, & decernitur quod excommunicatio aliter lata, ipso facto sit nulla, & vt talis declaratur.

Nō poſſunt celebrare prou. Cap. abſq; præſentia Prælat. gener. ſeu Cōmiſſariorum.

Nono prohibentur Prouinciales supradicti, celebrare Capitulum in quo fit eligendus nouus Prouincialis Minister, nam ad id necessario requiritur Prælatorum generalium præsentia, vel suorum Commissariorum, seu Visitatorum Prouinciarum. Habetur hæc prohibitio in capite octauo, §. de Capitulo Prouinciali, & si aliter Capitulum fuerit celebratum irritum est, & inane, quidquid ibidem fuerit factum. Attamen Capitulum intermedium, seu congregationem intermediam, habentem vim Capituli, celebrare poterunt, sine speciali Prælatorum generalium licentia, vt ibidem disponitur loco supra citato.

Nō poſſunt facere conſtitutiones, & ordinationes ſine cōſenſu Capit

Decimo prohibentur Prouinciales, & quicumq; alij Prælati, facere Constitutiones sine consensu Capituli Prouincialis. siue generalis, possunt tamen præcepta iusta ponere, quæ quidem expirant completo ipsorum officio. Habetur hæc prohibitio, in cap. 8. §. de Capitulo generali, & §. de Capitulo Prouinciali.

Nō poſſunt diſpenſare, in miſſis dicendis diebus dominicis.

Vndecimo prohibentur dispensare in missis, quæ dicuntur, & dici debent in diebus Dominicis pro benefactoribus. Hæc prohibitio habetur in ca. 9. §. de suffragijs defunctorum.

Nōpoſſunt per le ipſos Guardianos priuare neq; Prædicatores, & confeſſores inſtituere.

Duodecimo prohibentur, Guardianos per se ipsos priuare, & sine consensu maioris partis Discretorum Prouinciæ, nisi in casu quo per ordinationē essent probati. Habetur in capit. 6. de correctione delinquentium. §. de pœnis imponendis Prælatis. Item prohibentur instituere Prædicatores, & confessores extra Capitulum, etiam ex ipsius Capituli commissione. Habetur in cap. 4. §. de Prædicatoribus, & in cap. 5. §. de confessoribus secularium. Supradictis addunt quidam, quod Prouinciales prædicti prohibiti sunt licentiare fratres suos, ad visitanda in terram sanctam, & beatam Mariam de Angelis, & sanctum Iacobum in Compostella, absque assensu Prouincialis Capituli vt statutum fuit in Capitulo Burgensi Anno Domini 1564: idemq; fuit statutum in Capitulo Romano Anno 1578. & idem est intelligendum de quacumque alia longa peregrinatione, vt habetur in Enchiridione fol. 100. & in prædicto Capitulo generali Romano, admonentur prædicti Prouinciales Ministri, vt abstineant, quantum in Domino poterunt, à mittendis fratribus ad peregrinandum per alienas Prouincias, vt euitentur vagationes indignæ, & alia inconuenientia inumera. Sed in Capitulo Vallisoletano, habito anno 1593. adhuc hoc strictius præcipitur, & ponitur pœna suspensionis ab officio, cōtrarium facientibus.

Nonpoſſunt licentiā ſuis fratribus præſtare vt vadat ad terrā ſanctam ſeu extra Regnā, atq; ad alienas regiones ſine Prouincie

ARTICVLVS VIII.

De Capitulo Prouinciali intermedio, ſeu Cōgregatione habēte vim Capituli.

In initio Religionis, ſingulis annis Cap. Prouinc. celebrabatur, in qualibet Prouincia.

PRo huius Articuli intelligentia est aduertendum, quod olim in Religionis initio, singulis annis Capitulum Prouinciale celebrabatur in qualibet Prouincia, sed Sixtus IIII. *Concessit & ordinauit, quod fratres Minores non tenerentur celebrare, nisi duo tantum Prouintialia Capitula de triēnio in triēnium, non obstante Bulla Eugenij IIII statuentis, vt in qualibet Prouincia singulis annis Capitulum Prouinciale celebraretur.* Habetur in Monum. Ordin. 1. *impreſſ. fol.* 45. & 2. *fol.* 129. *concl.* 153. & *fol.* 56. *conc.* 168. & *refertur.* Quin vero postea Leo X. *Capitulo generali concesſit, vt præmiſſa debita diſcuſſione poſſet cōcedere illis Prouincijs, quibus id vtile, & expediens viſum fuerit vt ſemel tantum de triennio in triēnium celebrent Prouinciale Capitulum.* Habetur in suplemento, *f.* 56. *cōc.* 168. Sed tamen in nostris cōstitutionibus gener. Tolet. *c.* 8. §. *de capit. Prou. & cōgregatione habēte vim Capituli*: quantū attinet ad Capitulū in-

termedium relinquitur ad diſpoſitionem Miniſtrorum Prouincialium, & dicitur quod ſi illis viſum fuerit (vt in Regula habetur) poterunt in quocumque biennio Capitulum cogere; non expectata generalium Prælatorum vel Viſitatorum præſentia, vel licentia. Præcipitur tamen, quodſi prædictum Capitulum intermedium, non fuerit celebrandũ in complemento biennij (modo dicendum eſt, expleto anno cum dimidio, plus minuſve) celebretur à Prouinciali Congregatio quædam; quæ habeat vim Capituli, ad peragenda ea negotia, quæ fieri ſolent in Capitulis Prouincialibus. Hoc idem ſtatutum fuit olim, in Capitulo generali Romano, celebrato anno Domini 1571. Sed poſtmodum in alio generali Capitulo ſimiliter Romano, celebrato anno 1587. ſtatutum fuit vt nullum de cætero Capitulum intermedium celebretur, cum in Congregatione capitulari & quæ capituli vim obtinet, omnia negotia Prouinciæ diffiniri optime poſſint. Celebranda eſt autem prædicta Congregatio, modo & ordine dicẽdo, in ſequẽtibus cõcluſionibus.

Prima Concluſio.

Quid debeat præcedere celebrationẽ Capituli intermedij, ſiue cõgregationis intermediæ.

ANtequam prædicta Congregatio celebretur, Prouincialis Miniſter viſitare debet totam ſuam Prouinciam, intermedioque ſui officij tempore plus minuſve, aſſignabit tempus congregationis celebrandæ, de quo certiores faciet omnes cõuentus & Guardianos Prouinciæ. Statuitur hoc in dictis Conſtitutionibus generalibus vbi ſupra, & obſeruatur in cõmuni praxi, vt Guardiani ad dictã congregationem, quæ remittenda ſunt, mittant.

Secunda Concluſio.

Quinã conueniant, ſeu conuenire debeãt ad congregat. intermediam.

AD ſupradictam congregationem, ſolummodo vocantur, conuenireque debent, Diffinitores actuales, & Prouinciæ patres (ſi habuerint vocem) illi nempe qui fuere olim Prouinciales Miniſtri, aut modernior ex his qui fuerunt Prouinciales, nam hæc omnia multoties immutata ſunt, & mutantur in dies, & præter ſupradictos, nullus alius cogitur, nec vero venire ad dictam Congregationem permittitur. Hæc etiam concluſio conſtat ex ſupradictis Conſtitutionibus loco ſuperius citato, & circa ipſam obſeruabitur, quod in qualibet Prouincia poſitum fuerit in communi praxi. Nam & in noſtra Salmanticenſi ſeu S. Iacobi, conſuetudine eſt poſitum, vt etiam conuocentur & veniãt ad congregationem prædictam, illi patres qui dicuntur nationum Commiſſarij, Guardianus ſcilicet Conuentus Salmanticenſis, Guardianus Compoſtellanus, ſimiliter & Ouetenſis, qui ex particularibus conſtitutionibus eiuſdem Prouinciæ, ſunt Commiſſarij, primus Caſtellæ, ſecundus vero Gallæciæ, tertius autem Principatus Aſturicenſis.

Tertia Concluſio.

Quid debeant conuentus mittere ad cõgregationẽ præd.

AD dictam congregationem, ſinguli Conuentus debent remittere petitionem Guardiani, clauſam & cõuẽtus ſigillo munitã, & omnes Guardiani per ſcriptũ ſuis Officijs renunciãt, & ſuorũ Conuentuum ſtatum atque diſpoſitionem, ad congregationem eandem referunt. Hæc concluſio habetur in dictis conſtitutionibus vbi ſupra, & de more Prouinciarum in quibuſdam Prouincijs fieri ſolet quædam alia noua viſita, Guardiani & Prouincialis, & etiam Prælatorum generaliũ, coram ſcriba & teſtibus ad id muneris ſelectis à tota cõmunitate. Sed quia hæc particularia ſunt, particularibus etiam pro more ſuo relinquuntur Prouincijs. Solummodo aduerto, id quod in ſupradictis Conſtitutionibus generalibus habetur, quod Guardiani ſupradicti, poſt præfatam renuntiationem ſui officij, & congregatione peracta, non erunt vlterius ſui Conuentus Guardiani, niſi de nouo cõtinuentur, atque adeò noua tabula officiorum, in dicta congregatione fieri præcipitur.

Nota pro Guardianis, ſi non cõtinuantur in cõgregatione.

Quarta Concluſio.

In dicta cõgregatione intermedia, nõ poſſunt fieri, nouæ cõſtitutiones & ſtatuta, poſſunt tamẽ fieri Prædicatores & Cõfeſſores ſeculariũ

IN hac Congregatione Capitulari, non poſſunt fieri Conſtitutiones, quæ vim legis habeant, nam ad hoc neceſſario requiritur vt tota ſit Prouincia Capitulariter congregata, & quod maior pars conſentiat. Poſſunt tamen conſtitui Prædicatores & Confeſſores ſecularium, & eligi Cuſtodes mittendi ad generale Capitulum, auctoritate Capituli Generalis ſupradicti. Habetur vbi ſupra.

Quinta Concluſio.

Interim quod Vocales vadũt ad Capitulũ generale, prædicta Cõgregatio non poteſt celebrari.

INterim quod prædicti Cuſtodes, & Vocales Prouinciarum, ad Capitulum generale tranſmiſſi non fuerint reuerſi, nullum Capitulum Prouinciale, nec dicta Congregatio habens vim Capituli Prouincialis, celebrari poteſt, & quidquid ſecus fuerit factum, eſt irritum & inane, dummodo mora prædictorum Vocalium non fuerit in culpa aut impoſſibilis ipſorum regreſſus. Habetur in dictis Conſtitutionibus generalibus vbi ſupra. Et hæc de iſto Articulo dixiſſe ſufficiat, nam reliqua quæ ſpectant ad munus & officium Diffinitorum, in Diffinitorio conſtitutorum, & ad electionem Guardianorum & Conſtitutionem aliorum officium ab eiſdem faciendam, ſtatim dicentur.

ARTICVLVS IX.

De inſtitutione & informatione compendiaria Prouincialis Miniſtri, circa agenda ab eo ab initio vſque ad finem ſui officij, vt debito ſuo fungatur munere.

ISte Articulus proponitur, ad hoc vt præmanibus habeantur, quæ à Miniſtris Prouincialibus, quamma xima ſunt animaduerſione digna, ac ſummopere præoculis habenda ex mente, & ſententia grauiſſimorum Patrum, qui multoties fuerunt eodem officio functi, & in hiſce rebus multum exercitati, quæ omnia breuiter ac ſummatim complectentur ſequentibus Concluſionibus.

Prima

Prima Conclusio.

De concione, siue collatione spirituali quã Minister nouiter electus debet efficere.

CVm primum electus fuerit & cõfirmatus Prouincialis Minister, honoris Dei, & animarum zelo succensus, breuem quandam ad Fratres collationem debet efficere in Refectorio post prandiũ, in qua postquam ostensionem fecerit grãti animi sui officij etiam difficultatem, & grauitatem suis viribus imparem debet asserere, atque exaggerare, petereque proinde obnixe, suorum subditorũ precibus & orationibus adiuuari, monstrando se omnibus gratum, & ab omni prorsus odio, amore, siue affectione & æmulatione alienum. Quod in hac conclusione habetur, semper fuit consuetudine positum, & in communi praxi obseruatum. Ad quem effectum Generales Prælati (si adsunt) & in eorum absentia Commissarius qui electioni præfuit, cum alijs Patribus ea die ad prandendum in hospitio vocãtur, & Prouincialis de nouo electus cum Diffinitoribus nouiter etiam electis, Refectorio assistit, vt post prandium supradictam collationem possit efficere.

Secunda Conclusio.

De Registro faciẽdo, à supradicto Ministro Prouinciali.

STatuitur in Constitutionibus generalibus, vt Prouinciales nouiter electi, à die electionis suæ, Registrum faciant, in quo ordinate ponantur ea, quæ in eodem Capitulo Prouinciali fuerint ordinata, vbi etiam scribuntur omnia alia Prouinciæ negotia, quæ alicuius sunt ponderis & momẽti, & pœnæ, quæ aliquibus fratribus sunt impositæ, crimina etiam propter quæ eiusmodi pœnis fuere mulctati, cum die, mense & anno. Hæc omnia in supradicto libro debent scribi, atque constitui, vt memoria teneantur, sciriique possit quinam fratres sunt voce actiua & passiua, seu actibus legitimis priuati, quantumque temporis intercesserit, vt commode possit & valeat, cum illis misericorditer dispensari. Insuper debet supradictus Minister nouiter electus, curare vt dentur sibi Statuta generalia & Prouinciæ particularia, quæ secum semper debet habere, ac in eis sæpissime perlegere, vt sciat quid sibi incumbat, ac pro officij sui munere agere debeat, ne de illo perperam dicatur id quod ad simile propositum, de quopiam alio dixit olim Regius Psaltes, *quod noluit intelligere, vt bene ageret.*

Tertia Conclusio.

Quãtũ debeat Fratres omnes consolari, congruã & cõuenientẽ præbẽdo habitationem cuilibet.

MIrum in modum curare debet Prouincialis Minister nouiter electus, vt omnes fratres suos & sibi subditos in omnibus, & per omnia quãtum tuta conscientia fieri poterit consoletur, præbendo illis habitationem congruam, & suis necessitatibus conuenientem, in quo nullo modo se debet difficilem reddere, quin vero facilem, Guardianis statim, ac sine dilatione vlla prouidendo de Vicarijs, qui sint sibi grati & in conditione conformes (dum tamen sint conuenientes) idemque est dicendum de alijs officialibus, sibi etiam prouidere debet de socio grato, qui Secretarij officio fungatur, & alio qui illi inseruiat, & officia charitatis impendat.

Quarta Conclusio.

Qualiter primo sit tota Prouincia peragranda, ad domus cõponendas & ordinãdas.

SVpradictus Prouincialis Minister, cum primũ tempus sese obtulerit, absque vlla mora per totam suam Prouinciam celeriter debet discurrere, non quidem visitandó, sed duntaxat Conuentus omnes componendo; cunctos quantum fieri poterit consolando. At postquam omnes Religiosos, ordinate iam in suis proprijs conuentibus collocauerit, si aliquis illorum ad alium aliquem conuentum se transferri postulauerit, nullatenus illico adquiescendum est illi, nec sine magna & legitima causa id est faciendum, sed differendum & dilatandum. Contingit enim sæpissime ex aliquo accidenti, quandoque sine vlla prorsus causa & quidem instanter eosdem petere, quæ postea vellent nimis non petijsse. Sic tamen si causa videatur legitima & sufficiens ipsique multum institerint, eosdem vt consolerur necesse est. Quantum vero attinet ad fratrum numerum, aduertere debent iuxta Concilij Tridentini decretum, vt non vnusquisq; Conuentus plures habeat fratres, quam ex quotidianis eleemosynis sustentari possint: & regulariter loquendo, omnes cuiuslibet Monasterij habitatores, in tres solent diuidi partes, quarum duæ cõstare debent ex Sacerdotibus, tertia vero reliqua, ex Acolythis, iuuenibus siue laicis.

Nota hoc valde.

Quinta Conclusio.

Qualiter se gerere debet in cõuentibus, Minister Prouincialis.

SI supradictus Minister Prouincialis, pro sua cõsolatione & commoditate, Conuentum quempiam particularem elegerit, in quo possit commorari, interim quod negotia occurrunt, aut opportunum est tempus Prouinciam visitandi, curare debet quammaxime, vt in dicto Conuentu particulãribus negotijs Guardianorum nullo modo se ingerat, sed libere eos sinat atque permittat, munus & officium suum exercere, sequaturque, quammaxime fieri poterit, Chorum & Refectorium, quantũ officij sui commoditas id tulerit. In Refectorio autem non semper loquatur ad fratres, sed solummodo in certis quibusdam diebus ac magnis festiuitatibus, quibus breuem quandam spiritualem debet collationem efficere, aduertendo ne Fratribus nimium sit prolixus & onerosus, nam prolixitas sæpe tædium, ac multories contemptum parit. In prædictis autem magnis festiuitatibus, concedere debet Fratribus suos casus, & vt plenarie sua auctoritate possint absolui.

Sexta Conclusio

Qualiter ad occurrẽtia negotia, adire debet personaliter.

SVpradictus Prouincialis Minister occurrentibus negotijs, personaliter debet adire, quocũque eum necessitas vocauerit. Haud enim congruũ est, nec in nostro ordine in consuetudine est positum, vt Prouinciales passim constituant Commissarios, nisi extrema aut saltem vrgentissima necessitate id exposcat. In eisdẽ vero negotijs, quantum fieri poterit, taliter se gerat, vt euitentur tumultus & scandala nulla exoriantur. Nam Guardianos semper debet fouere, nimiumque curare vt non à sibi subditis contemnantur. Quod si aliquis Guardianus causam dederit, suoq; muneri & officio visus fuerit minus aptus, non statim eũ ab officio amoueat, priuet siue suspẽdat, sed id vlq; ad

Nota hoc valde.

Capitulum, ſiue Congregationem differat, niſi exceſſus adeo fuerit notabilis, vt ex ipſius tolerantia, graue aliquod immineat periculum ſiue ſcandalum. Peccata ſecreta, ſecreto ſunt corripienda, publica publicè dumtamen ſint certa, ſi vero fuerint dubia, & quæ ſatis bene probari nequeunt, ſecundum D. Thomam in meliorem ſemper ſunt partem interpretanda, quantum attinet ad iudicium diffinitiuum, quantum autem ad præſuppoſitiuum, & ex ſuppoſitione quod eſſe potuerunt, prouideatur ſemper de congruo, atque ſufficienti remedio. Aduertat tamen quod peccata publica & ſcandaloſa, quorum notitia vſque ad ſeculares peruenit, & in oppidis & ciuitatibus ſunt notoria, exemplariter ſunt corripienda & punienda, ita vt quantum prudentia permittit, congrua omnibus reddatur ſatisfactio. Hæc etiam omnia, quammaxime obſeruanda ſunt, in viſitationibus, quas congruis temporibus facere, haudquaquam debet præterire, quinvero ſi fieri poteſt, quolibet in anno, ſeu ad minus quolibet anno cum dimidio totam ſuam Prouinciam, omneſque illius conuentus, per ſe ipſum debet viſitare. in qua quidem viſitatione quænam ſint obſeruanda, dictum eſt ſuperque ſatis in libro noſtri ordinis Iudiciarij, & etiam inferius dicetur aliquid. Neque obliuiſcatur ſupradictus Miniſter ſuo tempore, vti tenetur ex Regula, ire ad Capitulum generale, ſeu mittere Commiſſarium ſuo nomine, qui & ipſum excuſet, tam propter peccatum, quam propter pœnam appoſitam non euntibus. Congregationem intermediam congruo etiam tempore celebrabit, modo & ordine ſupradicto in artic. 6. & ſex menſes ante quam ſuum trienniumfiniatur, Prælatos generales certiores facere debêt, de vacatione ſui officij, vt diſponitur in Conſtitutionibus generalibus Toletanis cap. 7. §. *de Prouincialibus Miniſtris.*

Septima Concluſio.

Qualiter ſe debeat habere Prouincialis Miniſter, circa Magnates, & Principes.

IN illis vero negotijs, quæ pertinent ad Principes ſiue perſonas in aliqua magna dignitate conſtitutas, tam eccleſiaſticas, quam ſeculares, ſupradictus Prouincialis Miniſter, cum maxima humilitate, humanitate, & religioſa vrbanitate ſe gerat, congruis temporibus eoſdem viſitãdo, & quæ ab eis fuerint petita (dum tamen ſint licita & honeſta) libenter concedendo. Sin vero minus, diſcrete & prudenter negando, adducendo incommoda & inconuenientia, quæ exinde poſſent exoriri, ſumma modeſtia referendo & adducendo cauſas, quare idipſum facere non expediat. Sit ſempet vrbanus & honorificus in literis, quas ad perſonas ſæculares tranſmiſerit, quoad maxime fieri poterit, imponendo illis debitos titulos honorificos, iuxta earundem qualitatem, in illis vero literis, quas ab eiſdem receperit, titulorum honorificorũ haudquaquam ſe oſtendat quammaxime cupidũ, nec hilarem illis oſtendat faciem. Si Domini Nuncij, & Sedis Apoſtolicæ Legati, in negotijs Religioſorum quandoque ſe intromiſerint, & ad id præbeantur ab ipſis patentes literæ, vt illi præſententur ſcriptorum traſſumpta, modeſte & vrbaniter petat, abſque vlla prorſus iracundia, proteſtatione facta interim ne terminus illi currat, ac facta poſtmodum conſultatione cum Religioſis grauibus, ſiue iuriſprudentibus, & peritis, iuridice reſpondeat, cum maxima humilitate & modeſtia, iuriſdictionẽ (in caſu quo liceat) declinãdo, noſtras exemptiones & priuilegia allegando. Idipſum & facere debet, cum Dominis Epiſcopis, ſi quando in re aliqua ſuæ iuriſdictionis exceſſerint limites. Quoad vero præſentationem Prædicatorum & Confeſſorum, prudenter ſe gerant Prouinciales Miniſtri, & ſi ita rigidi fuerint ſupradicti Domini Epiſcopi, vt licentiam abſque præuio examine eiſdem noluerint dare, vt ne lites & contentiones inter fratres noſtros, ipſoſque Epiſcopos exoriantur, eoſdem examinari permittant. Cum reliquis vero ſæcularibus, ſi quiſpiam eorum accedat cum querela ad Prouincialem Miniſtrum, circa aliquã ſepulturam ſiue capellam, & res ſine ſtrepitu & figura iudicij componi poſſit, obnixe id procuret, & controuerſiam diluere ius ſuum vnicuique tribuendo, & partes ad pacem ſiue concordiam reducere curãdo. Quod ſi id nullo modo fieri poſſit, ſed deducenda ſit res neceſſario ad iudicium, Prouincialis tunc non ſe iudicem præbeat, ſed conſeruatorem conſtituat, iuxta Religionis noſtræ priuilegia. Et idipſum faciat quandocumque quilibet ſecularis petierit ab ipſo aliquid contra aliquod Monaſterium Monialium, & quando Prouiſores ſiue Epiſcoporum Vicarij, ſe ingeſſerint ad compellẽdum Religioſos vt quippiam ſoluant, ſeu aliquam citationem illis fecerint, circa aliquam litem, nã ſtatim, nihil aliud reſpondendo, iuriſdictionem debent declinare iudicem conſeruatorem aſſignãdo & conſtituendo, qui eoſdem audiat, iuſtitiam partibus tribuat, & negotium abſoluat.

Nota hoc valde.

Octaua Concluſio.

Qualiter ſe gerere debeat Prouincialis Miniſter circa Moniales.

CIrca Moniales vero ſummopere aduertere oportet, Prouinciales Miniſtros, vt non multũ in ipſarum negotijs & litigijs ſeſe ingerant, cum vt dicitur ſint bis mulieres, & qua facilitate rixantur, eadem ſtatim ad inuicem coniunguntur; vnde & ſufficit eaſdem viſitare, quotieſcumque electio Abbatiſſarum facienda eſt. In qua etiam viſitatione non multum debent immorari, ſed breuiter eãdem abſoluere, vt diſponitur in Regula B. Claræ, & vt hac ratione omnem á ſe repellant ſuſpicionẽ, cõmunes querelas, rixas & cõtentiones, prudẽter deuitando, vel cõponendo, & non ſe illis ingerendo. Quæ tamen adhoneſtatẽ ipſarũ pertinent, ſummopere curent, nulloq; pacto huius rei quidquam diſſimulent, ſed diligenter de remedio prouideãt. Idẽq; faciant in adminiſtratione bonorũ tẽporaliũ ſuorũ, ad quod oporteb.t Religioſum quẽpiã prouidũ, atq; prudentẽ conſtituere, qui exacte ab œconomo ipſorũ bonorũ ſuis tẽporibus rationẽ petat, & de cõſenſu Prouincialis Miniſtri, quæ ſunt faciẽda diſponat. Vẽditiones ſeu alienationes bonorũ fieri, Prouinciales Miniſtri nullo pacto permittãt, ſine euidẽti cõuentus vtilitate, facta etiã prius ea de re informatione ſi opus fuerit apud Iudicẽ ſecularẽ, ad ipſorũ inſtãtiã, antequã ab eiſdẽ præſtetur licẽtia. Intrãtiũ dotes, vt nõ ſtatim cõſumãtur, obnixe curare debẽt, quãtũ fieri poterit, ſed vt in redditus annuos cõuertãtur. Et poſtremo quãtum attinet ad ipſarum Monialium ſpiritualem conſolationem, curare debent obnixe, vt congruis tẽporibus

Nota hoc valde

poribus Monaſteria omnia prouideantur de Confeſſoribus annuis, præſertim cum ab illis hoc fuerit petitum. Et demandatū & hac dicta ſufficiāt de ſpectantibus, ad Prouincialem Miniſtrum.

QVAESTIO. XVII.

De Diffinitoribus Prouinciarum, & ijs, quæ ad ipſorum munus & officium ſpectant, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

De electione Diffinitorum Prouincialium, & ipſorum duratione aut ſubrogatione.

Prima Concluſio.

In quibuſcunque Comitijs Prouincialibus, eligendi ſunt quatuor Diffinitores.

IN quibuſcunque Comitijs Prouincialibus, etiamſi in illis non ſit eligendus Prouincialis Miniſter, eligendi ſunt quatuor Diffinitores, qui non eſſe debent de illis, qui in præcedenti Capitulo fuerunt electi aut poſtea ſubrogati. Hæc concluſio habetur expreſſa, in Conſtitutionibus generalibus Toletanis, cap. 7. de electionibus, & inſtitutionibus officiorum §. de Diffinitoribus Prouinciarum, vbi etiam dicitur, quod quia ſolent nonnunquam in primo ſcrutinio, plures quam quatuor Diffinitores eligi, declaratur quod illi ſint præferendi, qui ſuffragia plura habuerint. In caſu verò quo vota ſint paria, præcipitur vt præferatur antiquior, ſecundum Ordinis ſtatuta in Religione. Quantum verò attinet, ad illud quod dicitur in cōcluſione, vt non poſſint eligi qui poſtea fuerint ſubrogati, quid nunc obſeruandum ſit, in quarta concluſione ſtatim dicetur. Solum modo aduerto, quod ad huiuſmodi diffinitionis munus, non poſſunt in Diffinitores eligi, qui non fuerint de corpore Capituli, etiamſi ſint præſentes. Habetur vbi ſupra, & idem dicitur in eodem capitulo de Diffinitoribus generalibus, agendo de illis in proprio. §. de Diffinitoribus generalis capituli.

Secunda Concluſio.

Quinam etiā ſungantur in Capitulo Diffinitorū muneri?

EX determinatione Capituli generalis Aſſiſſijs celebrati anno Domini 1578. qui olim fuerunt Prouinciales Miniſtri, ſi ſint præſentes vocem habent in Diffinitorio, in Prouinciali Capitulo, cui & adeſſe poterunt ſi voluerint. Id quod & cōceſſum eiſdem fuit, in Capitulo Generali Romæ celebrato anno Domini 1587. quod & extenditur ad illos qui dicuntur Patres Ordinis, qui etiam ſtatuitur, vt habeāt ſemper in ſuis Prouincijs illamet priuilegia, quæ habent, qui fuere olim Miniſtri Prouinciales. Quo etiā dicto priuilegio potiūtur, qui per trienniū ſunt, aut erūt Secretarij Reu. Generalis Miniſtri, qui & cōputātur inter Prouinciarū ſuarū Patres, & Procurator Generalis Ordinis & Cōmiſſarius Romanæ Curiæ, in capitulo ſiue Congregatione generali creati, per trienniumque officio ſuo functi. Sed ſpecialiter de ſupradictis Miniſtris Prouincialibus, in Capitulo Generali Valliſoletano, celebrato anno Domini 1593. ſtatutum fuit, vt omnis qui Prouinciali munere functi fuerint, ſint perpetuo Patres ſuarum Prouinciarum, & in omnibus Congregationibus & Diffinitorijs etiam Capitularibus, voce deciſiua gaudeant in eadem Prouincia, in qua officio ſuo functi ſunt, hac tamē lege vt ad Guardianatus officium aſſumi non valeant, niſi de manifeſta & vrgente neceſſitate conſtiterit, quod ſiin Guardianos aſſumpti fuerint, toto illo tempore ad Diffinitorium non admittantur. Hæc vbi ſupr. Sa upradicta Conſtitutio, reuocata fuit in Capituſo Generali Romano, habito anno 1600. at poſtmodum in Capitulo Generali Toletano, celebrato anno 1606. iterum eſt reualidata, ſuoque priſtino robori reſtituta, & hoc eſt quod in his Hiſpaniarum ſaltem partibus, nunc communiter obſeruatur in praxi.

Tertia Concluſio.

Quis ſit ſubrogandus, quando Diffinitor aliquis, mori contigerit?

SI Diffinitor aliquis actualis mori contingerit, eius loco ſubrogandus eſt, ac præcipitur vt ipſo facto pro ſubrogato habeatur, qui olim fuit Diffinitor, & eſt antiquior in Diffinitionis officio. Hæc concluſio habetur expreſſa in ſupradictis Cōſtitutionibus Generalibus Toletanis cap. 7. §. de Diffinitoribus Prouinciarum, vbi etiam dicitur, quod ſi Diffinitores antiqui defuerint, in dicto caſu ſubrogentur Guardiani præcipui ſecundum ordinem tabulæ. Circa hanc Diffinitorum ſubrogationem, multa ac varia inuiniuntur decreta & ſtatuta, in diuerſis Capitulis Generalibus. Nam in Generali Pariſienſi, celebrato anno Domini 1578. dicitur, *quod renouatur ſtatutum Metinenſe, de Diffinitore ſubrogando per Prouincialem & Diffinitores, vbi vnus Diffinitor obierit.* At in Capitulo Generali Romano, celebrato anno 1600. ſequens habetur Conſtitutio: *Si quis ex quatuor electis Prouinciarum Diffinitoribus vita exceſſerit, in demortui locum ſubrogetur, qui ex Prouinciæ Patribus Ordine antiquior fuerit, is videlicet qui prior fuit Miniſter Prouincialis electus vel Diffinitor, & ſi nullus ſit talis, tunc principalioris Conuentus Guardianus ſubrogetur, qui ſubrogatus ſi in eo munere integro biennio extiterit, in ſequenti Prouinciali Capitulo non poterit eligi Diffinitor, & idem ordo ſeruetur ſi per renuntiationem vel aliter Diffinitoriatus officium vacauerit.*

Nota circa Diffinitoris ſubrogationē

Hæc vbi ſupra. Quod vltimum in Capitulo Generali etiam Romano, habito anno 1587. prius extiterat ordinatum, vbi facta fuit ſequens Conſtitutio. *Quod ſuffectus Diffinitori defuncto, ad huiuſmodi Diffinitoriatus munus, in Prouinciali Capitulo proxime ſubſequenti minime aſſumi valeat, & quod nullus Guardianus defuncto Diffinitori ſufficiatur, quod ſi ſecus factum fuerit, Guardianatu ſe abdicet,* ac tandem dicitur, *quod huiuſmodi Diffinitores ſubrogati, vltimum inter reliquos Diffinitores locum teneant.*

Nota quod Diffinitor ſubrogatus, vltimum locũ inter alios Diffinitores tenet

Quarta Concluſio.

Quodnam ſit munus & officium, prædictorum Diffinitorum.

AD prædictos Diffinitores, in Capitulo cum Prouinciali Miniſtro congregatos, pertinet diffinire & expedire omnia, quæ ad Prouinciæ bonam & exactam gubernationem ſpectant, aut quo quomodo expedire videbuntur, dummodo nullas ordinationes conſtituant, ſine aſſenſu & conſilio maioris partis Capituli. Hæc etiam concluſio, habetur in Conſtitutionibus Generalibus vbi ſupra. Vbi etiam dicitur, quod Diffinitorium debet Prædicatores & Confeſſores ſæcularium inſtituere, Guardianos eligere, & Monialium Confeſſores, conſignare, Lectores ſacræ Theologiæ, & Magiſtros Nouitiorum nominare, & additur, quod Diffinitorium non poſſit, poſtquam Capitularis tabula fuerit promulgata vltra octo dies dilatari, quibus tranſactis, ipſo facto maneat Diffinitorium omninò dilutum, & ſine vlla auctoritate Capitulari. Hæc ibidem. Et aduerto, quod ſupradictorum Diffinitorum votum in Diffinitorio, non ſolùm eſt cõſultiuum, verum etiam deciſiuum, prout expreſſe fuit determinatum in Capitulo Generali Romano, habito anno 1587. vbi loquendo de Congregatione facta & conuocata ad eligendum Commiſſarium Prouincialem in abſentia Prouincialis Miniſtri, quando vadit ad Capitulum Generale, ſequens facta eſt Conſtitutio. *In qua tamen Congregatione, ſicut in quacunque alia in Prouincia habita, præfati Diffinitores & Diſcreti, non ſolum conſultiuum, verum etiã deciſiuum habeant votum, non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus, in contrarium facientibus.* Hæc vbi ſupra.

Supradictorum Diffinitorum votum, non ſolum eſt conſultiuum verum etiam diffinitiuum.

Quinta Concluſio.

De præcedentia Diffinitorum inter ſe, & quoad alios.

CIrca ſupradictorum Diffinitorum præcedentiam, in Capitulo Valliſoletano, habito anno 1593. ſtatutum eſt, quod Diffinitores actuales, inter ſe præcedentiam habeant, non ſecundum numerum ſuffragiorum, ſed iuxta annos ſuſceptionis habitus, & præcipitur, vt hoc idem ſeruetur à Diffinitoribus præteritis inter ſe. Sed hæc Conſtitutio poſtmodum reformata eſt, in Capituli Generali Romano, habito anno 1600. vbi ad aliud propoſitum, præcedentia conceditur ei, qui prior in Diffinitorem fuit electus, quod intelligendum eſt, de præcedentia ſeruanda inter Diffinitores præteritos, non autem de actualibus, nam ij alios præcedunt, per ſtatuta facta in Congregatione Generali Victoriæ, habita anno 1596. An autem ſupradicti Diffinitores actuales, actu etiam eſſe poſſint Guardiani ex vi noſtrarum Generalium Conſtitutionũ, difficultatem habet, nam in Capitulo Generali Romano, habito anno 1571. expreſſe dicitur, *quod Diffinitores Generalis, ſiue Prouincialis Capituli, non primentur officijs Ordinis, nam oppoſitum vix poteſt obſeruari, ob penuriam Fratrum.* Sed poſtmodum in alio, celebrato etiam Romæ, anno 1587. dicitur, *quod nullus Guardianus defuncto Diffinitori ſufficiatur, & quod ſi ſecus fuerit factum, Guardianatu ſe abdicent.* Id quod & ſtatutũ fuit in Capitulo Valliſoletano, celebrato anno 1593. *De Prouinciæ Patribus, vt non fiant Guardiani, niſi conſiteris de manifeſta & vrgente neceſſitate, quod ſi in Guardianos aſſumpti fuerint, toto illo tempore ad Diffinitorium non admittantur.* In Conſtitutionibus autem Generalibus Toletanis, cap. 7. §. de Guardianis habetur, *quod Diffinitores ſupradicti, dum actu ſua munera exercent, hoc eſt à Capitulo in quo electi ſunt, vſque ad ſequens Capitulum excluſiue, non poſſint niſi ex diſpenſatione Miniſtri, aut Commiſſarij Generalis, eligi in Guardianos.* Hæc ſunt quæ circa hanc rem, in dictis Conſtitutionibus Generalibus habentur. Et hoc vltimum eſt, quod poſitum eſt nunc in conſuetudine, & communiter obſeruatur in praxi.

Difficultas. An Diffinitores actuales ſimul eſſe poſſint Guardiani.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Prouincialis Miniſter teneatur non ſolum petere ſiue requirere, verum etiam & ſequi Diffinitorum conſilium, in rebus arduis & difficilibus, quæ proponuntur in Diffinitorio?

LAtiſſima eſt multumque controuerſa inter Doctores, huius articuli materia, communiter & Generaliter loquẽdo, an ſcilicet qui tenetur aliquid agere cum conſilio, teneatur neceſſariò ſequi conſilium? qua de re nos in præcedenti tomo quæſt. 15. art. 2. aliqua diximus diſputando an Prælati Regulares, per ſe ſolos poſſint recipere Monachos, & incorporare eos Religioni, abſque aſſenſu ſiue conſenſu ſui Capituli? ſed quia difficultas hæc ſcitu neceſſariſſima eſt, & ad quamplures caſus deſeruit, haud quaquam fuit viſum incongruum, quæ in hoc negotio tenenda, & practicanda ſunt, breuiter ac ſummatim in præſentiarũ etiam dicere, ex communiori omnium Doctorum reſolutione, quod fiet per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quilibet tenetur petere & quærere conſilium, vbi id iure præcipitur, & ſi contrarium fiat, actus eſt nullus.

CErtiſſimum eſt & omni proculdubio, quod qui libet tenetur petere & quærere conſilium, vbi id à iure expreſſe mandatur, & in contrarium factum actus erit omninò nullus atque inualidus. Hæc concluſio communis eſt omnium Iuriſconſultorum reſolutio, ſed præcipue eam tenet Panormitanus in cap. *ad Apoſtolicam de Regularibus*, vbi expreſſe dicit, *quod quando á iure requiritur conſilium, niſi adhibeatur, actus eſt nullus.* Quod & probat ex ca. *nouit, iuncta gloſſa, de his quæ fiunt á Prælatis.* Qua de re videndus eſt etiam Sylueſter, verbo, *conſilium*, q. 1. & verbo, *religio*. 3. quæſt. 3. Vbi dicitur, quod Prælati in rebus grauioribus quæ occurrunt, ſemper tenentur

Nota valde q Prælati in re

bus grauibus quæ occurrũt ſemper tenentur agere cũ conſilio.

nentur agere cum conſilio, per ſupradictum cap. *nouit*, cap. *quanto*, cap. *ea noſcitur*, *eodem tit. vbi glo.* in dicto cap. *nouit*, hoc latiſſimè proſequitur, eſtque res certiſſima & manifeſtiſſima, & de qua non eſt aut eſſe poteſt dubium. Solummodo eſt difficultas, an præſuppoſito quod tenentur agere cum cõſilio, teneantur ſequi conſilium? Et reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Secunda Concluſio.

Regulariter loquendo, qui tenetur agere cum conſilio, non tenetur ſequi conſilium, niſi ſpecialiter id per aliqua verba exprimatur.

REgulariter loquendo, qui tenetur agere cum conſilio, non tenetur ſequi conſilium, niſi in decreto ſiue mandato, per aliqua verba id ipſum exprimatur, ſeu quod dicitur, ex antecedentibus & ſubſequentibus colligatur. Ita quod licèt ſequi conſilium, ſit honeſtum & congruum, non eſt tamen ſimpliciter neceſſarium, niſi ſimul exprimatur in iure ſiue reſcripto, de conſilio & conſenſu, &c. Hæc concluſio, eſt etiam Panormitan. vbi ſupra & probat eam, per textum & gloſſam, in cap. *cum in veteri, de electione*, & cap. *cum olim, de arbitris.* facit & cap. *ne pro defectu, de electione*, & ibi Gloſſa, verbo *conſilio*. Et hoc eſſe dicit de iure communi, & commune eſt axioma Iuriſperitorum, quod qui tenetur quærere ſiue requirere conſilium, non tenetur ſequi illud, neque ex conſilio ad aliquid faciẽdum quiſpiam obligatur, iuxta textum in ca. *quiſquis*. 14. quæſt. 1. & cap. *denique*. 4. diſt. Videatur hac de re Syluester vbi ſupra, & Gloſſa in ſupradicto cap. *cum olim. de arbitr.* difficultat & quærit, ad quid petitur ſeu iubetur peti conſilium, ſi illud ſequi nõeſt neceſſe? Et reſpõdet, quod nihilominus petere tale conſilium eſt vtile, quia poteſt mouere petentem ad aliquid faciendũ, quod forſan per ſe nõ feciſſet, argumpetito, ex cap. *Nicæna*. diſt. 31. & ex leg. *ſi intres. ff. de probat. §. item ſi vnus.* Et præterea quia quod à pluribus quę ritur, facilius inuenitur, per cap. *de quibus*, diſt. 20. & leg. vlt. C. *de fidei commiſſis, in fine*, argumento etiam deducto, ex cap. *extra conſcientiam*, diſt. 64. Et certum eſt quod in rebus grauibus & præſertim in materia de electione, diligens inquiſitio facienda eſt, per cap. *cum terra de elect.* prodeſt inſuper requirere conſilium, vt eo habito de liberet Prælatus, an ſequi illud expediat nec ne *iuxta l. 2. in fine. ff. mandati*. Quibus omnibus addit ſupradictus Panormitan. in cap. *ad noſtram. de conſuetud.* eſſe nimis vtile in facto dubij, à pluribus requirere conſilium, ſapientibus, & inſipientibus, quia interdum parum ſapientes & ſcientes, in re aliqua habent intellectum eleuatum, & acutius omni ſapiente diſcurrunt. Sicut narrat Ioann. Andr. adducens in id iocoſum exemplum de quodam fatuo Pariſijs, qui tabernario cum paupere contendente, & extorquente pecunias, quia panem comederat ad odorem aſſati, determinauit fatuus, vt etiam ſolueretur ei perſonitum monetæ. De Bartolo etiam dicitur, quod daturus conſilium, ſuper articulo ad merces ſpectante, ſemper rem conferebat cum mercatoribus de illa materia. Ex quibus omnibus concluditur, quam vtile ſit in rebus omnibus deſumere conſilium, non ſolum à ſapientibus, verum etiam & quandoque ab inſipientibus, quia multoties cõtingit, quod dum ſtulti loquuntur, inſurgant ſapienti noui conceptus ſubtiles, quamuis certum etiam ſit, quod ſupradictum conſilium petens ſiue requirens, non ſemper imò verò neque regulariter loquendo, teneatur, ſequi illud, vt dictum eſt. Quod latiſſimè probat ſupradictus Syluester, verbo *conſilium*, vbi ſupra, vbi in num. 4. quæſtionem mouet atque difficultat, certum ne ſit ex propria ſignificatione vocabuli, quod adſtrictus petere conſilium, non teneatur ſequi illud? Et reſpondet de mente Hoſtiẽſis quod ſic, quia conſilium ex proprio ſignificato, non obligat ad hoc vt ſequatur, ſecus eſt autem, quando in iure ſiue reſcripto apponitur verbum, *aſſenſus*, ſiue *conſenſus*, ſeu dicitur, vt aliquid fiat, de aſſenſu & conſenſu alterius. De quo ſit tertia Cõcluſio.

Nota valde quod eſt vtile ſemper petere conſilium, etiam ſi illud ſequi non ſit neceſſe.

Nota pro conſilio petendo, quod illud q̃ à pluribus quæritur facilius inueniſ tur.

Tertia Concluſio.

Quando in iure ſiue reſcripto apponit vt aliquid fiat cum conſilio, aſſenſu, ſiue conſenſu alicuius, tunc non ſolum eſt requirendum conſilium, verum etiam ſequendum, & cõtrariũ erit irritũ & nullum.

QVando in iure ſiue reſcripto, dicitur ſiue præcipitur, vt aliquid fiat cum conſilio, aſſenſu ſiue conſenſu aliquorum, non ſolùm eſt requirendum, ſiue petendum conſilium, verum etiam ſequendum, & contrarium factum eſt irritum & inane. Hæc concluſio eſt ſupradicti Syluestri, vbi ſupra, num. 4. quæſt. 2. Pro cuius intelligentia & probatione, ſupponit ex Panormitan. in ſupradicto cap. *cum olim, de arbitris*, & de mente Bartol. in leg. 1. §. *ſi plures. ff. de exercit. act.* quod quandoque in iure fit verborum impropriatio, vrgente ſubiecta materia, & apponitur verbum conſilij pro conſenſu & è contra, quod quando contingat, multis iuribus & exemplis comprobat, primo ex *l. impuberibus. ff. de ſuſpectis tutor.* vbi ſtatuto cauetur, *vt pupillus certum quid faciat, cum duorum agnatorum conſilio*, & quia loquitur de pupillo, non habente diſcretum nec integrum rationis iudicium, inquit certũ eſſe, quod ibi conſilium capitur pro conſenſu, nã ſupradictus pupillus (vt ſupponitur) conſilium habere non poteſt, quia qui non habet plenum rationis iudicium, nec etiam habere poteſt conſilium. Secundo probat id ipſum ex cap. *venerabilis, de officio delegati*, vbi habetur, quod Prælatus cui datus eſt coadiutor, nihil debet facere ſine coadiutoris conſilio, quo loco conſilium ſumitur etiam pro aſſenſu ſiue conſenſu, alias officium ſupradicti coadiutoris, ſuperuacaneum eſſet omninò. Ex quo etiam colligit, quod quando is qui habet impendere conſilium, eſt eiuſdem officij particeps, in tali caſu conſilium idem valet & pollet, atque aſſenſus ſiue conſenſus, nec ſolùm eſt petendum & requirendum, verum etiam ſequendum. Multa alia ad hoc propoſitum dicit ſupradictus Syluester, quæ breuitatis cauſa omittuntur. Solummodo dico reſolutiuè, quod quando in iure ſiue reſcripto, apponitur clauſula, qua dicitur vt aliquid fiat cũ conſilio, aſſenſu ſiue conſenſu alicuius ſeu aliquorum, in tali caſu conſilium non ſolùm eſt petendum & requirendum, verum etiam ſequendum, & etiam in caſu, quo prætermiſſis verbis, *aſſenſus, ſiue conſenſus*, apponatur ſolummodo verbum, *conſilium*, nam ſi illud iubeatur peti ab aliquo tanquam à concollega & comparticipe officij, ſequendum eſt, vt de mente Bartoli in ſupradicta leg. 1. §. *ſi plures. ff. de exorcitor. act.* expreſſe tenet Nauarro lib. 1. Conſiliorum, tit. de Conſtitutionibus, conſ. 9. nu. 13. loquendo ad aliud ſimile propoſitum, de recep

Nota quod quando conſilium peti iubetur, à cõcollega, ſiue eiuſdem officij cõparticipe, non

tione

tione Monachorum ad Ordinem, quos contra Panormitan. tenet, non posse recipi à Prælatis sine assensu & cõsensu Capituli, nec in tali casu (inquit) sufficit requirere consilium, verum etiam necessariò tenentur sequi ipsum. Ex dictis superque satis constat, quid ad nostrum propositum sit dicẽdum & respondendum, quando quæritur in præsenti articulo, an Prouincialis Minister, teneatur non solùm petere & requirere, verum etiam sequi cõsilium Diffinitorum in Diffinitorio existentium? Cui difficultati respondeo per sequentem Conclusionem.

Quarta Conclusio.

Prouincialis Minister tenetur nõ solum petere cõsiliũ Diffinitorum verum etiam sequi, in ijs, quæ proponũtur in Diffinitorio, seu iubentur expedi cum consilio Patrum Prouinciæ.

IN nostro sacro Minorum Ordine, certissimum est & omni dubio procul, quod Prouincialis Minister, tenetur non solùm petere & requirere, verum etiam expectare & sequi Diffinitorum consilium, in illis rebus quæ proponuntur in Diffinitorio & in Capitulo siue quacunque Congregatione, & in illis, quæ vt pote arduis ac difficilibus, expendi & determinari iubentur cum consilio Patrũ siue Discretorum Prouinciæ in nostris Constitutionibus. Hæc conclusio est certa & manifesta, & de ea nulli potest esse dubium, primo per omnia supradicta. Secundo, quia in nostris Constitutionibus, vt in præcedẽti articulo dictum est, expresse habetur quod supradicti Diffinitores, non solũ Diffinitorio Capitulari, verum etiam in quacunque alia Capitulari, siue particulari Congregatione, habent votum non solùm consultiuum, verũ etiam diffinitiuum seu decisiuum, vt constitutum fuit in Capitulo Generali Romano, celebrato anno Domini 1587. & præterea, quia vt dicit Nauarr. supra citatus, quamuis id expresse non diceretur, cum iubeatur exposci & expostulari consilium à supradictis Diffinitoribus, fitque id tanquam à cõcollegis & comparticipibus officij, necessariò illud sequẽdum est, & in contrarium quidquid fuerit factum, erit irritum & inane, & nullius prorsus valoris atque momenti. Sed maiorem difficultatẽ habet in alijs Religionibus, si quæ sunt, vbi supradicti Diffinitores siue Patres, qui quandoque dicuntur Discreti, interdum verò Consultores vt dicitur non habent votum diffinitiuum, & decisiuum, sed dumtaxat consultiuum? De quibus etiã sequens statuitur Conclusio.

Quinta Conclusio.

In illis Religionibus, quibus patrũ discretorũ, siue Consultorum aut Cõsiliariorum votũ, est tantum cõsultiuum, nõ verò decisiuum, nõ est necessariò consilium eorum sequẽdũ, nisi ponatur pro forma.

SI votum supradictorum Patrum sit dumtaxat consultiuum, & non pro forma requisitum, & ab eis consilium petatur sed non sequatur, sententia quidem erit iniusta, sed non prorsus irrita & nulla. Si tamen prædictum votum consultiuum apponatur pro forma, & tanquam præcise requisitum, necessariò sequendum est, & sententia aliter lata non solum erit iniusta verum & irrita & nulla. Pro huius conclusionis intelligentia præmitto, quod non statim ac aliqua sententia est iniusta proinde est omninò nulla. Aliud est enim aliquem actum esse iniustum, aliud verò esse omninò nullum, & in iure reperitur sententia aliqua iniusta, alia verò nulla, excommunicatio iniusta, & excommunicatio nulla, testamentum iniustum & testamentum nullum, inter quæ est latissima differentia, quia multa fieri prohibentur quæ facta tenent. Iniustum est & dicitur illud, quod peccat in alijs rebus, sed non est contra substantialem formam legis. Nullum verò id, quod militat contra formam substantialem legis potest igitur contingere, idque sæpissime, quod iudex aliquis faciat aliquid iniuste, peccando in aliquibus circunstantijs, non ita substantialibus & essentialibus, & tamen eius factum sit validum & non omninò nullum, cum non sit factum contra formam substantialem legis. Hoc supposito dico, quod quando in alijs Religionibus, Prælati exposcunt consilium à Diffinitoribus & Patribus Discretis, Consiliarijs siue Consultoribus, non habentibus votum, ex vi suarum ordinationum & Constitutionum, diffinitiuum siue decisiuum, sed tantum consultiuum, & post petitum quantumuis sit iustum, non sequantur illud, peccabunt quidem & inique agent, & ea de re Deo rationem reddent, quia coram ipso sunt culpabiles, sententia tamen ab eis lata, quãuis iniusta non erit omninò nulla, si non fuerit cõtra formam substantialem, egisti at verò si fuerit cõtra formam substantialem legis, & petitio consilij apponatur pro forma, & pro conditione necessariò requisita, vt si apponatur in lege siue in rescripto, *dummodo hoc fiat de consilio Diffinitorum, Discretorũ, Consiliariorũ, siue Consultorum Patrum*, in tali casu dico, non solum est petendum & requirendum consilium, verum etiam & necessariò sequẽdum, & sententia aliter lata, non solùm erit iniusta, verum omninò irrita & nulla, quod oportet multum aduertere ac memoriæ commendare.

Nota differentiã, quæ versatur, inter sententiã iniustam, & sententiam nullam.

ARTICVLVS III.

Quonam modo suffragia & vota sint, requirenda a Patribus in Diffinitorio? & an sit incipiendum à senioribus, an verò à iunioribus?

De diuersis modis suffragandi, ac ferẽdi vota & suffragia.

CIrca huius articuli materiam multa forent dicenda circa diuersum modũ & formam, quæ in Senatibus & Consistorialibus Congregationibus obseruatur, in exposcendis & requirendis suffragijs siue votis, à Senatoribus, seu oppidorum & ciuitatum Rectoribus & gubernatoribus. Vt enim literis apud scriptores exaratum reperitur, quibusdã in Patribus & Rebuspublicis, rerũ iudicium & determinatio, à senioribus & proximioribus Præsidi, tam à dextris quàm à sinistris incipit, ita vt proximus Præsidi, à dextris eius sedẽs quid sibi visum fuerit primum dicat, propriumque ferat suffragium, & statim post eum antiquior alius suffragetur, qui ad eius sinistram fuerit collocatus. Sicque ordinate procedendo, à primo vsque ad vltimum suffragantur omnes, id quod & ratio ipsa vtcunque expostulare videtur, vt eo pacto, senioribus, dignioribus, atque antiquioribus, debitus honor & præeminentia deferatur, vt etiam ex maioribus minores addiscant, discereque possint, proposito negotio quid dicere & respondere debeant

debeant, iuxta Poëticum illud: *A bone maiori, diſcit arare minor.* Sed in alijs partibus, contrarium omninò obſeruari & practicari dicitur, & quod incipiunt ſuffragia & vota, rerumque iudicium, & determinatio, non quidem à maioribus & antiquioribus, ſed à minoribus ſiue minus antiquis, ne forte ſi maiores propriam iam ſententiam protulerint, minores nó audeant illis contraire: qui ſuffragandi modus & praxis, vt dicitur, communiter obſeruatur in Rota, & in Parlamento Galliæ, & in Neapolitano Senatu, & in Conſilijs Regalibus Hiſpaniæ & Luſitaniæ, ferturque olim id fuiſſe conſuetudine poſitum, quod quando totus populus congregabatur ad aliquid agẽdum ſiue determinandum, minores, & particulares ſuffragarentur prius, poſtmodum verò maiores & Magiſtratus, vt magis libere ſuam mentem, & ſententiã, quiſque poſſet proferre, ne forte contrarium ſi fieret, contra ſuam propriam mentem, atque ſententiã minores cõgerẽtur dicere, dũ maioribus & Magiſtratibus, non auderẽt contraire. Sed quidquid de hoc ſit (nam hæc omnia hinc inde, pro vtraque contradictionis parte, ſuas habent rationes probabiles) quod à nobis Minoribus Fratribus in Diffinitorio, & alijs Congregationibus gerendum eſt, iã expreſſ habetur diffinitum atque determinatum, in noſtris generalibus Conſtitutionibus. De quo ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

In noſtro Minorũ Ordine, tam in Diffinitorio, quã alibi, ſuffragia ſemper incipiunt à dignioribus, exceptis ſuperioribus.

IN ſacro noſtro Minorum Ordine, in Diffinitorio & in quacunque alia Congregatione, ſuffragia ſemper incipiunt à maioribus & dignioribus, exceptis Prælatis & Superioribus. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in Conſtitutionibus generalibus Toletan. cap. 7. §. de Prouinciarum Diffinitoribus, vbi ſequentia verba ponuntur: *Ordinamus, vt in Diffinitorio & in alia quacunque Congregatione, ſuffragia incipiant à dignioribus Diſcretis, expreſſe tamẽ prohibemus, vt Prouincialis nec Prælati generales, ni primi, qui in electionibus vel in rebus agendis ſuffragentur, aut ſuam aperiant voluntatem, vt antiqua voluntas ſtatuta.* Et additur ibidem, quod nullo modo aliquod negotium arduum proponatur & decidatur ſimul, ſed ſemper deliberatio intermedia fiat, & hoc eſt quod communiter obſeruatur in praxi, quæ pro hoc articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Diffinitores in Diffinitorio teneantur ſub mortali, libere dicere quod ſentiunt, non obſtante cognita Superiorum Prælatorum contraria voluntate?

Prima Concluſio.

Qualiter Diffinitores in Diffinitorio, ſuadebeãt ferre ſuffragia libere, non obſtante quacunque cognita, Prælatorũ cõtraria voluntate.

DIffinitores in Diffinitorio conſtituti, in cauſis ad Dei gloriam & Religionis cõmune bonum ſpectantibus, in adminiſtratione iuſtitiæ, & cuiuſlibet negotij grauis ſibi propoſiti, expoſtulato eorum conſilio, libere proferre tenentur quod ſentiunt, ſecũdum propriam cuiuſque conſcientiam, non obſtãte quacunque Prælatorum ſiue Superiorum in cõtrarium cognita voluntate, & contrarium facientes omni proculdubio peccant mortaliter. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & pro ea facit illud quod habetur Eccleſiaſtici cap. 7. vbi omnibus in vniuerſum Magiſtratus officium gerentibus ac eorum cuilibet in particulari, dicitur: *Noli quærere fieri iudex niſi & virtute valeas prorumpere iniquitates, ne forte extimeas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Pro quo etiam adduci poteſt communis ratio. Nam contra conſcientiam nullo modo licèt facere, præſertim in rebus ad Dei gloriam & Reipublicæ commune bonum, ſiue ad iuſtitiam ſpectantibus, & certe hac in re creſcit ac veluti duplicatur peccatum, dum iudicum officium gerentes aliter faciunt, quam eorum fides & obligatio expoſtulat, contra conſcientiam, non libere dicendo & propalando veritatem. Nec prædictis obſtat quod communiter dicitur, nempe quod ſubditi ſuorum Prælatorum & Superiorum voluntatem habere debent pro lege, & vtcunque & quomodocunque ſibi innotuerit, eidem ſe tenentur conformare. Nam reſpõdetur, quod in tali caſu ſupradicti Diffinitores, in conclaui, & Diffinitorio conſtituti, quamuis re vera ſint ſubditi, teneanturque in omnibus ſuos Superiores, & Prælatos reuereri, in eiuſmodi tamen rebus & negotijs ad ſuum munus, & officiũ pertinentibus, non tam ſubditorum vicem gerũt, quam Aſſeſſorum, ſiue Conſultorũm, peccabuntque proinde grauiſſime, ſi non clare, libere atque diſtincte dixerint, quod ſecundum ſuam conſcientiam, eiſdem videbitur expedire. Eſt enim diuerſa omninò ratio & conditio, ſubditi atque Conſiliarij ſiue Conſultoris. Subditus enim, perſpecta Superioris voluntate, non eſt ſui muneris, niſi parere, & obedire; at Conſiliarius, Aſſeſſor ſiue Cõſultor, quæ omnia pertinent ad Diffinitorum munus & officium non eligitur vt obediat, nec vt dicat aut proferat quod prælato ſiue Superiori gratum futurum exiſtimauerit, ſed vt res omnes examinet, diſcutiat, ac in iuſtitiæ libramine perpendat vt habetur in cap. *omnis* diſt. 45. & poſtmodũ quod verius, vtilius, rectaque rationi conformius & eidem iuſtitiæ, magis conſonum viderit, proferat atque in medium producat. Hoc igitur eſt Diffinitorum munus & officium.

Secunda Concluſio.

Non ſufficit Diffinitori tacere, quando intelligit aliquid eſſe contra rationi, & veritati contrarium.

IN ſupradictis caſibus non ſatis eſt Diffinitoribus tacere, ſeu vt nonnulli faciunt, caput Superiori inclinare, quin verò tenẽtur aperte veritatem dicere, etiamſi exiſtiment id minùs, ſiue ingratũ futurum eſſe Prælatis, quod ni fecerint, coram Deo à peccato nõ erũt immunes. Hæc concluſio ſatis cõſtat ex ſupradictis, & probari poteſt præterea, ex ſententia D. Aug. in epiſt. ad Caſulanũ, & habetur in c. *quiſquis.* 11. q. 3. Vbi ad ſimile propoſitũ ponuntur ſequentia verba: *Quiſquis metu cuiuſlibet potiſſatis, veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat, qui magis timet hominem, quam Deum.* Et poſt pauca addit: *Vterque reus eſt, qui veritatem occultat & qui mendacium profert,*

profert, ille quia prodeſſe non vult, iſte quia nocere deſiderat. Ad quod etiam facit & aliud dictum D. Chryſoſtomi, homil. 25. ſuper Matth. & habetur in cap. *nolite timere, eadem cauſa & quæſt.* Vbi ait, *quod non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem palam pro veritate mendacium loquitur, ſed etiam ille, qui non libere veritatem defendit, quam libere defendere tenetur.* Verba quidem omnia iſta ſunt notatu digniſſima. Quod & hac peculiari ratione poteſt confirmari. Nam ad Diffinitorium non vocantur ſupradicti Patres, vt taceant ſed vt conſentiant aut cõtradicant, quod non facere, ſed tacere, caputque Superiori inclinare, quaſi duplicatum peccatum eſt, duplex in eo deformitas reperitur, altera omiſſionis dum tacet quis, tempore quo locuturus eſt, debitumque ſuum munus & officium prætermittit, altera verò commiſſionis, dum per actum exteriorem aſſurgendi ſeu caput inclinandi, cum aliorum ſcandalo quaſi conſentire videtur, & annuere ei quod iniquum, atque iniuſtum eſſe credit, tũc præſertim quando ſilentij ſui nullam iuſtam cauſam affert. Vnde reſolutiuè eſt dicendum, quod in ſupradicto caſu, non ſat eſt prædictis Diffinitoribus tacere, quin verò tenentur veritatem, & id quod ſentiunt palam propalare ac dicere, etiamſi propterea intelligant, quod Superiores & Prælati ipſi contriſtabuntur, ægreque id & moleſte ferent. Quod adeò verum eſt, vt quãuis certo ſciant ſatiſque compertum habeant, Prælatos & Superiores prædictos iam in ſuo animo ſtatuiſſe, decreuiſſe atq; determinaſſe in electione aliqua, ſeu quouis negotio alio peragendo quid ab eis faciendum ſit, & quod etiamſi diſſentiant & contradicant, ad hoc ipſi in ſua ſententia perſiſtent, & nihil prorſus ſunt profecturi, eo nihilominus non obſtante, tenentur palam veritatem dicere, nam id non ad ipſos Diffinitores ſpectat, ſed ad Prælatos: ipſi viderint, & de ſe ipſis ratiõnẽ reddent. Conſiliũ enim quod à ſupradictis Diffinitoribus ibidem petitur, non eſt de fine, ſed de modijs ad finem, dicant veritatem ipſi, & id quod iuſtum, ac rectum eſſe crediderint, de alijs autem nihil debent curare. Hæc omnia ſunt quam maxima obſeruatione digna.

Tertia Concluſio.

Diffinitorum ſuffragia & vota, ferenda ſunt, cum libertate Chriſtiana, ſed magna cum modeſtia, humilitate, atque vrbanitate.

SVpradicta omnia fieri debent à Diffinitoribus prædictis, cum maxima ſpiritus libertate, ſed ſimul cum ſumma modeſtia, humilitate, grauitate, & vrbanitate, qua decet viros graues, doctos, & religioſos, loquentes, ac mentem & ſententiam ſuam proferentes, in tam graui Senatu & in conſpectu tantorum Patrum. Hæc Concluſio eſt adeò iuri & rationi conſona, vt probatione nulla indigeat. Debent enim Religioſi viri, eſſe graues, humiles atque modeſti, & in omnibus ſuis actionibus, ita temperate ſe gerere, vt omnia ab eis quãmaxima prudentia fiant, atque in publicis conſultationibus, incolumi ſemper, & inuiolata permanente veritate, ſententiam ſuam proferre, cum magna reuerentia, humilitate, grauitate, & verborum lenitate, ita vt ex verbis ipſis, omnibus in vniuerſum fiat notum, quod eorum iudicia, ſententiæ, diffinitiones, & determinationes è vultu Dei prodeunt, vti decet, & ex iuſtitiæ zelo, & ſpiritus feruore, non verò ex carnis libertate, aut ex deprauato animo & mala voluntate, cuipiam nocendi, ſiue contradicendi, ſed ſuo officio & muneri in omnibus, & per omnia ſatisfaciendi.

ARTICVLVS V.

An ſit præciſa obligatio ſeruandi ſecretum in Diffinitorio, de omnibus quæ ibidem aguntur & dicuntur, & cõtrarium facientes peccent mortaliter?

Concluſio.

Stricta & præciſa eſt obligatio ſeruãdi ſecretum, de rebus, quæ agũtur in Diffinitorio, & Congregationibus cunctis.

OBligatio ſeruandi ſecretum, & maximè in Diffinitorio, & in Capitulis & Congregationibus cunctis eſt præciſa, & illud non ſeruantes in rebus grauibus, ablq; dubio peccant mortaliter. Hæc concluſio eſt communis omnium reſolutio, de qua videatur Soto, in ſua relectione de tegendo ſecreto, quæſt. 1. & 2, vbi hoc argumentum latiſſime proſequitur, & dicit ibi quod propalare, ſiue reuelare ſecretũ, eſt peccatum ex genere ſuo mortale, leuius quidẽ quam homicidium & adulterium, ſed grauius quã quodlibet furtum, idque præſertim in Senatoribus & Magiſtratibus, & in omnibus alijs qui gerunt aliquod officium publicum, ad quos ſpectat adminiſtrare iuſtitiam, quales ſunt Diffinitores, qui quidem reuelando ipſum, faciunt non ſolum contra charitatem, verum etiam contra iuſtitiam legalem, & contra fidelitatem ſuo muneri & officio debitam. Hac de re videndus eſt etiam Simancas lib. de Catholicis Inſtitutionibus, tit. 41. num. 31. & 32. vbi ad hoc propoſitum, dicit plura eaque notatu digniſſima, circa obligationem quam habent Inquiſitores & ipſorum Conſultores, & reliqui omnes ſanctæ Inquiſitioni, Miniſtri officiales ſeruandi, & celandi fideliter omnia eiuſdem ſancti Officij arcana & ſecreta, quod & iurant. Et inquit, quod ſi quis eorum ſecretum aliquod auſus fuerit propalare, dignus profecto eſt qui officio priuetur, & alijs pœnis grauiſſimis pro criminis qualitate puniatur atque mulctetur. Ad quod propoſitum affert multa de ſecreto, quorum aliqua in præſentiarum, vt præ manibus habeantur, & quia ſunt notatu digniſſima, libet referre. Dicit in primis, apud veteres Perſarum Reges, ſilentiũ vitæ periculo ſeruari mandatum fuiſſe, & quod apud eoſdem nemo ſuorum conſiliorum erat conſcius, præter Optimates fidos, & taciturnos. Antiqui priſcis temporibus primam ſapientiam dicebant, nullam ob cauſam prodẽdum eſſe ſecretum. Quintus etiam Curtius lib. 4. ad hoc propoſitum refert, quod olim apud veteres lingua grauius caſtigabatur, quam vllum aliud membrum nec magnam rem ſuſtineri ab eo poſſe credebant, cui graue eſſet tacere, quod homini datura facillimũ eſſe voluerit. Ex dictis ſuperque ſatis colligitur ſtricta obligatio, quam habent ſupradicti Patres Diffinitores, celãdi omnia Diffinitorij arcana & ſecreta, & nul-

& nullam ob cauſam reuelandi, ſiue propalandi ipſa vllo modo etiam cum diſcrimine, diſpendio & periculo propriæ vitæ. Tunc vel maximè, quando magni alicuius ſunt momenti, vergereque poſſunt in infamiam ſeu detrimentum aliorum, quorum reuelatio & propalatio, rixas diſcordias, capitaleſque inimicitias, immortaliaque odia interdum, valet inter Fratres diſſeminare. Quod etiam ſecretum obſeruandum omnixe atque ſtricte eſt, non ſolùm durante Diffinitorij tempore, & celebrationis Capituli ſiue Congregationis, verum etiam & poſt quocunque aliud tempus, ſi vt dictum eſt, ex ipſius reuelatione timeatur merito, quod euenire poterunt aliqua ex ſupradictis. Hęc obligatio eſt præciſa, ſecluſo quocũque alio præcepto vel iuramento: ſed nihilominus de more & conſuetudine, in Diffinitorijs & Senatibus cunctis, alijſque Congregationibus habetur, vt iuramento ibidem aſſiſtentes ad id cogãtur & adſtringantur. Apud Religioſos autem, iuramenti loco imponitur obedientiæ præceptum, quod idẽ pollet. Quam quidem non ſeruantes præterquam quod mortaliter peccant, digni profecto ſunt, qui cum dedecore & ignominia, officijs priuentur, alijſque pœnis arbitrarijs, pro criminis qualitate puniantur, poſt quam, vt dictum eſt, non ſeruare ſecretum, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, leuius quidem quam homicidium & adulteriũ, ſed grauius, quam furtum.

Nota quod arcana, & ſecreta diffinitorij nõ ſolum celãda ſunt, eo tempore quo celebratur Capitulum, verum etiam & poſtea.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſententia prolata à Diffinitoribus ſimul conuenientibus, ab omnibus ſit ſubſcribenda?

Concluſio.

Quælibet ſententia in Diffinitorio prolata, ab omnibus eſt ſubſcribenda.

QVælibet ſententia in Diffinitorio prolata, ab omnibus eſt ſubſcribẽda, & omnes etiam cauſæ, quæ ibidem decidũtur, diffiniuntur atq; determinantur pro maiori parte, etiamſi in ſuo particulari voto & ſuffragio, ipſorum quiſpiam diſſentiat. Hæc Concluſio eſt communis omnium reſolutio, & in iure determinata, multis in locis, & eam expreſſe tenet Abbas in cap. 1. *de his quæ ſiunt á maiori*, & in cap. *ex parte, de conceſſ. prębend.* num. 3. & cap. *poſtulaſti*, eodem tit. num. 14. Et ratio eius in promptu eſt, nam cum omnes in Diffinitorio conſtituti, vnum Collegium & vnum veluti conſtituant corpus, quod à maiori parte fit, ab omnibus fieri videtur, & à cũctis proinde debet ſubſcribi, & ſcripto probari, ne in re adeò graui diſſonantia reperiatur, & ſuffragiorum differentia publicetur. Quin verò & rationi ipſi quammaximè eſt conſonum, vt conſultatione prius facta, quod à maiori parte quiſpiam probatum videt, probet & ipſe atque etiam diſſentiens, propria ſubſcribat manu, proprium iudicũ aliorum exiſtimationi poſtponendo. Ad quod propoſitum facit quammaximè, quod dicit Abbas loco ſupra citato, nempe quod ille qui diſſentit ſiue contradicit, & nihilominus firmat ſententiam, à maiori parte prolatam, priorem ſuam ipſo facto deponere videtur cum humilitate, vti decet capti uando proprium intellectum in obſequium Chriſti, & aliorum ſententiæ tanquam probabiliori adhærendo, iuxta illud, quod habetur in leg. *ſi patres ff. de arbitr.* Qua etiam ratione de Lacedæmonijs, refert Plutarchus in Lycurg. quod poſtquam lex aliqua à concilio erat firmata, ſeu quodlibet aliud negotium, non amplius de eo diſputare licebat, quin verò poſtea, & illi quidem qui antea repugnabãt & contradicebant, decretum à maiori parte factum, tanquam propriam ſententiam defendebant. Quod etiam Religioſiſſime legitur in Annalibus Religionis ſancti Dominici lib. 2. cap. 62. factum fuiſſe atque conſtitutum à Diuo Thoma, cũ eiuſdem eſſet Religionis Diffinitor, in Capitulo quodam Generali Londini celebrato anno Domini 1263. vt quod à maiori Diffinitorum parte eſſet determinatum, & decretum ab omnibus vnanimi conſenſu ſubſcriberetur, etiamſi eorum quiſpiam contrariæ fuiſſet ſententiæ, vt ne conſtare vllo modo poſſet, quis affirmauerit, quis verò contradixerit, & id quod de ſe erat occultum, & ſecretũ perperam ea de cauſa, in publicũ prodiret, q̃ eſt multum notandum atque memoriæ commendandum. Tandem dico, quod hæc eſt communis Doctorum omnium reſolutio, & obſeruatur in omnium Senatuum & Iudicum communi praxi. Qua de re videatur Simanc. de Cathol. inſtit. tit. 60. de ſententijs, num. 10. Vbi & ad propoſitum Officij ſanctæ Inquiſitionis, dicit quod cum aliqua cauſa in eodem Senatu diffinitur, & Inquiſitores diſſentiunt, quod à maiori parte fuerit determinatum, omnes ſubſcribere tenentur etiam ij qui contrariam, vel diuerſam ſententiam, ſiue opinionẽ ſunt ſequuti. Hæc dicta ſint ſatis pro iſto articulo.

Nota hoc valde, proferendis ſuffragijs in Diffinitorio.

Nota hoc valde de mente D. Thomæ.

ARTICVLVS VII.

De modo & forma, qua congregandũ eſt Diffinitorium, & de his quæ in eodem ſunt facienda

Prima Concluſio.

Quo tempore ſint Diffinitores congregãdi ante celebrationẽ Prouinc. Capituli?

QVotieſcunque celebrandum erit Prouinciale Capitulum, pro electione Prouincialis Miniſtri, Viſitator Prouinciæ, Prouincialis, & Diffinitores, ac Prouinciæ Diſcreti ſiue Patres, tribus diebus, antequam reliqui Vocales, ad locum Capituli accedere debent, vt eo tempore ſi quæ fuerint culpæ graues ex viſitatione prouenientes, contra Prouincialem ſeu contra Guardianos, in Diffinitorio diſcutiantur & examinentur, viſiſque omnibus, determinetur, quod iuſtum viſum fuerit maiori parti. Ea propter feria tertia ante præfati Capituli celebrationem, omnes ſupradicti patres conuenire debent ad Diffinitorium, quod cõgregandum eſt, modo & ordine dicendo in ſequenti Concluſione.

Secun-

Secunda Conclusio.

De Diffinitorij præparato loco, qualis esse debet.

AD celebrandum supradictum Diffinitorium, est positum & obseruatum in communi praxi vt in id sit decens quidam secretus locus præparatus, quo supradicti Diffinitores Collegialiter conueniant, ad paratam etiam sibi mensam, super qua commode scribere possint, vbi etiam sint omnia ad huiusmodi munus, & officium exequêdum necessaria, & ad ipsam sedere debent hoc ordine. Primum locum inter omnes tenebit, Capituli siue Diffinitorij præses, qui solus sedere debet in capite seu in titulo mensæ. Postmodum à dextris eius, sedet Prouincialis Minister qui actu est, & in illo Capitulo suum explet munus & officium. A sinistris autem, qui primus fuerit & antiquior inter supradictos Patres & Diffinitores, & iuxta Ordinis statuta præcedentiam habet, quos reliqui postea sequuntur per ordinem, quidam à dextris, alij verò à sinistris. Quibus sic circumsedentibus, & congregatis, Diffinitorij præses, incipit, ac dicit: *Adiutorium nostrum in nomine Domini* vel, *sancti Spiritus adsit nobis gratia*. Et respondentibus cunctis, *Amen*, subinde eisdem, breuem quandam collationem facit, qua ipsos ad secretum seruandum exhortatur, & vt in omnibus & singulis in eodem Diffinitorio tractandis, gerendis & diffiniendis, sedatis passionibus, pulsisque procul omnibus, odio, amore, amicitia, seu inimicitia, affectionibus simultatibus Deum solummodo, ipsiusque zelum præ oculis habeant, & ea quæ ad Dei gloriam & honorem pertinent, & ad animarum salutem, morum correctionem, regularis vitæ reformationem religionis augmentum, conseruationem, & propagationem, profectumque omnium in Domino viderint expedire, fideliter (vti tenentur) exequantur. Præcipuè verò quatenus id congrue efficere valeant, quod sit eis omnibus animus in consulêdo liber, nec alicui priuato commodo seu affectui obnoxius, vtque melius & strictius seruetur secretum, ea de re specialiter, imponitur omnibus obedientiæ formale præceptum, quod vt diximus supra, omnes obnixe obseruare tenentur. Præceptum verò sit sub hac forma, vt nullo modo absque totius Diffinitorij speciali commissione & licentia, alicui reuelent arcana & secreta, durante tempore celebrationis Capituli, nec verò vllo alio tẽpore, si ea quæ ibidem dicta fuerint, vergant in detrimentum aut infamiam alicuius, aut rixas, siue discordias inter fratres vllo pacto possint dissemi nare, quod præceptum omnes obseruare promittunt.

De modo, & ordine sedendi in Diffinitorio,

Qualiter inci pi debeat Diffinitoriũ, quæ ibidem fieri solet.

Qualiter imponitur seruãdi secreti præceptum.

Tertia Conclusio.

De ostiarijs qui assistunt ad portã Diffinitorij, quid agere debeant

AD maiorem atque congruentiorem, rerum gerendarum expeditionem, constituendi sunt vnus aut duo peruigiles Diffinitorij Ostiarij, quorũ alter prope ostium præsto sit, ad parendum mandatis & iussionibus, alter verò qui per domum discurrat, vocando & inquirendo fratres, quos vocari ad Diffinitorium oportuerit. In quo etiam erit quædam arca obserata cum clauj, ad seruanda omnia Diffinitorij scripta & acta, ad custodiendos etiam processus interim dum Diffinitorium celebratur, & causæ discutiuntur, & sententiæ pronũtiantur. Quibus omnibus non obstãtibus, semper quod Diffinitorij Collegium dissoluitur, & Diffinitorij locum necesse fuerit exire, vt puta ad chorum, vel ad conciones siue conclusiones, ad cœnã seu ad prandium, qui inter prædictos Diffinitores vltimum tenuerit locum, fideliter & diligenter debet custodire supradictæ arcæ, & Diffinitorij claues, ne fraus aliqua interim fieri possit, & Diffinitorij secreta forsan propalentur & publicentur.

Quarta Conclusio.

De ijs, quæad duci debẽt ad Diffinitoriũ.

AD prædictum Diffinitorij locum adduci debent omnes processus siue causæ, ex Prouinciæ visitatione prouenientes, insuper & omnes Conuentuum omnium dispositiones, Guardianorum postulationes, ipsorumque renunciationes de suis officijs in scriptis, omnes etiam epistolæ & litteræ, quæ ex diuersis partibus ad dictum Diffinitorium fuerint transmissę. Quæ omnia in Diffinitorij mensa posita per ordinem, seu vt res ipsa vel necessitas postulauerit, in præsentia omnium congruenti tempore debent aperiri & legi: ad quorũ omnium aptiorem dispositionem, statuet Diffinitorij præses, vt ex Diffinitorij patribus, vnus omnes & singulas litteras ad Diffinitorium missas legat, similiter & Conuẽtuum dispositiones, & reliqua alia. Alterve. ò vt in papyro ad id præparata, scribat in summa quidquid ibidem circa processus & rem quamlibet fuerit determinatum, & quod in dictis litteris continetur, quid etiam cuilibet sit respondendum, quod munus & officium alteri etiam committetur, vt ordinate omnia fiãt, prout rerum agendarum, congruentiori dispositioni magis videbitur expedire. Hæc omnia facienda sunt in Diffinitorijs, quæ de more cõgregantur, tribus vel quatuor illis diebus ante celebrationem Capituli. Sed præcipuè quæ pertinent ad determinationes processuum, & causarum, & ad probationẽ sententiaaum; nam reliqua omnia futuris Diffinitoribus reseruantur, reseruarique solent, vt videantur sabbato sequenti post prandium. Quibus peractis expletur munus & officium præteritorũ Diffinitorum.

Nota hoc val de pro distribuendis munere ribus pertinẽtibus ad Diffinitorium.

Quinta Conclusio.

Qualiter fit Diffinitoriũ congregandũ Sabbato post Ministri Prouincialis electionẽ, cæteris q; alijs diebus, vsque ad tabulæ confectionem.

SAbbato post prandium, competenti hora ad Diffinitoriũ vocantur ij, quibus de more atque ex consuetudine vt supra dictũ est, & ex vi nostratũ, constitutionũ votum & vocẽ in eodẽ habere conuenit, simul cũ præside, siue Visitatore Prouinciæ, nempe Prouincialis Minister, & qui Prouinciales fuêre olim, & quatuor Diffinitores de nouo electi; Custos etiam Prouinciæ si iam fuerit electus, in eademque Prouincia statutum fuerit, quod in Diffinitorio vocem habeat. Quibus sic ordinate constitutis, si quæ dicta sunt in præcedenti Conclusione, non prius fuerint facta, eisdem exacte expletis antequam ad vlteriora procedatur, nempe ad constructionem, siue confectionem tabulæ officiorum, Visitator Prouinciæ seu qui præfuerit Diffinitorio, breuem aliam quandam collationem siue exhortationem ipsis facit, inducendo & exhortando illos ad hoc, vt in officiorum distributione, & Guar-

De collatione in Diffinitorio faciendã, à Præside ante tabulæ confectionem.

& Guardianorum conſtitutione, omni poſtpoſito odio vel amore, ſeu quocumque alio humano affectu, Deum ſolummodo præ oculis habentes, ipſiuſque gloriam, & honorem, animarum ſalutem, & Religionis commodum procurantes facultate ſibi tradita atque conceſſa, ita debite vtantur, vt in Guardianos, & Conuentuum Prælatos, eligant & præficiant, non quidem eos qui ſanguinis fœdere familiaritate & amicitia ſibi magis fuerint coniuncti, ſed Religioſos viros, graues, probos, prudentes, bonæ exiſtimationis, & famæ ordinis zelatores, & quos morum grauitas, ætatis maturitas, litterarum peritia, cæteraque id generis alia, commendatos habeant, vti expedit ad morum correctionem, regularis vitæ reformationem, Religionis augmentum, conſeruationem atque propagationem, ne ex contrario facto, in Religione aliquod ſuboriatur ſcandalum, dum viderint præfici & honorari, quos alias oportebat corrigere & punire: è contrario autem quos pro meritis honore æquum eſſet afficere, conculcare & deprimere. Quibus peractis, genuflectentes omnes dicunt Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, cum Verſu & Oratione conſuetis, præmiſſaque generali confeſſione (ad effectum faciendæ electionis) eos plenarie ab omni excommunicatione & irregularitate, aliiſque cenſuris Prælatus abſoluit.

Sexta Concluſio.

Qualiter Diffinitorij tabula ſit ſtruenda, atque confícienda.

SVpradictis omnibus peractis, ſtatuitur coram Præſide quædam cartha ſiue papyrus, in qua ſint per ordinem omnes Conuentus Prouinciæ deſcripti, præmiſſoque Conuentu cuius facienda eſt electio, interrogatur atque conſulitur, qui inter Patres ſiue Diffinitores prædictos, fuerit antiquior, qui nam Fratres ex Prouincia, eidem Conuentui præficiendi, apti eſſe videantur? Qui iuſſis obtemperans, duos ad minus proponit, dicendo ad hoc munus N. N. aptus & idoneus mihi eſſe videtur. Iterum conſulitur Diffinitor, ſeu Pater antiquior, à ſiniſtris aſſiſtens, qui alios duos vel eoſdem proponit, & ſic de alijs per ordinem. Qua facta conſultatione, iterum interrogantur, cui eorum reſolutiuè atque diffinitiue præbent ſuum ſuffragium ſiue votum quod illi facientes, qui inter nominatos plura habuerit ſuffragia ſeu vota, canonice erit electus in Guardianum propoſiti Conuentus. Eodem modo & ordine procedendum eſt in alijs omnibus electionibus, & conſtitutionibus aliorum officiorum, vſque ad conſummationem tabulæ, qua facta publicatur, eo modo quo diximus ſupra, agendo de Capitulo Prouinciali, & congregatione intermedia.

Hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS VIII.

Qualiter ſe gerere debeant ſupradicti Patres Diffinitores, in officiorum prouiſione, & Guardianorum electione?

Prima Concluſio.

Diffinitores tenentur, in Guardianos eligere meliores & propoſito fini congruentiores.

PAtres Diffinitores, in prouidendis officijs & Guardianorum electione, eligere tenentur meliores & propoſito fini congruentiores, quod ſi non fecerint, omni proculdubio peccabunt mortaliter. De hac concluſione, plura ſumus dicturi infra in quæſtione longiſſima, quam facturi ſumus, de electionibus & rebus omnibus ſpectantibus ad ipſas. Quapropter pro nunc ab ipſius probatione ſuperſedeo, ſtatuendo prædictam ſententiam vt rem notam, omnibuſque peruiam, abſque vlla fere contradictione. Solummodo dico quod in diſtribuendis præmijs & honoribus, æqualitas ſeruari debet, quæ vt amicitiæ auctrix & cõſeruatrix eſt ſecundùm Platonem, ita & inæqualitas, eſt omnium diſcordiarum & ſeditionum cauſa. Neque verò æqualitas eſt, vt æqualia omnibus, doctis atque indoctis, ſenioribus & iunioribus, ſapientibus & inſipientibus reddantur, ſed vnicuique pro ſua dignitate & merito, quod ad iuſtitiam diſtributiuam pertinet, ſecundùm Ariſtot. 5. Ethicor. cap. 2. & 3. qua honores & præmia ſimiliter, & pœnæ diſtribuuntur, ſecundùm proportionem meritorum vniuſcuiuſque, alioquin æqualitas erit inæqualitas, dum inæqualibus æqualia dantur, ſed de hoc infra dicentur plura. Solummodo ſeſe offert in præſentiarũ difficultas, an quãdo fit conſultatio, inter Patres & Diffinitores de aliquo ſeu aliquibus, circa prouiſionem cuiuſpiam officij, poſſint Diffinitores prædicti, in eodem Diffinitorio detegere crimina & impedimenta, quæ forſan ſibi obſtant, vt ne elegi & præfici poſſint in Prælatos, ſi eiuſmodi crimina & impedimenta ſunt occulta? Et quamuis res ſit inter D D. nimis hinc inde controuerſa, propoſitæ tamen difficultati, breuiter ſub diſtinctione reſpondeo, per ſequẽtem Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Crimina occulta, & quæ ſolũmodo nocent peccanti non vero Reipublicæ, nullatenus ſunt in Diffinitorio propalanda.

SI eiuſmodi crimina & impedimenta ſunt occulta, & quæ ſolummodo nocent peccanti, neque exinde vllum imminet periculum Religioni, non ſunt in Diffinitorio publicanda, ſed ſecreto iuxta Euangelium, iuris & eiuſdem Euangelij ſeruato ordine corripienda. Si autem fuerint talia, quod ex eis Religioni & communi bono, aliquod damnum poſſit euenire, & maximè ſi præuia facta correctione fraterna, nullatenus fuerint emendata, ſtatim coram Prælato, & Patribus in Diffinitorio ſunt denuncianda. Hæc Concluſio quoad vtramq; ipſius partẽ, videtur ſatis eſſe aperta & manifeſta, nam quod in prima parte dicitur, exigit & expoſcit ordo correctionis fraternæ, poſitus à Chriſto Domino in Euangelio, Matthæi 18. de quo late agit

te agit D.Thom.2.2.q.33.per plures Articulos,& nos latiſſimè egimus,in noſtro libro Ordinis iudiciarij, q.11. per plures Articulos. Quantum verò attinet ad ſecundam partem,eſt etiam ratio manifeſta,nam vt etiam ibidem diximus, quotieſcunque Reipublicæ imminet periculũ,ſecreta admonitio & correctio omninò eſt prætermittenda, & maximè quando proceditur ad effectum electionis,nam vt non eligatur indignus,multa licite fieri poſſunt,quæ alias eſſent prorſus illicita. Videatur D.Thom.vbi ſupra,& Soto de ſecreto, membro 2.q.6.conclu.3.in primo caſu,& Sylueſ.verbo *inquiſitio*.1.q.8.n.14.& Nauar.in ſuo Manu.cap.18. num.30.& 56.& cap.24.num.14. & Diuus Antoninus 2.parte tit.9.cap.6. §. 4. verſu, item quæritur, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura eaque notatu digniſſima.Sed maior difficultas eſt, An ſupradicti Patres Diffinitores,propter delicta & crimina,quæ alias in confeſſione nouerũt, & quæ nullo alio modo ſciuerunt,aut ſciri potuerunt,alicui ſeu aliquibus denegare poſſint ſuũ votum, & ſuffragium,in aliqua electione?Non quæro neque in controuerſiam adducitur, an reuelare & propalare poſſint crimina, quæ alias nouerunt in confeſſione. Nam de hoc nulli dubium, quod non poſſunt quidem id facere, omnibuſque eſt peruium quod ob nullam cauſam,etiam propter periculum vitæ, nec propter totam ſeruandam Rẽpublicam, licitum eſt delictum in confeſſione cognitum reuelare.Sed quod ſolummodo in præſentiarum quæritur eſt,an propter crimen quod quiſpiam Diffinitorum, forſan ſecreto nouit in confeſſione, nihil dicendo neque quidquam reuelando, poſſit ſuum votum & ſuffragium in aliqua electione alicui denegare? Res eſt nimis controuerſa, & circa quam multi partem tenent negatiuam, dicendo quod neque id facere vllo modo licèt. Qua de re videatur Emmanuel Rodericus in ſuis quæſtion. regul. 2.tomo quæſt.53. art. 4. ſed nihilominus contraria ſententia alijs videtur verior & eſt probabilior, de qua ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Tertia Concluſio.

Non eſt illicitum,alicui denegare votum propter id & alias fuit cognitum in confeſſione, modo de hoc nihil dicatur.

QVamuis licitum nullo modo ſit, reuelare aut propalare ſecretum cognitum in confeſſione,ob vllum finem, nec ob vllam cauſam, vt dictum eſt,non tamen eſt illicitum cuipiam denegare ſuffragium ſiue votum, ſumpta occaſione ex eo,quod alias quiſpiam ſciuit in confeſſione: Volo dicere, quod ſi quiſpiam in alicuius confeſſione reſciuit, ipſum non eſſe timoratæ conſcientiæ, quin verò omni ex parte vitioſum, ad carnis vitia procliuem, eiſdemque quammaximè deditum aut quidpiam ſimile in Diffinitorio conſtitutus, bene poteſt ea de re nihil alijs dicendo,in electione aliqua,votum ſiue ſuffragium ſuum illi prudenter denegare,ad euitandum damnum & detrimentum, quod ex tali electione poſſet ſuboriri. Hæc ſententia eſt expreſſa Doctiſſimi Nauarro in cap: *Sacerd.de pœnit.*diſt. 6. num. 147. cum ſequentibus, vbi eam conſtantiſſime defendit(quidquid alij dicant) quin verò dicit,quod contrarium faciens & huiuſmodi indignum eligens, incurrit ſuſpenſionis pœnam, quæ poſita eſt in cap. *cum incunctis.* §. *fin.de electione*, etiamſi huiuſmodi indignitatem & inidoneitatem in cõfeſſione ſecretiſſime nouerit. Nec dictis, inquit obſtat, quod iuxta Euangelium Ioãnis 11.duodecim horæ ſunt diei, vt dixit Chriſtus Dominus, ad propoſitum de Iudæis,& quod qui olim erat malus hodie forſitan erit bonus, nam reſpondetur,quod non in ea opinione & ſententia eſt Nauarro,vt dicat vel credat,quod propter vnicũ aut alterũ actũ ſiue peccatum,in ſecreto ſiue in confeſſione cognitum, cuipiam debeat in electione denegari ſuffragium, cum vt ſupponitur,iam poſſit eſſe emendatus,ſed tunc ſolummodo, quando certo de aliquo ſcitur atque cognoſcitur,inueterata ipſius peccandi conſuetudo, firmitas in malum,& deprauata inclinatio ad carnis vitia ſeu (quod abſit)Sodomiæ,in tali caſu, inquit & dicit bene Nauarro,quod hæc & his ſimilia,bene poſſunt retrahere electionem, à facienda electione de aliqua tali perſona, etiamſi illud cognitum fuiſſet in confeſſione,nõ quidem aliquid dicendo, ſed tacendo & prudenter denegando illi ſuffragium.

Nota hoc valde.

Quarta Concluſio.

Qui in aliquo Diffinitorio per aliquod peccatum ſiue crimen, fuit repulſus ab electione, non debet in alio admitti, niſi de emenda cõſtet.

SI quiſpiam olim in aliquo Diffinitorio repulſus fuerit ab aliqua electione, propter aliquod habituale crimen,ſeu propter aliquam infirmitatem aut ægritudinem, qua laborabat, & obſtabat ſibi ad effectum electionis,non poteſt aut debet, in altero Diffinitorio eligi, niſi conſtet de ipſius emenda, aut prædictæ infirmitatis probetur conualeſcentia.Hæc Concluſio habetur expreſſa, in Gloſſa in cap. *cum inter,el 3. de electione.verbo, recuſatus*, vbi expreſſe tenet,quod defectus ſiue crimen, in modum exceptionis impoſitum & probatum contra aliquem in vno iudicio, præiudicat ei etiam in alio,niſi legitimis teſtimonijs habeatur contrarijũ. Quod & probat argumento deducto ex c. *ſuper eo, eodem tit. & c.prohibentur.*2.q.1.&ex multis alijs iuribus, quæ breuitatis cauſa omitto. Et eſt Gloſſa nimis notabilis pro materia de teſtibus & alijs. Ex qua Concluſione infero,quod qui olim ab aliqua electione fuit repulſus propter aliquod habituale crimen, vt pote quia vinolentus, vel quia laborabat aliqua infirmitate, obquam nõ poterat ſequi vitam communem, vt tenetur de iure noſtrarum conſtitutionum, non poteſt ſeu debet in prælatum præfici,niſi euidẽtibus teſtimonijs probetur contrarium. Multa alia forent dicenda pro hac materia, quæ congruentiori loco reſeruantur tractanda in quæſt. quæ facienda eſt de electione in communi. Nunc vt huic rei vltimam imponam manum,ſupradictos Patres Diffinitores vehementer admoneo per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, primo vt videant quos eligunt,ne forte indignos ad Ordinis officia aſſumentes ,eorum peccatis inuoluantur, in magnam Dei Optimi Maximi offenſionem, Religionis detrimentum & graue multorum ſcandalum. Secundo, vt non ſint faciles ſeu nimis procliues, ad dicenda, reuelanda,ſiue propalanda ,Fratrum & proximorum ſuorum ſecreta crimina, nec vllo modo id faciant, niſi quando certo ſciuerint,ea vergere in damnum, & præiudicium Reipublicæ ſiue Religionis,ad quod faciẽdum

Nota quod delictũ, in vno iudicio impoſitum contra aliquem,ſemper obſtat in alio iudicio, niſi legitimis teſtibus probetur contrarium.

dum opus eſt quammaximaprudentia. Omniaque mature ac ſapienter prius conſideranda, & cum ratione conſulenda ſunt, vt charitate duce, quæ cuncta ordinat ac dirigit quammaxime fieri poterit ſimul conſulatur vtilitati publicæ & famę atq; opinioni proximi.

QVAESTIO XVIII.

De Cuſtodibus antiquis ſacræ noſtræ Religionis, & his qui modo nominantur Cuſtodes, & eliguntur vt mittantur ad Capitulum Generale, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quinam ex noſtra Regula, in noſtro ſacro Minorum Ordine dicantur Cuſtodes?

Primo notaq; Cuſtodis nomen frequens eſt in Regula B.P.N.F.

RO huius articuli intelligentia aliqua ſunt prę mittēda, & primo prę mitto, quod Cuſtodum fit mentio à B.P.N. Franciſco, in ſua Regula in multis locis, ſed maxime in ca. 4. & 8. Vt tamen melius deprehendere poſſimus, officij huius inſtitutionem, auctoritatem & poteſtatem, & quid ſub hoc comprehendatur nomine aduertere oportet, quod hoc nomē, Cuſtos & Cuſtodia, in noſtra Regula ſumitur dupliciter, primo communiter & generaliter, ſecundo ſpecialiter & proprie. Generaliter ſumptum Cuſtodis nomen competit etiam Generali Miniſtro, vt conſtat ex cap. 8. eiuſdem Regulæ, vbi agendo pro quibus rebus Generalis Miniſter ſit priuandus, ſiue deponendus, dicitur, quod in illis caſibus: *Fratres illi quibus electio data eſt, in nomine Domini, alium ſibi eligere poſſint in Cuſtodem.* Quo loco Cuſtodis nomine intelligitur ſupradictus Gener. Miniſt. Quādoque etiam ſumitur pro Prouinciali Miniſtro, vt cōſtat ex eodem capitulo, ibi *& ſi aliquo tempore appareret vniuerſitati Miniſtrorum, Prouincialium & cuſtodū, &c. poſſint eodem anno in ſuis Cuſtodijs, ſemel Fratres ſuos ad cap. conuocare.* Vbi per cuſtodiam intelligitur Prouincia, & Cuſtodis nomine Prouincialis Miniſter. Rurſus ſumitur etiam nomen Cuſtos pro Guardianis, vt conſtat ex cap. 4. eiuſdem Regulæ, vbi habetur, *Quod Miniſtri & Cuſtodes circa infirmos ſollicitam curam gerant, &c.* Quo loco Miniſtrorum & Cuſtodum nomine intelliguntur Guardiani, ſumpto Cuſtodis nomine, vt dictū eſt, communiter & generaliter. Sed alio modo ſumitur ſpecialiter & propriè, & ſupponit pro quodā ordinario olim Prælato noſtri Ordinis, diſtincto à Generali & à Prouinciali, atque etiam à Guardianis, vt conſtat ex ca. 8. eiuſdē Regulæ, vbi dicitur, *quod Miniſtri Prouinciales & Cuſtodes ſunt, quibus cōpetit eligere, & deponere Miniſtrum Generalē.* Quo loco per Cuſtodes, intelliguntur Prælati quidam, qui præfidebat olim certis quibuſdam Guardianis, & ſubdebantur ipſis Prouincialibus Miniſtris. Qui quidem Cuſtodes ex Regula, duo habebant munera & officia, horum primum pertinebat ad poteſtatem iuriſdictionis, nam erant verè Prælati, & habebant verè & propriè animarum curam, quibus proinde omnes Guardiani & ſubditi exiſtentes in eorum cuſtodijs, tenebantur firmiter obedire, iuxta præceptum Seraphici Patris Noſtri Franciſci, in ſua Regula, cap. 10. in illis verbis: *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt obediant ſuis Miniſtris, &c.* Quo loco Miniſtrorum nomine, intelliguntur omnes in vniuerſum Prælati noſtri Ordinis, ſiue Generales ſiue Prouinciales, ſiue locales (quales ſunt Guardiani) atque etiam ſupradicti Cuſtodes, vt dicunt omnes communiter noſtræ Regulæ expoſitores. Secundum officium ſupradictorum Cuſtodum, pertinebat olim, pertinetque hodie, ad poteſtatem actiuam eligendi & deponendi Generalem Miniſtrum, per verba ſupradicta, quæ habentur in dicto cap. 8. eiuſdem Regulæ, vt dictum eſt.

Quinam olim ſecundum noſtram Regulā dicebantur cuſtodes, & Ψ eorum erat munus & officium.

Secundò, pro pleniori dicendorum intelligentia præmitto, quod vt conſtat ex ſupradictis, Cuſtodia in noſtro ſacro Ordine dicebatur olim, quidam diſtrictus vbi erant plures Guardianatus & plures Guardiani, qui omnes vni ſubijciebantur Cuſtodi ſecundum Regulam, qui & eorum omniū erat ordinarius Prælatus, quamuis alias ipſe & omnes ſui Conuentus, Prouinciali ſubijcerentur Miniſtro. Ita quod in qualibet vna Prouincia plures erant Cuſtodiæ, ex quibus tanquam ex partibus conſtabat Prouincia ipſa. Quod forſan voluit Seraphicus Pater noſter Franciſcus, vt commodius Fratres gubernarentur, atque (vt dicitur) magis ad manum haberent ſuos Prælatos & Miniſtros, ad meliorem & congruentiorem rerum agendarum diſpoſitionem. Qui quidem omnes Cuſtodes, vniuſcuiuſque Prouinciæ quotquot erant, tenebantur olim ire ad comitia & Generalia Capitula, cum ſuo Prouinciali Miniſtro, & ſinguli in electione ſeu depoſitione Miniſtri Generalis ſua ferebant ſuffragia. Quod & duravit vſque ad tempora Nicolai Quarti, qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1288. vbi ad euitandos magnos ſumptus, & alia multa incommoda, & inconuenientia, auctoritate eiuſdem cautum fuit, vt omnes Cuſtodes vnius Prouinciæ, vnum ex ſe ipſis Cuſtodem conſtituerent, cui vices ſuas committerent, qui omnium Cuſtodū illius Prouinciæ nomine, iret ad Generale Capitulū, vocemque haberet in Generalis Miniſtri electione, ita quod ſi quando contingeret plures Cuſtodes ſimul adeſſe

Nomen cuſtodis, dupliciter ſumitur.

Secundo notā quænam olim in noſtro ſacro Ordine, dicebatur cuſtodia.

& præsentes reperiri in Generali Capitulo, vnus tantum ex eis. votum & suffragium haberet: vt constat ex Monumentis nostri Ordinis, & refertur in Compendio priuilegiorum, verbo *Custodes*, à quo tempore custos Custodum appellatus fuit is, qui pro se & alijs custodibus vnius Prouinciæ, vocem habebat in Generali Capitulo.

Tertio nota. Tertiò & vltimo est notandum, quod cum per multum tẽporis, sigillum Ordinis & officiũ Generalis Ministri, & Prouincialium atque Custodum, quod Seraphicus noster Franciscus instituerat in sua Regula, perseuerauerit apud Fratres nostros Claustrales, qui etiã Conuentuales seu de cõmunitate dicebantur, Fratres Minores reformati in Concilio Constantiensi, celebrato per Eugenium IIII. anno Dñi. 1431. obtinuerunt, vt ex se ipsis etiã suos haberent Vicarios Generales & Prouinciales, qui sua comitia celebrarent. Qui & à dicto Cõcilio vocati sunt Fratres Minores Regularis Obseruantiæ, quod & ipsi ab eo tẽpore fecerunt, & statutis temporibus supradicti Vicarij Prouinciales, celebrabant sua etiam comitia Prouincialia, ad quæ ex quolibet Conuentu, cõueniebat ipsius Guardianus & vnus discretus à Fratribus electus, qui postea in dicto capitulo constituti, è supradictis Guardianis & Vocalibus siue discretis, eligebant vnũ qui Discretus discretorum dicebatur, pro eo quod nomine omnium discretorum Prouinciæ, deferebat votum & vocem ad Generale Capitulum proxime celebrandũ, pro electione Vicarij Generalis supradicti, eligendi pro Fratribus reformatis, seu Regularis obseruantiæ, atque interdũ Ministri Generalis, eligendi pro toto Ordine. Durauit hoc vsque ad annum 1517. vbi Leo X. decreuit & statuit, vt sigillum totius nostri Ordinis, vniuersaliq; gubernatio Religionis Seraphici Patris nostri Francisci, omninò esset apud Fratres Obseruantes, ac voluit quod Vicarij Generales & Prouinciales Obseruantium verè essent, & propriè Ministri & Prælati totius nostræ Religionis, dicerenturque ipsi Ministri Generales & Prouinciales, Conuentuales autem dicerentur Magistri. Quo etiam tempore statutum fuit, vt Discreti discretorũ mittendi ad Generale Capitulum, qui ante eligebantur ab Obseruantibus & Reformatis, ab eo die essent & dicerentur veri custodes, secundũ nostram Regulam, eo fine & animo, vt sicut sigillum totius Ordinis transierat ad Obseruantes, ita & reliqua omnia officia nempe Ministeriatus Generalis & Prouincialatus & Custodiatus, quæ continentur in dicta Regula, omninò essent ac remanerẽt inter Fratres Minores Obseruantes, siue Regularis Obseruantiæ, vt latius constat ex Bulla vnionis, quæ habetur in supplem. Ordinis fol. 29. cõc. 94. Ex dictis superque satis colligitur, quidnam sit respondendum proposito artic. quando quæritur, qui dicantur custodes in nostro sacro Minorum Ordine, sed vt simul habeantur omnia, quæ ad hoc munus & officium spectant, sequentes statuo conclusiones.

Nota quo tẽpore nostri Ordinis Fratres cæperint nominari, fratres Regularis obseruantiæ.

Quo tempore Custodes, cæperint vocari discreti discretorum, mittẽdi ad Generale Capitulum.

Quo tempore sigillũ & gubernatio totius Ordinis, à Cõuentualibus translata est ad obseruantes.

Prima Conclusio.

Quinam dicebantur Custodes olim, in nostro sacro Minorum Ordine.

CVstodes in nostro sacro Minorum Ordine dicebantur olim, qui præsidebant custodijs, & sub se & sua iurisdictione habebant aliquos Guardianatus, in certo aliquo districtu, & Ministris Prouincialibus subijciebantur, habebantque vocem & votum ex Regula, in electione & depositione Generalis Ministri. Hæc conclusio satis constat ex supradictis neque maiori alia indiget probatione. Solum oportet aduertere, quod vsus prædictarum Custodiarum, iam fere in toto Sacro nostro Ordine diffueuit post reformationem. Nam cum olim nulla esset Prouincia, quæ vnam vel plures non haberet Custodias, pauciſſimæ & rariſſimæ iam sunt, in quibus aliqua custodia reperiatur, neque credo quod hodie sit in consuetudine positum, etiamsi aliqua reperiatur Custodia, quod ipsius Custos, post Bullam vnionis deferat votum ad Capitulum Generale, ad electionem Generalis Ministri, sed ad hoc alius eligitur, iuxta formam ibidem traditam, qui dicitur Discretus Discretorum, seu Custos Custodum, ad id electus ab omnibus Vocalibus, in Capitulo Prouinciali, eo modo, quo statim dicetur in sequenti Articulo. Sed in casu quo reperiantur nunc aliquæ Custodiæ in nostro Sacro Ordine, non erit ab re, quærere, atque inuestigare, an prædicti Custodes, sint propriè & verè Prælati? Cui difficultati, respondeo sub distinctione, per sequentem conclusionem.

nostro sacro Minorum Ordine.

Secunda Conclusio.

In illis Prouincijs in quibus actu sunt Custodiæ, earum Custodes sunt veri Prælati de facto, non verò aliquo sic modo nominantur, & eliguntur, vt ad Cap. Generale mittantur.

SI reperiãtur aliquæ Prouinciæ hodie, in quibus sint actu Custodiæ, secundum antiquum morẽ, illarum Custodes verè & propriè sunt Prælati, in alijs verò vbi actu non sunt Custodiæ, sed eliguntur Custodes nomine tantum, vt mittantur ad Generale Capitulũ huiusmodi non sunt verè & propriè Prælati in actu exercito, quamuis aliqualiter dici possint tales in actu signato. Hæc conclusio quoad primam partem, satis de se patet ex supradictis, cum habeant ipsi ordinariam iurisdictionẽ, & animarum curam, & plures Fratres & Guardianatus qui sibi subduntur, & quibus præsunt actu. Quoad secundam verò partem, probatur quod dicti Custodes qui modo eliguntur mittendi ad Generale Capitulum, quantum ad actum exercitum non sint veri Prælati, quod exinde patet, quia nullam habent animarum curam neque actualem iurisdictionem, cum vt supponitur nulla ibidem sit actualis Custodia cui præsint actu. Possunt tamen dici aliqualiter Prælati in actu signato, quia habent iurisdictionem quasi habitualẽ. Quod si quæras, quid sit habere iurisdictionem quasi habitualem, & Prælaturam in actu signato? Respondeo nihil esse aliud, quam habere in se dispositionem & sufficientem titulum, sine vlteriori prouisione, siue institutione, ad gubernãdas oues, in casu, quo in dicta Prouincia aliqua erigeretur custodia. Et potest adduci exemplũ, de Episcopis Titularibus, qui habent modo suos Episcopatus in terris Infidelium, vt est Episcopatus Salaminæ, & reliqui eis similes, verum est quod quamuis nunc non habeant iurisdictionem actualem, habent tamen illam habitualem, ad hunc sensum, quod si contingat quod Infideles suorum Episcopatuum conuertantur ad fidem, ipso facto absque noua institutione, & prouisione habebunt actualẽ iurisdictionem in ipsis. Idem etiam dicere possumus de

Summo

Summo Pontifice, qui quamuis actu modo non habeat iuriſdictionem in infideles in illis partibus exiſtentes, habet tamen illam habitu, ad hunc ſenſum, quod ſi conuertantur, ſtatim poterit exercere in eos plenitudinem ſuæ poteſtatis, cum ſit vniuerſalis Paſtor & Prælatus totius Eccleſiæ. Eodē igitur modo philoſophari poſſumus de ſupradictis Cuſtodibus, qui eliguntur modo in noſtra obſeruantia vt deferant votum ad Cap. Generale, quod hac ratione loquendo licèt actualem iuriſdictionem modo non habeant, habent tamen illam habitualem: nam ſi in Prouincia Cuſtodia aliqua erigeretur, eo ipſo haberent actualem iuriſdictionē in ipſa. Ex quibus conſtat veritas noſtræ concluſionis, & qualiter ſupradicti Cuſtodes, ſint & eſſe poſſint Prælati in actu ſignato, non verò in actu exercito, quia habent iuriſdictionem, non actualem ſed quaſi habitualem. Quod amplius conſtat, ex determinatione Leonis X. in ſupradicta Bulla Vnionis, vbi decreuit quod Diſcreti diſcretorum qui eliguntur in obſeruantia, ſint veri Cuſtodes ſecundum noſtram Regulam. Vnde cum munus & officium eorum ſecundum eandem Reg. non ſolum ſit habere votum & vocem in electione ſiue depoſitione Generalis Miniſtri, verum etiam & habere ordinariam iuriſdictionem & poteſtatem in ſibi ſubditos, vbi eſt aliqua actualis Cuſtodia, manifeſtum eſt, quod eo ipſo quo eliguntur ſupradicti Cuſtodes, datur ſibi vtraque poteſtas ſiue facultas, non ſolum habendi votum & vocem in Generali Capit. verum etiam regendi, & gubernandi Cuſtodiam, ſi aliqua erigatur in Prouincia, quæ quidem iuriſdictio cum non ſit actualis, vbi nulla eſt actualis Cuſtodia, dicenda eſt habitualis, & non in actu exercito ſed in actu ſignato. Sed ſi quæratur in caſu quo ſit aliqua actualis Cuſtodia, quanta ſit iuriſdictio prædicti Cuſtodis in ipſa? Reſpondetur, per ſequentem concluſionem.

Tertia Concluſio.

Quænā ſit iuriſdictio Cuſtodum, vbi actu modo eſt aliqua Cuſtodia?

POteſtas Cuſtodis vbi actu modo eſt aliqua Cuſtodia, omninò eſt eadem cum poteſtate Prouincialis Miniſtri, in tota Prouincia, in quibus ſupradicti Cuſtodes non ſunt ſpecialiter prohibiti. Hęc concluſio eſt certa & manifeſta, cum vt dictum eſt ſint ipſi proprij & verè Prælati. Si verò quæratur quænam ſint illis ſpecialiter prohibita? Reſpondeo & dico, quod in foro cenſcientię, ſunt ab illis reſeruati caſus, qui communiter dicuntur Prouincialium, qui ſunt num. 14. de quibus dicemus ſtatim ſuo proprio loco. In foro verò exteriori prohibentur etiam illis omnes caſus enormes, & pro quibus infligenda eſt pœna carceris, vt conſtat ex Conſtitutionibus antiquis Barchinon. cap. 6. §. Capitulum Generale, verſiculo omnes. Si tamē quæratur, an prædicti Cuſtodes, viſitare poſſint Conuentus ſibi commiſſos vt Prouinciales? Reſpondetur quod ſic, neque id vllo modo eſt ſibi prohibitū quin verò ſpecialiter conceſſum. Nam cum ſint veri Prælati vt ſupponitur, & habeant oues, & actualem iuriſdictionem, iure naturali, diuino & humano, tenentur viſitare ſibi ſubditos, vt expreſſe tenet D. Tho. 2. 2. q. 82. art. 2. & ibidem Caietanus, & Cordub. ſupra noſtram Regul. cap. 10. Neque his obſtat, quod in eadem Reg, dicatur, quod Miniſtri viſitent & moneant Fratres ſuos, quibus verbis datur intelligi, quod actus viſirandi, conuenit dumtaxat Miniſtris, non verò Cuſtodibus. Nam reſpondetur, quod ibi Miniſtrorum nomine, comprehenduntur etiam Cuſtodes, qui ſunt veri Prælati, & habent iuriſdictionem non ſolùm localē vt Guardiani, verum etiam quaſi Epiſcopalem, cum præſint multis Guardianis, & ſint ipſorum ordinarij Prælati. Et ſi quæratur, an præfati Cuſtodes poſſint celebrare cap. Cuſtodiale? Reſpōdetur etiā quod ſic dummodo non ſit Capitulum in quo ſit eligendus Cuſtos, nam in tali caſu ad Miniſtrum Prouincialem pertinebit tale Capitulum celebrare, vt tenet communis praxis & conſuetudo, & idem habetur in noſtris Conſt. Gene. Tolet. cap. 8. §. de Capitulo Prouinciali, quod Prouinciales Miniſtri celebrare non poſſunt Capitulum, in quo eligendus eſt Prouincialis, niſi præſente Miniſtro aut Cōmiſſario Generali. Si verò in dicto cap. non ſit eligendus Cuſtos, ſed celebretur ad agēdum de alijs negocijs, ad Cuſtodiam pertinentibus & ſpectantibus, poterunt prędicti Cuſtodes illud celebrare, vt expreſſe colligitur ex noſtra Reg. ca. 8. in illis verbis, *poſt Capitulum Pentecoſtes, Miniſtri Cuſtodes poſſint ſinguli ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis Cuſtodijs ſemel Fratres ſuos ad Cap. cōuocare.* Vbi notanda & ponderanda ſunt verba illa, *poſſint ſinguli ſi voluerint.* Ex quibus conſtare videtur, quod nō ſolùm Prouinciales verum etiam & Cuſtodes, poſſunt capitulum celebrare. Et nomen Cuſtodia in dicto loco, non ſolùm ſignificat id quod ſonat, nempe deſtrictum in quo præeſt aliquis cuſtos, verum etiam & Prouinciam, quæ reſpectu Prouincialium etiam dicitur cuſtodia. Aduerto tamen, quod in dicto capitulo cuſtodiali, non poterunt inſtitui Confeſſores nec Prædicatores, neque Guardiani, niſi modo aliquid habeatur aliter ordinatum, & niſi ad id habeatur facultas Apoſtolica, nam prædicta onia pertinent ad Prouinciales, & ad Diffinitores congregatos in Capituio Prouinciali.

Quæuā ſint dictis Cuſtodib⁹ conceſſa, quæ vero prohibita?

ARTICVLVS II.

Quonam modo nunc ſit eligendus Cuſtos Cuſtodum, qui & alio nomine dicitur Diſcretus diſcretorum, mittendus ad Capit. Generale?

Prima Concluſio.

Quo tempore eligendus ſit Cuſtos Cuſtodum.

CVſtodum Cuſtos, eligēndus eſt in Capitulo Prouinciali, præcedente ad Capitulum Generale, vel in congregatione habente vim Capituli. Hæc cōcluſio habetur expreſſa, in noſtris Conſt. Tolet. cap. 7. de Electionibus. §. de Cuſtodibus ad Capitulum Generale. Idem fuit inſtitutum in Capitulo Generali Romano, habito anno 1571. Electio autem facienda eſt, per ſcrutinium eo modo quo & cæteræ electiones, tempore quo Præſidi Capituli viſum fuerit accommodatum.

Secunda Concluſio.

De alio Cuſtode eligendo, quando Prior fuerit impeditus, & qualiter id fieri debeat?

SI prædictus Cuſtos fuerit impeditus, quominus ire poſſit ad Capitulum Generale, ipſo facto vacat eius officium & ab ipſo ſit abſolutus, & eligendus eſt alius, à Prouinciali & Diſcretis Prouinciæ ſimul congregatis per ſcrutinium. Hæc Concluſio habetur in ſupradictis Conſtitutionib. Generalib. vbi ſupra. Sed dubitare poteſt quiſpiã, an ſi per mortem vel per longam abſentiam vacauerit cuſtodiatus, id ipſum ſit faciendum, poſſintque Prouinciales Miniſtri & Diffinitores extra Capitulum ſeu Congregationem habentem vim Capituli, alium ſibi eligere in Cuſtodem? Cui reſpondetur affirmatiue, nam ſi vt dictum eſt, ex noſtris Conſtit. id facere poſſunt, quandocũque fuerit impeditus, multo ergo melius in caſu mortis, ſeu longæ abſentiæ, iuſta de cauſa facta, hæc enim omnia comprehenduntur impedimenti nomine. Intentio enim Generalis ordinationis fuit, prouidere de Cuſtode in caſu cuiuſcumque vacationis, iuſte, & legitime factæ, & dicitur ibidem, quod qui ceſſante legitimo impedimento, non acceſſerit ad Generale Capitulum, actibus legitimis priuetur per biennium. Quod ſi vlterius quæratur, quiſnam dicatur legitime impeditus? Dico quod non ſolùm ille qui actu habet aliquam ægritudinem, verum etiam qui iudicio medicorum, ex longo itinere habebit periculum vitæ, ſeu grauis cuiuſdam infirmitatis. Similiter etiam dicitur impeditus legitime, qui addictus eſt alicui negocio magni ponderis & momenti, à quo non poteſt dimoueri aut diuerti, ſine nocumento notabili, vt poteſi cuſtos eſſet deſtinatus obſequio alicuius Regis, aut magni cuiuſdam Principis, in quibus caſibus & ſimilibus, procedi debet ad electionem alterius Cuſtodis, ſecundùm noſtras Generales Conſtitutiones etiam extra Capitulum, ſiue Congregationem habentem vim Capituli. Sed oportet vt de impedimento legitimo, ſemper habeatur teſtimonium authenticum, mittendum ad Capitulum, vt ad aliam electionem Cuſtodis poſſit procedi, nam ſi nullum ſit legitimum impedimentum, ex eo ſolo quod quis libere velit renuntiare ſuo Cuſtodiatui, crediderim quod in tali caſu, Prouincialis & Diſcreti non habent facultatem & auctoritatem eligendi alium Cuſtodem, cum electus nullo modo ſit impeditus, quod tenet expreſſe Pater Bobadilla, loco iam pluries citato. Si verò iterum quæratur, quodnam ſit munus & officium ſupradicti Cuſtodis? reſpondeo & ſit tertia Concluſio.

Nota hoc valde.

Nota hoc valde.

Tertia Concluſio.

Quodnam ſit munus & officium Cuſtodis.

MVnus & officium Cuſtodis ſupradicti eſt habere votum & vocem in Generali Capitulo, vt verus & legitimus Vocalis, in electione ſeu depoſitione Generalis Miniſtri. Hæc Concluſio habetur vbi ſupra, vbi etiam dicitur, quod dicti Cuſtodes debent deferre litteras teſtimoniales ſuæ electionis, præſentandas in dicto Capitulo Generali, litteras etiam teſtimoniales, ſubſcriptas à Prouinciali & Diſcretis Prouinciæ & ſigillatas, quibus Prouincia teſtificetur nullam ſe habere viſitam ſiue ſyndicationem, contra Miniſtrum Generalem ſeu eius Commiſſarium vel contra aliquem alium Religioſum. Quod quidem teſtimonium, tenetur Cuſtos publice in Diffinitorio præſentare, quia ſic eſt ordinatum, vt non poſſint Cuſtodes diſſimulare viſitationem à Prouincijs tranſmiſſam, & ſecus facientes ſunt per trienntum actibus legitimis priuati. Idem eſt iudicium, ſi fuerit viſita aut ſyndicatio à Prouincijs, contra prædictos ad Capitulum Generale mittenda.

diſquiad Capitulũ Generale mittitur.

Solum ſupereſt nunc difficultas inueſtiganda, circa durationem prædicti Cuſtodis. Cui breuiter reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Quarta Concluſio.

Quantum duret Cuſtodum ſupradictorũ Officium.

CIrca durationem Cuſtodis, nihil reperitur decretum ſiue determinatum in ſtatutis Apoſtolicis, ſeu Generalibus noſtris Conſtitutionb. ſed ſolùm modo dicitur, vt eligatur in Capitulo proximo Prouinciali, ante Capitulum Generale. Ideòque dicendum exiſtimo, quod ſtando in puncto & apicibus iuris, officium Cuſtodis durat vſque ad Capitulum, in quo eligitur alius Cuſtos, ſicut & officium Prouincialis Miniſtri, non expirat vſque ad electionem ſucceſſoris, nam ad bonam gubernationem conducit, vt in Prouincia ſit ſemper Cuſtos ad omnem euentum. Quæ quidem ſententia, practicata fuit in Comitijs Gener. Tolet. vbi interfuit quidam Doctiſſimus Pater, nomine Porteſius, natione Gallus, qui fuerat olim electus in Cuſtodem ſuæ Prouinciæ, vt iret ad Generale Capitulum Pariſienſe: accidit autem quod in ſua Prouincia propter bellicos tumultus nõ potuit celebrari Prouinciale Capitulum, neque Congregatio habens vim Capituli, vt eligeretur Cuſtos mittendus ad prædicta Comitia Generalia Toletana, quo exiſtente ibi dubitatum fuit, an officium Cuſtodis in eo duraret? & facta conſultatione decretum fuit quod ſic, & quod habebat ſuffragium actiuum & paſſiuum, vt cæteri omnes Vocales & Cuſtodes, in electione Commiſſarij Generalis, & Diffinitorum, & in omnibus actibus Capitularibus. Hoc tradit prædictus Pater Bobadilla, vbi ſupra, quæ pro iſto articulo & tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVAES.

QVAESTIO XIX.

De Guardianis, & his, quæ ad eorum munus & officium ſpectant, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Guardiani in noſtro ſacro Minorum Ordine, ſint verè & propriè Prælati?

Nota quod Guardiani nomen, non reperitur in Regula B. P. N. Franciſci.

RO huius Articuli intelligentia præmitto, quod quamuis Guardiani nomen non reperiatur in Reg. B. P. N. Franciſci, ex teſtamento tamen ipſius, ſatis cõſtat domorum Præfectos, vocatos ſemper fuiſſe Guardianos, per illa verba, quæ ibidem habentur, ab ipſo ſanctiſſimo Patre prolata: *& ego firmiter volo obedire Generali Miniſtro huius Fraternitatis, & illi Guardiano quem ſibi placuerit mihi dare.* Quod & obſeruatum fuit ab inſtitutione Ordinis, vt conſtat ex noſtris Monumentis & Chronocis, necnon & ex Conſtitutionibus antiquis, & ex aliquibus Sũmo. Pontific. Priuilegijs, quæ expreſſam faciunt mentionem de ſupradictis Guardianis. Quare non ſunt audiendi illi, qui dicunt, non eſſe eos appellandos tales, ſed Cuſtodes ſeu Miniſtros Domus, hæc enim omnia ſicut & alia noua ſunt ac nouitatibus plena, proculque proinde releganda. Sed quidquid de hoc ſit, propoſitæ difficultati & Articulo, reſpondetur per ſequentem Concluſionẽ.

Concluſio.

Guardiani in noſtro ſacro Minorum Ordine, vere & proprie ſunt Prælati.

GVardiani in noſtro ſacro Minorum Ordine, & Priores in Ordine Prædicatorum, verè & propriè ſunt Prælati. Hæc concluſio cõſtat in primis ex declaratione Clem. IIII. & Sixti IIII. ſuper hac re facta, quæ habetur in Monum. Ordin. 2. impreſ. fol. 139. & refertur in Compendio verbo *abſolutio, quoad Fratres*, in multis locis, quibus huiuſmodi Præfecti locales, à Sum. Pontif. vocantur Prælati. Id quod & expreſſe declaratum fuit, in Capituli Generali Florent. celebrato anno Domini 1493. vbi ſequentia habentur verba. *Declaratur quod Prælati nomine, intelligitur Generalis & Prouincialis, Cuſtos & Guardianus, ita quod quandocunque in Regula, & declarationibus Summ. Pontif. in ſtatutis & Ordinationibus, continetur aliquid faciendum vel non faciendum, per Prælatum ſiue Prælatos, aut de eorum licentia & conceſſione, intelligitur de aliquo prædictorum, qui ſunt verè Prælati ordinarij, ſi non exprimitur alter eorum, per quem tale quid ſit faciendum, vel non faciendum.* Hæc ibi. Qua de re videatur etiam ſy lueſter verbo *Prælatus*. §. 2. & Summa Angelica verbo, *Delegatus*. §. 3. & Cordub. in annotationibus ad Compendium, verbo, *Guardianus*, quibus in locis habentur plura in confirmationem ſupra poſitæ concluſionis, de qua nulli eſſe poteſt dubiũ, & quod iſti omnes dicuntur habere dignitatem Eccleſiaſticam, & habent ordinariam animarum curam, eſſeq; poſſunt iudices delegati, & habere omnia, quæ non conueniunt, niſi verè & propriè Prælatis.

ARTICVLVS II.

Quonam modo Guardiani ſint eligendi, in noſtro Sacro Ordine Minorũ?

Electio Prælatorum Ordinariorum, ad quos pertinet de iure communi?

RO huius articuli intelligentia præmitto, quod de iure communi electio omnium Abbatum & Prælatorum Regularium, pertinet ad Conuentum & fratres in ipſo conſiſtentes, per maiorum ſuffragiorũ numerum, vt conſtat expreſſe ex ca. *fin.* 16. q. vlti. & c. 1. *de elect. c. cum dilectus de conſuetud. c. nobis de iure patron.* Qua de re videndus eſt Nauar. in cap. *nullã.* 18. q. 2. comment 3. de Regul. num. 2, ſed tamen pro meliori gubernatione, multoties in Religionibus contrarium auctoritate Apoſt. reperitur conſtitutum, vt ſcilicet Guardianorum, Priorum ſiue Præfectorum localium prouiſio, non fiat per electionem Conuentus, ad euitandas multas rixas, contentiones, diſcordias, & diuiſiones, ſed per Diffinitores, ſiue diſcretos Prouinciæ, in Capitulo Prouinciali ſeu Congregatione aliqua conſtitutos, in modum cuiuſdam compromiſſi. Vt autem conſter qualiter hoc fiat, in noſtro ſacro Minorum Ordine, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Deiure ſpeciali, electio Prælatorũ Ordinariorum fit per compromiſſum in Diffinitorio.

Prima Concluſio.

De poſtulatione Guardianorum, in Conuentibus facienda, ante Capitulum ſiue Congregationem.

OMnes Prouinciarum Viſitatores, cum Prouinciam aliquã viſitant, ſimiliter & Prouinciales Miniſtri, ſi velint Capitulum intermediũ celebrare, ſeu Congregationem intermediam, curare debent vt in ſingulis Conuentibus, fiat Guardiani petitio ſeu poſtulatio, per ſcrutiniũ mittenda ad Capitulũ, clauſa & Cõuentus ſigillo munita. Hæc cõcluſio habetur expreſſa, in noſtris Gener. Conſ. Tolet. c. 7. de electio §. de Guardianis, vbi etiã dicitur, quod Miniſtri Prouin. & Diffinitor. in Capitulo cõgregati & cõſtituti, ad quos dicitur pertinere vera Guardianorũ electio, per cõpromiſſum omniũ Prouinciarũ, non eligant Guardianos prædictos, quouſque per eos fuerint apertæ & viſæ omnium Guardianorũ petitiones & poſtulationes, à Cõuẽtibus ad Capitulũ trãſmiſſæ, & quod ſi Conuẽtus petitio fuerit rationabilis & à maiori parte facta, eundẽ eligant, quem Fratres petierint, niſi aliud ſecundum Deum ipſi iudicauerint expedire, nam in eo caſu ille erit verus Guardianus, qui à maiori parte Diffinitorij fuerit electus. Hæc vbi ſupra.

Secunda Concluſio.

Si Guardiani extra Capitu. vacauerint, qualiter faciendaſit electio per Diffinitores.

SI Gardianus extra Capitulum quacunque ratione vacauerit, Prouincialis Miniſter ſi illi expedire videbitur, cum diſcretis Prouinciæ, Guardianum poterit eligere. Hæc etiam concluſio habetur vbi ſupra, id quod & ſtatutum olim fuiſſe dicitur, in noſtro Ordine & Generalibus noſtris cõſtit. ad quod citatur Capitulum Generale Burdegalenſe, & Capitulum Generale etiam Meclinenſe, quorum fit mentio in Enchiridione. fol. 104. & 105. vbi dicitur quod nullus Prælatus per ſe ipſum & ſine diſcretis Prouinciæ, ſecundum antiqua Ordinis ſtatuta, poterit Guardianum aliquem inſtituere, neque in cap. neque extra Capitulum.

Concluſio.

Quod Guardianorum electio poteſt etiã cõmitti Fratribus & Conuẽtui vacanti.

SI prædicta forma eligendi Guardianum, ex aliqua cauſa nõ expediat, poterit Prouincialis Miniſter, committere electionem Guardiani, qui extra Capitulum vacauit, Conuentui vacanti, vt Fratres in illo commorantes ſibi Guardianum præficiant. Ex dictis ſequitur, quod electio Guardiani in noſtro ſacro Minorum Ordine, in Capitulo pertinet ad Diffinitores, extra Capitulũ verò ad Diffinitores, vel ad Conuentum. Hæc Concluſio habetur etiam vbi ſupra, vbi dicitur quod in electione prædicti Guardiani, poterunt ſuffragari & habent votum & vocem, omnes Sacerdotes & Fratres Clerici, in ſacris Ordinibus conſtituti, habentes duos completos profeſſionis annos, & quod habentes has qualitates, niſi propter demerita à ſuffragandi munere non poſſint repelli. Dicitur præterea, quod Guardiani prædicti, in eodem neque in alio Conuentu, vltra triennium non poſſint cõtinuari, niſi prius per annum expletum vacauerint, & quod Miniſtri Prouinciales in eo Capitulo in quo eorum expirat officium nõ poſſint eligi in Guardianos, nec Diffinitores ipſi dum actu ſua munera exercent, hoc eſt à Capitulo, in quo electi ſunt, vſque ad Capitulum ſequens excluſiue, niſi ex diſpenſatione Miniſtri aut Commiſſarij Generalium. Et additur, quod Fratres, qui præſidunt in locis & Conuentibus, in quibus duodecim Fratres ad minus commode viuere poſſunt, appellentur & ſint Guardiani, ſin minus dicantur Vicarij. Hæc vbi ſupra. In calce huius artic. libuit aduertere, quod Clemens. IIII. *decreuit & ſtatuit, vt Guardiani qui ſecundũ noſtri Ordinis ſtatuta aliter, quã per electionem inſtituuntur, poſt ipſam inſtitutionem, ſeu prouiſionem de ipſis factam, curam animarum Fratrum ſibi ſubditorum habeant, ipſoſque ligare ac ſoluere poſſint, iuxta eiuſdem Ordinis inſtituta.* Habetur in Monument. Ordin. 1. impreſ. fol. 65. & 2. fol. 139. conc. 509. & refertur in Compendio Priuileg. verbo *Guardianos.* §. 1. Similem conceſſionem fecit Sixtus Quartus, Prioribus Conuentualibus Fratrum Ordinis Carmelitarum, vt habetur in ſuo mari magno, & refertur in ſupradicto Compendio vbi ſupra. §. 2. Circa quos diuerſos modos eligendi Guardianos, ſiue Præfectos locales, dicit Nauarro in ſuprad. cõmen. 3. de Reg. n 3. quod conuenientiſſimus modus eſt, vt Guardiani, Priores & Abbates Conuẽtuales, non eligantur à ſuis Conuentibus, ſedà Capitulis Prouincialibus ſeu Generalibus, & ab Aſſiſtentibus ibidem, habita ſecreta informatione, de perſonarum omnium qualitatibus, vt euitentur rixæ, æmulationes, contentiones, & ſubornationes, & alia damna ſpiritualia, quæ ex ipſorum Conuentuum electionibus, vt plurimum exoriri ſolent, quod & in Capitulo Toletano, habito anno Domini 1606. de nouo fuit ordinatum, & dicitur quod ſi ad congregãdum Diffinitorium aliqua difficultas ſe obtulerint, Miniſter Prouincialis vſque ad debitum tempus præfidem conſtituat, ſiue aſſignet quod vtilius Capitulum diiudicabit, quã quod per Fratrum ſuffragia fierit electio alicuius Guardiani, & eſt multum notandum ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS III.

De auctorita & poteſtate, quam habẽt Guardiani de iure commun circunſcriptis Priuilegijs.

Qui nam fratres habeant votum, & vocem in electione Guardianorum? Notandum circa Guardianos, & ipſorũ dignationem, & alia. Nota pro Guardianorũ auctoritate.

HIc Articulus proponitur ad inueſtigãdum, quid poſſint ſupradicti Guardiani, ſecundum iuris communis diſpoſitionem, ſecluſis & circumſcriptis omnibus Priuilegijs? An ſcilicet habeant plenitudinem poteſtatis, circa ſibi ſubditos, eo modo quo & Prælati Generales & Prouinciales? & ratio dubitandi eſt, nam cum ipſi verè ſint Eccleſiæ Prælati (vt dictum eſt) conſequenter perinde dicendum videtur, quod omnem poteſtatem habent de iure naturali & diuino, circa oues ſibi commiſſas, quam habent alij Prælati & Superiores, in quibus non ſunt à iure ſpecialiter prohibiti. Sed nihilominus in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Prima Concluſio.

Guardiani, & Præfecti locales de iure communi, non habẽt tãtam auctoritatem quantam Generalis & Prouincialis, quamuis verè ſint Prælati.

GVardiani & Priores, & cæteri Prælati Conuẽtuales, quamuis verè ſint Prælati, non habent tantam plenitudinem poteſtatis circa ſibi ſubditos, quantam alij Prælati Generales & Prouinciales. Probatur hæc Concluſio: nam cum prædicti Prælati locales, ſubdantur Prælatis Generalibus & Prouincialibus, ab ipſo iure eorum iuriſdictio limitatur & coarctatur, vt non habeãt iuriſdictionem Epiſcopalem, nec illam plenariam poteſtatẽ quam habent Epiſcopi, neque exercere poſſint actum vllum pertinentem ad ſupradictam poteſtatem, quod & probatur à ſimili. Nam ſicuti Archipresbyteri & plebani, quibus per omnem modum aſſimilantur Guardiani, & Priores & cæteri præfecti locales, ex eo quod ſunt Epiſcopis inferiores, quamuis verè ſint Prælati, non poſſunt maiora negotia per ſe abſoluere, quæ poſſunt Epiſcopi, quin verò eorũ iuriſdictio coarctata & limitata eſt à iure, vt conſtat exc. *fin. de off. Archipreſb.* & ea lege præſunt plebibus vt cũcta ad Epiſcopos referãt neque aliquid contra ipſorum decretũ præſumãt ordi-

ordinare, quo loco dicit Gloſſa, *verbo referat*, quod minora negotia ipſe Archipresbyter determinet, quia habet iuriſdictionem ordinariam, maiora vero ad Epiſcopum referat, ita & in propoſito prædicti Guardiani & Priores, & cæteri Præfecti Locales. cum ſint Prælatis generalibus, & Prouincialibus inferiores, iuriſdictionem ſuam præciſam determinatam, ſiue coarctatam habent à iure, vt per ſe ipſos non poſſint, niſi tantum minora determinare, maiora vero ad Prælatos ſuperiores referant, qui habent iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem. Nec dictis obſtat decretum Pelagij Papæ, *in cap. nullam* 18. *q.* 2. aſſerentis, & dicentis, quod tota poteſtas Conuentus ad Abbatem pertinet, nam dicendum eſt, quod illud decretum intelligi debet, de Abbatibus non recognoſcentibus ſuperiorem, præter Papam, ſeu de Abbatibus iuriſdictionem habentibus Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem, quales olim erant multi in ordine Sancti Benedicti, quinvero & ſunt hodie, qui præſentantur á Regibus, & præficiuntur à Summo Pontifice cui ſubſunt immediatè, & hi dicuntur Prælati maiores, quæ ratio non currit in Guardianis, & Prioribus, & cæteris Præfectis localibus. Si vero quæratur, quæ ſunt illa minora, quæ Guardiani poſſunt ex iure, quæ vero illa maiora quæ non poſſunt, ſed tenentur ea ad ſuperiores remittere? reſpondeo, & ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Quænam poſſint Prælatiordinarij, de iure communi?

GVardiani ex iure poſſunt omnia, quæ pertinent ad obſeruantiam Regularis diſciplinæ, & quæ ſpectant ad ordinariam ſuorum Conuentuum gubernationum, pro quibus poſſunt ſibi ſubditos, obedientia & cenſuris cogere. Nō vero poſſunt ea quæ pertinent ad iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem, qualia ſunt licentiare ad ſacros ordines, inſtituere Prædicatores, & Confeſſores, diſpenſare in caſibus, qui ſolum ſunt Epiſcopis, ſeu Prælatis ſuperioribus commiſſi, neque vero abſoluere à caſibus eiſdem reſeruatis, niſi id ſibi ſpecialiter committatur, poſſunt approbare, ſeu reprobare contractus, & alienationes rerū temporalium, grauiora ſupplicia infligere, & id genus alia, quæ ſolum pertinent ad ſuperiores Prælatos. Quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

De auctoritate & poteſtate Guardianorum ex priuilegijs.

Prima Concluſio.

De auctoritate & poteſtate, quā habent Guardiani, ex priuilegijs.

DRiores & Guardiani, & alij Præfecti locales, priuilegium habentes communicationis, ex eiſdem priuilegijs, tantam auctoritatem & poteſtatem habent, circa ſibi ſubditos Conuentuales, quantam Miniſtri Generales in totum ordinem, & Miniſtri Prouinciales in totam Prouinciam, in quibus ſpecialiter non ſunt prohibiti.

Hæc concluſio conſtat primo, ex innumeris priuilegijs conceſſis Religionum Prælatis, quæ habentur in Monumentis ordinis, & referuntur in Compendio, *verbo Prælati, & verbo Guardiani*, & in multis alijs titulis, quibus conceditur auctoritas, ad abſoluendum, & ad diſpenſandum, & ad correctiones & ad alia ſimilia, in quibus apponitur ad marginem, hoc nomen, *Prælati*, ſub quo nomine comprehenduntur, non ſolum Prælati Generales, & Prouinciales, verumetiam Præfecti locales, quales ſunt Priores & Guardiani, vt declarauit Clemens IIII. & Sixtus IIII. vt dictum eſt ſupra in præcedenti articulo. Conſtat etiam eadem concluſio, ex Decreto Iulij Secundi, cuius meminit Priuilegiorum Collector, in Compend. *verbo Guardiani*, §. 4 quo conceſſit, *Quod omnia priuilegia & indulta Apoſtolica, conceſſa ordini Fratrum Prædicatorum, ſpectantia ad Priores Conuentuales dicti Ordinis, pertineant etiam ad Guardianos Conuentuum Ordinis Minorum.* Habetur in Supplem. fol. 3. conc. 222. Quo præmiſſo oportet aduertere, quod auctoritas prædictorum Priorum Conuētuum ordinis Prædicatorum, ita magna eſt, vt pārificetur, ſeu potius æqueturauctoritati, Priorum Prouincialium, vt dicit prædictus Collector loco ſupra citato, conſtare ex matrimagno Ordinis prædicti, & ex multis aliis priuilegijs, eidem ordini conceſſis, arquita concludit ſupradictus Collector, quod virtute ſupradictæ conceſſionis Iulij II. poterunt Guardiani, vti omnibus priuilegijs, conceſſis Prioribus Fratrum Prædicatorum, ſaltē in quantum non fuerit eis per Superiores reſtrictum, de quo ſtatim dicemus. Et quamuis idem Collector in alio loco, *verbo abſolutio quoad fratres.* §. 7. videatur coarctare auctoritatem prædictam, Priorum, & Guardianorum, ad ſolos Priores & Guardianos Lombardiæ, & Caſtellæ, hoc eſt intelligendum virtute illius conſtitutionis ſpecialis de qua ibi. At virtute communicationis priuilegiorum ad omnes extenditur Guardianos & Priores, vt dictum eſt de mente ipſius Collectoris, attenta dicta Conſtitutione Iulij II. Vnde corrigendus eſt prædictus Collector, in eo quod dixit in alio loco *verbo abſolutio quoad Fratres circa finem, in primo dubio*, nempe quod poteſtas abſoluendi & diſpenſandi, conceſſa Prælatis per priuilegia, hodie ſolum manet in Generalibus, Prouincialibus, & Cuſtodibus, nam addendum erat, quod etiam manet in Guardianis, vt optime adnotauit Corduba, *in annotationibus ad dictum Compendium, verbo abſolutio ordinaria quoad Fratres*, quinvero idem Collector videtur ſe correxiſſe, poſtea in multis locis, præſertim *verbo Guardianus, in dicto* §. 4. Atque ita certiſſima eſt ſuprapoſita noſtra concluſio, qua diximus, quod virtute Priuilegiorum habent Guardiani prædicti ita plenariam auctoritatem circa ſibi ſubditos, ac Generalis in toto ordine, & Prouincialis in tota Prouincia in ijs, quibus eorum poteſtas non eſt limitata, & coarctata. In quibus rebus ea ſit limitata & coarctata, dicetur inferius. Dicamus modo, an prædictorum Guardianorum & Priorum poteſtas, ſit ordinaria an vero delegata? De quo ſit ſecunda Concluſio.

(?)

Secunda Concluſio.

Poteſtas Guardianorum & Præfectorũ localium, eſt ordinaria & nõ delegata.

PRædictorum Guardianorum, atque Priorum, ſiue Præfectorum localium poteſtas, eſt ordinaria & non delegata. Probatur hæc concluſio, à definitione iudicis ordinarij & etiam delegati. Nam Iudex ordinarius eſt & dicitur ille, qui ſuam habet auctoritatem beneficio legis & non immediate ab homine, vt docent omnes communiter ſcribentes & Gloſſa *in cap. cum ab eccleſiarum, de offic. iudic. ordin. verbo Eccleſia, in fine*: at vero delegatus dicitur, qui vices alterius gerit ex commiſſione & nõ ex lege, vt colligitur ex iure *in rubrica de offic. dele. & ex l. 1. ff. de offi. eius cui man.* ſed prædicti Guardiani & Priores, habent ſuam iuriſdictionem & poteſtatem beneficio legis, & non ſolum ex commiſſione: ergo eſt ordinaria, & non delegata. Quod & confirmatur, nam quamuis eorum iuriſdictio, eſſet ſolũmodo ex commiſſione, cum tamen commiſſio prædicta ſit perpetua, cenſetur quaſi ordinaria, vt tenẽt omnes communiter ſcribentes, & apprime, atque docte notat, & tractat Collector Priuilegiorum, in Compendio, *verbo abſolutio ordinaria quoad Fratres dubio ſecundo.*

Quiſnam dicatur iudex ordinarius, quis verò delegatus.

ARTICVLVS V.

Vtrum Capitulum generale, ſeu Prouinciale, reſtringere, limitare, & coarctare potuerint, ordinariam Guardianorum, & Priorum auctoritatẽ, ſiue iuriſdictionem?

Concluſio.

Capitulum generale & Prouinciale, bene poſſunt limitare Guardianorũ iuriſdictionem.

CApitulum generale, quin vero & Prouinciale, bene poſſunt limitare, reſtringere, & coarctare ordinariam Guardianorum & Priorum auctoritatem & iuriſdictionẽ, & tollere ab eis vſum aliquorũ priuilegiorũ, ſi in id habeãt à Sede Apoſt. licentiã & permiſſionem. Hæc concluſio probatur, primo ex facto, nam videmus quod in Conſtitutionibus olim Barchinonenſibus, & Toletanis, hodie ſunt limitati, & reſtricti plures caſus, & prohibiti Guardianis, qui ſibi poterant competre & de facto competebant ex priuilegijs, & ſolummodo Miniſtris Prouincialibus & generalibus eſſent reſeruati, quæ quidem prohibitiones & reſeruationes, cum fuerint factæ auctoritate Apoſtolica, ſunt proculdubio validæ. Quod tamen facere non poſſent Generalis & Prouincialis, nec prædicta Capitula generalia, aut Prouincialia, ſi in id non haberent Apoſtolicam auctoritatẽ, nec tollere à prædictis Guardianis & reliquis Prælatis, vſum prædictorum priuilegiorum Apoſtolicorum, cum certum ſit, quod minores non poſſunt tollere aut abrogare, quod factũ & geſtum eſt à maioribus niſi in caſu quo ipſi Guardiani & Fratres abuterentur eiuſmodi priuilegijs. Tunc enim certum eſt de iure, quod bene poſſent eorũ vſum ſibi ſuſpendere, interim dum ſedes Apoſtolica conſulitur, vt latius infra dicemus cum agemus de priuilegijs, nam iuxta commune dictum, *Priuilegium meretur amittere, qui male ſibi tradita, vtitur poteſtate.* Nec valet dicere, quod inferior non poteſt tollere, quod conceſſum fuerit à ſuperiore, iuxta communem regulam, nam dico, quod prædicta regula, habet verum, quando priuilegiũ tollitur contra voluntatem concedentis, aut etiã contra voluntatem illius, cui conceſſum eſt: at in caſu propoſito vtrumque deficit, nam primo iam ſupponitur, quod eiuſmodi limitatio & coarctatio fuit facta ex voluntate, licentia & permiſſione Sũmi Pontificis, & de ipſius auctoritate, & licentia expreſſa, & ad hoc forſan ſufficeret præſumpta, vel interpretatiua: ſecundo, quia neque hoc factũ fuit contra voluntatem eorum, quibus eiuſmodi priuilegia ſunt conceſſa, nam omnes Fratres compromittunt in Capitula generalia & Prouincialia, vt faciant & diſponant pro ſuo arbitrio & voluntate (ſed rationabiliter) de omnibus, quæ pertinẽt & ſpectant ad bonum regimen totius ordinis, ſiue illud ſit circa priuilegia conceſſa, ſiue vero circa quodcumque aliud. Quo fit, vt ex voluntate ſaltẽ interpretatiua totius ordinis, per Capitula generalia, aut Prouincialia (reſpectiuè) Prælatorũ quorumcumque poteſtas & iuriſdictio, potuerit & poſſit reſtringi, limitari, & auferri ab eis vſus quorũcumque Priuilegiorum. Vnde Guardiani, & cæteri Præfecti, tenentur abſtinere ab vſu eorum Priuilegiorum, quæ per Capitula generalia, aut Prouincialia ſunt ſibi prohibita, nam contrarium faciẽdo peccabunt mortaliter. Vt tamen certo ſciri poſſit, ac præmanibus haberi, quænam ſint prædictis Guardianis, per noſtras generales Conſtitutiones prohibita, ſequens inſtituitur Articulus.

ARTICVLVS VI.

Quænam ſint prohibita Guardianis, ex noſtris generalibus Conſtitutionibus?

Concluſio.

Quæ ſunt prohibita Guardianis, per noſtras Conſtitutiones generales.

QVamuis Guardiani ex priuilegijs, plenariam habeant auctoritatem, & poteſtatem, circa ſibi ſubditos, illa tamen per multa Capitula generalia, & Prouincialia, & ipſorum Conſtitutiones, eſt reſtricta, & limitata, à quibus proinde Guardiani omnino debent abſtinere. & ſunt quæ ſequuntur, quamuis de eis non poſſit certa tradi regula aut certa lege definiri, cum hoc pendeat ab ſtatutis humanis, quę quotidie variantur, ſecundum varia atque diuerſa tempora.

Primo prohibentur Guardiani, recipere Nouitios venientes ad Ordinem, ſine expreſſa auctoritate & licentia Miniſtrorum Prouincialium, & receptio, atque profeſſio aliter facta, eſt nulla & inualida, cum fuerit auctoritate illius, qui non habebat poteſtatem recipiendi, & incorporandi ad ordinem. Habetur in Conſtitutionibus generalibus Toletanis, capite primo, §. de receptione ad Ordinem.

Secundo prohibentur, abſoluere ſeu diſpenſare cum venientibus ad ordinem, virtute conceſſionis factæ

factæ à Clemente IIII. & in eiſdem Conſtitutioni bus inſertæ, niſi in tribus caſibus ibidem expreſſis. Habetur vbi ſupra, §. de abſol. Nouitiorum. Sed aduertendum eſt, quod Guardiani virtute alterius cõceſſionis, factæ à Iulio II. de qua diximus ſupra, auctoritatem & poteſtatem habent, ad abſoluendum à cenſuris, & diſpenſandum cum venientibus ad ordinem, in quibuſcumque irregularitatibus, ſicut Prouinciales.

Tertio prohibentur, præſtare licentiam ſibi ſubditis iuuenibus, vt ordinentur. Habetur in dictis Conſtit. cap. 1. §. de ordinandis.

Quarto prohibentur debita facere, & Syndicũ conſtituere & aſſignare, & permittere vt pecunia recipiatur domi. Habetur vbi ſup. cap. 3. §. de pecunia, & §. de Syndico.

Quinto prohibentur Guardiani & reliqui Prælati, Miſſas pro libris commendare alicui Religioſo ſubdito, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Habetur vbi ſupra cap. 3. §. de Miſſis.

Sexto prohibentur ædificium ſumptuoſum vel notabile conſtruere, vel deſtruere, ſine licentia & diſpenſatione Prouincialis Miniſtri, Habetur vbi ſupra, cap. 3. §. de ædificijs.

Septimo prohibentur diſtribuere libros, & ſupellectilia precioſa, & res magnæ æſtimationis Fratrum decedentium, nam hoc reſeruatur Prouincialibus Miniſtris. Habetur vbi ſupra capit. 3. §. de libris.

Octauo prohibentur, dare licentiam infirmis Fratribus, vt curentur in domibus ſecularium, niſi ex magna, & vrgenti cauſa, iudicio Prouincialis Miniſtri determinanda. Habetur vbi ſupra capi. 4. §. de infirmis.

Nono prohibentur arbores euellere, ſeu ſcindere, ſine conſenſu & licentia Prouincialis Miniſtri obtenta in ſcriptis, ſub pœna priuationis actuum legitimorum per biennium, Miniſtris vero Prouincialibus præcipitur, vt non concedant ipſam, ſine aſſenſu Diſcretorum Conuentus. Habetur vbi ſup. cap. 4. §. de arborum inciſione.

Decimo prohibentur Confeſſores Fratrum inſtituere, nam hoc reſeruatur Prouinciali Miniſtro. Habetur vbi ſupra capite quarto. §. de Confeſſoribus Fratrum.

Vndecimo prohibentur, mittere Fratres extra Prouinciam, quin vero ex conſuetudine non poſſunt Guardiani mittere ſuos ſubditos extra Guardianatum, niſi pro negotijs domus, ſiue Conuentus. Habetur vbi ſupra capite quinto, §. de Diſcurſibus.

Duodecimo prohibentur Guardiani, in præſentia Prouincialis Miniſtri præſtare licentiã ſibi ſubditis, ad equitandum, ſiue deferendum burſarium in via. Habetur vbi ſupra capite quinto, §. de non equitando.

Tertiodecimo prohibentur, dare licentiam ſibi ſubditis, ad accedendum ad Monaſteria Monialiũ, etiam ad loca vbi ſeculares accedunt. Hæc vbi ſupra cap. 5. §. de Monaſterijs Monialium. Hoc autẽ eſt intelligendum quando fit ſine iuſta & legitima cauſa, nam cauſa prædicationis, & eleemoſynæ petendæ, & ſimilium, non eſt dubium quod poſſunt Guardiani licentiare ſuos ſubditos & hoſpites, & ſe ipſos, imo eandem licentiam poſſunt præſtare ſupradictis, quacumque alia exiſtente licita & honeſta cauſa, veluti ſi quis haberet ſorores Moniales, vel occurreret negotium arduum, & magnæ charitatis, in quibus caſibus, non eſt dubium, quod nulla ſit facta prohibitio, nec per regulam, nec per Summos Pontifices, ſed ſuam vim & robur habet explicatio & declaratio Sixti IIII. poſita in Compendio, *verbo accedere ad Monaſteria Monialium*, §. 11. quæ habetur originaliter in Monum. ordin. 2. impreſſ. fol. 69. conceſſ. 142. & in Supplement. fol. 10. conceſſion. 388.

Quartodecimo prohibentur, ne poſſint inſtituere Prædicatores & Confeſſores ſecularium, vel eos præſentare auctoritate propria, nec permittere, vt antequam Confeſſores quadraginta annos compleant, mulierum confeſſiones audiant, nec poſſunt præſtare licentiam Auctoribus librorum, vt eos imprimant. Habetur vbi ſupra cap. 5. de prædicatoribus, & §. de auctoribus librorum, & §. de Confeſſoribus ſecularium. Quibus omnibus in locis, ſupradicta omnia Prouincialibus Miniſtris reſeruantur.

Quintodecimo prohibentur recipere ad ordinẽ Tertiarios viros, & mulieres, ſub pœna priuationis actuum legitimorum. Habetur vbi ſupra capi. 5. §. de Tertiarijs. Sed iam hoc eſt immutatum, vt diximus ſupra & in hoc eſt ſtandum.

Decimo ſexto prohibentur, viſitare ſuos Conuentus, ad modum quo eos viſitant Prouinciales, nam hoc ipſis dumtaxat conceditur. Habetur vbi ſupra cap. 6. §. de Viſitatione.

Decimo ſeptimo prohibẽtur, aliquẽ Religioſum carceri mancipare ſine habitu, non tamen prohibentur aliquem reum, in loco carceris includere, atque ſi opus fuerit catenis conſtringere, & etiam prohibentur reos actibus legitimis priuare, aut aliquam grauiorem pœnam infligere, nam graviores pœnæ ad ſolos Miniſtros Prouinciales reſeruantur, poſſunt tamen ſuſpendere, & excommunicare. Habetur vbi ſupra capit. 5. §. de pœna carceris.

Decimo octauo prohibentur excommunicare, in tribus caſibus eiſdem ſpecialiter prohibitis, nẽpe ad finem reuelationis, aut pro rebus deperditis ſiue ſubtractis, quia hoc in Concilio Tridentino, ſolis Epiſcopis conceditur, & ſecundum noſtras Conſtitutiones, Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Habetur vbi ſupra cap. 6. §. de pœna excommunicat. Sed circa prohibitionẽ ſupradictam eſt aduertendum, quod illa intelligitur de excommunicatione lata in communi, non vero in particulari, vt ſi Guardianus quiſpiam in communi præceperit id, quod ſolent Prouinciales in ſuis Viſitationibus efficere, quod reuelent ſibi ſubditi, quidquid nouerint emendatione dignum, vel delictum quod aliàs probari non poſſit, vel ſi contigerit crimen aliquod publicum in Conuentu fuiſſe commiſſum, & ignoraretur omnino quiſnam eſſet illius ſceleris patrator, in iſto caſu ſeu caſibus, non poteſt Guardianus præcipere in communi ſub excommunicatione, vt ſcientes reuelẽt ſibi in iudicio eiuſdem ſcelerispatratorem. Et hoc eſt quod dicitur in dictis Conſtitutionibus, quod Guardiani excommunicare non poſſunt, ad finem reuelationis in iudicio. Attamen ſi ſit ſufficiens indicium, aut ſemiplena probatio contra reum, omni proculdubio Guardianus poteſt reum ipſum cogere *Nota valde.*

gere, & teſtes in particulari interrogare per excõ municationem vt veritatem fateantur, quod & ip ſi tenentur efficere. Quantum vero attinet, ad excommunicationes latas pro rebus deperditis, ſeu ſubtractis, quamuis Guardiani ſupradicti, non poſſint præcipere ſub excommunicationis pœna, vt res deperditæ aut furto ſublatæ reſtituantur, quia iſtę excommunicationes reſeruantur Epiſcopis de iure, & Prouincialibus Miniſtris, qui iuriſdictionẽ quaſi Epiſcopalem habent, verum tamen ſi de facto Guardiani idipſum efficerent & excommunicarent, factum proculdubio teneret licet male facerent, quia nulla facta eſt lex prædictas excommunicationes irritans, ſeu annullans. Verum ſecundũ noſtras Conſtitutiones ſi Guardianus aut quilibet alius Prælatus Superior, ſolo verbo præcipiat per excommunicationem latæ ſententiæ, per modum ordinationis vel ſtatuti, vt nullus hanc vel illam rem audeat facere, niſi per ſcriptum illud præcipiat, excommunicatio erit omnino irrita & nulla, vt habetur in dictis Conſtitutionibus vbi ſupra.

Decimo nono prohibentur Guardiani, reſeruare ſibi caſus, vt conſtat ex Compend. *verbo abſolutio ordinaria quoad Fratres.* §. 17. vbi citatur ſtatutum hac de re factum Aſſiſijs, anno 1526. quo ſequentia verba habentur. *Ordinatur, & mandatur auctoritate Apoſtolica, & totius Capituli generalis, quod nullus Guardianus poſsit ſibi aliquem caſum reſeruare, ſed ſolus Miniſter Prouincialis id poterit.*

Vigeſimo prohibentur abſoluere à caſibus reſeruatis, per Conſtitutiones noſtri Ordinis, qui quidẽ caſus & eorum reſeruatio atque prohibitio, habetur vbi ſupra cap. 6. §. de caſibus reſeruatis.

Vigeſimo primo prohibentur, legitimare aliquẽ religioſum, ſeu diſpenſare cum illegitimo, vt habeat Prælaturas intra Ordinem, vt notatur in Cõpendio, *verbo abſolutio ordinaria quoad Fratres, §. 7. in fin.* quia hoc pertinet ad Generales & Prouinciales, vt etiam habetur in noſtris generalibus Conſtitutionibus, vbi ſupra capit. 7. §. de qualitate eligendorum.

Vigeſimo ſecundo & vltimo prohibentur, Moniales exiſtentes intra ſuos Guardianatus gubernare abſque ſpeciali commiſſione, iuriſdictionem in ipſas exercendo. Poſſunt tamen in rebus arduis in abſentia Prouincialis Miniſtri, Abbatiſſas admonere, conſulere, atque dirigere, & ordinare in Cõuentibus Monialium, quæ ſpectant ad pulpitum & conciones, & alia ſimilia. Hæc ſunt quæ de iure noſtrarum Conſtitutionum, Guardianis ſunt prohibita. Solummodo reſtat inueſtigare, an ſupradicta obligent eos in conſcientia? Et ratio dubitandi eſt, nam in dictis Conſtitutionibus, habetur & declaratur, quod per illa, & alia quęcumque ſtatuta, Fratres non adſtringantur ad culpam, niſi aliàs per ius diuinum ſeu humanum ad id fuerint obligati, & niſi in illis caſibus duntaxat, vbi obedientia & cenſuræ fuerint appoſitæ. Sed nihilominus communis eſt reſolutio, quod obligant in conſcientia, & ratio eſt, quia ſupradictæ prohibitiones non ſolum habent vim, ratione ſupradictarum Conſtitutionum, verumetiam ratione vniuerſalis conſuetudinis, quæ nimirum conſuetudo inducit legem obligantem in conſcientia ſecundum omnes, & præcipue tenet illud D. Thom. 1. 2. q. 92. ar. 3. ad tertium, quia conſuetudo eſt ſpecies iuris, vt habetur *In Inſtit. de iure naturali. §. conſtat.* Vnde quamuis in dictis Conſtitutionibus generalibus, declaratum ſit quod nõ obligant ad culpam, quia additum etiam fuit, niſi ratione iuris diuini vel humani, Fratres aliter obligentur, ibi ſub illo diuiſionis membro, *humani*, vniuerſalis comprehenditur conſuetudo. Quod ſi iterum quæratur, an eiuſmodi obligatio ſit ſub mortali, an vero tantùm ſub veniali? Dicitur, quod aliquæ ex dictis prohibitionibus obligabant ſub mortali, aliæ vero tantum ſub veniali. Sub mortali obligabunt illæ quæ concernunt materiam graue, veluti recipere & admittere Nouitios ad Ordinẽ, iuuenes ordinare, Prædicatores & Confeſſores inſtituere, caſus reſeruare, ſeu á reſeruatis abſoluere, niſi in id habeatur ſpecialis commiſſio, conſentum iudicialiter viſitare, Fratres legitimare, carceribus mancipare, Syndicum cõſtituere, Miſſas pro libris ſubditis commendare. Sub veniali vero obligabunt reliqua, quæ ſpectant ad leuem materiam, qualia ſunt arbores euellere, ædificia ſine licentia facere ſiue deſtruere, infirmum aliquem vt curetur extra Monaſterium licentiare. Hæc & his ſimilia, non videntur ad lethalem culpam obligare, ſed tantummodo ad venialem, aut forſan ad pœnã in eiſdem Conſtitutionibus appoſitam, eo quod neque ſunt grauia, nec vergunt in alicuius iniuriam. Supradicta omnia deſumpta ſunt ex generalibus noſtris Conſtitutionibus, & referuntur à ſupradicto P. Bobadilla, & ab alijs patribus.

Nota quod cõſuetudo habet vim legis, & inducit legem obligantem in conſcientia.

An ſupradictæ prohibitiones oblibẽt Guardianos in conſcientia.

Reſolutio.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Guardiani poſsint ſecum diſpẽſare, & licentiam ſibi præſtare, in illis caſibus in quibus illam poſſunt dare ſibi ſubditis, & diſpenſare cum illis.

CIrca hanc difficultatem, Priuilegiorum Collector in Compendio, *verbo accedere ad Monaſteria Monialiũ* §. 13. mouet peculiarem quandam quæſtionem, an generaliter loquẽdo, quæ Prælatus poteſt facere erga ſuos ſubditos, poſſet ſimiliter facere erga ſe ipſum? Quam quidem docte, & curioſe ſatis hinc inde difficultat, & tenere videtur partem negatiuam. Sed nihilominus contrariam omnino ſententiam, tenet Corduba in additionibus ad dictum Compendium eodem verbo, de qua, quia probabiliter apparet, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Guardiani bene poſſunt licentiare ſeipſos, in illis rebus in quibus licentiam poſſunt præſtare ſibi ſubditis.

GVardiani bene poſſunt licentiare ſe ipſos, in illis caſibus in quibus facultatẽ poſſunt præſtare ſibi ſubditis. Hæc concluſio eſt ſupradicti Patris Corduba vbi ſupra, vbi eam multis & efficaciſſimis rationibus comprobat, oſtendendo qualiter eo ipſo quo quis habet auctoritatem ordinariam, vel

vel delegatam ad alios, habet illam in ordine ad ſe. Quod probat ex ſententia Caietani 2.2.q.96. artic.5, vbi ponit hanc magiſtralem regulam, quod qui habet auctoritatem ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis, habet eandem ad diſpenſandum cum ſe ipſo. Quis enim dubitet, quod ſi Guardianus poteſt præſtare licentiam ſubdito vt iuret in iudicio aut quod exeat foras, poterit etiã & ipſe iurare in iudicio & foras exire ſine licentia Prouincia. Miniſtri? Idem dicendum eſt de alijs, &c. Ex quibus infertur, quod Guardiani & Priores poſſunt ſibi eligere Confeſſores vbicumque fuerint, vt conceditur in iure, per *cap. ſin. de pœnitent. & remiſſione.* Prælatis exemptis quamuis ſint ipſis Epiſcopis inferiores, de quorum numero ſunt ſupradicti Guardiani & Priores. Quæ iuris conceſſio eiſdem facta, cũ non ſit illis ablata per aliquam Conſtitutionem, neque per conſuetudinem, manifeſte ſequitur, quod illa vti poſſunt, & quamuis ſint hoſpites nõ indigent licentia ad eligendum Confeſſorem. Videatur ſupradictus Corduba vbi ſupra, vbi ad hoc propoſitum dicit plura eaque notatu digniſſima.

Nota ex Caietano, quod generaliter loquẽdo, qui habet auctoritatem ad diſpenſandũ cũ aliis poteſt etiã diſpenſare cum ſe ipſo.

ARTICVLVS VIII.

De duratione officij Guardianorum, in noſtro ſacro Minorum Ordine.

Concluſio.

Guardianorũ officium, quãtum duret, in noſtro ſacro Minorũ ordi.

GVardiani nunc in noſtro ſacro Minorum ordine, omnes ſunt triennales, expletoque triennio, neque in eodem neq; in alio Cõuentu poſſunt continuari, niſi prius per annum expletum vacauerint. Hæc concluſio habetur expreſſa in noſtris Conſtitutionibus generalibus Toletanis ca.7. de electionibus §. de Guardianis. Circa quam concluſionem venit notandum, quod vt pluries iam diximus, officiorum duratio in noſtro ſacro Ordine magnam olim habuit mutationem. Aliquando enim Guardiani, & Prouinciales, & Definitores, & omnes alij Prælati (præter Generales) fuerunt triennales, poſtmodum vero quadriennales, per Conſtitutionem Pij V. publicatam in Capitulo generali celebrato Romæ Anno Domini 1571. Sed tandem Sixtus V. in alia ſua bulla, ſiue Conſtitutione multoties iam repetita, in quæſtionibus de Prouinciali Miniſtro, & de Definitoribus, & ſæpe alibi, reduxit durationẽ ſupradictorum officiorum ad triennium, iuxta antiquam noſtrorum Statutorum formam, traditam primo à Iulio II. in quadã ſua Bulla, quæ habetur in Monument Ordinis 2. *impreſſione fol.226. conceſſion.* 531. cuius fit mentio in Compendio Priuilegiorum *verbo, officia ordin.* §.2. deinde vero à Leo X. in Bulla, quæ communiter nuncupatur Vnionis, & habetur in Supplemento fol.29. conceſſion.93. & refertur in dicto Compend. verbo, vbi ſupra §.3. Et hoc eſt quod obſeruatur hodie in communi praxi, & Guardiani expleto ſuo triennio, nec in eodem Conuentu, nec in alio continuantur, aut continuari poſſunt, niſi per annum etiam expletum vacauerint. Et hæc de iſto articulo & tota quæſtione dicta ſufficiant.

(*)

QVAESTIO XX.

De Vicarijs Conuentuum, & his, quæ ad ſuum munus & officium ſpectant, in duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum Vicarij Conuentuum, ſint vere & proprie Prælati?

Nota quod Vicarij nomen multipliciter ſumitur, apud nos Fratres Minores.

PRO huius Articuli intelligentia, & vt certa ab incertis ſeparemus, aduertere oportet, quod ſecundum noſtras generales Conſtitutiones, Vicarij nomen multipliciter ſumitur. Quandoque enim Vicarij dicuntur, Guardiani qui præſunt Conuentibus, vbi non ſunt duodecim Fratres, vt habetur in cap.7. §. de Guardianis in fin. Interdum vero dicuntur Vicarij, qui apponuntur in aliquo conuentu Guardiano emortuo, aut propter longã eiuſdem abſentiam à Prouincialibus, qui & alio nomine dicuntur Præſidentes. Et tandem ſunt & dicuntur Vicarij, qui communiter conſtituuntur á Guardianis, vt vicem eorum gerant (id quod & ſonat nomen ipſum Vicarii) & vt adiuuentur eorum miniſterio, in rebus tam ſpiritualibus, quam temporalibus, de quibus omnibus longe alia, atque diuerſa eſt ratio, ſicque vt omnis tollatur ambiguitas, propoſito articulo & difficultati reſpondetur per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Illi Guardiani quidicũtur ſolũmodo Vicarij, ob defe-

ILli Vicarij qui aliàs veri ſunt Guardiani, & ob ſolum defectum numeri Religioſorum, dicuntur Vicarij, præſuntque conuentibus, non habentes duodecim Fratres, vere & proprie ſunt Prælati, ſicut cæteri Guardiani, & ſolo nomine differũt ab eis. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, ſatisq; colli-

Eum numeri Fratrũ, vere & proprie ſunt Prælati.

colligitur ex eiſdem noſtris generalibus Conſtitutionibus, vbi hac de re ſequentia verba habentur: *Fratres qui præſident locis, in quibus duodecim Fratres ad minus commode vixere poſſunt, appellentur & ſint Guardiani, ſi minus appellentur Vicarij.* Vbi notanda veniunt verba illa in priore parte poſita, *appellentur, & ſint Guardiani*, & iterum illa poſita in ſequenti parte, *ſi u minus appellentur Vicarij*. Nam non dicitur, quod non ſint Guardiani & veri Prælati, ſed tantummodo quod appellentur Vicarij. Ex quo infero, quod ſupradicti ſunt vere & proprie Prælati, & poſſunt nominare iudices conſeruatores, & habere omnia alia, quæ propriè conueniunt Prælatis, de quo (vt credo) nulli poteſt eſſe dubium. Videatur hac de re Emmanuel. Roder. tomo 1. qq. Regul. q. 17. art. 6. in fine.

Secunda Concluſio.

Illi Vicarij, qui apponuntur vt præſint Cõuentibus in abſentia Guardianorũ, qui & alio nomine dicũtur præſidentes, tẽpore quo durant ſunt veri Prælati.

ILli etiam Vicarij qui apponuntur in Conuentibus à Prouincialibus, propter mortem guardianorum, aut propter longam eorundem abſentiã, qui alio & congruentiori nomine dicuntur Præſidentes, tempore quo eorũ durat officium ſunt vere & proprie Prælati. Hanc concluſionem tenet Bobadilla in ſuo Manuali ſeu Enchiridion manuſcripto, agens de eiuſmodi Vicarijs. Inquit enim, quod ſi Guardianus ſit abſens, Vicarius ipſo facto in vtroque foro habet eandem auctoritatem, quã habent Guardiani, ac propterea poſſunt abſoluere ſibi ſubditos, a caſibus reſeruatis, ſuper quibus, ratione ſui officij, commiſſionem habent, prædicti Guardiani, nam in eorum abſentia, Vicarij cẽſentur eſſe præſidentes beneficio legis, vt non remaneat Conuentus ſine Prælato. Ac propterea inquit, quod poſſunt dare profeſſiones & facere cætera omnia quæ Guardiani potuiſſent efficere: nec poſſunt Guardiani limitare ſupradictorum Vicariorum auctoritatem, quia in abſentia eorum habent eandem poteſtatem quam ipſi, per conceſſionem Iulij II. & Capituli generalis Albienſis, cuius meminit Collector in Priuileg. Comp. *verbo, Vicarius*, §. 5. vbi ad hoc propoſitum ſequentia ponuntur verba, *Vicarij habeant auctoritatem Guardianorum, in abſentia eorum*, Habentur in Monum. Ord. 2. impreſſion. fol. 248. & refertur in Compend. *verbo Vicarij* §. 1. Deinde in ſeq. Capitulo generali celebrato Labalis, facta eſt ſequens declaratio ſupradicti Statuti, *Declaratur quod illa clauſula in Capitulo generali Albienſi inſerta, videlicet quod Guardiani & eorum Vicarij habeant auctoritatem Prælatorum in foro conſcientiæ, &c. ſic debet intelligi, quod auctoritas per patrem Prouincialem conceſſa Guardianis, remaneat ſemper penes eorum Vicarios, ſeu Vicariorum Vicarios, ipſis Guardianis ſuum Conuentum pro ſuis negotijs exeuntibus.* Habetur vbi ſupra. Et de huiuſmodi Vicarijs, conſtitutis in Guardianorum abſentia, ſiue propter eorum mortem, intelligit Priuilegiorum Collector, & intelligendam eſſe dicit, illam ampliſſimam conceſſionem, quam fecit Iulius II. in communicatione Priuilegiorum Ordinis Prædicatorum, facta Ordini minorum, quando dixit, *quod ea quæ ſpectant ad Vicarios Conuentuum & ſingularum domorum, præfati Ordinis Prædicatorum, ſimiliter ſpectent, & pertineant ad Vicarios Conuentuum, & domorum Ordinis Minorum.* Habetur hæc conceſſio in Monum. Ordinis 2. impr. fol. 228. conc. 533. & in Suppl. fol. 74. conc. 222. & inquit ſupradictus Collect. vbi ſup. *verbo Vicarius*, §. 5. quod appellatione Vicariorum, apud Fratres Prædicatores, non veniunt intelligendi Vicarij cõmuniter vſitati inter ipſos, ſed ſolummodo illi, qui propter abſentiam, aut carentiam Prioris, eliguntur ſeu inſtituuntur ad præſidendum velut Priores, & conſimiliter (inquit) intelligendum eſt, quoad nos Minores Fratres, de illis duntaxat Vicarijs, qui apud nos vocantur Præſidentes, quando ſcilicet abeſt, aut deeſt Guardianus: & de his etiam intelligenda eſt prædicta concluſio.

Nota, quod Guardiani abſentes nõ poſſunt ſuorũ Vicariorũ, ſeu poſtius Cõuentuũ Præſidẽtium auctoritatẽ limitare.

Tertia Concluſio.

Illi Vicarij quæ ponuntur, & conſtituuntur à Guardianis vt vices eorũ gerãt, nõ ſunt vere Prælati.

ILli Vicarij qui ponuntur, & conſtituuntur à Guardianis, vt vices eorum gerant & adiuuentur ab ipſis, non ſunt vere & proprie Prælati. Hæc concluſio ſatis conſtat ex ſupradictis. Atq; ita prędicti Vicarij in Guardianorum præſentia, nullam habent auctoritatem, niſi quam Guardianus contulerit illis, & totaliter dependent in ſua adminiſtratione & regimine à dictis Guardianis. Dicitur autem Guardianus eſſe præſens in ſuo Conuentu (quamuis alias ſit abſens) quando intra 24. horarũ ſpacium eius præſentia haberi poteſt, vt communis conſuetudo declarauit, & cautum, & ſtatutum eſt in multis Conſtitutionibus generalibus.

Nota valde quod mortuo Guardiano, ſtatim expirat officium Vicarijab eo conſtituti.

Vlterius dico, quod ſi Guardianus moriatur, ſeu priuetur, ſtatim ſecundum ius, eius Vicarius deſinit eſſe Vicarius, vt notant ſcribentes *cum gloſſa in Clemen. fin. de Procuratoribus. verbo, conteſtata*, & Panor. miran. ibid. *& in cap. extirpandæ. §. quod vero de præbendis, & dignit.* & Nauar. *in cap. nullam, num. 22. verſic. ad prius autem.* ac ideo tenetur ſtatim per ſuas literas, recurrere ad Prouincialem Miniſtrum, vt prouideat Conuentui de Prælato. Interim tamen nullã habet ſupradictus Vicarius auctoritatem in foro conſcientiæ, neque in foro exteriori, ſed tantum præſidebit in Conuentu, ne tumultus fiat, quod nimirum munus præſidendi habent ſupradicti Vicarij in noſtro ſacro Ordine, ex vſu & conſuetudine. Quouſque tamen Prouincialis reſpondeat, non poterit Vicarius à reſeruatis quempiam abſoluere, nec tenere Capitulum, neque alicui profeſſionem dare, nec alia id generis efficere. Supradicta omnia dicit prædictus P. Bobadilla in ſuo Enchirid. quod tamen Emman. Rodericus vbi ſupra limitat in caſu quo aliquis Vicarius, in tabula Capitulari à Prouinciali & Definitoribus inſtituatur: quam conſuetudinem in aliquibus partibus obſeruari, dicemus ſtatim in ſequenti Articulo, tunc enim licet per talem inſtitutionem non efficiantur Prælati, ſed tantum Vicarij prædictorum Guardianorum, ea tamen inſtitutio erit efficax, & efficiet, vt mortuo Guardiano ipſe fungatur officio Vicarij, exprælumptavoluntate Patrum Diffinitorum, qui eum ſimul cum Prouinciali inſtituerunt, & in quibus eſt ius gubernationis totius Prouinciæ. Quemadmodum & morte domini extinguitur iuriſdictio auditorũ, niſi Princeps ſpecialiter ipſos auditores conſtituerit: tunc enim ab ipſo Principe videntur habere iuriſdictionem ita quod morte dominorum, non extinguitur, neque expirat eorum iuriſdictio. Ita ergo ſpe

Nota hoc valde.

go ſpeculandum eſt de Vicarijs, mortuis Guardianis prædictis, nam quamuis ſecundum ius ſtatim eorum expiret officium, hoc tamen nō habet locū, quando prædicti Vicarij inſtituti ſunt à Prouincialibus & Definitoribus, & ab ipſis immediate & non à Guardianis, ſuam auctoritatem & iuriſdictionem habent. Qui dicendi modus latis placet, mirumq; in modum mihi probatur, & concordat cum doctrina Nauarri, lib. 1. conſilior. 11. de election. conſ. 12. numero. 2. vbi hoc ipſum in alio ſimili propoſito dicit.

Vlterius dico, quod quando officium Guardiani vacat in Capitulo, quouſque nouus Guardianus eligatur & veniat, Conuentus Vicarius eſt verus, & legitimus Præſes ipſius & verus Prælatus, & valet efficere omnia, quæ ad præfatos Præſidentes ſpectant, ex beneficio legis & vniuerſali conſuetudine in noſtro ſacro Ordine introducta, ne aliquis conuentus vnquam reperiatur ſine Prælato, quod multum eſt notandum.

ARTICVLVS II.

A quibus ſunt inſtituendi Conuentuū Vicarij, & an Guardiani pro libito poſſint illos amouere?

Concluſio.

Stādo in iure cōmuni Vicarij inſtituēdi ſunt per ipſos Guardianos.

STando in iure communi, & de iure ordinario loquendo, Conuentuum Vicarij inſtituendi ſunt per Guardianos, & non per Miniſtros Prouinciales. Hæc concluſio eſt Pat. Bobad. in ſuo Enchir. ſupradicto, quam & probat, ex definitione & etymologia huius nominis Vicarij: nam Vicarius dicitur, qui alterius vicem gerit, ſeu in alicuius ſuccedit locum: ſed Prouinciales Miniſtri non ſunt Guardiani, quinvero nec poſſunt aut debent munus & officium Guardianorum exercere, nec dicti Vicarij vices eorum gerunt, aut illorum perſonam repræſentant, neque in eorum locum ſuccedunt: ergo nulla exiſtit cauſa, ob quam ipſi Vicarios velint conſtituere, ſed eorum conſtitutio ad Guardianos ſpectare debet, non vero ad dictos Miniſtros Prouinciales. Id quod videtur eſſe de iure, vt conſtat *ex cap. 1. & cap. licet, & cap. vltim. de offic. Vicarij, lib. 6.* & tenet Nauarr. *in cap. nullam. 18. quæſt. 2. num. 22.* Vnde neque opus eſt, vt à Prouinciali confirmentur ſupradicti Vicarij, vt fit in Guardianis, quia prædicti Vicarij non fiunt per electionem Conuentus, nec ſunt veri Prælati, ſed tantummodo Vicarij Prælatorum, nempe Guardianorum, & ita eos vocat capitulum generale Albienſe, cuius meminit Comp. *verbo Vicarius, §. 5.* vbi & ipſi Vicarij Guardianorum vocantur. Sed quamuis omnia ſupradicta vera ſint loquendo de iure communi, in aliquibus Prouincijs, vſu & conſuetudine eſt poſitum, quod etiam Vicarij nominentur in tabula capitulari cum ſuis Guardianis, à Prouinciali & Definitoribus. Quam conſuetudinem non reprobo, quin vero probanda & laudanda videtur, & dico vlterius, quod vbi talis conſuetudo non viget, quammaxime expedit, vt Guardiani in eiuſmodi Vicariorum conſtitutione, ſemper conſulant Miniſtros Prouinciales, vt melius dirigantur, & ſciant ipſi, quos eligunt, ne in re tanti momenti errare eoscōtingat. Expedit præterea, idipſum vt fiat, quod Prouinciales ipſi ſciant, quinam ſint conuentuum Vicarij, ne ex ignorantia ipſos de vno ad alium locū transferant, ac ſi eſſent alij Fratres particulares. Sed circa ſupradictorum Vicariorum ablationem, ſeu amotionem ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Vicarij quidē more inſtituūtur à Prouinciali & Definitoribus, & leguntur in tabula, non poſſunt remoueri ab ipſis Guardianis, incōſulto Prouinciali

IN illis partibus in quibus Vicarij conſtituuntur, & aſſignantur in tabula capitulari ſimul cū Guardianis, & non immediate ponuntur ab ipſis Guardianis, Guardiani per ſe nō poſſunt illos amouere, inconſulto Prouinciale. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & ratio eius in promptu eſt, & traditur à gloſſa *in l. ſolet. ff. de offic. procon.* vbi habetur, quod Prorex non poteſt amouere officialem electum à Superiore Principe. Eadem ergo ratio militat in ſupradictis Vicarijs, nam ſi inſtituti fuerint immediate à Guardianis ex cauſa poterunt illos amouere, ſi vero à Prouinciali cum Definitoribus, etiam ex cauſa amoueri non poterunt Superiore inconſulto.

Nota valde.

In calce huius Articuli libuit aduertere, quod ſi forſan in aliquo conuentu non fuerit Vicarius ordinarius, atque etiam ſi ſit, & Guardianus grauiter fuerit infirmatus, ante ſuam mortem cum conſilio Diſcretorum debet Vicarium, ſiue Præſidentem inſtituere & nominare, qui ab eo nominatus erit Præſes, vſquequo Prouincialis Miniſter de ipſius morte certior factus, prouideat de Prælato. Quod ſi forſan à ſupradicto Guardiano fuerit prætermiſſum, antiquior Pater conuentus, ad ſonum cymbali congreget Fratres in capitulo, vt eligant ſibi, ſiue nominent Vicarium, qui ab eis nominatus omnem auctoritatem habebit, vſquequo Prouincialis prouideat, vt dictum eſt, id quod & multum conforme eſt his, quæ reſoluunt Doctores circa correctorem ciuitatis, ſi mori contigerit, & non habuerit vicem tenentem Ordinarium. Tunc enim ante mortem poteſt ipſum nominare, & talis ab eo nominatus exercebit correctoris officium, quouſque conſilium Regale aliud prouideat. Quod ſi facere prætermiſerit, decedēte eo, non nominato vicem tenente, eiuſdem prouiſio ad conſiſtorium pertinet, & tunc conſiſtorij antiquior conuocare debet Senatum, & prouidere de correctoris vicem tenente, quouſque conſulatur conſilium Regale, & aliud prouideat: quod multum eſt notandum.

(?)

QVAE-

QVAESTIO XXI.

De Vicarijs Monialium, & his, quæ ad ſuum munus & officiũ ſpectant, in quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

A quibus inſtituendi ſunt Vicarij Monialium?

Prima Concluſio.

A quibus ſint inſtituendi Vicarij Monialiũ, in Capitulo ſiue cõgreg.

VIcarij Monialium in Capitulo Prouinciali, ſeu Congregatione intermedia, inſtituendi ſunt à Miniſtro Prouinciali & Definitoribus ſimul congregatis, ad modum quo Guardiani. Hæc concluſio habetur expreſſa in conſtitut. general. Tolet. cap. 5, §. de Confeſſoribus Monialium, id quod & ſtatutum olim fuit, in Capitulo generali Lugdunenſi, confirmato per Leo X. cuius meminit Compend. *verbo, Moniales* §. 23. atque ita obſeruauit communis vſus & praxis, & conſuetudo immemorabilis.

Secunda Concluſio.

A quibus ſint inſtituẽdi prædicti Vicarij Monialiũ, extra Capitulũ?

SI officium Vicarij Monialium, quacumque ratione & cauſa extra Capitulum ſiue Congregationem vacauerit, alterius prouiſio & electio, pertinet ad Miniſtrum Prouincialem. Hæc concluſio habetur ex ſola conſuetudine, nam hac de re nihil ordinationes diſponunt. Dicitur tamen in ſupradictis conſtit. gener. Tolet. vbi ſupra, quod prędicti Vicarij ſiue Confeſſores Monialium, in eodẽ Monaſterio vltra triennium non poſſunt continuari, niſi per annum ad minus vacauerint. Vbi & notanda veniunt illa verba, *in eodem Monaſterio*, quibus inſinuatur, quod in alio idipſum facere non ſit prohibitum. Sed nihilominus hac de re, inuenio, quandam prohibitionem, factam à Iulio II. cuius fit mentio in Compen. Priuileg. *verbo Vicarius.* §. 4. & habetur in Suppl. fol. 49. conc. 145. vbi abſolute & abſque vlla limitatione dicitur, *quod prædicti Vicarij Monialium S. Clarę, & aliarum Religioſarum, ſub cura Fratrum Minorum in Regnis Hiſpaniarum degentiũ, non poſſint vltra triennium huiuſmodi officia exercere.* An vero hoc ſit intelligendum, in eodem Conuentu tantummodo, an vero etiam in alio? aliorum eſto iudicium. Videantur quæ hac de re dicit Priuilegiorum Collector in Comp. *verbo officia ordin.* §. 2. circa officiorum Ordinis durationem. Aduerto tamen quod loco ſupra citato, dixit prædictus Iulius II. nempe quod ſi ſupradicti Vicarij intra trienniũ deliquerint, à Prouinciali Miniſtro poſſunt abſolui. Ex quibus verbis ſatis colligitur, quod illa conſtitutio, qua dicitur quod Prouinciales per ſe ſolos non poſſunt amouere vel priuare Guardianos, non extenditur ad ſupradictos Vicarios, nam ſine Diffinitorio poſſunt per Prouincialem amoueri. In ſupradictis autem conſtitut. genet. Tolet. loco ſupra citato, admonetur, vt curet Prouinciale Capitulũ quod prædicti Confeſſores Monialium ſint ſenes & moribus conſpicui, diſcreti & exemplares, ac præcipitur, quod qui non ſunt idonei ad audiendas mulierum ſecularium confeſſiones, numquam Monialium Confeſſores inſtituantur. Vlterius ordinatur ibidem, quod vltra Confeſſorem ordinarium, alius extraordinarius, bis aut ter in anno ſibi præſtetur, ſiue offeratur, iuxta Conc. Trid. decretum, ſeſſio. 25. ca. 10. qui confeſſor extraordinarius, earum omnium confeſſiones debeat audire: quod & communiter obſeruatur in praxi.

De duratione prædictorum Vicariorum Monialium.

ARTICVLVS II.

An ſupradicti Vicarij, ſiue Confeſſores Monialium, ſint aliquo modo Prælati?

Prima Concluſio.

Vicarij Monialium, ſimpliciter & abſolute loquẽdo, non ſunt Prælati.

SImpliciter & abſolute loquendo, Vicarij & confeſſores Monialium, non ſunt dicendi Prælati. Probatur hæc concluſio, quia nullam ipſi habent iuriſdictionis poteſtatem ordinariam in noſtro ſacro ordine, neque ad regendas & gubernandas ipſas Moniales, neque ad corripiendos & puniendos ſocios ſecum commorantes. Atque adeo nec Monialibus, nec prædictis ſocijs, poſſunt aliquid per obedientiam præcipere, nec cenſuram aliquam imponere. Loquor de Vicarijs Monialium qui tantum ſunt Vicarij, & ex ratione ſui officij præciſe, nam ſi ſimul ſunt Guardiani Fratrum qui ibidem ſecum cõmorantur, ex Conſtitutione aliqua generali ſeu Prouinciali, vt alicubi eſſe circumfertur, atque vt veri Guardiani, & Prælati, votum & vocem habẽt in Prouinciali Capitulo, de eis aliud erit iudicium. In præſenti enim, ſolummodo fit ſermo de Vicarijs Monialium præciſe.

Secunda Concluſio.

Vicarij Monialium, dici poſſunt Prælati, ſecundũ quid.

SVpradicti Vicarij aliquo modo dici poſſunt Prælati, non quidem ſimpliciter & abſolute, ſed ſecundum quid. Hæc concluſio conſtat, ex determinatione Capituli Valliſoletani, celebrati anno Domini 1575. vbi ſequens facta eſt conſtitutio: *Confeſſarij Mo-*

vij Monialium, cenſcitur eſſe Prælati in ſuis locis reſpectiue, & nullus Frater eſſet ſubditus, pro aliquo re poteſt á Monaſterio exire, ſine expreſſa eorum licentia. Vbi eſſe Prælatum reſpectiue, eſt eſſe Prælatum ſecundum quid, vel in aliquo caſu, ſiue caſibus. Nam reſpectu Monialium, habent prædicti Vicarij auctoritatem Prælatorum in foro conſcientiæ, quo ad caſus & cenſuras, vt fuit expreſſe determinatum in Capitulo generali Albienſi, cuius meminit Compend. verbo, *Vicarij.* §. 5. vbi ponuntur ſequentia verba: *Vniuerſi Confeſſores Monialium noſtræ familiæ, præſenti decreto habeant, ſemper actiue auctoritatem Prælatorum ſuper Moniales in foro conſcientiæ, quoad caſus & ſententias, ſiue cenſuras.* Atque adeo ſi Religioſa quæpiam apoſtatauerit, vel manus violentas in aliam religioſam iniecerit, poterit Vicarius ſolemniter & publice illam abſoluere ab excommunicatione (ſi crimen fuit publicum) dicendo Pſalmum, *Miſerere mei Deus*, & orationes conſuetas, & facere quod interim ſuper veſtes, ſeu aliter, alia Monialis illam virgis cædat vti fieri conſueuit. Reliqua vero omnia, quæ ad punitionem eiuſdem pertinent, ſecundum negotij qualitatem, ſunt reſeruanda Miniſtro Prouinciali.

Nota valde.

Dico vlterius, quod reſpectu etiam ſociorum, habent prædicti Vicarij in Conuentibus Monialium commorantes, aliqualiter etiam rationem Prælatorum, nempe quoad præſtandam licentiam eiſdem ad exeundum foras, vt dictum eſt non tamen ſi quiſpiam foras ſine licentia exeat, poterũt illum abſoluere nec punire, ſed Superiorem debent adire, vt Prælatus eorum (cui tam Vicarij, quam ſocij ſubſunt) in Capitulo Conuentuali, quę corrigenda ſunt corrigat & puniat. Præterea ſupra prædicti Vicarij in Conuentibus Monialium commorantes, poſſunt aliqualiter dici Prælati, pro eo quod non indigent licentia ad exeundum foras, cum ipſi ſe poſſint licentiare ſicut & alios, ad ſua peragenda negotia in villa, oppido, ſiue ciuitate, vbi commorantur, & ad exeundum in agrum, & ad alia huiuſmodi.

Difficultas.

Sed dubitabit quiſpiam, an prædicti Vicarij poſſint ſe, & ſocios licentiare, ad exeundum extra oppidum? Cui reſpondetur, ſtandum eſſe in hoc conſuetudini, ſecundum quam dicendũ videtur, quod ſi abſentia non ſit notabilis, neque multum egrediantur terminos conſuetos, poterunt ſe & ſuos ſocios licentiare. Nec videbitur abſentia notabilis ſi non excedat vnum, aut alterum diem, nam vt habetur in Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. qui aliquãtiſper tantum abſunt, non exiſtimantur abeſſe. Itẽ prædicti Vicarij, cenſentur eſſe Prælati reſpectiue ſeu ſecundum quid, quia in rebus minimis non indigent licentia Superioris, quale eſt literas recipere & eaſdem ſcribere, & ſimilia. In rebus tamen grauibus, ad Regulæ obſeruantiam & forum contentioſum ſpectantibus & concernentibus, qualia ſunt vſus pecuniæ, acceſſus ad Monaſteria aliarum Monialium, iurare in iudicio & ſimilia, non poſſunt prædicti Vicarij, aliquid efficere, ſine ſuorum Superiorum licentia. Sed quiſnam ſit eorum Superior? eſt difficultas, de qua dicemus in ſequenti Articulo.

(?)

ARTICVLVS III.

Quiſnam ſit immediatus Superior Vicariorum, ſeu Confeſſorũ Monialiũ?

Concluſio.

Circa ordinarium Prælatũ Vicariorũ Monialium, ſtandum eſt cõſuetudini.

DE immediato Prælato, & Superiore Vicariorum, ſeu Confeſſorum Monialium, non poteſt reddi, & tradi certa atque determinata regula, ſed ſtandum eſt in hoc conſuetudini Prouinciarum. Probatur hæc concluſio, nam in Conſtitutionibus generalibus antiquis, & nouiter factis, nihil hac de re habetur expreſſe determinatum: quamuis enim Capitulum generale Rothomagenſe, cuius meminit Enchirid. ſtatuerit, quod Prouincialis exerceat ſua officia & munera, quoad Confeſſores Monialium, non tamen dicit, quod ipſi ſint exempti à Guardianis immediatis, ſicut dicitur ibi expreſſe de Monialibus. Quin vero multæ ſunt Prouinciæ, in quibus non ſolum ex conſuetudine, verumetiam ex expreſſa Conſtitutione & determinatione earum, cautum eſt, vt Vicarij Monialium ſubſint, & ſint ſubiecti immediate Guardianis, in quorum diſtrictu ſunt ipſa Monaſteria, qui quidem vſus obſeruatur in noſtra alma D. Iacobi Prouincia, & in Prouincia Caſtellæ, & in multis alijs, & videtur ſatis conſonus bono regimini, atque rectæ gubernationi. In his omnibus excipiuntur & ſemper intelliguntur excepti illi Monialiũ Vicarij, qui ſunt quaſi Guardiani & vocem habent in Capitulo Prouinciali, huiuſmodi enim non ſubduntur Guardianis immediatis, ſed duntaxat Miniſtris Prouincialibus, quod multum eſt notandum.

ARTICVLVS IIII.

In quibus caſibus, Vicarij Monialium intrare poſſint clauſuram ipſarum?

Concluſio.

Vicarij Monialium, intrare poſſunt clauſuram Monialiũ in ſequẽtibus caſibus.

SVpradicti Vicarij Monialium facultatem habent ingrediẽdi clauſurã ipſarũ, in ſequentibus caſibus. Primo ad adminiſtranda Sacramẽta Sororibus infirmis quæ cõmode ad locutorium nõ poſſunt venire, & tunc debẽt intrare comitati, vno aut altero ſocio, induti alba, vel ſuperpelliceo, vt ſtatuit Vrbanus IIII. in c. 7. Regulæ ipſarum S. Claræ, & habetur in Conſt. Tolet. factis pro Monialibus cap. 10. Ex quibus colligunt nonnulli, quod ſocij Vicariorũ clauſuram intrantes, eſſe debent Clerici & non laici, ſi quidem Papa dicit, vt intrent induti alba vel ſuperpelliceo, quod nimirũ tantum conuenit Clericis & nõ laicis, id quod & expreſſe (vt dicitur) Gregorius IX. in quadã ſua Bulla declarauit, vt habetur in Mon. Ord. 1. imp. fo. 48. & 2. fo. 131. cõc. 295. Sed tamen conſuetudo eſt in contrarium, quia nec ſocij vbique ſunt Clerici, nec ſemper ingrediuntur induti. An vero iſta cõſuetudo ſit bona? dicit Clipeus

Nota circa modum intrãdi fratrũ in clauſuram Monialium.

Monialium in Enchiridione,fol.139.pagin.2.quod aliorum ſit iudicium.Certum vero eſt,quod quamuis eſſet melius quod ſic induti intrarent,& ſeruarentur omnes conditiones ibidem appoſitæ, conſuetudo tamen contraria,cum ſit ſcita & tolerata penes hæc, & ijs ſimilia excuſat à peccato ſaltim mortali.

Secundo poſſunt intrare clauſuram Vicarij Monialium,quando Monialis iam vult exhalare ſpiritum ad commendandam ipſius animam, & aſſiſtendum ibidem.

Quinã Fratres debeant intrare ad ſepelien dam Monialẽ:

Tertio in die funeris, ad exequias celebrandas ſuper ſepulturam,cum duobus ſocijs, & ſi viſum fuerit Abbatiſſæ & Conuentui conuenire,poſſunt intrare plures quam duo.Sed in contrarium videtur,quod non. Nam regula non plures permittit, & Clypeus Monialium in Enchiridione folio.136. pagina.1,in caſu.3.dicit,quod conſuetudo in contrarium, intrandi plures non excuſat ab excommunicatione:ſed nihilominus P. Fr.Ioannes à Bobadilla iam multoties prælegat in ſuo Manuali, ſiue Enchiridione manuſcripto,hanc difficultatem reſoluit,& aſſeueranter dicit, quod ſi plures ſint neceſſarij iudicio Abbatiſſæ & conuentus, plures intrare poterunt, propter imbecillitatem Sororum,cum experimento conſtet, Moniales, quia ſunt mulieres, atque vt plurimum delicatæ, non eſſe aptas ad deferendam defunctam,neque ad diſtrahendam & collocandam eandem in ſepulturam,neque vero etiam ſi velint, ad id habebunt animum.Cum igitur ratio concedendi vt intrent duo(quæ eſt imbecillitas Sororum Monialium)eadem omnino currat vt intrent plures, dicendum proculdubio videtur id eſſe licitum, maxime cum ſit conſuetudine firmatum & roboratum,quæ quidem conſuetudo in ratione legis fundatur.Probatur præterea idipſum, nam in prima regula Beatæ Clarę, capite vltimo non limitantur perſonæ, quæ debent intrare, ſed relinquitur prudentiæ Abbatiſſæ,non ſolum quoad numerum, ſed etiam quoad qualitatem,an ſcilicet debeant eſſe Religioſi,an vero ſeculares? Verum eſt tamen quod cum ibidem dicat regula, quod tales perſonæ ſint idoneæ,manifeſte datur intelligi, quod eſſe debent Religioſi,non vero ſeculares. Confirmantur omnia ſupradicta,ex decreto Concilij Tridentini ſeſſione.25.capit.5.vbi habetur,*quod Superiores in caſibus neceſſarijs, poſſint licentiam præſtare ad intrandum clauſuram Monialium.* Ex quo infertur, quod Miniſter Prouincialis ſi fuerit præſens, & in ipſius abſentia Guardiani,poterunt facultatem facere, vt intrent Religioſi neceſſarij ad exequias & ſepulturam Monialium,nam in eo caſu Guardianus,beneficio legis eſt præſumptus Commiſſarius Prouincialis.

Nota hoc vade,pro Monialibus primæ regulæ,ſiue Diſcalceatis.

Quarto poſſunt ingredi prædictam clauſuram, ad aperiendam ſepulturam, & poſtmodum coaptandam ipſam,cum vno vel duobus ſocijs, ſi Abbatiſſæ,& conuentui viſum fuerit neceſſarium.Iſti quatuor caſus continentur in ſupradicta Regula S.Clarę,capit.7.& in Conſtitution. Toletanis. Qui quidem ſunt intelligendi,non ſolum pro Monialibus Sanctæ Clarę, verumetiam pro alijs, & Vicarij & Fratres ſic ingredientes, habent & dicuntur habere à Sede Apoſtolica,ſpecialem licentiam ingrediendi Monaſteria Monacharum, prout requiritur ex noſtra Regula. Nam Gregor.IX.expreſſe voluit, quod Confeſſores Monialium Sanctæ Clarę,eſſent Minores Fratres, & ſimiliter alij Pontific.ſtatuerunt ſpecialiter,vt omnes Religioſæ ſub noſtra cura exiſtentes, auctoritate Apoſtolica gubernarentur per Prælatos noſtri ordinis,ac ideo licentia ſpecialis Prælatorum,eſt quaſi licentia ſpecialis ipſius Papæ. Sed circa ſupradictos caſus,dubitare quiſpiam poſſet, an ſit neceſſaria licentia Superioris in ſcriptis,prout diſponit Concil.Tridentin.vbi ſupra? Et reſpondeo, quod non in his caſibus, nam Concil. ibidem non loquitur de caſibus in iure expreſſis,ſiue in Regula, aut in Conſtitutionibus,nam iſti æquiualent, quinvero ſuperant licentiam ſcriptam, cuiuſcumque Superioris.Similiter dico, quod ad extinguendum incendium,& ad caſus ſimiles,intrare poſſunt, quot quot fuerint neceſſarij,ſine licentia Superioris in ſcriptis tradita, & idem eſt dicendum de Medicis, Barbitonſoribus,& ſimilibus, nam Concilium ſolummodo loquitur de caſibus extraordinarijs, quorum ſunt plures declarati ab Illuſtriſſimis Cardinalibus,vt educatio puellarum, & receptio mulierum litigantium cum ſuis maritis,de quibus & de alijs,plura diximus in precedenti Tomo,agendo de clauſura Monialium. Solummodo dico in calce huius Articuli,quod quando in aliquo caſu, aliqua ex ſecularibus ſupradictis, moriatur intra dictam clauſuram(vt contingere poteſt)tunc Fratres poterunt ingredi ad eandem ſepeliendam,ac ſi eſſet vna ex reliquis Monialibus, nam ſupradictus Vrbanus Quartus,non dixit quod ſolummodo ingrediantur ad ſepeliendam Monialem, ſed abſolute quod ingrediantur ad exequias & ſepulturas,quod eſt intelligendum, ſiue ſint Monialium,ſiue vero aliarum quæ ibidem moriantur,id quod vſu eſt receptum, & conſuetudine comprobatum.

Nota circa explicationẽ Cõcil. Trid. vbi agit de clauſura Monialiũ.

(*l*)

QVAE.

QVAESTIO XXII.

De Discretis nostri sacri ordinis, seu de his, qui in nostro ordine sacro Discreti nuncupantur: in septem Articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Quinam in nostro sacro Ordine nuncupentur Discreti?

Conclusio.

Discreti in nostro sacro ordine dicuntur qui ad aliqua officia, & munera sunt selecti segregati, siue destinati.

IN nostro sacro Ordine Discreti dicuntur quidam fratres, qui (vt nomen ipsum sonat) secundū nostras generales Const. & statuta, ad certa aliqua munera & officia sunt selecti, segregati & destinati. Hæc conclusio potius est explicanda & declaranda, quā probanda, aut potius vtrumque simul fiet. Pro cuius intelligētia oportet aduertere, quod in nostris general. Constitut. Toletanis, cap. 6. §. de Discretorum electione, quadruplex reperitur Discretorū genus. Quidam enim dicuntur Discreti conuentuum, seu pro conuentibus destinati. Alij etiā Discreti conuentuum, mittendi ad Prouinciale Capitulum. Alij dicuntur Discreti Prouinciæ, alij vero totius Ordinis, de quibus omnibus in particulari, oportet aliquid dicamus. Discreti conuentus sunt quidam Fratres, qui ex præscripto eorundem Constitutionum in singulis nostræ Religionis conuentibus eliguntur, vt sint Discreti & destinati ad hoc vt ipsorum consilio, conuentuum Guardiani, graviores causas tractent cum illis, quorum Discretorū numerus & modus eligendi, relinquitur ad dispositionem Prouinciarum. Alij sunt Discreti etiā conuentuum particularium, sed mittendi ad Prouinciale Capitulum, nam in supradictis nostris cōstitut. statuitur, *vt in vnoquoque Conuentu, vnus eligatur Discretus ad Capitulum Prouinciale transmittendus, qui simul cum Guardiano illius loci, omnium Fratrum ibidem commorantium voces & vota deferat, ad omnia quæ in eodem sunt peragenda.* Alij autem sunt Discreti, siue Patres Prouinciarū, tales sunt ipso facto & absque vlla alia electione, ex vi earundem Constitutionum, omnes qui fuerunt olim Ministri Prouinciales, qui inter Discretos Prouinciæ primum locum obtinent, & qui sunt actualiter Diffinitores, & Custodes Custodum seu Discreti Discretorum, qui omnes etiam sunt Discreti Prouinciæ, sed ipsorum officium (quoad discretionem Prouinciæ) durat tantum à Capitulo Prouinciali in quo sunt electi, vsque ad aliud Capitul. Prouinc. proximo celebrandum, & si forsan ipsorum aliquis vacauerit, eiusdem loco est alius subrogandus, & huiusmodi subrogatus, etiam est & dicitur Discretus Prouinciæ. Tandem vltimo sunt alij, qui dicuntur totius Ordinis Discreti, siue ordinis Patres, quales sunt ipso facto omnes, qui fuerūt olim Ministri, aut Cōmissarij Generales, electi secundū Bullā vnionis, & omnes Diffinitores actuales cuiuscūq. Capituli Gen. tēpore quo eorum durat officium, qui omnes vocari debent ad electionem Vicarij Gen. in casu quo Gen. Minister moriatur, siue promoueatur, & ad quodcumq. negotium totū Ordinē concernēs, si id cōmode fieri possit. Supradicta omnia habētur in dictis nostris Gener. Constitut. per quæ satis patet solutio, ad id quod quæritur in præsenti Artic.

Quinādicātur Conuentus Discreti.

Quinādicātur Discreti mittendi ad Capitulum?

Quinādicātur Discreti Prouinciarū.

Quinādicātur Discreti totius Ordinis?

ARTICVLVS II.

Vtrum sit expediens, quod in cunctis Religionis nostræ Conuentibus eligatur Discreti, mittendi ad Capitulu Prouinciale, qui simul cum Guardianis, omniū Fratrū ibi cōmorantium, voces & vota deferant ad Capitulū?

Prima opinio

VAestio hæc antiquissima est, nimiumq. controuersa & agitata, inter Fratres & Patres nostri sacri ordinis, approbantibus quibusdam, condemnantibus vero alijs eiusmodi Discretorum eligendorum consuetudinem. Mouenturq; vtriq; (vt videtur) non quidem sine magno & sufficienti fundamento. Et quod habent qui contrariæ sunt sententiæ & opinionis, affirmantes ac mordicus tenentes, non esse expediens, vllave ratione conuenire, quod huiusmodi Discreti in Religionibus eligantur, est quia inquiant, experientia ipsa edocente, quæ omnium rerum est magistra, innumera exinde in Religiosorum statu exoriuntur vitia spiritualia, atq; inconuenientia, quæ extirpare, ac penitus è medio tollere, quam maxime conuenit. Inde enim oritur ambitio, atq; insatiabilis cupiditas, qua maxima Religiosorum pars per totum anni circulum, quinvero & per totam vitam, ad huiusmodi munus & officium eligi anhelat, quinvero & procurat. Inde procedunt inuidiæ, iræ, rixæ, contētiones, simultates, & æmulationes continuæ inter Fratres, quas vix intellectus vllus capere potest, neq; vt videtur lingua humana sufficeret ad narrandū. Inde etiā suboriuntur cōuentiones, interdū simoniacæ, quibus pretio aut saltē precibus, siue pactis, ad inuicē promittunt, alij alijs suam industriā & fauorē in alio simili euentu. Oritur præterea exinde totalis enervatio Regul. disciplinæ, quia Prælati vt subditis cō placeāt & ad effectū electionis præd. gratos illos habeāt, etiāsi in multis delinquāt, haudquaquā eos audēt corripere, & castigare. In cōuentibus insuper

quibus præfati Diſcreti ſunt eligendi, ſubornatio ſuffragiorum eſt ſubinde perpetua, interminata etiam colluſio, qua alij alijs vota & ſuffragia procurant, innumeraq; alia naſcuntur inconuenientia. Ad quæ prædicta mala & damna vitanda, qui huius fuere olim ſententiæ & opinionis, totis curauerunt viribus, Diſcretos prædictos è medio tollere, quod & obtinuerunt. Nam in Capitulo Generali Romæ habito anno 1600. pro cœnobiorum & Cõuentuum pace & trãquillitate (vt ibidem dicitur) ſtatutum atq; decretum fuit, ſupradicti Diſcreti in conuentibus, vlterius vt non eligerentur, & declaratum, quod electiones omnes fierent per reliquorum patrum ſuffragia, qui iuxta generalia ordinis ſtatuta, vel particularia cuiuſcumq; Prouinciæ debita auctoritate facta, vocem actiuam habere ſoliti ſunt, in electione Prouincialis Miniſtri. Hæc ſunt, quæ faciunt pro hac parte.

Secũda opinio Sed pro alia in contrarium, non etiam deſunt argumenta & rationes (vt apparet) efficaciſſimę atq; fortiſſimæ. Nam dicunt, qui contrariæ adhęrent opinioni, diuerſamque tuentur ſententiam, quod ex ſublatione prædictorum Diſcretorum, maxima ex parte (occaſionaliter ſaltim) ſublata eſt Cuſtodia, & obſeruantia Regularis diſciplinæ. Nam quãuis Diſcreti prædicti, vt dictum eſt, non eligerentur ſine aliquo inconuenienti, ſeu inconuenientibus aliquibus, ex contrario tamen facto, vſu & experiẽtia ipſa etiam docente, multa ſpiritualia vitia, mala & damna, necnon & inconuenientia naſcuntur grauiſſima, quinvero & maiora omnibus ſupradictis. Inquiunt enim quod ex eo quod huiuſmodi Diſcretorum electio, per fratrum vota & ſuffragia facienda erat, cautius ipſi Fratres in conuentibus viuebant, ſtrictiuſq; & obſeruantius cuſtodiebantur Regulæ præcepta, ac Generalium Conſtitutionũ mandata, vt non propterea ſi delinquerent, ſeu aliquid prætermitterent, ab alijs Fratribus ſyndicarentur, in ordinaria eorundem Conuentuum viſita, & punirentur à Prælatis, & priuarentur in electionibus ſupradictis voce actiua & paſſiua. Habebant (inquiunt) præterea Fratres præmium & pœnam hanc, quam timerent, illud vero quod ſperarent, quæ ſunt veluti duo totius mundi cardines, quibus ſuſtinetur, & ſuſtẽtatur tota Monaſtica diſciplina. Nam quid boni (inquiunt) ſperari poteſt ex illa Republica & congregatione, in qua idẽ eſt finis boni ac mali, ſapientis, & inſipientis, in qua etiã deficiunt duo iſti ſtimuli præmij, & pœnæ, quibus omnes in vniuerſum ſtimulantur homines, ad peragendum bonum & deuitandum malum, recedendumq; ab omni peccato? Dicunt præterea, qui in contraria ſunt ſententia & opinione, quamaxime eſſe rationi cõſonum, atq; rectæ gubernationi & bono regimini conforme, vt ex conuentibus cunctis, per electionem & omnium Fratrum ſuffragia, ſupradicti Diſcreti mittantur ad Prouinciale Capitulum, qui ſint eorundem conuentuum & Fratrum, veluti Procuratores & defenſores, & omniũ ibidem commorantium cauſas agant, voces & vota ad dictum Capitulum deferant, vt vel ſic à minimo vſq; ad maximum, omnes Fratres partem habeant in electione Prouincialis Miniſtri, necnon & Diffinitorum, & eorum, qui dicuntur Cuſtodum Cuſtodes. A quibus cum poſtmodum Miniſter Generalis in Capitulo Generali ſit eligendus, Diffinitores etiam Generales & reliqua ordinis officia prouidenda, dicunt quod ex eo quod ſupradicti cõuentuum Diſcreti ad Prouinciale Capitulum mittendi eligantur, cuncta recte ſint ordinata, & diſpoſita ac bene procedant, dum omnes Fratres vnanimiter ad omnium Prælatorum electionem conueniunt ſiue concurrunt, à minimo Laico, vſq; ad ſupremum totius Religionis Patrem, & omnes votum & vocem habent non ſolum in electione ſupradicti Prouincialis Miniſtri & Diffinitorũ, á quibus poſtmodum conſtituuntur Guardiani, verum etiam & in electione Miniſtri Generalis & Diffinitorum Generalium, & conſequenter omnium Prælatorum totius ordinis, quæ nimirum omnia rationi videntur quammaxime conſona atque conformia, & expedire bono totius ordinis regimini. Quibus etiam omnibus accedere dicunt, vniuerſalem cõſuetudinẽ, quæ vt dicitur viget in omnibus Eccleſiæ ordinibus & Religionibus approbatis, bene inſtitutis & gubernatis, ex quorum conuentibus, ad capitula, ſiue Generalia, ſiue Prouincialia, ſemper mittuntur ſupradicti Diſcreti, licet non in omnibus eodem appellentur nomine, ſed interdum Abbatum aut Priorum ſocij, aut conuentuum Procuratores. Tandem quod omnes in vniuerſum conuentus quarumcumque Religionum, illos habere debeant in omnibus ſuis capitulis, Comitijs, & Congregationibus, tam Generalibus, quam Prouincialibus & particularibus, ſitque hoc expedientiſſimum, atque conuenientiſſimum, & quammaxime rationi conſonum, adeo certum eſſe credunt, & dicunt qui contrariæ ſunt ſententiæ & opinionis, vt aſſerant quod hoc negare vix vllus ſanæ mentis poſſit, cum experientia ipſa rerum omniũ magiſtra edocente conſtet, quod in Comitijs Regalibus totius Regni, ciuitates omnes proprios ſuos Procuratores mittunt atque conſtituunt, actumq; eſſe cenſeatur de illa ciuitate, quæ in eiſdem proprium procuratorem non habuerit, qui eam tueatur, defendat, & eiuſdem cauſa agat. Hoc ipſum, inquiunt, ſuo quoque modo & ordine dici debet de illis Religionum conuentibus, qui proprium ſuũ in capitulis præſertim Prouincialibus, non habuerit Procuratorem, ſiue hoc vel illo appelletur, aut nuncupetur nomine. Hæ ſunt rationes & argumenta, quæ pro vtraque huius quæſtionis, ac difficultatis parte poſſunt & ſolent adduci. Quibus hinc inde relatis, nollem certe iudicem hac in re agere, ſed in quæſtione & difficultate adeò intricata & controuerſa, aliorum expectare iudicium, reſolutionem atque ſententiam, cum tamen dicere quod ſentio, ſim conſtrictus, propoſito Articulo & difficultati, per ſequentem concluſionem libuit reſpondere.

Concluſio.

Ex duobus inconuenientibus minimũ reputatur, quod prædicti Diſcreti eligãtur.

QVamuis in omnibus fere mundi rebus quæ reperiuntur ſub ſole, vix quippiam reperiri poſſit, ex quo non aliquod ſuboriatur incõmodũ, & quo humana creatura ſi voluerit abuti non poſſit, cũ tamẽ ex duobus inconuenientibus minus ſit eligendum, inter prædicta minimũ videtur, quod Diſcreti & Procuratores in cõuentibus eligãtur, ſecun-

ſecundum antiquum morem, noſtræ ſacræ Religionis & cõmunẽ Religionum omnium. Ad tenendã, atq; ſtatuendam hanc concluſionẽ moueor in primis, propter ea, quæ adducta ſunt pro hac ſententia & opinione, quæ meo quidem videri, ſunt rationes fortiſsimæ & efficaciſsimę, magni quidem momenti ac ponderis. Et præterea quia præter antiquiſsimam conſuetudinem ac fere immemorabilẽ quæ de ea re viget in omnibus in vniuerſum Eccleſiæ Religionibus, mittendi ad ſua Capitula generalia, ſiue Prou. Procuratores prædictos, ſupradictorum Diſcretorum munus & officium in noſtro ſacro ordine, ortum & originẽ ducit, à primæua Regularis obſeruantiæ inſtitutione: atq; primum noſtra ſacra Religio reformari cœpit tempore, quo in eadem quãmaximã vigebat atq; relucebat ſanctitas, tunc enim quando ex decreto Concilij Cõſtantienſis, Fratres noſtræ Religionis reformati, obtinuerunt vt proprios ſuos haberent Vicarios, Generales, & Prouinciales, qui eoſdem regerent, & gubernarent, vt vel ſic aliqualiter eximerentur à Fratribus clauſtralibus, & conuentualibus, & vt etiam habere poſſent ſua capitula generalia & Prouincialia: quo etiam tempore ad differentiam & diſtinctionem aliorum, dici & nuncupari cœperunt Fratres Reg. Obſeruantiæ, eo (in quã) tempore ab ipſis ſupradictorum Diſcretorum inſtitutio facta eſt, vt conſtat ex noſtris Chronicis & Monum. noſtri Ord. quibus cautum eſt, *vt ex vno quoque Conuẽtu ſimul cum Guardiano, per aliorum electionem vnus Frater mitteretur qui diceretur Diſcretus, qui etiam voces & vota omnium ibidem cõmorantium ad Cap. Prouinciale deferret ad procurandum cõmodum & vtilitatem ſui Conuentus, & ad cætera in eodem Capit. peragenda.* Hoc cum ita ſit, quis propter inconuenientia aliqua vtcũq; grãdia, condemnare audebit id, quod tot ac tanti ſanctiſsimi Patres eo tẽpore ſtatuerunt, quo maxime apud ipſos vigebat Regularis obſeruantia? Quodſi è contra dicatur, nõ fuiſſe plane ab ipſis perſpecta ſupradicta inconuenientia: nonne 200 annorum ſpatium ſufficiens fuit ad hoc vt ipſa proſpicerentur? & nihilominus videmus nihil tale hucuſq; fuiſſe factum vſq; ad anno 1600. quo patribus antiquis, & maioribus noſtris penes hoc quaſi effici volumus maiores & meliores. Certiſsimè crediderim dicta omnia inconuenientia ab antiquis olim Patribus, plene ac plane fuiſſe proſpecta, conſiderata & in rationis libramine æqua lance perpenſa, atq; hinc inde ponderata, quod ſi in tanto temporis ſpatio & curriculo, non è medio tulerunt ſupradictos Diſcretos, pro eo factum fuit vt credo, quia omni ex parte innumera exoriri videbantur inconuenientia, perpenſisq; omnibus, quod minus diiudicarunt & crediderunt, ſemper elegerunt & cõſeruarunt. Sciebant enim prædicta omnia damna & incõmoda, quæ ex dictorum Diſcretorum electione naſcũtur, comparatione aliorum, cenſenda quidem eſſe minima, exoririq; occaſionaliter tantum, & nõ ex natura rei prouenire. Et quidem ſi rationes adductæ, ad tollendos è medio Diſcretos, quidquam põderis, & auctoritatis habent, ob eaſdẽ certè oporteret electiones omnes in vniuerſum tollere, non ſolum Guardianorum, qui interdum eliguntur in particularibus conuentibus, verumetiã & Prouincialium ac Diffinitorum, & eorum qui dicũtur Cuſtodes Cuſtodum, ſiquidem in his reperitur ambitio & inſatiabilis cupiditas, qua omnes aut certè maxima Religioſorum pars, ad eiuſmodi munera, & officia eligi & præfici anhelant, vt nedicam procurant. Vtrobiq; etiam reperiuntur inuidiæ, iræ, rixæ, contentiones, ſimultates, æmulationes, & omnia illa inconuenientia, quæ contra præfatam Diſcretorum conuentualium electionem, poſſunt & ſolent adduci. Neq; verò deeſt in iſtis electionibus occaſio, vt propterea eneruetur Regularis diſciplina, & vt Prælati ſuperiores ad effectum ſupradictarum electionum, vt ſibi ſubditis votũ & vocẽ habentibus cõplaceant, non ipſos caſtigare audeant, corrigere atq; punire. Deſunt ne in electionibus prædictis, colluſiones, ſuffragiorũ ſubornationes? & omnia illa mala damna, atq; incõuenientia, quæ pro alia in contrarium parte ſunt adducta? Si igitur iis omnibus non obſtantibus, in noſtro ſacro Ord. & in Religionibus cunctis, fiunt generalium, Prouincialium, Diffinitorum, & aliorum officiorum electiones, quid cauſæ eſt vt non etiam in conuentibus particularibus, ſupradictorum Diſcretorũ electiones fiant, cum (vt dicitur in iure) de ſimilibus, ſimile quoque eſſe debeat iudicium, & tot ac tanta cõmoda atq; vtilitates ex prædicto officio & miniſterio alia ex parte exoriri videantur? Si ſola malorum occaſio ſufficiens eſt cauſa, vt ſupradictorũ Diſcretorum electiones tollantur, amoueantur etiam & aliæ, in quibus eadẽ eſt omnino ratio, quin vero & multo viget maior? quod ſi hoc non eſt dicendum aut faciendum: ergo nec Diſcreti prædicti & Procuratores conuentuũ tollendi, propter quorundam inordinatum affectum, ſeu potius ob huiuſce rei malum, & inordinatum vſum, cum iuxtà mentem, & ſententiam D. Thom. nihil in toto mũdo ſit adeo bonum, quo creatura humana abuti nõ poſsit, ſiquidem & ipſa Dei bonitate abutitur. Supradictis omnibus accedit alia congruentia & ratio, vt prædicti Diſcreti in particularibus Conuentibus eligantur, & ea eſt, nam quamuis ex eo vt præmittitur, tam multa inconueniencia exoriantur, occaſionaliter tamen vt dixi proueniunt, & nõ ex natura rei atque ex alia parte innumera proueniunt bona, nam eorundem occaſione, & ex eo quòd huiuſmodi electiones faciendæ ſunt in Conuẽtibus, Fratres (vt ſupra dictũ eſt) cautius atq; religioſius viuunt, ſtrictiuſque & obſeruantiùs cuſtodiunt ſuæ Regulæ præcepta, & ea, quæ in noſtris Generalibus Conſtit. ſunt ordinata, & ſtatuta, vt non puniantur tanquam ipſarum tranſgreſſores. Præterea hac occaſione, in ſingulis Conuentibus etiam minimis commorari atque inhabitare optabunt Fratres benemeriti & honorati, vt poſtmodũ honorificentur dum eliguntur Diſcreti, quò votũ & vocem deferant ad capitulum, aliàs ibidem nõ habituri. Quod quam ſit & eiſdem conuentibus & ſecularibus circunſtantibus commodum, nemo eſt qui non videat, adeoque eſt cunctis notum, vt in controuerſiam non debeat aut poſsit adduci. Præterea etiam ex multitudine ſuffragiorum, & maiori eorum numero, innumera proueniunt bona in electionibus cunctis, quæ non facile enumerari poterunt, cum ex eo difficilior reddatur eorundem ſuffragiorum ſubornatio, quo fiet vt ambitioſi forſan Superiores, non tantam habeant manum

Nota quod hæc ratio eſt fortiſſima, deſumpta ab antiquitate, & à tempore quo magis ſplendebat ſanctitate & virtute noſtra ſacra Religio.

in electionibus, neque ita facile Prouinciasomnes póterunt opprimere, & ad ſuam voluntatem reducere. Propter rationes prædictas, quæ certè magni ſunt ponderis ac momenti, omnes Italiæ Prouinciæ, & totius Vltramõtanæ nationes, nullo modo acceptare voluerunt, prædictã conſtitutionẽ. Quin vero etiam modo ibidem eliguntur Diſcreti, vtcõ ſuetum fuit ab antiquo tempore, in noſtra ſacra religione. Hæc ſunt quæ ſeſe mihi pro breuitate & angustia temporis obtulerunt dicenda, circa difficultatem præſentis Articuli, quæ facillimo negotio dilatari & prolongari poſſent, ſed pro nunc dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Quonam pacto ſint eligendi ſupradicti Diſcreti, mittendi ad Prouinciale Capitulum, ſecundum noſtras Generales Conſtitutiones, & quod ſit eorundem munus & officium?

Prima Concluſio.

Supradicti Diſcreti, caſu quo eligãtur, fieridebẽt, per ſcrutinium.

Vpradicti Diſcreti ſecundum noſtras generales Cõſtitutiones, eligendi ſunt Canonice per ſcrutinium, itaquod ille in quem maior pars Capituli libere cõſenſerit, Canonice eſt cenſendus electus. Hæc cõcluſio habetur in eiſdem Conſtitutionibus, *cap. 7. §. de electionibus*, vbi dicitur, quod ad maiorem partem ſufficit quicumque exceſſus quantumuis minimus ſupra medietatem Capituli. Vnde ſi omnia Capituli ſuffragia fuerint viginti & vnum, & vndecim tantum vota in aliquem cõſenſerint, ipſius electio eſt valida & Canonica. Sed ſtatuitur & ordinatur in dictis Conſtitution. *vbi ſupra §. de Diſcretorum electione*, quod non poſſit eligi in Diſcretum alicuius Conuentus, ad Capitulum Prouinciale trãſmittendus, Frater qui non fuerit Sacerdos, & qui in eodem conuentu perquinque menſes, immediate ante electionem non fuerit commoratus, poterit tamen eligi in illo conuentu, à quo immediate receſſit, dummodo in eo moratus fuerit per quinque menſes, quamuis non ibi actu commoretur. Statuitur præterea vt Confeſſores Monialium, qui in earum conuentibus & Monaſterijs commorantur habeant vocem actiuam non vero paſſiuam in electione Diſcreti, & vt aliquorũ ambitio euitetur & inſolentia nõcreſcat, ordinatur, quod nullus frater in eodẽ anno, habeat vocẽ niſi vnã in electione ſupradicti Diſcreti.

Quinam ſint in Diſcretos eligendi.

Quinam habẽt vocem in dicta electione.

Suffragatores in electione prædicta ſunt omnes Fratres Sacerdotes, qui propter aliquod crimen non fuerint voce actiua priuati, & iuuenes qui habuerint ordinem ſacrum, & duos profeſſionis annos expletos, qui vero dictis qualitatibus fuerint deſtituti, in dicta electione ſuffragari non valent, nec Fratres Laici qui non habuerint quinque annos ſuæ profeſſionis.

Secunda Concluſio.

Quodnam ſit prædictorũ Diſcretorum munus & officiũ.

MVnus & officium ſupradictorum Diſcretorũ eſt ſimul cum Guardiano illius loci, in quo eliguntur, omnium Fratrum ibidem commorantiũ voces & vota deferre ad Prouinciale Capitulum, ad omnes electiones & ad omnia in eodem capitulo peragenda. Hæc concluſio habetur in dictis cõſtitut. vbi ſupra, vbi etiam dicitur, quod electus in Diſcretum, ad capitulum debet deferre literas teſtimoniales ſuæ electionis, & ad eundem ſpectat deferre Guardiani petitionem & poſtulationem à ſuo Conuentu factam, ſub ſigillo eiuſdem Conuentus munitam, curareq; debet in Diſcretum electus indagare prudenter, quæ ſint negotia in Capitulo proponenda, pro ſui conuentus religioſa conſeruatione, ac totius Prouinciæ ſtatu. Supradicta omnia libuit hic apponere, nam quamuis tempore, quo ſcribuntur in Hiſpaniarum partibus, iam ſint è medio ſublati ſupradicti Diſcreti, per Conſtitutionem factam Romæ anno prædicto 1600. ea tamẽ eſt rerum omnium inconſtantia, mutatio atq; viciſſitudo, vt quod in craſtinum mittantur, præcipi ac ſtatui facile fieri poſſit, vt ſit in Italia, & Vltramontana natione, quapropter in præſentiarum non abre viſum fuit appoſuiſſe modum, quo ſecundum noſtras generales Conſtitutiones fieri debent ſupradictorum Diſcretorum electiones.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Fratres Laici eſſe poſſint Diſcreti, ad Capitulum Prouinciale mittendi in noſtro ſacro Ordine?

RAtio dubitandi eſt, quia ſecundum noſtram regulam, vt fatisconſtat ex ipſius capitulo decimo, prædicti Fratres Laici in noſtro ſacro ordine, eſſe poſſunt Prælati & Guardiani, & de facto in multis conuentibus noſtri ordinis, maxime in Vltramontana familia, & partibus Italiæ, Guardianorum munus & officium exercent, & votum & vocem habẽt in capitulo, in electione Prouincialis Miniſtri & aliorũ officiorum: exquo videtur nihil obſtare, quod etiã eligantur Diſcreti in conuentibus, & mittantur ad Prouinciale Capitulum, ad facrẽdas prædictas electiones. Sed his tamen non obſtantibus, ſaltim pro noſtra Ciſmontana natione & Prouincijs ad Hiſpaniam pertinentibus, in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

In familia ciſmontana, Fratres Laici, nõ eſſe poſſunt, Diſcreti, vt ad Capitulum mittantur.

IN familia Ciſmontana & Prouincijs ad Hiſpaniam pertinẽtibus, Fratres Laici in noſtro ſacro Ord. non eſſe poſſunt aut debent eligi vt ſint Diſcreti, ad Capitulum Prouinciale mittendi. Hæc concluſio probatur in primis, ex noſtris Gen. Conſtitut. Tol. *c. 6. §. de Diſcretorum elect.* vbi expreſſe dicitur, *quod eligendi in Diſcretos ſint ſacerdotes.* Sed præterea eadẽ probatur concluſio, alia vlteriori ratione deſumpta quaſi à priori, ex eo quod habetur in Con-

in Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. vbi etiam dicitur, *quod non initiatus ſacro ordine & ad minus conſtitutus in Subdiaconatu, vocem non habere poſsit in Capitulo, etiam ſi hoc ſibi illi ab alijs fuerit conceſſum*, ſed ſupradicti Diſcreti eliguntur, vt vocem habeant in Capitulo in electione Prouincialis Miniſtri, & Diffinitorum & Cuſtodis Cuſtodum, & hoc eſt eorum munus, & officium: ergo ſupradicti Fratres Laici, cum nō ſint neque eſſe poſſint ſacro ordinē inſigniti, non poterunt perinde eſſe Diſcreti, vt mittantur cum voto & voce ad Prouinciale Capitulum: vnde valde miror quod in Italia, & Vltramontana familia, nō hoc hucuſq; fuerit prouiſum. Sed quod ſupradicti Laici in electionibus canonicis, non poſſint habere votum & vocem, præter auctoritatem ſupradictam Concil. Trid. videtur eſſe de iure communi antiquo, *per cap. ex eo quod §. in Eccleſijs, de electione li. 6.* vbi ad ſimile propoſitum dicitur, *quod cōuerſi Laici, cum clericis electionibus intereſſe non poſſunt.* Super qua re videatur *ibidem gloſſa verbo, electionibus.* quæ hanc materiam late proſequitur. Videatur etiam Emmanuel Roder. 1. tomo qq. Regul. q. 15. ar. 1. in fin. & 2. tom. q. 51. ar. 5. etiam in fin. & quæ diximus nos ſupra quæſtion. 3. articulo ſecundo, agentes, vtrum eiuſmodi Fratres Laici eſſe poſſint & debeant Prælati: quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota valde.

ARTICVLVS V.

Vtrū illegitime nati, poſsint eſſe Diſcreti mittēdi ad Prouinciale Capitulū?

Concluſio.

Illegitimi quātū attinet ad vocē actiuā nihil obſtat, quin eſſe, & eligi poſsint Diſcreti.

SI in ſupradictis Diſcretis conſideretur tantummodo votum & vox actiua, quā deferre habent ad Prouinciale Capitulum, non videtur illegitimis eſſe prohibitum, quod ſine aliqua diſpenſatione eſſe poſſint Diſcreti. Probatur hæc concluſio, nam ſupradictis illegitimis iure duntaxat eſt prohibitum, habere dignitates & Prælatias, quæ annexam habent animarum curam, ſed ſupradictorum Diſcretorum officium, neque eſt Prælatio, nec vero dignitas, ſiue perſonatus, cui iuriſdictio aliqua ſit annexa: ergo ex iure cōmuni nihil ſibi obſtat, quod eſſe poſſint Diſcreti. Loquor de Diſcretis particularibus, qui eliguntur in conuentibus, vt deferant votum & vocem ad Prouinciale Capitulum, nam de Diſcretis Prouinciarum, qui Diſcreti Diſcretorum dicuntur, aut Cuſtodes Cuſtodum, longe aliud ac diuerſum eſt iudicium, quia vt ſupra diximus in propria eorum quæſtione, ex primæua inſtitutione ſui officij, animarum curam & iuriſdictionē ordinariā habebant, nunc autem quamuis vt plurimum illā nō habeant in actu exercito, ſeu quod dicitur in exercitio, habent tamen illam in actu ſignato & in potentia, & quaſi habitualiter ad ſenſum explicatū ibidem. Quapropter dico, quod prædicti illegitimi non poſſunt eligi aut mitti, vt ſint Diſcreti Diſcretorum ſiue Cuſtodes Cuſtodū in generali Capitulo ſine ſpeciali diſpenſatione, & in hoc (vt credo) nulli eſt aut eſſe poteſt dubium. Sed vt non etiā eligantur illegitimi in Diſcretos ad Capitulum Prouinciale, videtur alia ſpeciali ratione dicendū, de quo ſit ſecunda concluſio.

Nota valde.

Secunda Concluſio.

QVamuis ex vi vocis actiuæ præciſe, illegitimi iure non videantur prohibiti, vt ſint aut eſſe poſſint Diſcreti mittendi ad Prouinciale Capitulum, quia tamē ex inſtitutione ſupradicti officij, in noſtra Religione ſeu potius in omnibus, cum ſupradicta voce actiua, indiuiſibiliter coniuncta eſt vox etiam paſſiua, qua in Guardianos atq; etiam interdum in Diffinitores, ſeu Prouinciales eliguntur ijdem (nam ad ſupradicta munera & officia, vt plurimū eliguntur, qui ſunt de corpore capituli) inde eſt vt veriſſimum atq; probabiliſſimū iudicē, quod ſupradicti illegitimi, non eſſe poſſunt Diſcreti, vt ad dictum Capitulum Prouinciale mittantur, niſi ab habente auctoritatē cum illis ſpecialiter fuerit diſpenſatum. Hanc etiam ſententiam tenet Emmanuel Roder. 1. tomo qq. Regul. q. 13. art. 19. & ratio in concluſione inſinuata eſſe videtur appoſitiſſima & ſatis legitima. Nec valet dicere, quod ſupradicti illegitimi poterunt cedere & renuntiare iuri ſuo, & habere duntaxat vocem actiuam, renunciando paſſiuam, quam vt dictum eſt ſine diſpenſatione non poſſunt habere: nam dico quod ſupradicti Diſcreti, nullo modo poſſunt renunciare iuri ſuo, quantum ad hoc vt non poſſint eligi, quia eſt ius commune totius Prouinciæ, & non ipſorum in particulari. Vnde pro iſto caſu & alijs ad hanc materiam pertinentibus: dico quod quamuis vulgare ſit in iure, quod vnuſquiſque poteſt renuntiare iuri ſuo, vt habetur in multis legibus & iuribus, & tradit Sylueſt. *verbo exemptio, §. 8.* & Summa Angelica *verbo, renuntiare*, hoc tamen intelligi debet, quādo tale ius, fauor & priuilegium, eſt introductum in commodum alicuius priuatæ perſonæ: ſecus eſt autem, ſi fuerit introductum in fauorem alicuius communitatis ſeu officij, tunc enim nō eſt liberum cuilibet renuntiare iuri ſuo. Sit exemplum ad hoc propoſitum. Status clericalis habet hoc ſpeciale priuilegium, in fauorē omnium Eccleſiaſticorum conceſſum, vt non poſſit quis Clericus coram iudice ſeculari conueniri, *per Capitulum, diligenti, & toto titulo de foro comp.* Certiſſimum eſt & omni dubio procul, quod huic iuri & priuilegio fori, nullus clericus renuntiare poteſt, ſine ſpeciali licentia Papæ aut ſaltim Epiſcopi, & ratio eſt, quia tale ius non eſt ſolum in fauorem ipſius conceſſum, ſed in fauorem totius Ordinis Clericalis, vt habetur *in c. cum tempore de arbitris, & in ca. quam periculoſum 7. q. 1.* vbi dicitur, *quod in rebus diuinis, periculoſum eſt quēpiā cedere iuri ſuo.* Sic ergo in noſtro propoſito dico, quod ſupradicti Diſcreti nō poſſunt cedere, aut renuntiare iuri ſuo, quod habēt ad vocē paſſiuā & ad hoc vt in Prælatos eligātur, cū id ſibi cōueniat quaſi ex propria ratione ſui officij, cuius eſt ex lege aut ſaltim ex cōſuetudine legis vim habēte, vt actiue eligat, & paſſiue eligi poſsint, quod vltimū cū ſine ſpeciali diſpēſatione, ſupradictis illegitimis nō poſsit cōuenire, manifeſte ſequitur quod nō etiā poſſunt in Diſcretos eligi. Vergeret enim in damnum Cōuentūs, quod in Diſcretos eligātur, mittēdi ad Prouinciale

Nō videtur cōueniens, quod prædicti illegitimi in Diſcretos eligantur, cū non habere poſsint in electionibus Capitularibus, vocē paſſiuam.

Nota quod nō poteſt quis renuntiare iuri ſuo, quando tale ius eſt introductū in fauorē alicuius cōmunitatis, ſiue officij alicuius.

ciale Capitulum, qui non possint habere vocē passiuam in ipso, sicut & aliorum conuentuum Discreti, quod multum est notandum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum descendentes ex maculato genere, Iudæus, Sarracenis, siue Hæreticis, intra quartum gradum, in nostro Ordine Discreti esse possint?

CIrca hunc articulum quidam partem tenēt affirmatiuā, ea ratione fundati, quia Discretorū officiū, non est aliqua dignitas siue Prælatia, quæ tantum munera ex cōstitutionibus Clemen. VII. Pauli IIII. & aliorum Summorum Pontificum, supradictis ex infecto genere natis sunt interdicta, nā dicunt quod cum decretum prædictarum constit. sit pœnale & odiosum, potius debet restringi quam ampliari. Videatur hac de re Emmanuel Roder. 1. tom. qq. reg. q. 14. ar. 11. vbi tenet supradictos ex infecto genere intra quartum gradum descendentes, eligi posse in Discretos, quinvero & in Diffinitores, & habere omnia religionis officia, quæ nō sunt veræ Prælationes, nec habent ordinariam vel quasi ordinariam iurisdictionem, qualia sunt esse Magistros Nouitiorum, Vicarios conuentuales, cōfessores Monialium & similia. Sed reuera quamuis hæc opinio pia sit & fauorabilis, & probabiliter sustineri possit, nihilominus tamen rationes præcedentis articuli adeo me vrgent & mouent, vt cōtrariæ opinioni & sententiæ adhæream. Etenim si vt dictum est in præcedēti articulo, illegitimi Discreti esse non possunt, quia quamuis possint habere vocem actiuam non tamen passiuam, neque in Prælatos præfici, absque speciali dispensatione, cui voci passiuæ & iuri suo ne quaquam renuntiare possunt, cum non sit concessum in fauorem suæ priuatæ personæ, sed totius communitatis & prædicti Discretorum officij, cum hæc eadem omnino ratio currat in præsenti casu, quia nec prædicti ex dicto genere infecto & maculato, intra quartum gradū descendētes, possunt in Prælatos eligi, & de similibus simile videatur esse iudiciū, consequens esse videtur, quod non esse possunt Discreti, quod propter rationem dictam probabilius esse iudico, de quo sit conclusio.

Conclusio.

Descendentes ex maculato genere intra quartum gradum, nō esse possunt Discreti.

SVpradicti ex infecto & maculato genere intra quartum gradum descendentes, non esse possunt Discreti ad Capitulum Prouinciale mittēdi, & multo minus Discreti Discretorum siue Custodes Custodum, mittendi ad Capitulum gener. Hęc concl. satis de se patet ex dictis in præcedenti Art. & quod supradicti non esse possint Diffinitores firmius teneo, nā quamuis supradicta munera & officia non sint vere, & proprie Prælationes, neq; habeant annexam animarū curā, quadam ratione dici possunt Prælationes saltem habitualiter, in quātū ex vi nostrarum constitutionū & consuetudine vim legis habente, voci suæ actiuæ in electionibus correspondet atq; conuenire videtur ex propria ratione prædictorum officiorū etiām vox passiua, ad dignitates & Prælaturas, quas cum supradicti ex infecto & maculato genere descendentes, vt dictum est, habere non possint, neq; esse Discreti, multominus Diffinitores, quod munus & officium in Religione grauissimum est. Et si in supradictis Constitutionibus Clem. VII. & Pauli IIII. & aliorum summorū Pont. interdictum ac prohibitū est prædictis, vt nō sint nec esse possint Prædicatores, vt ibidem habetur expresse, quamuis id non vsque quaque fuerit executioni mandatum, neq; obseruetur nunc in cōmuni praxi, multo ergo melius cē seri debet, illis esse interdictum, atq; prohibitum, quod nō sint Discreti & Diffinitores, quæ in ordine sunt magnæ quædā dignitates. Et quia ex æqui uocatione forsan quispiā decipi poterit, existimādo quod cum supradictis non sint interdictum esse Cōuentuū Vicarios ordinarios Guardianorū, quod possunt perinde esse Conuentuū Præsidentes, seu Vicarios illorum conuentuū, qui propter particulares rationes & causas, & propter defectū num. duodenarij Fratrū dicuntur Vicarij, cū reuera sint Guardiani, dico etiam hoc illis esse prohibitū, cū prædicta munera & officia, ordinariā iurisdictionē habeant, vt tradit Sylvest. *v. Prælatus num. 3.*

Nota hoc valde.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Vicarij ordinarij, siue Præsidentes Conuentuum, eligi possint & debeant in Discretos.

VAmuis hac de re nihil habeatur in nostris gener. Const. constitutum, siue determinatum, in aliquibus Prouinciarū Constitutionibus particularibus cautū inuenio, quod supradicti Vicarij & Præsidentes, nō esse possunt Discreti, in illis conuentibus, in quibus commorantur, & quia ratio super qua huiusmodi statutum fundatur satis placet, pro ea sequē tem libuit statuere conclusionem.

Conclusio.

Vicarij ordinarij conuentuū & etiā Præsidentes, nō esse possunt Discreti.

MVltum conueniens est & rationi quammaxime consonum, vt Vicarij ordinarij Conuentuum, & Præsidentes, qui in eisdem aliquam iurisdictionem exercent, non possint eligi in Discretos ad Capitulum Prouinciale mittendos. Hæc cōclusio probatur, quia cum de ratione electionis cuiuslibet sit quod sit libera & spontanea, atque ab ea omnis coactionis metus absit procul, & violentia quælibet omnino relegetur, conuenientissimū procul dubio est, quod supradicti in prædictam Discretorum electionem, nullo modo intrare possint, nā cum, vt supponitur, in conuentibus habeant & exerceant iurisdictionem, eadem forsan abutentes, iam vi, iam prece, seu precibus, exquisitisque aliis modis auferent, auferreque poterunt liberam & spontaneam suffragiorum electionem. Quis enim non videat, quod Vicarius ordinarius conuentus, & qui eiusdē nūcupatur Præses, facillimo negotio subditorū suorū beneuolentiā captare possit, quos-

dam

dam licentiando, vt foras extra Monaſterij ſepta egrediantur, alijs errata & delicta, ac crimina quã tumuis grauia indulgendo, donis, minis, & terroribus aliquorum vota & ſuffragia procurando, quod quidem haud quaquam eſſe poterit abſque magno pacis, iuſtitiæ, charitatis ac rectæ gubernationis, & conſequenter totius Ordinis & Religionis detrimento. Quapropter ſupradictorum electio, iure optimo in foro exteriori præſumenda eſt, non quidem ſpontanea & voluntaria, ſed violenta & metu, minis ſeu aliquibus medijs illicitis facta, meritoque proinde annullanda & irritanda. Quod vt non fieret, caute & prudenter ſatis, in aliquibus Prouincijs ſtatutum & ordinatũ inuenitur, vt Vicarij & Præſidentes ſupradicti, in prædictorum Diſcretorum electione, habeant tãtum vocem actiuam & nullo modo paſſiuam, ne propterea in damnum & detrimentum totius Religionis ſua iuriſdictione abutantur, & gratia captandæ beneuolentiæ ſubditorum, & ſuffragiorum ſuorum, euenire poſſint omnia ſupradicta inconuenientia. In quo quidem ſtatuto & ordinatione quantumuis particulari & dumtaxat Prouinciali, non poſſunt aut debent Prouinciarum Viſitatores diſpenſare, etiamſi habeant plenitudinem poteſtatis, & facultatem ad diſpenſandum in Ordinationibus Gener. & Prouinciarum particularibus, ſine magna & ſatis vrgenti & multum legitima cauſa, cum huiuſmodi ordinatio ſit adeò iuſta, & rationi conſona, factaque ad conſeruationem boni communis, & in publicum commodum totius Religionis.

QVAESTIO XXIII.

De electione omnium Prælatorum in communi, & de jis, quæ ad electionis materiam ſpectant, in quadraginta Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quid nam ſit electio?

Prima Concluſio.

Electio vt cõmuniter ſumpta, eſt multorum placentiũ in Ordine ad aliquem finẽ, vnius præacceptio.

LEctio vt communiter ſumpta (vt nomen ipſum ſonat) & vt ſub ſe comprehendit rei cuiuſq; electionem, eſt multorum placentium in ordine ad finẽ, vnius præacceptio. Hæc definitio deſumpta eſt ex Ariſtot. 5. Ethicor. & eam tradit D. Thom. 1. 2. quæſt. 13. art. 5. quod & poſſumus explicare ſequenti exemplo. verbi gratia, ad iter faciendum occurrũt ſimul alicui duo media, equus ad id faciẽdum per terram, nauis verò ad nauigandum per mare, & vtrumque placet, ac rationi vt repræſentatur medium congruum, præeligitur tamen à voluntate nauis vt citius fiat iter, in tali caſu nauis dicitur eligi. Et iſte actus eligendi nauem, conuenientiſſime dicitur electio, quia nempe eſt multorum placentium in ordine ad finem, vnius præacceptio. Sed loquendo de electione non ita communiter & vt de ea loquuntur Philoſophi, ſed ſtricte & ſpecialiter, prout ad præſens attinet propoſitum, & deſcendendo ad electionem Canonicam, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Electio proprie & ſtricte ſumpta pro electione Canonica, eſt idoneæ perſonæ vocatio ad aliquam dignitatem, vel ſocietatem ſeruata Canonica forma.

ELectio proprie & ſtricte ſumpta pro electione Canonica eſt idoneæ perſonæ ad aliquam dignitatem, vel fraternam ſocietatem vocatio, facta ſeruata Canonica forma. Hæc Cõcluſio & electionis definitio, eſt Hoſtienſ. & Ioann. Andr. *in initio, tit. de elect.* lib. 6. vbi & dicunt electionem multum differre à collatione & à præſentatione, nam electio fit per eligentium ſuffragia & vota, ad aliquã dignitatem ſeu fraternam ſocietatem ſeruata Canonica forma, & confirmatur à Papa, ſeu ab alio in id auctoritatem habente, at verò collatio, eſt alicuius beneficij ſimplicis ſiue curati, cuius prouiſio pertinet ad Epiſcopum, ſeu ad alium, qui ad id plenum ius habet, ac proinde cui ipſa facta eſt, nõ alia vlteriore indiget confirmatione. Differt etiã electio à præſentatione, nam præſentatio pertinẽt ad patronum, qui quidem non dat plenum ius præſentato, ſed vlterius requiritur inſtitutio ſiue inueſtitura Epiſcopi, vt habetur in toto tit. *de iure patro.* lib. 6. Multa hac de re forent dicenda, quæ breuitatis cauſa omitto, videatur Sylueſt. verbo, *elect.* 1. num. 1. Et hæc de electione in cõmuni breuiter dicta ſufficiant, & de electione Canonica etiam in communi.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit electio Canonica?

Concluſio.

Omnis in vniuerſum electio Canonica eſt triplex, quædam per ſcrutinium, alia vero per modum compromiſſi, alia autem, per viã cõmunis ſpirationis.

OMnis in vniuerſum electio Canonica, eſt triplex, quædam per ſcrutinium, quædam per modum compromiſſi, alia verò per viam communis ſpirationis. Hæc Concluſio habetur expreſſe, in cap. *quia propter de electione*, vbi ſupra dictæ tres traduntur electionis Canonicæ formæ. Et quia prædictum Capitulum eſt notabile, ac totale fundamentum huius materiæ de electione, ipſius verba ad vnguem in præſentiarum libet referre, vt præ manibus habeantur, ſcirique melius poſſit, quænam debeant con-

currere, & ſint de eſsentia, atque ſubſtantia electionis Canonicæ, inquit Innocentius Quartus, in dicto capit. *quia propter*, facto in Concilio Generali Lateranenſi. *Quia propter diuerſas electionis formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent Eccleſijs viduatis, ſtatuimus vt cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent & volunt, & poſſunt commode intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecrete & ſigillatim, vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta, mox publicẽt in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto, vt is collatione habita eligatur, in quem omnes vel maior, & ſanior pars capituli conſentit, vel ſaltim eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ prouideant de paſtore, aliter electio facta non valeat, niſi forte communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem abſque vitio celebrata.* Verba ſunt quidem expreſſa & notatu digniſſima. Circa cuius Decretalis interpretationem, innumeræ ſeſe offerunt difficultates à nobis explicandæ, quibus penitus comprehendetur & explicabitur totus titulus, & materia de electionibus. Sed quantum attinet ad propoſitum Artic. iam ex dictis ſatis conſtat, id quod in Concluſione eſt dictum, nempe quod omnis in vniuerſum electio Canonica eſt triplex, ſeu tres tantùm ſunt in iure traditæ nobis Canonicæ electionis formæ, quarum eſt prima per ſcrutinium, ſecunda per modum compromiſſi, tertia per viam communis ſpirationis, quæ faciunt tres electionis ſpecies, & electio omnis, quæ non fuerit facta ſecundum vnam illarum, eſt ipſo iure nulla, prout habetur in ſupradicta Decretali, ibi, *qui vero contra prædictas formas, eligere attentauerint, eligendi ea vice priuentur poteſtate, electioque ſit ipſo iure nulla.* Sed ſupereſt nunc Decretalem ſupradictam, per Articulos membratim decerpere, vt illam commodius poſſimus explicare. At prius præmittere libuit, peculiarem quandam difficultatem: ea eſt, an diſpoſitio Decretalis ſupradictæ, locum habeat & ſeruanda ſit, in omnibus in vniuerſum electionibus, non ſolùm Epiſcoporum & Prælatorum, verum etiam quarumcumque dignitatum, & quorumcumque officiorum? De quo ſequens inſtituitur Artic. 3. in Ordine.

ARTICVLVS III.

Vtrùm diſpoſitio ſupradictæ Decretalis, Quia propter, locum habeat & obſeruanda ſit, in omnibus electionibus quorumcumque Prælatorum, & omnium officiorum Eccleſiaſticorũ?

HAC de re, eſt opinio Panormitan. in dicto cap. *quia propter, vbi de mente Gloſſæ ibi, Eccleſijs viduatis*, dicit quod diſpoſitio Decretalis ſupradictæ, nõ eſt ſeruanda in omnibus electionibus, ſed ſolummodo in electione Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Collegiatarum Eccleſiarum, habentium generalem iuriſdictionem. Quod probat ex verbis eiuſdem, quando dicit ſupradictus Innocent. III. quod intendit prouidere Eccleſijs viduatis. Eccleſiæ autem non dicuntur viduatæ, niſi per mortem Epiſcoporum & propriorum Paſtorum, nam ſoli Epiſcopi ſunt propriè ſponſi ſuarum Eccleſiarum, vt habetur, in cap. *ſicut.* 7. quæſt. 1. cæteri autem Prælati ſi quandoque dicuntur ſponſi, id eſt ratione generalis iuriſdictionis, per capit. *ſicut in vna quaque.* 21. quæſt. 2. Ad alias autẽ dignitates, Canonicatus & perſonatus Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. inquit prædictus Panormit. quod non extenditur Decretalis ſupradicta, neque in eis habet locum ipſius diſpoſitio, cum per illorum mortem non remaneant Eccleſiæ viduatæ, nec ipſi ſint veri Eccleſiarum ſponſi. Hanc etiam ſententiam, & opinionem ſequutus Goffredus, dixit in quodã ſuo opere, eandem non habere locum in electionibus Abbatum, quia inquit, Abbates non ſunt ſponſi & propriè Paſtores, & Abbatis nomen potius ſonat ſolitudinem quam honorem. Sed nihilominus contraria ſententia eſt verior atque tenenda, & quod hac in re faciendum eſt & communiter obſeruatur in praxi, explicabitur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Decretalis prædicta locũ habet atq; ſeruanda eſt in electione quorumcumque Prælatorum, etiam ſi non ſint Epiſcopi, aut Prælati Generales.

NOn ſolùm in electione Epiſcoporum, & Prælatorum generalem habentium iuriſdictionem in Eccleſijs Collegiatis, ſeruanda eſt & locum habet diſpoſitio Decretalis ſupradictæ, verum etiã in electione Abbatum, & quorumcumque Prælatorum Regularium, ordinariam habentium iuriſdictionem. Hæc Concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, verbo, *electio.* 2. quæſt. 1. vbi eam probat atque cõfirmat de mente & ſent. Ioann. Andr. in cap. *officij.* eodem tit. vbi dicit, quod etiam Abbates dicuntur Paſtores, quin verò & Abbatiſſæ, & habere dicuntur dignitates, per cap. *indemnitatibus.* eodem titu. lib. 6. Probatur præterea id ipſum, quia electiones Abbatum in multis comparantur, quin verò æquiparantur electionibus Epiſcoporum, vt etiam cõſtat, ex cap. *cupientes* eodem tit. lib. 6. & etiam Eccleſiæ mortuis Abbatibus, proprijſq; Prælatis, eſſe dicuntur viduatæ. Ex quibus omnibus infertur, quod diſpoſitio Decretalis ſupradictæ, non ſolùm habet locum in electionibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum generalem habentium iuriſdictionem, verum etiam in electionibus quorumcũque Prælatorum Regularium, per quorum mortem Eccleſiæ remanent ſine Paſtore, & quaſi viduatæ. Ad quod facit. cap. *nõ prodeſſet*, poſitum in eod. tit. vbi idem ſupradictus Pontif. æquiparat quoad hoc Eccleſias Cathedrales & Regulares, quarum omnium Prælati appellantur Paſtores, & ipſarum Eccleſiæ dicuntur viduatæ, per illorum mortem. Dicit præterea Sylueſt. vbi ſupra, quod nomen viduatæ in ſupradicto loco ſiue locis, non ita ſtrictè debet ſumi, vt ſolummodo dicantur viduatæ Eccleſiæ, quæ carent Epiſcopis, qui ſolum propriè & in rigore iuris loquendo, dicuntur earundem mariti & ſponſi, imò verò cum ſupradictæ Decretales ſint fauorabiles, vt colligitur ex ipſarum principio, emanauerintque ad tollenda pericula & impedimenta Eccleſiarum, potius debent ampliari, quam reſtringi, & ſic locum habere

non

non solum in electione Episcoporum præcise, verum etiam & in electione Abbatum, & quorumcumque Prælatorum Regularium, ordinariam habentium iurisdictionem.

Secunda Conclusio.

Decretalis supradicta, non habet locũ in electionibus aliorum Beneficiatorum & Prælatorũ inferiorum.

Dispositio Decretalis supradictæ, *quia propter*, nõ necessariò seruanda est in electionibus aliorũ Beneficiatorum, seu Prælatorum inferiorum à supradictis, sed sufficiunt ad id singulares consensus existentium in Capitulo dummodo præstetur in communi, & omnibus Collegialiter congregatis, nam sic electus simpliciter à maiori & saniori parte, habebit ius in electione. Hæc Conclusio est dicti Syluest. loco supracitato, vbi improbat ac reijcit sentent. & opin. Hostiens. qui dixit supradictã Decretalem habere locum in electionibus Beneficiorum, spectantibus ad Collegium, & consequẽter quod ad dictum textum, dum mentionem facit de Ecclesijs viduatis, addendum est, seu Ministris destitutis, sed inquit Syluest. hoc esse destruere litteram, & non necessarium neque conueniens. Nã vbi agitur de modico præiudicio, non necessaria est tanta solemnitas, præsertim in casu, quo non deficiat superior, qui possit inconuenientibus occurrentibus prouidere, argumento deducto, ex c. *vbi periculum. in principio*, eodem tit. lib. 6. & cap. *licet in fin.* eodem tit. Sed quod dispositio Decretalis supradictæ, & forma ibidem tradita, aut aliqua ipsarum trium, non necessariò seruanda sit in alijs electionibus aliorum Beneficiatorum, & Prælatorum inferiorum à supradictis, probat Syluest. ex Glossa in cap. *sicut*, eod. tit. lib. 6. & ex alia Glossa in cap. *sicut*, eod. tit. & dicit esse expressam sentẽ. Panormit. in cap. *Ecclesia.* eod. tit. vbi etiam tenet, quod in electionibus, in quibus non est necessariò seruanda forma dicti cap. *quia propter*, non necessaria sunt verba, modo constet de consensu eligentium, & consequenter multo minus est necessaria ibidem aliqua scriptura. Hæc Syluest. vbi supra. Tandem concludendo dicit, quod in Ecclesijs Regularibus Religionum approbatarum, electiones omnium Prælatorum habentium iurisdictionem ordinariam & generalem, fieri debent secundùm prædictam formã, resecatis multis iuris solemnitatibus per particulares constitutiones ipsorum, & ponit exemplum in Ordine Prædicatorum, in Magistro, & Prioribus Prouincialibus, siue Conuentualibus, & in alijs Religionibus, in Officijs, & præfecturis supradictis correspondentibus. Dicit tamen quod in electione aliorum Superiorum, & Diffinitorum seu Discretorum & huiusmodi, non est necessaria tanta solemnitas, nec vox aut Scriptura aliqua, sed sufficit quod huiusmodi electiones fiant Collegialiter. Hoc forsan obseruatum fuit tẽpore Syluest. supradicti, sed iam nunc post Concil. Trident. vt credo atque indubitanter tenco, id facere haud quaquam licet, nam Sessio. 25. cap. 6. agendo de modo in electionibus seruando: *Statuitur vt in electione Superiorum quorumcumque & Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum præpositarum quo omnia recte & sine vlla fraude fiant, omnes supradicti eligantur per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur.* Circa quod Decretum aduertere libet, quod per ipsum nullatenus derogatur, irritatur siue annullatur prædicta Decretalis Innocent. in dicto capit. *quia propter*, quin verò præsupponitur, & ipsa præsupposita, tradit Cõcilium modum & formam obseruandam, in ferendis votis & suffragijs, in electione faciẽda per scrutinium, nempè vt vota sint secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Quibus verbis, vt plane constat, iam præsupponit, quod in dicta electione facienda per scrutinium, interuenire debet scriptura, & quod vota & suffragia rẽdigi debent in scriptis. Quod qualiter sit faciendum infra suo proprio loco dicemus. Neque eriam Concil. Trident. per supradictum Decretũ, tollit aut amouere intẽdit electionem factam per modum compromissi, nec factam per viam communis inspirationis, quin verò omnes isti tres supradicti eligendi modi, hodie sunt in vsu & permanent in suo proprio vigore, de quibus omnibus in particulari dicendum est inferius.

Nota hoc ex Syluestro.

Nota valde ex Conc. Trid. pro forma seruanda in electionibus cuiusdã.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm eligendi Canonica forma, tradita in supradicta Decretali, quia propter, locum habeat & obseruanda sit, etiam in postulatione & collationibus?

Conclusio.

Forma tradita in dicto ca. quia propter, necessariò seruanda est in postulatione, & collatione.

Forma Decretalis supradictæ, nõ habet locum, nec necessario seruanda est in postulatione & collatione. Hæc Conclusio est expressa Syluest. verbo *electi.* 2. q. 2. & verbo, *postulatio. q. etiam* 2. quã & esse dicit Panormit. in dicto c. *quia propter*, & de collatione specialiter probatur, ex Glossa in cap. *sicut.* eod. tit. lib. 6. vbi habetur, quod si ad plures spectat collatio alicuius beneficij, possunt omnes simul conferre, nec est necesse quod id fiat per scrutinium secretum, nec per cõpromissum, hoc est per vnum nomine omniũ, sed sufficiunt singulares assensus, ad quod citatur atq; adducitur, *lex per fundum. ff. seruit. rustic. prædio.* Sed de postulatione probatur id ipsum, nam si in postulatione esset necesse formare Decretũ, & facere reliqua omnia, quæ in electione, non possent resilire postulãtes Decreto formato, sicut neque in electione aut in nominatione facta per scrutinium electionis, resilire possent Electores: sed hoc non ita est, nam potest resiliri à postulato, ergo in postulatione non habet locum, nec necessariò seruanda est forma tradita ad electionem, in dicto cap. *quia propter*, Multæ alię rationes diuersitatis possent adduci, sed breuitati studemus, & tradere ea tantum modo, quæ Regularium, siue Religiosorum sunt propriæ; ideò hæc pro nunc dicta sufficiant.

ART.

ARTICVLVS V.

A quibus facienda eſt electio, vt ſit Canonica & talis cenſeatur atque exiſtimetur?

INnocentius Tertius, in Decretali ſupradicta, ſtatuere volens modum & formam ſeruãdam in omni electione Canonica, in primis inquit, *vt cum electio fuerit celebranda, ſint præſentes omnes qui debent & volunt, & poſſunt commode intereſſe.* Circa quæ verba plures inſurgunt difficultates, de quibus dicemus per ordinem. Sed nunc in communi, & vniuerſali quæritur, à quibus de iure facienda ſit electio? Cui difficultati reſolutiuè reſpondetur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Electio de iure communi, ad Collegium pertinet.

QVælibet electio de iure communi ad Collegium pertinet, ita quod quælibet Congregatio de iure habet ſibi eligere Prælatum, niſi vel conſuetudo aut Priuilegium ſibi obſtet. Hæc Concluſio eſt expreſſa Sylueſt. verbo, *electio.* 1. quæſt. 1. & habetur in cap. 1. de *electione*, in cuius titulo apponitur, quod nulli Eccleſiæ Collegiatæ, prouideri debet de Prælato per collationem ſeu prouiſionem, ſed per electionem Canonicam, fiendam per ipſum Collegium, vbi hoc ipſum tenet Gloſſa ibidem. Habetur hoc idem in cap. *congregatio* 16. quæſt. vlt. vbi dicitur, quod congregatio debet ſibi eligere Abbatem poſt Abbatis ſui mortem, vel eo viuente, ſi ipſe deliquerit vel peccauerit. Idem habetur in cap. *Abbatem.* 18. quæſt. 2. idem etiam dicitur in cap. *cum dilectus de conſuetud. & in cap. nobis de iure patron.* & ſæpe alibi. Sed ſi Clerici non ſunt in Eccleſia vt Collegium, ſed vt ſingulares perſonæ, in tali caſu prouidebit Superior de Prælato per ſe vel per præſentationem patroni, vt habetur in cap. *paſtoralis, de iure patro.*

Nota hoc valde.

Secunda Concluſio.

Adeò de iure communi, electio ad Collegiũ pertinet, quod & ſi in Collegio non ſint niſi duo aut tres Collegæ, electio per tinebit ad eoſdem.

ADeò Prælatorum electio, de iure communi pertinet ad Collegium, quod ſi in aliquo Collegio ſeu Congregatione, non ſint niſi duo aut tres Collegæ, electio pertinebit ad eoſdem. Hæc etiam Concluſio eſt Sylueſt. vbi ſupra, quam & probat ex cap. 1. *de electione, cum gloſſa ibi duo vel tres, & ex cap. cum dilectus de conſuet. & cap. cum Adrianus*, diſt. 63. quod ſimiliter tenet etiam Gloſſa in cap. 2. *de poſtul. Prælatorum*, quam ſequuntur Innocent. & Hoſt. & omnes DD. communiter, qui dicunt, quod ius vniuerſitatis poteſt remanere in vno ſolo, omnibus alijs mortuis, priuatis, ſuſpenſis, vel excommunicatis. Nam quamuis nullum Collegium poſſit conſtitui in vno ſolo, quia iure ciuili requiruntur ſaltim tres, *per legem, Neratius, ff. de verb. ſignifi.* & de iure Canonico ſaltim duo, per dictũ 1. cap. *de elect.* conſtitutum tamen ſemel in multis, poteſt totum ius Collegij venire ad vnum, & conſeruari in illo vno. Pro quo facit tex. notabilis *in l. ſicut. §. ſi. ff. quod cuiuſque vniuer. & gloſſa in cap. gratum*, verbo *maiorem par. de poſtulat. Prælatorum*, quam ſequitur Panormit. ibid. & in dicto cap. 1. *de elect.* Hãc de re videndus eſt ſpecialiter Nauar. lib. 1. Conſiliorum de electione conſ. 8. num. 1. vbi dicit adeò hoc verum eſſe & certum, quod ſi omnes Cardinales exirent è Conclaui, poſtquam ad eligendum Papam in vnum conuenerunt, vno dumtaxat excepto, ille ſolus poſſet eligere Papam, quod etiam expreſſe tenet Gloſſa memorabilis in Clement. *ne Romani. §. porro. verbo omnes, de electione*, quam communiter receptam magnificant D D. Et generaliter loquendo eſt certum & verum, quod quando maior pars Collegij eſt inhabilis ad eligendum, poteſtas eligendi pertinet ad paucìores, & illi repræſentãt totum Collegium, cum inhabiles non computentur in numero, ad quod facit quã maximè c. *illa de elect. & gloſſ. in Clement. quod circa, eod. tit.* Verum eſt tamen, quod in caſu quo Collegium redactum eſſet ſolummodo ad vnum, ille talis ſolus, non poſſet eligere ſe ipſum, prout tradunt ſupradicti Sylueſt. & Nauarr. locis ſupracitatis, per ca. *per noſtras de iure patron.* quia notaretur & videretur eſſe ambitioſus, & vt inquit Gloſſa ibidem, verbo *ingerere*, tanquam talis deberet repelli per capit. *in ſcripturas*, 8. quæſt. 1. & cap. *ſi is qui.* 1. quæſt. 6. & per legem *ſi quemquam.* C. de *Epiſc. & Cler. & l. quæ omnia. ff. de procurat.* Et quamuis in caſu quo totum ius Collegij redactum eſſet ad tres, haberi poſſet electio, dũ ſuffragarentur duo in fauorem tertij, non tamen ſi eſſet redactum ad duo, quia nullus poſſet ſuffragari ſibi ipſi, nec ſuffragando vnus alteri, eſſe poterit maior pars, quod ad rationem electionis neceſſariò requiritur, per capitulum, *quia propter*, ſupradictum. Omnia iſta ſunt valde notanda, ac memoriæ commendanda. Sed difficultas eſt ſcire & inueſtigare, ex membris Collegij quinam poſſint aut nõ poſſint eligere, & vocem & votum habeant in electionibus ſupradictis? Quibus difficultatibus, per ordinem fiet ſatis per ſequentes Concluſiones.

Tertia Concluſio.

Si aliqui de Collegio iam actu ſunt priuati, electio deuoluitur ad reliquos.

SI aliqui de Collegio propter aliquam rem poteſtate eligendi ſunt priuandi, pro ea vice, dicta poteſtas non deuoluitur ad reliquos antequam priuentur, ſecus eſt autem ſi iam ſunt priuati. Hãc Concluſio tenet ſupradictus Sylueſt. loco ſupracitato verbo electio, 1. quæſt. 2. in primo dicto, quã & probat ex Gloſſa in cap. 2. *de poſtulat. Prælat.* & dicit eſſe de mente Panormit. in eodem capit. vbi poſt Innocent. ponit Regulam, quod valet electio facta, non vocatis illis qui ſunt priuati, vel inhabiles ad eligendum, quin verò addit & dicit quod valet, licet primo nõ ſit diſcuſſum an ſint priuati: nam ſatis eſt quod poſtea poſſint conuinci, quod etiam eſt multum notandum & memoriæ commẽdandum.

Quarta Concluſio.

Conuerſi ſiue Laici de iure communi, nõ habent vocem

COnuerſi ſiue Laici, non habent vocem & votũ in electionibus Canonicis Prælatorum. Hanc Concluſionem tenet etiam Sylueſt. vbi ſupra, in ſecundo dicto, & eam probat per c. *ex eo de electione* lib. 6.

& votum, in electionibus Prælatorum Canonicis.

lib. 6. §. *in Eccleſijs*, vbi dicitur, *quod Conuerſi ſiue Laici cum Clericis non debent electionibus intereſſe.* Hoc eſt verum loquendo de iure communi, ſecus autem erit de conſuetudine antiqua, vt dicit Innocent. in cap. 1. *de inſtitu.* & idem tenet Federicus conciuſ. 107. Nec ſunt ſupradicti conuerſi ſiue Laici de corpore Capituli, etiam quando tractantur in Capitulo temporalia, vt dicit idem ipſe, per textum in c. *& ſi Chriſtus, de iureiurando. verbo, vos & Monaſterij veſtri Conuerſi.* Qua de re videatur Gloſſa in dicto ca. *ex eod. elect.* verbo, *electionibus*, vbi ad hoc propoſitũ dicuntur plura, eaque notatu digniſſima.

Quinta Concluſio.

Generaliter loquẽdo, qui non ſunt in ſacro Ordine inſigniti, non habẽt votum & vocem in Capitulo in electionib. Eccleſiarum Cathedraliũ, ſiue Collegiatarũ quæ canonice fiunt.

GEneraliter loquendo qui ſacro Ordine non ſunt inſigniti & ſaltem Subdiaconi, non habent votum & vocem in Capitulo, in Eccleſijs Cathedralibus Collegiatis, ſæcularibus ſiue Regularibus, quæ Canonice fiunt, etiam ſi ab alijs libere ſibi concedatur. Hanc etiam cõcluſ. tenet expreſſe ſupradictus Sylueſt. loco ſupra citato in dicto quarto, & probat eam ex Clementina, *vt ij qui, de ætate & qualit.* quod de nouo innouauit Concil. Trident. Seſſio. 25. *de reformat.* cap. 4. vbi hoc idem decernitur & ſtatuitur, atque ita obſeruatur in communi praxi, in omnibus Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, ſæcularibus ſiue Regularibus, quid quid dicat P. F. Emmanuel Roderic. tomo 2. ſuarum qq. Regular. quæſt. 51. ar. 5. defendere volens, quod verba ſupradicti Concil. Trident. non intelliguntur nec debent intelligi, de Eccleſijs Regularibus Religioſorum Ordinis Mendicantium, ſed de Eccleſijs Canonicorum Regular. & de cæteris Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis ſæcularibus, propter vltima verba, quæ ibidem ponuntur de mulctatione præbendarum, quæ locum nõ habent in Monaſterijs Religioſorum. Sed quidquid de hoc ſit, contrarium tamen eſt verius, quod & obtinuit conſuetudo, quæ optima eſt legum interpres, quæ & inuiolabiliter eſt obſeruanda, cũ Concilium ſupradictum, generaliter ato; vniuerſaliter loquatur, & vt dicitur in expreſſis non eſt locus coniecturis.

Sexta Concluſio.

Generaliter etiam loquendo, non habent votum & vocem in electionibus Eccleſiarum Regularium, qui tacite vel expreſſe in eiſdem non fuerint profeſſi.

GEneraliter etiam loquendo, non habent votum & vocem in electionibus Eccleſiarũ Regularium, qui ipſarum Regulas tacite vel expreſſe non ſunt profeſſi. Hanc etiam Concluſ. tenet ſupradictus Syluester loco ſupracitato, in tertio dicto, & probat eam ex prædicto cap. *ex eo. de electione* §. in Eccleſijs, vbi ſupra dicta verba habentur expreſſe, in quibus etiam videnda eſt Gloſſa, ibi, *tacite vel expreſſe.* Et dicit Syluest. hoc idem eſſe intelligendum de illis, qui per ipſorum Regulas & Conſtitutiones approbatas, votum & vocem prohibẽtur habere in Capitulo & in electionibus. Sed limitat ſupradictam Concluſionem, in caſu quo ex priuilegio ſeu conſuetudine, alicui extraneo etiã conueniat eligere, nam ex dictis priuilegio ſiue conſuetudine, ad electionem alieni plerumque vocantur, vt conſtat ex cap. *Cumana*, eodem titulo *de electione.* Quin verò & pro pace ſeruanda, interdum admittuntur Laici & maximè Principes, vt defendant electores ab oppreſſoribus, ſecundum gloſſam ibidem & omnes Doctores communiter. Vnde qui eſt in poſſeſſione vel quaſi poſſeſſione iuris eligendi, poteſt eligere etiamſi poſtea amittat poſſeſſionem, per cap. *conſultationibus de iure patron.* & cap. *cum propter*, & cap. *querelam*, eodem tit. quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VI.

Quinam ſint vocandi ad electionem Canonicam?

Prima Concluſio.

Ad Canonicã electionem vocandi ſunt omnes præſentes ad quos de iure pertinet eligere.

AD electionem Canonicam in primis vocandi ſunt omnes præſentes, ad quos de iure pertinet eligere. Hæc Concluſio eſt Syluestri, verbo, *electio.* 1. quæſt. 5. in primo dicto, quam & probat per c. *coram*, & cap. *quia propter de electio.* & præſentes eſſe exiſtimantur omnes, qui ſunt in ciuitate vel in hortis ciuitatis, per legem 1. ff. *de procur.* Et ſi quis eorum ſit in ciuitate vel in Monaſterio aliquo infirmus, ſecundum Hoſtienſ. ſcrutatores ire debent ad eum & inquirere votum eius, ſicut vota aliorum præſentium, quia præſens eſſe cenſetur qui in hortis eſt, per ſupradicta leg. 1. *iuncta etiam leg. 5. ff. vbi ſupra*, Nec erit neceſſe in collatione aut in alijs quæ ſequuntur huiuſmodi, iterũ requirere, ſed ſufficit conſenſus ſemel habitus in ſcrutinio, cum quo concordat Innocent. Poſſet autem iſte talis in tali caſu, conſtituere procuratorẽ vnum de Collegio, cum iuſto eſſet impedimento detentus.

Secunda Concluſio.

Ad Canonicã electionẽ etiã vocandi ſunt omnes abſentes, qui ſunt in Prouincia, non verò qui ſunt extra.

AD electionem Canonicam vocandi etiã ſunt omnes abſentes, qui ſunt in Prouincia non verò qui ſunt extra. Hæc Concluſio eſt etiam ſupradicti Syluestri vbi ſupra in dicto ſecundo, quam & probat per cap. *coram*, eodem titulo, vbi hoc ipſum expreſſe dicitur. Sed limitatur dupliciter, primo ſecundum gloſſam ibidem, quando diſtantia nõ eſt ita magna, quin cõmode etiam ipſi vocari poſſent: tunc enim etiamſi ſint extra, ſi ſunt prope vocandi ſunt. Secundo etiam limitatur, vt hoc ſit obſeruandum quod habet conſuetudo vt ibidẽ dicitur, nam licet de iure vocandi ſint omnes abſentes, qui ſunt in Prouincia vt dictum eſt, conſuetudo tamen poteſt introducere vt non vocentur, & nihilominus valeat electio. Hæc ſupradictus Syluester vbi ſupra.

Tertia Concluſio.

Generaliter loquendo ad electionem vocãdi ſunt, omnes qui debẽt volũt, & poſſunt cõmode intereſſe.

GEneraliter autem loquendo, ad electionem vocandi ſunt omnes, qui debent & volũt & poſſunt commode intereſſe. Hæc etiam Concluſio eſt Syluestri vbi ſupra in dicto tertio, & habetur expreſſa in ſupradicto cap. *quia propter, de elect.* Vbi per illa verba, *qui debent*, excluduntur qui de iure non debent

debent intereſſe, per illa verò, *qui volunt*, excludũtur qui intereſſe nolunt, qui quidem non debent compelli, niſi interſit Eccleſiæ, nam ſi interſit, pro ipſius intereſſe bene poterunt compelli, & nolentes intereſſe in numero duarum partium computari non debent. Per illa verba, *qui poſſunt commode intereſſe*, excluduntur qui cõmode vocari nequeũt in quo bonus iudex arbitrabitur, & decreto atque determinato quod vocari nequeunt commode, ſine illorum præſentia celebrari poterit electio. Sed aduerto, quod huiuſmodi commoditas refertur ſiue referenda eſt ad commoditatem Eccleſiæ, non autem ipſius perſonæ, vt tenent omnes vnanimiter Doctores, & bene. Aduerto etiam, quod omnes ſupradicti vocati intra competentem terminum aſſignatum, ſi non compareant neque veniant, non oportet eos vlterius expectare, vt habetur expreſſe in cap. *cum inter*, & cap. *cum nobis*, eodem titulo *de elect.* Vltimo aduerto, quod qui priuati ſunt vel aliàs inhabiles, etiamſi non vocentur, tenet nihilominus electro & omnia alia capitularia, ſecundum Panormit. in cap. 2. *de poſtulat. Prælator.* licet nondum ſit diſcuſſum an ſint priuati quia vt ſupra diximus, ſufficit quod poſſint poſtea conuinci, quod multum eſt notandum.

Quarta Concluſio.

Qualiter electores, vocandi ſunt ad electionem.

AD electionem vocandi ſunt electores ſupradicti, verbo vel ſigno conſueto campanæ, ſeu ſcripto aliquo ſecundum conſuetudinem, & qui ſunt abſentes per litteras aut per nuntium. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Syluestri, loco ſupra citato in quarto dicto, quam & probat per dictum ca. *coram, de electione.* Et notat ſecundum Panormitan. in cap. *in cauſis*, eodem titulo, quod in negotijs quę poſſunt expediri per præſentes (quod eſt regulare iuxta Gloſſam in cap. 2. *de teſtibus*, lib. 6.) ſufficit vocatio per ſonitum campanæ, cuius ſonus venire poſſit ad intelligentiam exiſtentium in loco, vt valeat quod fit, etiamſi minor pars ſit, quæ conuenit. Atamen in negotijs arduis, in quibus vocãdi ſunt abſentes, hoc non ſufficit, ſed debent vocari per nuncium vel per litteras, vt habetur in cap. *cum inter*, & cap. *quia propter*, eodem titulo. Quod etiam ſentire videtur Innocent. in ſupra dicto cap. *in cauſis*, & in cap. 2. *de noui operis nuntiatione*, quin vero Bartolus, *in l. omnes populi ff. de iuſtitia & iure*, tenet expreſſe, quod quantumcumque pulſetur campana, niſi conueniant ſaltem duæ Vniuerſitatis partes, non valet quod fit, *per l. nominationem. C. de Decurio. & l. nulli. ff. quod cuiuſque vniuer. & l. fin. C. de prædijs Decurionum*, lib. 10. quod & communiter tenent omnes Legiſtæ. Sed Syluester vbi ſupra dicit, quod hoc procedit & eſt verum, quando campana pulſatur ab eo, qui non habet poteſtatem, vt puta ſi pulſetur per aliquem ſeu per aliquos de Vniuerſitate, qui non faciant maiorem partem, nam minor pars de duabus vniuerſitatis, non habet cognoscendi poteſtatẽ, vel procedit quãdo pulſatio nõ intelligitur, prouocatione ad tale opus peragẽdũ, & dicit quod ſic concordari poſſunt Legiſtæ cũ Canoniſtis, in cap. autẽ *cum nobis*, eod. tit. de electione dicitur quod vocati nolentes venire, eo ipſo faciũt ſe alienos, & Gloſſa in Clemẽt. *quod circa*, eod. tit. inquit abſurdum eſſe quod vocati venire nolentes computentur in numero. Quæ omnia intelligenda ſunt, niſi in caſu quo eſſet lex aut conſuetudo, quod nihil fieret niſi duæ partes ſint præſentes, nam tunc talis conſuetudo ſeruanda eſſet, vt late tradit & probat ſupradictus Syluester, verbo *ſtatutum*, num. 2.

Quinta Concluſio.

Si quis electorum legitimorum nõ fuerit vocatus, ad ipſius inſtantiã & requiſitionẽ electio caſſanda eſt, niſi forſan & ipſe conſentiat, velitque ipſam ratam habere.

SI quis electorum legitimorum fuerit contemptus, & ad electionem non vocatus, ad ipſius petitionem electio caſſanda eſt, & caſſari debet, niſi forſan ipſe conſentiat & velit eam ratam habere. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Syluestri vbi ſupra in quinto dicto, & probat eam ex cap. *ſi cui*, eodem titulo, li. 6. quia inquit, electio non eſt ipſo iure irrita ſed irritanda, illo proſequente ſuam iniuriam & non alias, per c. *bonæ memoriæ*, eodem tit. nã quilibet poteſt renuntiare iuri ſuo, per leg. *ſi quis in conſcribendo, C. de pactis*, qua ſemel renunciatione facta quod per alios fuerit factũ impugnare nõ poterit. Quod quidem de renunciatione dicitur, eſt intelligendum, quando renuntiatio non præiudicat bono communi, ſecus eſt autem ſi ſit cum præiudicio illius, quia tunc non poſſit illud renuntiare, aliter præponeret bonum proprium bono communi, & in tali caſu poſſet compelli vt veniret. Vnde inquit Syluester, male faciunt, qui renuntiãtes voci ſuæ ne notentur, vel alio humano reſpectu, permittunt eligi indignos & inſufficientes, & inquit Syluest. quod hoc eſſe poſſet peccatũ mortale, nam qui habent votum & vocem tenetur illam non renuntiare, ſi id intelligit intereſſe bono communi. Si autem non interſit bono communi, ſed ſuo priuato & particulari, quilibet poteſt iuri ſuo renuntiare, vt dictum eſt, & facta ſemel renũtiatione vt dixi nõ poterit poſtea impugnare quod factum fuerit per alios. Si autem quis ad electionẽ non vocatus accedat, electione nondum facta admittendus eſt in omnibus, quæ reſtant facienda circa illam, vt habetur in capit. *Eccleſia veſtra*, eodem titulo, quod tenet Archidiaconus & omnes Doctores communiter.

Nota hoc valde, quod non quis prohibito in electione aliqua renũtiare poteſt voci ſuæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm abſentes conſtituere poſſint procuratorem, ad electionem Canonicam?

Prima Concluſio.

Electores abſentes poſſunt ad electionẽ cõſtituere procuratorem.

SI fuerit elector abſens, & iuſto impedimento detentus, eligere & inſtituere poteſt vnum vel plures procuratores ad electionem. Hæc Concluſio eſt Syluestri, verbo *electio*, 1. quæſt. 3. Nec huic reſolutioni obſtat id quod nuperrime habetur determinatum in Concil. Trident. Seſſ. 25. de reformatione cap. 6. vbi ſtricte præcipitur, *vt in poſterum non liceat voces, & ſuffragia abſentium ſupplere*, nam intentio ſupradicti Cõcilij, non fuit reuocare ius antiquum, iuxta quod abſens ad electionem conſtituere poteſt procuratorem, cum iuſto fuerit impedimento detẽ-

Nota pro declaratione Cõcil. Trident. de non ſupplendis ſuffragijs

detentus, per ſupradictum cap. *quia propter. §. illud autem de electione.* Quod & declaratum eſt per Illuſtriſſimos Cardenales Congregationes Regulariũ, qui prædictum decretum explicantes & declarantes, dixerunt, non ſuæ fuiſſe intentionis tollere, quin ex inſtitutis alicuius Religionis, licitum ſit Superioribus abſentibus atque legitime impeditis, conſtituere aliquem procuratorem ad Generale Capitulum, qui eorum loco & nomine vocem ſuam deferat, & præbeat votum in quacumque electione. Ita refert Paraſellus Generalis olim Ordinis Minimorum in ſuo Compendio Priuilegiorũ reſponſum fuiſſe à dictis Illuſtriſſimis Cardinalibus, anno 1570. Octaua die Auguſti. Mens ergo atque intentio ſupradicti Concil. loco præallegato ea tantùm fuit, tollere ac penitus amouere, deprauatam quandam antiquam conſuetudinem, quam habebant Superiores & Præſidentes in Capitulis, ad effectum ſuarum faciendarum electionum, abſentium vota ſupplendi, & votum & vocem cui volebant tribuendi, propria ſua auctoritate, dicendo illi. Tu eſto Prouincialis talis Prouinciæ loco N. abſentis, nã ego te ſubſtituo, & ſic de alijs, &c. quod quidem vergebat in magnam electionum fraudem, & Religionum omnium detrimentum vt de ſe patet. Hoc itaque tantummodo fuit vetitum atque prohibitum per ſupradictum Conc Triden. non verò abſentes, iuxta ius commune antiquum, Procuratorem ſeu Procuratores ſui loco conſtituere, prout in dicto cap. *quia propter*, ſibi expreſſe conceditur. Sed aduerto cum ſupradicto Sylueſt. quod ſi abſens ad electionem plures conſtituit Procuratores, quilibet eorum debet eſſe in ſolidũ, & ſi non concurrunt ſimul, potior erit conditio præoccupantis, quod ſi nullus eorum præoccupat ſed ſimul concurrunt, Capitulum admittet quem voluerit, & in caſu quo maior pars Capituli non concordet, admittetur ille qui prior fuit inſtitutus. Aduertit præterea ſupradictus Sylueſt. quod oportet vt Procurator inſtitutus ſit de Collegio, quod etiam habetur expreſſe in dicto cap. *quia propter. §. illud autem. in fin.* ibi, *vni de Collegio committat vicem ſuam*, quod ſi nullus eſſe velit, nolente Capitulo non poteſt extraneum deputare, nec per litteras exprimere votum ſuum. Tertio etiam notat & aduertit, quod oportet vt Procurator non eligat vnum ſuo, & alium Procuratorio nomine, quia nihil valeret electio, niſi dominus & ſubſtituens, ſpeciale mandatum ſibi dediſſet de aliquo nominando, quia tunc illum nomine ipſius & alium ſuo nomine poterit nominare, per cap. *ſi quis de electio.* lib. 6. Dicit præterea, quod licet poſſit committi Procuratori, expreſſio alicuius perſonæ, ſi tamen ipſe dominus & ſubſtituens, per litteras aliquem in electionem nominaret non valeret, vt expreſſe habetur in dicto cap. *ſi quis in textu, & in Gloſſa*, quæ omnia ſunt valde notanda atque memoriæ commendanda.

Secunda Concluſio.

Ad hoc vt elector abſens, procuratorem ſui loco poſſet ſubſtituere, neceſſe eſt vt iuſto ſit impedimento detentus.

AD hoc vt Elector abſens Procuratorem ſui loco poſſit conſtituere, neceſſum eſt, quod iuſto ſit impedimento detentus & impeditus, alias nullo modo poterit. Hæc Concluſio habetur expreſſa in dicto cap. *quia propter. §. illud autem*, vbi additur quod ſi opus fuerit ea de re iuramento fidẽ faciat, ſuper quo videatur latiſſimè Gloſſa, verbo *venire*, Panormitan. etiam tenet hoc ipſum ibidem & dicit quod licet in alijs negotijs explicandis, per Capitulum vel per Vniuerſitatem, procuratorem poſſit quiſpiam conſtituere loco ſui etiam non impeditus, non tamen ad effectum electionis, nam hoc eſt ſpeciale in electione, ſiue ſeruanda ſit forma dicti cap *quia propter* ſiue non, cum ibidem hoc ſit ſimpliciter interdictum, & præterea quia in negotio electionis, videtur particulariter electa induſtria perſonæ, argumento deſumpto ex ca. *is cui, de officio delega.* lib. 6. Dicit tamen Sylueſt. loco ſupra citato verbo *electio.* 1. quæſt. 3. *in* ſecundo dicto quod ſi alij de Capitulo admittere velint ad electionem procuratorem non impediti, optime hoc facere poſſunt, non obſtante diſpoſitione dicti ca. *quia propter*, nam licet textus dicat ibi ſimpliciter, *interdicimus*, cum hoc interdictum emanauerit in fauorem illorum, poterunt in hoc caſu iuri ſuo renũtiare. Quod & præterea patet ex eo, quodſi ſupra dicti de Collegio poſſent communicare ius eligẽdi penitus extraneo, per cap. *ſcriptum*, eodem tit. quamuis ad id non poſſent compelli, per cap. *cum Eccleſia Sutrina, de cauſa poſſeſ. & propriet.* & quia vtẽs iure ſuo nemini facit iniuriam, per cap. *cum Eccleſia Vulterana, de elect.* multo ergo melius & à fortiori, ſi velint poſſunt admittere Procuratores eorum qui ſunt de Collegio, quamuis non ſint impediti. Videatur hac de re Sylueſt. & Panormitanus vbi ſupra.

re, neceſſe eſt vt iuſto ſit impedimento detentus.

Tertia Concluſio.

In hiſce electionum rebus quammaxime ſtandum eſt conſuetudini, quoad vocandos vel nõ vocandos abſentes.

SI alicubi fuerit conſuetudo, quod abſentes ad electionem non vocentur valet, & è conuerſo valet etiam conſuetudo vt abſentes vocentur, & in his omnibus ſtandum eſt conſuetudini, dummodo non cedat in magnum Eccleſiarum damnum. Hæc etiam Concluſio eſt Sylueſtri vbi ſupra, & probat eam de mente & ſentent. Panorm. & Ioannis Andreæ, in cap. *coram, de elect.* vbi etiam dicit, quod non valet conſuetudo, quæ Eccleſijs eſt multum dannoſa & grauoſa, aut ſaltim per cap. 1. *de cõſuetudine*, ſi tamen (inquit) conſuetudo haberet, vt cum parua incommoditate abſentes vocari deberent, valeret talis conſuetudo, de quo caſu intelligendum venit cap. *in Geneſi, extra* eodem tit. in ordine tamen Prædicatorũ dicit, quod electio ſpectat ad præſentes. Quantum valeat & poſſit in hiſce rebus conſuetudo, dicemus infra in particulari Articulo, qui hac de re fiet.

ARTICVLVS VIII.

Quinam non poſſint eligere, ſeu iure priuati ſint poteſtate & facultate eligendi?

Concluſio.

Multi iure priuati ſunt poteſtate & facultate eligendi.

MVlti ſunt iure priuati poteſtate & facultate eligendi. Hæc Concluſio eſt Innoc. & Panormit. in cap. 2. *de poſtulat. Prælat.* & eam tenet Sylueſt. verbo *electio.* 1. q 4. vbi & enumerat tredecim caſus, in quibus, tredecim

decim hominum genera priuata ſunt poteſtate,& facultate eligendi. Primo excommunicati excommunicatione maiori per cap. *conſtitutus de appellat.* ſecus eſt autem de excõmunicatione minori, per cap. vltimum de *cleric. excomm. miniſt.* Secundo ſuſpenſi ab officio, per cap. *cum dilectus de conſuet.* Tertio interdicti, per cap. *cum inter. de elect.* Quarto quibus interdictum eſt eligere ſine licentia Superioris, per cap. *fin. de electione.* Quinto qui ſcienter celebrauerunt in loco interdicto, niſi ſuper hoc ſint priuilegiati, per cap. *is qui, de ſent. excomm.* lib. 6. Itẽ ſexto, ij qui in aliqua vacatione elegerunt ſcienter indignum, per cap. *cum in cunctis*, & cap. *cum innotuit, in fin. de elect.* Et idem eſt dicendum ſi peccauerunt in poſtulando, per cap. *ſcriptum*, eodem tit. quia pro ea vice ſunt priuati poteſtate eligendi, ſi facta nominatione ſequuta eſt poſtulatio vel electio, ſecus eſt autem ſi non ſit ſequuta, per cap. *perpetuo*, eodem tit. lib. 6. Septimo pupilli & impuberes, ideſt, qui ſunt intra 14. annũ in viris, & 12. in fœminis, per dictũ cap. *ex eo*, eodem tit. Octauo Laici & Conuerſi, per dictũ cap. Nono non profeſſi, tacite, vel expreſſe, per dictũ cap. Decimo non Subdiaconi, aut non inſigniti ordine ſacro, per Clement. *vt qui. de ætate, & qualit.* Vndecimo illi, qui per laicalem abuſum elegerunt, per cap. *quiſquis. de electione.* Duodecimo, non eligentes intra tempus à iure ſtatutum, per cap. *ne pro defectu*, eodem tit. & tandem Tertio decimo omnes irregulares, per cap. *is qui, de ſent. excomm.* lib. 6. vbi hoc habetur expreſſum, quamuis Archidiaconus id dubitauerit ac dixerit, quod de hoc in iure nullus reperitur textus expreſſus, ij in quam omnes ſunt, qui in iure priuati reperiuntur poteſtate & facultate eligendi.

ARTICVLVS IX.

In quonam loco Electio facienda ſit Canonica?

Concluſio.

Omnis electio Canonica, facienda eſt in loco ſacro, aut ſaltem honeſto.

Omnis electio Canonica faciẽda eſt in loco ſacro, nempe in Eccleſia vel Capitulo, aut alio loco ſimili honeſto. Hanc Concluſionem tenet Sylueſt. verbo, *electio.* 1. quæſt. 8. quamuis dicat in hoc ſtãdum eſſe conſuetudini, iuxta cap. *in cauſis. de elect.* modo locus non ſit locus clandeſtinus, quia electiones, quæ fiunt in locis clandeſtinis & in cameris vel per occulta conuenticula, reprobãtur in iure, per cap. 2. & cap. *ſi tranſitus*, diſt. 79. & in cap. *quia propter de elect. §. electiones.* Hoc ipſum habetur expreſſe, ibi, *Electiones Clandeſtinas reprobamus.* Vnde vt inquit dictus Sylueſter, electiones Epiſcoporum, præcipuè in Eccleſia fieri conſueuerunt, per cap. *quod ſicut*, eodem tit. *de electione*, quamuis ex cauſa etiam extra ciuitatem fieri poſſint, iuxta cap. *in nomine*, diſt. 23. Electio autem Papæ facienda eſt in conclaui, iuxta cap. *vbi periculum, de elect.* lib. 6. Dicit autem Sylueſt. quod electio facta in loco interdicto non valet, ſecundùm Archidiac. in dicto ca. *in nomine*, diſt. 23. ſed contrarium tenet Ioannes Andr. & DD. communiter, qui dicunt quod valet poſtulatio & electio facta etiam in loco interdicto, quia iſta nihil aliud ſunt quam quidam contractus, quod & probant per textum in cap. 1. *de poſtulat. Prælat.* Vbi videndus eſt Panormit.

ARTICVLVS X.

Quodnam tempus ſit ſtatutũ à iure, electionis Canonicæ celebrandæ?

Prima Concluſio.

Electio fieri non debet, ante ſepulturã prædeceſſoris, ſed ſi de facto fiat, valet.

Electio fieri non debet ante ſepulturam prædeceſſoris, ſi autem de facto fiat valet nihilominus. Hæc Concluſio habetur in cap. *bonæ memoriæ*, el 2. *de elect.* & quod valeat tenet expreſſe ibi Gloſſa, quam ſententiam tenet etiam Sylueſt. verbo *electio.* 1. quæſt. 6. quamuis multi Doctores Iuriſperiti contrarium dicant, & expectandam eſſe tertiam diem Prælationis ſiue dignitatis vacantis, & poſtquam cadauer prædeceſſoris fuerit ſepultum ac terræ traditum, & electionem aliter factam dicunt eſſe nullam. Quod quamuis verum habeat loquendo de congruentia, non tamen ſtando in iuris rigore, nec talis propterea electio dicenda eſt nulla, quin verò tales accidere poſſunt circunſtantiæ, quod electio ſtatim etiam eadem ipſa die ſit facienda, & omnis cunctatio abijcienda & repellenda, non expectata corporis ſepultura, vt in caſu quo timeatur aliqua magna vis & violentia alicuius magni Principis, aut aliquæ ipſius litteræ, quæ valeant aut poſſint iuſtam atque legitimam electionem impedire. In quo quidem caſu ad maiorem abundantiam nos Fratres Minores ſpeciale habuimus priuilegium Clementis IIII. quod habetur in Monum. Ordin. 1. impreſ. fol. 56. & 2. fol. 134. conceſ. 302. & refertur in Comp. verbo *electio.* §. 4. *quod in huiuſmodi electionibus, tempus ſuper hoc à iure ſtatutum nobis non currat, nec in hac parte iuris huiuſmodi regulis coarctemur.* Quod quidem Priuilegium deſeruit & prodeſſe poteſt ad multa, quæ ſtatim dicentur.

Secunda Concluſio.

Tempus triũ menſiũ eſt determinatum à iure pro qualibet electione facienda, alioquin deuoluitur electio ad ſuperiorẽ.

IN Eccleſijs Cathedralibus atque etiam Regularibus, ceſſante legitimo impedimento, electores tenentur intra tres menſes eligere, alioquin deuoluitur electio ad proximum Superiorem, & ſi ipſe intra dictum terminum non elegerit, deuoluitur ad alium Superiorem, & ſic vſq; ad Papam. Hæc Concluſio habetur expreſſe, in cap. *ne prodefectu, de elect.* & eam tenet Sylueſt. vbi ſupra. Sed ad hoc deſeruit ſupradictum Priuilegium Clementis IIII. vt prædicta non habeant locum apud nos Minores Fratres, nec apud Regulares omnes Priuilegium habentes communicationis.

Tertia Concluſio.

Quo tempore poſt electionẽ factam, tenen

POſt electionem factam, Electores tenentur electionem præſentare electo, & petere conſenſum eius intra octo dies poſtquam commode potuerint,

tuerint, alioquin excluduntur negligentes à proſequutione proceſſus, & ſunt ſuſpenſi per tres annos ab omnibus beneficijs ipſius Eccleſiæ. Habetur hæc Cõcluſio in c. *cupientes.* §. *cæterũ de elect.* li. 6. & eam tradit Syluest. vbi ſupra, ad quod etiam deſeruire poteſt ſupradictum Priuilegium Clementis Quarti, vt non currat nobis penes hoc à iure ſtatutum tempus, neque in hac parte ſupradictis iuris regulis grauemur.

Quarta Concluſio.

Intra quodtẽpus, electus tenetur electioni de ſe factæ cõſentire aut renuere.

ELectus intra menſem à præſentatione electioni de ſe factæ conſentire tenetur, aliàs eſt priuatus electionis iure, niſi forte ea ſit electi conditio, quod conſentire non poſſit abſque licentia Superioris, quo caſu tenetur ipſe & Electores licentiam petere, cum ea celeritate, quã patitur abſentia vel præſentia Superioris, & ſi non habeatur licentia, ex tunc ad aliam electionem debent procedere. Hæc Concluſio eſt expreſſa Syluestri loco ſupra citato, vbi etiam dicit, quod quilibet Clericus electus, intra tres menſes poſt conſenſum tenetur petere confirmationem, aliàs caſſatur electio, vt in cap. *quam ſit, de elect.* lib. 6. Imò verò ſi confirmatio petenda eſt à Papa, electus tenetur intra mẽſem poſt conſenſum, vel ſi nõ fuerit ei electio præſentata intra menſem à notitia, iter verſus curiam arripere & confirmationem petere & negotium proſequi, vt habetur in cap. *cupientes, de elect.* lib. 6. In alijs verò Eccleſijs, inquit, quod prouideri debet intra ſex menſes, aliàs electio deuoluitur ad Superiorem modo ſupra dicto, vt habetur in cap. *de multa, de præben.* & in c. *nulla, de conceſſion. præbend.* Hæc ſupra dictus Syluest. vbi ſupra, & ſtatim in quæſtione ſequenti quærit, vtrùm ſtatui poſſit minor terminus quàm trium menſium, in quo ſi non conueniant vocati, licite procedatur ad electionem? & dicit quod ſic, ſi duæ partes ſint præſentes, & aſſignetur ſufficiẽs cauſa coarctationis, quod probat ibidem concordãdo circa hoc diuerſas Doctorum ſententias, in cap. *cum inter vniuerſas,* & ca. *cum à nobis, de elect.* quæ pro iſto articulo breuiter dicte ſufficiant.

ARTICVLVS XI.

Quinam poſſint aut non poſſint eligi, ita quod electio de eis facta, ſit ipſo iure nulla & inualida?

Prima Concluſio.

Eligẽdorum qualitates, quales eſſe deb eant?

ELigi poteſt qui ex legitimo matrimonio fuerit natus & legitimæ ætatis, id eſt triginta annorum completorũ quãtum ad Epiſcopatum, & ad alias dignitates Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, viginti verò quinque annorũ quantum ad alias inferiores animarum curam habentes, & aliter eligentes ſunt priuati illa vice poteſtate eligendi, ſufficit tamen illos attigiſſe. Hæc Concluſio eſt expreſſa Syluestri, verbo, *electio.* 1. quæſt. 13. de qua & nos multa diximus ſupra quæſt. 2. & 3. per plures Articulos, quam ob cauſam nunc ab ampliore eiuſdem tractatione ſuperſedemus. Videatur prædictus Syluester, nam plura ibi dicit notatu digniſſima.

Secunda Concluſio.

Qui ad vnam dignitatẽ repẽritur dignus, regulariter loquẽdo, eſt etiam dignus ad aliam.

QVi ad vnam dignitatem reperitur dignus, ſi poſtea eligatur ad aliam, regulariter loquẽdo debet etiam dignus reputari. Hæc Concluſio eſt expreſſa Syluest. loco ſupra citato, & probat eam ex cap. *geſta,* diſt. 74. Sed dicit quod quandoq; fallit hæc regula, nam licet interdum quis tolleretur in officio minori, non propterea indignus in maiori debet tolerari, iuxta cap. *nos conſuetudinem,* diſt. 12.

Tertia Concluſio.

Abbas exẽptus bene poteſt eligi in Epiſcopum, ſiue in Abbatem alterius Conuentus eiuſdem Regulæ.

ABbas exemptus, bene poteſt eligi in Epiſcopum, ſiue verò in Abbatem eiuſdem Regulæ & habitus, ſed tranſire non poteſt, niſi de licentia Papæ, vel Legati de latere ſi ſit in Prouincia. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in cap. *ſi Abbatem, de elect.* lib. 6. & eam tradit Syluest. vbi ſupra, quæſt. 13. circa quam nihil aliud occurrit dicendum.

Quarta Concluſio.

Quilibet Religioſus, licet non expreſſe profeſſus, quin verò & Nouitius, eligi poteſt in Epiſcopũ, ſed ad Præfecturas ſuæ vel alterius Religionis, aſſumi non poteſt niſi ſit profeſſus.

LIcet quilibet Religioſus etiamſi non ſit expreſſe profeſſus, quin verò & Nouitius, eligi poſſit in Epiſcopum, ad Prælaturas tamen ſuæ vel alterius Religionis, aſſumi non poteſt niſi ſit expreſſe profeſſus, imò nullus Religioſus poteſt eligi & aſſumi in Abbatem aut Prælatum alterius Religionis ſeu habitus, & contrarium facere eſt ipſo iure irritum, & inane. Hæc Concluſio eſt etiam expreſſa Syluest. vbi ſupra, & quæ in ipſa dicuntur, conſtant per ordinem ex cap. *nullus, de elect.* li. 6. & Clementina 1. *extra,* eod. tit. qua etiam de re nos multa diximus ſupra, quæſt. 3. art. 4. quapropter ab ampliore illius tractatione ſuperſedeo.

Quinta Concluſio.

Multi iure p hibẽtur, in Superiores ſiue Prælatos eligi propter alĩ qua impedimenta.

MVlti prohibentur de iure communi, in Superiores ſiue Prælatos eligi, propter impedimẽta quamplurima, quæ ponuntur in iure, quæ & ad octo capita reducuntur. Primò is qui fuerit notorie malus. Secũdò qui fuerit excommunicatus excommunicatione maiori. Tertiò etiam excommunicatus excõmunicatione minori. Quartò qui fuerit ſuſpenſus vel interdictus & qui non ſeruauit interdictum. Quintò qui non fuerit legitime natus, aut debitæ ætatis, vel ſufficientis litteraturæ, vel ſimile aliud impedimentum habet circa ordinationem. Sextò qui ſemel fuit reprobatus vitio perſonæ. Septimò ſi eſt Epiſcopus. Octauo ſi non eſt in Religione profeſſus. Hæc Concluſio eſt expreſſa ſupradicti Syluest. loco ſupra citato, q. 14. vbi in fine inquit, quod omnis electio facta de eo qui aliquod habet prædictorum impedimentorum

eſt ipſo iure, nulla excepto primo & tertio impedimẽto, in quibus nõ eſt ipſo iure nulla, ſed caſſanda & annullanda, vt pater, per cap. *fin. de cler. excom. miniſt.* & inquit, quod huiuſmodi Electores ipſa vice ſunt priuati electione, & ſuſpenſi per triennium ab Eccleſiaſticis beneficijs ipſo facto, vt habetur in cap. *cum in cunctis, de elect.* Sed oportet vltẽrius ſupradicta amplius indagare, quia multa ſunt conſideratione digna, & quidem de primo impedimento, nempe ſi eligendus fuerit notorie malus, plura ſumus infra dicturi in proprio, & ſpeciali Articulo, quem hac de re facturi ſumus. Solùm nunc breuiter dico, quod ſecundum D. Thomam, quodlib. 8. q. 4. art. 1. in publico peccato mortali exiſtens, indignus eſt ad quodlibet opus ſpirituale exequendum, ac proinde iure optimo caſſanda & irritanda eſt ipſius electio. Circa ſecundum impedimentum de excommunicato excommunicatione maiori, habetur expreſſa conſtitutio, quod nõ eligatur, in cap. *conſtitutus, de appel.* & electio de illo facta eſt irrita & nulla. Circa tertium de excõmunicato excõmunicatione minori, quamuis electio nõ ſit ipſo iure nulla habetur tamẽ in c. *fin. de cleric. excõm. miniſt.* quod ſi ſcienter eligatur, excõmunicatus excõmunicatione minori, electio eſt caſſanda. Circa quartũ impedimẽtum, ſi ſit ſuſpenſus vel interdictus, habetur expreſſum, in cap. 1. *de poſtulat. Prælat.* & cap. *cum dilectus, de conſuet.* Circa quintum ſi non eſt legitime natus, debitę ætatis, &c. dictum eſt ſupra in quæſtionibus particularibus, quas hac de re egimus, quæſt. 2. & 3. per diuerſos Articulos. Circa ſextum, ſi fuit ſemel reprobatus vitio perſonæ, quod neque ibi neque alibi huiuſmodi poſſit eligi, habetur expreſſe, in cap. *ſuper eo, de elect.* ſecus eſt autem ſi electio caſſata fuit propter vitioſum proceſſum, quia tunc eius promotio non impeditur, etiam in eadem Eccleſia, vt habetur in dicto cap. *ſuper eo*, & in cap. *innotuit*, eodem tit. Circa ſeptimum impedimentum, nempe ſi eſt Epiſcopus, cũ iam alteri Eccleſiæ alligatus ſit, certum eſt quod non poteſt eligi, licet poſſit poſtulari à Papa, vt abſoluatur ab Epiſcopatus onere, per cap. *fin. de poſt. Prælat.* Tandem circa octauum impedimentum, ſi non ſit in Religione profeſſus, iam dictum eſt ſupra concluſ. 4. quod non poteſt eligi, & quod aliàs electio facta non valet, per cap. *nullus de elect.* lib. 6. neque aliquis exiſtens alterius Religionis ſeu habitus, per Clement. 1. *de elect.* Qua de re peculiarẽ etiam fecimus Articulum ſupra quæſt. 3. art. 4. Nec Religioſus tranſiens de Mendicantibus ad non Mendicantes, ibidem poteſt eligi, per aliam Clementinam, quæ incipit, *vt profeſſores, de Regularibus.* De quibus omnibus videatur Sylueſt. vbi ſupra quæſt. 14.

Difficultas. Solummodo ſupereſt, in calce huius Articuli inueſtigare, quid ſit faciendum, in caſu, quo in Capitulo ſiue Collegio ſunt aliqui excommunicati vel ſuſpenſi aut ſaltim dubitatur, & ſine ſcandalo expelli non poſſunt, vel quando dubitatur de aliquibus, an iure intereſſe debeant electionis. Quam difficultatem mouet & tractat Sylueſter, verbo *electio*, 1. quæſt. 15. & reſpondet cum Panormitan. in cap. *Cumana.* eodem titulo de electione, quod admittantur cum proteſtatione vt eorum voces valeant, ſi & in quantum appareat eoſdem poſtmodum debuiſſe intereſſe & non alias, & addit quod non nocet electioni aliàs legitimæ, quod non habentes vocem fuerint admiſſi vna cum alijs. Idem dicit Panormitan. eſſe faciendum, quando aliqui excommunicati ingerunt ſe electioni & vbi imminet ſcandalum, inquit, quod poſſunt admitti cum proteſtatione ne videantur ſcienter admiſſi, nam ſic corrueret tota electio, per cap. *fin. de procurat.* Ad quod comprobandum adducit ſupradictus Sylueſt. ſingularem quandam theoricam Innocentij, in ca. *illa, de electione*, quam (inquit) omnes Doctores ſequuntur ea eſt, quod ſi inhabilis ad electionem admittitur, idque fit ignoranter, valet electio, etiamſi vnus ſolus ſit habilis, & loquitur propriè de excommunicatis, ſecus tamẽ eſſet, ſi aliàs inhabilis ſcienter fuiſſet admiſſus. Quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Electiones Canonicæ, fieri poſſint de nocte?

Prima Concluſio.

Regulariter loquendo, electiones nõ debent fieri de nocte.

COmmuniter & regulariter loquendo, & vt obſeruetur forma tradita in dicto capit. *quia propter*, electiones Canonicæ, nullatenus fieri debent de nocte. Hæc Concluſ. colligitur expreſſe, ex dicto cap. *quia propter*, vbi ſequentia verba habentur, *Electiones quoque Clandeſtinas reprobamus.* Idem habetur in cap. *ſi quis*, diſt. 79. quæ verba explicans Panormitan. in cap. 1. *vt Eccleſiaſtica bene ficia* (inquit) quod electiones nullatenus fieri debent de nocte. Idem tenet Felin. in cap. *conſuluit, de offic. deleg.* & Nauarr. lib. 1. Conſil. de electione conſ. 8. numer. 2. vbi inquit, quod idem tenet communis opinio de omnibus actibus iudicialibus, & quod ad hoc propoſitum dies ſolùm videtur durare, quamdiu Sol lucet ſuper terram, ſecundũ Decium & per eum allegata, in dicto capit. *conſuluit.* Quod & quammaximè verum habet, ſi electio facienda ſit per ſchedulas manuſcriptas & ſecretas, quod fieri in tenebris haud quaquam poteſt commode, niſi adducantur multa artificialia luminaria. Atque hæc Concluſio (vt dixi) intelligenda eſt regulariter loquendo, nam in caſu magnæ alicuius neceſſitatis, bene poteſt fieri electio de nocte, ſi neceſſitas multum vrgeat, vt quando Electores per diem non potuerunt ſe concordare & electio debet per eos finiri, tunc ne protrahatur & dilatetur, deturque occaſio fraudibus & ſubornationibus, bene poterit fieri noctu, vt tenent omnes communiter DD. in dicto cap. *quia propter*, §. *fin.* & Abbat. in cap. 1. *de cland. ſponſ.* Sed tunc debent peti atque afferri tria luminaria, vt in dandis ſuffragijs & votis ferendis, nullum vitium poſſit contingere. Neque prædicta electio, ſi abſque aliqua fraude fuerit facta, dicenda eſt irrita & nulla, pro eo quod facta fuit de nocte, nam ſicut dicit Innocent. in cap. *quod ſicut, de elect.* Valet electio facta nõ ſeruata forma iure humano introducta, ſi con-

Nota valde, quod valet electio, facta non ſeruata forma iure humano introducta, ſi con-

ducta, ſi concurrunt omnia iure naturali & diuino requiſita.

concurrant omnia iure naturali & diuino requiſita. Qua etiam ratione, ſententia iudicum & omnes alij actus iudiciales noctu facti valent, ſi de conſenſu partium fiant, ſecundum Ioan. Andreæ, relatum per Felin. in dicto capit. *conſuluit*, numero 18. verſu, *tertio fallit.*

Secunda Concluſio.

Electiones, quæ non ſunt faciendæ per vota ſecreta, neq; per ſchedulas, nihil prohibet fieri de nocte.

ELectiones quæ non ſunt faciendæ per vota ſecreta nec per ſchedulas, ſed ſolùm per vocalia ſuffragia, nihil prohibet fieri de nocte. Hæc Concluſio probatur, nam in tali caſu non currit eadem prohibitionis ratio, cũ ceſſet omnis metus & ſuſpicionis occaſio, & præterea quia omnia, quæ non habent ſpecialem rationem prohibitionis, poſſunt quocunque tempore fieri, qua quidem ratione omnes contractus, & vltimæ voluntates fieri poſſunt nocte, vt poſt alios tradunt Felin. & Decius in d. cap. *conſuluit*. Et collatio beneficij noctu facta valet, vt tradit Panor. in cap. 1. *vt Eccleſiaſtica beneficia*, vbi etiam dicit, quod valet omnis electio noctu facta, in qua non eſt neceſſariò ſeruanda forma dicti c. *quia propter*, qua ratione validæ ſunt electiones, quæ fiunt per viam cõpromiſſi peractæ noctu, quales ſunt electiones Diffinitorum, quæ fiunt in Diffinitorio interdum noctu, ad eligendos Guardianos ſiue Priores & alia id generis officia, quæ cum non fiant per ſchedulas ſecretas, nullo iure fieri nocte prohibentur.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm Electores, ex eligibilibus teneantur ſemper eligere digniorem?

Prima Concluſio.

Dignior ſemper eſt eligendus, & cõtrarium facere, eſt peccatum mortale.

VAmmaxime curandum eſt, vt in electionibus cunctis ſemper eligantur digniores, & contrarium facere, omni proculdubio eſt peccatum mortale. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. & in Quolibetis, quæſt. 6. & 8. quem communiter omnes ſequũtur Thomiſtæ, & Caiet. in ſumma verbo *electio*, & iantaculis, ianta. 12. q. 4. & Nauar. in c. *Sacerdos. §. quod autem de Pœnitent.* diſt. 6. numer. 4. de qua re videndus eſt Magiſter Soto, lib. 3. de iuſtit. & iure. quæſt. 6. art. 2. conc. 9. vbi pro hac ſententia citat innumeros alios DD. dicitque id eſſe de iure diuino, contra quod vſque adeò nullo tempore præſcribitur, vt quo longior fuerit eius abuſus, eo grauius fiat delictum. Probat ſuam Concluſionem & ſententiam, multis auctoritatibus & rationibus, à me breuitatis gratia omiſſis, cum hæc omnia ex profeſſo ſeu quod dicitur ad vnguem pertractare, non ſit mei muneris nec præſentis ſpeculationis, ſed dumtaxat apponere Concluſiones & reſolutiones earum rerum ad Regulares ſiue Religioſos pertinentium, quæ communiter traduntur à Doctoribus. Solummodo dico quod vſque adeò in electionibus cunctis, curandum obnixe eſt vt ſemper eligantur meliores doctiores, ſanctiores atque digniores, vt iuxta mentẽ, & ſententiam D. Hierony. in epiſt. ad Oceanum (quæ num. eſt 83.) quamuis res ſit fere contra naturam (quę omnium hominum communis eſt fragilitas & miſeria) vt aliquis omninò ſit ſine peccato, tales tamen eligi debentin Prælatos & Paſtores, quoad maxime fieri poterit, vt ipſorum cõparatione, cæteri ſint & eſſe videantur, veluti grex & bruta pecora ſiue animalia. Quæ quidem verba quammaxime ſunt notatu digna. Videatur, cap. *licet ergo*. 8. q. 1. quod eſt eiuſdem D. Hierony. Vbi notanter dicitur vt non eligatur, niſi qui cæteris fuerit doctior & ſanctior. Facit & ad hoc cap. *vnum*. d. 25. §. *nunc autem*. vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima in ca. *autem conſtitutus*, *de appellationib.* & in cap. *Metropolitano*. diſt. 63. quod eſt D. Leonis Papæ, dicitur, vt ſemper eligatur, qui inter bonos iuxta ſcientiam eligentis fuerit melior ſiue optimus. Ad hoc propoſitum plura alia poſſem adducere, quæ breuitatis gratia facio miſſa, cum ſupra dicta (ſi fieri volunt) ſuperque ſatis ſufficiant, ſin autem fruſtra hac in re tempus conſumitur Deus prouideat, & in ijs rebus tanto remedio dignis, omni potentẽ manum ſuam ponat.

Secunda Concluſio.

Ad hoc vt in foro exteriori aliqua electio ſit valida, ſatis eſt vt eligatur dignus, & quod electus ſit bonus.

AD hoc vt in foro exteriori aliqua electio ſit valida, ſatis eſt quod eligatur dignus, & quod electus ſit bonus. Hæc Concluſio eſt expreſſa ſupra dicti D. Thom. locis ſupra citatis, & Magiſtri Soti, loco etiam ſupra dicto concl. 8. & eam tenet expreſſe Sylueſt. verbo, *electio*. 1. quæſt. 16. quam & probat, ex cap. *cum olim*, & cap. *cum dilecti*, & capit. *cum inter Canonicos*, *de elect. cum ſuis gloſſis*. ibid. Nam aliàs omnes electiones paterentur calumniam, cum non facile poſſint in foro exteriori, expendi & librari meritorum momenta, & plane conſtare quis bonus, quis melior, quis verò optimus. Verũ eſt tamen quod in foro conſcientiæ reſpectu eligentis, ſemper requiritur vt eligatur melior, & ille qui iuxta ſuam conſcientiam inter omes ſanctior fuerit & melior, & aliter facere eſt peccatum mortale, vt pote in re graui committere vitiũ acceptionis perſonarum, de quo locis ſupra citatis latiſſimè agit D. Thom. Videatur etiam hac de re Nauarr. lib. 5. Conſiliorum de Simonia conſil. 8. num. 1. & 2. vbi ſtatutis duabus Concluſionibus ſupradictis, addit & dicit, quod qui prætermiſſo digniore, dignum elegerint, peccant quidem, at quamuis peccent mortaliter, electio tameniam facta valet, nec tenentur ad reſtitutionem. Secus autem eſt ſi elegerint indignum, & inde aliquod malum fuerit ſubſequutum, nam tunc præterquã quod mortaliter peccant, tenentur ad reſtitutionem faciendam, non quidem digniori prætermiſſo ſed Eccleſiæ læſæ, vt latius dicit idem Nauarr. in ſuo Manua. cap. 17. num. 72. & 73. Videatur etiam hac de re Soto loco ſupra citato.

Tertia Concluſio.

Maior vel minor dignitas in ordine ad electionẽ, non ſolum conſide-

HViuſmodi maior vel minor dignitas in ordine ad electionem, non ſolum conſideranda eſt ſecundùm bonitatem ſimpliciter, ſed etiam ſecundum alias circunſtantias, neceſſarias ad propoſitum electionis finem. Hæc Concluſio eſt ex-

randa eſt ſecũdum bonitatẽ ſimpliciter, ſed ſecundum alias circuſtãtias, requiſitas ad propoſitum electionis finem.

expreſſa Diui Thomæ loco ſupracitato, & Magiſtri Soto concluſ. 4. 5. & 6. vbi hac de re latiſſimè agit, & de conditionibus & qualitatibus, ad Prælationis munus & officium requiſitis. Hoc autem in ſubſtantia eſt dicere, quod ſtare optime poteſt vt quis ſit melior ſimpliciter, ſecundùm proportionem charitatis (quia nẽpe eſt maioris charitatis) non tamen ſit melior, quantum ad propoſitum electionis finem, ſi alias neſciat regere & gubernare, ſibique deficiant multa alia ad id muneris requiſita. Pro quo facit illud, quod dixit D. Auguſtin. in Enchirid. nempe contingere poſſe frequenter, vt illi qui perfectiſſimus eſt in charitate multa deficiant, quæ in Prælato ſunt ſummopere neceſſaria, vt putà ſciencia, prudentia, valetudo corporis, &c. Videatur hac de re Diuus Antonnus 3. parte tit. 22. cap. 2. §. 4. & ſupradictus Magiſter Soto, lib. 3. de iuſtit. & iure, quæſt. 6. art. 2. & 4. vbi ad hoc propoſitum dicunt, plura eaque notatu digniſſima. Quando igitur in ſupradictis iuribus atque in noſtris Conſtitutionibus dicitur, in electionibus ſemper eſſe eligendos meliores, intelligendũ eſt perpenſis, & conſideratis omnibus circunſtantijs, & non ſola idoneitate, dignitate ſeu bonitate ſimpliciter, nam (vt inquit Ariſtot.) electio eorum, quæ ſunt ad finem, ſemper debet fieri ſecundùm conditionem finis, quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant, videatur Sylueſt. vbi ſupra. Vbi ad hoc propoſitum plura alia & quidem notatu digna dicit.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm Religioſo electo in diſcordia, acquiratur aliquod ius electionis, extra Ordinem ſuum?

Concluſio.

Quibus Religioſis, non acquiratur ius ex electione deſe facta, ad aliquam Prælaturã in diſcordia.

NVlli Religioſo Ordinis Minorum ſeu Prædicatorum, & quorumlibet Mendicantium, acquiritur aliquod ius ex poſtulatione, vocatione, prouiſione, ſeu electione in diſcordia facta, ad aliquam Prælaturã extra ſuum Ordinem, neque ipſe conſentire eipoteſt, etiam habita licentia. Hæc Concluſio eſt expreſſa Sylueſt. verbo *electio.* 1. quæſt. 17. & probatur eam, ex cap. *quorundam, de elect.* lib. 6. & dicit quod debet intelligi de diſcordia, ſiue ſit de iure ſiue verò de facto, ex quo textus ibidem indiſtincte loquitur, iuxta Clement. *quod circa*, eod. tit. & addit quod, alijs Religioſis Ordinum non Mendicantiũ, non etiam acquiritur ius in electionibus, nec conſentire eis poſſunt, ſi fuerint electi à minori parte numero, vt habetur in dicto cap. *quorundam.* Notandum eſt præterea quod ſi Religioſus electioni de ſe factæ, ad Prælaturam extra ſuum Monaſterium vel Eccleſiam, non petita & obtenta licentia conſenſerit, conſenſus præſtitus non valet, & electio ipſa viribus euacuatur. Poſſunt tamen Religioſorum Prælati huiuſmodi licentiam eiſdem dare Conuentibus irriquiſitis, prout habetur in cap. *ſi Religioſas*, eodem tit. lib. 6. ſed nõ valeret licentia, ſi concederetur pro futura electione, quam fieri contingeret, prout habetur in Clement. *cum conceſſa*, eodem tit. neque poteſt aliquis Religioſus præfici in aliqua Eccleſia, quæ Clero careat & populo Chriſtiano, vt habetur in Clement. *in pleriſque*, eod. tit. Hæc Syluester vbi ſupra, quæ de electione Canonica in communi breuiter ſint dicta, accedamus enim iam oportet ad declarandam electionẽ, quæ eſt per ſcrutinium, quod fiet in ſequentibus Arti.

ARTICVLVS XV.

Quonam pacto ſit facienda Canonica electio, quæ eſt per ſcrutinium?

Prima Concluſio.

In electione canonica, quæ eſt per ſcrutinium, Scrutatores debent eſſe tres.

IN primis in electione Canonica facienda per ſcrutinium, Scrutatores debent eſſe tres. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in dicto cap. *quia propter, de elect.* ibi *aſſumãtur tres* & eadem tenet Sylueſt. verbo, *electio.* 2. quæſt. 4. Et vtrobique dicitur, quod iſti tres eſſe debent de Collegio & fide digni, qui ſecrete & ſigillatim, vota cũctorum diligenter exquirãt. & in ſcriptis redacta, mox publicent in communi. Circa illud quod dicitur, quod Scrutatores ſint fide digni, aduertendum eſt, quod non prius debent incipere ſcrutari, quam iure iurando ſe adſtrinxerint, in manibus Præſulis Collegij, de ſuo munere fideliter exercendo, ſeruanda fide & ſecreto, cui quidem iuramento, in Religionibus correſpondet obedientiæ præceptum, quod ponitur à Prælato, quo ad id ſimiliter aſtringuntur. Eſt præterea aduertendum, quod Electorum vota debent exquiri ſecrete & ſigillatim, vt libera ſit cuique facultas, præbendi & dandi ſuum votum & ſuffragium cui maluerit. Quapropter ſemper in electionibus cunctis eſt cautum, vt Electores ad Scrutatores accedant & vocentur ſigillatim, & non bini vel trini, de quibus latius infra ſumus dicturi, in quæſtione, quæ ſpecialiter faciẽda eſt, de omnibus quæ pertinent ad ſubſtantiam Electionis factæ per ſcrutinium. Fuit autem conuenientiſſimum, vt in electionibus trium Scrutatorum aſſignaretur numerus, quia is numerus magis eſſe videtur perfectus, magiſque fraudem & ſuſpicionem excludit, & quia tres facilius concordes fiunt, cum facile duo diſcordes eſſe valeãt, & vix poſſit contingere quod non duo ex tribus inter ſe conueniant. Sed qualiter iſti tres ſe inuicem debeant perſcrutari, difficultatem habet. De qua ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Qualiter ſcrutatores debẽt ſua dare vota & ſuffragia.

COmmunis practicæ ferendi Scrutatores ſua vota & ſuffragia, eſt, vt duo ſcrutentur tertiũ, & ſic deinceps adinuicẽ. Hanc praxim tradit Panor. & Ioannes Andreas, in dicto cap. *quia propter*, vbi dicunt eſſe nimis vtile, vt primo ipſi Scrutatores ſemetipſos ſcrutentur, & ferant ſua ſuffragia, nec reſeruentur in finẽ, quia (inquiũt) ſi reſeruarẽtur cum

cum aliorum poſtea vota ſint eis nota, poſſet electio dependere ab eorum poteſtate, ea propter dicunt id ipſum eſſe faciendum in Capitulo, in electionis principio. Sed aduertere oportet quod loquuntur iſti auctores, iuxta antiquam ſcrutandi formam. expreſſam in dicto cap. *quia propter*, in qua Electores ferebant olim ſua vota & ſuffragia coram dictis Scrutatoribus, & ipſi ea redigebant in ſcriptis: quæ ferendorum ſuffragiorum forma, ſublata eſt modo per Concilium Tridentinum Seſſ. 25. cap. 6. *vbi diſtricte præcipitur, vt electiones omnes fiãt per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina, nũquam publicentur*. Sicque nunc communiter obſeruatur in praxi, vt ſuffragia ferantur per ſchedulas ſecretas, de quibus ſtatim dicemus, quod cum fiat ceſſat inconueniens, quod adducunt Panormitan. & Ioannes Andreas ſupradicti. Sed eo nihilominus non obſtante, vtile eſt ipſorum conſilium, nẽpe quod Scrutatores ſint primi, qui ſua vota atque ſuffragia ferant, & ſic communiter obſeruatur in praxi. Concludendo igitur dico, quod Scrutatores in electionibus cunctis eſſe debent tres, quorum duo tertium debent ſcrutari, & ſic de alijs ad inuicem per ordinem.

Difficultas. Sed quid ſi Electores ſunt tantum tres, vel duo aut ſolus vnus? Huic difficultati reſpondet Sylueſt. vbi ſupra ſecundum Innocentium, quod ſi Electores ſunt tantùm tres, duo ex eis ſcrutabuntur tertium, & ſic facendo de alijs per ordinem procedent ad electionem. Si verò ſunt tantùm duo, vnus ſcrutabitur alium, & quamuis ambo poſſint eligere tertium extraneum, neuter tamen poteſt eligere ſemetipſum, nec pro ſe ſuffragari, vt diximus ſupra de mente Nauarri lib. 1. Conſiliorum, de election. conſilior. 6. numero 4. vnde fit quod non eligendo extraneum, non eſſe poterit electio, cum non eſſe poſſit maior pars, quæ neceſſariò eſt requiſita ad electionis valorem. Et multo minus ſi Elector eſt ſolus vnus, quia nec ipſe poteſt eligere ſemetipſum, aut pro ſe ipſo ſuffragari, ſed neceſſariò debet eligere extraneũ, quod debet facere vocatis prius teſtibus & tabellione, & exprimendo coram ipſis votum ſuum, & eligẽdo & publicando electionem à ſe factam. Videantur prædicti Syluester, & Nauarro vbi ſupra, & hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS XVI.

Per quem debeant in electionibus, ſingulorum Electorum vota conſcribi?

CIrca hunc Articulum eſt notandum ex Sylueſt. verbo, *electio*, 2. quæſt. 5. & 6. quod cum textus ſupradicti capit. *quia propter*, impersonaliter loquatur, ſolummodoque dicat, cunctorum Electorum vota eſſe diligenter exquirenda & in ſcriptis redigenda, magna fuit olim his & controuerſia inter Doctores, circa perſonam quæ deberet ſingulorum Electorum vota conſcribere. Quidam dicebant facturos eſſe eoſdem Scrutatores, alij verò ipſos Electores, alij autem quod hoc fieri debebat per tabellionem, & præterea, an prædictus tabellio, ſcriba, ſiue notarius, deberet eſſe Clericus, an verò etiam eſſe poſſet laicus, magna inter ſupradictos fuit olim differentia, à quibus angustijs iam nos liberauit Decretum Concilij Tridentini, poſitum in ſupradicto Articulo, quod habetur Seſſion. 25. cap. 6. vbi ſtrictè præcipitur, vt omnia vota ſint ſecreta, ita, vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Ad cuius decreti obſeruantiam, quod nunc communiter ſeruatur in praxi, dicetur in ſequenti Concluſione.

Concluſio.

In noſtro ſacro Min. Ord. omnes electiones ſiunt per ſchedulas ſecretas.

IN noſtro ſacro Minorum Ordine, & ſecundùm noſtras Generales Conſtitutiones, decretum & ſtatutum eſt, vt omnes Superiorum electiones, fiant per ſchedulas ſecretas. Hæc Concluſio habetur in Conſtitutionibus Generalibus Toletan. ca. 7. §. de electionibus, vbi dicitur quod conſtituris à Præſide & Diſcretis Prouinciæ, ſupradictis tribus Scrutatoribus, quorum duo ſint teſtes, alter verò Secretarius, qui ſint de corpore Capituli, ad dictos Scrutatores ſiue Diſquiſitores in loco patenti exiſtentes, qui licet videri non tamen auditi poſſint, accedant ſuo ordine ſinguli Electores, petentes ad minus duo eligendorum nomina, quæ à Secretario ſcribantur & ſua rubrica notentur, qui etiam tot ſchedulas ſcriptas exhibeat, quot fuerint eligendorum nomina petita. Ex quibus ſchedulis, Electorum ſinguli vnam eligentes, coram Præſide & Scrutatoribus apponent in vaſe ad id muneris præparato, reliquas autem inutiles in alio vaſe collocabunt. Hæc eſt forma in ſupradicto loco ſtatuta, pro ferendis ſuffragijs & votis, quam licet pluries viderim practicari & obſeruari in communi praxi, multoties etiam vidi, quod Electores ipſi ſupradictas ſchedulas ſecretas ſeorſum faciant, & ad Capitulum deferant proprio nomine ſubſcriptas & obſignatas, ita vt Electorum ſubſcriptiones videri non poſſint. Quas prædictas ſchedulas ſuo ordine deferunt cum proceditur ad electionem, ponentes eas coram Præſide & Diſquiſitoribus ſiue Scrutatoribus prædictis, in dicto vaſe in id ipſum præparato, quæ eligentium vota ſtatim in menſa coram Præſide & alijs regulantur. Hanc duplicem eligendi & ferendorum ſuffragiorum praxim & formam, obſeruari vidi in noſtro ſacro Minorum Ordine, eaſdemque ſeu ipſarũ alteram, obſeruari credo in Ordinibus & Religionibus cunctis, nam illa quæ eſt & fieri ſolet per calculos ſiue per fabas, quamuis locum habeat in alijs, non tamen poteſt illum habere in huiuſmodi electionibus Canonicis, quæ fiunt per ſcrutinium, propter rationem dicendam ſtatim in ſequenti Articulo.

Nota formam quæ obſeruatur in efficiendis ſchedulis pro electione per ſcrutinium faciẽda, in noſtro ſacro Ord.

ARTICVLVS XVII.

Quonam modo ſint danda & ferenda ſuffragia, in electionibus, quæ fiunt per ſcrutinium?

Prima Concluſio.

Vota & ſuffragia in electione, quæ fit per ſcrutiniũ debẽt eſſe abſoluta, certa & determinata, & nõ ſub conditione data.

VOta & ſuffragia in electionibus, quæ fiunt per ſcrutinium, eſſe debent abſoluta, certa atque determinata. Hæc Cõcluſio eſt expreſſa Sylueſt. verbo *electio.* 2. quæſt. 3. eamque tenet Ioannes Andr. in dicto cap. *quia propter*, & omnes Doctores communiter. Volo dicere, quod in ſchedula qua continetur ſuffragium, ſiue votum eligentis ſiue ſuffragantis, debent poni & conſtitui huiuſmodi verba, *nomino vel eligo N. ad talem Præfecturam, aut conſentio in N.* & quolibet iſtorum modorum dicatur nihil refert, vt colligitur ex cap. in Geneſi, *de electio.* verbo, *ne vel idem repeti videretur*. Non tamen ſuffragia & vota, ferri debent ſub conditione aliqua incerta & ambigua, neque ſub diſiunctione, de quo ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Vota & ſuffragia, ſi ferãtur in electionibus ſub conditione aliqua incerta & ambigua, aut ſub diſiunctione, nihil prorſus valent, & haberi debent pro non adiectis.

SI vota & ſuffragia in electionibus ferantur cõditionata, & ſub conditione aliqua incerta & ambigua, aut ſub diſiunctione, nihil prorſus valent, debenque haberi pro non adiectis. Hæc Cõcluſio eſt etiam ſupradicti Sylueſt. loco ſupracitato, & probat eam per cap. *in electionib.* eod. tit. lib. 6. ita quod ſi quis in ſua ſchedula, ſuffragio ſiue voto, dixerit. Conſentio in Petrum ſiue Paulum, aut in Petrum ſi Paulum habere non potero, aut conſentio in eum quem Ioannes vel maior pars ſiue præſes Capituli conſenſerit, huiuſmodi ſuffragiũ nihil prorſus valet, imò eſt omninò irritum & inane, & non ſolùm cæterorum ſuffragiorum vim nõ impediret, quin verò accreſcerent voces illorum, qui pure, ſimpliciter, abſolutè & determinate cõſenſerunt, iuxta determinationem Innocent. IIII. poſitam in cap. *in electionibus*, quod eſt ſecundum in ordine eod. ti. l. 6. Vndeſi ſuffragia electorũ omnium, eſſent tantum 12. & ipſorũ quatuor ſua ſuffragia ferrent indeterminate, ſeu cum aliqua ex conditionibus ſupradictis, haberi deberent pro nõ adiectis, & totum ius electionis remanebit in reliquis octo, ita quod illud quod ipſorum maior pars ſtatuerit, erit firmum & validum, ac ſi quatuor ſupradicti in Collegio ſeu ex Collegio nullatenus eſſent, quod eſt valde notandum, ac memoriæ cõmendandum. Sed intelligenda eſt Concluſio, de conditionibus, quæ reddunt electionem incertam perplexam & dubiam, non verò de alijs quæ nihilominus ſunt ex natura actus, ſuffragia certa & determinata, quamuis & hæc perperam ponantur & excuſari debeant, ſed non propterea huiuſmodi ſuffragia cenſeri deberent inania, cum actus pure & ſimpliciter factus eſſe dicatur, ac ſeruata ſit forma etiamſi inepte ponatur & exprimatur, id quod etiam non expreſſum, eiuſmodi actus valeret, vt ſi verbi gratia, impertinẽter quis diceret, eligo talem in hanc aut illam Prælaturam, ſi verè vacat, aut quidpiam ſimile, nam vt habetur in iure in l. *actus legitimi. ff. de regul. iur.* conditio de præſenti, nõ eſt proprie conditio, nec vitiat actum.

Tertia Concluſio.

Vota & ſuffragia in electione Canonica, neceſſario fieri debẽt per aliqua ſcripta, ſiue hoc vel illo modo, & non fieri poſſunt per calculos ſine fabas.

VOta & ſuffragia in electionibus Canonicis, neceſſariò ferri debent per aliqua ſcripta, ſiue hoc ſiue illo modo confecta, & nullo modo electiones Canonicæ fieri poſſunt per calculos ſiue per fabas. Hæc etiam Concluſio eſt ſupradicti Sylueſt. & ſatis colligitur ex Concluſionibus ſupradictis, poſtquam dictum eſt quod vota & ſuffragia eſſe debent certa & determinata, quæ certitudo & determinatio, cum electio facienda ſit de pluribus ſeu inter plures, haberi non poteſt per calculos ſiue per fabas. Præterea probat id ipſum Sylueſt. ex alia peculiari ratione, deſumpta ex capit. *Eccleſia veſtra el 2.* eodem tit. vbi habetur quod ad validitatem electionis, non ſufficit quod à maiori parte fiat, niſi etiam illa maior pars ſit ſanior, quod per dictas fabas, calculos ſiue lupillos, apparere haud quaquam poteſt. Quod eſſe dicit neceſſariũ etiã in vniuerſitate ſeculari, quod ſit maior pars, & maior pars non cõſiſtit in ſolo ſuffragiorũ numero verũ etiam in dignitate, auctoritate & merito perſonarũ, vt notat Bart. in l. *Põponi. ff. de iudicijs*, quam uis vt dicit Panormitan. in dicto cap. *Eccleſia veſtra*, hoc communiter non aduertitur. Concludendo ergo dicit Sylueſt. quod in electionibus illa duo copulatiue, *ſcilicet maior & ſanior pars*, debent ſimul interuenire; quæ quidem magis ſana pars, percipi non poteſt per calculos nec per fabas, neque cognoſci aliter quam per voces ſeu per ſcripta, quibus modis fiunt notæ perſonæ conſentientes. Hęc doctrina Sylueſt. quamuis quoad ſupradictos calculos ſiue fabas, ingenioſa ſatis ſit & acuta, & cõmuni antiquæ praxi nimium conformis, vt ſatis poteſt colligi ex multis iuribus, de quibus infra ſuo proprio loco dicemus, tamen quod illud quod dicit de magis ſana parte, iam non eſt in vſu, neq; ego hucuſque vidi eiuſmodi doctrinam practicari de magis ſana parte, vt latius dicemus, quando agemus, an ad electionem Canonicam ſufficiat & ſit ſatis, quod habeatur maior pars ſuffragiorum Capituli.

ARTICVLVS XVIII.

An fuerit magis conueniens, electiones fieri per ſcrutinium quam per ſortes, & an per ſortes fieri poſſint?

Nota multa de antiquo vſu ſortiũ, ſeu de facienda electione per ſortes.

DIfficultas præſentis Articuli, ex eo augeri videtur, quia videmus quamplures olim electiones per ſortes fuiſſe factas, fuiſſeque ſortes nimium vſitatas in electionibus. Id quod & exemplo eſſe poteſt electio Sancti Matthiæ Apoſtoli, de quo legitur Actuum capit. 1. in Iudæ locum, per ſortes fuiſſe

fuiſſe electum & ſubrogatum, ſupradictaſque ſortes miſſas fuiſſe ab Apoſtolis inter ipſum & Ioſephum, qui alias vocabatur Barſabas, qui etiã cognominatus erat Iuſtus vt ibidem dicitur, & quod orantes dixerunt. Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus, vnũ accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum. Poſt quæ additur quod ſortes dederunt eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Cuius etiam electionis quæ fit per ſortes mentio fit, in cap. *Cleros.* diſt. 21. quod eſt Diui Iſidori, vbi dicit D. Iſidorus, Clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primum in Clericum per Apoſtolos legimus fuiſſe ordinatum. Cleros enim Græce, Latine ſortem ſignificat. in cap. *etiam ſors.* 26. quæſt. 2. dicitur quod ſors non eſt aliquid malũ. Et vt rem hanc & ſortium antiquum vſum, lõgius ex ſacræ ſcripturæ viſceribus eruamus, in li. 1. Regum cap. 10. legimus, Saulem in Regem Iſraëlitici populi quodammodo per ſortes fuiſſe electum, dum Samuel Propheta diuina admonitione motus, omnes tribus Iſraël applicuiſſe dicitur, cecidiſſeque ſortem ſuper Tribum Beniamin, de qua erat ſupradictus Saul, qui vt dictum eſt, in Regem Iſraëlitico populo fuit electus, atque propoſitus & conſtitutus. Sed de ſortium vſu, & ad probandũ quod olim nimiũ fuerit in conſuetudine poſitus, & quod ſit licitus, multa ex eadem ſacra Scriptura exempla & teſtimonia poſſent adduci, quæ licet facili negotio referri valerent, haud quaquam tamen ita breuiter finiri, quapropter vt res pene infinitæ à me in præſentiarum prætermittuntur. Ex dictis tamen omnibus, non incongruè licebit colligere, primo ſortium vſum fuiſſe olim quinverò & modo licitũ, & in multis electionibus obſeruatum, & ex quo videri poteſt, quod fuerit magis conueniens & congruentius, electiones etiã nũc fieri per ſortes, quam per ſcrutinium. Quibus, & accedere poteſt alia peculiaris quædam ratio, & ea eſt, quia vitaretur (vt videtur) multa inconuenientia, ſi dictæ electiones fierent per ſortes, quæ modo vix poſſunt euitari dum fiunt per ſcrutiniũ. Nullum enim eſſet periculum reuelandi ſuffragia & ſuffragatorum nomina, non etiam minis & terroribus, (vt fieri perperam multoties conſueuit) mouerẽtur & terrerẽtur electores. Non odium ſiue inimicitias & ſimultares expaueſcerent. Non vindictam, quæ interdum exercetur contra eos, qui in electionibus factis per ſcrutiniũ alicui ſeu aliquibus non deferunt ſuum ſuffragium, & votũ. Hæc & alia innumera (vt videtur) euitarentur & præſcinderentur inconuenientia, ſi electiones ſupradictæ fierent per ſortes. Cui etiam eligẽdi modo nec modicum fauet Romanorum antiqua conſuetudo, qui referente Cornelio Tacito, li. 20. ſuorum annalium, in rebus olim arduis atque difficilimis, ſæpiſſime in Senatu prædictis vtebantur ſortibus, vt ne ambitioni ſeu inimicitijs, vllus relictus eſſet locus. *Non res* (inquit) *nominatim fiebant, ſed vrna quid eſſet agendum decernebat.* Id quod & præſcriptum etiã reperitur multis legibus, *in l. cum prætor. l. ſed cum ambo. ff. de iudicijs. l. ex eo. ff. de teſtib. l. ſi qui ſunt. ff. familiæ herciſcun. l. ſi duobus, C. communia dele.* & in multis alijs, hac de re breuitatis cauſa omiſſis, atque etiam in aliquibus iuris Canonici Capitulis quale eſt, cap. *qualis.* diſt. 25. cap. *diſcrimine.* 15. quæſt. 3. cap. *non exemplo.* 26. quæſt. 2. & ſæpe alibi. Si igitur id ita eſt, vt ex tam multis exemplis, legibus & capitulis conſtat, quod ſortium vſus nihil in ſe mali ſiue illiciti continet, quin verò ex omni parte eſt licitus, multumque vſitatus, & vt videtur aliàs cõueniens ad vitanda omnia inconuenientia ſupradicta, dicendum proinde videtur, quod electiones fieri per ſupradictas ſortes, multo foret congruẽtius atque conuenientius, quam fieri per ſchedulas & per ſcrutinium. His tamen nihilominus nõ obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua fit Concluſio.

Concluſio.

Electiones nullatenus fieri poſſunt aut debent per ſortes.

ELectiones ſaltim dignitatum Eccleſiaſticarũ & Prælationũ, nullatenus fieri poſſunt aut debẽt per ſortes, ſed neceſſariò faciendæ ſunt per ſcrutinium, cõpromiſſum ſiue per cõmunem inſpirationem. Hæc Concluſio in primis colligitur ex dicto cap. *quia propter de elect.* Sed habẽtur expreſſa, in ca. *Eccleſia veſtra de ſortilegijs*, vbi ſortiũ vſus ab Honor. III. in electionibus, perpetua prohibitione damnatur. Reprobatur etiam & prohibetur eiuſmodi vſus, à Gloſſa in ſupradicto ca. *Cleros*, diſt. 21. vbi in margine ſequentia habẽtur verba. *Sors in electionibus reprobata eſt.* Et dicit ibi prædicta gloſſa eiuſmodi ſortes nullatenus eſſe permittẽdas, niſi in certis quibuſdã caſibus, de quibus dicemus ſtatim, in ſolutione ad argumenta in contrariũ propoſita, ſiue rationes dubitandi. Sed quod eiuſmodi ſortes, in dictis electionibus nullatenus debeãt admitti, hac vel vnica eaq; efficaciſſima ratione probatur. Nã nihil eſt ex ſe & ex ſua ratione incertius ſorte, nihil ſine ratione minus, cæcius nihil ac prorſus carens rationis oculis. Si igitur id ita eſt, quis tam erit amens & deſtitutus omni rationis iudicio, vt id, ad quod recte peragendũ in modũ fabuloſi cuiuſdam Argois apud Ouidium olim, centum oporteret habere oculos, quales ſunt dignitatũ Eccleſiaſticarum & Prælationum electiones, cæcæ atq; incertæ committendum iudicet ſorti, qua magis à ratione alienum, nihil eſſe prorſus poteſt? Hinc ſapientes & prudentes quique, & qui res omnes intime hinc inde conſiderarunt & penetrarunt, in uiſum nimis & exoſum ſemper habuerunt atque diiudicarunt, eiuſmodi incertũ, cæcum & indeterminatum vſum ſortium, & vt diximus, de iure iam reprobatus eſt in electionibus cunctis, quæ nullo modo debent aut fieri poſſunt per ſortes. In hoc ſtando & perſiſtendo, ſupereſt nunc reſpondeamus ad argumẽta ſiue rationes dubitandi, quæ adductæ ſunt pro alia in contrarium parte. Quibus congruentiſſime per ordinem, reſpondet gloſſa in ſupradicto cap. *Eccleſia veſtra, de ſortilegijs*, verbo *electionib.* & in primis dicit, quod quãuis D. Matthias & alij, electi olim fuerint per ſortem, nõ tamẽ ipſorum exẽplo, per ſortem nunc eſt aliquis eligendus. Ad quod probandum adducit cap. *non ſtatim*, & capit. *non exemplo.* 26. quæſt. 2. vbi dicitur, quod non exemplo Matthiæ, nec pro eo quod Ionas Propheta ſorte ſit deprehenſus, indifferenter ſortibus eſt vtendum ſiue illis credendum, quia vt inquit,

Singulorum priuilegia cõmunem legem facere nõ possunt.

D. Hieronym. singulorum priuilegia, communem legem facere non possunt. Et subditur, si qui tamẽ aliqua necessitate compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsi Apostolos non egisse, nisi collecto Fratrum cœtu, fusisque ad Deum precibus. Quod etiam exemplum, inquit supradicta Glossa non esse imitandum, nam illud factum fuit diuina inspiratione, vt & illud quod habetur, in cap. *Dixit Dominus ad Moysen.* 14. quæst. 5. quæ quidem non trahenda sunt ad consequentiam, vt dicit Beda super Actus Apostolorum cap. 1. quia priuilegia singulorum, vt dictum est de mente Hieronymi, communem legem facere non possunt. Habetur in ca. *hinc est.* 16. quæst. 1. & in cap. *Priuilegia*, dist. 3. Nec per hoc quod dictum est reprobantur omnes in vniuersum sortes, nã sors ex se & ex natura sua cõsiderata, non est aliquid mali, vt habetur in cap. *sors.* 26. quæst. 2. sed prohibetur nihilominus ex causa, vt dicitur ibi, quia propter assiduitatem interdũ labitur in idolatriam, & in aliqua quæ nonnunquã existimantur mala, quorum est vnum sortes mittere in electionibus. Vnde eiusmodi cõsuetudo mittendi sortes, vt supradiximus de mente glossæ, in dicto cap. *Cleros*, dist. 21. in electionibus ipso iure est reprobata. Possunt tamen prædictæ sortes aliquando permitti & illis vti, nec iure videntur reprobari in aliquibus casibus, vt tradit Glossa in dicto cap. *Ecclesia vestra, de sortilegijs* in fine, propter dissensiones & ad dirimendas aliquas lites in iudicijs. De quibus sunt intelligendæ supradictæ leges, & antiquorum Romanorum consuetudines, & alia omnia quæ ad hoc propositum sunt adducta. Et pro eis facit supradictum capitulum, *sors.* 26. quæst. 2. vbi dicitur, quod sors non est aliquid mali, sed res in dubitatione humana diuinam voluntatem indicans. Cum hoc tamen stat, quòd in electionibus id facere non licet, quamuis alias sit aut timeatur discordia per iura supradicta. Videatur hac de re Gratianus 26. quæst. 1. & 2. per totas vbi latissime tractat de huiusmodi sortibus & sortilegijs, & de pœna qua secundum ius, huiusmodi sunt puniendi & afficiendi.

Quamuis sortes ex se non sint aliquid mali, nihilominus prohibentur ex causa.

Nota in quibus casibus miti debeant & possint sortes.

ARTICVLVS XIX.

Vtrùm valeat electio, in qua scriba siue Secretarius, absque fraude & malitia. sed per errorem, schedulam siue suffragium & votum alicuius electoris promulgauit?

DAtio dubitandi est, nam in Concil. Trid. Sessio. 25. cap. 6. habetur, *quod electiones fiant per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Sed nihilominus pro resolutione propositæ difficultatis sequens statuitur Conclusio.

Conclusio.

Non annullatur electio, p

NOn irritatur aut annullatur electio, pro eo quod scriba sine fraude & malitia, quin verò etiam cum illa, alicuius electoris schedulam non strauerit, continentem nomen ipsius, & illius, pro quo suffragabatur. Probatur hæc Conclusio, nam defectus particularis vnius de Capitulo, factus si ne fraude & malitia, quin verò etiam cum illa, non debet aut potest nocere toti Capitulo, & actui aliàs ab eo legitime facto, per cap. *firma cum ei adnotatis ad Procurat.* peccatum enim vnius non debet imputari alijs, neque aliorum electionem valet vitiari. Quod præterea exinde patet, quia aliàs positum esset in voluntate cuiuslibet, non timendo pœnã obuenturam, propter particulare & priuatum suum commodum, electionem quamlibet vtcumque aliàs legitimam vitiare, illegitimam reddere, & nullam facere, si expediret eidem, ostendendo alteri suum seu alterius votum siue suffragium, & propalãdo illud, ac postea dicere quod electio est nulla & irrita, pro eo quod contra supradictum Concilij Decretum, secreta vota fuerunt publicata. Non certe ea fuit mens & intentio Concilij Tridentini, sed tantum determinare & statuere, vt electiones omnes secreto fierent, ad hunc sensum, vt non permitteretur singulorum eligentium nomina publicari, & quod id perperam qui faceret non relinqueretur sine supplicio, at non propterea voluit, electiones irritari & annullari, dum tamen id non fieret ab omnibus in communi. Videatur hac de re Nauarr. lib. 1. Consiliorum, de electione vbi supradicta omnia expresse dicit, & solum modo in eo casu electionem fore nullam, quando vota & suffragia fuissent publicata & manifestata in communi, & quando casu quo solum esset manifestum aliquod suffragium in particuli, ipsius manifestatio esset aut præsumeretur causam fuisse, ob quam talis electio facta fuisset, & quod aliàs non fieret.

eo quod scriba sine Secretarius absque fraude & malitia, votum siue suffragiũ alicuius reuelauerit.

ARTICVLVS XX.

Vtrùm valeat & tenear electio, in qua quis per errorem aut forsan per malitiam, misit in vrnam schedulam quandam albam, & an sit computandum huiusmodi votum?

HAnc difficultatem tractat & mouet Nauarr. vbi supra Consil. 7. num. 1. de cuius sententia & resolutione, sequẽtem statuo Conclusionem.

Conclusio.

SVpradicta electio valet, sed votum illius qui in vrnam misit præfatam schedulam albam, non est computandum inter alia. Hæc Conclusio est supra d. Nauar. & quod supradicta electio valeat nulli est dubium & præterea ex eo constat, quia dictũ suffragium vt dictum est in Conclusione, non est inter alia computandum, nec de eo est maior mentio facienda, quam si nunquam in vrnam fuisset missum. Per illud enim factum ille qui misit ipsum, voci suæ videtur renunciasse, quod facere licitum est cuilibet, & cedere iuri suo quando id non ver-

Elect. in qua reperitur vna aut altera schedula alba, valet & tenet sed huiusmodi suffragium inter alia non computatur.

git in communitatis damnum atque præiudicium. Sed præterea probatur concluſio, nam quando electores conueniunt ad eligendum, & aliqui eorum exeunt ex loco electionis, non ipſi computantur in electorum numero, iuxta *cap. quod nobis de elect.* quod multum commendat Panormit. ibidem, & facit ad hoc gloſſa notabilis, *in Clement. quod circa eod. tit.* vbi dicitur, quod qui renunciat voto ſuo, non eſt magis de electorum numero, quam ſit abſens non vocandus, vel vocandus ſed nolens venire vocatus: quam ſupradictam gloſſam ex profeſſo approbat Bonifacius, *in d. cap. quod nobis*, idem ergo dicendum eſt in præſenti propoſito, quæ dicta ſufficiant, propter breuitatem, cui quammaxime nos ſtudemus.

ARTICVLVS XXI.

Vtrum electiones neceſſario fieri debeãt de aliquo qui ſit de Collegio, & omnino libere ſint faciendæ?

Prima Concluſio.

Quãuis ſimpliciter neceſſariumnõ ſit, vt electus ſit de Collegio, id tamen facere videtur melius.

AD electiones de iure communi loquendo, non eſt neceſſarium quod electus ſit de Collegio, ad hoc vt valeant, quamuis id facere multo ſit melius, ſanctius, & honeſtius. Hæc concluſio eſt ſupradicti Nauarri lib. 1. Conſiliorum de election. cõſilio. 6. num. 1. reſpondendo ad quandam quæſt. de electione facta cuiuſdam abſentis, & extra Conuentum exiſtentis, nec vllo modo pertinentis ad dictum Conuentum. Quam & probat *per cap. nullus inuitis, & cap. obitum. 61. diſt.* Sed quod electio facta de extraneo idoneo, à toto Collegio, vel à maiore ipſius parte valeat, ſatis efficaciter probatur. *per cap. cum inter Canonicorum & cap. quia propter de elect.* vbi hoc ipſum tenet expreſſe gloſſa, quam ſequũtur, Innocentius, Hoſtienſis, Panormitanus, & omnes Doctores communiter.

Secunda Concluſio.

Electiones neceſſario debẽt eſſe liberæ, & omnis electio coacta aut metu facta, eſt ipſo iure nulla.

ELectiones neceſſario debent eſſe liberæ, & omnis electio coacta, aut metu facta, eſt ipſo iure nulla. Hæc etiam concluſio eſt Nauarr. vbi ſup. conſil. 5. num. 2. quam & probat per textum, ab ipſo & à pluribus putatum ſingularem *in cap. vbi periculum §. cæterum de elect. lib. 6.* vbi dicitur loquendo de electione Papæ, quod neceſſario requirit eligẽdi voluntatem liberam, ita quod aliàs nullatenus erit valida, quæ & communis eſt Doctorum ſentẽtia. Probat vlterius Nauarro dictam ſuam concluſionem, ex eo quod matrimonium carnale ſi metu contrahatur, eſt ipſo iure nullum, *per cap. cum locum de ſponſalibus*, multo ergo melius, inquit, & matrimonium ſpirituale quod in electionibus contrahitur, inter Prælatũ & ſubditos, erit ipſo iure nullum, nam quantum ad hoc matrimonium ſpirituale excellit, aut ſaltim æquiparatur matrimonio carnali, per gloſſam notabilem & ab omnibus receptam, *in cap. bonæ memoriæ de elect.* Quod & confirmatur, præterea: nam generaliter loquendo, omnis metus non iuſtus reddit actum nullum atque inualidum, etiam quoad forum conſcientiæ, ſi principaliter aliquid fiat ob metum ſupradictum, vt tenet communis opinio, & latiſſime probat ſupradictus Nauarr. in ſuo Manual. cap. 17. num. 29. & efficacius, cap. 22. num. 51. quin vero & metus reuerẽtialis Patris, efficit profeſſionem filij in Religione omnino nullam ſi per metum fiat, per textum *iuncta gloſſa, in cap. præſens verbo, patrem*, 20. q. 3. ſi igitur id ita eſt, dicendum proculdubio videtur, quod etiã electiones omnes metu factæ, ipſo ſunt iure nullæ, & quod electiones neceſſario debent eſſe liberæ. Quod & ſpecialiter pro nobis Fratribus Minoribus Regularis obſeruantiæ, determinauit, & declarauit Pius V. in quadam ſua Bulla, quæ incipit, *paſtoralis officij*, data Romæ, apud ſanctum Petrum, die 28. Maij, anno Domini 1571. Pontificatus ſui anno 6. vbi inter alia ſtatuit, atque decreuit, *quod Prouincialium Miniſtrorum electio, libere per vota ſecreta fiat, ita vt Commiſſarius Generalis & qui electioni præſidet, ſi formam prædictam tranſgredi, ſeu electores quominus libere eligant, quouis modo impedire conuictus fuerit, officio priuatus exiſtat.* Hoc etiam habetur in noſtris generalibus Conſtitutionibus Tolet. *cap. 7. §. de election. verbo inſuper.* Circa quam Conſtitutionem, quamuis quidam dicant quod illa ſolummodo habet locum in electione Prouincialis Miniſtri, de qua Pontifex ibi expreſſe loquitur, nã (inquiunt) cũ ſit lex pœnalis non debet extendi ad alias electiones, & ad Prælatos præſidentes in ipſis, impedientes libertatem electionis, alijs tamen contrarium omnino videtur dicendum, cum eadem ſit omnino ratio, & prohibitionis cauſa, certum enim eſt quod cum eadem ratio viget, bene poſſunt leges etiam pœnales, ad ſimiles caſus extendi, prout tradunt Doctores & eſt compertum in iure. Verũ eſt tamẽ, quod Prælati ſupradicti, ante latam ſententiam nõ erũt ipſo facto priuati ſuis officijs, nam quamuis ibi Põtifex, apponat illa verba, *qui contrarium conuictus fuerit facere & libertatem quouis modo impedire, ipſo facto officio priuatus exiſtat*, oportet tamen vt prius fuerit conuictus, nec erit ipſo facto priuatus antequam conuincatur.

Nota valde, quod electiones omnes debent eſſe liberæ, & nullo modo coactæ, ſiue coarctatæ

cũ eadem omnino ratio & cauſa prohibitionis viget, leges pœnales bene poſſunt extendi ad caſus ſimiles.

ARTICVLVS XXII.

Vtrum electiones, in aliquo caſu & ex cauſa, poſſint coarctari & reſtringi?

AMvtcumque præſens difficultas videtur abſoluta ex dictis in ſupradicto Articulo, ſed quia maiori indiget diſcuſſione, illi reſpondendo, quæ ad hunc Articulum ſpectant, reſoluentur breuiter per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Apud nos Minores Fratres nulla electio

APud nos Minores Fratres, & ſecundũ noſtras Generales Conſtitutiones, nulla electio poteſt reſtringi aut coarctari, & ſi fuerit coarctata,

Poteſt reſtringi aut coarctari, & ſi fuerit coarctata, eſt ipſo iure nulla

eſt ipſo iure nulla & irrita. Hæc concluſio habetur expreſſa, in ſupradictis Conſtitution. gener. Toletanis *cap 7. §. de electionibus, in fin.* quin vero videtur expreſſe determinata in dicta Bulla, *Paſtoralis*, Pij V. de qua mentionem fecimus in præcedenti Articulo, cum per huiuſmodi reſtrictiones & coarctationes, tollatur omnimoda libertas in electionibus. Qua propter ſi præſidens alicuius Capituli Prouincialis, ſine præuia auctoritate Apoſtolica ſummi Pontificis, vel ipſius Legati de latere, electionem Prouincialis coarctauerit, electio erit ipſo iure nulla, ipſeque poſtquam eadem de re fuerit conuictus, ſuo officio priuatus exiſtet, & idem dicendum eſſe credo de omnibus alijs electionibus, in quibus eadem aut ſimilis currit omnino ratio, quidquid alij dicant.

Secunda Concluſio.

In quo caſu electio non dicatur reſtringi, aut coarctari.

NOn videtur electionem coarctare Prælatus, qui in aliquo caſu & ex cauſa eam ad aliquod genus hominum, ſeu perſonarum limitat ſiue reſtringit, dummodo non ſit ad certas & determinatas perſonas. Volo dicere, quod qui Prælatus ſeu alicuius Capituli præſes in aliquo caſu, iuſta exiſtente de cauſa, diceret vt ad talem præfecturam, ſiue Prælationem non eligerentur iuuenes, aut minoris ætatis quam 50. annorum, vel quod ad Prouincialatus officium, non aſſumantur qui prius nō fuerint Diffinitores, aut ad Diffinitorum munus, qui prius ſemel aut bis non fuerint Guardiani (quę quidem omnia rationi ſunt ſatis conſona) aut qui pro bono pacis diceret & ſtatueret, vt pro illa vice ad aliquod officium non eligeretur, niſi quoddā certum hominum genus, aut Fratres certæ cuiuſdam nationis, huiuſmodi in quam Prælatus non videretur aut iuridice deberet electionem vllo modo coarctaſſe. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarr. lib. 1. Conſiliorum tit. de conſtitution. conſil. 7. tractando, an ſit valida conſtitutio cuiuſdam Ordinis multarum nationum, qua cautum fuit, ne in Priores Monaſteriorum eligerentur plures quam tres de vna natione? & reſpōdet quod ſic, & dicit, quod multis de cauſis eiuſmodi conſtitutio eſſe poteſt rationabilis. Primo, ne detur alijs cauſa, ſeu occaſio ſuperbiendi, alijs vero murmurandi, alijs autē tribuendi nimium ſuæ genti, ſiue nationi. Secundo quia idipſum fieri videmus, ſtatutis multorū Collegiorum, quibus cauetur ne ex eadem Ciuitate eligantur plures Collegæ quam vnus, aut ex eadē diœceſi, plures quam duo. Tertio, quia valet conſuetudo vt Abbas certi Monaſterij, eligatur ſolum modo de certo quodam Monaſterio, *per cap. cum dilectus de conſuetudine.* Quarto, quia poteſt inſtitui vt beneficium non conferatur, niſi alicui propinquo patroni illius, qui ipſum fundauit iuxta Dominicū cōmuniter receptū, *in c. cū in Eccleſia tua, de præb. li. 6. num. 5.* Quinto, quia inquit in Eccleſia Toletana, eſt ſtatutum per ſedem Apoſtolicam approbatum, ne ibidem fiat beneficiarius, deſcēdens ex Iudæis, Sarracenis vel Hæreticis, quod & modo multæ iā aliæ Eccleſiæ habent. Sexto, quod non per hoc, quod electio reſtringatur ad certum quoddam genus hominum, cenſetur tolli eligendi libertas, vt tradit Panorm. communiter receptus, *in cap. cū tertum, de election. num. 4. & in cap. licet eodem tit. num. 12.* nam & Papa non eligitur niſi tantum de Collegio Cardinalium, neque in Hiſpania fiunt Beneficiarij niſi Hiſpani, & in Gallia nōniſi Galli. Neque obſtat, quod in electionibus eſſe debet plena eligendi libertas, vt dictum eſt ſupra, & ſtatuit expreſſe Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de reform. cap. 6.* nam multis modis poteſt reſtringi electionis libertas, dummodo maneat tanta, quanta eſt neceſſaria ad hoc vt electio valeat, & nullatenus cenſeatur coacta: ſicut & in matrimonio carnali debita eſt plena libertas, & tamen poteſt iure optimo aliquo modo reſtringi, remanente libertate ad id neceſſaria, vt tradit Panorm. vbi ſupra, & de facto reſtringitur ad certum genus perſonarum, ideſt ad fideles tantū, & vt non fiat intra talem vel talem gradum. Nec per hoc electores videntur conſtringi, ad hoc vt propterea eligant indignos, nam in caſu quod in ſupradictis non reperiantur aliqui digni, tunc ceſſat ſtatuti ſiue præcepti ratio, poteruntque recurrere ad eligendos homines alterius nationis, cum nunquam, ſine in nullo caſu licitum ſit eligere indignum, vt tradit D. Thom. 2. 2. q. 63. arti. 3. & Soto, libr. 3. de iuſtitia, & in quæſt. 6. art. eodem, de quo etiam videndus eſt Nauarr. Miſcellaneor. 34. numero. 3.

Nota valde.

Tertia Concluſio.

Si electionis coarctatio fiat non ad certum perſonarū genus, ſed ad certas atq; determinatas perſonas, in talica ſu electio eſt ipſo iure irrita & nulla.

SI electionis coarctatio fiat, non ad certum perſonarum genus, vt in præcedenti concluſione eſt dictum, ſed ad certas aliquas & determinatas perſonas, tres vel quatuor iuxta Superioris, ſiue Præſidentis placitum, vt interdum fieri conſueuit idque fiat ſine ſpeciali licentia Apoſtolica, eiuſmodi electio eſt ipſo iure irrita & nulla, & de hoc coarctationis genere loquuntur noſtræ gener. Conſtitutiones, vt diximus in noſtra prima concluſione. Et probatur modo noſtra concluſio, nam huiuſmodi eſt contra ſacros Canones, ſuper quibus nullus inferior Papa auctoritate propria poteſt diſpenſare, iuxta ea quæ habentur in iure, *in cap quod ſuper his de maioritate, & obedientia.* Quod vero ſit cōtra ſacros canones, conſtat expreſſe *ex cap. cum terra*, vbi expreſſe dicitur, quod electio debet eſſe in libertate eligentium, ita vt conſuetudine aliud introduci non poſſit, vt late probat Panormi. ibidem. Quæ de re videatur etiam Sylueſter, *verbo, electio. 1. q. 23* Sed probatur vlterius concluſio: nam eiuſmodi electio ſeu electionis modus, quando ad tres, ſiue quatuor perſonas reſtringitur, limitatur, ſiue coarctatur, vt videtur, omnino contrarius eſt bono regimini & rectæ gubernationi, quin vero bono publico: ergo eiuſmodi electio nullo modo debet vt Canonica & valida reputari, cum tot ſit inconuenientibus plena, & contra libertatem tantopere in cunctis electionibus requiſitam. Quibus & accedit, nam cum ſubditi á Superioribus & Præſidentibus Capituli, Prælatos eligere coguntur inuiti, moraliter loquendo, fere impoſſibile eſt ipſos diligere & amare, aut vice verſa amari ab ipſis, cum iuxta commune dictum, ardeat amore pari qui ſcit ſe amari, & è contra. Quos autem ſubditos non amant Prælati, quonam pacto eoſdem regere & gubernare recte poterunt, cū amor ſit & eſſe debeat,

totius

totius boni regiminis ac rectę gubernationis exordium? Vice item verſa, quos ſubditi non amant, haudquaquam poterunt reuereri, debitamque obedientiam illis præſtare. Hæc & alia innumera inconuenientia, damna, atque incommoda, ex ſupradictis coarctationibus ſubſequuntur, quapropter in electionibus iure ſummopere habentur exoſæ. Quibus permotus rationibus reſolutiue dico, quod in tali caſu, non obſtantibus reſtrictionibus, & coarctationibus prædictis, ſubditi procedentes ad electionem, iure ſuo vtentes, eligere poterunt quę maluerint, modo ſit dignus, electioque ab eis facta valebit, eritque confirmanda etiam ipſis Prę latis & Superioribus renuentibus, ſi nullam præſtiterint legitimam caſſationis cauſam. Neque ſupradictæ reſolutioni obſtat, *cap. gratum, poſitum in titul. de poſtulatione Prælatorum.* vbi propterea, vt videtur quidam electores iure eligendi priuantur: nã dico, quod eſt multum diſpar ratio, quia ibi electores priuantur ab eligendo, pro eo quod cuiuſdam poſtulationem aliàs caſſatam à Papa, innouare denuo procurauerunt, & de facto elegerunt quendã ſententia lata, iam indignum declaratum: at in noſtro caſu præſupponitur, quod eligitur dignus, quãuis non fuerit ex nominatis in reſtrictione, ſiue coarctatione, quæ excluſio cum non fuerit in particulari, ſed in cõmuni & generali, nec facta propter aliquam ipſius culpam, electioni taliter factæ nihil obeſt, nam electores vtuntur iure ſuo, nullo modo reſtringibili ab alio quam à Papa, cum ſit cõtra ius commune, quod eſt valde notandum.

Nota hoc valde, pro electionibus faciẽdis.

Vnde non ſatis mirari queo abuſum, ac depraua tam conſuetudinem, quam multoties in aliquarũ Religionum Capitulis Generalibus, & Prouincialibus vidi practicari, qua Superiores & Præſidentes prædictis Capitulis, neſcio quo iure, aut qua auctoritate & poteſtate, electiones limitant atq; coarctant, ad tres vel quatuor perſonas iuxta ipſorum libitum & voluntatem, priuando interdum aliquos grauiſſimos, & religioſiſſimos viros voce paſſiua, ſine proprijs demeritis, & abſque eo quod intimetur ipſis, aliquid quod fuerit probatum contra illos vt ſeſe defendere poſſint, & quod peius eſt, dicunt ſe illud facere pro bono pacis, ex ſola forſan ſiniſtra informatione aliquorum Religioſorum ambitioſorum, qui pro eo quod non promouentur ad officia ordinis pro ſuis demeritis, nihil non moliuntur, quinvero totis viribus contendunt, atque procurant, vt prædicti principaliores Patres, graues, experti, prudentes, & religioſi, quique illos intus & in cute, vt dicitur, cognoſcunt, non aſcendant ad præfecturas, & vt aliquo quæſito colore priuentur ſuffragijs, & voce ſaltim paſſiua in electionibus.

Hæc inquam deprauata conſuetudo, merito longe releganda foret, nullaque id auctoritate & poteſtate deberet permitti, cum ſit contra omnem prorſus rationem, & contra ius commune, quinvero & quadam ratione eſſe videtur contra ipſum ius naturale, & contra ius diuinum poſitiuum, ſtricte prohibens, vt non innocentes ſine cauſa & propria culpa dãnentur, & ne quis voce actiua & paſſiua, ſeu pœna aliqua mulctetur, abſque eo quod prius citetur & audiatur, deturque ſibi copia eorum, quæ contra ipſum iuridice fuerint fulminata, locusque defenſioni, & tempus, quo ſe defendere poſſit. Id quod & Deus ipſe maximus exemplo ſuo nos docuit, qui non prius Adamum primum noſtrum Parentem condemnauit, quam ipſum ad ſuũ conſpectum vocaret, & audiret, vt habetur Geneſis 3. & refertur, *in cap. Deus omnipotens. 2. q. 1.* quod idem & fecit cum Sodomitis & exiſtentibus Gomorræ, vt habetur in cap. 19. eiuſdem Geneſis, & plura iura idipſum nos docent, quæ breuitatis gratia facio miſſa. Neque dictis obſtat, prædictamve difficultatem euacuat, ſi dicatur interdum, quod id ſit auctoritate Regia, aut quacumque alia, quæ nõ ſit Summi Pontificis, ſeu eius Illuſtriſſ. ſui Nuntij, in id poteſtatem habentis: nam nullus poteſt præcipere, vt non ſeruetur id, quod adeo eſt rationi, & iuri naturali conſonum, aut quod condemnetur aliquis, abſque eo quod prius audiatur & conuincatur, cum contra inauditam partẽ, iure nihil poſſit diffiniri. Et dico vlterius, quod quando expedire videretur, quod aliqui Religioſi, ex aliqua iuſta cauſa, voce actiua & paſſiua priuarentur, faciendũ id eſſet iuris prius ſeruato ordine, aut ſaltim plene veritate inſpecta ſimpliciter & de plano, ſeruata ſaltim ſubſtantialis iuris forma, de cuius ratione eſt, vt prius citatio præcedat, & vt detur locus defenſioni, nec reus condemnetur antequam audiatur. Vnde reſolutiue dico, quod ſi quid aliter fiat, cum ſit contra ius commune, in his ſubditi non tenentur parere & obedire eiuſmodi Superioribus, electionem coarctantibus, abſque licentia & facultate Summi Pontificis, ſiue ſui Nuntij. Id quod & conſtat ex multis iuribus, ſed maxime ex *capit. inter quatuor, de maioritate & obedientia. & ex ca. iniuſtum. 11 q. 3. & ex cap. 1. de ſententia & re iudicata,* & ex multis alijs, quæ breuitatis cauſa omitto, vt non immoremur in re adeo clara & manifeſta. Quinvero electio facta adeo indebite atque iniuſte, excluſis ſupradictis Patribus, irrita eſt & nulla, aut ſaltem debet irritari & annullari, & quidquid virtute eius fuerit effectum, vt dicunt DD. communiter, *in cap. quod ſicut, & in cap. bonæ memoriæ, de electionibus.* Quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Notãdũ valde pro Prælatis coarctantibus electiones.

ARTICVLVS XXIII.

Vtrum valeat conſuetudo aliquarum Religionum, quibus cautum eſt, vt tantum prudentiores, ſenes & ætate prouectiores, vocem habeant in Capitulis, & admittantur in electionibus Superiorum?

Concluſio.

Vpradicta conſuetudo, quamuis bonã aliqualem habeat apparentiam, non eſt tamen talis, quinvero eſſe videtur contra ius, aut ſaltim præter ipſum, neque illi, vllo modo conformis, multisque inconuenientibus plena. Hanc ſententiam & concluſionem tenet Nauarr. lib. 1. conſiliorum de conſuetud. conſ. 2. &

Non videtur laudabilis cõſuetudo, vt ſolũmodo ſenores & prouectiores, votũ & vocẽ habeant in Cap.

2. & quod dicta consuetudo non sit bona exinde probat, quia (inquit) vel est cõtra ius Canonicum, aut præter illud: si contra illud, ad hoc vt sit bona, oportet vt sit rationabilis & præscripta spatio saltim quadraginta annorum *per cap. fin. de consuetudin. cum ei adnotatis* per Doctores: si vero est præter ius, ad hoc etiam ut sit bona, in rebus Ecclesiasticis, & de iure Pontificio, præter hoc quod sit rationabilis, requiritur vt sit continuata saltim per decem annos, vt concludit Panormitanus communiter receptus, *in d. cap. fin. de consuetud.* quorum aliquo deficiente eiusmodi consuetudo non est bona, quin vero inualida ad hunc effectum, vt tanquam lex iusta, liget seu obliget sibi subditos. Præterea inquit prædictus Nauarro, videtur huiusmodi consuetudo, non solum esse præter ius, quin vero etiam contra ius Canonicum, nam iure communi Canonico, omnis Religiosus, professus tria substantialia vota in Religione aliqua per sedem Apostolicam approbata, statim ac professus est, & Subdiaconatu insignitus, vocem habet in Capitulo in electionibus cunctis Prælatorum, *per cap. ex eo §. 1. de electionibus. lib. 6. & Clement. vt hi, qui, de ætate & qualitate.* cum multis alijs, quæ ibidem citantur à Doctoribus, nisi contrarium fuerit ob rationem aliquam auctoritate Pontificia statutum. Et quamuis dicta consuetudo, vt prudentiores, senes & ætate prouectiores tantum, vocem habeant in Capitulo, & admittantur in electionibus, aliqualem boni apparentiam, & colorem præseferat ex vna parte, ex alia tamen multum videtur habere mali: primo, quia est contra consuetudinem omnium Religionum antiquarum, ab antiquis Patribus inuentarum, & per sedē Apostolicam approbatarum, & certum est quod consuetudo vim habet legis, *per capitulum consuetudo, distin. 1.* Secundo, quia per dictam consuetudinem, videntur quodammodo electiones coarctari, saltim quantum ad suffragia. Et tandem Tertio, nam aliquam continere videtur rationem malitiæ & fieri in eum finem, vt cum electores & suffragatores sint pauciores, facilius possint subornari. Nec negare quis potest, inquit Nauarr. vtile esse in rebus omnibus quod multa sint consilia, plures consultores, & plures vocem habentes in Capitulis. Hac enim ratione, leges & plebiscita Romanorū, in quibus condendis maiores simul cum minoribus concurrebant, firmiora djiudicabantur olim, prout nobis scriptum reliquerunt sacri Canones, *in cap. plebiscita, & cap. lex. dist. 2.* Id quod & experientia semper docuit in omnibus per orbem dispersis Academijs, in quibus electiones Gymnasiarum, & Prælectorum factæ à pluribus, meliores semper fuerunt djiudicatæ, quam factæ à paucioribus. Propter omnia supradicta concludendo, dicit prædictus Nauarr. melius esse, & iuri ac rationi multo conformius, vt omnes professi, & sacro subdiaconatus ordine insigniti, vocem habeant in Capitulo, & in electionibus cunctis, quam vt solummodo illam habeant maiores & ætate prouectiores siue discretiores, quia illis fit causa & occasio superbiendi, alijs vero inuidendi, & omnibus non modica, vota & suffragia subornandi.

Quæn̄ requirãtur & sint necessario requisita, adhoc vt aliqua sit consuetudo bona?

De iure cõmuni Canonico, quinã Religiosi votũ & vocem habeãt in Capitulo?

Nota quod vtile est in rebus omnibus, vt plura sint vota & plures suffragatores.

ARTICVLVS XXIIII.

Vtrum suffragium siue votum semel datum possit reuocari, vel etiam mutari?

Conclusio.

Quandiu res integra est, adhuc potest suffragiũ semel datũ mutari, & reuocari.

SVffragium semel datum, adhuc potest reuocari alium eligendo, dum res adhuc integra est, quamuis fuerit scrutatoribus exhibitum. Probatur hæc cõclusio, *ex cap. publicato scrutinio de electione.* ex quo à contrario sensu ipsa plane colligitur, nam si publicato scrutinio, vt dicitur in dicto capitulo, electores variare nequeunt: ergo ante ipsius publicationem id optime facere possunt. Sed intelligenda est conclusio, quandiu scrutatores nondum sese electoribus permiscuerunt, sed ab alijs seiuncti & separati, officio suo obeundo adhuc incũbunt. Tunc enim bene posset quis ad eos accedendo, expostulare suum suffragium siue votum, & maxime si per imperitiam seu errorem illud præstitit alicui aliàs inhabili. Sed non id facere esset licitum, postquã suffragia iam sunt permixta, quamuis scrutatores nõdum recitare ea cœperint, sera enim esset tunc talis voti & suffragij mutatio, nec audiendus qui omisso priore, alium eo tempore vellet eligere, iuxta glossam, & Ioannem Andream, & Abbatem, *in cap. vnico, vt Ecclesiastica beneficia, verbo, occultis.*

Secunda Conclusio.

Publicato scrutinio, & iam postquã suffragia cœperint regulari, non licet votũ siue suffragium immutare aut reuocare.

PVblicato scrutinio aut postquam vota & suffragia cœperunt regulari, non est licitum suffragium semel datũ immutare aut reuocare. Hæc conclusio constat *ex supradicto cap. publicato scrutinio* & ex his quæ ibidem dicit glossa, *verbo, variare,* reddens rationem & causam, ob quam electores non possunt tunc variare, cum tamen nondum sit electus, imo necessaria sit subsequenter electio, quin vero & confirmatio, aliàs electio facta non valeret *per cap. in Genesi, & cap. Ecclesia vestra eodem tit.* & ratio est, quia non iam res videtur esse integra, *per dictum cap. Ecclesia vestra, & cap. in causis eod. tit.* & quia nemo potest mutare consilium in alterius præiudicium, *per l. nemo ff. de Reg. iur.* Et præterea talis mutatio esse posset Ecclesiæ damnosa, quia sic protraheretur electio, vbi mora est periculosa, *per ca. cum inter vniuersas eod. tit. & cap. quoniam frequenter. §. porro vt lite non contest.* Quibus omnibus accedit, quia per votorum & suffragiorum regulationem, & maxime per huiusmodi scrutinij publicationem, iam quodammodo electio videtur initiata, sicut & per citationem negotium est quasi cœptum, *per cap. gratum de offic. deleg. & cap. proposuisti de foro competenti.* Et adducit supradicta glossa ad id quoddã simile, vt si quis alicui cessisset seruitutem, certum est quod sentẽtiam mutare non posset, licet ex toto illi ius non sit acquisitum, nisi cum omnes cesserint, *iuxta legẽ per fundum ff. de seru. rust. prædio,* ita inquit, in proposito, licet per supradictum consensum & publicationem, non sit electo ius plenum acquisitum, variare tamen

Nota quod per citationem in Iudice delegato, iã negotiũ esse videtur cœptum.

tamen electores non poſſunt, imo per Superiorem poſſunt compelli, ad hoc vt electionem factam, habeant ratam & firmam, vt habetur, *in ſupr. cap. publicato ſcrutinio*, vbi videnda eſt gloſſa, *verbo compellantur*. Videatur etiam hac de re, Sylueſt. *verbo, elect. 2. q. 7.* vbi quærit, quid operetur publicatio ſcrutinij; vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

ARTICVLVS XXV.

Vtrum electio Canonica, collatis ſuffragijs ſtatim ſit publicanda?

Concluſio.

Statim poſt ſuffragiorũ collationẽ, electio eſt publicãda

STatim poſt ſuffragiorum collationem, electio eſt coram omnibus exiſtẽtibus de Collegio publicanda. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & eam tenet expreſſe Nauarr. lib. 1. conſiliorum de elect. conſil. 7. num. 1. vbi de mente Hoſtienſis, Ioannis Andreæ & Panormit. & fere omnium communiter tenet, quod electio debet publicari, & fieri mox atque in continenti poſt collationem ſuffragiorum, & quod hoc eſt de forma eſſentiali & ſubſtantiali electionis, *per cap. quia propter, de elect.* & electionem aliás factam inquit, eſſe declarandam caſſam & nullam. quamuis alij dicant non eſſe caſſam & nullam, ſed caſſandam & annullandam. Sed intelligenda eſtcõcluſio ſupradicta, cum duabus limitationibvs, prima, vt non ita punctualiter & metaphyſicè ſupradicta intelligãtur, vt ſi ex aliqua cauſa, vt puta ex ignauia, aut ignorantia electorum & ſuffragatorũ vel ſcrutatorum, electio non ſtatim fuerit publicata, ſed ad alios extraneos ſe diuerterint actus, proinde ſit diiudicanda vitioſa, nulla & caſſa, aut caſſanda & annullanda. Secunda, vt non id procedat ex fraude ſiue malitia electorum, qui pro eo forſan quod non placuit eis electio facta, noluerunt ipſam ſtatim publicare, ſed vt irriterur procraſtinare & dilatare. Haud enim debet vlli, per alterũ inferri iniqua conditio, nec ſine culpa quiſpiam iure ſuo debet priuari, *iuxta legem non debet, ff. de regula iuris, & cap. denique 14. q. 5. & cap. ſine culpa de reg. iuris lib. 6.* Cognita tamẽ fraude & malitia, ille qui Collegij ſuffragia & vota conſequutus eſt, compertũque illud habet, & electionem expectat, ſi eam viderit in ſuam fraudem procraſtinari, iam quodammodo ius habet, vt Superiorem adeat & Capituli Præſidentem requirat, vt electionem faciat publicari, *per Capitulum compellat, iuncta gloſſa, de election.* id quod tenent omnes Doctores communiter, nam à publicatione ſcrutinij, vt publicatio impediatur, certum atque compertum eſt, nullatenus poſſe appellari, cum eiuſmodi publicationis actus, nullam admittant dilationem, per ea quæ tradunt Doctores, *in cap. quia propter de election.* vbi ſtatuitur, vt quamcito electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur, quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota quod nulla debet peralterum inferri iniqua cõditio aut ſine culpa quiſpiam iure ſuo priuari.

(*l*)

ARTICVLVS XXVI.

Vtrum Decretũ publicationis, electionis & ſcrutinij, plenam faciat fidem pro electo?

TAnc quæſtionem atque difficultatem, tractat & mouet Sylueſter, *v. electio, 1. q. 18.* vbi hac de re refert diuerſas Doctorum opiniones, quarum eſt vna Innocentij *in cap. innotuit de electione*, aſſerentis, quod huiuſmodi Decretum non plenam facit fidem pro electo. Alteram vero Antonij dicentis, id eſſe verum quando confectum fuit manu priuata, ſecus autẽ ſi fiat per perſonam publicam, atteſtantem omnia fuiſſe geſta in ipſius præſentia. Quæ opinio etiam placet Panormit. qui eam dicit eſſe veram, dummodo in tali ſcriptura interueniant, omnia requiſita ad ſubſtantiam ſcripturæ publicæ, vt teſtium præſentia & ſimilia. In quo quidem caſu, quando Decretum fit per perſonã publicam, inquit, quod non eſt neceſſarium appoſi ſigillum Capituli, quia ſcriptura publica per ſe fidem facit ſine alio quocumque adminiculo, eſt tamen neceſſarium ſigillum, quando ſcriptura eſt priuata, & electionis Decretum manu priuata confectum. Sed quidquid de hoc ſit, ſupradicti Auctores loquuntur, iuxta conſuetudinem antiquam, qua electorum & ſuffragatorum ſuffragia, à publico Notario in ſcriptis redigebantur, cuius conſuetudinis meminit Sylueſt. *verbo, electio. 2. q. 1.* loquendo tamen de Decreto publicationis ſcrutinij, quod nunc fit, & poſt Concilium Tridentinum fieri conſueuit, pro reſolutione Articuli & difficultatis ſupra poſitæ, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Prima Concluſio.

Decretũ publicationis ſcrutinij, plenã facit fidẽ pro electo.

DEcretum publicationis ſcrutinij, & ſuffragiorum, quæ in ſcrutinio collata ſunt à ſcrutatoribus factum, plenam facit fidem pro electo, eidẽque ſtandum eſt, & à maiori ſuffragiorum parte electus, ſtatim confirmandus, niſi aliquid ſibi obſtet. Hæc concluſio eſt fere omnium Doctorum communis, & quæ communiter obſeruatur in praxi in electionibus Canonicis cunctis. Quæ & hac efficaciſſima ratione probatur, nam conſtitutis ac prænominatis à Capitulo, ex conſenſu omnium ſiue maioris partis, aut Diſcretorum ſecundum conſuetudinem Religionis cuiuſque, ſupradictis tribus ſcrutatoribus, quorum alter exerceat munus & officium Notarij, reliqui vero teſtium, nihil deficit prædicto publicationis Decreto, vt plenam fidem faciat, facereque poſſit in quolibet iudicio, & maxime in eodem Capitulo pro electo. Vnde & eidẽ Decreto firmiter ſtandum eſt, nec vllo modo contradicendum, ni forſan aliunde habeatur quaſi euidentia de aliqua fraude, ordinata inter ſuperiorẽ & ſcrutatores. De quo caſu meminit Naua. in ſuis Conſil. lib. 1. tit. de elect. conſi. 4. vbi refert conſilium quod Generalis quidam cuiuſdam ordinis & ſcrutatores, machinati ſunt in electione cuiuſdam

Prouin-

Prouincialis Miniſtri, vt ſcilicet ſcrutatores ſupra dicti, non vere ſed falſo dicerent, quot ſuffragia habuit is, in quem maior pars Capituli conſenſit, ſed maiorem partem ſuffragiorum tribuerent alteri, qui quidem media ſupradicta fraude electus fuit, ſed fuit fraus ſtatim detecta ab ipſis electoribus & ſuffragatoribus. In quo caſu dicit ſupradictus Nauarrus, quod electio facta coram Deo nihil valuit, quodque tam Generalis prædictus quam ſcrutatores ipſi grauiſſime peccauerunt mortaliter, & tanquam fraudatores digni fuerunt magna quadam grauiſſima pœna mulctari, quia in re grauiſſima fuerunt falſarij, & addit quod quamuis pœna magni huius atque grauiſſimi delicti, vt videtur nõ ſit iure communi determinata, ſed relinquitur viri prudentis arbitrio, argumento deducto *ex leg. 1. ff. de iure deliberandi, & cap. de cauſis, de offic. deleg.* ex alia parte videtur eſſe iure expreſſa & determinata *in d. cap. quia propter de elect.* Nam ſi ibi Concilium ſtatuit, vt poteſtate eligendi priuẽtur electores, qui contra formam dicti Capituli electionem aliquã celebrarent etiam ſine vlla fraude, quanto ergo inquit, magis eadẽ pœna aliaue maiori digni ſunt, qui in publicatione ſcrutinij, fraudem adeo grauẽ fecerunt & commiſerunt? Omiſſa igitur ſupradictæ fraudis atque delicti pœna vt illuc, vnde digreſſi ſumus, reuertamur, dico quod niſi euidenter electoribus & ſuffragatoribus de fraude aliqua in ſcrutinio facta conſtet, ſtandũ firmitereſt ſcrutatorum decreto, facto de publicatione ſcrutinij, cui nullatenus licebit contraire, quinvero fides omnino adhibenda eſt eidem, & aduertendum eſt, quod ſupradictum decretum olim, quando ſuffragia erant publica, publice queredigebantur in ſcriptis, publice etiam dabatur à Notario, ſeu ab ipſis ſcrutatoribus, & erat ſcriptura quædam, ſeriem continens totius electionis, & ipſius diſcurſus à principio vſque in finem. Quæ fiebat ob id, vt appareret formam debitam in electione fuiſſe ſeruatam, & vt eligentes ampliusnegare non poſſent, electioni ſe conſenſiſſe. Mittebaturque prædictum decretum ad ſuperiorem quando erat abſens, dicebatur que eſſe de ſolemnitate, non vero de neceſſitate electionis, *ſecundum gloſſam ſingularem, capitulum. 1. diſt. 6. §. ſed aliud*, quando vero Superior erat præſens electioni, verbo tantum fiebat decretum prædictum, & ſimiliter ſi erat abſens in domo, tunc enim per vnum eligentium ſiue ſcrutatorum, verbo recitabantur ſibi, quæ geſta erant in electione, ſed modo aliter fit poſt Concilium Tridentinum.

maiorem. Hoc conſtat expreſſe ex multis Capitulis & iuribus, poſitis in toto titulo de electione, ſed maxime *in dicto cap. quia propter*, vbi dicitur *quod publicatis ſuffragijs in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto, is collatione habita ligatur, in quẽ omnes vel maior & ſanior pars Capituli conſenſerit.* Quæ verba explicans & verſans Panormit. *in dicto capi. quia propter* notabili quinto, inquit, quod non valet electio facta, niſi fiat per maiorem & ſaniorem partem Capituli, nec ſufficit ſanioritas, niſi etiam ſimul concurrat maioritas, quod & probat ex proprietate & natura illius coniunctionis copulatiuæ &, cuius eſt copulare vtrumque extremorũ principaliter, iuxta Gloſſam *in cap. querelam de ſimonia.* Ad ſcienduma utem atque inueſtigandum quænã eſſet maior & ſanior pars, multæ olim exoriebantur lites, inconuenientia atque incommoda, nam vt dicit idem ipſe Panorm. ibidem, cum contingebat plures ſimul electiones concurrere, hoc eſt tres ſimul in aliqua electione habere vota & ſuffragia, triplex etiam ſuffragiorum collatio fieri debebat, ſcilicet numeri ad numerum, meriti ad meritum, & zeli ad zelum, ex quibus omnibus intime perpenſis atque conſideratis, inſpiciendum, atque conſiderandum etiam erat & apparere debebat, Primo, quis electorum haberet maiorem ſuffragiorum numerum? Secundo quis eſſet maioris meriti? Tertio quis melioris zeli, hoc eſt, ex quo zelo, ſiue animo electores moti fuerunt ad electionem faciẽdam? Ex quibus tribus ſubinde conſtabat & apparebat olim, quis habuiſſet maiorem & ſaniorem partem, cum maioritas conſiſtat reſpectu numeri, ſanioritas vero reſpectu meriti & zeli. Ad quod determinandum innumeræ, vt dixi exoriebantur lites inconuenientia, atque incommoda, multæ & graues controuerſiæ inter Doctores, ſuper qua electionum valere deberet, quãdo duæ aut tres ſimul concurrebãt & contingebat quod duo aut tres, vota & ſuffragia ſimul haberent in aliqua electione. Quidam enim dicebant, quod illa electio debebat præualere, quando in ſcrutinio diuiſa erant vota, & ſuffragia, quæ meritis melioribus & maioribus adiuuabatur, *iuxta cap. licet, & cap. dudum, de electione.* Alij vero quod illa, quæ excedebat in ſuffragiorũ numero, quæ etiam ſimul dici debebat maior & ſaniorpars, niſi probaretur contrarium, *per dictũ ca. dudum & cap. Eccleſia veſtra eodem titul.* Hincque continua & interminata iurgia procedebant, atque immortales lites. Quod & in cauſa extitit, vt ad Summos Romanos Pontifices, circa electionum diuerſarum materiam, tot conſultationes referrentur, in diesque fierent, & ab ipſis procederent ſuper eadem re tot deciſiones, determinationes, atque Decreta, quæ inueniuntur in iure in decretalibus antiquis, & nouis ſub titulo de electione, quæ longum eſſet nimis velle omnia in præſentiarum recẽſere. Dabantur enim olim (vt ſupra diximus) omnia ſuffragia & vota coram ſcrutatoribus publice, ab eiſdemque publice etiam redigebantur in ſcriptis, & coram omnibus etiam poſtmodum publicabantur, non ſolum qnoad numerum, verumetiam quoad ipſas perſonas ſuffragantes, ex quo facto cõſtare recte poterat, in quem conſenſerat ſuffragiorum maior pars (quantum ad numerum) & ex alia parte, quænam eſſet cenſenda, ſiue exiſtimanda, maior

partẽ, ſi deberet, cauere eſſe ſaniorem

Nota hoc valde.

ARTICVLVS XXVII.

Vtrum ad validitatem electionis Canonicæ, ſufficiat maiorem habere ſuffragiorum partem?

Nota quod ad validitatẽ electionis olim, nõ ſufficiebat habere, maiorẽ ſuffragiorũ

PRo huius Articuli intelligentia, antequam reſolutiue propoſitæ faciamus ſatis difficultati & quæſtioni, oportet aduertere, quod ad validitatem electionis olim, non ſufficiebat habere maiorem ſuffragiorũ partem, ſed requirebatur vlterius eandem eſſe ſa-

maior, ſeu potius ſanior pars, quantum ad meritũ, & quantum ad zelum, vnde & prodijt, vt dictum eſt, quod electionis titulus, nimium excreſceret in iure, adeoque latiſſimus fuerit.

A ſupradictis omnibus ergo iurgijs, litibus & anguſtijs, liberauit nos decretum Concilij Tridentini, quod quidem *ſeſſ. 25. cap. 6.* paci & quieti electionum omnium ſtudens, ac tot quæſtionibus imponere volens finem, diſtricte præcepit, *vt in poſterum electiones omnes non publicè ſed ſecretè fierent & per vota ſecreta ita vt ſingulorum eligentium nomina, nunquam publicentur.* Quo ſtatuto atque decreto, iam nullus relinquitur locus, diſquirendi & ſciendi, quænam ſuffragiorum pars ſit ſanior, neque vt ad merita, ſiue electorum & ſuffragatorum zelum, vllus habeatur reſpectus, ſed ſolummodo ad maiorem vel minorem ipſorum numerum, dum tamẽ aliàs vota & ſuffragia ipſa ſint legitima, & hoc eſt quod nunc habetur in communi praxi. Quo præmiſſo, propoſito Articulo atque difficultati, reſolutiue reſpondeo per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Ad validitatẽ electionis cuiuſlibet, ſufficit maiorẽ habere ſuffragiorũ numerũ, dũmodo ipſa ſint legitima & nullã patiantur exceptionem.

AD validitatem electionis cuiuſlibet, ſufficit habere maiorem votorum, ſiue ſuffragiorum numerum, dum tamen ipſa ſint legitima, nullamq; patiantur exceptionem.

Hæc concluſio communis eſt omnium Doctorũ reſolutio, & præſuppoſito, vt dictum eſt in præmiſſo notabili, quod iam diſſuetum antiquus ille vſus, diſquirendi quænam Capituli & ſuffragiorum ſit ſanior pars, quod ipſis exiſtentibus ſecretis, iuxta dictum Concilij Tridentini decretum, & nullo modo publicatis, nullatenus ſciri poteſt, quod maior ſuffragiorum pars quantum ad numerum ſufficiat, innumera iura proclamant, ſed maxime ſupradictum *cap. quia propter, verbo in quem omnes, vel maior pars capituli conſenſerit.* Id quod habetur etiam, *in cap. dudum eodem titulo,* & in pluribus alijs, quæ breuitatis gratia prætermittuntur. Solummodo eſt difficultas, ſcire atque inueſtigare, an ſufficiat ad hoc, vt quis eligatur, quod collatione facta habeat maiorem ſuffragiorum partem reſpectu aliarum partium, an vero requiratur vlterius, quod habeat maiorem partem reſpectu totius Capituli? Cui difficultati reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Ad validitatẽ electionis Canonicæ, nõ ſufficit habere maiorẽ ſuffragiorũ partẽ, reſpectu minorũ ſed requiritur vt ſit maior, reſpectu totius Capituli.

Secunda Concluſio.

IN electionibus Canonicis, ad ipſarum validitatem, non ſufficit habere maiorem ſuffragiorũ partem, reſpectu minorum, ſed vlteriusrequiritur habere maiorem partem reſpectu totius Capituli, in quo diſtinguuntur electiones Canonicæ à non Canonicis. Volo dicere, quod ſi electores & ſuffragatores ſunt viginti, electio ad hoc vt ipſius valeat electio, ad minus ſuffragari debent vndecim, quæ eſt maior pars reſpectu ſuffragiorum omnium (nã medietatem faciunt decem) nec ſufficeret quod eidem ſuffragati eſſent decem, cum in tali caſu nihil haberet ſupra Capituli & ſuffragiorum medietatem, quod non eſt neceſſarium in alijs electionibus non Canonicis, nam ille, in quem plures voces conueniunt, etiamſi medietatem non excedant habendus eſt pro electo. Hæc concluſio & ſententia, eſt etiam communis omnium Doctorum reſolutio, & eam tenet expreſſe Panormit. *in dicto cap quia propter, & in cap. Eccleſia veſtra, el primero. eodem titulo,* & etiam Ioannes Andreas. Sed tamen notandum eſt vt ſupra diximus, quod in iſto numero computari non debent, qui nolunt intereſſe Capitulo, nec illi qui propter aliquam rationem & cauſam priuati aut priuandi ſunt ſuffragio ſiue voto, ſed illi ſolummodo qui in eadem electione habuerunt votum, *iuxta gloſſam in clementinã quo circa eod tit.* & Panormit. vbi ſupra, qui dicit hoc vniuerſaliter eſſe tenendum & dicendum, in omnibus caſibus, vbi ſuffragiorum maior pars requiritur, & quando *in l. nulli & in l. plane. ff. quod cuiuſque vni. nomin.* dicitur quod ad hoc vt conſtituatur vniuerſitas, neceſſaria eſt præſentia duarum vocandarum partiũ, & quod ab initio debent duæ partes Vniuerſitatis conuenire, & tunc quod fit à maiori parte ipſarum, eſt firmum & validum, intelligendum eſt de duabus partibus, illorum qui volunt, debent & poſſunt commode intereſſe capitulo, iuxta formam dicti *cap. quia propter,* pro quo faciunt *cap. cum nobis, & cap. cum in cauſis, eod. tit.* dicit vlterius Panormita. ibidẽ quod non ſolum in electionibus, in quibus neceſſario ſeruanda eſt forma, dicti *cap. quia propter,* verum eſt quod oportet maiorem eſſe partem totius Capituli, nec ſufficit eſſe maiorem reſpectu minorum, verumetiam in omnibus caſibus explicandis per Vniuerſitatẽ, & ſpectantibus ad aliquos iure Collegij, & non vt ſinguli, ſed vt Collegium, qua de re videatur Sylueſt. *verbo electio 2. q. 9.* vbi prædictã doctrinam ſtatuit tanquam certam, veram atque indubitabilem. Cui (inquit) reſolutioni, nõ obſtat, *cap. quoniam de iure patronatus,* vbi valuit præſentatio facta à maiori parte patronorum, licet non cõcurrerit maior pars omnium: nam ad hoc dicunt communiter Doctores, quod illud procedit in patronis, qui præſentant vt ſinguli, & non vt Collegium, ſecus tamen eſſet, ſi præſentarent vt Collegium, aut præſentatio ſpectaret ad illos iure Collegij. Vnde hæc ſit regula generalis, quod vbi actus ſpectat ad plures vt ad Collegium, ad validitatem ipſius, requiritur diſpoſitio maioris partis Collegij, ideſt exiſtentium tunc in Collegio tot vero vbi actus ſpectat ad plures, non vt ad Collegiũ ſed vt ad ſingulos, ſufficit maior pars reſpectu minoris, vt habetur in *cap quoniam de elect.* Et ſic valet etiam ſtatutum, factum à maiori parte reſpectu minoris, quamuis non ſit à maiori parte totius Capituli ſiue Collegij, vt expreſſe tenet *gloſſa finalis in cap. ſi cui, eodem tit. libro 6. & in cap. ne ſede vacante lib. 6.* Per quæ manet ſatis probata & explicata concluſio ſupradicta, quæ vniuerſaliter eſt vera in electionibus Canonicis cunctis, nulla excepta Religione. Qua ratione merito vtitur reprehendẽdus ſupradictus Sylueſt. qui loco ſupra citato in fine dicit, quod fallit ſupradicta Regula in electione Prouincialis Miniſtri noſtri facti ordinis Minorũ, in qua (inquit) valet electio facta à maiori parte, partium comparatione minorum allegans in id *clementinam exiui de paradiſo. §. demum, de verbor. ſignifica.* fallitur in quam ſupradictus Sylueſt. quia in dicta Clementina nihil tale repetitur, quin vero vt manifeſte ex ipſa conſtat & patebit intuenti, expreſſe ibi-

Nota valde quod vbi actus ſpectat ad plures, vt ad Collegium, ad ipſius validitatẽ requiritur diſpoſitio maioris partis Collegij. ſecus eſt autem vbi ſpectat ad plures nõ vt ad Collegium, ſed vt ad ſingulos.

ibidem dicitur, quod valeat electio, quæ á maiori parte Capituli numero fuerit celebrata, nullazeli vel meriti collatione aut consideratione habita. Et quando dicitur, à maiori parte Capituli numero, non intelligit Sum. Pont. Clemens V. (vt dicit Syluester) à maiori parte partium comparatione minorum, sed à maiori parte totius Capituli, & omnium suffragiorum, quæ de isto Articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS XXVIII.

Vtrum ante confirmationem electi, post scrutinium sit aliqua consultatio facienda?

DAtio dubitandi est, nam Clemens V. in supradicta Clementina, *exiui de paradiso*, facta in Concilio Viennensi, agens de electione Prouincialis Ministri Ordinis Minorum, postquam dixit, statuit atque ordinauit, vt electio Ministri Prouincialis, ad Capitulum Prouinciale pertineat, quam idem Capitulum die sequenti qua fuerit congregatum, facere teneatur: postquam etiam dixit & statuit, quod huiusmodi electionis confirmatio pertineat ad Generalem Ministrum, & quod ad electionem huiusmodi per formam scrutinij procedatur, ac votis in diuersa diuisis, si electiones plures in discordia celebrari cõtigerit, illa quæ à maiori parte Capituli numero, nulla zeli vel meriti collatione siue consideratione habita fuerit celebrata, exceptione seu contradictione quacumque alterius partis non obstante, per dictum Generalem Ministrum de consilio Discretorum ordinis confirmetur, vel etiam infirmetur, prout eis secundum Deum visum fuerit expedire, inquit, prius tamen ex officio prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione præmissa. Ex quibus vltimis verbis plane colligitur, aut saltim satis insinuari videtur, quod vltra collationem suffragiorum dictam in præcedenti Articulo necessario faciendam quantum ad numerum duntaxat, nulla zeli vel meriti collatione seu consideratione habita, debet supradictus Generalis Minister ad quem confirmatio Ministri Prouincialis spectat, antequam eundem confirmet, videre & examinare, an prædictam electionem confirmare, vel infirmare debeat, & ex officio suo diligentem consultationem facere, eadem de re cũ Discretis ordinis, siue Prouinciæ. Id quod & generaliter videtur esse expresse determinatum, *in cap. fin. de election. lib. 6.* vbi Bonifacius VIII. præcipit vt post electionem quãlibet factam & ante ipsius confirmationem, fiat publicatio in eadem Ecclesia, vbi electio facta est, vt si qui velint se opponere, aut aliquid contra ipsam siue electum allegare ac dicere, intra peremptorium assignatum terminum compareat. Quas quidem ob causas & rationes, Priuilegiorum Collector in Compend. *verbo, electio*, §. 8. dicit necessario ante confirmationem Prouincialis nostri ordinis, supradictam examinationem & consultationem faciendam esse, & inquit se non videre quomodo aliter fieri possit iuridice. Sed nihilominus Emmanuel Rodericus, in suis quæstionibus Regul. tomo 2. q. 51. art. 5. agens de electione Prouincialis Ministri in nostro sacro ordine Minorum, postquam omnia supradicta refert, contrariæ parti assentitur, & tenet huiusmodi examinationem & consultationem non esse præcise necessariam, etiam in electione Ministrorum Prouincialium, de qua expresse supradicta Clementina loquitur, & in dicto etiam *cap. fin. de election. lib. 6.* comprehenditur, quinvero ea prætermissa, procedi posse ad confirmationem: fundatus in communi praxi & consuetudine, quæ hac de re apud viros doctos & graues iamdiu inoleuit, quam (inquit) praxim, non est cur vt minus iuridicam condemnemus. Sed nihilominus non obstante prædicta praxi & consuetudine (quã potius corruptelam dixerim) ipse nõ video qualiter eiusmodi consultatio & examinatio, de dignitate seu indignitate electi, saltim verbalis & summaria, ante ipsius confirmationem debeat aut possit prætermitti, cum id facere adeo sit iuridicum ac rationi consonum, & sit expresse præceptum & determinatum in iure, in dicta Clementina, & dicto *cap. fin. de election. lib. 6.* Vnde pro resolutione supradictæ difficultatis, sequentes statuo conclusiones.

Nota hoc valde, ex Priuile. Collectore.

Prima Conclusio.

Ante cõfirmationẽ electi, de iure necessario facienda est cõsultatio, de ipsius dignitate vel indignitate.

ANte confirmationem electi, à Præsidente Capituli necessario facienda est, saltim verbalis & summaria quædam examinatio, & consultatio cum Discretis Prouinciæ, super eius dignitate seu indignitate, & an seruata sit omnino forma seruari debita in Scrutinio. Ad ponendam atque statuẽdam conclusionem prædictam moueor, ex expressa ipsius determinatione, posita in supradicta *Clementina, exiui de paradiso*, relata in initio huius articuli, vbi Summus Pontifex Clemens V. agens de electione Prouincialis Ministri in nostro ordine Minorum, dicit quod facta electione & ante ipsius confirmationem, Generalis Minister de consilio Discretorum Ordinis, ex suo officio prius prout ad ipsum spectat, diligentem examinationem faciat atque præmittat, an electio sit confirmanda vel infirmanda, prout secundum Deum sibi videbitur expedire. Quid obsecro expressius aut clarius dici vnquam potuit? & quonammodo Summi Pontificis, decretum siue mandatum, pro libito & absque vlla prorsus causa licebit præterire? Nec valet dicere, quod eiusmodi postea decretum, modificatur per illa subsequentia verba, *prout secundum Deum vidébitur sibi expedire*, nam verba illa non cadunt super prædicto mandato, nec per ipsa permittitur vllo modo, vt dicta consultatio & examinatio prætermittatur, sed ea præmissa, Generalis Ministri seu Præsidentis Capituli simul & Discretorũ Prouinciæ conscientiæ relinquitur, vt videant an dicta electio sit confirmanda vel infirmanda, prout sibi secundum Deum melius videbitur expedire. Cõfirmatur præterea supradicta conclusio, *ex d. ca. fin. de election. lib. 6.* vbi idipsum expresse habetur. Nec valet dicere, vt dicit supradictus Emmanuel Rodericus, quod ibi loquitur Summus Pontif. de electione nõ in cõcordia celebrata, nã quamuis id verum sit, prout idem ipse dicit in principio, in fine tamen Capituli subsequentia ponit verba, *Quæ omnia*

nia etiam ſi electio in concordia celebrata fuerit, volumus obſeruari. Potuit non aliquid clarius aut expreſſius dici? Quid ergo expedit proferre? Facit pro dicta noſtra concluſione *cap. poſtquam, de elect.* vbi hoc ipſum præcipitur fieri ante confirmationem, & eſt etiam in id ipſum ratio appoſitiſſima, poſtquam quod in ea dicitur, adeo eſt iuridicum & quammaxime rationi conſonum, vt amplius patebit ex dicendis in ſequenti concl. Videatur etiam hac de re Nauarrus lib. 1. Conſiliorum, tit. de electione, conſil. 2. numer. 2.

Secunda Concluſio.

Quid faciendū ſit, in cōſultatione ſuprad.

IN dicta conſultatione, ſiue examinatione, Generalis Miniſter, ſiue Commiſſarius, qui ipſius nomine Præſes eſt Capituli, cum Diſcretis Prouinciæ conferre debet, an electus ſit dignus ſeu indignus, & an omnino ſeruata ſit ſubſtantialis forma ſeruari debita in Scrutinio, vt ex eo ſibi conſtet, an electio facta ſit confirmanda, an vero annullanda & caſſanda. Supradictæ concluſionis ratio eſt, nam in caſu quo electus fuiſſet indignus, electio de illo facta eſt ipſo iure irrita & nulla, & deuoluitur ad Superiorem, vt tenet communis Doctorum doctrina, & habetur ſtatutum multis iuribus, *in cap. cū in canctis, cap. quoniam, eod. tit. lib. 6. cap. quia propter, de elect.* & ſæpe alibi. Si autem electus ſit dignus, licet fuerit electus prætermiſſo digniori, non propterea electio eſt irrita & nulla, nec deuoluitur ad Superiorem, quamuis electores peccauerint mortaliter, non eligendo digniorem, iuxta *cap. licet. 8. q. 1.* & multa alia capitula, quæ à gloſſa allegantur ibidem, & nos latius diximus ſupra Artic. 13. huius Quæſtionis. Debet præterea ſupradictus Generalis Miniſter ſiue ipſius Commiſſarius, conſultationem facere, an fuerit ſeruata ſubſtantialis forma, ſeruari debita in Scrutinio, nam per ipſius omiſſionem, electiones aliter factæ ipſo ſunt iure irritæ & nullæ, aut ſaltim annullandæ & caſſandæ, vt dicemus ſtatim. Sed quænam ſint de eſſentia atque ſubſtantia electionis Scrutinialis, ſeu quæ fit per Scrutinium, quod ſcire & aduertere oportet ſummopere, dicetur in ſequenti Articulo.

Nota valde, pro electionibus in quibus eliguntur indigni.

ARTICVLVS XXIX.

Quænam ſunt de eſſentia & ſubſtantia electionis, quæ fit per ſcrutinium?

Concluſio.

De iijs quæ pertinēt ad eſſentiam, ſiue ſubſtantiā electionis, quæ fit per Scrutinium.

MVlta ſunt, quæ ex communi omnium Doctorum ſententia, pertinent ad eſſentiam, ſiue ſubſtantiam electionis, quæ fit, fierique debet per Scrutinium, quæ de mente & opinione Panormitani, in *cap. quia propter de electione*, ad decem & octo capita reducuntur. Primo ſubſtantiale eſt in electione, quæ fit per Scrutinium, vt electiones fiant per congregatos in vnū, quia (inquit) nō ſufficeret conſenſus eligētiū ſingulariter præſtitus, vt puta ſi quilibet in ſua camera cōſentiret, ſed oportet quod collegialiter conſentiant, *per capit. in Geneſi, eodem titul. & gloſſa in cap. 1. de rebus Eccleſiæ non alienandis lib. 6.* Et hoc non ſolum eſt ſpeciale in electione, vt ibidem dicit gloſſa, ſed regulare & generale, in omnibus explicandis per Vniuerſitatem, vt dicit ſupradictus Panormitanus, in *cap. cum omnes de Conſtitutionibus.* Ad quod facit quod notat gloſſa, in *l. ſicut ff. quod cuiuſque vniuer. nom.* Et addit Panormitanus, non velim per hoc intelligas, quod præſentia omnium electorum ſit de ſubſtantia quia contemptus aliquorum non inducit nullitatem electionis, vt habetur in *cap. quod ſicut, cap. bonæ, & cap. Eccleſia, el 2. eōdem tit.* Neque præſentia & vocatio abſentium, eſt de forma ſubſtantiali electionis, ſed de iuſtitia, ita quod retractabitur electio, non vocatis proſequentibus ſuum contemptum, & hoc etiam voluit præallegata gloſſa. Aduertendum tamen (inquit) eſt, quod ad validitatem electionis, requiruntur ad minus duæ partes vocandorum, alias non ibidem conſiſtet Vniuerſitas. Exiſtentibus tamen ipſis valebit, quod diſpoſuerit maior pars, vt notatur in *l. nulli, & l. plane. ff. quod cuiuſque Vniuerſ. nom.* Ad quod facit, quod dicit idem Panormitanus in *capi. cum nobis, & in cap. in cauſis eodem tit.* Nec valeret (inquit) ſtatutum Epiſcopi & capituli, inducentes nullitatem, propter defectum aliquorum non vocatorum, vt notat Ioannes Andreas in additionibus, eodem titulo, quia conſtitutio inferioris immutare non poteſt aut valet, Conſtitutionem Superioris, vt habetur in Clementina, *ne Romani, eodem tit.* ſed eſt de iuſtitia tantum, vt dictum eſt, ad hunc ſenſum, quod retractabitur electio, ſi illi ſuū proſequantur contemptum.

Quidnam vocetur Vniuerſitas, ſitq; neceſſario requiſitum, ad hoc vt Collegium poſſit procedere ad electionem.

2. quod Scrutatores aſſumantur per Collegium.

Secundum ſubſtantiale in ſcrutinio eſt, vt Scrutatores aſſumantur per Collegium, non enim debent ſe ingerere, nam per hoc redderentur ſuſpecti, vt habetur in *l. quæ omnia. ff. de procuratoribus, & facit textus in dicto capit. quia propter, verbo, aßumantur.* Quod tamen dicit idem Panormitanus, eſſe tutum ſed non ſimpliciter neceſſarium, quia ſi tres incipiunt ſcrutari alijs videntibus & tacentibus, credit electionem valere ſeruatis alijs, quia cum agatur de re meritoria & concupiſcibili, tacentes habentur pro conſentientibus, ſicut in ſimili notauit gloſſa in *capitulo, ſicut cum, eodem titulo, libro ſexto.* & notat Innocentius in *d. cap. in Geneſi.*

3. quod Scrutatores ſint tres

Tertio eſt ſubſtantiale in Scrutinio, quod aſſumantur tres Scrutatores, & non plures, neque pauciores, & hoc communiter tenetur, imo vero habetur expreſſe *in dicto capit. quia propter.* Sed hoc limitat Archidiaconus, dicendo eſſe verum quando ſeruari poteſt, alias inquit, propter electorum paucitatem, ſufficiunt duo Scrutatores, ſecundum multorum Doctorum opinionem, imo vnus ſolus vocatis teſtibus, ſecundum opinionem Innocentij, quin vero & in caſu nullus ſecundum mentem eiuſdem, nam ſi ius eligendi ſit tantum penes vnum, hunc nullus ſcrutabitur, ſed ipſe teſtibus vocatis, exprimet ſuam voluntatem, & conferet cui voluerit ſuum ſuffragium, nullo exiſtente Scrutatore.

4. quod Scrutatores ſint de Collegio.

Quarto ſubſtantiale eſt in ſcrutinio, vt dicti Scrutatores ſint de Collegio, quāuis aliqui DD. teneāt contrarium, & dicant hoc nō eſſe ſubſtantiale, ſed primum eſt verius & magis congruit literæ, quinvero colligitur expreſſe ex textu *in c. quia propter.*

Et dicit Innocent. hoc esse intelligendum, de collegio eligentium, non vero de collegio Ecclesiæ vacantis, quia fidelius electionis negotium prosequuntur illi, ad quos spectat quam alij, quod forsan dicit, quia nonnunquam electio spectare potest ad aliud collegium, quam Ecclesiæ vacantis, ex consuetudine siue ex priuilegio, vt *in ca. Abbate de verborum significat. & in cap. cum dilectus de consecrat.*

5 Quod singulorũ electorũ exquirantur vota secrete.

Quinto substantiale est, quod singulorum electorum vota exquirantur secrete, vnde si vnum ex præsentibus non scrutaretur, vel aliquis ex Scrutatoribus omitteretur, electio non valeret. Quod intelligit Panor. quando contemnitur vel prætermittitur aliquis ex vocatis, quia inquit contemptus non vocati, non reddit electionem nullam. Et sic intelligendus est Archid. dicens non obesse illa si præsentes non respondeant, vel respondeant captiose, nec si aliqui de capitulo nõ requirantur, dummodo ipsi suum contemptum non prosequantur, loquitur enim de vocandis, non vero de vocatis. Requiritur ergo, vt singulorum electorum vota exquirantur secrete, quia secundum Archidia. si votorum inquisitio fieret in publico, electio nõ valeret, etiamsi omnes consentirent, per *cap. in Genesi, eod. tit.* Sed Panorm. supradictus, post Innocen. intelligit verbum illud secrete, idest seorsum ab alijs de Collegio, quia bene possunt esse alij testes non de collegio, sicut & testes examinari possunt coram alijs testibus in re graui & causa ponderosa, vt possint conuinci de falso, si probaretur postea veritas in contrarium, & ipsi negarent se deposuisse, sicut reperitur scriptum, vt tenẽt multi grauissimi Doctores, allegantes inid textum in *ca. vt officium de hæreticis lib. 6.* Sed intelligendum hoc est, dũ alij testes ad Scrutinium vocati, tales essent qui non possent eligentibus timorem incutere, quia tunc recusari possent, sicut & ipsi Scrutatores, si tales essent, vel aliqui ipsorum, & esset iusta causa appellandi, vt dicit prædictus Panormitanus in dicto *cap. quia propter.*

6 Quod inquisitio fiat sigillatim.

Sexto est substantiale in scrutinio, vt inquisitio fiat sigillatim, & non accedant electores aut vocẽtur ad Scrutatores, bini vel trini, sed singuli, vel quilibet singulariter per se, vt colligitur ex dicto *ca. quia propter*, ibi, *sigillatim*, sicut etiam obseruatur in testibus, qui & in examinatione non debent plures simul commisceri, alias non valeret depositio vt notatur in *c. venerabili, & in ca. cum causam eod. tit.*

7 Quod singulorũ desideria exquirãtur & depositiones.

Septimo substantiale est, vt vota omnium exquirantur, vbi per verbum illud vota, intelligi debẽt depositiones & animorum desideria, aliter enim fieri non posset plena collatio, meriti & zeli, prout præcipitur in *d. cap. quia propter*, ibi, *cunctorum vota diligenter exquirant.* Super quæ verba (inquit Panormit.) quod debent Scrutatores interrogare electores & suffragatores, in quem consentiant, & quare & quo zelo, & meritis & qualitate eius, secundum omnes Doctores communiter. Quinvero & aliqui dicunt, quod possunt supradicti Scrutatores singulos electores ad id adstringere iuramento, quod tamen inquit, secundum alios non est necesse, cum non sit iure cautum. Poterunt tamen eos ad iurare sub animæ suæ periculo & per Deum, vt in illum consentiant, quem putant esse meliorem. Sed hæc omnia, vt diximus in præcedenti Articulo, iam sunt sublata, cum iuxta Concilium Tridentinum, vota esse debeant secreta, ita vt nullatenus publicentur.

8 Quod vota redigantur in scriptis.

Octauo in scrutinio prædicto, substantiale est vt vota exquisita redigantur in scriptis, publicis aut priuatis, quod dicit Panormita. esse de substantia Scrutinij, & hunc esse casum inter alios, in quo scriptura est de substantia actus, & colligitur ex *d. cap. quia propter*, ibi, *in scriptis redacta.* Plures alios casus, in quibus scriptura sit de substantia actus, ponit *glossa in ca. 1. de censibus, lib. 6.* Sed ex hoc casu per locum ab speciali, colligit supradictus Panorm. quod regulariter loquendo, in alijs quæ fiunt per Vniuersitatem, non est opus vt vota singulorum in scriptis redigantur, nisi id etiam habeatur specialiter. Supradicta etiam consuetudo redigendi vota & suffragia in scriptis publice, iuxta morem antiquum, sublata est etiam per supradictum Concilium Tridentinum, & sic hæc & alia, hoc nostro tẽpore non currunt.

9 Quod vota scripta in communi in Capitulo publicentur.

Nono substantiale est, vt vota scripta, in communi, idest in Capitulo publicentur. Hæc conditio etiam colligitur *ex d. cap. quia propter*, ibi, *mox publicentur in communi*: quod etiam nunc non currit.

10 Quod votorum, & suffragiorũ publicatio statim fiat

Decimo substantiale est in scrutinio, vt ista votorum & suffragiorum publicatio fiat mox, idest incontinenti, nullo actu contrario interueniẽte post scripturam, & postquam vota fuerint redacta in scriptis, quod etiam colligitur ex verbis supradicti *c. quia propter*, ibi, *mox publicentur in communi.* Quã quidem particulam, *mox.* & alias nempe, *statim & illico*, & similes, explicat & declarat supradictus Panorm. in fine dicti *capit. quia propter*, dicendo quod capiuntur in iure diuersimode, nam quandoque verificantur in modico tempore, quandoque vero in minori, ad quod probandum adducit quasdam regulas, quas ipse breuitatis gratia referre in præsentiarum omitto.

11 Quod facta votorũ, & suffragiorũ publicatione statim fiat collatio.

Vndecimo substantiale est, vt facta votorum & suffragiorum publicatione, fiat statim collatio suffragiorum, respectu numeri, meriti & zeli, ad sensum supradictum in initio præcedentis Articuli, ad inquirendum & inuestigandum, quisnam haberet maiorem atque saniorem suffragiorum partem. Dicit tamen Panorm. quod dicta collatio meriti & zeli, cessabat neque erat necessaria, quando electio fiebat à duabus partibus, ad quod probandum inducit textum in *cap. si quando de elect. lib. 6.* In casu vero quo vnus solus fuisset electus, non tamen electio fuisset à duabus partibus, inquit, quod etiam fieri debebat collatio, non quidem numeri ad numerum (cum ceffaret alia electio) sed de numero, merito & zelo, considerando vtrum habuerit sufficientẽ numerum, in casu quo præsentes nõ faciãt duas partes prout deberent, vel quia forte non omnes habent vocem. Item (inquit) quod fieri debebat collatio de merito electi, an scilicet esset idoneus ad illam dignitatem. & de zelo, an electores bono animo, an vero per illicitas preces in illũ consenserint. Sed iam hæc omnia sublata sunt per Concilium Tridentinum, vt pluries est dictum, cum vota & suffragia esse debeant secreta, nullaque proinde ratio haberi possit de electorum zelo.

12 Quod dicta collatio fiat sta tim.

Duodecimo substantiale erat, vt dicta collatio fieret

fieret mox poſt ſuffragiorum publicationē, nullo actu extraneo intermiſſo, quod voluit gloſſa in ſupradicto *cap. quia propter*, & Panorm. ibi. argumento deducto *ex l. cum antiquitas, C. de teſtā.* licet in hoc aliqui varient & ſint diuerſi.

13 *Quod electio fiat, per vnū nomine omniū exiſtētiū in Capitulo.*

Tertiodecimo ſubſtantiale erat, vt collatione facta fieret communis electio, per vnum nomine totius Capituli, & per verba ſingularis numeri, vt habetur in *cap. ſicut de elect. lib. 6. & in cap. cum ab vno, de re iudicata, lib. 6.* Circa perſonam, quæ vice omnium ſupradictam electionem debebat efficere, erat etiam olim cōtrouerſia inter Doctores, de qua meminit Sylueſt. *verbo, electio. 2. q. 10. in 13. dicto*, ſed nunc communiter obſeruatur in praxi, vt is eam efficiat, qui inter ſcrutatores exercuit Notarij officium. Is vero electione peracta voce intelligibili debet dicere: *Hæc eſt electio N. facta in hoc capitulo, ſiue Congregatione, &c.* vt ſupradictum eſt dum agere mus de electione Generalis & Prouincialis Miniſtri, & dicit Sylueſt. vbi ſupra, quod eſſe poteſt electionis pronuntiator, etiam vnus ex his qui eidem non conſenſerunt, & nihilominus dicere eam pronuntiando: *Ego N. vice mea & omnium electorum, qui mecum conſenſerunt, eligo N. &c.*

14 *Quod dicta electio, fiat ſtatim poſt collationem.*

Quartodecimo ſubſtantiale erat, vt electio ſupradicta fieret ſtatim poſt collationem, ideſt nullo actu extraneo interueniente, ad quod probandum adducit ſupradictus Panorm. *capit. cum poſt petitam, eodem tit. de electione.*

15 *Quod electio fiat de eo, in quē maior pars Capituli conſenſerit.*

Quintodecimo ſubſtantiale erat, vt electio fieret de eo in quem maior & ſanior pars totius Capituli conſenſiſſet, iuxta ſenſum dictum & explicatum in præcedenti Articulo, & dicit Panormitanus, quod ſufficiebat, quod eſſet maior pars, ſi non probaretur contrarium, nam maior pars, ſi nō probetur contrarium, ſemper præſumitur ſanior, per *cap. dudum, eadem tit.* & maioris zeli, per *cap. Eccleſia veſtra, etiam eodem tit.*

16 *Quod electio fiat verbaliter.*

Decimoſexto erat ſubſtantiale, quod prædicta electio eſſet verbalis, per *cap. Eccleſia veſtra, cap. ſicut & cap. cum ab vno, eodem tit.*

17 *Quod electio ſolemniter publicetur.*

Decimoſeptimo, vt dicta electio ſolemniter publicaretur, quia non debebat eſſe clandeſtina, per dictum *capitulum quia propter*, & publicari debebat in Capitulo, & ſecundum aliquos etiam coram populo, per illud quod legitur & notatur, *in cap. cum dilectus, eodem tit.*

18 *Quod prædicta omnia fiant per ordinem.*

Decimo octauo, & vltimo erat ſubſtantiale in ſcrutinio, vt ſeruaretur ordo omnium prædictorum, ſucceſſiue, & per ordinem vt enumerata ſunt alioquin ſi præpoſterarentur nihil valeret electio. Hæc omnia deſumpta ſunt ex Panormitano in dicto *cap. quia propter*, vbi in fine (inquit) quod aliqui volunt addere ſupradictis, vt ſcrutatores eſſent fidedigni, per illud quod dicitur in dicto *capitul. quia propter ibi, fidedigni*, ſed (inquit) quod communius tenetur, quod hoc non eſt de ſubſtantia ſed de iuſtitia. Fuit enim dictum potius admonendo, quam ſubſtantiale aliquid inducendo, & dicta idoneitas Scrutatorum, præſumitur per *cap. fin. de præſumptio.* Item, inquit quod addunt aliqui, vt electio fieret in Eccleſia de cuius Prælato fit electio, *vt in cap. ſicut, eodem tit.* ſed dicit quod hoc, quamuis ſit honeſtum & iuſtum, locus tamen prædictus non eſt de electionis ſubſtantia, niſi aliud haberet conſuetudo, argumento deducto ex *cap. qua fronte de appellat.* Tandem ſubdit, quod etiam additur per aliquos, vt electio fiat poſtquam corpus defuncti traditum fuerit ſepulturæ, ſed ipſe parti adhærere videtur contrariæ, & remittit ſe ad dicta *in capit. bonæ, el. 2. de electione.* & concludendo dicit, quod ex prædictis conſtat difficultas maxima ſeruandæ formæ ſupradicti Scrutinij, in qua multi viri etiam perfecti deficiunt, ignorantes practicam, vt dicit Panormitanus in *cap. quia propter, & gloſſa in cap. cum expediat, de electione libro 6.* Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XXX.

Quænā electio ſit caſſanda & annullāda, aut vero ipſo iure ſit nulla.

DE hac difficultate agit Sylueſt. *verbo, electio. 1. quæ. 10. & verbo, electio. 2. q. etiam* 10. De cuius reſolutione, ſequentes ſta tuo concluſiones.

Prima Concluſio.

caſſanda & annullāda eſt electio, illius qui etiā requiſitus antequā eſſet electus, cōſentit electioni de ſe fiēdæ.

CAſſanda & annullanda eſt electio illius, qui requiſitus antequam eſſet electus, conſenſit electioni de ſe fiendæ, quia præſumitur ambitioſus. Hæc concluſio probatur expreſſe ex *cap. cum poſt petitam, de electione.*

Secunda Concluſio.

Omnes electiones clandeſtinæ, communiter reprobantur in iure, veniuntque caſſandæ & annullandæ.

OMnes electiones clandeſtinæ, communiter reprobantur in iure, veniuntque caſſandæ & annullandæ, quia habentur ſuſpectæ, & tales ſunt, quæ fiunt in cameris & per occulta conuenticula. Probatur hæc concluſio, ex *capit. quia propter de elect. & ex cap. 1. & 2. & capit. ſi tranſitus, diſtin. 79.* Et idē dicit Archid. eſſe dicendum de illis electionibus, quas electores inter ſe tenent ſecretas, cū celebratę deberent ſolemniter publicari per dictum *cap. quia propter.* Quod dicit Sylueſter eſſe valde notandum, propter Religioſos aliquos, apud quos completa electione fit præceptum vt nemini dicatur, quod non magno caret fraudis & ſuſpicionis fundamento.

Tertia Concluſio.

Omnis electio facta, contra formā ſubſtātialē ſcrutinij, etſi caſſanda & annullanda.

GEneraliter loquendo, omnis electio facta contra formam ſubſtantialem Scrutinij ſupradictam, & omiſſa aliqua prædictarum conditionum, per ſententiam Superioris eſt irritanda & annullanda. Hanc concluſionem tenet Sylueſter vbi ſupra, & dicit eſſe ſententiam communem Doctorum, quinvero quidam dicunt, quod in aliquibus eſt ipſo iure nulla, imo vero in omnibus poſitis in præcedenti Articulo, & quod per iſta verba, non valeat electio, inducitur nullitas ipſo facto. Sed Sylueſter componit hanc differentiam dicendo, eſſe loquendum ſub diſtinctione, ſicut diſtinguit Gloſſa in *capite Cumana, de electione*, nam ſi electores peccant in materia, ideſt in perſona electa,

eligendo ſcienter indignum, ipſo iure ſunt priuati poteſtate eligendi, & electio ipſa eſt nulla, per *cap. cum inundis, eod. tit.* Si vero peccant non in materia ſed contra formam, non ſunt ipſo facto priuati, ſed priuandi per ſententiam Superioris, per dictum *cap. quia propter*, ibi, *ea vice eligendi poteſtate priuentur*, nec electio facta eſt ipſo iure nulla, ſed annullanda & caſſanda. Sed dicit Syluest, quod ſi electio tenuit iure naturali, quia nempe interuenit conſenſus legitimus eligentium, ſed non tenuit iure poſitiuo, quia omiſſa ſunt aliqua ſubſtantialia, ſecundum Innocent. quem in hoc ſequuntur omnes Doctores communiter, *in cap. quod ſicut, de elect.* ſi confirmetur electus eſt verus Prælatus, & non tenetur in foro conſcientiæ reſignare. Hæc regula eſt multum notanda, & valde memoriæ cõmendanda, & videantur quæ hac de re diximus ſupra de mente Nauarri in Artic. 12. huius quæſtionis concluſione 1. in fine.

ARTICVLVS XXXI.

Vtrum electus teneatur electioni de ſe factæ conſentire, & an melius faciat aſſentiendo quam diſſentiendo?

HAnc etiam difficultatem tractat ſupradictus Syluester, *verbo, electio. 2. q. 19. & 20.* de cuius mente & reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Electus tenetur electioni de ſe factæ cõſentire.

ELectus tenetur electioni de ſe factæ conſentire, aliàs peccat mortaliter, cum ſit dignus ad Prælaturam, & maxime ſi ſcit quod non eſt alius æque idoneus, per quem illi Eccleſiæ conſuli poſſit. Hanc concluſionem probat Syluest. de mente Geminiani in *cap. ſi electio, eod. tit. lib. 6.* vbi & refert Archidiac. idem tenentem, *per cap. in ſcripturis 8. q. 1.* & Ioannes Andr. putat hoc idem eſſe verum, cũ limitatione & modificatione poſita in concluſione. Sed Ricard. in 3. Quodlib. q. 21. dicit quod ſolummodo in tribus caſibus, electus tenetur conſentire ſub pæna peccati mortalis: Primo, quando cogeretur ad id per obedientiam á Superiore, per *cap. niſi cum pridem de renuntiat.* Secundo, quando ſecundum iudicium ſuæ conſcientiæ, videtur ſibi veriſimiliter quod non eſt qui velit & poſſit, melius ſalutem animarum procurare quam ipſe, & ex hoc videt probabiliter Eccleſiæ notabile imminere diſpendium atque periculum, niſi aſſentiatur, per dictum *cap. in ſcripturis, & cap. olim, eadem cauſa, q. 2.* Quod fallit in Religioſo, in electione facta extra ſuum Monaſterium, & in Mendicantibus, qui non poſſunt electionibus de ſe factis conſentire, niſi de licentia ſuorum Prælatorum, & cum limitationibus & conditionibus poſitis in Articul. 14. Tertio peccat mortaliter, quando refugit per viam illicitam, vtputa abſcondendo ſe, nili ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti. Hæc Ricard. vbi ſup. Dicit tamen quod ſi quis non cogitur per obedientiã, nec imminet probabile periculum Eccleſiæ, ſi refugit per viam licitam propter pigritiam, peccat venialiter, ſi autem id faciat propter humilitatem reputans ſe indignum, non peccat, quinvero meretur. & cum omnibus ſupradictis concordat D. Thom. Quodlib. 5. art. 22.

Nota valde in quibus caſibus electus teneatur cõſentire electioni de ſe factæ ſub pæna peccati mortalis

Secunda Concluſio.

Canonice electus adaliquid officium regulariter loquẽdo melius facit aſſentiẽdo quam diſſentiendo.

QVi canonice eſt electus (regulariter loquẽdo) multo melius faciet electioni de ſe factæ aſſentiendo quam diſſentiendo, etiam in caſu quo non tenetur ex neceſſitate conſentire. Hæc concl. eſt D. Thom. Quodlib. 5. arti. 23. vbi pro explicatione ſuæ ſententiæ dicit, quod ſi electus intendit aliquid temporale, vtputa honorem & diuitias, & excutere ſe à Religionis iugo & eiuſmodi, melius faciet diſſentiendo quam aſſentiendo, quia talis electio & intentio praua eſt: ſi tamen intendit non ſupradicta, ſed profectum Eccleſiæ & animarum, in eo caſu intẽtio illius eſt bona, & melius faciet aſſentiendo quam diſſentiendo. Ad quod probandum inducit D. Aug. 19. de ciuitate Dei, dicentem, *quod in electione non eſt amandus honor in hac vita ſiue potentia, ſed opus ipſum ſi recte atque viriliter fiat, ideſt ſi valeat ad ſalutem ſubditorum.* Ad quod inducit illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Sed ad hoc inquit D. Thom. maxima idoneitas requiritur, quia ſecundum D. Gregor. in Paſtorali: *Tantum actio Præſulis debet tranſcendere actionem populi, quantum diſtare ſolet á grege vita paſtoris, ad quod humana fragilitas non ſufficit.* Pro quo adducit illud Pauli 2. Corint. 2. vbi de Apoſtolorum omniũ obligatione agẽs, poſt multa alia inquit, *Sed ad hæc quis tam idoneus?* Sed poſtea in cap. ſequenti dicit: *Fiduciam tamen habemus ad Deum per Ieſum Chriſtum, non quod ſufficientes ſimus, cogitare aliquid á nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, &c.* Applicando hæc ad præſens propoſitum, inquit D. Thom. quod ex auxilio diuinæ gratiæ, homines redduntur idonei & ſufficientes ad dicta Prælationis munera ob unda. Et concludendo dicit quod poteſt quis laudabiliter conſiderans proprium defectum, ex humilitate officium Prælationis recuſare, ſicut fecit Hieremias cap. 1. officium prædicationis & prophetiæ, dicendo, *A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Poteſt etiam laudabiliter conſentire, ex fraterna charitate, vt ſalutem proximorum procuret, ſicut fecit Iſaias cap. 6. quando dicente Domino, *quem mittam? & quis ibit nobis?* ipſe reſpondit, *ecce ego, mitte me.* Sed addit D. Thom. de mente & ſententia D. Gregorij, in ſupradicto Paſtorali, quod in vtroque caſu ſubtiliter intuẽdum eſt, quia & is qui recuſauit plene non reſtitit, & is qui mitti voluit, ante ſe per altaris calculum purgatũ vidit, ne aut nõ purgatus adire quiſq; ſacra myſteria audeat aut quem ſuperna gratia eligit, ſub humilitatis ſpecie ſupernæ diſpoſitioni contradicat. Quia ergo difficile valde eſt, purgatum ſe quemlibet poſſe cognoſcere, Prælationis officium tutius declinatur, non tamen pertinaciter, cum ad hoc ſuſcipiendũ ſuperna voluntas agnoſcitur. Hæc Diuus Thomas vbi ſupra, quæ ſunt valde notanda ac memoriæ commendanda, & hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota hoc valde, pro fine & intẽtione quẽ electi debent habere.

ARTI-

ARTICVLVS XXXII.

Vtrum in electionibus, ſit neceſſaria Superioris confirmatio?

Prima Concluſio.

In quacũque electione neceſſaria eſt Superioris confirmatio.

IN quacumque electione, neceſſaria eſt Superioris confirmatio. Hæc cõcluſio notiſſima eſt in iure, de qua videndus eſt Sylueſt. *ver. confirmatio humanæ elect. & aliorum. q.* 1. vbi dicit quod adeo de iure communi, in electionibus eſt neceſſaria confirmatio, quod ſi quis ad regimen cuiuſcũq; Eccleſiæ electus, ſiue ad Religionis adminiſtrationem, aut dignitatem, ante cõfirmationem ſe ingerit, tanquam Prælatus, vel Procurator, aut œconomus, aut alio nouo quæſito colore, in ſpiritualibus aut temporalibus, per ſe vel per alium, in toto vel in parte, ipſo facto priuatur omni iure, quod per electionẽ in ipſa dignitate habebat. Habetur, *in cap. auaritiæ, de elect. lib. 6.* Sed ponit ſupradictus Sylueſt. quatuor fallentias ſiue exceptiones, in quibus fallit prædicta doctrina, primo in Papa, qui eo ipſo quo eligitur confirmatur, *per cap. in nomine, diſt.* 24. Secundo quando ſic adminiſtranti parcitur, *per cap. nihil, de elect.* Tertio quando Abbatiſſa electa á maiori parte, non tamen à duabus partibus, impugnatur ne confirmetur, quia interim poteſt adminiſtrare, *per cap. indemnitatibus. §. ſi vero de elect.* Quarto, quando confirmatio petenda eſt à Papa, & electus eſt valde remotus, ſcilicet vltra Italiam, quia tunc ante confirmationem adminiſtrare poteſt in temporalibus & in ſpiritualibus, excepto quod nullam alienationem poteſt facere, vt habetur *in cap. nihil, de elect.* Quod eſt intelligẽdum, quando non eſt in mora petendæ confirmationis, alias habebit in eo locum pœna *d. cap. auaritiæ.* Et quod dicitur de Ciſmontanis, ſecundum Hoſtiẽſem, habet etiam locum, in Vltramontanis, quando Curia eſt vltra montes. Idem tenet Ioann. Andreas, *in d. cap. nihil.* Sed difficultas eſt, à quo ſit petenda, & quis facere debeat prædictam confirmationem? Cui reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Secunda Concluſio.

Electiõ firmatio, faciẽda eſt per Papã, aut per immediatũ ſuum Prælatum.

SI electus eſt exemptus & ſubeſt immediate Papæ, ab ipſo eſt petenda confirmatio, vel ab ipſius Legato de latere ſi eſt in illa Prouincia, ſecus eſt autem ſi habet alium Prælatum immediatum. Hæc concluſio eſt Syluestri loco ſupra citato q. 3. quam probat per *cap. ſi Abbatem, de elect. lib. 6.* vbi dicitur, quod Prouinciales exempti in Mendicantibus, confirmari habent per generales, & non per Papam, propter rationem dictam, quia nempe non ſunt illi immediati. Et Panorm. *in cap. 1. de ſupplenda negligentia Prælat.* tenet quod Abbates etiam exempti, ſunt confirmandi per Epiſcopos, & de non exemptis inquit ſupradictus Syluest. generaliter, quod confirmari debent per ſuum Superiorem & Prælatum immediatum. Nam Epiſcopus confirmat ſibi ſubiectos, per *cap. cum ad Monaſterium, de electione.* Archiepiſcopus, Epiſcopos, ſibi ſuffraganeos, *per cap. cum dilectus, de electione, & cap. illud. diſtinction.* 54. Archiepiſcopum non exemptum confirmat Primas, vel Patriarcha, *per cap. bonæ el primero, de elect.* Patriarcham vero Papa, & ſimiliter Imperatorem, *per cap. venerabilem. eodem tit.*

Tertia Concluſio.

Generalis Miniſter, eo ipſo quod eligitur canonice, alſque vllo alio eſt per Papam confirmatus.

GEneralis Miniſter in noſtro ſacro ordine Minorum, ſtatim ac canonice fuerit electus, ſine aliquo alio per Sedem Apoſtolicam eſt confirmatus. Probatur hæc Concluſio ex priuilegio Clementis IIII. quod habetur in Monum. Ordin. 1. impreſ. fol. 56. & 2. fol. 159. Conceſ. 307. & refertur in Compend. verbo, *electio*, §. 3. Quod etiam habent Generales Ordinis Ciſtercienſis, ex Priuilegio Eugenij IIII. & refertur in Compen. eiuſdem ordin. *tit. de elect.* §. 1. atque vt credo, idipſum habent omnes omnium Religionum Prælati Generales, qui ſunt immediati Papæ, ex diuerſorum Summorum Pontificum conceſſione, vt non eorum electio dilatetur aut protrahatur. Et quamuis de iure communi, cõfirmatio Miniſtrorum Prouincialium, pertineat ad ſupradictos Generales Miniſtros ſibi immediatos, ad maiorem tamen abundantiam Clemens V. *in Clem. exiui de paradiſo. §. demum, de verborũ ſignificat.* hoc ipſum ſtatuit, vt etiam habetur in Monum. noſtri ordinis 1. impr. fol. 15. tract. 2. & 2. imp. fol. 16 tract. 2. & refertur in Compend. *verbo confirmatio Prælatorum. §. 2. & verbo, electio. §. 8.*

ARTICVLVS XXXIII.

In quibus caſibus electiones deuoluantur ad Superiores, ſeu ad ipſos electores, & in quibus electionibus ipſi priuentur facultate eligendi?

Prima Concluſio.

In ſequẽtibus caſibus electio deuoluitur ad Superiorem.

QVando electus non vult conſentire electioni de ſe factæ vel poſtquam conſenſit renuntiat iuri ſuo vel moritur, aut quando propter eius occultum vitium electio irritatur, in omnibus ſupradictis caſibus electio deuoluitur ad electores, qui & reeligere poſſunt quem maluerint, ſibique videbitur expedire, dummodo ipſi nihil egerint fraudulenter. Hæc concluſio eſt Syluest. *verbo, electio. 1. q. 12.* & probat eam per *cap. ſi electio, eod. tit. lib. 6.*

Secunda Concluſio.

In ſequẽtibus caſibus, electores priuantur facultate eligendi.

MVltis etiam ſunt caſus, in quibus electores priuãtur poteſtate eligendi, & electio deuoluitur ad Superiorẽ. Hæc concl. nõ aliter probãda eſt quã afferendo ſupradictos caſus. Et primo in Eccleſijs Cathedralibus & Regul. ſi electores nõ eligant intra tres menſes, electio deuoluitur ad proximũ Superiorem vſque ad Papam, vt diximus ſupra Articulo decimo, & habetur in *capite, ne pro defectu de electione.* Secundo ſi electores eligant ſcienter

indignum, quo caſu priuati ſunt iure eligendi, vel priuandi per ſententiam, & ſi non ſeruant formam debitam & poſitam *in cap. quia propter*, in Eccleſijs Cathedralibus electio deuoluitur ad Papam, in inferioribus vero ad proximum Superiorem. Habetur hoc, *in cap. quanquam eod. tit. lib. 6.* Tertio quãdo maior pars capituli in electione deficit, ſcilicet committendo vitium, electio deuoluitur ad pauciores, vt habetur *in cap. 2. de poſtulat. Prælat.* & etiã deuoluitur ad vnum propter omnium aliorum delictum ſiue defectum, *per cap. ſi forte. diſt. 65. & cap. bonæ, eodem tit.* quod notat gloſſa *in dicto cap. 2. de poſtul. Prælat.* Sed inquit Syluest. vbi ſupra, *verbo, electio. 1. q. 12.* quod hoc videtur intelligendum, quãdo peccauerunt ſcienter eligendo indignum, ſecus autẽ eſſet, ſi peccauerunt ex contemptu aliorum habẽtium vocem, nam tunc non deuoluitur poteſtas ad ſuperiorem, ſed ſufficit ſi caſſetur electio, quia propter defectum formæ non ſubſtantialis, non ſunt ipſo iure priuati, ſed priuandi, iuxta *capit. quia propter de elect.* facta tamen per iudicem priuatione propter defectum formæ, poteſtas deuoluitur ad non culpatos, ſecundum Innocent. *in d. cap. quia propter*, at ſi omnes deliquerunt, deuoluitur ad proximum Superiorem. Et ſi quæratur quando eligentes ſunt ipſo facto priuati poteſtate eligendi? Reſpondet Syluest. cum Panorm. poſt Innocent. *in cap. gratum, de poſtulat. Prælatorum*, hoc eſſe, Primo quando poſtulant vel eligunt ſcienter indignum. Secũdo, quando innouant poſtulationem vel electionem caſſatam vitio perſonæ. Tertio, quando eligunt per abuſum ſæcularis poteſtatis, de qua *in ca. quisquis de elect.* Quarto, quando eligunt ineligibilem. Quinto quando recipiunt vt Prælatum, electum vel poſtulatum, cuius electio vel poſtulatio eſt nulla. Sexto ſi electores ſunt excommunicati vel ſuſpenſi. Septimo, quando non eligunt intra tempus præfixum, de quo *in cap. ne pro defectu, de elect.* Octauo, quando poſtulant poſt appellationẽ etiam ex cauſa fruſtratoria. In omnibus his caſibus inquit Siluester quod electio deuoluitur ad Superiorem. Videatur vbi ſupra.

Tertia Concluſio.

In noſtro ſacro Minorũ Ordi. electio deuoluitur ad Superiorẽ, ſi electores non conformantur in vna die.

IN noſtro ſacrum Minorum ordine, in electione Prouincialis Miniſtri, ſi Capitulum Prouinciale ad quem pertinet electio, ea die, qua ad id congregatum fuerit non habuerit electum, ex tunc electio ſupradicti Prouincialis Miniſtri ad Generalem deuoluitur. Hæc concluſio habetur expreſſa *in clementina, exiui de paradiſo, de verbor. ſignific. §. decimum.*

Difficultas.

Circa cuius decreti determinationem & ipſius declarationem, dubitatur inter Patres noſtræ ſacræ Religionis, an tantũ intelligi & practicari debeat in electione ſupradicti Prouincialis Miniſtri noſtri Ord. Min. de qua expreſſe ibid. clem. loquitur, an vero etiam in quacũque alia electione Conuentuali, alicuius Guardiani, ſiue Abbatiſſæ, ita quod non eligente, concordante & conſentiente Conuentu in aliquem, intra vnum diem naturalem & 24. horarum ſpatium, electio & prouiſio pertineat

Prima opinio

ad Superiorem immediatum? Quidam enim dicunt quod non, & parti adhærent negatiuæ, nam cum diſpoſitio ſupradictæ Clementinæ ſit odioſa, & ipſa tantummodo loquatur de prædicta electione Prouincialis Miniſtri, in eadem ſolummodo debebit habere locum, potiuſque limitari & reſtringi, quam extendi & ampliari ad alias electiones. Eo præſertim quia non in alijs eadem omnino militat ratio: nam cauſa & ratio, ob quam Clemens V. ſupradictum decretum inſtituit, fuit vt non dilataretur, ſeu protraheretur de die in diem electio dicti Prouincialis Miniſtri, quæ dilatatio maximũ nocumentum poſſet afferre toti Prouinciæ ad id in vnum congregatæ, maximis ſumptibus & expenſis, quæ quidem ratio ceſſat, nec eadem currit in electione conuentuali Guardiani, ſeu alicuius Abbatiſſæ. Nã licet ex dilatatione etiam in his aliquod incommodum, ſiue inconueniens ſubſequatur, non tamen ita magnum aut tantæ conſiderationis, quin poſſit Conuentibus aliter prouideri, conſtituendo interim aliquem Præſidentem, & reſeruando Guardiani electionem ad Diffinitorium, cum iuxta noſtras generales conſtitutiones, duplex conſtituatur modus ſupradictos Guardianos eligendi & conſtituendi, nempe per Conuentum conceſſa illi electione, aut reſeruando ipſam ad Diffinitorium. Sed alij contrariam tenent ſententiam, dicuntque practicari poſſe prædictum Clementis V. decretum, in omni etiam alia quacumque electione conuentuali, Guardiani ſiue Abbatiſſæ alicuius, & non ſolum in electione Prouincialis Miniſtri, nam in illis inquiunt etiam fere omnino eadem militat ratio, quamuis non in omnibus. Quorum quidem ſententiæ & opinioni, fauere videntur noſtræ gener. Conſtitut. Tolet. cap. 7. §. de electionibus, vbi de his agendo, ſequentia ponuntur verba: *Si tamen electores in varia placita diuiſi, in vnius diei ſpatio non elegerint, Præſidens Capituli poterit ſecundum iuris diſpoſitionem, quem voluerit ſecundũ Deũ eligere, etiamſi electio ſit Prouincialis Miniſtri.* Vbi per illa verba, *etiamſi electio ſit Prouincialis Miniſtri*, inſinuare videntur Conſtitutiones prædictæ & ipſarum auctores, quod etiã in alijs electionibus Guardianorum & Abbatiſſarum, debet practicari ſupra dictũ decretũ Clem. V. & quod de illis etiã venit intelligenda prędicta *Cle. exiui de paradiſo*, maxime cum ibidem ponatur ad marginem, dicaturque id fieri debere ſecundum iuris diſpoſitionem, etiãſi electio ſit Prouincialis Miniſtri. Emmanuel Roderic. tomo. 2. qq. Regular. q. 52. art. 5. agens de electione Prouincialis Miniſtri & tractans difficultatẽ prædictam, inquit hanc vltimam ſententiam eſſe probabilem, poſſe que hoc practicari & fieri idipſum virtute ſupradictæ ordinationis, quamuis nõ virtute prædictæ Clementinæ. Sed reuera ordinatio dicta innititur Clementinæ prædictæ, ac propterea id ibidem ſtatutum fuit, quia intellexerunt Definitorij Patres (vt ibidem dicitur) id fieri poſſe & debere ſecundum iuris diſpoſitionem. Cui dubio, atque difficultati, facillimo negotio remediũ poſſet adhiberi, vel conſulendo hac de re Roman. Pont. vel declarando hoc ipſum expreſſe & explicite per aliquod generale capitulum, in quo quidem, virtute compromiſſi generalis quod habent, reſpectu omnium ſpectantium ad commune bonum Religionis, proculdubio Diffinitorii Patres idipſum optime facere poterũt. Sed aduerto, quod ſupradicta deuolutio electionis ad Superiorem,

Secũda opinio

Reſolutio propoſitæ difficultatis.

non

non habet locum in electionibus Diſcretorũ, quæ fiunt aut fieri conſueuerant olim, mittendi ad Prouinciale Capit. in noſtra ſacra Religione, nam etiã ſi Fratres Conuentuales, ſiue electores alicuius Conuentus, per vnum naturalem diem non concordent, conueniant atque conſentiant in vnum, non propterea deuoluitur electio ſupradicti Diſcreti, ad Præſidentem Capituli ſiue electionis, cũ in hac concurrat eadem ratio, quæ in alijs ſupradictis electionibus. Nam prædictus Diſcretus revera eſt quaſi Procurator Conuentus, & in id ad Capitulum mittitur, in quẽ ſi non conueniant nec ipſum conſtituant ſibi imputetur, nam per id videntur ipſi iuri ſuo renuntiare.

ARTICVLVS XXXIIII.

Vtrum aliqua electio poſsit fieri per cõpromiſſum?

POſtquam in præcedentibus Articulis latiſſime egimus de omnibus his, quę pertinent, & ſpectare vllo modo poſſunt ad electiones Canonicas in communi, & in particulari de illa quæ fit, fierique debet per modum ſcrutinij, ſupereſt nunc quo debite abſoluantur omnia, vt tractemus, & dicamus aliquid de alijs electionibus, quæ fiunt & fieri poſſunt per modũ compromiſſi, & etiam per modum communis inſpirationis. De quibus omnibus breuiter aliquas proponemus difficultates. Et vt propoſitæ ſatis fiat, ſequentes ſtatuo cõcluſiones.

Prima Concluſio.

Certiſsimũ eſt quod aliquæ etiã electiones fieri poſſunt per compromiſsum.

CErtiſſimum eſt & omni proculdubio, quod electiones fieri etiam poſſunt per modum compromiſſi, committendo aliquibus viris idoneis qui dicuntur compromiſſarij, eligendi poteſtatẽ, & facultatem, vt nomine & vice omnium, prouideant de Prælato Eccleſiæ, alicui vacanti, ſiue viduatæ. Hæc concluſio eſt Sylueſtri, *verbo, electio. 2. q. 11.* & habetur expreſſa, *in cap. quia propter, de elect. § vel ſaltem.* vbi dicunt DD. quod huiuſmodi compromiſſarij cõgruentius, erunt in numero impari quã pari, quod eſt dicere, quod cõgruentius erunt tres quam duo, vt ſi forſan diſcordet alter, duo ipſorũ electionem faciant, cum ſit maior pars, per *capit. in cauſis, c. cum dilectus, & cap. cum in iure, eod. ti.* nec oportet illos neceſſario eſſe de Collegio, *per cap. cauſam quæ, etiam eod. tit.* oportet tamen quod ſint viri religioſi, vt dicit *gloſſa in d. cap. quia propter. verbo, viris,* vbi etiam dicit quod poteſt id committi vni, quin vero & melius poteſt expediri per vnum, quã per plures vt habetur, *in d. cap. cauſam, quæ.* Poteſt etiã fieri compromiſſum maſculo, quãuis electio fiat à Monialibus, & etiam habenti electionem confirmare, vt habetur ibi, & etiam in non Prælatum per *cap. poſt translationem, de renuntiat.* Quin vero Panor. *in d. cap. in cauſis,* tenet quod capitulum non ſolum poteſt compromittere certis perſonis poteſtatem eligendi, verumetiam poteſt eligere aliquos, per quos compromiſſarij eligantur, electuri ipſi poſtmodũ vice omnium & nomine totius capituli.

Secunda Concluſio.

Cõpromiſſum fieri debet, ab omnibus voti atq; ſuffragiũ habentibus in Capitulo.

VT ſupradictum compromiſſum valeat, neceſſum eſt, vt fiat ab omnibus votum atque ſuffragium habentibus in capitulo, nemine diſcrepante. Hæc etiam concluſio eſt expreſſa Sylueſt. vbi ſupra, *q. 11.* & eam expreſſe tenet gloſſa *d. capit. quia propter, ver. vice omnium.* Quam quidem ob cauſam ſi vnus eorum diſſentiat nolens compromittere, compromiſſum non valebit, & ratio ad id eſt appoſitiſſima, quia nullus inuitus cogitur iuri ſuo renuntiare, *per cap. Abbas, & cap. ad audientiam, quod metus cauſa:* facit *& l. inuitum. C. de contrahenda emptione.* Neque etiam valebit compromiſſum, ſi fiat ſub hac forma, vt quis quæſitis votis in ſecreto, illum eligat, in quem plures conſentiunt, ſi non ſit maior pars capituli, *per cap. ſi cui, eod. tit. de electio. lib. 6.* Nec etiam ſi fiat de eligendo certam perſonam, ſecundum omnes Doctores communiter, vt latius infra dicemus Artic. 37. agendo de duplici modo faciendi compromiſſum.

Nemo cogitur inuitus iuri ſuo renũtiare

Tertia Concluſio.

Re integra & antequã incipiatur electio etiã facta cõmiſsione reuocari poteſt cõpromiſsum.

RE integra & antequam incipiatur electio, etiã facta commiſſione reuocari poteſt cõpromiſſum. Hæc etiam concluſio eſt Sylueſt. vbi ſupra, & probat eam per *cap. in cauſis, eodem tit.* vbi & dicit rẽ non dici integram, quando cœperunt compromiſſarij habere tractatum de perſona eligenda. Quod verum eſt in omni negotio extraiudiciali, prout latius proſequitur Innocent. *in d. cap. in cauſis,* dicens quod cum attinguntur ſubſtantialia negotij, deſinit negotium ipſum eſſe integrum, vt puta cum cęperunt tractare de perſona eligenda. Secus eſt autem, ſi tantummodo ſunt expleta aliqua pertinentia ad actus ſolemnitatem, vt quia dixerunt miſſam de Spiritu ſancto & ſimilia, quod oportet multum adnotare & memoriæ commendare.

ARTICVLVS XXXV.

Vtrum valeat Compromiſſum, factum ab vno nomine & vice omnium, alijs præſentibus, & non contradicentibus?

Concluſio.

Non valet cõpromiſſum, factũ ab vno vice omniũ, alijs tacentibus & non cõtradicentibus, imo omnes debent ſimul compromittere.

NOn valet compromiſſum, factum ab vno nomine & vice omnium, alijs præſentibus tacentibus & non contradicentibus, quin vero omnes expreſſe debent conſentire. Hæc concl. eſt expreſſa Syluestri *ver. elect. 2. q. 12.* & dicit eam eſſe Innocen. & omniũ DD. communiter, in *d. cap. in cauſis, de elect.* cuius quidem rei ratio eſt: quia cum res iſta nõ ſit leuis, ſed grauis & magnæ importantiæ, omnes, ad quos pertinet ſigillatim debent inquiri & expreſſe conſentire. Quod dicit Syluest. eſſe maxime notãdum & tenendum, in omni re ardua explicanda per Vniuerſitatẽ, quia in re oneroſa & graui, taciturnitas

non habetur pro conſenſu, vt tenet Gloſſa, *in regula, qui tacet conſentire videtur, lib. 6.* ſecus eſt autem in re leui & maxime concupiſcibili. Hæc omnia dicit etiam Panorm. *ind. cap. in cauſis*, vbi inquit quod ex his poteſt ſumi ſingularis limitatio, ad dictum Innocenc. *in cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte capituli*, vbi notanter dicit, quod ſi in Capitulo tractatur aliquid illicitum atque damnabile, tenentur, qui ſunt de Capitulo de neceſſitate cõtradicere (aliàs ſi non contradicunt habentur pro conſentientibus & inuoluuntur peccato & pœna peccati cum alijs conſentientibus expreſſe) vt iſtud dictum procedat quoad euitandum peccatum, ne ſub velamine taciturnitatis peccatum nutriatur, ſed tamen quo ad validitatem actus, non eſt neceſſarium quod expreſſe contradicant, nec ſufficit quod taceant, imo in re graui & oneroſa, neceſſum eſt quod expreſſe conſentiant: quod ſi non faciunt nihil omnino valet actus. Videatur hac de re Syluester, vbi ſupra, & *verbo, conſenſus* §. 3. *in fine.* vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

Nota quod in re ardua & graui omnes expreſſe debẽt cõſentire, neq; taciturnitas ſufficit ſeu habetur pro cõſenſu, ſecus eſt in re leui.

ARTICVLVS XXXVI.

Vtrum poteſtas data compromiſſarijs, eligendi Prælatum ſeu aliquem officialem, intelligenda ſit, atque intelligi ſemper debeat de idoneo?

Concluſio.

Poteſtas data cõpromiſſarijs ſemper intelligitur de idoneo.

POteſtas data compromiſſarijs, eligendi Prælatum ſeu officialem, ſemper intelligẽda eſt de idoneo, ita quod ſi electus non ſit idoneus, nõ tenentur ipſum electores recipere. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylu. *verbo, electio. 2. q. 13.* & probat eam ex *cap. cauſam quæ de elect.* & ibi gloſſa, *verbo, ſi tamen exiſtat idonea*, vbi elicit regulam, quod cum aliquod generale committitur alicuius arbitrio, non valet niſi legitime ſit factum, *per cap. Quinta vallis, & cap. veniens, de iure iurando, & l. quamquam. ff. de ritu nuptiar. & leg. vnde ſi Neraæ. ff. pro ſocio, & in authentico de hæreticis, & falſa. §. his igitur. collat. 1. & l. 2. §. ſi quis à Principe. ff. ne quid in loco publico. & l. ſi libertus. ff. operis liber. l. ſi quando C. de inofficioſo teſtam. cap. ex parte, de officio delegati, cap. & temporis. 16. q. 1. & cap. poſtquam hoc ibidem.* Quod ſi contra arguatur, ex *cap. vltimo. 32. q. vltima, & cap. à iudicibus. 2. q. 6. § arbitrarijs, & cap. ſi vere de iureiurando, & l. quiſquis ff. de reg. iuris, & l. qui bona. §. cum inter. ff. damno infect. & cap. diſplicet tibi in principio. 23. q. 4.* Reſpondet ſupradicta gloſſa, quod ſi arbiter eſt Compromiſſarius, eius arbitrio eſt ſtandum, ſiue æquum, ſiue iniquum ſit quod arbitratur, *per l. diem §. ſtari. ff. de arbitris*, niſi arbitrium ſit latum contra ius ſcriptum vel contra formam compromiſſi, quia tunc non tenetur, *per cap. ei qui. §. definitiua. 2. quæſt. 6. & cap. examinata, de confirmatione vtili vel inutili, & leg. ſi cum dies. §. compromiſſio. ff. de arbitris, & leg. 1. C. quæ ſententia ſine appellatione.* Si vero non eſt compromiſſarius, ſed tanquam vir bonus arbitrari debet, tunc non valet dictum ſuum niſi ſit æquum, & hoc eſt quod dicitur in ſupradictis capitulis, *venient, & Quintauallis*, & alijs iuribus, & legibus allegatis, & ſecundum Panorm. *in d. cap. cauſa quæ, de electione.* Supradicta faciunt ad quæſtionem, quando communitas eligit duos ciues, vt vadant ad eligendum Poteſtatem, ſiue Capitaneum, qui ſi eligant indignum, ciuitas non tenetur illum acceptare, nam in generali mandato, non venit vt eligant indignum, quod eſt multum notandum, & memoriæ commendandum, videatur Syluester, & prædicta gloſſa vbi ſupra.

Nota valde.

ARTICVLVS XXXVII.

Quibus modis fieri debeat & poſſit ſupradictum Compromiſſum?

Concluſio.

Cõpromiſſum fieri poteſt duobus modis, primo ſimpliciter & abſolute, ſecundo vero limitate & ſub conditione.

COmpromiſſum fieri poteſt duobus modis, primo ſimpliciter & abſolute, ſecundo limitate & ſub conditione. Hæc cõcluſio eſt etiã ſupradicti Syluest. loco ſupra cit. q. 14. & communis omnium DD. Exemplum primi eſt, quando ſimpliciter & abſolute conceditur poteſtas, & facultas Compromiſſarijs, vt eligant quem voluerint, & ſecundum Deũ melius ſibi videbitur expedire. Exemplum vero ſecundi eſt, quando non ſimpliciter & abſolute, prædicta poteſtas atque facultas conceditur dictis Compromiſſarijs, ſed limitate & quodammodo ſub conditione, ita vt teneantur eligere eum, in quem maior pars totius Capituli conſenſerit, ſcrutatis votis omnium de Capitulo, ſigillatim & ſecrete ab ipſis, & iſta eſt forma de qua habetur *in c. cum dilectus de elect. & in cap. cum expediat, eod. tit. lib. 6.* Sed aduertendum eſt, quod vt habetur *in cap. ſi cui eod. tit. lib. 6.* non valeret ſupradictum compromiſſum conditionale, ſi fieret alicui ſeu aliquibus, ſub hac forma, vt ipſe ſeu ipſi ſecreto & ſigillatim, & à fortiori ſi non ſecreto (ſecundum gloſſam) exquiſitis votis ſingulorum de Capitulo, & in ſcriptis redactis, illum eligerẽt, in quem plures de Capitulo conuenirent, partium comparatione minorum, licet conſentientes maiorem partem totius Capituli non excederent nec attingerẽt, & dicit ibi gloſſa, quod dicta electio nihil valeret, quia eſſet contra formam *Capituli, quia propter de elect.* & licet omnes conſenſerint in dictum compromiſſum, ſi nõ ſeruatur forma tradita in iure, electio non tenet. Si tamen compromiſſi forma ſit ſuperiori modo dicta, ita vt teneantur eligere illum, in quem maior pars capituli conſenſerit, inquit gloſſa, *in d. c. cũ expediat verbo, inquiſitis*, quod iſta eſt melior omnibus formis, quæ in cõpromiſſis dari poſſunt, quia in hac electores nõ omnino à ſe abdicant poteſtatẽ nominationis, quin vero dicta forma vtrumq; cõprehendit, nã partim eſt ex ſcrutinio, partim vero ex cõpromiſſo, quãuis principaliter dicatur forma compromiſſi, ſed determinati. Cum enim (inquit) graue ſit ſeruare ad vnguem formam ſcrutinij, quam nõ omnes bene ſciunt, imo & multi luriſtæ ipſius practi-

Nota hoc valde.

practicam ignorãtes in ea deficiũt, cum etiam graue ſit electoribus ius ſuum in alios transferre, & dare illis poteſtatem præficiendi ſibi Prælatum, ex hac & illa forma aliquid deſumentes dicit ſupra d. Gloſſa, expedientius eſſe ſeruare prædictam formam, in qua vt diximus, Electores non omninò à ſe nominationis poteſtatem abdicant, ſed ex parte nominant, ex parte verò compromittunt.

ARTICVLVS XXXVIII.

Quænam ſint de eſſentia, & ſubſtantia electionis Compromiſſariæ, ſiue factæ per compromiſſum?

Prima Concluſio.

De eſſentia atque ſubſtantia electionis facta per compromiſſum, ſunt quæ ſequuntur.

DE eſſentia & ſubſtantia electionis Compromiſſariæ, ſiue factæ per cõpromiſſum generaliter loquendo ſunt, quæ ſequuntur. Primò quod ſeruentur generaliter omnia ſupradicta, loquendo de electione in genere ſiue in communi, nam ſecundùm bonam Logicam, quod conueniens eſt Superiori, neceſſarium eſt etiam vt conueniat inferiori, vt verbi gratia, quod conuenit animali, conuenire debet etiã & homini. Sic in propoſito dico quod quidquid conuenit electioni in genere & in communi, neceſſariò conuenire debet eidem in ſpecie & in particulari. Secundò quod tenuerit compromiſſum, factumque fuerit in forma licita, iuxta ea quæ dicta ſunt in præcedentibus Articulis. Tertiò quod non excedatur forma compromiſſi, per cap. *cum dilectus*, eodem tit. Quartò, quod electio fiat per verba ſingularis numeri, etiamſi Compromiſſarij ſint plures, & aliter facta non valet, per cap. *ſicut*, eodem tit. Hæc omnia deſumpta ſunt ex Sylueſt. verbo *electio*, 2. quæſt. 15.

Secunda Concluſio.

Quid requiratur ad eſſentiam compromiſſi, quãdo ipſum eſt limitatum.

SI cõpromiſſum factum ſit limittate, neceſſariò requiruntur, quæ ſequuntur. Primò quod compromittentes ſint ſimul omnes congregati, qui volunt & debent intereſſe. Secundò, quod omnes cõpromittant in vnum, vel duos, tres, aut quot volunt, ſiue ſint de Collegio, ſiue non ſint de Collegio, dummodo ſint Clerici & non Laici, per capit. *contingit de arbitris*. Tertiò, quod Compromiſſarius ſiue Compromiſſarij, ſcitentur vota ſingulorum ſecrete & ſigillatim. Quartò, quod eligant illum, in quem maior pars totius Capituli conſenſerit, dicendo: *Ego N. Compromiſſarius, de conſenſu & voluntate Compromiſſariorum meorum* (ſi alios Compromiſſarios habet) *virtute compromiſſi in me vel in nos facti, eligo in Epiſcopum, ſiue Prælatum talis Eccleſiæ, N. in quem maior pars Capituli conſenſit*. Quod ſi non factum fuerit prima vice, debet reiterari, & ſi opus fuerit triplicari, quouſque maior pars Capituli cõſentiat, per cap. *cum terra de elect.* Quod ſi de Compromiſſarij ſeu Compromiſſariorum fide dubitatur, & timetur de aliqua fraude, poterunt (inquit Syluest. vbi ſupra) Electores facere ſcripta, in quibus contineatur nomen eius, in quem conſentiũt, dantes illa Compromiſſario ſeu Compromiſſarijs, qui ea in præſentia omnium recipiat, & taliter implicet vt comprehendi non poſſint cuius ſint, & deinde coram omnibus legant, eumque eligant, in quem maior pars totius Capituli conſentit. Hactenus Syluester.

Tertia Concluſio.

Quid requiratur ad cõpromiſſum, quãdo factum eſt illimitate ſimpliciter

SI verò Compromiſſum fiat nõ limitate, ſed ſimpliciter & abſolutè, ſolùm requiruntur duo prima ſupradicta in præcedenti Concluſ. quibus adſtantibus, Compromiſſarius ſeu Compromiſſarij debent eligere, dicendo ipſorum alter: *Ego N. Compromiſſarius, &c. eligo in Epiſcopum ſiue in Prælatũ, &c.* Excepto, quod non debet dicere, in quem maior pars Capituli conſentit, cum id ſimpliciter & abſolutè, poſitum ſit in ſua ſeu ipſorum voluntate & arbitrio. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XXXIX.

Vtrùm ſi Compromiſſarius ſit vnus ſolus, ſemetipſum poſſit eligere?

Concluſio.

In caſu quo compromiſſarius ſit tantũ vnus, non poteſt ſemetipſum eligere.

IN caſu quo Compromiſſarius ſit vnus ſolus, nullo modo ſemetipſum poterit eligere. Hæc Concluſio eſt expreſſa Syluest. verbo *elect.* quæſt. 16. & probatur ex Gloſſa, in cap. *cum in iure de electione*, & ex cap. *per noſtras de iur. patr.* & cap. *cum ad noſtrum de inſtitutionibus*, & *ex l. Prator. ff. de tuto. & curat.* & ex c. *dicimus* 24. quæſt. 1. & ratio eſt, quia nemo debet oriri à ſe ipſo, vt habetur in cap. *in ſcripturis*. 8. q. 1. Vnde etiamſi iuraſſet eligere meliorem & ipſe eſſet melior, ſecundùm multos, non poſſet ſemetipſum aligere, quia inconueniens, atque inhoneſtum eſſet, quod ſemetipſum eligeret, eſſe enim videretur ambitioſus, meritoque proinde repellendus, per dictum cap. *in ſcripturis*. 8. quæſt. 1. Vnde & dicunt quod eſſet fatuus ſic iurans, ſi credit ſe eſſe meliorem, vt non ſemetipſum poſſet eligere, in quo caſu deberet renunciare tali eligendi poteſtati. Vel dicendum eſt, quod tunc ipſe intelligitur exceptus, nam in generali ſermone, perſona loquens non comprehenditur, *per l. inquiſitio C. de ſolutio. & l. qui hæreditas ff. de condit. & demoſ. & cap. petitio de iure patron.* Hæc omnia habentur, ex Gloſſa in dicto cap. *cum in iure, de elect.* Vnde ſecundùm Panormit. in cap. *licet*, eodem titulo, ſi in Conſiſtorio Cardinalium ſupereſſet vnus ſolus Cardinalis, ille quidem haberet Papæ electionem, iuxta notata in cap. *gratum de poſtul. Prælat* non tamen poſſet eligere ſemetipſum, vt habetur in cap. *per veſtras de in repatro*. poſſit tamen nomine totius Collegij, alteri dare hanc poteſtatem, & ille alius nomine eiuſdẽ Collegij eundem eligere, dum tamẽ ceſſaret fraus & ambitio. Hæc Syluest. vbi ſupra de mente Panormitan. quæ pro iſto art. dicta ſufficiant.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS XL.

Vtrùm quãdo Compromiſſarij ſunt plures, poſſint eligere vnum ex ſe ipſis?

Prima Concluſio.

Si in forma Compromiſſi habetur, vt Compromiſſarij poſſint eligere vnum ex ſe ipſis, optime id ipſum poterunt efficere.

SI ex forma Compromiſſi habetur, vt Compromiſſarij poſſint eligere vnum ex ſe ipſis, omni proculdubio & in omni opinione, id ipſum poterunt efficere. Hæc Cõcluſio eſt Sylueſt. verbo *electio.* 2. quæſt. 17. & probat eam ex textu in ca. *cum in iure, de elect.* vbi confirmatur electio facta ex tribus de ſeptem Compromiſſarijs, de vno ipſorum ſi ille electioni conſentiat, quia ſcilicet, vt dicit ibidem Gloſſa, tunc ſua perſona computatur inter eligentes, argumento illius, quod habetur *in l. plane ff. quod cuius vniuer. & l. ſi conſul. ff. de adop.* atque ita quatuor eſſe intelliguntur, & ſic maior pars Capituli. Propter modeſtiam autem, inquit Sylueſt. quod poterit conſentire, poſtquam prius in alium conſenſerit, & ipſius in alium conſenſus, non fecerit maiorem partem, nam cum talis conſenſus illi non profit, tunc poterit in ſe ipſum conſentire, vt habeatur electio. Neque obſtat huic reſolutioni, id quod habetur apud Diuum Paulum ad Hebr. 5. nẽpe, quod nemo debet ſibi honorem (ideſt Prælaturam) aſſumere, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, nam reſpondetur, quod dupliciter poteſt quis ſibi Prælaturam aſſumere; primo inchoatiue, ſe primo atq; immediate eligendo, ſeu quod peius eſt de ſe practicando, ſecundo completiue, conſentiendo practicæ factæ, ſicut qui cõſenſit electioni de ſe factę, vel quaſi factæ in ſcrutinio, vt continget in ſupradicto Compromiſſo, in quo ſua vox non inchoat electionem, ſed veluti perficit & complet illam. In primo caſu inquit Sylueſter quod illicitum videtur, quempiam ſibi honorem & Prælaturam aſſumere, non autem in ſecundo, ſi id faciat ſeu potius in id ipſum conſentiat bono fine, ad obediendum Spiritui ſancto, & ſubueniendum Eccleſiæ. Hoc ſeruandum eſt, in caſu quo in forma Compromiſſi habetur, vt Compromiſſarij, quempiam ex ſe metipſis poſſint eligere.

Sed maior difficultas eſt, in caſu quo id in forma Compromiſſi non habeatur: circa quod duæ ſunt extremæ Doctorum opiniones, quas latiſſimè refert Sylueſt. loco ſupra citato, adducendo ſingulorum rationes, quæ à me breuitatis gratia in præſentiarũ prætermittuntur, quia nõ poſſunt tanta in tã breui cõpendio dici. Quidã dicunt quod non poſſunt vnũ de ſe ipſis eligere alij verò ſunt in cõtraria ſententia. Et prædictus Sylueſt. ibidem adeò ſubobſcure atq; intricate loquitur, vt ipſius mẽs & opinio, cui adhæret, vix percipi poſſit. Viſis tamen atque perſpectis omnibus, pars affirmatiua magis placet, de qua ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Quamuis expreſſe non habeatur in cõpromiſſo, vt Compromiſſarij vnum ex ſeipſis poſſint eligere, poterunt id ipſum facere, dummodo expreſſe non habeatur contrariũ

QVando plures ſunt Compromiſſarij, bene poſſunt vnum de ſe ipſis eligere, quamuis id non habeatur expreſſe in forma Compromiſſi, cũ tamen non etiam ſit expreſſe prohibitum. Hæc cõcluſio eſt Panormitan. Archid. Innoc. Hoſtienſ. & Ioann. Andreæ in capit. *qui Epiſcopatum.* 8. quæſt. 1. & eam tenet Accurſius, *in l. plane. ff. quod cuius. vniuer.* & probatur multis rationibus. Primò nam ex contraria opinione, poſſet ſe qui fraus, & conſulto ſiue ex propoſito, nominari aliquis inter Cõpromiſſarios fraudulenter, de quo poſſet Eccleſiæ vtiliter prouideri. Secundò, quia Deputati ad diſtribuenda aliqua bona, in aliquas pias cauſas, poſſunt eadem diſtribuere & diuidere, etiam in aliquem ex ſe ipſis ſimiliter egentem, & neceſſitatẽ patientem. Et præterea quia certi officiales deputati ad eligendos aliquos Officiales ad aliquod opus, poſſunt aliquem ex ſe ipſis eligere, niſi forma poteſtatis ſibi traditæ reſiſtat, ſi hoc ita eſt, quid igitur obeſt, quod ſupradicti Compromiſſarij, ſimiliter eligant vnum ex ſe ipſis, quamuis id non habeatur expreſſe in forma Compromiſſi, dum tamen non ſit expreſſe contradictum? Aduertendum eſt tamen ſecundùm Panormita. prædictum, quod huiuſmodi electus, ad augendum numerum non debet in ſe conſentire, dicendo: Ego eligo me ipſum, ne principaliter diſponat in ſe, contra capit. *fin. de inſtit.* ſed dicendo. Conſentio electioni de me factæ, quia licet adhuc non ſit facta à maiori parte, eſt tamen in fieri & omninò fienda, & cum conſentiat intra tempus à iure ſtatutum ad electionem faciendam & appoſitum in Compromiſſo, electio cæpta & inchoata, ſuo cõſenſu conſummetur & perficiatur, *argum. ex l. bonorum. ff. rem ratam.* ad quod valde facit, quod notat Gloſſa, in ca. *quam ſit. de elect. lib. 6.*

Difficultas. Quare in electione. quæ eſt per Compromiſſum, poſſit quiſpiam pro ſe ferre ſuffragium, non autem in illa, quæ eſt per ſcrutiniũ

Sed difficultas eſt, quare in hac electione, quæ fit per Compromiſſum, in dicto caſu poſſit quis ſuffragari pro ſe, votumque ſuum conferre ſibi, vt electionem de ſe factam compleat atque perficiat, cum tamen in electione, quæ eſt per ſcrutinium, nullus poſſit ſuffragari ſibi? Hanc difficultatem tractat & mouet ſupradictus Sylueſt. loco ſupra citato, quæſt. 18. vbi duplicem conſtituit diuerſitatis rationem. Primo, quia Compromiſſum non debet Compromiſſarijs eſſe officium oneroſum, eſſet autem oneroſum ſi propterea excluderentur ab electione paſſiua & in prædicto caſu non poſſent ſuffragari pro ſe. Secundò, quia in eodem caſu electio non incipit ſiue inchoatur primo à prædicto Compromiſſario ſed ab alijs, à ſeuerò ipſo tantum perficitur & conſummatur, quod non contingit in electione, quę fit per ſcrutinium, quod eſt multum notandum, & memoriæ commendandum. Ioann. Andr. in cap. *per noſtras, de iure patron.* aſſignat aliã diuerſitatis rationem, quam videre poterit qui voluerit apud Sylueſt. loco ſupra citato.

Nota valde.

ART.

ARTICVLVS XLI.

In caſu, quo ex tribus Compromiſſarijs, duo eligant indignum, vnus verò idoneum & dignum: quænam harũ electionum valeat, & an teneat electio vnius?

CIrca hanc difficultatem, Sylueſt. loco ſupra citato quæſt. 19. dicit, Doctores eſſe varios & valde diuiſos, & duas refert opiniones. Quidã dicunt quod in dicto caſu, tenet & valet electio vnius, quia poteſtas duorum delinquentium eligendo indignum, deuoluitur ad vnum, qui non deliquit. Alij verò omninò tenẽt contrarium, dicẽdo, quod in eo caſu neutra electio valet. Non duorum propter rationem dictam, quia elegerunt indignum. Nec verò vnius, quia eſt contra formam Cõpromiſſi, & quia Compromittentes Compromiſerunt in tres, non verò in vnum, & compromittentes in tres viſi ſunt voluiſſe, quod electio vnius non valeret. Primam ſententiam tenet Panormit. in cap. *cum in iure, de electi.* ſecundam verò Hoſtienſ. in eodem cap. propter formam appoſitam in Compromiſſo, quia ſcilicet appoſitum fuit, quod electio fieret ab omnibus, ſiue à maiori parte, quo deficiente (inquit) poteſtas deuoluitur ad Electores. Ex his duabus opinionibus, quia opinio Panormi. magis placet, de ea ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Si Compromiſſari ſunt tres, & duo eligant indignum, vnus verò dignum valet electio vnius.

IN caſu ſupradicto, & conſtando manifeſtè de indignitate electi, à duobus ex tribus Compromiſſarijs, valet & tenet electio vnius facta de digno. Hæc Concluſio, vt inquit Panormi. pendet ex reſolutione alterius difficultatis, an ſcilicet poteſtas Compromiſſariorum delinquentium, deuoluatur ad Capitulum, an verò ad non delinquentes? Sed ipſe conſtanter tenet, quod poteſtas delinquentium Compromiſſariorum, non deuoluitur ad Capitulum, ſed ad alios non delinquentes.

Difficultas ſolutionis, an poteſtas cõpromiſſariorum delinquentium, deuoluatur ad Capitulum, an verò ad nõ delinquẽtes?

Vnde cum in propoſito caſu, vnus non deliquerit poſtquam elegit idoneum & dignum, dicendum proinde videtur, quod tota eligendi poteſtas deuoluitur ad illum, & quod delictum maioris partis nocere debet minori, vt poteſtas deuoluatur ad Capitulum. Nec dicti inquit obſtat, cap. *ſi Compromiſſarius, de elect.* lib. 6. vbi habetur, quod electio quorundam Compromiſſariorum, reuerſa eſt ad omnes Electores ſiue ad Capitulum, nam ibi loquitur textus, in caſu quo omnes Compromiſſarij elegerunt ſcienter indignum, at in propoſito caſu prædictus vnus Compromiſſarius (vt ſupponitur) elegit dignum, nulloque iure priuari poteſt poteſtate & facultate eligendi. Et quamuis in forma Compromiſſi, habeatur quod electio fieret ab omnibus ſeu à maiori parte, hoc etiam nihil obſtat, nam electio facta ab vno, facta cenſetur à maiori parte, ex quo alij Compromiſſarij ſunt priuati voce propter delictum. Quin verò alijs priuatis, dici poteſt facta ab omnibus, poſtquam facta eſt ab illo, in quem tota poteſtas deuoluta eſt, vt habetur in ſimili caſu, in cap. *congregato*, eodem tit. de electio ex quo colligitur intentum. Reliqua videantur apud Sylueſt. loco ſupracitato, vbi latiſſimè agit de Compromiſſarijs & eorum poteſtate, quantum ſe extendat, & qualiter eligere debeant intra tempus à iure ſtatutum, ſiue poſitum in Compromiſſo, & de pœna eligentium indignum hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS XLII.

De electione, quæ eſt per viam cõmunis inſpirationis, qualiter & quibus modis fieri poſſit, & quænam ſint de eſſentia & ſubſtantia ipſius?

HActenus egimus de electionibus, quæ fiunt per ſcrutinium & etiam per Compromiſſum, ſupereſt, vt huic electionis tractationi vltimam imponamus manum, agamus modo de electione, quæ fit aut fieri poteſt per viam communis inſpirationis. Hanc quæſtionem tractat, Sylueſt. verbo *electio.* 2. quæſt. 20. & 21. de cuius mente & reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Electio, quæ fit per viam cõmunis inſpirationes, eſt illa quæ fit ab omnibus nemine diſcrepante.

QVamuis in iure, non repetiatur expreſſa & determinata forma electionis, quę fit per viam cõmunis inſpirationis, illa tamen cenſetur, eſſe talis, quæ fit ab omnibus nemine diſcrepante, abſq; vllo vitio & fraudis ſuſpicione. Hæc Concluſio ſatis colligitur ex ſupra dicto cap. *quia propter, de electi.* Talis fuit electio Beati Nicolai, & Ambroſij, & Seueri, de quibus habetur in cap. *ſtatuimus.* §. *his omnibus*, diſt. 61. & quando id certò creditur quod electio prædicta fit Deo auctore, non alia indiget confirmatione. In alijs verò licet hoc non ita certo conſtet, colligi tamen atque præſumi poteſt, quod aliqua electio facta ſit Deo auctore, quando omnes de Collegio nullo præcedente tractatu, vno ore in aliquem conueniunt atque conſentiſit. Vt autem aliqualiter ſciri poſſit, quænam ſint de eſſentia & ſubſtantia eiuſmodi electionis, quæ fit per dictã viam communis inſpirationis, ſequentẽ ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Quænam ſint de eſſentia & ſubſtantia electionis, quæ eſt per viam cõmunis inſpirationis.

MVlta ſunt de eſſentia & ſubſtantia electionis, quæ fit per viã cõmunis inſpirationis. Primo requiritur, quod omnes ſimul congregentur. Secundò quod omnes in iſtam viam procedendi, vltro conueniant & conſentiant, quia ſi vnus dumtaxat nollet, eo contradicẽte electio non valeret, quia non videretur facta à Deo inſpirante, argumento *capituli ſi ergo*, 8. quæſt. 1. In quo quidem caſu, neceſſariò procedere oportet ad viam ſcrutinij, ſicut ſupra de Compromiſſo dictum eſt, nam dicta

Nota quod via electionis quæ est per scrutiniũ est inter omnes principalior, & quasi ordinaria.

dicta via electionis scrutinij, apposita est in dicto cap. *quia propter*, tanquam principalis & quasi ordinaria. Tertiò, quod omnes consentiant in vnam personam, nam si conueniant & consentiant in duos, non valet electio, nec dici potest communis inspiratio conueniens omnibus. Quartò, quod fiat sine vitio simoniæ vel alicuius tractatus specialis præcedentis, quo nominetur certa persona. Non autem oberit, quin verò fieri poterit, secundùm Ioan. Andr. tractatus generalis, hortando omnes ad orationem & electionem pro bono Prælato. Hæc de isto Articulo & tota quæst. dicta sufficiãt, circa electionum materiam in communi, nam de electionibus particularibus, Papæ, Cardinalium, & Imperatorum, qualiter fieri possint & debeant, non libet in præsentiarum dicere, cum non id sit mei muneris atq; propositi. Videatur supra dictus Syluest. verbo *elect.* 3. num. 1. cum sequentibus.

QVAESTIO XXIIII.

De iustitia & Iure, Legibus, & Statutis atque Constitutionibus iuris Canonici & Ciuilis in communi, in quinque Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Quid nam sit iustitia in communi, siue specialiter & particulariter sumpta?

DE hac difficultate & quæstione agit D. Thom. 2. 2. quæst. 58. per plures art. sed maximè in art. 5. & 7. vbi inter quamplura alia dicit, quod iustitia est moralis quędam virtus, quæ perficit ac dirigit hominem in ordine ad alterum, eo modo, quo & temperantia siue mansuetudo dirigit, & ordinat ipsum in ordine ad se. Dicit etiam, quod cum hoc alterũ, aliud sit commune, aliud verò particulare, consequenter proinde dicendum est, quod & iustitiæ virtus est duplex, siue potest dupliciter considerari, vno modo vt est virtus quædam communis & generalis, respiciens bonum commune, siue bonum totius communitatis, alio verò vt est etiam virtus specialis & particularis, respiciens bonum alicuius particulare. Quo præmisso atque præsupposito, quæ ad iustitiam in vtraque hac acceptione spectant, seu vtcumque pertinere possunt, resoluentur breuiter per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Iustitia cõmuniter & generaliter sumpta, est virtus ordinãs hominem in cõmune bonum, & quæ omnium virtutum actus dirigit in suum debitũ finem.

IVstitia vt communiter & generaliter sumpta, est virtus quædam moralis ordinans hominem in commune bonum, & versatur circa referendos omnes omnium virtutum actus in ipsum, eo modo, quo & charitas versatur circa ordinandos humanos actus in bonum diuinum. Hæc Conclusio est expressa D. Thom. loco vbi supra, & generalis omnium DD. resolutio. Omnes enim dum de virtutibus agunt, incunctanter asserunt, necessariò esse ponendam quãdam virtutem in eiusmodi munus & officium, procurando commune bonum, debereque ipsam esse generalem, sicut & obiectum circa quod versatur est generale. Quo etiam virtutis generalis nomine, vocat iustitiam prædictã Aristot. lib. 5. Ethicor. cap. 1. & 2. & in multis alijs suæ doctrinæ locis: quin verò & D. Ambros. lib. 2. super Lucam, loquendo de communi lætitia, quam cuncti populi excepere in ortu Sancti Ioannis Baptistæ: *Habet* (inquit) *Sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum, iustitia enim communis est virtus, &c.* Dicit præterea D. Thom. quod dicitur iustitia communis & generalis virtus, quia quantum est de se & ex natura sua inclinat homines atque promouet eos in commune bonum, & insuper per suum imperium mouet, & dirigit omnes omnium virtutum actus in suum debitum finem, qua etiam ratione dicit eam esse præstantiorem alijs virtutibus moralibus, quanto commune bonũ est altius atque præstantius quocunque bono particulari. In art. autem 5. dicit prædictus D. Thom. quod iustitia prædicta sic cõmuniter & generaliter sumpta dicitur etiam iustitia legalis, pro eo quod per ipsam homo concordat legi ordinanti omniũ virtutũ actus in cõmune bonũ, & propendet & inclinatur ad obseruãtiã omnis legis, & ad custodiendũ omne præceptum. Hac de re multa forent dicẽda sed sciens & prudẽs in præsentiarum dicere omitto, quæ de hac præclarissima atque præstantissima iustitiæ virtute latissimè afferuntur à Doctoribus Scholasticis, vt non plus nimio longius nostra protrahatur oratio, hoc solummodo contẽtus dixisse cum Cicerone, lib. 1. Officiorum de Iustitia: *Maximum huius virtutis iustitiæ splendorem esse, quod ab ea omnes viri boni nominantur iusti.* Cui & concinit id quod dixit olim D. Isidorus lib. 10. Etymolog. cap. 9. nempe quod *iustus dicitur á iustitia, quia ius custodit.* Hac etiam ratione in sacris Litteris, iustitia prædicta vt communiter sumpta, statera nuncupatur: in quem sensum intelligenda veniant verba illa Iob, cap. 31. *Appendet me in statera iusta* (siue iustitiæ vt alij tradunt) & iniustitia seu potius iustitia non recta, nec ad vnguem seruata, dicitur *statera dolosa*, quæ iuxta Salomonem Prouerbior. 11. *Abominatio est apud Deum.* De hac etiam præclara, eximiaque virtute, intelligendum est dictum illud Pythagoricum, *stateram ne transieris*, ac si diceret: *iu-*

stum

ſium nihil prætermittas, ſed in omnibus quod æquum & iuſtum eſt operaberis. De iuſtitia etiam in hoc ſenſu loquendo vt communiter, & generaliter ſumpta, interpretãtur communiter à Doctoribus illa Chriſti Domini verba Matth. 7. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Non enim ibi fit ſermo de iuſtitia ſpeciali & particulari, qua quod ſuum eſt redditur vnicuique, ſed de iuſtitia prædicta generaliter atque communiter ſumpta, quæ ex hac ratione mouet, & inclinat hominem ad exequendum omne bonum, & operandam omnem virtutem, cuius etiam (vt diximus) vt ſic conſideratæ, non eſt cõſtituere, ſeu aſſignare aliquod proprium, & particulare obiectum, ſed ipſius ſunt, omnium virtutum particularia obiecta, ad quorum actus omnes homines mouet & inclinat, quatenus id expedire cernit bono communi. Hæc de iuſtitia vt cõmuniter & generaliter ſumpta, ſed loquendo de illa in particulari ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Iuſtitia ſpecialiter, & particulariter sũpta, eſt peculiaris quædã virtus quæ quod ſuũ eſt redditur vnicuique.

IVſtitia ſpecialiter & particulariter ſumpta, eſt ſpecialis quædam virtus, quæ verſatur circa ea, quæ ſunt ad alterum, & circa bonum particulare, quæ mouet & inclinat hominem ad hoc, vt quod ſuum eſt reddat vnicuique. Hæc Concluſio eſt etiam omnium Doctorum generalis reſolutio, & de ea videndus eſt D. Thom. loco vbi ſupra, art. 2. & 3. vbi probat diffinitionem quam Vlpianus Iuriſconſultus in lege *iuſtitiæ. ff. de iuſtitia & iure*, tradidit de iuſtitia prædicta, ſpecialiter & particulariter ſumpta dicendo: *Quod ipſa eſt perpetua, & conſtans voluntas, ius ſuum tribuens vnicuique.* Quam etiam diffinitionem tradit Iuſtinianus in ſua inſtitut. & D. Ambroſ. lib. Officiorum cap. 24. vbi inquit quod *iuſtitia eſt moralis quædam virtus, qua quod ſuum eſt redditur vnicuique.* Eandem iuſtitiæ diffinitionem aſſignat D. Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio, capit. 13. & lib. de quantitate animæ cap. 9. & lib. de Trinitate cap. 6. & lib. 83. quæſtionum quæſt. 31. & ſæpe alibi. Vtraque hæc iuſtitia, tam generalis & communiter ſumpta, quam particularis, & quæ eſt ſpecialis quædam virtus, ſummopere eſt neceſſaria in cunctis Prælatis, atque iudicibus, vt poté quorum eſt proprium munus & officium commune bonum totis viribus procurare. Sed de ſpeciebus iuſtitiæ ſpecialiter & particulariter ſumptæ, oportet aliqua dicamus, de quo ſit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio.

Iuſtitia vtſpecialiter, & particulariter ſumpta adhuc ſubdiuiditur in commutatiuã, & diſtributiuam.

SVpra dicta iuſtitia vt ſpecialiter, & particulariter ſumpta adhuc ſubdiuiditur & eſt duplex, quædam cõmutatiua, alia verò diſtributiua, quod eſt dicere, quod quædam pertinet ad æqualem rerũ commutationem, alia verò ad iuſtam bonorũ communium diſtributionem. Hæc etiam Concluſio eſt omnium Doctorum communis, & de ea ſpecialiter videndus eſt, D. Thom. 2. 2. quæſt. 61. per totam, vbi agit de partibus iuſtitiæ prædictæ, & neceſſariò ponendos eſſe dicit duos prædictæ iuſtitiæ habitus ad dicta duo munera, cum ſint eorũ diſtincta, ac diuerſa obiecta, nam iuxta veram & bonam Philoſophiam, habitus diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta. Quod & confirmat D. Thom. de mente & ſententia, Ariſtot. 5. Ethicorũ cap. 2. vbi conſtituit duas iuſtitiæ partes, quarum vnam dicit eſſe directiuam in rerum commutationibus, alteram verò in bonorum communium diſtributionibus, ſemper enim iuſtitia reddit quod ſuum eſt vnicuique, ſeu in id cor & animum hominis inclinat, ſed aliter id facit iuſtitia diſtributiua, aliter verò commutatiua. Nam commutatiua verſatur circa emptiones & venditiones, ſimileſq; alios contractus (qui ſunt proprij ipſorum actus) diſtributiua autem, circa bonorum, aut etiam malorum diſtributiones, hoc eſt circa virtutum præmia, & vitiorũ pœnas ſiue ſupplicia, quæ etiã ſunt proprij ipſius actus. Cũ igitur actus ſint diuerſi & diuerſa etiam obiecta, liquidum profecto fit, quod in id neceſſariò ſunt ponendi atque conſtituendi diuerſi etiam habitus, quorum alter ad iuſtitiam pertineat commutatiuam, alter verò ad diſtributiuam. Hæc breuiter & reſolutiuè dixiſſe ſufficiat, circa iuſtitiam tam generaliter, quàm ſpecialiter ſumptam, quorum Prælatos Regulares iudiceſq; omnes quam maximè oportebat aliqualem habere notitiam, & quod vtramque procurent veluti in ſe habere imbibitam, cum de mente & ſententia Ariſtot. 5. Ethicorum cap. 4. ad ipſos confugere debeant miſeri homines, quaſi ad quandam animatam iuſtitiam, cuius etiam ratione Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 60. artic. 1. agendo de iudicio dicit, quod eorum iudicium iuxta Prophetam Pſalm. 16. *E diuino debet vultu procedere.* Et non niſi ex habitu & inclinatione iuſtitiæ, loquendo de iuſtitia tam vt communiter, quam particulariter & ſpecialiter ſumpta, quibus reſpectu boni communis, ſiue particularis, quiuis inclinatur & propendet ad reddẽdum quod ſuum eſt vnicuique. Reliqua, quæ iuſtitiam ſpectant, proprijs ſuis locis inſerentur, hæc pro nunc dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Quidnam ſit ius & quotuplex, ac de multiplici iuris acceptione ſiue diuiſione?

PRo huius articuli & ſequentium intelligentia, ad notare oportet, quod hæc quatuor nomina, ius, lex, ſtatutum, & conſtitutio, quamuis ſecundùm vocẽ ſint diuerſa, & ex diuerſis nominibus & rationibus deſumpta, inſtituta tamen ſunt ad idem ſignificandum, & reuera idem profuſus deſignant, ſoloque nomine ſiue vocabulo differunt. Vt tamen plenius propria cuiuslibet horum ſignificatio & etymologia, nota fiat ac percipi poſſit, de ſingulis in particulari ſpeciales in præſentiarum libuit proponere Articulos, & primo de iure quod eſt obiectum iuſtitiæ, quo omnia magis ordinate fiant. Quæritur ergo in præſenti Articulo, quidnam ſit ius & quotuplex? & ſimul dicemus de multiplicibus iuris acceptionibus, ſiue diuiſionibus. Cui quidem difficultati, breuiter & reſolutiuè reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Ius idem eſt quod iuſtum, ſeu quod eſt obiectum iuſtitiæ, ſed dicitur etiam regula, per quã iuſtitiam ſiue æquitatẽ perpendimus.

IVs quantum ad præſens attinet propoſitum idẽ eſt quod iuſtũ, quod eſt obiectũ iuſtitiæ & quod primo ipſa per ſe reſpicit, ſed dicitur etiam Regula per quam iuſtitiam ſiue æquitatem perpendimus, diffinituráque per hoc, quod eſt eſſe artem boni & æqui. Pro huius Concluſionis intelligentia aduertendum eſt, quod hoc nomen ius, diuerſimode ſumitur à Doctoribus, tam Theologis, quã Iuriſperitis. Primò enim ſumitur, pro auctoritate alicui conceſſa ad aliquid agendum ex cõſenſu Reipublicæ. In qua ſignificatione, loquutus eſt Cicero de iure, in Oratione pro Archia, dum dixit: *Iure ſuo noſter Ennius. ſanctos appellat Poetas.* Secundò ſumitur, pro eo quod alicui ex iudicis ſententia tribuitur, in qua ſignificatione loquuntur communiter homines, quando dicunt eos vti iure ſuo. Et in eadem ius dicitur quod redditur ab eo ad cuius officium pertinet facere iuſtitiam, licet interdum id quod decernitur ſit iniquum. Sed omiſſis his & alijs innumeris iuris ſignificationibus, de quibus agunt DD. Thom. 2.2. quæſt. 75. art. & Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 1. art. 1. Iuriſperiti, in tiulis de iuſtit. & iure, prædictũ ius quantum ad præſens noſtrum affinet propoſitum, principaliter dupliciter ſumitur. Primò pro arte & peritia, prudẽtiæ ve dictamine ſiue rationis regula qua æquitatem ſiue iuſtitiam perpendimus. Secundò pro eadem æquitate, quæ eſt obiectum iuſtitiæ, quam iuſtitia ipſa in rebus cõſtituit, & ad quam actio ipſa iuſtitiæ terminatur. Inter quæ duo hoc vltimum quaſi per antonomaſiam, iuſtitiæ ſibi vendicat nomen, quamuis vt plurimum DD. in priori ſenſu, etiam de iure loquantur. Cuius quidem rei appoſitiſſimum exẽplum, tradit D. Thom. 2.2. quæſt. 57. art. 1. in ſolut. ad primum, dicens quod ſicut medicinæ nomen primo & principaliter, impoſitum eſt ad ſignificandum remedium, quod præſtatur infirmo ad eundẽ ſanandum, & deinde ſecundariò & minus principaliter tractum eſt ad ſignificandum artem qua idem remedium conficitur, ita (inquit) in propoſito, hoc nomen ius primo & principaliter, inſtitutum eſt ad ſignificandam rem iuſtam, & æquitatẽ quam iuſtitia ipſa in rebus conſtituit, quæ eſt obiectum ipſius iuſtitiæ, & ad quam iuſtitia ipſa terminatur. Secundariò verò ac minus principaliter, deriuatum eſt poſtmodum ad ſignificandam artem, qua cognoſcitur id quod eſt iuſtum, nempe rationis regulam, prudentiæque dictamen, per quam regulam iuſtitiæ æquitatẽ perpendimus, quales ſunt omnes leges communiter. Quo miſſo notabili, facile erit intelligere, id quod à nobis in Concluſione eſt dictũ. Nam quando dicimus, quod ius eſt idem quod iuſtum quod eſt obiectum iuſtitiæ, & quod per ſe primo iuſtitia reſpicit, loquimur de iure in hac vltima acceptione, quæ (vt diximus) prædicti nominis eſt precipua principalis ſignificatio. Quando verò dicimus, quod eſt ars boni & æqui, intelligitur de eodẽ iure, in prima ſed minus principali ſignificatione, nempe prout ſignificat Regulam per quã iuſtitiã ſiue æquitatem propendimus in qua ſignificatione ipſum definiuit Celſus Iuriſconſultus, *in l. 1. ff. de iuſt. & iur.* Cuius etiam diffiuitionis meminit Diuus Iſidorus lib. 5. Etymologiarum, cap. 3. in principio, & habetur in cap. *ius dictum cum Gloſſa de verborum ſignificatione, & in Gloſſa in rubrica ad titulum, de regul. iuris,* lib. 6. Videatur hac de re Soto de iuſtitia & iure lib. 3. quæſt. 1. per totam, & Sylueſt. verbo *ius,* & verbo *lex,* vbi ad hoc propoſitũ dicũtur plura eaque notatu digniſſima.

Secunda Concluſio.

Omne ius, aut eſt naturale, aut poſitiuũ.

QVamuis ius in communi & generaliter ſumptum, prima ſui diuiſione diuidatur à Iureperitis, in ius naturale, ius gentium & ius ciuile ſiue poſitiuum; multo tamen eſt melior illa Theologorum diuiſio, qua omne ius in communi & in generali, ſimpliciter & abſolutè ſumptum in duo membra immediatè ſolummodo diuiditur, nempe in ius naturale & ius poſitiuum. Pro intelligentia ſimul & probatione huius Concluſionis eſt notãdum, quod Vlpianus, in l. 1. ff. *de iuſt. & iure,* ius in communi ſumptum in tria prædicta diuiſit membra, in ius naturale, ius gentium & ius ciuile. Hanc eandem iuris diuiſionem, tradit Diuus Iſidorus, li. 5. cap. 4. & refertur à Gratiano in Decreto, in cap. *ius autem,* diſt. 1. cuius ſunt expreſſa, quæ ſequũtur verba. *Ius autem naturale eſt, aut ciuile aut gentium.* Sed Theologi ſequentes D. Thom. 2.2. quæſt. 57. art. 2. alia procedentes via, ius immediate diuidunt non quidem in tria membra, ſed tantùm in duo, ſcilicet in ius naturale & ius poſitiuum. Propoſita enim quæſtione à D. Thoma, an ius conuenienter diuidatur in naturale & poſitiuum? eidem reſpõdẽdo, dicit quod omne in vniuerſum ius, ſiue illud ſit humanum ſiue verò diuinum, diuiditur in naturale & poſitiuum, ius gentium ſub iure poſitiuo comprehendendo, licet alij ipſum ſub iure naturali conſtituant. Sed quidquid de hoc ſit, nam ſpecialem id difficultatem habet, de qua infra à nobis eſt agendum, probat Diuus Thomas ſuam doctrinam, primo ex ſententia Ariſtot. 5. Ethicorum cap. 7. vbi hac de re agendo inquit, quod iuſti Politici, hoc quidem naturale eſt, illud autem legale, ſiue lege poſitum. Secũdò probat id ipſum, & colligit ſufficientiam, ſupradictæ bimembris diuiſionis, peculiari alia ratione, ex eo ſcilicet quod ius ſiue iuſtum, eſt & dicitur illud, quod alteri eſt adæquatum ſecundum aliquem æqualitatis modum, ſed hoc, inquit Diuus Thomas, non contingit, ſed nec contingere poteſt, niſi tantùm duobus modis, nã quid quid eſt alteri adæquatum, vel eſt illi adæquatum ex natura rei (quod pertinet ad ius naturale) vel ex aliqua lege poſitiua ſiue ex humano condicto & communi hominum beneplacito (quod pertinet ad ius poſitiuũ) ergo omne in vniuerſum ius, vel pertinet ad ius naturale vel ad ius poſitiuum. Libet hanc rationem exemplo aliquo illuſtrare & declarare. Qui data fide credito aliquid recipit, quod tantumdem reſtituat de iure naturali eſt, & ad ipſum pertinet id ipſum vt faciat, quia natura ipſa rerum hoc expoſcit, quemadmodum & quod fœmina generationis gratia adiungatur viro, at quod frumentum ſiue triticum. 14. dragmis veneat & non pluris diuendatur, non natura quidem rerũ hoc fecit, aut conſtituit, ſed ius ipſum poſitiuum ſiue humanum condictum, vt putà conſenſus Reipublicæ ſiue principis. Cõſtat ergo qualiter, æqualitas in primo caſu oriatur ex natura rei, & ad ius

Nota differentiã inter Theologos & Iuriſperitos, circa iuris diuiſionem.

natu-

naturale pertineat, nõ autem in ſecundo caſu, niſi ex humano condicto & poſitiua lege, & conſequẽter quod omne ius, quod eſt alteri quacunque ratione adæquatum, conuenientiſſime immediatè diuiditur in ius naturale & poſitiuum. Adeò D. Thom. ſupra dictam doctrinam eſſe veram credit, vt dicat loco ſupra citato in ſolutione ad tertium quod non ſolùm ius humanum diuiditur in ſupra dicta duo membra, verum etiam & ius diuinum, & quod ſicut omne ius humanum, aliud eſt naturale aliud poſitiuum, ita & ius diuinum aliud eſt etiam naturale, aliud poſitiuum. Quod quidem in ſumma nihil eſt aliud quam dicere, quod alia ſunt prohibita quia mala, alia verò mala quia prohibita, aut ſub alijs verbis, quod alia ſunt iuſſa quia bona, alia verò bona quia iuſſa & præcepta, & quod in quibuſdam rebus, bonitas ſiue malitia ex natura rei, & ſecluſo quocumque poſitiuo præcepto reperitur, in alijs verò non ita, ſed iij quantum ſunt præcepta aut prohibita per legem poſitiuam.

Sed oportet vlterius inquiramus, quænam ſint huiuſmodi iura, & quid ſit ſiue eſſe dicatur de iure naturali, quid verò de iure poſitiuo? quod fiet in ſequenti Concluſione, ſingulorum proprias adducendo diffinitiones.

Tertia Concluſio.

Id eſt de iure naturali, q̃ natura ipſa docet, id verò de iure poſitiuo, quod procedit ex humano condicto.

ID dicitur de iure naturali, quod natura ipſa docet, ſeu quod procedit à natura id ipſum inſpirante; id verò de iure poſitiuo, quod non procedit à natura, ſed à lege ſiue ex humano condicto. Pro huius Concluſionis intelligentia, ſimul & probatione præmitto quod Vlpianus in l. 1. ff. *de iuſt. & iur.* ius naturale diffiniens (inquit) illud eſſe *Quod eſt cõmune omnium nationum, & quod vbique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habetur.* Refertur hæc iuris naturalis diffinitio à Gratiano, in cap. *ius naturale*, diſt. 1. vbi ſi recte ſupradictæ diſſinitionis verba perpendantur, ſimul atque ſub eadem verborum ſerie, & ius naturale & ius poſitiuum definiuit. Nam è regione opponens naturæ inſtinctum & humanam conſtitutionem, aperte demonſtratur quod vnum horum alterum excludit, & quod id de iure naturali eſt, quod procedit ex naturæ inſtinctu, & non ex aliquo humano condicto, de iure verò poſitiuo, quod ab humana conſtitutione, & non à naturæ inſtinctu ortum atque originem ducit. Quod & Cicero in libris de lege & inuentione, expreſſius declarauit dicens: *Quod naturæ ius eſt, quod nobis non opinio ſed quædam vis innata declarauit*, id quod ſub alijs verbis, eſſe omninò videtur illud, quod dixit D. Paulus in Epiſtola ad Romanos cap. 2. vbi agens de antiquis Philoſophis, qui nullam legem poſitiuam præter naturalẽ habuerunt, inquit, quod *Cum gentes quæ legem non habent* (nempe poſitiuam) *naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ij ſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente ſiue diſtante illis conſcientia ipſorum.* Sed præterea Ariſtot. 5. Ethicorum cap. 7. ius ſimul naturale & poſitiuum definiens, dixit: *Quod ius naturale eſt, quod vbique eandem vim habet & nõ quia videtur.* Quaſi diceret ius naturale eſſe quod natura ipſa conſtat, & quod vbique apud omnes eandẽ vim habet, & non quia videtur, ſeu quod non habet vim, quia aliquo humano iudicio & arbitramẽto ponitur, quod vltimum ſoli iuri poſitiuo competit. Etenim vt iam dixi quod qui centum accepit totidem reddat natura ipſa conſtat, & non eſt iuſtum quia id ita hominibus viſum eſt, ſed ex natura ſua, ſicut & quod ignis ſit calidus, at quod triticũ ſeu vinum, tanti vel tanti vendatur, non eſt iuſtũ ex natura ſua, ſed ex humana voluntate, & ex humano condicto. Quod & expreſſius, declarans idẽ Ariſtot. loco vbi ſupra inquit: *Quod ius poſitiuum ſiue legale eſt illud, quod à principio nihil refert quod ſic vel aliter fiat, ſed conſtituta lege, multum refert.* Ex quibus omnibus ſuperque ſatis manifeſte colligitur, quæ ſit iuris naturalis & poſitiui definitio, & differentia quæ verſatur inter vtrumque. Quæ meo quidẽ videri, ad quatuor capita (vt methodice loquamur) poteſt reduci. Primò differunt ius naturale & poſitiuum, ex parte cauſæ efficientis; nam cauſa efficiens iuris naturalis eſt Deus naturæ auctor, qua ſimul nobis impreſſit naturale quoddam lumen, dictans & referens, quod naturæ ac rationi ipſi eſt conſonum, iuxta illud Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, at verò cauſa efficiens iuris humani & poſitiui, eſt homo, ciuitas ſiue populus, vt habetur in cap. *ius ciuile*, diſt. 1. quo loco dicitur, *quod ius ciuile eſt illud, quod quiſque populus vel quæque ciuitas, ſibi proprium diuina, humanaque cauſa conſtituit.* Secundò differunt ius naturale & poſitiuum, ex parte cauſæ formalis ſeu exemplaris, nam iuris naturalis exemplar eſt lumen naturalis rationis à Deo deriuatũ, exẽplar verò & regula iuris humani poſitiui eſt ipſum ius naturæ, nã in tantũ & non plus ius humanum eſt rectum, in quantum eſt iuri naturæ conſonum. Tertiò differunt ex parte obligationis, nam iuris naturalis obligatio eſt ampliſſima, ligatq; omnes vbiq; & ſemper, eſt enim ius naturale generale & immutabile; at verò obligatio iuris poſitiui eſt ſtrictior, nã ius poſitiuũ nõ omnes obligat nec ſemper, nec idem eſt apud omnes quin verò frequentiſſime mutatur. Quartò differũt ius naturale & poſitiuum, nam ad hoc vt aliquid ſit de iure naturali, neceſſum eſt quod pertineat ad generalia illa principia, cunctis peruia, quæ de iure naturali eſſe dicuntur, aut ſaltem quod per bonam & euidentem conſequentiam, deducãtur ex illis primis practicis principijs, at verò ius poſitiuum nõ id neceſſariò requirit, ſed ſatis eſt quod ſit iuri naturali conſonum, quales eſſe debent omnes leges poſitiuæ ad hoc vt ſint iuſtæ, vt latius ſuo proprio locò dicemus. Sed iam tẽpus præfert, vt deueniamus ad explicandum ac declarandum, quidnam ſit ius gentium, quod (vt ſupra diximus) ex Doctoribus quidam, ſub iure naturali conſtituunt, alij verò ſub iure poſitiuo, de quo ſit quarta Concluſio.

Nota differentias multiplices iuris naturalis & poſitiui.

Quarta Concluſio.

Ius gentium eſt, & dicitur illud, quod vniuerſæ gẽtes quatenus rationales ſunt ſibi fecerunt & conſtituerunt.

IVs gentiũ eſt & dicitur illud, q̃ vniuerſæ gẽtes, quatenus rationales ſunt, ſibi fecerunt & conſtituerunt. Hæc iuris gentium definitio deſumpta eſt ex Vlpiano in le. 1. ff. *de iuſt. & iur.* vbi inquit, *ius gẽtium eſſe quo omnes gentes humanæ vtuntur.* Et in inſtit. de iure natur. & gentium dicitur, *ius gentium omni humano generi commune eſſe*, idem habetur, in cap. *ius gentium*, diſt. 1. vbi & eiuſdem rei quamplurima adducuntur exempla, dicendo quod ius gentium eſt, ſeu

ſedium occupatio, murorum ædificatio, & munitio, bella, captiuitates, ſeruitutes, poſtliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita, poſtque ſubditur quod prædicta omnia, ius gentium appellantur, quia eo iure omnes fere gentes vtuntur. Quo præmiſſo adnotare oportet, quod inter Doctores tam Theologos quàm Iuriſperitos, magna eſt lis & controuerſia, an ſupradictum ius gentium, ad ius naturale pertineat; an verò ad ius poſitiuum, quidam enim dicunt, quod pertinet ad ius naturale, ſequentibus innixi rationibus.

Difficultas vtilde notãda An ius gẽtiũ pertineat ad ius naturale, an verò ad ius poſitiuũ.

Prima opinio

Primò, quia illud quod per bonam & euidẽtem conſequentiam, deducitur, ſiue colligitur ex principijs naturæ, ad ius naturale pertinere videtur, & contineri ſub illo, ſed tale (inquiunt) eſt ius gentium, ergo intentum. Conſequentia cum maiori legitima eſt, nec negari vllo modo poteſt, ſolùm modo reſtat probare minorem, in qua tota huius rei difficultas conſiſtit.

Quæ & probabitur ſimul atque explicabitur, exemplo propoſito in rerum diuiſione, quæ eſt de iure gentium ex eo quod per bonam & euidẽtem conſequentiam deducitur ex his naturæ principijs, nempe ex eo quod agri ſunt diligenter colendi, & pax atque tranquillitas Reipublicæ conſeruanda, etenim ſi non ſupradicta rerum diuiſio fieret, neque agri colerentur, neque pax & tranquillitas Reipublicæ conſeruaretur, quin verò in ipſa innumera eſſent continua bella & iurgia. Si igitur ſupradicta rerum diuiſio, de iure gentium eſt, & eſſe dicitur, pro eo quod deducitur atque colligitur ex ſupradictis principijs naturæ, per bonam & euidentem conſequentiam, manifeſte (inquiũt) ſequitur, quod ius gentium ad ius naturale pertinet, ac ſub illo debet comprehendi.

Secundò, probant id ipſum quia ſecundùm verã Philoſophiam, eodem præcepto & iure quo præcipitur finis, præcipiuntur etiam & media ad conſequutionem talis finis neceſſaria, verbi gratia, quia iure naturæ tenemur conſeruare vitam, eodem etiam tenemur ſumere alimenta ad vitæ conſeruationem neceſſaria, ſed ius inquiunt gentium neceſſarium eſt ad conſeruationem iuris naturalis & ordinatur ad ipſum, ergo ius gentium pertinet ad ius naturale ac ſub illo comprehenditur,

Tertiò & vltimo ad idem ſic argumentantur, nã ſi ius gentium pertineret ad ius poſitiuum, non verò ad ius naturale, & dependeret ex beneplacito, & voluntate Principum, ſequeretur quod poſſet ipſum à Regibus & Principibus, ſiue à Republica abrogari, & facere in ſuis Regnis & Ditionibus, vt non eſſent, verbi gratia, rerum diuiſiones, ſed poſſiderentur omnia in communi: conſequens autem videtur abſurdum: ergo nullatenus ideſt dicẽdum, quin verò quod ius gentium reuera pertinet ad ius naturale, ſuper quod nulla cadit abrogatio aut diſpenſatio. Ijs argumentis prima prædicta fulcitur opinio.

Secunda opinio.

Sed alij Doctores omninò diuerſa procedũt via & dicunt, ius gentium non pertinere ad ius naturale, quin verò ab illo eſſe diſtinctum & quammaximè diuerſum. Quod probant ſiue probari contẽdunt primo ex mente & ſententia Diui Iſidori, li. 5. Etymologiarum cap. 4. & refertur, in Decreto, in cap. *ius autem*. diſt. 1. vbi hac de re agendo ſequẽtia ponuntur verba, *ius aut naturale eſt, aut ciuile aut gentium*. Cum igitur (inquiunt) D. Iſidorus ius gentium, contra naturale diuidat membra tria conſtituendo manifeſtè vt videtur ſequitur, quod ipſum non ad ius naturale pertinet, aut ſub illo cõprehẽditur, ſed eſt quid ab illo diſtinctũ, & ſi ſub aliquo comprehenditur, eſt ſub iure poſitiuo. Quod & cõfirmant ex ſententia Ciceronis lib. 2. de inuẽtione ca. 5. vbi rerũ & dominiorum diuiſionem, iuri poſitiuo adſcribendam eſſe dicit, ſed hæc omnia ſunt de iure gentium: ergo potius ad ius poſitiuum, quã ad naturale ipſum pertinere eſt dicendum.

Secundò probant id ipſum hac ratione vt videtur efficaciſſima, nam ea, quæ ſunt de iure naturali ſeu ad ius naturale pertinent, ita ſunt intrinſecè bona, vt eius oppoſita neceſſariò ſint intrinſecè mala, ſecluſa quacunque omni alia lege, & antequam per aliquam legem poſitiuam præcipiantur aut prohibeantur, vt tenet communis omniũ Theologorum ſententia, ſed quæ ſunt de iure gentiũm, non ſunt intrinſecè bona neque eius oppoſita intrinſecè mala, vt probabitur: ergo ius gentium nõ pertinet ad ius naturale, neque ſub ipſo cõprehenditur. Conſequentia cum maiori eſt legitima: minor autem probatur. Nam rerum diuiſio, & bonorum proprietas, quamuis modo bona ſit & licita, non tamen adeò bona, vt oppoſitum eius (nempe communitas) ſit intrinſecè mala, & non etiã poſſit eſſe bona, cum in primitiua olim Eccleſia, omnia fuerint communia, id quod & in Religionibus etiã ſeruatur hodie, multaq; alia exempla in id ipſum poſſent adduci, nam & in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, ergo rerum proprietas nõ eſt intrinſecè bona. Hęc & alia quæ ad hoc probandũ poſſent adduci, breuitatis gratia facio miſſa.

Sed tertio & vltimo, pro hac parte ſic argumentantur, nam certum (inquiunt) eſt, illa ſola pertinent ad ius naturale, & de iure naturali eſſe dicuntur, quæ pertinent ad prima principia naturalia practica, omnibus hominibus peruia, aut ex illis per bonam & euidentem conſequentiam colligũtur, & deducuntur: ſed ea quæ ſunt de iure gentiũ non ſunt huiuſmodi, nam nec ſeruitus nec rerum diuiſio, pertinent ad prima principia practica, nec verò ex ipſis per bonam & euidentem conſequentiam abſolutè, & immediatè colliguntur aut deducuntur, ſed facta quadam ſuppoſitione, vt ſtatim dicemus, ergo in tantum & præterea probatur id ipſum, nam ius gentium habetur ex conſenſu & beneplacito hominum, & non abſolutè ex dictamine naturæ. Item ius gentium poteſt per legẽ poſitiuam aboleri, quin verò de facto (vt diximus) abolita eſt rerum diuiſio apud Religioſos, & ſeruitus apud Chriſtianos: ergo ea quæ ſunt de iure gẽtium, non ſunt preciſe de iure naturali, nec ius gentium ſub iure naturali comprehenditur. Hæc ſunt quæ hinc inde à Doctoribus Scholaſticis circunferuntur & adducuntur, ad inueſtigandum, vtrùm ius gentium ſit omninò idem cum iure naturali, an verò ab illo diſtinctum. Vt autem hac in re quod ſentiam paucis dicam, ex multorum reſolutione ſequẽtem ſtatuo Concluſionem.

Quinta

Quinta Concluſio.

Ius gentium neque mere de iure naturali eſt, neque mere de iure ciuili & poſitiuo, ſed quod ex vno & altero commixtũ ſiue cõpoſitũ,

CIrca hanc difficultatem, quod verius & certius apparet, eſt dicere quod ius gentium, nec mere de iure naturali eſt, nec mere de iure poſitiuo, ſed mixtum & quaſi ex vtroque compoſitum. Per hanc Concluſionem & conſtitutam reſolutionem, ad concordiam poſſunt reduci, hac de re variæ multorum Doctorum opiniones, qui confuſe & intricate nimis loquuntur, & vt videtur non ſatis ſibi conſtant, qua quidem ratione ius gentium quandoque ius naturale appellant, aliquando verò ius ciuile, ſiue poſitiuum, quod vt videtur ex eo prouenit, quia vt dictum eſt in Concluſione, eſt veluti ex vtroque commixtum, & cum vno & altero quam maximam ſimilitudinem habet. Et vt ſupra poſita Concluſio, ſimul probetur & intelligatur, dico quod ius gentium ſimilitudinem habet in multis cum iure naturali, Primò, quia ſicut ius naturale commune eſt omnibus hominibus, ita & ius gentium omnibus eſt hominibus commune. Secundò, ſicut ius naturale non habetur in ſcriptis, neque inuenitur quando aut vbi fuerit inſtitutum, ita & ius gentium penitus ignoratur quando & vbi fuerit cœptum ſiue inſtitutum. Tertiò, ſicut ius naturale ad ſui promulgationem, non indiget vt conuocẽtur homines, ita neque ius gentium ad ſui promulgationem indiguit, vt hominum fierent Conuentus. Quartò & vltimo, ſicut ea quæ ſunt iuris naturalis, vel ſunt prima principia vel Concluſiones per euidentem & neceſſariam conſequentiam ex eiſdem deductæ, ita etiam & quæ iuris ſunt gentium, ſunt veluti Concluſiones deductæ ex primis principijs naturæ, quamuis non eodem modo, ſed alio longe diuerſo vt dicemus ſtatim. Conſtituto iam in quo ius gentium cum iure naturali conueniat, dicamus etiam oportet in quibus ab eo differat differunt primo, nam vt diximus, quæ ſunt de iure naturæ, vel ſunt prima principia, vel Concluſiones per euidentem & neceſſariam conſequentiam ex primis principijs naturæ deductæ, immediatè & abſolutè, at verò quæ ſunt de iure gentium, non ſequuntur quidem ex illis immediatè & abſolutè, ſed facta quadam ſuppoſitione. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt, quod dupliciter poteſt contingere, quod aliquid neceſſariò deducatur ex principijs naturæ, vno modo abſolutè & immediatè, alio verò non abſolutè nec immediatè, ſed facta aliqua ſuppoſitione. Id deduci dicitur ex principijs naturæ, abſolutè & immediatè, quod eſt ſimpliciter neceſſarium, ad comparandam rectitudinem naturalem, conſiderata hominis natura abſolutè; id verò dicitur deduci ex principijs naturæ, non abſolutè ſed facta ſuppoſitione, quod quidem neceſſarium eſt, ad comparandam rectitudinem naturalem, ſed non conſiderata hominis natura abſolutè, quin verò ſuppoſita tali vel tali hominis conditione. Hoc oportet, vt exemplis clarius fiat. Conſiderata hominis natura abſolutè ad conſeruandam humanã ſpeciem, neceſſaria eſt generatio, ad generationem etiam neceſſaria eſt cõiunctio maris & fœminæ, quæ in hominibus fit per matrimonſum perpetuum & indiſſolubile, vt ſic proles ſuſcipi & rectè educari poſſit. Hæc omnia propriè pertinent ad legem naturæ, & eſſe dicuntur de iure naturali, quia deducuntur ex principijs illius, natura hominis abſolutè & nude conſiderata. Cæterum quia interdum homines, maiori ex parte perfidi ſunt, & matrimonij bonis abuti ſolent, hac conditione ſuppoſita, & non nude atque abſolutè natura hominis conſiderata, neceſſarium etiam fuit, quod matrimonium fieret cum debita ſolemnitate, qua quidem ratione de iure gentium introducta fuit, lex de matrimonijs contrahendis, adhibitis teſtibus & cum debita ſolemnitate, vt ſic homines mali opus ſi eſſet perfidiæ argui poſſent, ſi ab vxoribus diſcedere vellent. Ex dictis conſtat, qualiter lex quæ præcipit matrimonia ſolemniter contrahi, non propriè ad ius naturale pertinet, ſed ad ius gentium, pro eo quod deducitur ex principijs naturæ, non quidem immediatè & abſolute conſideratæ, ſed facta ſupradicta ſuppoſitione. Sit aliud exemplum: Natura hominis nude & abſolute & abſque vlla ſuppoſitione conſiderata, neceſſarium etiam fuit quod pecoro alerentur & agri colerentur, vt vel ſic ad vitæ humanæ conſeruationem hominibus ſupperet cibus, qua quidem ratione hæc ad ius naturale ſimpliciter, & abſolute pertinent, at quod rerum diuiſiones fierent, & vnus quiſque quod ſuum erat retineret, non ſic abſolute ad ius naturale pertinet, ſed ex ſuppoſitione quod eadem hominis natura, poſt primi noſtri parentis peccatum remanſit corrupta, & magis ad proprium bonum, quam ad commune inclinata, qua nimirum ratione, rerum diuiſiones iure gentium ſunt introductæ. Multa alia exempla ad hoc propoſitum poſſent adduci, ſed iſta ſufficiant, ad hoc vt intelligatur & percipiatur differentia, quæ eſt inter ius naturale & ius gentium. Nam ea quæ iuris ſunt naturalis, vel pertinent ad prima principia naturalia, aut deducuntur ex illis abſolute, & immediate per neceſſariam conſequentiam, natura hominis abſolute conſiderata, & nulla facta ſuppoſitione; at verò quæ pertinent ad ius gentium, quamuis etiam deducantur ex primis principijs naturæ, non tamen immediate & abſolute nec natura hominis abſolute conſiderata, ſed media aliqua ſuppoſitione, vt dictum eſt. Ex quo vlterius ſequitur ſecunda differentia, & ea eſt, quod ius gentium eſt ex hominum beneplacito inſtitutum, quo fit vt quælibet Reſpublica, iuſta exiſtente & interueniente cauſa, poſſet illud abrogare & derogare, quod quidem in iure naturali nullatenus poteſt contingere. Quod ius gentium abrogari poſſit, patet experientia nam & id factum fuit in initio naſcentis Eccleſiæ, vbi abrogata fuit rerum diuiſio & proprietas, quæ fuerat introducta iure gentium, factumque & conſtitutum & quod omnia eſſent omnibus communia, vt in Actibus Apoſtolorum cap. quarto legitur. Similiter & abrogatum eſt aliud ius gentium, quo olim victi ſeruire debebant victoribus, ſecundum Diuum Iſidorum, & habetur in capt. *ius ciuile*, & capit. *ius gentium*, diſtinct. 1. & *inſtitut. de iure perſona.* §. *ſeruã autem*, quæ quidem ſeruitus ſaltim inter Chriſtia-

Nota q̃ ius gentium cum iure naturali in multis conuenit.

Nota valdeiñ quo ius gentium à iure naturali differat

Nota hoc valde, quia ex eo pẽdet tota hu ius difficultatis reſolutio.

Quod eſt de iure gentium poteſt iuſta exiſtente cauſa abrogari, non autẽ id quod eſt ſimpliciter de iure naturali.

nos, penitus eſt ſublata & abrogata, nam Chriſtianus capiens Chriſtianum etiam in bello iuſto, non poteſt illum habere pro ſeruo, vt tenet omnium communis doctrina & quam optime tractat Bart. in l. *hoſtes. ff. de capti. & poſtlimi. reuer.* Tertiò & vltimo, differunt ius naturale & ius gentium, in hoc quod ius gentium, nullo modo poteſt iuri naturali præiudicare, quin verò ius naturale in omnibus prævalet & præponderat quo fit, vt in caſu extremæ neceſſitatis, de iure naturali omnia ſunt communia, & ſi quis indiget tenetur propriam vitam conſeruare, & nihil obeſſe ſibi poſſunt rerum proprietates & diuiſiones, quæ introductæ fuerunt iure gentium, vt tenet communis omnium Doctorum opinio.

Ex ſupradictis ſuperque ſatis conſtat, veritas noſtræ Concluſionis, qua diximus ius gentium eſſe quaſi mixtum ex iure naturali & poſitiuo, & cum vtroque quammaximã habere ſimilitudinem atque propinquitatem, conuenireque cum ipſis & differre. Sed poſtquam diximus de conuenientia & differentia, quam ius gentium cum iure naturali habet, reliquum eſt vt eadem breuitate dicamus, de illa, quam habet, cum iure Ciuili poſitiuo. Et dico, quod ius gentium & ciuile poſitiuum conueniunt in hoc, quod ſimpliciter & abſolutè loquendo, vtrumque & ius gentium, & ius ciuile, eſt de iure poſitiuo & ad ius poſitiuum ſpectat, & non tam à natura, quàm ex hominum beneplacito fuit inſtitutum, vt dictum eſt. Sed differunt in eo, quod ius ciuile eſt proprium alicuius gentis, vt dixit Diuus Iſidorus, & habetur in cap. *ius ciuile.* diſt. 1. ibi, *ius ciuile eſt illud quod quiſque populus, ſeu quæque ciuitas ſibi proprium conſtituit*, at verò ius gentium non eſt proprium alicuius gentis, ſed generale & commune, pertinetque ad omnes in vniuerſum gentes, neque ad ipſum conſtituendũ neceſſarium fuit, vt homines in vnum Conuentũ ſiue locum conuenirent, ſed ratio ipſa in ſingulis id inſtituit, quod quidem non contingit in iure ciuili. Multa alia circa conuenientiam & differentiã prædictam poſſent dici, ſed dicta ſufficiant. Neque rationes ad probandum contrarium adductæ quid quam conuincunt, nam ex alijs etiam adductis ſatis diſſoluuntur, vt facile conſtare poterit intuenti, hæc de iſto articulo dixiſſe ſufficient.

Nota valde. In quibus ius gentium conueniat cum iure ciuili, ſeu ab eo differat

ARTICVLVS III.

Quidnam ſit Lex & de multiplicibus legum differentijs & diuiſionibus?

Prima Concluſio.

Lex in cõmuni & abſolute conſiderata, eſt menſura humanorũ actuum ſecundum quam aliquis ad operandum inducitur, vel ab eo retrahitur.

Ex in communi & abſolutè conſiderata, eſt Regula & menſura humanorum actuum, ſecundùm quam quiſpiam ad aliquid agendum inducitur, vel ab eo retrahitur. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. prima ſecundæ quæſt. 90. art. 1. vbi etiam dicit, quod lex dicitur à ligando, eo quod hominem ligat, atque conſtringit ad hoc vt aliquid agat vel non agat. Quæ quidem legis deſcriptio & nominis etymologia, ſatis conſonat cum eo quod in multis ſacræ Scripturæ locis habetur, quibus diuina lex funi ſiue vinculo comparatur, tale eſt illud Hieremiæ 2. *à ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſeruiã, &c.* & illud Pſalm. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Quibus in locis diuina lex funi ſiue vinculo comparatur. Ex quo infertur, ſecundùm hanc etymologiã quam rectè lex deducitur ſiue deriuatur à ligando, pro eo quod liget ſiue cõſtringat hominem ad aliquid agendũ vel non agendum. Et licet prædictis in locis de lege diuina ſermo fiat, ſimili ſeu eadem prorſus ratione, hoc ipſum legi humanæ conuenire poteſt. Alij dicunt legem deduci, ſiue deriuari à legendo pro eo quod leges publico ſcripto tradantur, ſiue ſcriptis mandentur, vt ab omnibus obſeruentur. Sed quidquid de hoc ſit certiſſimum eſt, id quod in cõcluſione eſt dictum, quod lex abſolutè & in communi conſiderata, eſt Regula & menſura humanorum actuum, ſecundùm quam aliquis ad aliquid agendum inducitur, vel ab eo retrahitur. Doctores Scholaſtici aliam tradunt legis diffinitionẽ, dicentes, quod lex ſit ordinatio rationis in commune bonum promulgata, facta ab eo qui in id ipſum auctoritatem habet. Quæ diffinitio deſumpta eſt à D. Thom. vbi ſupra art. 4. in qua legis diffinitione exprimuntur plures ipſius conditiones, quæ neceſſariò ad rationem iuſtæ legis debent concurrere nempe quod eſſe debent actus rationis, ſiue prudentiæ, in commune bonum ordinata, & quod ſit facta & promulgata ab eo qui in id ipſum auctoritatem & poteſtatem habet Reipublicæ. Sed de his latius dicemus infra in quæſtion. particulari, quam de hac re facturiſumus, quando agemus de legibus humanis, nunc enim tantummodo agimus de lege in communi ſumpta, & abſolutè conſiderata, vt abſtrahit à lege diuina, atque humana. Eãdem ob cauſam & quia non eſt præſentis ſpeculationis, etiam ſuperſedeo, à tractatione cuiuſdam alterius Metaphyſicæ quæſtionis, gnã hic mouere & diſputare ſolent Doctores. An ſcilicet ſupradicta lex, ſit actus intellectus an verò voluntatis, & dato quod ſit actus intellectus & rationis, an ſit actus rationis ſpeculatiuæ, an verò rationis practicæ? Nam quidquid de hoc ſit, pro nunc certiſſimũ iudico, quod neque eſt actus ſolius rationis ſiue intellectus, nec verò ſolius voluntatis, ſed ad vtrumque pertinet, ſeu potius abvtroque procedit, poteſtque rectè & congrue diffiniri, ſicut illam diffinit Sylueſt. verbo, *lex*, dicendo, quod eſt ordinatio actiua rationis practicæ, ad commune bonum promulgata & ordinata ab eo, qui cũram gerit Rei publicæ. Quo præmiſſo atque ſuppoſito dico ſupra dictæ legis munus & officium, eſſe præcipere ſiue prohibere, vt dicit D. Thom. loco ſupracitato. Sed Gloſſa in cap. *omnis autem lex, poſito in decreto*, diſt. 3. plura ipſius enumerat officia, & munera & ad quatuor capita illa reducit, dicendo, quod omnis lex, aut permittit aliquid, vt quod vir fortis præmium petat, aut vetat aliquid, vt prohibendo quod virginis Deo ſacræ & Moniales contrahant nuptias, aut verò punit, dicendo quod qui cædem fecerit, plectatur capite, aut præcipit vt quando dicit, quod Deus diligatur ex toto corde. Sed hæc omnia eodem redeant, ſatis congruenter legis munera, &

Lex vnde dicatur ſiue deriuetur.

Nota quod lex neque eſt actus ſoliusrationis, neque ſolius voluntatis, ſed vtriuſque, ſicque dicitur actus rationis practicæ.

Quinam ſint legis actus, munera & officia?

& officia à D. Thom. comprehenduntur & explicantur, per hoc quod eſt prohibere, atque præcipere. Vnde neque hac in re amplius immorari nolo, videatur dictus D. Thom. 1-2. quæſt. 92. art. 2.

Secunda Concluſio.

Supra dicta lex etiam in cõmuni ſumpta, diuiditur in legem æternam, & naturalem, diuinã veterem diuinam etiã Euangelicã, & in conſuetudinem vim legis habentem & in legã Canonicam, & laycam ciuilẽ

Quidnam lex æterna?

SVpradicta lex etiam in communi ſumpta ſiue abſolutè conſiderata, rectè etiam atque ſufficiẽter diuiditur, in æternam & naturalem, in diuinã veterem; diuinam item Euangelicam, in conſuetudinem vim legis habentem, & in legem Canonicã, & laicam ciuilem. Hæc Concluſio expreſſe ponitur à Syluestro, verbo *lex*. & ſatis colligitur ex D. Thom. 1-2. quæſt. 91. vbi per plures Articulos, omnium ſupradictarum legum facit mentionem expreſſam, & quamuis nos infra id ipſum ſimus facturi, & maximè de illis quæ ad noſtrum præſens attinent propoſitum, vt tamen iſte locus non vacuus ſiue intermiſſus videatur, & aliqualis horum omnium habeatur notitia, ſingularum ſupradictarum legum diffinitiones breuiter in præſentiarum adducere libuit. Et vt ab æterna exordiamur, dico cum D. Thom. loco ſupra citato artic. 1. quod lex æterna nihil eſt aliud quã, ordinatio rationis Dei, ad commune totius mundi bonum. Seu ſub alijs verbis, conceptus gubernationis rerum in Deo, vel potius ratio diuinæ ſapientiæ, qua cuncta ad ſuos debitos fines ordinat, dirigit & mouet. Oportet etenim vt perſpicuum eſt in quolibet gubernatore, & rectore, rationem ordinis præexiſtere, eorum quæ agenda ſunt, ab his qui ſuæ gubernationi ſubduntur, ſicut & in quolibet artifice etiam præexiſtit ratio eorum, quæ à ſe ſunt per artem facienda, atque conſtituenda. Ad hunc igitur modũ Deus vniuerſarum rerum conditor, & omnium actuum ac motuum ſuarum creaturarum gubernator, per æternam ſuam ſapiẽtiam, rationem habet omnium, quæ à ſuis creaturis ſunt agenda, quæ diuinæ Sapientiæ ratio, qua cuncta ad ſuos debitos fines ordinat & mouet, in Deo lex æterna nuncupatur. Quod fidei lumine carens cognouit olim etiam Cicero, poſtquam lib. 2. de legibus, prædictam æternam definiens legem dixit: *Quod lex eſt æternam quoddam, quod vniuerſum mundum regit, imperandi prohibendique ſapientia.* Quæ quidem legis diffinitio, vt de ſe patet, haud quaquam alij quàm ſupradictæ legi æternæ, valet aut poteſt conuenire. Lex

Quidnam ſit lex naturalis.

naturalis autem vt inquit idem D. Thom. artic. 2. vbi ſupra, eſt participatio quædam ſupradictæ legis æternæ, & impreſſio diuini luminis in creaturam rationalem, qua inclinatur ad ſuum debitum finem. Et ſub alijs verbis dicitur, quod eſt ordinatio rationis in homine, impreſſa à Deo, in ordine ad ſuum debitum finem. Quam etiam ſupradictus Cicero cognouit, poſtquam in 1. etiam lib. de legibus legem definiens dixit: *Quod lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria*, ſubintellige in ordine ad ſuum debitum finem. Lex diuina vetus eſt illa, quam olim Deus Optimus Maximus, per Moyſen famulum ſuum. Iſraëlitico populo præſtitit, cuius fit mentio Exodi capit. 20. & Deuteronomij, capit. quinto, & ſæpe alibi, & eius etiam meminit Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas capit. tertio, vbi de

Quidnam ſit lex diuina vetus.

eadem agens dicit, quod fuit ordinata per Angelos in manu Mediatoris. De qua quia iam abolita atque abrogata eſt, nec hodie viget, niſi in quantum continet ius naturale, ſeu quod in ea præcipitur ad legem naturalem ſpectat, nihil oportet in præſentiarum dicere. Lex verò diuina Euangelica eſt, quam Chriſtus Dominus & Seruator noſter, vnigenitus Dei Filius, factus homo nobiſcumque conuerſatus, immediatè per ſemetipſum condidit atque mundo promulgauit, quæ & continetur in quatuor Euangelijs, ſeu potius in quatuor libris vnius Euangelij, vt verbis Diui Auguſtini vtar, ad cuius obſeruantiam fideles cuncti tenentur, nam & in Baptiſmo omnes Chriſtiani illã profitentur. Omnes ſupradictæ quatuor leges ſunt diuinæ, reliquæ verò tres legum ſpecies quas retulimus, ſunt humanæ, inter quas quæ prima connumeratur, eſt longa ac diutina conſuetudo, quæ vt ſuo proprio loco dicemus, legitime introducta vim etiam & robur obtinet legis & eſt quædam humana lex, in quantum viget & ſuſtinetur, ex Principis ſeu populi voluntate, cuius quidem conſuetudinis meminit Diuus Iſidorus lib. quinto Etymologiarum capit. ſecundo, & Gratianus in ca. *humanum genus*, diſt. 1, vbi inquit, *quod duobus regitur humanum genus, videlicet naturali iure & moribus.* Et infra in cap. *conſuetudo*, inquit, *quod conſuetudo eſt ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro legeſ ſuſcipitur cum deficit lex.* Et in fine dicit, quod vocatur conſuetudo, pro eo quod poſita eſt in communi vſu. Lex autem Canonica, ſi definiatur in communi & in vniuerſali, eſt ordinatio rationis ad commune bonum Eccleſiaſticum totius orbis, à Summo Pontifice, ſeu ab habente ipſius auctoritatem promulgata, quæ in quatuor voluminibus, ſeu quatuor Iuris Canonici libris continetur, de quibus infra latius dicemus. Solum ſupereſt vt dicamus, quidnam ſit lex ciuilis ſiue politica, & quidem ſi etiam diffinitur vt communiter ſumpta, & vt ſe extendit ad iuſtam & iniuſtam, vniuerſalem ſiue municipalẽ. Lex ciuilis eſt conſtitutio populi, qua maiores natu ſimul cum plebe aliquid ſanxerunt. Quæ legis definitio eſt Diui Iſidori, lib. quinto Etymologiarum cap. 10. & refertur à Gratiano in Decreto, diſt. 2. cap. *lex eſt*. Sed Iuriſconſulti aliam tradunt legis in communi ſumptæ definitionem, dicentes quod lex eſt commune præceptum, & virorum prudentium conſultum, ita habetur in l. 1. ff. *de legibus & Senatus*. Sed perſiſtendo in ſupra dicta doctrina D. Thom. dicere poſſumus, quod lex ciuilis ſi fit vniuerſalis & iuſta, eſt ordinatio rationis ad cõmune bonum ciuile totius orbis, à tota multitudine ſeu à vicem eius gerente promulgata. Si autẽ ſit particularis, erit etiam ordinatio particularis eiuſdem rationis, ad commune bonum alicuius Prouinciæ, loci ſeu ciuitatis, à tota multitudine ſeu eius vicem gerente promulgata.

Quidnam ſit lex diuina Euangelica.

Quidnã ſit cõſuetudo vim legis habens.

Quidnã ſit lex Canonica.

Quidnã ſit lex ciuilis, ſiue politica.

Hæc de legibus in communi, breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS IIII.

Quidnam ſit ſtatutum, ac de ſtatutorũ multiplici diuiſione, & differentia?

Prima Concluſio.

Statutum eſt quaſi ius ab homine poſitum.

STatutum vt nomẽ ipſum ſonat, eſt quaſi ius ab homine poſitum, vel diſpoſitio ex qua ius ipſum producitur. Hæc Statuti diffinitio, ponitur à Sylue. verbo, *ſtatutum in principio*, & habetur in tit. *inſtit. de iure naturali & gentium, &c.* Dicitur autem ſtatutum ab ſtatuendo, eo quod res aliqua præuia de liberatione ſtatuto firmatur in ſtatuto, & quaſi in gradu firmo atque immobili ponitur. Quæ quidem ſtatuta, vt inquit ſupradictus Sylueſt. verbo, *lex.* quæſt. 4. illi ſolummodo facere poſſunt, qui & poſſunt condere leges, vt enim ſupra diximus lex & ſtatutum, ſecundùm rem idem omninò ſunt, ſoloque nomine differunt, licet interdum diuerſimode accipiantur.

Secunda Concluſio.

Statuta alia ſunt generalia, alia verò particularia, alia iuſta, alia iniuſta.

STatuta ſunt ſiue eſſe poſſunt in multiplici differentia, nam quædã ſunt generalia (quæ omnes generaliter concernunt) quædam verò particularia & Prouincialia, de quibus infra ſuo proprio loco dicemus. Quædam etiam ſunt iuſta, quæ ad ipſorum obſeruantiam obligant; quædam verò iniuſta & iniqua, quibus proinde nulli tenentur. Quædã obligant ad culpam & ad pœnam, quædam verò ſolummodo ad pœnam. Quædam debito modo & legitima auctoritate facta obligant vt lex, quædã tantùm vt particularia præcepta, quæ & finiuntur & terminãtur morte ſtatuentium, ſeu cum finitur ipſorum officium De quibus omnibus, quia particulares infra difficultates ſunt à nobis mouendæ, & ſpeciales Articuli conſtituendi, ab ijs pro nunc conſulto ſuperſedeo.

ARTICVLVS V.

Quidnam ſit Conſtitutio, & de Conſtitutionũ multiplici diuiſione & differentia?

Prima Concluſio.

Cõſtitutio eſt id, quod ordinat Princeps, animo cõdendi legem.

COnſtitutio propriè & ſtricto modo ſumpta, prout differt ab alijs partibus ſcripti iuris, nihil eſt aliud quam id quod ſtatuit ſiue ordinat Princeps, animo condendi legem. Hæc Concluſio probatur, *ex inſtit. de iure natura. gen. & ciu. §. ſed & quod Principi placuit.* Pro cuius Concluſionis intelligentia eſt notandum, ex Gloſſa in tit. *2. de Conſtitutionibus*, lib. 6. Decretalium, quod Conſtitutio in iure dupliciter accipitur, vno modo ſtrictè, prout differt ab alijs partibus iuris ſcripti, vt putà à lege, plebiſcito & alijs partibus iuris, quarum mentionem facit Gratianus in Decreto, diſt. 2. & in hac acceptione, nihil eſt aliud quam illud quod ſtatuit & ordinat Princeps, animo condendi legẽ vt ea ſubditi vtantur, tam in ſcholis quàm in iudicijs; in ſcholis DD. legendo, in iudicijs verò iudices ordinando & iudicando, & aduocati allegando. Alio modo ſumitur Conſtitutio large, de quo ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Conſtitutio large ſiue vt communiter ſumpta, ſumitur pro omnibus partibus iuris ſcripti.

COnſtitutio largo modo ſiue vt cõmuniter ſumpta, ſumitur pro omnibus partibus iuris ſcripti, ſiue ſit lex ſiue plebiſcitũ, ſiue Senatuſcõſultũ, Principis placitum aut dicta Prætorum; reſponſa prudentum, ſiue etiam ſit ius commune, ſiue verò particulare, vt ſunt ſtatuta Epiſcoporum, Vniuerſitatis, Collegij, ſiue alterius cuiuſcunque corporis approbati. Hæc Concluſio habetur etiam ex Gloſſa vbi ſupra, *in titulo de Conſtitutionibus.*

Tertia Concluſio.

Vnde deriuetur Conſtitutionis nomen

COnſtitutio prædicto largo modo & generaliter ſumpta, dicitur & deriuatur, à *cum*, quod eſt ſimul, & verbo *ſtatuo*, & eſt quaſi ſimul multorum aliqua ſtatuitio. Hæc Concluſio habetur à Gloſſa vbi ſupra, & etiam eſt Sylueſt. verbo, *conſtitutio*, vbi dicit eam eſſe Panormit *in rubrica*, tit. de *Conſtitut.* quam pro eo, inquit, Conſtitutionem dici & appellari, quia olim Conſtitutiones fiebant à Principibus cum ſuis familiaribus, ſiue verò à plebibus & ciuitatibus, in quibus multi erant ſimul iuncti, & ad aliquid deliberandum ſiue ſtatuendum in vnum congregati. Et addit ſupradicta Gloſſa quod non poteſt dici. Conſtitutio, illa quæ non fuerit multorum, nam lex debet eſſe communis & generalis omnibus, & communi omnium conſenſu fabricata, & quæ in particulari facta eſt, ſiue in fauorem huius vel illius, non poteſt proprie lex ſiue Conſtitutio nũcupari, aut tale promeretur nomẽ. Ad quod probandum inducit illud, quod adducitur à Gratiano in Decreto, diſt. 4. in capit. *erit autem lex*, & cap. *cum omnes, de conſtitutionibus*, vbi habetur quod ſtatutum factum ab aliquibus Canonicis cuiuſdam Eccleſiæ, etiam de conſenſu Epiſcopi non valuit, nec ſtatuti aut Conſtitutionis promeruit nomen, pro eo quod non commune fuit omnibus Canonicis. De hoc latius dicemus infra, cum agemus in particulari, de ſtatutis & Cõſtitutionibus.

Quarta Concluſio.

Conſtitutionũ ſunt multiplices differentiæ.

COnſtitutiones in genere ſiue in cõmuni ſumptæ & conſideratæ, ſunt in multiplici differentia, quædam enim ſunt generales, quædam verò particulares; quædam iuris Canonici, quædam iuris Ciuilis. Inter Conſtitutiones autem iuris Canonici, quædã dicuntur Decreta, aliæ verò Decretales, aliæ Clemẽtinæ (ſic dictæ à ſuo auctore Clemente V.) Aliæ Extrauagantes, pro eo quod extra iuris communis corpus vagantur, aliæ habentur in Summorum Pontificum Motibus proprijs. De quibus omnibus infra in particulari, ſpeciales ſunt inſtituendi Articuli atque Quæſtiones, nunc autẽ hæc dixiſſe ſufficiat, de Iuſtitia, Iure, Legibus, Statutis, & Conſtitutionibus in communi, & in generali, vt horum omnium aliqualis habeatur notitia procedamus ad alia.

QVAES-

QVAESTIO XXV.

De Legibus in particulari, & his quæ ad totam legum materiam & tractationem ſpectant, in vigin ti ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Lex ſit actus intellectus, an verò voluntatis?

IAm ſupra in articulo 3. præcedentis quæſtionis, agentes de legibus in communi, aliqualem huius rei fecimus mentionem, & ipſarum adduximus diffinitionem, quæ cõmuniter traditur à Doctoribus, ſed vt quod ibidem dictum eſt plenius eluceſcat, legiſque rationem amplius percipere poſſimus, operæ pretium viſum fuit, in initio huius tractationis hanc quæſtionem atque difficultatem iterũ in medium producere, & fuſius atque expreſſius elucidare. Et dico primo, quod circa materiã præſentis Articuli, magna eſt lis & controuerſia inter Doctores Scholaſticos, aſſerentibus quibuſdam quod lex eſt actus intellectus, alijs verò quod eſt actus voluntatis. Et vtrorumque rationes & argumenta vtcumque appareant, prout anguſtia temporis expoſcit, dico quod qui legem actum eſſe intellectus dicunt non verò voluntatis, huic innitũtur fundamento, nam lex (inquiunt) vt tenet cõmunis ſententia, & habetur in l. *namque. ff. de legib.* eſt æquitatis, iniquitatiſque regula, & rei cuius libet agendi menſura, ſed regula & menſura noſtrarum actionum eſt ratio, quæ actiones noſtras dimetitur, regulat atque in debitum ſuum finem dirigit: ergo lex ad intellectum & rationem, non verò ad voluntatem pertinet. Ipſa enim potentia quædam cæca eſt, & niſi ab intellectu ducatur atque dirigatur, quid ſit faciendum vel non faciendum, odiendum ſiue amplexandum. Omninò neſcit quod & confirmari poteſt ex illo, quod habetur, in l. *legis virtus. ff. de legibus & Senatuſc.* vbi dicitur quod legis munus eſt prohibere & præcipere, quæ ſunt propria munia atque officia rationis non verò voluntatis: ergo lex ad rationem pertinet & actus eſt intellectus, non verò voluntatis. Plura alia ad propoſitum poſſem adducere, ſed hæc breuiter dixiſſe ſufficiat.

Prima opinio

Secunda opinio.

Qui verò è contrario tenent legem actum voluntatis eſſe, non verò intellectus, ſequentibus innituntur fundamentis: nam vbicumque à Iureconſultis ſeu à ſanctis Patribus, adducitur exacta legum diffinitio, earum ſubſtantiam ſiue eſſentiam æquitatem vel iniquitatem, Legislatorum, voluntati tribuunt, non verò eorundem intellectui, quo ipſus tamquam iuſtas & rationi conſonas finxerunt & fabricarunt, quod conſtare facile poteſt ex diuerſis Iuriſconſultorum diffinitionibus, quæ diuerſis in locis traduntur de ſupradictis legibus. Habetur enim in leg. 1. *ff. de Conſtitutionibus Princip. & refertur inſtit. de iure natur. & gentium*, quod illud quod Principi placuit, legis vigorem habet, & alibi, quod lex eſt recta voluntas eius, qui vicem gerit populi, à qua etiam doctrina non diſcedit Diuus Auguſtinus, quin verò quarto lib. de Ciuitate Dei, expreſſe dicit, arbitria Principum antiquitus pro legibus fuiſſe, ſequitur ergo quod lex propriè ſumpta, potius eſt actus voluntatis Principis præcipientis, quàm rationis ſeu intellectus ipſius, ipſam iuſtam atque rationi conſonam exiſtimantis, ſiue diiudicantis. Quod & confirmari poteſt ex eo quod legum munus & officium, eſt mouere ſubditos, ad id quod Principi, ſeu Principibus eſt placitum, Reges enim per leges mouent ſubditos ſuos ad operandum, ſed mouere voluntatis eſt ſeu, ad voluntatem pertinet, non enim mouetur homo niſi à re appetibili & ſub aliqua ratione boni, & bonum eſt obiectum voluntatis, vt tenet communis Philoſophia & multis in locis tradit Ariſtot. ergo & lex potius ad voluntatem pertinet, quam ad intellectum. Hæc ſunt breuiter, quæ traduntur pro vtraque parte circa hanc difficultatem à Doctoribus Scholaſticis, qui meo quidem videri, in re non multi ponderis, ac momenti, plus ſatis excruciantur atque digladiantur. Vt tamen opiniones prædictas ad vnitatem & concordiam reducamus, & expendamus breuiter & reſolutiuè, quid hac in re tenendum ſit, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Lex neque ſolum eſt actus intellectus, neque verò ſolius voluntatis, ſed vtriuſque potentiæ.

SI legis ratio plene atque perfectè conſideretur, neque ſolius eſt actus intellectus, nec verò ſolius voluntatis, ſed vtriuſque potentiæ, initiatur enim lex in ratione & intellectu, ſed perficitur, terminatur atque completur in voluntate: quod ſub alijs verbis eſt dicere, quod lex eſt actus intellectus, non quidem ſpeculatiui ſed practici. Hæc Concluſio meo quidem videri, negari nullatenus poteſt in vtraque opinione, quin verò eſt expreſſa mens & ſententia Ariſtot. ſexto Ethicorum, capit. 10. vbi agens de intellectu practico, conſtituit tres illius actus ſiue virtutes, quarum primam vocat, *Euboulian*, quæ eſt virtus bene conſultandi, hoc eſt indagãdi media accommodata ad finem, nam de fine (inquit) nulla eſt conſultatio, eo quod omnes homines ſuapte natura felicitatẽ appetunt. Secundam vocat *Synexim*, quam Latini vocant ſagacitatem, quæ eſt virtus rectè diiudicãdi, ſunt enim multi ingenio acuti ad diſquirendum media, non tamen iuxta iudicio valent, vt ipſis adinuentis de optimo rectè ſentiant. Sed præ-

Quinam ſint actus intellectus practici.

ter prædictos intellectus siue prudentiæ actus, vlterius requiritur alius & vltimus qui est imperium, qui quidem actus electionem voluntatis præsupponit, per quam quæ meliora visa sunt media ad consequendum aliquem finem, exequutioni traduntur, in quo ratio practica differt à speculatiua. Hæc enim quia non ordinatur ad opus, præcise habet duos priores actus, qui sunt discurrere, & diiudicare; sed practica præter illos, habet alium scilicet imperium, ad quod præcedentes duo actus tamquam ad finem ordinantur, quē actum idem Aristot. inter omnes (inquit) esse summum & perfectissimum, & à quo potissimum prudentia virtus denominatur. Cum igitur huiusmodi actus præsupponat actum voluntatis (vt dictum est) nam quod intellectus discurrendo fieri oportere dijudicat, & voluntas vt fiat approbat, hoc lex per imperium præcipit; euidentissimè & manifestissimè sequitur, quod legis ratio plene atque perfectè considerata, neque est actus solius intellectus, nec verò solius voluntatis, sed vtriusque potentiæ, & licet lex initietur in ratione & intellectu, perficitur tamen, terminatur atq; completur in voluntate, haud enim solùm lex dictat quod bonum est, sed simul præcipit illud vt exequutioni manderur. Per quæ ad pacem atque concordiam reduci possunt, quæ multis verbis dicũt Doctores Scholastici, affirmantibus quibusdam quod lex est actus rationis & intellectus, dicentibus verò alijs, quod est actus voluntatis. Vt tamen legis diffinitiones, in promptu ac præmanibus habeantur, libet ipsas in præsentiarum adducere secundùm vtramque opinionem, quæ si rectè expendantur, idem etiam omninò insinuabunt quod fiet in sequenti Conclusione.

Nota valde.

Secunda Conclusio.

Nota legis multiplices diffinitiones, secundum vtramque opinionem.

QVi tenent legem actum esse rationis & intellectus, hanc eiusdem constituunt diffinitionem. Lex est quædam rationis ordinatio ad bonum commune promulgata, ab eo qui curam gerit Reipublicæ. Hæc legis diffinitio est expressa D. Thom. prima secundæ quæst. 90. artic. quarto, in corpore quæstionis in fine. Cui diffinitioni, vt iuxta prædicta nihil omninò deficiat, verbo illi rationis ordinatio, addendum est simul & præceptio, nam lex (vt diximus) non solùm simpliciter ordinat & dirigit, veluti qui digito demonstrat viam, sed ordinando præcipit & præcipiendo ordinat, quod vt de se patet, præsupponit electionē & actum voluntatis.

Qui verò in illa sunt sententia & opinione, vt dicant legem esse actum voluntatis, sic etiam ipsam diffiniunt: Lex est recta voluntas, eius qui vicem populi gerit, voce aut scripto promulgata, cum intentione obligandi subditos ad parendum illi. Hæc legis definitio quæ est secundum Scoti nostri viam, adducitur à Doctissimo Patre fratre Alfonso de Castro, lib. illo suo de lege pœnali, capit. 1. & 2. in qua quamuis legis actus voluntati tribuatur, non tamen propterea excluditur intellectus, cum iuxta mentem & sententiam Philosophi, nihil sit volitum, quin præcognitum, & certum est quod voluntatis actus, quo aliquid fieri præcipitur, præsupponit (vt supra diximus) illos duos intellectus actus, disquirendi & dijudicandi media accommodata ad finem, sine quo haud quaquam esse posset recta voluntas Legislatoris, & eius qui curam Reipublicæ gerit condentis legem. Relinquitur ergo quod lex in sua perfecta & completa ratione, vtrumque includit actum, scilicet intellectus & voluntatis, nam non est tantummodo apprehensio eorum, quæ facienda sunt fierique oportet, verum etiam & præceptio, quæ iudicium sequitur & fit per voluntatis imperium. Nec propositiones legis aut legum, fiunt per modum præsentis indicatiui, indicando quod bonum est, sed per modum imperatiui, præcipiendo vt id fiat, & vt quod malum & prauum est, nullatenus fiat. Qui hac de re plura videre desiderat, consulat supradictum P. Castrum vbi supra, & Magistrũ Sotum, lib. 1. de iustitia & iure, quæst. prima artic. 1. & Medinam super primã secundæ Diui Thomæ, quæst. 90. artic. 1.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnis Lex ad hoc vt sit licita & iusta, debeat semper ordinari in bonum commune?

VT ab hac difficultate breuiter me expendiam, missis multis varijs, ac fere inutilibus, quæ hac de re traduntur à DD. Scholasticis, pro resolutione propositæ difficultatis, sequentes statuo Conclusiones.

Prima Conclusio.

De rationele gis est, vt respiciat bonum commune.

ADeo de ratione legis est vt respiciat commune bonum, vt quæ in priuatum commodum tantummodo fuerit ordinata, legis nullo modo promereatur nomen. Hæc Conclusio probatur in primis ex mente & sententia Diui Isidori, lib. 5. Etymologiarum capit. 21. & refertur à Gratiano, in Decreto dist. 4. in cap. *erit autem lex*, vbi legis conditiones & qualitates, necessariò ad eamdem requisitas describens in sequentia verba prorũpit. *Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* In cuius vltimis verbis aperte satis nostræ Conclusionis veritas diffinitur, & determinatur nempe quod lex ad hoc vt sit licita, iusta, solida & firma, &c. non in aliquod priuatum sed in commune bonum debet ordinari, ipsumque habere pro fine. Quod etiam & Arist. cognouit, postquam 5. Ethicor. agēs de legibus ciuilibus dixit: *Quod iusta legalia* (hoc est ciuiles leges) *factiua atque conseruatiua esse debent, felicitatis Reipublicæ.* Et quarto Politicorum, cap. primo, dixit *quod leges omnes ad communem salutem Reipublicæ sunt accommodandæ.* Et 10. Ethicorum, agens de bello, inquit, *bellum gerimus, vt in pace degamus.* Quin verò Plato id ipsum cognouit ac dixit Dialogo primo, de legibus nempe. *Legum latores*

Nota legis differentiam, latam ab Isidoro.

res pacis publicæ gratia, debere omnes leges condere. Cicero etiam lib. 1. & 2. de legibus dicit, *non niſi ad ſalutem ciuium, ciuitatumque incolumitatem, vitam quietam atque beatam ducendam, conditas eſſe leges.* Ad hoc etiã facit, quod dixit olim Iuriſconſultus, in l. *iura. ff. de legibus, nempe legis commune eſſe præceptum, & iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter eſſe conſtituta.* Sed vt hæc res certa magis, magiſque aperta & manifeſta fiat, & non auctoritatibus ſolum verum etiã & rationibus comprobetur, libet eam fulcire & corroborare, illis efficaciſſimis quibus ad idem comprobandum, vtitur D. Thom. 1. 2. quæſt. 90. ar. 2. vbi propoſita quæſtione, atque difficultate, vtrùm lex ſemper ad commune bonum ordinetur, Concluſione adhibita affirmatiua, pro ipſius probatione, inquit, quod leges (vt pluries dictum eſt) nihil ſunt aliud quam quædam primæ regulæ humanarum actionum: ſed regularum munus & officium eſt, regulata in ſuum finem ac propriũ ſcopum dirigere: ergo & legum bonum commune reſpicere. Vt autem plenius intelligatur hæc ratio oportet aduertere, quod bonum hominum commune dupliciter ſumitur, vno modo pro naturali felicitate, quam ſuapte natura omnes homines in vniuerſum procurant, & quæ in hoc ſæculo poteſt adipiſci, quæ eſt quietus, tranquillus & pacificus Reipublicæ ſtatus. Secundò verò ſumitur commune bonum, pro vltimo fine ſupernaturali, hoc eſt pro vltima vitæ humanæ felicitate & beatitudine, quæ quidem non in hoc ſæculo ſperatur, ſed in altero conſequenda eſt. Lex ergo vt licita, iuſta, bona, ſolida ac firma ſit, in alterutrum horum communium bonorum debet ordinari atque dirigi, vt legis promereatur nomen, nam vel debet homines promouere & ordinare in bonum ſupernaturale & vltimum omnium noſtrum finem, quem conſtat eſſe vitam beatam, & ſupremam felicitatem atque beatitudinem (ſi ſpiritùalis eſt) aut ſaltim debet promouere & ordinare eoſdem, in commune bonum naturale, quod vt diximus conſiſtit in humana naturali felicitate, ſcilicet, in vita quieta & ſtatu tranquillo, quieto & pacifico totius Reipublicæ: quin verò & hoc vltimum, ad illud primum debent ordinari. Quod & Platonem minime latuit, ſiquidem dialogo 1. de legibus dixit, *oportere vt legum lator, hunc ordinem ſequatur, quod humana ad diuina vbique referantur.* Ex dictis omnibus manifeſte conſtat, legum omnium vltimatum finem, debere eſſe bonum commune, ſupernaturale aut naturale, ſiue potius vtrumque: nam cum leges (vt dictum eſt) ſint primæ quædam regulæ humanarum actionum regularum munus ſit regulata in ſuum proprium finem dirigere, quæ hoc non præſtiterint leges, ſed reſpexerint aliquod priuatum & particulare commodum, haud qnaquam legum promerebuntur nomen, ſed tyrannidis & totius inordinationis. Qui hac de re plura vt de re volue rit, conſulat Magiſtrũ Sotũ lib. 1. de iuſtitia, & iur. quæſt. 1. art. 2. & Medinam in 1. 2. D. Thom. quæſt. 90. art. etiam 2. Nec dictis obſtat, quod interdum in iure aliquæ reperiantur leges, in quibus vt videtur non commune bonum, ſed vtilitas quædam priuata habetur pro fine, quales ſunt leges, *quæ toto titulo ff. & C. ponuntur de minoribus, & de mulieribus, &c.* Nam dico, quod quamuis huiuſmodi leges, quadam ratione ordinari videantur in prædictorũ priuatum bonum, ſecundùm finem minus principalem & priorem ſecundum ordinem exequutionis, attamen reuera & ſecundum finem principaliorem & priorem intentionis ordine, non ordinantur in bonum priuatum & particulare, ſed in bonũ cõmune & publicũ, vt præclare notat & tradit Bart. in l. *ambitioſa*, num. 19. ff. *de decretis ab ordin. faciend.* Qua de re videatur Nauarr. in Cõmentar. in cap. *cum Miniſter*, 23. q. 5. n. 28. cum ſequentibus, vbi ſupradicta diſtinctione præmiſſa, de fine principali & minus principali, mediato vel immediato, priori ordine exequutionis aut ſecundùm ordinem intentionis, plures componit iuris antinomias & controuerſias, quæ hac de re traduntur à D D. quas facile cum poſſem referre, breuitatis gratia in præſentiarum facio miſſas. hęc de iſto articulo breuiter dixiſſe ſufficiat.

Nota quod bonum hominũ commune, dupliciter ſumitur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm leges condere, pertineat ad quãlibet perſonam particularem, an verò ſolummodo ad Rempublicam, ſeu illum qui curam gerit Reipublicæ?

Circa hunc Articulum, vt ex oppoſitione contrariorum veritas plenius eluceſcat, liber breuiter aliquot proponere argumenta, ad probandum quod leges condere, pertinere poſſit etiam ad particulares perſonas, & non ſolũm ad Rempublicam, ſeu illum qui curam gerit Reipublicæ. Et primo argumento ex Ariſtot. 10. Ethicor. circa fin. vbi comparat Patrem familias in ſuo domo. Principi in ſua ciuitate ſiue Republica, in hoc quod ſicut hic ciuitatem aut Rempublicam, ita & ille propriam gubernat domum: ſed Principes in ſuis ciuitatibus & Rebuſpublicis, leges poſſunt condere, ergo ſimiliter & Patres familias pro ſuis proprijs domibus. Secundò ſic argumentor ad idem, nam Chriſtus Dominus fuit vniuerſalis nouæ legis conditor, & Summus etiam Pont. eiuſdem Vicarius, omni proculdubio leges poteſt condere, & neuter vt videtur vicem gerit Reipublicæ, neque in id auctoritatem & poteſtatem habet à Republica, ergo non ſolius eſt Reipublicæ ſeu eius vicem & poteſtatem gerentis leges condere. Tertiò & vltimò ad idem ſic argumentari poteſt, nam de mente & ſententia Philoſophi, lib. 2. Ethicor. cap. 1. mens & intentio Legislatoris, eſt per leges homines ad virtutem inducere, ſed quilibet homo in propria domo quin verò extra, hoc ipſum poteſt præſtare: ergo & leges condere, non ſolùm pertinet ad Rempublicam, ſeu illum qui vicem gerit Reipublicæ, verum etiam & pertinet poteſt ad alios. In contrarium tamen eſt veritas, de qua ſit Concluſio.

Concluſio.

Leges condere, eſt ſolius Reipub. vel eius qui curã ipſius gerit.

NOn cuiuſlibet ratio eſt legis effectiua, ſed ſolius Reipub. vel eius qui curam & perſonam gerit Reipublicæ. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. 1.2. quæſt. 90. art. 3. quam & probat auctoritate Diui Iſidori, lib. 1. Etymolog. cap. 10. & refertur à Gratiano in Decreto, in cap. *lex eſt*, diſt. 2. vbi dicit, *quod lex eſt conſtitutio populi, qua maiores natu ſimul cum plebibus, aliquid ſanxerunt.* Probatur inſuper eadem Concluſio, auctoritate Platonis in Dialogo de Regno, vbi agens de Rege, inquit, *Regis munus eſſe leges condere.* Idem dicit Ariſtot. 10. Ethicorum, & habetur *in l. ſi Imperialis. C. de legib. & Conſtit.* vbi dicitur, *ſoli Imperatori conceſſum eſſe leges tum condere, tum verò etiam interpretari.* Probatur præterea ſupra dicta Concluſio ratione, nam lex vt ſupradictum eſt, eſt quædam regula, quæ reſpicit commune bonum, & ad ipſum táquam ad finem ordinatur, ſed dirigere & ordinare aliquid in bonum commune, non eſt cuiuſlibet perſonæ particularis, ſed Reipublicæ vel totius multitudinis, aut illius ad quem ſpectat multitudinem regere & gubernare, cuius quidem Reipublicæ eiuſmodi commune bonum eſt finis proximus, ergo ad illam, ſeu iuſtum tantummodo, ſpectat leges condere. Quod & confirmatur hac peculiari ratione, nam de ratione etiam legis eſt habere vim coercitiuam (vt 10. Ethicorũ tradit Ariſtot.) quod dixit etiam Papinianus, in l. C. *de legibus*, vbi *legem apellat coerctionem*: ſed hæc vis coercitiua & vigor, non exiſtit niſi in ſola Republica vel Principe qui curam illius gerit: ergo ad iſtos tantummodo ſpectat leges poſſe cõdere. Multæ aliæ rationes ad hoc ipſum poſſent adduci, ſed dictæ ſufficiant pro temporis angultia.

Ad argumenta igitur in cõtrarium adducta breuiter reſpondetur. Ad primum quod quamuis pater familias in ſua domo, aliqua poſſit conſtituere præcepta, & obligare ſuos filios ſub aliquibus pœnis ad eorum adimpletionem, quas & exigere paterna ſua auctoritate poterit vſque ad verbera, teneanturque illi eiuſmodi præcepta ſeruare, cum præceptum ſit de obediendis parentibus, vt conſtat ex Scriptura ſacra, Deuteron. 6. & ex Diuo Paulo ad Epheſios ſexto, ad Coloſſenſes 3. attamen huiuſmodi præcepta, propriè loquendo non habent rationem legis, tùm quia non diriguntur neque ordinantur in commune bonum (quod eſt de ratione legum) ſed in bonum priuatum & particulare propriæ familiæ, tùm verò & potiſſime, quia ſicuti domus non eſt perfecta Reſpublica, ita nec ipſius gubernator, nempe Pater familias, plenam vim & poteſtatem habet coactiuam ſeu coercitiuam. Licet enim poſſit leues aliquas pœnas infligere, non tamen grauiter aut ſeuere punire propriam familiam, neque quempiam in carcerem conijcere, aut in exilium mittere, quantum ergo domeſtica gubernatio domus diſtat à ratione perfectæ Reipublicæ, tantum Patris familias præcepta diſtant à propria & perfecta ratione legis.

Nota quantũ diſtet Paterfamilias á Principe, ſeu gubernator Reipublicæ.

Ad ſecundũ reſpondeo, quod iure optimo Chriſtus Dominus potuit legem condere, cum in id à Deo Patre fuerit conſtitutus, ac miſſus in hunc mundum, qua ratione in ſacra Scriptura præceptor & legiſlator paſſim nuncupatur, & præterea quia ſecundùm diuinam naturam, erat humanæ naturæ auctor, conditor Redemptor & dominus, cuius proinde curæ erat gubernatio publica, neque ad id opus ipſi erat, vt à Republica poteſtatem acciperet, cum à Deo Patre data illi fuiſſet omnis poteſtas in cœlo & in terra, prout Matthæi 28. habetur. Similiter & Summus Pontifex ad condendas leges nulla indiget poteſtate Reipublicæ, cum id ipſum poſſit auctoritate ſupradicti Chriſti Domini, immediatè Diuo Petro, tanquam totius Eccleſiæ capiti, & ipſius Vicario, ac deinde ſuis omnibus ſucceſſoribus conceſſa, & quamuis non habeat poteſtatem à Republica, habet tamen poteſtatem ſupra illam auctoritate Chriſti, tamquam ipſius Vicarius, cuius vice fungitur, quod ſufficit ſuperque ſatis eſt ad hoc, vt quas voluerit conuenienſque ſibi viſum fuerit, pro Chriſtianæ Reipublicæ gubernatione, leges poſſit condere.

Ad tertium reſpondeo, quod quamuis quilibet priuatus homo, ciuium quemlibet ad officia virtutis monitis, atque conſilijs poſſit inducere incitando & perſuadendo, non tamen cogendo & obligando ad ſuorum conſiliorum adimpletionem, quo fit vt ipſius monita atque conſilia, nullatenus habeant ſeu habere poſſint rationem legis, cum illis deficiat vis & virtus coercitiua, quæ neceſſaria eſt vt diximus in Concluſione. Et propter eandem rationem dico, quod non omnia iuriſconſultorum dicta & placita, vim, robur & rationem habent legis, nam licet iuriſconſulti, è viſceribus naturalis Philoſophiæ, ratione & iudicio ducti, elicuerint quæ recta & iuſta ſunt, cum tamen ipſi firmitatem & coercendi vigorem, ſuis reſponſis dare non potuerint, neque enim hoc poſſunt, niſi illi qui auctoritate, poteſtate ac iuriſdictione pollent, inde eſt, quod per ſe legis rationem, nullatenus habere poterant, niſi Principes & Imperatores id ipſum feciſſent poſtea, vt ſatis conſtat ex illo, quod dixit Diuus Iſidorus, li. quinto Etymologia. cap. 14. & refertur à Gratiano in cap. *reſponſa*, diſt. 2. Concludendo igitur dico, quod cum ad rationem legis duo ſpectent, Primo ordinare & dictare legum ſubſtantiam in commune bonum, ſecundo illis vim, roburque tribuere, & facultatem obligandi, primum iuriſconſulti ſiue prudentes fecerunt, alterum verò nõ, niſi Principes, & Imperatores, & illi ad quos ſpectabat gubernatio Reipublicæ, id ipſum poſtea ſtatuiſſent.

ARTICVLVS IIII.

Vtrũ promulgatio ſit de ratione Legis?

DIfficultas præſentis Artic. grãdis eſt, multaſque in ſe habet incidẽtes quæſtiones atque difficultates, quæ proinde altiori & longiori aliquantum indigent diſcuſſione & indagine. Et vt in his clarius atque diſtinctius procedamus, pleniuſque ex contrariorum oppoſitione veritas eluceſcat, libet breuiter & reſolutiue aliquot proponere argumenta, quibus ſatis apparenter probari videatur, non eſſe de legum ratione promulgationem.

Primo

Primo ſic argumentor, nam lex naturalis eſt vere & proprie lex, quinvero & quæ maxime legis rationem habet, quia cunctos in vniuerſum obligat, & ab ipſa omnes leges iuſte emanant atque deriuantur: ſed huiuſmodi lex naturalis nulla indiguit promulgatione, neque in ſtatu innocentiæ, neque poſt lapſum & naturam corruptam, ante Moyſen legitur promulgata: ergo promulgatio non eſt de ratione legis.

Secundo probatur idipſum de lege diuina veteri, quæ vt inquit D. Thom. 1.2. q. 103. art. 4. ceſſauit in illo Chriſti mortis articulo, quo Redemptor noſter dixit, *Conſummatum eſt*, in quo ſubinde credendum eſt cœpiſſe nouæ legis obligationem, nam ceſſatio vnius legis, omnino fuit alterius inchoatio, aliàs mundus abſque lege diuina obligante, extitiſſet per aliquam temporis moram: ſed promulgatio nouæ legis tunc non fuit facta, ſed poſtea poſt feſtum Pentecoſtes: ergo legis obligatio non pendet ex ipſius promulgatione.

Tertio ad idem ſic argumentor, nam lex ciuilis & potiori iure canonica obligat loco abſentes, coram quibus non promulgatur, & ſimiliter tempore futuros, apud quos non eſt amplius neceſſaria alia promulgatio: ergo promulgatio non eſt de ratione legis. Plura in idipſum argumenta poſſem adducere, ſed hæc dicta ſufficiant, nam omnia quę communiter adducuntur, in idem redeunt & eandem difficultatem expoſcunt, Sed ijs nihilominus non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, quæ explicabitur per ſequentem concluſionem.

Prima Concluſio.

Nulla lex vim & robur habet obligãdi ante ipſius promulgationẽ, quin vere legesnõ dicuntur inſtituí, cum actu promulgãtur.

NVlla lex ante ipſius promulgationem, vim & robur habet obligandi, imo vero lex tunc intelligitur inſtitui, cum actu promulgatur. Hæc cõcluſio eſt expreſſa D. Thom. 1.2. q. 90. art. 4. vbi & probat eam. *ex capi. in iſtis*, quod habetur *in decr. 4. diſt.* vbi expreſſe dicitur, *quod leges tunc inſtituuntur, cum actu promulgantur.* Et eſt deſumptum ex D. Auguſtino lib. de vera Relig. capit. 31. Sed probatur præterea ex *l. leges. C. de legib.* vbi ad idem propoſitum habetur, *quod leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent. Et in authentica, vt factæ nouæ Conſtitutiones*, dicitur, *quod tunc leges valere incipiunt, cum in communi factæ ſunt manifeſtæ.* Quæ omnia (vt de ſe patet) factam præſupponũt earum promulgationem: idem habetur in iure Canonico, in *cap. ad hæc. de poſtulat. Prælato. & in cap. cognoſcentes, de Conſtitut.* Sed probatur præterea concluſio, ratione D. Thom. nam lex vt ſupra pluries dictum eſt, nihil eſt aliud, quam regula & menſura humanarum actionum, ſed regula & menſura, niſi applicetur ad menſurandum (quod ſit per ſufficiẽtem legis promulgationem, & ipſius communem notitiam) vana eſt & inutilis: ergo promulgatio eſt de ratione legis, & ad hoc vt lex ipſa poſſit obligare, neceſſarium eſt vt promulgetur. Sed eſt difficultas, quid intelligendum ſit promulgationis nomine, & an lex pro non promulgata ſit habenda, quouſque in omnium peruenerit notitiam, fueritque per totum orbem diſperſa? Et videtur quod ſic ex ratione ſupradicta, nam ſi lex eſt regula quæ per ſui notitiam applicatur, conſequens fieri videtur, quod non liget ſeu obliget, quouſque fuerit omnibus nota, atque adeo in tali caſu ſit habenda pro non promulgata. Sed nihilominus in contrarium ſtatuitur concluſio, quæ ſit ſecunda in ordine.

Difficultas, quãdo lex dicatur promulgari, & quæ ſint de ratione dictæ promulgationis.

Secunda Concluſio.

Ad hoc vt lex cenſeatur promulgata, nõne ceſſum eſt vt ad ſingulorũ notitiã perueniat, ſed ſat eſt quod promulgetur in Curia & vbi de more leges promulgari ſolent.

AD hoc vt lex cenſeatur promulgata, non eſt neceſſum vt ad ſingulorum peruenerit notitiam, ſed ſat eſt quod ſolemniter promulgetur in Principis Curia, & in alijs locis vbi de more & cõſuetudine leges conſueuere promulgari. Hæc cõcluſio habetur expreſſa in ſupradicto *authent. vt factæ nouæ Conſtitut. collat. 5. & in cap. 1. de poſtul. Prælat.* vbi ſubſequentia ponuntur verba: *Quando lex publice editur, non neceſſarium eſt, quod per ſpeciale mandatum ſingulorum auribus inculcetur.* Et ratio huius concluſionis in promptu eſt, nam tunc lex ſufficienter cẽſetur promulgata, quando ſub præcepti forma, publice atque ſolemniter conſtituitur, ſed hoc fit cũ primum præconio ſeu alia legitima via manifeſtatur in Curia, & in alijs locis ſolitis & conſuetis: ergo ad ipſius manifeſtationem & ſufficientem promulgationem non neceſſarium eſt, quod ad ſingulorum peruenerit notitiam, aliàs enim nulla fere lex vniuerſos obligaret, ſiquidem moraliter loquendo effici non poſſet quod in tot Regnis, Prouincijs ac millibus hominum, deeſſet qui ipſam ignoraret, quantumuis in Curijs promulgaretur. Ad uerto tamen quod facta ſupradicta promulgatione in Curia, leges non ſtatim obligant, niſi poſt à Legiſlatore præfixum & ſtatutum terminum, nam *in ſupradicto, authent. vt factæ nouæ Conſtitut.* habetur expreſſe, *quod Conſtitutiones nouæ factæ non valeant nec obligent, niſi poſt duos menſes clapſos á die quo fuerint pronuntiatæ.* Quod & fuiſſe conſtitutum, quammaxime extitit rationi conſonum, nam cum leges ſint quædam vniuerſales Regulæ ad omnes pertinentes, neceſſum fuit vt commodum atque congruum prę figeretur tempus, quo ad omnium poſſent peruenire notitiam. Sed de legibus Pontificijs, & à Romano Pontifice editis, eſt ſpecialis difficultas, an hoc idem ſit dicendum, & an ſatis ſit ad earum ſufficientem & debitam promulgationem atque obligationem, vt in Romana Curia publicentur? Sed de hac ſtatim infra dicemus. Redeuntes modo ad leges in communi, eſt etiam difficultas, nec parua quidem, an ſufficienti facta promulgatione in Curia, tranſactoque ſupradicto duorum menſium prę fixo termino, leges ſtatim obligent omnes in vniuerſum homines, etiam habitantes in remotiſſimis regionibus & Regnis, ad quos earum non dum fama peruenit? Videtur enim iuri ac rationi contrarium, illos ad legum obſeruantiam obligare, ad quos ipſarum nulla omnino notitia peruenit. Circa hanc difficultatem eſt magna lis & controuerſia inter DD. Scholaſticos, Iuriſperitos atq; Theologos, nam Panorm. & Ioann. And. ſuper *d. cap. cognoſcentes, de Conſtitut.* & ſuper illo poſtremo verbo libri ſexti Decretalium, data Romæ, &c. & Bald. ſupra ſuperius citatam, *l. ſacratiſſime, C. de legibus*, licet fateantur vt tenentur, legem tunc promulgabitur quando ſolemniter editur in Curia, neminẽ tamen putãt ipſa teneri & obligari, quouſque illã

Difficultas.

Diuerſæ hæ de re opinion.

Prima opinio Canoniſtarũ.

audierit & ad ſuam peruenerit notitiam, niſi forſan ex ignorantia craſſa, ſiue culpabili eamdem ignoret, ita quod ignorantia ipſa eundem accuſet, quod pro eo dicunt Iuriſperiti, quia idem omnino eſſe reputant quempiam ignorantia excuſari & legi non obligari. Quorum ſententiæ & opinioni, fauere etiam videtur Caietanus 1.2.q.90.art.4. explicando D.Thom.in ſolutione ad ſecundum argumentum, vbi inquit, quod tantum lex obligat, quãdo peruenit ad notitiam eorum ad quos pertinet, vel per ipſos ſteterit quominus perueniat. Sed nihilominus in contrarium eſt veritas, de qua ſequens ſtatuitur concluſio, quæ erit tertia in ordine.

Secũda opinio Theologorum.

Tertia Concluſio.

Facta legis ſolemni promulgatione, & tranſacto termino ibidẽ cõſtituto, ſtatim obligat, quamuis eã ignorãtes excuſentur

CVm primum lex fuerit ſolemniter promulgata in Curia ſeu Metropoli alicuius Regni, fuerintque tranſacti ſupradicti duo menſes aut termi nus ibidem præfixus ab ipſius promulgatione, ſtatim obligat vniuerſos, quamuis illam citra culpã ignorantes, á culpa excuſentur. Volo dicere, quod legis obligatio ex tunc à ſufficienti promulgatione incipit, quamuis ignorantia ſubditi aut ſubditorum, ad quorum notitiam non peruenit, à culpa excuſet. Hæc concluſio ſic explicata, eſt communis omnium Theologorum, & probatur quoad vtramque ipſius partem, nam quando lex aliqua promulgatur, omnibus in vniuerſum intimatur ac dicitur, Præcipimus vniuerſis ſub noſtra ditione degentibus, &c. & non dicitur hoc ſcientibus, ſeu ad quos huius noſtræ legis notitia peruenerit: ergo ſtatim omnes à præfata promulgatione obligat, quamuis aliàs (vt dixi) aliqui ex inuincibili ignorantia excuſentur, & probatur idipſum expreſſius, nam ſi poſt factam ſufficientem promulgationem, ſupradictos dictam legem ignorantes, aliqua perſona fidedigna de eadem faceret certiores, iam deinceps non ignorantia excuſarentur, ſed revera obligarentur vt cæteri, quod certum eſt, & certum eſt etiam quod hanc obligationem non de nouo illis impoſuit, qui ab ignorantia eoſdem exemit: ergo ante obligabantur à ſupradictæ legis ſufficiẽti facta & ſolemni promulgatione. Quod & confirmatur vlterius, nam vt dicitur in concluſione, ſupradicti prædicta ignorantia laborantes excuſantur, vt & excuſari fatentur, contrariam tenentes opinionem, ſed nemo dicitur excuſari, niſi ab obligatione quam habet, ergo iam præceſſit obligatio, ex quo facta fuit legis ſolemnis promulgatio. Videtur enim quaſi contradictionis implicatio, id quod Doctores Iuriſperiti aſſerunt, nempe quod excuſentur legem aliquam ignorantes & quod non obligentur: nam ſi non obligantur à quo excuſantur, & ſi excuſantur, quonammodo non obligabantur? dicendum eſt igitur quod obligabantur quidem, ſed excuſantur. Et hoc eſt quod nos Theologi dicimus, quod ſufficienti facta legis promulgatione, ad ſenſum ſupradictum in concluſione, ad ipſius obſeruantiam tenentur cuncti, excuſantur & liberantur tamen à culpa, ignorantia inuincibili laborantes, nam iuxta commune Theologorum axioma, nemo obligatur ad impoſſibile, neq; quis peccat in eo quod vitare non poteſt. Sed in-

Nota valde.

ſurgit modo alia noua difficultas, an ſatis ſit legẽ aliquam ſolemniter promulgari in vno loco alicuius Regni, vt ſtatim illi ſubdantur & obligentur vniuerſi qui illius ſunt iuriſdictionis, vt ſi verbi gratia, Philippus Catholiciſſimus noſter Hiſpaniarum Rex, de nouo aliquam legem, ſiue conſtitutionem efficeret, quæ omnes in vniuerſum ſibi ſubditos obligaret, an ſufficiat Matriti eam eſſe publicatam, vt ad ipſam tenerentur ſtatim Valliſoletani, ſeu etiam Luſitani, an vero requiratur quod eiuſdem Valliſoleti, aut Vliſiponæ, noua fiat publicatio? Quod & maiorem difficultatem habet in legibus Pontificijs factis à Papa & Romano Pontifice, totius orbis vniuerſali Paſtore, ac de vniuerſali Concilio, in quo ſolemniter aliqua facta fuerit lex vt quidpiam fiat aut non fiat, & maxime ſi per ipſam irritetur ſiue annulletur aliquis contractus? & vt ad particularia deſcendamus, ſit exemplum, quod Papa prohiberet nunc matrimonium intra quintum gradum, vel ſi nondum poſitæ eſſent leges irritantes actiones pupillorum, & alienandi ſua bona, & nunc fierent ſiue conſtituerentur de nouo, quæritur, Vtrum facta Romæ dictarum legum ſufficienti promulgatione ſtatim obligent, & ſuprad. contractus ex tunc irriti eſſent, celebrati etiam inter ignorantes? Vt difficultatibus propoſitis congruentiori modo ſatisfiat, eiſdẽ reſpondeo per ordinem. ſit quarta concluſio.

Difficultas.

Quarta Concluſio.

Regales leges neceſſario debent promulgari in propria Curia cuiuslibet regni

LOquendo de legibus Regalibus, non ſatis eſt quod aliqua lex ſolemniter promulgetur in Curia alicuius Regni, ſeu in toto Regno, ad hoc vt obliget vniuerſos Regis ſubditos extraneos à prædicto Regno, quinvero neceſſum eſt, vt in ſingulis Regnis ſeu in Curia cuiuſlibet Regni ſolemniter promulgetur, ac ſi eſſent diuerſorum Regũ. Hanc concluſionem tenet expreſſe Magiſter Soto, lib.1.de iuſt.& iure, q.1.art.4.conclu.3.in quadam incidenti quæſtiuncula, quam & hac ſpeciali ratione probat, nam non propterea quod aliqua regna, in eiuſdem Regis iuriſdictionem inciderint, eſſe cenſentur vna Reſpublica, neq; amittunt ius quod habent, vt leges in vnoquoque eorum publicentur: quinvero, inquit ſupradictus Soto, ſi in eodem Regno diuerſæ ſunt Prouinciæ longo interuallo ſeparatæ, non ſufficienter exiſtimaretur aliqua lex publicata, antequam in ſingulis publico edicto ediceretur. Haud enim inquit æquum eſt, & rationi eſſe videtur vllo modo conſonum, vt leges in abditiſſimis partibus publicatæ, aliorum Regnorum, ſiue Prouinciarum habitatores perſtringant, & illos ad quorum nondum peruenerunt notitiam, obligent. Sed de legibus & Conſtitutionibus Summi Pontificis, maior eſt difficultas, an ſufficiat ſatiſque ſit vt Romæ publicentur, ad hoc vt facta ibidem publicatione ſtatim obligent? Circa quam difficultatem, refertur opinio Panorm. in *cap. nouit, de ſentent. excommunicat.* aſſerentis ſatis eſſe vt Pontificiæ leges Romæ publicentur, vt ſtatim ſeu poſt præfixum ibidem terminum, cunctos obligent, nec vlterius eſſe requiſitam vlteriorem aliam publicationem: quamquidem Panormitani opinionem, nonnulli Canoniſtæ ſequuntur, dicentes Summũ

Difficultas.

Pont.

Pont.plumbeos habere pedes quibus diſcurrere nequit. Quorum ſententiæ & opinioni ſubſcribere videtur Sylueſt. *verbo,lex.q.6.* vbi dicit ſic communiter obſeruari in praxi. Sed ſupradictus Pan. in *cap.cognoſcentes, de Conſtitut.* ſemetipſum exponens,ac magis ſe ſententiam ſuam declarans, inquit quod lex à Summo Pont.facta,ſtatim & ab articulo promulgationis vigorem habet, non quidem quantum ad culpam & ad pœnam, ſed quãtum ad reſciſſionem contractuum. Vt tamen ea breuitate & reſolutione,qua nitor, quid circa propoſitam difficultatem tenendũ ſit,plenius atque expreſſius habeatur,ſequentem ſtatuo concluſionem.

Quinta Concluſio.

Leges Pontificiæ,quantũad pœnã & culpam,non obligant ſtatim poſtipſarũpromulgationẽ factam in Curia ſed poſt duos mẽſes aut aliũ ibidẽ præfixũ terminum.

SI fiat ſermo de legibus Pontificijs quantumad culpam & ad pœnam non ſtatim poſt factam promulgationem in Curia obligant, ſed poſt elapſum ibidem præfixum terminum, ſeu prædictum duorum menſium poſitum in ſupradicto *authent.vt factæ nouæ Conſtitutiones.* Hanc concluſionem & ſententiam tenet ſupradictus Soto loco ſupra citato, multiq; alij DD. quos breuitatis gratia omitto: ſed ſpecialiter tenet eam Nauarr.lib.1.Conſilior. de Conſtitut.conſi.1.num.17.vbi dicit, Conſtitutiones Pontificias,attento iure ſcripto, non ligare etiam ſcientes eas eſſe factas & promulgatas, ante elapſum terminum duorum menſium. Quod dicit ſe tenere contra Panorm.Imolam, Felinum & alios: quod probat ex *gloſſa vltima in data ſexti lib. Decretalium*, & quia in dict. authent.tam in rubro, quam in nigro,habetur expreſſe, legem illam poſt duos menſes & non antea valere, & conſequenter non obligare aut ligare ante eiuſmodi præfixum terminum. Probat præterea Nauar.idipſum, quia(inquit)& ſi bona pars cauſæ ob quam datur dilatio ſupradictorum duorum menſium, ſit vt ne legem ignorantes obligentur, non tamen ſola ea cauſa eſt ob quam datur ſupradicta dilatio, ſed vt ne quoſdam liget antequam alios,& vt omnes incipiat eodem tempore ligare, & vt tollatur confuſio,rixa, & imparitas ſubditorum,dum alij ante alios ligantur & perſtringuntur aliqua lege. Facit etiam(inquit)ad hoc,quia ſicut ſcientia particularis legis,non ligat,donec promulgetur:ita eadem ratione eiuſdem legis promulgatæſcientia,ligare non debet etiam ſcientes eam eſſe promulgatam, antequam labatur tempus in eadem ad ligandum præfixum. Hæc ſupradictus Nauarr.vbi ſupra. Sed dicit ſe hæc dixiſſe attento iure ſcripto ſupradicti authentici, ſecundum quod hæc pars verior ſibi videtur,attento tamen ſtilo & conſuetudine Romanæ Eccleſiæ,contrarium(inquit)omnino in vrbe ſeruatur. Nam tranſgredientes Pontificias leges publicatas, etiam ante duos elapſos menſes puniuntur,non ſolum illi qui confitentur vel probantur ſciuiſſe ſe illarum promulgationem,verũ etiam & qui non probantur iuſſe illam ignoraſſe, præſupponendo, quod iure præſumuntur ſcire. Quæ conſuetudo & ſtilus,inquit ſupradictus Nauarr.forte poſſet reſtringi quoad forum exterius, non tamen quoad interius,Sedquidquidde hoc ſit probabiliſſimum ſibi videtur,& quammaxime rationi conſonum,quod niſi Summus Pont.in ſuis literis aliter expreſſerit, nunquam obligare intendat per ſolam ſuarum legum promulgationem factam in Romana Curia,nec ibidem ſtatim,niſi poſt tranſactum in eiſdem præfixum terminum,aut cõmunem ſupradictorum duorum menſium,& quod nec iſti currant niſi à tempore promulgationis factæ in eadem Prouincia, vbi habitatores commorantur.Nam quando Pontif.ad irritandum aliquẽ contractum,ſeu ad inhabilitandum quempiam ob aliquem defectum ſiue culpam, contrarium obſeruari & practicari vult,id inquit, ibidem exprimit ac expreſſe dicit,addendo conſueta illa verba, *ex nunc prout ex tunc*,prout appoſita ſunt in *cap.cum ſingula,de præb.lib.6.* vbi conſtituit duas obtinentem præbendas,ex tunc inhabilem reddi,Idipſum etiã habetur in *clement.nolentes,ac hæret.* Ad comprobandum ſupradictam opinionem,accedit etiam alia ratio efficaciſſima,& ea eſt,quia ſi imperium Summi Pont.tam late patet,vt imperium Regis & multo amplius,& leges ipſius non ſunt minus vniuerſales,quinvero vtiuerſaliores,& vt dictũ eſt in præcedenti concluſione, leges à Regibus conſtitutæ, non ſatis eſt vt promulgentur in Curia Regia verumetiam alibi,nec ibidẽ ſtatim obligant,ſed poſt tranſactum præfixum in eiſdem terminum, cur & Pontificiæ leges non id omnino obſeruabunt, aut de illis dici debet quod ſtatim obligent, cum primum in Romana Curia proponantur? non id (inquit Nauarr.) videtur rationi conſonum, ſaltem quantum ad culpam & ad pœnam. Sed quamuis ſuperius dicta vera ſint, loquendo tamen de legibus prædictis & Conſtitutionibus Pontificijs, reuocatorijs aliquorum contractuum,ſequentemſtatuo concluſionem.

Sexta Concluſio.

Leges Pontificiæ reuocatoriæ, & quæ ſiũt ad reſcindẽdos aliquos cõtractus, ſtatim obligant abarticulopromulgationis factæ in Curia

LEges Pontificiæ reuocatoriæ, & pertinentes ad reſciſſionem aliquorum contractuum,ſtatim ab articulo promulgationis factæ in Romana Curia,ſuum habent vigorem & obligant. Volo dicere,quod ſi in aliquo Concilio facta eſſet aliqua lex,vt matrimonium non cõtraheretur intra quintum gradum,vel ne deinceps illegitime nati ad ſacerdotia promouerentur, aut quod tales præbendæ nonniſi tali hominum generi prouiderentur,& irritaretur factum ab illo momento quo huiuſmodi lex publicata eſſet in Romana Curia, omnia matrimonia ſeu promotiones & collationes in contrarium factæ irritæ eſſent & nullæ. Hanc concluſionem tenet expreſſe Panormitanus in ſupradicto *cap.cognoſcentes,de conſtitut.* quam & ex parte approbare videtur Soto loco ſupra citato: quamuis ex alia parte ab eadem diſcedere appareat,dicendo,quod quia matrimonia & ſi quæ ſunt id genus alia pacta,diſſolui non poſſunt ſine contrahentium iniuria, interdici nullatenus deberent, niſi lege quæ vigere incipiat dum fuerit in Prouincia promulgata,aliàsenim(inquit)res eſſet maximis incõuenientibus plena. Sed quidquid ſit de opinionibus, propoſita tamen à nobis concluſio eſt certa, & vera, nempe quod leges Pontificiæ reuocatoriæ,quantum ad reſciſſionem contrariorum actuũ, ſtatim obligant ab articulo promulgationis earundem in Curia,ſi id ibidem habeatur expreſſe, aliàs

vero

vero non. Nam vt ſupradictum eſt, quando Pontifices illud volunt, expreſſe innuunt verbaque apponunt idipſum ſignificantia, qualia ſunt illa ſuperius poſita, *ex nunc pront ex tunc*. Nec aliud de Sūmis Pont. eſt credendum, cum ſint atque eſſe debeant magis quam ſeculares Principes, proni & propenſi ad miſericordiam & clementiam, & de animarū ſalute magis ſoliciti. Et quidem ſi contrarium daretur, multa pericula, ſcandala, atque peccata in dies exorirentur. Quod ſi ex factis eorum mens inueſtiganda, atque percipienda eſt, ex multis eorundem Conſtitutionibus, & ipſum facile licebit colligere, ſed maxime ex prælegato *cap. cum ſingula, de præb. lib. 6. & clem. nolentes, de hæreticis*, vbi expreſſe apponuntur irritantia verba, ex tunc annullantia & reſcindentia certos contractus, quod & faciunt ſemper, quando in aliquo caſu id fieri volunt. Hoc etiam conſtat ex Concilio Tridentino, *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1.* vbi irritare volens ſancta Synodus omnia matrimonia clandeſtina, taliter appoſuit eiuſmodi decretum, vt robur habere inciperet, poſt triginta dies numerandos à prima die publicationis factæ in eadem parrochia, ex quo ſatis innui videtur, quod ad eorum irritationem de mente Pontificis, & Conc. Patrum, non ſufficiebat promulgatio facta in Curia, quia ſcilicet non id ibidem fuit dictum ſed contrarium. Videatur Soto vbi ſupra, & Caieta. 1. 2. q. 60. artic. 4. in ſolutione ad ſecundum.

Nota valde.

Septima Concluſio.

Generaliter loquēdo, nō peccant qui faciūt cōtra legē, antequam ad eorum notitiam perueniat.

GEneraliter atque vniuerſaliter loquendo, & quantum attinet ad effectum peccandi mortaliter, facientes ſeu contrauenientes contra aliquam legem, non peccant antequam ad eorum notitiam perueniat, nec ſufficit vt fuerit in Curia ſeu alibi promulgata, niſi per eos ſteterit quominus in eorum peruenerit notitiam. Hæc etiam concluſio eſt certa & manifeſta, & ſatis conſtat ex doctrina à nobis ſuperius tradita. Diximus enim aliud longe eſſe quempiam per legem obligari, aliud ab ipſius tranſgreſſione excuſari. Et modo dicimus obligare quidem leges ab earum facta ſufficienti promulgatione in Curia ſeu alibi ad ſenſum ſupra dictum, ſed tamen quantum attinet ad effectum peccandi mortaliter, ob illarum tranſgreſſionem, hoc non eſſe ſufficiens, quin vero eſſe neceſſarium vt ad ſingulorum perueniant notitiam. Nam ſi nullo modo peruenerunt & hoc per ipſos non ſteterit, quominus perueniant, quamuis revera obligēt (vt dictum eſt) excuſabuntur tamen per ignorantiam inuincibilem, quæ ſecundum communem doctrinam vbique ab omni peccato excuſat, cum eiuſmodi ignorantia cauſet inuoluntarium, & quod ſimpliciter inuoluntarium eſt, peccatum minime eſſe poſſit, nā peccatum eſt voluntaria legis tranſgreſſio, quæ non reperitur in ignorante eandem legem inuincibiliter. Multa hic ſeſe offerebant dicenda de ignorantia, & de multiplicibus eius ſpeciebus, nam alia eſt vincibilis, alia inuincibilis, alia craſſa, alia affectata, ſiue ſupina; ſed hæc conſulto in præſentiarum prætermittuntur, cum non ſint præſentis ſpeculationis, facileque videri poſſint, apud DD. Scholaſticos & Summiſtas proprijs in locis. Qua de re latiſſime agit Nauarr. in d. conſil. 1. de conſtitution. num. 1. cum ſequent. & in Manu. cap. 23 num. 45.

Supereſt nunc reſpondere ad argumenta propoſita in principio huius Articuli.

Ad primum de lege naturali dico, quod lex naturalis nulla indigebat promulgatione, quia naturali luce conſtat, atque ex naturali inſtinctu fuit promulgata, ſiquidem inſcripta fuit in mentibus & cordibus noſtris, iuxta illud Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quod quidem naturale lumen, caligine culpæ quamuis per peccatum fuerit obſcuratum, non tamen vſque adeo extinctum, vt de primis principijs naturalibus, vlli mortales prætexere ſibi potuerint excuſationē, ſiue ignorantiam. De alijs vero quæ altiori indigebant diſcurſu & indagine, quamuis aliqui vtcumque ſe poſſent excuſare, ſiue excuſationem prætēdere, nunquam tamen defuerunt in ſtatu naturæ ſancti Patres, qui verbo & exemplo traditione patria, eandem legem naturalem explicarent & declararent, quod expreſſius poſtea factum fuit, tempore Moyſi, per veterem ſcriptam legem à Deo latam, vbi ſupradicta naturalis lex latiſſime explicata eſt per Decalogum.

Ad ſecundum de lege veteri dico, quod argumentum hoc in longiſſimam nos ducebat diſputationem circa ceſſationem legalium, de qua latiſſime agunt DD. Scholaſtici cum Magiſtro in 4. ſententiarum, diſtinct. 3. in materia de baptiſmo, & D. Thom. 3. part. quæſt. 66. & arti. 2. & ibidem omnes communiter Thomiſtæ, ſed cum hoc non ſit præſentis ſpeculationis, conſulto à me prætermittitur, dixiſſe contentus, Chriſti legem ſufficientiſſime fuiſſe promulgatam à die Pentecoſtes, vbi Apoſtoli virtute induti ex alto, ipſam prædicare cœperunt. Qualiter autem ante obligauerit à tempore mortis Chriſti, non eſt meum in præſentiarum dicere, cum adeo breuitati ſtudeam neque id poſſit verbis paucis explicari, remitto lectorem, vt Doctores conſulat Scholaſticos, locis ſupracitatis.

Ad tertium & vltimum iam ſatis patet ſolutio, ex his, quæ in ſuprapoſitis concluſionibus diximus, circa obligationem legum ciuilium & canonicarum erga abſentes, & qualiter ipſarum publicatio facienda ſit. Videatur hac de re Diuus Thomas, prima ſecundæ, quæſtione nonageſima, articulo quarto, & ibidem Medina, & Soto de iuſtitia & Iure libro. 1. quæſtione. prima, articulo quarto, & Syluеſter, *verbo lex quæſtione ſeptima.* Quæ pro iſto Articulo dicta ſuffi-

ciant.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum præter legem æternam & naturalem mentibus noſtris impreſſam, & diuinam illam, quam Chriſtus Dominus exiſtens in hoc mundo dedit, docuit & promulgauit, fuerit neceſſarium, ſiue conueniens, vt aliquæ humanæ leges, pro bono hominum regimine fierent, & conderentur.

HAnc quæſtionem, atque maximam difficultatem, nolui in præſentiarum prætermittere, vt huiuſce rei rationem aliquam genuinam traderem, ſimulque exterminarem & explooderem duos peſtilentiſſimos & perniciоſiſſimos errores, qui circa hanc legum humanarum materiam verſantur. Quorum alter eſt antiquiſſimus, cuius meminit Ariſt. 1. Ethicorum cap. 4. & 5. Ethicorum cap. 7. & 4. Metaphyſicæ textu 22. temere & ſtultiſſime aſſerentium, nullum eſſe ius naturale, nullamque humanam legem eſſe ſequendam, ſed id eſſe iuſtũ, quod cuilibet tale eſſe videretur. Cuius ſtultiſſimi atque imprudentiſſimi erroris, mentionem facit D. Auguſt. lib. 3. de doctrina chriſtiana capi. 14. Alter error eſt hæreticorum noſtri temporis, negantiũ ius poſitiuum, & nullam agnoſcentium poteſtatem ad iura condenda, & conſtituendas humanas leges. Huius erroris author fuit notiſſimus Ioannes Vuicleph, quem poſtea ſubſequutus fuit Martinus Luterus, vt refert Clitoueus in ſua hiſtoria, qui quidem eo audaciæ & temeritatis deuenit, vt publice adhibito igne multos Iuris canonici libros & Bullas Summorum Pontificum combuſſerit, eadem omnino ſeu potius peiora facturus de iure ciuili, ni magis timuiſſet ſecularem gladium, quam Summorum Pontificum cenſuras & excommunicationes. De quo Lutheri errore videndus eſt Roſſenſis art. 27, & 37. & Magiſter Soto lib. 1. de iuſtitia & iure quæſt. 6. art. 4. & aliqualem de ipſo facit mentionem Frater Petrus de Aragon lib. etiam ſuo de iuſtitia & iure. 2. 2. q. 57. art. 2. & proprius huius tractationis locus eſt, 1. 2. quæſt. 95. & 96. vbi D. Thomas de legibus humanis agit. Sed his breuitatis cauſa in præſentiarum prætermiſſis, vt ex oppoſitione falſitatis & contrariorum veritas plenius eluceſcat, libet paucis aliquot argumẽta proponere, ad apparenter ſaltim probandum, quod præter legem Dei æternam, & naturalem diuinam mentibus noſtris impreſſam, diuinam etiam veterem per Moyſen traditam, & Euangelicam per Chriſtum Dominum conditam pronuntiatam & promulgatam pro bono hominum regimine, nullis alijs opus fuerit humanis legibus, nec neceſſarium ſiue conueniens, quod aliquæ aliæ leges inſtituerentur & conderentur.

Nota quorundã hæreticorũ errores, circa cõſtitutionem humanarũ legum.

Nota argumẽta, quæ cõtra humanas leges adducũtur. ſiue poſſunt adduci ab hæreticis.

1. Argumẽtũ. Primo ſic argumentor, nam de mente & ſententia D. Auguſtini lib. 1. de libero arbitrio, cap. 6. per legem æternam omnia ſunt ordinatiſſima atque conſtitutiſſima, ita vt amplius nihil poſſit, aut debeat deſiderari: hæc autem lex æterna mentibus noſtris in naturam noſtram per naturalem rationẽ deriuatur, vt conſtat & eſt perſpicuum inditaq; atque impreſſa eſt in cordibus noſtris. Lex enim naturalis, vt pluries ibidem dicit idem D. Auguſt. & communis tenet Theologorum doctrina, ſed maxime D. Thom. 1. 2. q. 91. arti. 2. in ſolutione ad primum, nihil eſt aliud quam quædam participatio æternæ legis Dei: ergo præter ſupradictas legem Dei æternam & naturalem, mentibus noſtris impreſſam, nulla alia opus fuit humana lege, qua homines in cunctis ſuis actionibus, & operationibus rectiſſime, atque ordinatiſſime gubernarentur & regerentur.

II. Argum. Secundo confirmatur idipſum alia peculiari ratione, nam hoc facere, & humanas leges conſtituere quadam tenus eſſe videtur contra diuinam voluntatem, expreſſam ab ipſo Deo in veteri teſtamẽto, Deu. 4. vbi cũ ſuo Iſraelitico populo, cuiveterẽ dederat diuinam legem alloquens, & vt apparet cum omnibus hominibus qui poſtmodum futuris temporibus venturi erant (poſtquam eſt præceptum morale ſeu ad mores pertinens) dixit: *Cuſtodite mandata mea, quæ ego præcipio vobis, & non addetis verbum ad legem meam nec auferetis ex ea.* Sed vt videtur, humanæ leges, nihil ſunt aliud quam additiones quædam ad diuinam illam legem: ergo leges humanas conſtituere nullo modo licuit, quin vero diuino videtur eſſe iure prohibitum: id quod & cõfirmari poteſt ex exemplo & ſententia Chriſti Domini, qui Matth. cap. 15. alloquens cum Scribis & Phariſæis, eoſdemque reprehendens, propterquaſdam humanas traditiones, quas condiderant & fecerant, inquit quod ſine cauſa ipſum colebant, docentes doctrinas & mandata hominum, quibus verbis quodammodo viſus eſt Chriſtus, diſcipulos ſuos, & in ipſis cunctos mundi homines deobligare ab obſeruatione quarumcumque humanarum legum, ſeu humanorum ſtatutorum.

III. Argum. Tertio ſic argumentari poteſt ad idem, nam id etiam facere, & humanas leges conſtituere, quodammodo videtur derogare & præiudicare perfectioni legis Euangelicæ, quæ perfectiſſima eſt, & de ſe ſufficientiſſima ad peragendum omne opus bonum, iuxta illud D. Pauli dictum in epiſtol. 2. ad Timotheum cap. 3. vbi de prædicta Chriſti Domini lege alloquens inquit, quod omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum & ad arguendum, & corripiendum & erudiendum quem libet iuſtitia, vt perfectus ſit homo ad omne opus bonum peragendum. Si igitur id ita eſt ſuperfluunt omnes humanæ leges, vanumque videtur, & inutile, eaſdem efficere ſiue conſtituere.

IIII. Argum. Quarto probatur hoc ipſum, nam id etiam facere videtur eſſe contra Euangelicam libertatem, & contra doctrinam ex inſtitutione Chriſti traditã, ab Apoſtolis, qui quidem vbique, legem Euangelicam, legem vocant libertatis, & affirmanter dicunt per Euangelium fideles liberos factos eſſe, à iugo & ſeruitute veteris legis. Tale eſt illud D. Pauli 2. Corinthiorum 3. vbi ſequentia verba habentur. *Vbi ſpiritus, ibi libertas,* & 1. ad Timoth. 1. dicitur,

citur,,*quod iusto non est posita lex*,ad Galat.etiam ca. 5.dicitur.*Si spiritu ducimini non estis sub lege*:cum igitur fideles & omnes in vniuersum Christiani spiritu ducantur,consequens fieri videtur, quod liberi sint à quacumque lege, ac proinde quod superfluum & vanum fuerit,humanas legesconstituisse. Et dato casu,quod prædicta omnia locum non habeant,nam tantummodo apposita sunt ad confutãdos nostri temporis Lutheranos hæreticos,ad ipsorum argumenta respondendo, vt compertum fiat quam ipsi à ratione absint,&ad augendam difficultatem supradictam pressiusque veritatem indagandam,libet aliud argumentũ proponere, quod erit quintum in ordine,ad apparenter persuadendum, quod nullis opus fuerit humanis legibus, quodq; foret congruentius & expedientius, vt potius per optimos iudices quam per leges, vt & fieri olim consueuit in humani generis primordijs, humana respublica gubernaretur. Ad hoc probandum sic argumentor.

V. Argum. Nam si leges, vt superius dictum est tenetque communis doctrina, sunt humanarum nostrarum actionum Regulæ, & mensura per quam omnium hominum vita in rectitudine sui status,regulari atque mensurari habet multo congruentius, præstãtius atque conuenientius videtur,id vt fieret per optimos Principes,Iudices,siue Gubernatores viuos,quam per mortuas humanas leges.Sunt enim vt inquit Arist.5.Ethicorum cap.4.Iudices,animatum quoddam ius,siue iustum, ad quos tanquam ad iustitiam quandam animatam, miseri homines & qui iniuriam patiuntur debent confugere,leges autem sunt quasi mortuæ vt de se patet, nisi à iudicibus viuificentur & executioni tradantur. Nam siue earundem vim directiuam,siue vero coercitiuam inspiciamus & consideremus,multo præstantius,vt videtur, necnon & efficacius reperitur iustitia in Principibus,Iudicibus, & optimis Gubernatoribus animatis, quam in inanimatis legibus, cum lex quasi mortua iaceat, iudex autem viuus (vt dicitur) non sine causa gladium portet, ex dictis colligitur, quod magis expediens & conueniens foret Reipublicæ, optimos habere iudices, quam humanas leges constituere, cum præterea leges non agant nec statuere aliquid possint, nisi de rebus in communi & vniuersali, iudices autem optimi,sua sapientia & prudentia, omnes rerum circunstantias perlustrent, & casus incidentes in particulari considerent.Hæc sunt quæ contra humanas leges,& ipsarum institutionem siue constitutionem,solent & possunt adduci, & communiter adducuntur à Doctoribus exercitij gratia, & ad indagandam veritatem propositæ quæstionis atque difficultatis,quibus tamen non obstantibus in contrarium est veritas, pro cuius resolutione sequentes statuo conclusiones.

Conueniẽtissimũ atq; vtilissimũ fuit, ac summopere necessariũ,in humana sed præsertim Christiana republica aliquas leges fieri.

Prima Conclusio.

VTilissimum, atque conuenientissimum fuit, quinvero & summopere necessarium, quod præter æternam Dei legem, & naturalem mentibus nostris impressam,diuinam etiamveterem per Moysem olim traditam,& Euangelicam à Christo Domini conditam pronuntiatam & promulgatam ad decidendos & determinandos particulares cãsus,& pro bono hominum regimine,aliquæ etiam humanæ leges, Canonicæ & Ecclesiasticæ,siue ciuiles & seculares instituerentur & conderentur, quibus homines ad optatum fœlicitatis, siue suæ beatitudinis finem perducerentur. Hæc conclusio est certissima & quãmaxime rationi consona, quæ & à fidelium & Catholicorum nullo negari potest.De necessitate vtilitate, siue conuenientia supradictarum humanarum legum, latissime agunt DD.Scholastici,sequentes D.Thom. 1.2.q.91.art. 3.&.q.95.art.1.quibus in locis de hac materia multa dicuntur & ad probandam suprapositam conclusionem vtitur supradictus D. Thom. in primis auctoritate D.Isidori lib.5.Etymolog. cap.20. vbi inquit, *factas esse humanas leges, vt earum metu humana coerceretur audacia, tutaque esset inter improbos innocentia,atque in ipsis improbis formidato supplicio, refrenaretur nocendi facultas.* Ad quod propositum cum plures in præsentiarum auctoritates possem adducere illas breuitatis gratia facio missas,hoc solummodo contentus, si suprapositam conclusionem aliquibus efficacissimis rationibus comprobauero,deductis ex naturali Philosophia, & ex ipsarum rerum natura.Pro cuius rei intelligentia præmittere libet vnum valde notandũ:& illud est, quod sicut in speculabilibus,ita & in rebus practicis,innata est nobis vis á natura,ex vniuersalibus & indemonstrabilibus principijs medio discursu,deducere siue elicere conclusiones,alias quidem necessarias,vt in sciẽtijs Matematicis,alias vero nõ necessarias sed probabiles siue opinabiles,propter ineuidentiam medij & consequentiæ pro qualitate cuiuslibet scientiæ.Sit exemplum in speculabilibus. Ex hoc generali atque indemonstrabili principio, nempe quod homo est animal rationale,medio syllogismo & discursu, deducitur siue infertur hæc conclusio,quod homo sit risibilis. Etenim si homo est animal rationale, & omne animal rationale est risibile,bene certe sequitur quod homo etiam sit risibilis.Quæ propositio est necessaria & euidens, stando in lumine naturali in virtute suarum præmissarum. Attamen si præmissæ non ita necessariæ fuissent,sed tantum opinabiles siue probabiles,aut conclusio ex eisdem non ita euidenter eliceretur &concluderetur,eiusmodi conclusio non quidem esset euidens & necessaria,sed tantum opinabilis, siue probabilis,vt de se patet.Hæc omnia fiunt medio syllogismo & discursu. Hoc idem reperire etiam licebit in rebus practicis & operabilibus, nã ex hoc generali vniuersali atq; indemonstrabili naturæ principio,quod tibi nõ visalteri nefeceris medio syllogismo &discursu,per euidẽtẽ cõsequentiam concluditur siue deducitur, quod nemini sit facienda iniuria,non surripiendum alienum, non inferendum malum,ac denique omnia præcepta Decalogi,quasi quædam conclusiones necessariæ,ex dictis primis naturalibus principijs, per euidentem consequentiam exprimuntur, & deducuntur,ac ideo omnia ista sunt de iure naturæ. Si tamen prædicta principia,non ita essent euidentia & manifesta,aut conclusiones elicitæ non ita euidenter deducerentur ex ipsis,eiusmodi conclusiones non essent quidem de iure naturali & diuino, sed de iure tantum humano & positiuo, deductæ

Notaproprietatẽ humanarum legum.

Nota valde pro ortu & origine humanarũ legum.

ex

ex dictis principijs naturalibus, medioſyllogiſmo & diſcurſu. Hoc præmiſſo notabili, quod multum oporter memoriæ commendare, ex ipſo facile erit colligere fuiſſe non ſolum vtile atque conueniens quin vero & ſummopere neceſſarium, præter æternam legem, & naturalem mentibus noſtris impreſſam, præter legem Moyſi, & diuinam Euangelicã, quam nobis Chriſtus Dominus tradidit, pro rerũ varietate, & emergentibus caſibus & negotijs, alias humanas leges conditas fuiſſe. Nam ſicut in rebus ſpeculabilibus intellectu ſpeculante & medio diſcurſu, ex cognitione primorum principiorum, per euidentem conſequentiam, aliquæ cognoſcuntur concluſiones, aliæ vero non ita euidenter ſed ineuidenter, probabiliter & opinabiliter, propter ineuidentiam medij & cõſequentiæ, quia non ita neceſſario inferuntur ſeu deducuntur ex principijs, ſed per multas conſequentias & poſt longum diſcurſum, ita etiam in rebus practicis & operabilibus, quamuis ex principijs naturalibus, euidenter & neceſſario aliquæ inferantur concluſiones, quales ſunt præcepta Decalogi quæ continentur in ipſis expreſſæ, ac proinde ſunt de iure naturali; aliæ tamen ſunt concluſiones quæ non ita euidenter & neceſſario inferuntur ex eiſdem principijs naturalibus, ſed obſeruatis quibuſdam circunſtantijs loci & temporis, & poſt longum diſcurſum: & hoc eſt quod faciunt humanæ leges, & ad hoc deſeruiunt legiſlatores & regulæ, quæ in hunc finem medio diſcurſu & rationis adminiculo conſtituuntur ab ipſis, humanæ leges nuncupãtur; ſine quibus humanum genus haudquaquam poſſet vitam tranſigere. Ex his ſuperque ſatis conſtat noſtræ concluſionis veritas, & vtilitas conuenientia, quinvero & præciſa neceſſitas humanarum legum. Sed probatur vlterius concluſio, & dicta præciſa neceſſitas humanarum legum, nam quamuis Deus Opt. Max. humanam noſtram condiderit naturam rationis capacem, indideritque ipſi vt volunt quidam, quaſi quædã omnium virtutum ſemina quo poſſet homo medio diſcurſu, id quod bonum, æquum & iuſtum eſt, per ſemetipſum indagare, & cognoſcere non tamen decuit aut vero expediens fuit, id vt relictum & poſitum eſſet in cuiuſlibet hominis voluntate, quinvero quammaxime neceſſarium fuit, vt à legiſlatoribus, ingenio experientia, atque prudentia valentibus, aliquæ fierent, inſtituerenturque & conderentur communes leges, per quas gubernarentur homines, atq; in officio continerentur. His accedit & alia peculiaris ratio: & ea eſt, nam quamuis æterna lex mentibus hominum eſſet impreſſa, lex etiam naturalis & diuina, vniuerſalis eſſet humanorum actuum regula, neutra tamen adhibebat pœnas coerciuas & compulſorias, quæ pro rerum varietate in emergẽtibus caſibus & negotijs, in ſtatu naturæ lapſæ infligendæ erant hominibus à ſupradictis legibus deuiantibus, ſeu aliquid contra ipſas facientibus: hac igitur ratione neceſſarium quammaxime fuit, humanas leges adhiberi, quibus ſupradictæ inſtituerentur & conſtituerentur pœnæ, ſine quibus humana reſpublica vix, aut nullatenus poſſet regi & gubernari. Ad hoc propoſitum facit, quod dixit olim Ariſt. 10. Ethicorum cap. 9. nempe, *alios natura, alios conſuetudine, alios diſciplina bonos fieri*, & 1. Politicorum cap. 2. etiam dixit: *quod ſicut homo perfectione ſuſcepta, eſt cunctorum animantium optimus, ita ſi à lege & à iudice alienus fiat, omnium eſt peſſimus. Ea propter inquit, oportuit hominum naturam, diris legibus, & vltu coerceri, & in officio contineri.* Supradicta omnia quammaxime faciunt, ad legum humanarum neceſſitatem præciſam, oſtendendam & monſtrandã: ſed procedamus vlterius.

Nota valde quod habetho mo inmẽte & ratione quaſi impreſſa omniũ virtutũ ſemina.

Nota peculiarem vtilitatẽ prouenientem ex humanis legibus.

Secunda Concluſio.

Multo melius & vtilius fuit genus humanũ gubernari optimis legibus, quãbonis (etiãſi eſſent) gubernatoribꝰ ſiue principibus.

MVlto vtilius atque conuenientius fuit reipublicæ, gubernari optimis legibus, quam optimis Principibus, Gubernatoribus, ſiue Iudicibus, etiam ſi ſemper fuiſſent, abſque vlla humanarum legum poſitione. Hæc concluſio eſt expreſſa Ariſt. 3. Politicorum cap. 11. & 12. & 5. Ethicorum cap. 6. vbi ſupradictam quæſtionem difficultat, & mouet. Et propoſitis in contrarium aliquibus apparentibus rationibus, tandem concludit, *quod qui dicit leges hominibus imperare debere, dicit Deum mundo præeſſe debere, qui verò dicit Regem imperare debere, dicit beſtiam imperare debere.* Verba ſunt expreſſa Ariſtote. loco ſupra citato. Quod quidem meo videri pro eo dicit, nam leges ſi iuſtę ſunt à Deo ſunt & ab æterna ipſius lege & voluntate deriuantur, & à lege naturali, quam Deus in cordibus noſtris impreſſit: at homines interdum licet boni ſint, quandoque tamen à ratione deuiant, & talis eſt inquit, libidinis natura, vt optimos etiam viros contorqueat, atq; incuruet. Ad hoc probandum, aliquæ etiam ſatis apparentes quinvero & fere euidentes adduci poſſunt rationes. Atque in primis, nam leges ſecluſa omni cupiditate amore, ſiue odio, & omni humana affectione, ſtatuunt atque definiunt, quid faciendum, quid vero fugiendum ſit; homines autẽ vtcumque perfecti, carne cum ſint induti, ſæpiſſime paſſionibus perturbantur, multiſque alijs rebus, quæ ipſos à recto tramite & recta ratione deflectere faciunt. Secundo probatur idipſum, nam facilius eſt inuenire vnum aut alterum prudentiſſimum legiſlatorem, quam innumeram iudicum multitudinem qui rempublicam regant atque gubernent, non tam pro ſuo arbitrio, quam ſecundũ rationem. Et tertio, quoniam ea quæ diſponunt leges & de quibus leges conſtituuntur, longo diſcurſu & poſt longi temporis conſideratione diuturnam, ſtabiliuntur, at humana iudicia, & quæ iudices vt plurimum pronunciant in dies, breuiſſime excogitantur, in eiſque proinde nec modicum ſubeſſe poteſt erroris, cum vt dicitur, omnia ſubita probentur incauta. Tandem quarto & vltimo fuit expediens, atque conueniens, humanas leges inſtitui, & non iudicia iudicum arbitrio committi, nam leges cum ſint vniuerſales & in communi cõſtituantur, omni prorſus ſuſpicione carent, quod ex odio vel ex amore procedant, & nulli irrogant iniuriam, ſi aliquid arduum ſiue difficile præcipiãt: nemo etiam fere illud ægre fert, quod in iudicibus non ita facile licebit reperire. Vnde in iure multis in locis cautum eſt, vt quam pauciſſima iudicum relinquantur arbitrio, quinvero debent ipſi, ſecundum leges & iura iudicare & pronuntiare, ita habetur in *cap. omnis. 18. q. 1. & in cap. iudicet. 3. q. 7. & in cap. ſummopere. 11. q. 3. & in l. illicitas. ff. de offic. Præſidis.*

Qua

REGISTRO DE LA PROPIEDAD

Qua de re videatur D. Thom. 2.2. quæ. 67. art. 2. vbi agit, an debeant semper iudices secundum leges scriptas iudicare. Hæc de legum humanarum vtilitate, conuenientia & præcisa necessitate dicta sufficiant, nunc ad argumenta in contrarium adducta respondere oportet.

Respondetur ad argumẽta in contrariũ adducta.

Ad primum.

Ad primum dico, quod quamuis per æternam legem recte & congrue cuncta sint dispositia, constitutissima, atque ordinatissima, quamuis etiam ipsa in mentibus nostris deriuetur, & in natura nostra per naturalem rationem sit indita, atque impressa, adhuc tamen fuit pro emergentibus casibus & particularibus negotijs summopere necessarium, diuersas humanas leges fieri atque constitui. Nam vt diximus sicuti in speculabilibus, etiamsi ex parte rationis speculatiuæ per naturalem participationem diuinæ sapientiæ insit nobis notitia, quorundam communium principiorum & conclusionum quæ ex eisdem per euidentem consequentiã deducuntur, non tamen illarum quæ non ita euidenter inferuntur, neque cuiuslibet veritatis propria cognitio sicut in diuina sapientia continetur, quinvero necessarium est, vt eiusmodi conclusiones, vlterius inferantur & deducantur per discursum ad particularia descendendo, ita etiam & in rebus practicis & operabilibus, quamuis ex parte rationis practicę, naturaliter participet homo æternam legem & secundũ quædam communia principia, & conclusiones quæ ex eisdẽ principijs per euidentem consequentiam deducuntur & inferũtur, non tamen illa quæ non sic euidenter inferũtur, neque singulorum casuum directiones in particulari, prout in æterna lege & naturali ratione continentur. Vnde & necessum fuit, quod descendendo ad magis particularia humana ratio, easdẽ inuestigaret. Quæ quidem particulares dispositiones, secundum humanam rationem adinuentæ, ob seruatis quibusdam conditionibus quæ sunt de ratione legis dicuntur humanæ leges, quas in humana republica fieri, atque constitui necessum fuit, propter rationes positas in probatione supradictarum conclusionum. Vnde & Cicero in sua Rhetorica libr. 1. capit. de inuentione, de legibus loquens dixit: *Quod initium totius iuris á natura fuit profectum, & deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, ac postea res à natura profectas & á consuetudine approbatas legum metus & religio sanxit*: quod est multũ notandũ ac memoriæ commendandum.

Nota valde.

Ad secundum argumentum respondeo, quod humanas leges factas fuisse atque in republica humana constitutas, nullo id modo fuit contra diuinam voluntatem, quinvero quammaxime ad eandem conformiter, dum tamen ipsæ sint iustæ. Neq; vero id facere fuit quidpiam ad diuinam legem addere, sed tantum ipsam qualiter fuerit obseruanda quodammodo, explicare & declarare, & contra ipsius transgressores pœnas, minas atque terrores apponere, quibus homines in officio contineãtur, & ab ipsius diuinæ legis transgressione retrahantur. Neque etiam de his legibus iustis rite & recte factis, intelligenda vllo modo sunt verba supra citata, quæ apud Matthæum cap. 15. reperiuntur dixisse Christum, Pharisæos reprehendendo & redarguendo. Haud enim ibi reprobauit siue condẽnauit omnes humanas leges, sed tantum illas quę factæ fuerant ab eisdem, contra diuinam legem, & contra particulare præceptum de honorandis parentibus, vt legentis eiusdem literæ contextum facile constare poterit. Cõdemnauit itaque ibi Christus Dominus mandata Pharisaica & carnales traditiones diuinæ legi contrarias cuiusmodi erant illæ, sed non humanas leges iustas & recte factas, pro bono reipublicæ regimine & gubernatione, nec fideles deobligauit aut exemit ab ipsarum ob seruantia & stricta custodiendi illas obligatione, quam omnes habent.

Ad tertium argumentum respondeo similiter, quod humanas leges constitutas atque in Republica Christiana factas fuisse, non vllo modo fuit derogare aut præiudicare Euangelio Christi, seu Euãgelicæ legis perfectioni, quæ vt recte probat argumentum perfectissima est multumque vtilis, & necessaria ad quæ ibidem dicũtur, cũ hoc tamẽ stat quod ad particulares casus & ad specialia emergẽtia negotia, vtilissimum, conuenientissimum, atq; necessarijssimum fuerit, humanas leges fieri atque constitui, quod minime Euangelicæ legi contrariatur, quinvero eidem nimis est conforme, cum ibidem contineatur vt obediatur Prælatis, & quod Reges & Iudices honorificentur, & ipsorum legibus & præceptis pareatur, atque obtemperetur.

Ad quartum respondeo, quod libertas Euangelica & Christiana, de qua in dictis locis loquitur D. Paulus, non stat aut consistit in eo quod argumẽtum prætendit, sed in hoc quod per Euangelium & legem Christi & specialiter per eiusdem redẽptionem & copiosissimam satisfactionem, factam Deo Patri, facti sumus liberi à peccato & ab æterna morte, & ab obseruantia Mosaicæ legis, de quibus veniunt & sunt intelligendæ omnes auctoritates ibidem adductæ, & hoc voluit dicere, & insinuare Diuus Paulus, & non aliquid amplius, vt falso garriunt, siue proclamant hæretici.

Ad quintum & vltimum argumentum respondeo, per ea quæ dicta sunt in probatione secundæ conclusionis, vbi adductæ sunt rationes & causæ, quibus probatum est magis expediens atque conueniens fuisse Respublicas regi & gubernari per leges, quam per optimos etiam iudices, aut humana iudicia relinqui iudicum arbitrio, qua de re videatur specialiter D. Thom. 1.2. q. 96. in solutione ad secundum. Et quando dicitur quod leges sunt veluti mortuæ, iudices autem viui, postquam vt dicit Aristot. esse debent quasi iustitia quædam animata, inquit D. Thom. quod hæc iustitia animata, vt plurimum non inuenitur in iudicibus, & regulariter loquendo neque inueniri potest, iudicumque iustitia ex multis causis flexibilis est. Quapropter summopere necessariissimum fuit leges in Republica fieri atque constitui, quibus diffiniretur atque determinaretur in rebus omnibus, aut saltim quoad maxime fieri posset, quid iudicandum esset, & paucissima hominum & iudicum arbitrio & iudicio committerentur.

Hactenus de toto isto Articulo.

(*t*)

ARTE

ARTICVLVS VI.

Vtrum omnes humanæ leges, à lege Dei æterna, & naturali deriuentur, ſeu potius habeant deriuari?

SVpra quæſtione præcedenti, iam diximus Articulo tertio, quatuor diuinas eſſe leges, æternam, naturalem mentibus noſtris impreſſam, diuinam veterem, & diuinam Euangelicam, quarum omnium in particulari, congruentiſſimas adduximus diffinitiones: nunc autem pro maiori dicendorum intelligentia, in quæſtionem adducere libuit, an omnes humanæ leges á ſupradictis deriuentur, ſeu potius deriuari debeant, & maxime ab æterna Dei lege, & à naturali mentibus noſtris impreſſa, & vt pro more noſtro clarius, atque diſtinctius procedamus & ex oppoſitione contrariorum veritas plenius eluceſcat, pro alia in contrarium parte aliquot vi ſum eſt proponere argumenta.

Primo ſic argumentor, ad probandum quod non omnes humanæ leges à lege Dei æterna, ſiue naturali deriuentur. Nam certum eſt quod à lege Dei æterna, nihil iniquum ſeu iniuſtum poteſt exoriri, cum ſicut ſupra dictum eſt, de mente & ſententia D. Auguſtini libr. 1. de libero arbitrio, capit. 6. *Lex æterna ſit ſecundum quam omne iuſtum eſt, & à qua procedit, vt omnia ordinatiſſima ſint:* ſed multæ ſunt leges iniquæ, atque iniuſtæ (vt de ſe patet) contra quarum latores exclamauit olim Iſaias cap. 10. dicendo: *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, &c.* Ergo non omnes humanæ leges, à lege Dei æterna, ſiue naturali deriuantur. Quod & confirmari poteſt ex eo, quod dicit idem D. Auguſt. libr. etiam 1. de libero arbitrio, cap. 5. quod lex quæ interdum populo regendo præſcribitur, multa recte permittit, quæ per diuinam prouidentiam vindicantur: ſed ratio diuinæ prouidentiæ, eſt lex æterna: ergo non omnis lex etiam recta, à lege Dei æterna, ſiue naturali procedit.

Secundo probatur idipſum, ſpecialiter de lege naturali, quod non omnes humanæ leges, à naturali procedant, nam lex naturæ, vt ſupra etiam dictũ eſt, eadem eſt apud omnes, & ius naturale eandem ſemper & vbique vim habuit: ſed leges humanæ nõ ſemper & vbique eandem vim habuerunt, nec vero habent: ergo non omnes humanæ leges à naturali deriuantur. Conſequentia eſt legitima: minor autem probatur, ex Ariſt. 5. Ethicorum, capit. 7. vbi definiens iuſtum naturale & legale, penes hoc inquit differre, *quod iuſtum naturale á principio ſemper fuit, & obligauit, iuſtum autem legale á principio nihil differt, vtrum ſic vel aliter fiat, ſed poſtquam eſt poſitum, oportet vt fiat:* ſequitur ergo, quod non omnes humanæ leges, ſunt de iure naturali, aut à iure naturali deriuantur. Quod & confirmatur iterum ex eo, quod idem Ariſtot. quin vero D. Iſidorus lib. 5. Etymologiarum, cap. 4. ius poſitiuum (quales ſunt omnes humanæ leges) diuidunt contra ius naturale: ergo vnum non deriuatur ex alio. Hæc ſunt argumenta potiſſima, quæ pro hac parte ſolêt & poſſunt adduci. Sed nihilominus in contrarium eſt veritas, quæ & explicabitur per ſequentes concluſiones, quarum prima erit de æterna Dei lege.

Prima Concluſio.

Omnis humana lex, ſi ea iuſta & recta ſit, ab æterna Dei lege deriuari habet neceſſario.

OMnis humana lex, ſi ea iuſta & recta ſit, ab æterna Dei lege deriuatur, ſeu deriuari habet neceſſario. Hæc concluſio eſt expreſſa Diui Thomæ 1. 2. quæſtion. 93. articulo tertio, quam & probat primo auctoritate diuinæ ſapientiæ, quæ Prouerbiorum 8. inter multa alia de ſe dicit, quod per ipſam Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Quod & confirmat ſententia Diui Auguſtini, qui primo libro, de libero arbitrio, capit. 5. & 6. expreſſe dicit: *quod in temporali lege, nihil eſt iuſtum ſiue legitimum, quod non ex æterna Dei lege, ſibi homines deriuauerint.* Quod & probari inſuper poteſt multis rationibus, & primo ex ordine & diſpoſitione cauſarum naturalium, quæ quidem ita ſunt ordinatæ, atque diſpoſitæ, vt inferiores depẽdeant à ſuperioribus, & operari minime poſſint, aut ſe mouere, niſi ſuperiorum virtute adiutæ, & admotæ. Hac enim ratione dixit olim Ariſtot. 8. Phyſicorum eſſe neceſſe, cunctos vnum primum confiteri motorem, debere à quo inferiores omnes moueantur, atque dependeant, ſi enim inquit, primus non moueret, reliqui neutiquam ſe, aut alios mouere valerent. Eundem ordinem ponit idem Ariſtotel. primo Ethicorum, inter artes & cauſas artificiales; nam, inquit, illa quæ maxime eſt architectonica, reliquis veluti Princeps imperat: ſi igitur hoc in cauſis reperitur omnibus, & motus cuiuſlibet mouentis ſecundi, à primo neceſſario deriuatur motore, & in artificialibus, ratio actuum, artis inferiorum artificum, à ſuperiori procedit artifice: ergo & in mundi huius gubernatione, neceſſario hoc ipſum erit confitendum, nempe quod omnia recta & iuſta, ab vno Deo recto & iuſto, ſupremo legiſlatore procedant, & ab æterna ipſius lege, in qua continentur, & à qua procedunt rationes omnium rectorum inferiorum. Hoc adeo eſt verum, vt teſte Diuo Thoma loco ſupra citato, omnes diuinæ leges, naturalis nempe, & poſitiua vetus, quæ Iſraelitico olim populo per Moyſen tradita fuit, & Euangelica Chriſti Domini ore mundo, & cunctis hominibus poſita, pronuntiata, & promulgata, ab æterna Dei prædicta lege deriuentur, & vt diximus in præcedenti Articulo, eiuſdem ſunt quaſi quidam riuuli ſiue deriuationes, effectus & participationes. Ipſa enim æterna atque immota perſiſtens, in naturalem noſtram influit, & ab eadem diuina olim vetus, Euangelica poſtmodum facta ſunt deductæ, in nullo alio à naturali differentes, quam penes hoc, quod naturalis ineffabili quodammodo, mentibus noſtris eſt impreſſa, & naturalis cum ſit ad naturalem finem ordinat hominem; diuinæ vero illæ, hominibus poſitæ (nam pro eo dicuntur poſitiuæ) ſupernaturales cum ſint, ordinant & dirigunt eundem in finem ſupernaturalem, quæ omnia ſunt valde notanda, atque memoriæ commendanda. Sit ſecunda concluſio in ordine de lege naturali.

Secunda Concluſio.

Leges humanæ ſi iuſtæ ſunt, à naturali etiam lege deriuãtur, debentque deriuari neceſſario.

SVpradictæ humanæ leges, ſi etiam iuſtæ ſunt, à naturali lege deriuantur, deriuarique habent neceſſario. Hæc etiam concluſio eſt D. Thom. 1.2. quæſt. 95. art. 2. quam & probat, primo ex auctoritate Ciceronis, libr. 2. de inuentione, quo loco dicit: *Iuris initium fuiſſe à natura profectum, & quod deinde quædam in conſuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, poſteaque res á natura profectas, & á conſuetudine probatas, legum metus & religio ſanxit.* Probat vlterius eandem concluſionem ratione, & ratio eſt, nã iuxta mentem & ſententiam Diui Auguſtini, libro primo, de libero arbitrio, niſi iuſta fuerit lex, non eſt lex, nec legis nomen promeretur, in tantumque habet virtutem legis, in quantum participat rationem iuſtitiæ: ſed naturalis lex eſt rationis regula, á qua deuiare eſt iniquitas, & ad quam veluti ad exemplar quoddam, in cunctis ſuis actionibus, & operationibus, debent homines intueri: ergo humanæ omnes leges, ſi iuſtæ & rectæ fuerint, à naturali lege deriuantur, & ab ipſa ratione debent fabricari. Nec vero refert, ſiue vllum incõueniens eſt, leges humanas duabus regulis menſurari, æterna ſcilicet & naturali, quarum hæc deriuatio & participatio illius eſt, quin vero id neceſſariſſimum eſt. Etenim vt architectus ex præcõcepta forma domus, lineas in lapide ſeu in ligno ducit, quæ quidem ſuo miniſtro, ſiue officiali regulæ ſunt, quas cudendo & ſerrando ſequi debet, ſicque domus à duabus quodammodo procedit regulis, nempe ab architecto, & ab officiali ex eiuſdẽ directione: ita & Deus Optimus Maximus, æternam ſuam legem mentibus noſtris imprimens, quæ diuinæ ſuæ voluntatis eſt ſignum certũm, dum naturæ legem tenemus & ſequimur, æternamque Dei imitamur, operationes noſtræ, ſi rectæ ſunt à duabus prædictis procedunt regulis, quod etiam in humanis legibus: qua quidem ratione: Cicero libro ſecundo de legibus, dixit olim, *quod lex eſt iuſtorum, iniuſtorumque diſtinctio, ad illam antiquiſsimam, & rerum omnium principem expreſſam naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, & præmio defendunt, atque tuentur bonos.*

Nota hoc valde, qualiter humanæ leges deriuentur à lege naturali

Sed notandum eſt, quod dupliciter contingit, aliquid á naturali lege deriuari, vno modo vt concluſio ex ſuis principijs deducta, alio vero vt ſpecifica quædam determinatio alicuius communis generis. Statuamus oportet aliquod exemplum, vt quæ dicuntur clariora fiant. Ex hoc (verbi gratia) communi & generali principio legis naturæ, quod tibi non vis alteri ne feceris, ſequuntur tanquam concluſiones certæ, non eſſe occidendum, neque eſſe furandum, &c. Item ex hoc communi, & generali principio, quod virtus eſt digna præmio, vitium vero pœna & ſupplicio, infert humana lex, latronem eſſe ſuſpendendum, hæreticum igne comburendum, &c. Sed aliter & aliter inferuntur ſupradictæ duæ concluſiones, nam in primo adducto exemplo inferuntur per viam ſyllogiſmi, & tamquam concluſiones deductæ ex ſuis proprijs principijs. Etenim ſi quod non volo mihi, non alteri eſt faciendum, bene ſequitur per bonam & neceſſariam conſequentiam, neque eſſe furandum, neque occidendum, & vtraque præmiſſa eſt naturaliter nota. At in ſecundo exemplo, concluſiones, ſeu illationes exinde deductæ, non inferuntur tamquam concluſiones ex ſuis proprijs principijs, ſed tamquam ſpecificæ quædam determinationes alicuius communis generis. Volo dicere, quod ex hoc quod virtus ſit præmio digna, vitium autem pœna & ſupplicio, non per viam ſyllogiſmi, & bonæ atque neceſſariæ conſequentiæ, ſequitur latronem eſſe ſuſpendendum, aut hæreticum igne comburendum, ſed hoc ſolummodo quod qui fuerit malus aliqua pœna puniatur: at humana lex cõmune illud ſupplicij genus, ad particularia traxit, & determinauit, dicendo id vt fiat ſuſpendendo latronem, & comburendo hæreticum, eo modo quo & artifex, domus formam in cõmuni conceptam, ad peculiares fabricas accommodat, dicendo vt hoc ſic, illud vero aliter fiat. Quod quidem (vt dixi) non fit per viam ſyllogiſmi, ſed per viam ſpecificæ cuiuſdam determinationis, ſiue applicationis alicuius communis & vniuerſalis generis, ad ſuas particulares ſpecies, & per legem humanam, per quam pœnam cum culpa dimetiamur, faciendo huiuſmodi collectionem. Si malus eſt puniendus, latroni congruum illi ſupplicium eſt ſuſpendium, hæretico vero incendium, taliterque puniantur. In qua quidem lege ſiue conſtitutione, licet prima præmiſſarum lumine naturali cognita ſit, non tamen ſecunda, neque ex ipſa per euidentem conſequentiam ſequitur, ſed eſt quoddam humanum arbitramentum. Ex quo præſuppoſito notabili manifeſte ſequitur, quod deriuatio legis humanæ, quæ fit ex naturali lege ſeu ex principijs legis naturæ, per viam concluſionis & ſyllogiſmi, non eſt noua conſtitutio talis operis in genere virtutis, ſed deductio & explicatio virtutis, quæ in principijs naturalibus latebat, nam totus Decalogus, & omnia illius præcepta, quæ ſunt nõ furtum facies, non fornicaberis, &c. ante omnem humanam legem & ratiocinationem erant virtutes, exiſtentes & latentes in ſuis proprijs naturalibus principijs, explicata ſunt autem atque exterius poſita, vt ne quis ſibi eorum ignorantiam prætexeret. At verò illa deriuatio legis humanæ, quę fit ex lege naturali, & ex ipſius principijs, non per viam Concluſioins & ſyllogiſmi, ſed per viam ſpecificę cuiuſdam determinationis, & applicationis alicuius communis generis ad aliquod particulare, prout dictum eſt in exemplis poſitis, noua eſt conſtitutio operis in eſſe virtutis, nam iure naturę non erat virtus, ſuſpendere latronem aut hęreticum cũburere, etenim lex naturę tantum dicebat quod mali punirentur, &c. quãdo ergo lex humana, conſtituit ſiue determinauit, prędictorum particulare ſupplicium, cõmune ſupplicij genus, ad caſus particulares determinando & applicando, tunc certè fecit ſuſpenſionem latronis & combuſtionẽ hęretici eſſe actus virtutis, quod eſt ſummopere notandum atque memorię valde commẽdandum, ad percipiendam differentiam humanarum legum, & quia vt inquit D. Thom. leges humanæ, quæ ſunt prioris generis, habent ſuum vigorem & virtutem à lege & naturali iure, illæ verò quę ſunt poſterioris ordinis minime, ſed tãtũ à iure

Nota valde, differentiam quæ verſatur inter præcepta iuris naturalis, & ea quæ ſunt de iure gentium ſiue ciuili.

à iure ciuili, quamuis ſint multum iuri naturali conformes.

Ad argumenta igitur in contrarium adducta reſpondetur. Ad primum quod erat de lege Dei æterna, dico quod lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum eſt iuſta ac ſecundum rectã rationem, & ſecundum hoc certũ eſt, quod á lege æterna deriuatur, ſi tamen à recta ratione recedit, iam non promeretur rationem legis, ſed magis cuiuſdam violeneiæ, & tales ſunt omnes leges, quæ dicuntur iniquæ, de quibus non loquimur nos, ſed de legibus humanis iuſtis & rectis. Et addit D. Thomas loco ſupracitato, in ſolutione ad ſecundum, quod etiam in ipſis legibus iniquis, in quantum reperitur ibi aliquid de ſimilitudine legis, propter ordinem poteſtatis eorum, qui fecerunt illas, adhuc dicere poſſumus, quod ab æterna Dei lege deriuantur, ſiquidem vt dixit D. Paulus ad Romanos 13. *Omnis poteſtas á Domino Deo eſt*, quinvero & infidelium principum poteſtas à Deo deriuatur, iuxta illud quod dixit Chriſtus Dominus ad Pilatum, *non haberes in mẽ poteſtatem, niſi tibi datum deſuper fuiſſet*, ſed hæc eſt alia deriuatio, de qua aliàs. Ad confirmationem vero dico, quod lex humana, quæ malum permitteret, approbando illud vt bonum, vt quæ fornicationem pronuntiaret eſſe bonam, nequaquam à lege æterna diceretur deriuari, ſeu ab ipſa profluere, at vero illa quæ impunè permittit aliqua mala, vt forſan euitentur maiora, aut quia non poteſt omnia cohibere & coercere flagitia, in hoc quod non conatur ad id quod nequit perficere, & moraliter loquendo explere impoſſibile eſt, non eſt mala, ſed recta ac prudens, & à diuina, æternaque Dei lege deſcendit & deriuatur, quamuis vt inferior ac debilior, illam perfectè non adæquet. Videatur hac de re Diuus Thomas loco ſupracitato in ſolutione ad tertium.

Ad ſecundum argumentum, adductum de lege naturali, reſpondetur, quod Ariſtotel. in illo loco, nuncupauit iuſtum legale, illud quod eſt mere ciuile, & quod ſecundo modo ex lege naturali deriuatur, de quo etiam diximus quod antequam ſtabiliretur non erat virtus, ac proinde nec referebat ſic vel aliter fieri, ſecus eſt autem de deriuatis ex iure naturali, primo modo. Et vtcumque illud ſit, de his omnibus verum eſt dicere, quod à iure naturali deriuantur mediatè vel immediatè, per modum concluſionis ſyllogiſmi, ſiue euidentis conſequentiæ, aut per modum alterius deriuationis, applicando & determinando aliquod commune ad ſuum particulare. Similiter reſpondetur ad cõfirmationem, quod quando Diuus Iſidorus in quinta Etymologia, diuidit ius naturale contra ius poſitiuum, intelligit de poſitiuo ſecundo modo dicto, hoc eſt de poſitiuo mere ciuili, de quo etiam verum eſt dicere, quod deriuatur à iure naturali, ſaltim ſecundo prædicto modo deriuationis, in quantum ius poſitiuum ciuile, ſi illud eſt iuſtum, conforme eſſe debet iuri naturali.

Hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VII.

Quiſnam ſit effectus humanarum legũ? & an effectus legum humanarum, ſit homines bonos facere?

VT quod quæritur plenius eluceſcat, pro parte contraria aliquot libet proponere argumenta. Et primo videtur quod effectus legis nõ ſit homines bonos facere, nam de mente Ariſtotelis ſecundo Ethicorum capite ſexto. *Sola virtus eſtque bonum habentem facit*, quæ & donum, & munus Dei eſt, iuxta celebrem illam ſententiam Diui Auguſtini, libro ſecundo de libero arbitrio, qua definiens virtutem dixit: *Quod virtus eſt bona qualitas mentis, quam Deus in nobis, ſinè nobis operatur*: ſed legiſlatores per ſuas leges, non valent homines virtuoſos efficere: ergo neque bonos, ac proinde non ipſe eſt effectus humanarum legum.

Secundo ſic argumentor ad idem, nam nullus hominum eſt aut eſſe poteſt ſimpliciter bonus, ſine gratia & charitate, vt tenet communis omniũ Theologorum ſententia: ſed ciuiles leges nihil dictant aut præcipiunt de gratia & charitate, ſed vt plurimum ordinantur in bonum vtile, ſeu in id quod ſolam reſpicit vtilitatem Reipublicæ: ergo ipſarum effectus non eſt facere homines bonos.

Tertio probatur idipſum, Nam leges non proſunt hominibus, niſi illis obediant, & eiſdem ſint obſequentes, quod nec ipſi facere poſſunt, niſi ſint boni: ergo bonitas (ſaltim obedientiæ) iam præſupponitur in hominibus ad leges ipſas: ergo eorum effectus non eſt homines bonos facere. His tamen non obſtantibus, pro reſolutione ſuorapoſitæ difficultatis, ſequentem ſtatuo, & ordino concluſionem.

Concluſio.

Omnis lex intendit cines ſuos facere bonos, ea bonitate, quæ congruit ſuo proprio fini.

OMnis lex, ſuos ſubditos intendit facere bonos, ea bonitate, quæ congruit, & conuenit ſuo proprio fini. Hæc concluſio generalis eſt, & vniuerſaliter comprehendit omnes leges, diuinas & humanas, ſeculares & Eccleſiaſticas, & dicimus quod ſecundum finem, quem quælibet lex habet, talis eſt & effectus, quem intendit, ſiue procurat inducere in homines, nam lex diuina homines intendit efficere ſimpliciter bonos, quod ſolum fit per gratiam & charitatem, & hoc ipſum ſuo quoque modo & ordine, intendunt, atque procurant leges humanæ, Canonicæ & Eccleſiaſticæ, at ciuiles intendunt effectus proprio ipſarum fini congruentes & conuenientes. Sic explicata & declarata prædicta concluſio, eſt Diui Thomæ prima ſecundæ, quæſtione 92. articulo primo, vbi & probat eam, primo auctoritate Philoſophi, libro primo Ethicorum capite 14. vbi inquit: *Quod voluntas cuiuslibet legislatoris hæc eſt, vt homines bonos faciat.* Secundo probat eandẽ rationẽ, & ratio hæc eſt, nã cum lex (vt dictũ eſt) nihil ſit aliud quã dictamen

rationis in Præſidente, quo ſubditi reguntur & gubernantur, & ſubditorum virtus in eo conſiſtat vt bene ſubdantur ei à quo gubernantur & reguntur manifeſte ſequitur, quod proprius legis effectus erit inducere ſupradictos ſubditos ad propriam ipſorum virtutem. Quæ quidem virtus cum bonos faciat habentes eam, ſequitur vlterius, quod lex quæ ordinat ſubditos ad propriam virtutem, conſequenter proinde ordinat illos, vt eos bonos faciat ea bonitate quæ ſuo fini fuerit expediens atq; conueniens. Sed vt hoc plenius intelligatur, adnotare oportet ex eodem D. Thom. loco ſupra citato, quod ſi ferentis & ſtatuentis legem intentio, tendat in verum bonum quod eſt ſimpliciter bonum, & ſecundum iuſtitiam, per talem legem homines efficientur ſimpliciter boni, aut ſaltim idipſum, procurabit lex, & per eam non ſtabit, quin boni ſimpliciter efficiantur. Si vero bonũ in quod lex tendit, non eſt verum & ſimpliciter bonum, & ſecundum iuſtitiam, ſed bonum quoddam vtile vel delectabile, per ipſam quidem efficientur homines non boni ſimpliciter, ſed boni ſecundum quid & in ordine ad tale regimen, & ſecundum finem, quem ipſa lex intendit. Ex quo ſequitur, quod quælibet lex quantum eſt ex ſua ratione, intendit facere bonos, eos quibus datur, bonitate ſimpliciter, aut ſaltim bonitate ſecundum quid. Sed vlterius oportet aduertere, quod inter leges omnes, nulla eſt quæ obſeruatores ſuos, ſimpliciter & abſolute, quantum eſt de ſe bonos faciat, niſi ſola lex Chriſti, per cuius obſeruantiam præſtatur gratia, & ipſa eſt quæ homines facit vere & perfecte virtuoſos ſimpliciter, reliquæ vero non, niſi ſecundũ quid, & in quantum ordinantur ad ipſam, ſeu eam habent pro fine.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur. Ad primum patet ſolutio ex ſupradictis, & nihil aliud occurrit dicendum.

Nota valde differentia, quæ verſatur inter bonũ ciuem & virũ bonum.

Ad ſecundum ſimiliter patet ſolutio ex dictis, nec noſtra concluſio fatetur aliud, ſed tantum dicit eſſe proprium effectum legis, facere homines virtuoſos, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid. Nã quæ fuerit ſimpliciter perfecta, & lata in bonum ſimpliciter, faciet obſeruatores ſuos bonos & virtuoſos ſimpliciter, quæ vero non ita, faciet illos bonos & virtuoſos ſecundum quid, bonitate quadam Politica: ex quo infertur vlterius, quam lata ſit differentia inter virum bonum & bonum ciuem & quam alia ſit virtus huius atque illius, ſed de hoc aliàs.

Ad tertium & vltimum reſpondetur, quod quãuis qui obedit legi, id facere intelligatur ex bono virtutis obedientiæ, non tamen ſemper id ita eſt, ſed quandoque ex metu & timore pœnæ quã lex ipſa comminatur, & per quam inducitur vt prompto animo legi obtemperet. Quamuis etiam dici poſſit, quod id faciat ex ſolo rationis dictamine, quod eſt quoddam principium virtutis. Sunt enim nobis à natura & ante legem, inſita quædam virtutum ſemina vt diximus ſupra, per quæ inclinamur ad recte agendum & ad obediendum legibus, per quarum obedientiam, atque obſeruantiam poſtmodum virtutes perfecte comparantur. Et ſic argumentum nihil concludit. Hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS VIII.

Quinam ſit Legis actus? & an Legum actus ſint imperare, vetare, permittere atque punire?

Concluſio.

LEgum actus in communi conſiderati, ſunt imperare, vetare, permittere atque punire. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 1.2. quæſt. 91 art. 2. vbi & probat eam ex auctoritate D. Iſidori, lib. 5. Etymol. capit. 19. quæ & refertur à Gratiano in decreto, *diſt. 4. in cap. omnis autem lex.* Vbi adnotare oportet, quod quãuis D. Iſidorus ibidem, vt quibuſdam videtur, non conſtituat niſi tantum tres legis actus, nempe permittere, vetare, & punire, re tamen vera non ponit niſi ſupradictos quatuor, nam etiam addit præcipere, vt patebit intuenti. Sed quidquid de hoc ſit certiſſimum eſt, quod quatuor legum actus ſunt ponendi, & quatuor ponit D. Thomas loco ſupra citato, ſimiliter & gloſſa in ſupradicto *cap. omnis autem*, quin vero & Modeſtinus Iuriſconſultus, in *l. legis virtus, ff. de legibus, & ſena.* Et quod quatuor ſupradicti actus ſint ponendi, videtur neceſſario dicendum, vt expreſſe conſtat ex ratione, quam adducit D. Thomas loco ſupra citato, præſupponendo, quod omnis lex ordinatur ad humanos actus dirigendos, quorum quidam ex genere ſuo ſunt boni (quales ſunt actus virtutum) & reſpectu horum ponitur præcipere & imperare, & conſtituitur tanquam proprius legis actus, alij vero ex genere ſuo ſunt mali (vt actus vitioſi) & iſtorum reſpectũ ponitur alius legis actus, qui eſt prohibere & vetare, alij autem ſunt ex ſe indifferentes, qui parum vel nihil in ſe bonitatis aut malitiæ continent, & reſpectu illorum ponitur permittere, tamquam alius proprius legis actus. Sed quoniam quandoque ſupradicta omnia non ſufficiunt oportuit etiam, vt lex ad ſui obſeruantiam & obedientiam, timorẽ induceret pœnæ, quo homines incitarẽtur atq; prouocarẽtur ad bene agendum, & ſe retrahendũ à malo, ad quẽ finẽ additur alius proprius legis effectus ſiue actus, qui eſt punire, & ſic ſunt quatuor, nec de hoc eſt dubitandũ.

Legis actus in communi conſiderati ſunt imperare, vetare, permittere atque punire.

Nota valde qualiter legis actus ſint quatuor.

Sed quamuis ſupradicta vera ſint, maioris tamẽ explicationis & declarationis gratia, in contrarium aliquot libet adducere argumenta, vt quæ dicta ſunt clariora fiant.

Et primo probatur quod ſint otioſi, excuſarique poſſint primus & ſecundus legis actus, qui eſt præcipere & vetare, nã quæ genere ſuo ſunt bona vel mala, quidnã opus eſt alia præceptione aut prohibitione illa præcipere aut prohibere, cũ ipſa per ſe ſint ſatis iure naturæ præcepta, aut prohibita?

Secundo probatur idipſum de tertio legis actu, qui eſt permittere, quod non ſufficiẽter eiuſmodi actus fuerit appoſitus, cũ vt de ſe patet per humanas leges nõ ſolũ permittantur interdũ differẽtia, vt ociari, ludere & venari (quãtũ eutrapeliæ virtus indulget) ſed & quæ interdũ ſunt de ſe intrinſece

mala

mala, vt ſcortari & loci cauſa mentiri, & id generis alia.

Tertiò, nam ſupradictæ legis actuum enumerationi, conſilium videtur defuiſſe, quod quidem nec minimum interdum conducit ad legum obſeruantiam, & ad operandum id quod eſt bonum, & ſimiliter ad recedendum à malo. Quod ipſum iure optimo dici etiam poteſt de præmio, quod iuxta ſententiam Iuriſconſulti, in l. 1. ff. *de iuſt. & iur.* ad virtutem ſectandam multum conducit. Et pari ratione pœna ſiue pœnarum metus, quæ omnia videntur fuiſſe prætermiſſa & in ſupradicta actuum legis enumeratione defuiſſe, hæc ſunt quæ contra ſupradictam noſtram Concluſionem poſſunt adduci. Sed nihilominus dico, per ſupradictos quatuor legis actus omnia fuiſſe congruentiſſimè atque cõuenientiſſimè diſpoſita & prouiſa, nam ſi qui alij deeſſe videntur, vt ſtatim patebit, continentur in prædictis.

Vnde ad primum argumentum in contrarium adductum reſpondetur, quod quamuis ea quæ ex genere ſuo ſunt bona aut mala, per legem naturæ ſatis videantur eſſe præcepta aut prohibita reſpectiue, adhuc tamen amplioris luminis & maioris claritatis, ſiue explicationis gratia, oportuit omnia ſupradicta voce proferri, & ſcriptis prohiberi & mandari. Qua etiam ratione olim in lege Moyſis poſitus fuit Decalogus, quorum præcepta nihil ſunt aliud, quam quædam expreſſiones earum Concluſionum & veritatum, quæ implicite continebantur in naturali lege, & principijs naturalibus. Dico vlterius, quod per humanas leges non ſolum præcipiuntur ea, quæ ex genere ſuo ſunt bona, nec ſolùm vetantur ſiue prohibentur ea, quę ex genere ſuo ſunt mala, verum etiam & multa alia conſtituuntur de nouo per leges virtutum loco, & vetantur quæ alias erant licita, quæ poſt legum prohibitionem efficiuntur mala. Vnde & prodijt celebris illa Theologorum ſententia & diſtinctio, quod multa ſunt mala quia prohibita, alia verò prohibita quia mala. Ex quibus conſtat, qualiter fuerit ſimpliciter neceſſarium, apponere ſuprà dictos duos legis actus, qui ſunt præcipere, & vetare.

Nota quod multa ſunt mala quia prohibita, alia verò prohibita quia mala.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod quantum attinet ad legem humanam, etiam dicũtur indifferentia ea quæ nõ ſunt valde mala, vt pote ex quibus nulla grauis alicui emergit iniuria, aut non intolerabilis ſequitur abſurditas, quia cum omnia mala cohibere non ſit in poteſtate Reipublicæ, impune ea permittit vt fiant, haud quaquam tamen approbat quaſi licita (id enim facere nequit lex quæ fuerit iuſta) nam omnis talis vt dictum eſt ſupra, à lege æterna diuina & naturali deriuatur.

Ad tertium reſpondetur, quod quamuis conſilium interdum multum conducat, vt argumentum prætendit, non tamen enumeratur inter legis actus, cum conſiliũ de ſe non vim habeat coercitiuam, quam ſupra diximus eſſe de ratione legis, ſicque conſilium non eſt proprium munus principis, ſeu legislatoris, quin verò ipſum cuilibet priuatæ perſonæ poteſt competere. Propter eandem rationem præmium & pœna, ſeu ipſorum poſitio, nõ enumeratur inter proprios legis actus, nam quamuis quantum eſt de ſe, inducant & prouocent ad legum obedientiam & obſeruantiam, ad virtutis ſtudium & vitiorum odium, cum tamẽ non habeant coerctionem, ſed cuilibet etiam priuatæ perſonæ poſſint competere, non quidem id ſpectat ad proprios legis actus.

ARTICVLVS IX.

Quænam eſſe debeant Legum conditiones & qualitates, ad hoc vt ſint iuſtæ & rectæ?

Concluſio.

Conditiones & qualitatis legum deſcribuntur à D. Iſidoro congruentiſſime & à Gratiano in cap. erit autem lex, d. 4.

COnditiones & qualitates legum, rectiſſime & congruentiſſime deſcribũtur à Diuo Iſidoro, lib. 5. Etymol. cap. 3. & 21. & refertur à Gratiano in Decreto diſt. 4. in cap. *erit autem lex*, vbi dicitur, quod *lex eſſe debet honeſta, iuſta, poſsibilis, ſecundum naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem, loco, tem porique conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoque, vt ne aliquid per obſcuritatem incaptione contineat, nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta.* Pro cuius Concluſionis intelligentia, aduertere oportet, ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 95. art. 3 quod ante prædicta verba præmiſerat idem Diuus Iſidorus aliam breuiorem legis definitionem ſeu deſcriptionem, qua breuiter atque compendioſe, eiuſdem deſcripſerat conditiones & qualitates, dicendo, *quod lex eſſe debet, quæ Religioni conueniat, diſciplinæ congruat, atque ſaluti proficiat.* Quæ verba explicans ſupradictus D. Thom. inquit, pro eo fuiſſe dictum, legem eſſe debere, quæ Religioni conueniat, quia eſſe debet proportionata diuinæ legi. Quæ diſciplinæ congruat, quia oportet eam eſſe proportionatam legi naturæ. Atque vt ſaluti proficiat, quia eſſe debet proportionata vtilitati humanæ. Et addit, quod ad prædicta tria reducuntur omnes aliæ conditiones, quæ poſtea poſuit dictus Diuus Iſidorus expreſſius ſiue explicatius Oratorum more, ad depingendam legis pulchritudinem & perfectionem.

Nota multa circa conditiones & qualitates legum

Sed ne dum iſta ſic generaliter atque in vniuerſali dicuntur, minus ſint audientibus ſiue legentibus vtilia & proficua, libet in præſentiarum prædicta omnia in particulari, iterum explicare & declarare per ſingula. Et dico quod ex ſupradictis D. Iſidori verbis manifeſtè colligitur, quod ad hoc vt aliqua lex ſit recta & iuſta, ſeptem debent conditiones & qualitates concurrere. Primo quod ipſa ſit honeſta, per quod ſecundum D. Thom. intelligi debet, quod Religioni congruat, ſiue conueniat, nam quæ Religioni qua Deus colitur non cõuenit. qui primus eſt eſſeque debet humanarum actionum finis, honeſta eſſe nullatenus poteſt. Quam prædictam conditionem explicans Soto, li. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 5. art. 3. inquit, quod in hoc quod dicitur debere legem eſſe honeſtam atque Religioni congruentem, manifeſtè datur intelligi quod debet referri, ordinari & dirigi in legem Dei æternã, quæ eſt fons & origo totius recti

tudinis. Ex quo à contrario ſenſu colligitur, quod leges turpes, & quæ in ſupradictam legem Dei æternam non diriguntur & ordinantur, quin vero tales ſunt, quod oculos & aures audientium offendunt, quales erant olim apud Ethnicos antiquos, ſuorum templorum leges & ritus, nempe leges bacchanaliorum, quæ crapula & ebrietate, & obſcœna hominum nuditate celebrabantur, nimium diſtabāt à vera & propria ratione legum, cū prima & potiſſima legis conditio ſit, quod ipſa eſſet honeſta. Quam etiam conditionem explicans, atque exaggerans, gloſſa ſupradicti *capit. erit autem lex, verbo, honeſta, diſt. 4.* inquit, quod in iure non tam deſideratur iuſtitia, quam honeſtas, ad quod probandum inducit *cap. porro. 35. q. 3.* vbi hoc ipſum expreſſe habetur.

Omnis etiam lex debet eſſe iuſta, & leges iniquæ longe diſtant á ratione legis.

Secunda legis conditio eſt, vt ſit iuſta, quod adeo in legibus ſummopere eſt neceſſarium, vt iuxta mentem atque ſententiam Diui Auguſtini, libr. 1. de libero arbitrio cap. 5. quæ lex iuſta non fuerit, non erit lex, nec legis quidem promeretur nomē, & tantum habent leges de virtute legis, quantum habuerint de iuſtitia. Ad quod etiam probandum, & confirmandum, facit quammaxime auctoritas Diui Iſidori, lib. 5. Etymolog. capi. 3. quæ & refertur à Gratiano *in Decreto, diſti. 1. in capit. ius generale*, vbi inquit, *quod ius generale nomen eſt, lex autem iuris ſpecies*, & quod ius eſt dictum pro eo quod iuſtum eſt. Ex quo à contrario ſenſu colligitur, quod lex, quæ iuſta non fuerit, lex non eſt. Debet igitur quælibet lex eſſe honeſta & iuſta, quorum primum refertur ad Deum, reliquum vero ad proximum, & leges, quibus ſupradictæ duæ conditiones & qualitates defuerint, quæcumque illæ ſint, longe abſunt & diſtant à ratione legis.

Lex vt ſit iuſta, debet eſſe etiam obſeruabilis, & non maliū difficilis.

Tertio dicit D. Iſidor. quod lex debet eſſe poſſibilis, ſecundum naturam, quæ quidem poſſibilitas vt inquit ſupradictus Soto loco ſupracitato, debet penſari, & conſiderari ex varijs hominum ingenijs, & diuerſa ciuium conditione, & quod poſſibile in hoc loco accipitur, pro eo quod non eſt valde difficile, & non ſolum pro eo quod non eſt impoſſibile ſimpliciter. Qua prædicta conditione, & legis qualitate, manifeſte datur intelligi, quod illud quod lex præcipit, eſſe debet factibile, & nō nimium difficile, ſecundum naturam eorum, quibus leges apponuntur, ſiue conſtituuntur. Sunt enim penſandæ perſonarum differentiæ, & qualitates, ſubditorumque natura, & conditio. Id quod inſinuare voluit D. Iſidorus, per ſupradicta verba, poſſibilis ſecundum naturam, quamuis & alij dicant per ſupradicta verba inſinuari, quod leges humanæ à lege naturæ debent deriuari. Haud enim expedit, vt pueris & ætate nondum firmis, ſeu infirmis, & ſenibus vetuſtate confectis, eadem grauamina præcipiantur, quæ alijs firmioribus & validioribus, & idem dico in ſimili propoſito de alijs. Ad quod facit quammaxime, quod dicit gloſſa explicando ſupradictam particulam, & legis cō ditionem & qualitatem, nempe quod ſi propter ipſius impoſſibilitatem aliqua lex transgrederetur, fruſtra & ſine cauſa ad pœnam imputaretur. Ad quod probandum inducit cap. *non eſt. 15, q. 1. & cap. Nabuchodonoſor. 23. q. 4. & l. 1. §. dies autem iſtos, ff. quando appellan.* Ad probandum etiam quod lex eſſe debet ſecuddum naturam, ideſt naturalem rationem adducit *cap. conſuetudo, diſt. 1.* vbi habetur, *quod lex erit omne illud dannatum, quod ratione conſtiterit*, non vero quod à ratione fuerit alienum.

Nota quod lex eſſe debet ſecundū cōſuetudinē patriæ loco & tēpori congruens.

Quarto dicitur, quod lex eſſe debet ſecundum conſuetudinem patriæ, loco temporique conueniens, per quod datur intelligi, quod ad conſtitutionem legis, penſari, & conſiderari debent, tum conſuetudo patriæ, tum etiam circunſtantiæ, loci & temporis, nam lex, quæ vno loco, ſeu vno tempore, & ſecundum alicuius patriæ conſuetudinem fuerit iuſta, cenſebitur quidem iniuſta quolibet horum deficiente. Etenim cum humana natura mutari non poſſit, & in diuerſis regionibus, diuerſa ſint hominum ingenia, mores & conditiones, regionis moribus quammaxime leges debent aptari, multumque perpendi, atque conſiderari, in condendis legibus circunſtantiæ loci & temporis, aliás non promerebuntur nomen legis. Circa quam conditionem & qualitatem eſt notandū, quod dicit gloſſa loco ſupracitato, *verbo, ſecundum patriæ conſuetudinem*, quod ſi lex fuerit ſtabilita contra conſuetudinem inhabitantium alicui loco, per contrariam cō ſuetudinem abrogatur, *per cap. ſtatuimus, & cap. in iſtis. §. leges, diſt. 4.* Et præterea quia conſuetudo interpretatur legem, *per cap. Abbate, de verb. ſignificat. & l. cum de conſuetudine, & l. ſi de interpretatione. ff. de legibus.* Dicit vlterius ſupradicta gloſſa, quod debent multum conſiderari in condendis legibus, circunſtantiæ loci & temporis, quia in aliquibus locis aliqua ſtatuuntur, quæ alibi non reciperentur, *per cap. ante, cap. aliter, diſt. 31.* & quia omnia proprijs ſuis debent conuenire temporibus, iuxta *cap. ſi Eccleſia 25. q. 3, & cap. ſi peccauerit. 2. q. 1.* Præterea in conſtituendo iure, conſideranda eſt vicinitas vel remotio locorum, iuxta *cap. cum longe diſt. 63.*

Lex' etiā eſſe debet neceſſaria, & vtilis, neq; ſine neceſſitate vrgēti fieri debent leges.

Quinto debet eſſe lex neceſſaria & vtilis, neceſſaria ad cauendum aliqua incommoda & nocumēta, quibus forſan Reſpublica peruerteretur, vtilis ad aliquem finem, & commune Reipublicæ bonū conſequendum: per quod datur intelligi, quod nō ſine cauſa & neceſſitate, atque euidenti vtilitate, leges debent fieri & ſtatui, quod & probat, multū que commendat ſupradicta gloſſa, & ad idem probandum inducit, *cap. regulæ. diſt. 29. & cap. Corepiſcopi diſt. 68. & cap. omnia, diſt. 12.* quibus in locis dicitur, quod lex non neceſſaria, ſiue inutilis, omnino eſt abijcienda. Per quod & merito reprehēditur, quorundam iudicum, & Prælatorum facilitas & propenſio nimia in condendis legibus innumeris, quarum proinde obſeruatio, quaſi impoſſibilis redditur, quæ & ad nihilum deſeruiunt, niſi vt patuipēdantur, ſeu vt efficiantur aranearum telæ, quibus non leones, ſed muſcæ tenues capiantur.

Lex eſſe etiā debet manifeſta, ne per obſcuritatē occaſionē, vt ignorantes illam trāsgrediātur

Sexto oportet, vt lex ſit manifeſta, & ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat. Expedit enim quammaxime, vt nulla ſit lex obſcuritate obuoluta, ne hac de cauſa ad captandos puſillos & ignorantes muſcipula fiat, ſed vt ſit vſque adeo manifeſta, vt transgreſſorum nullus ignorantiam poſſit prætexere, ac dicere ſe eam non intellexiſſe. Quod & commendatur nimium, *in l. leges ſacratiſſimæ. ff. de legibus, & Conſtitut.* vbi habetur, *quod leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſi præſcripta earum manifeſtius*

cognita

cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur. Verba ſunt notatu digniſsima, quod etiam multum commendat ſupradicta gloſſa, explicans prædicta verba, ad quod probandum inducit, *cap. non in teſtibus, 4. quæſt. 3. & capit. de viduis. 27. quæſt. 1. & capit. plerique. 14. quæſt. 3. & l. contra legem. ff. de leg.*

Nota quod lex non eſſe debet cõſcripta aliquo priuato cõmodo, ſed pro cõmuni bono.

Septimo & vltimo dicitur ab Iſidoro, quod lex eſſe debet cõſcripta, nullo priuato commodo, ſed pro communi vtilitate ciuium. Circa quam qualitatem & conditionem, quia multa diximus ſupra in huius quæſtionis Art. 2. plura in præſentiarum dicere prætermitto. Videatur hac de re D. Thom. vbi ſupra, & Medina ibidem, & Magiſter Soto vbi ſupra, libro primo, quæſtion. 5. artic. 3. vbi ad hunc propoſitum non modica reperientur notatu quãmaxime digna.

ARTICVLVS X.

Vtrum conuenienter Diuus Iſidorus, & Iuriſperiti, Ius humanum, & ciuiles leges diuidant?

CIrca hunc Articulum, vt amplius appareat ratio dubitandi, & ex huius difficultatis reſolutione, aliquid commodi & vtilitatis reſultare poſſit, præmittere libet, quod D. Iſidor. lib. 5. Etymolo. cap. 4. & refertur à Gratiano *in Decreto, diſt. 1. in cap, ius autem*, omne ius in communi ſumptum, diuiſit in naturale gentium, ac ciuile, quibus verbis contraponere videtur ius gentium & ciuile, contra ius omnino naturale: quod & multi Iuriſperiti ſæpiſſime faciunt, ſuper dictum *cap. ius naturale, diſt. 1. & ſuper l. 1. ff. de iuſtitia & iure*, vbi ius omne primo diuidunt in ius naturale, & in ius humanũ, ſiue poſitiuum, ac ſubinde prædictum ius humanũ & poſitiuum, ſubdiuidunt in ius gentium & ius ciuile. Quod feciſſe ſecundum aliquos, non apparet rationi conſonum, cum ius gentium potius ad ius naturale, quam ad ius poſitiuum & ciuile pertinere videatur. Siquidem ius gentium, eſt quaſi deriuatio & cõcluſio quædam iuris naturalis: id quod & inſinuare viſus eſt ſupradictus D. Iſidor. loco ſupra citato, & habetur in *cap. ius naturale, & cap. ius gẽtium, eadem diſt.* dicendo ius naturale commune eſſe omnium nationum, poſtquæ ſubdit, ius gentium ſic appellari, quia eo fere omnes vtuntur gentes. Præterea ſupradictus D. Iſidorus, Iuriſque periti, vt videtur ſine cauſa multiplicant legum diuiſiones, in leges ſacerdotum & militum, quæ deſumũtur ex diuerſis officijs, & in Senatuſconſulta, & plebiſcita, & multa id generis alia, quæ cum non formaliter, ſed materialiter differant, non deberent multiplicari. Imo eſſe videtur diuiſio facta ſine arte, nam vt inquit Ariſtoteles, materialis diuiſio non cadit ſub arte. Sic enim eſſe poſſet proceſſus in infinitum, nam & eadem ratione dicere poſſemus, quod aliæ fuerunt leges Athenienſium, aliæ Lacedæmonum, aliæ Romanorum, &c. quid ergo opus fuit dicere, quod alia eſt lex Cornelia, alia Iulia, alia Sempronia, & ſimiles, quæ à ſolis auctoribus diuerſa ſortiuntur nomina? Ad inueſtigãdam igitur horum rationem & cauſam, & quare prædictus D. Iſidorus vſus fuerit eiuſmodi diuiſionibus, ſequens inſtitutus fuit Articulus. Quibus difficultatibus breuiter & reſolutiue reſpondeo per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Diuiſio iuris tradita à D. Iſidoro congruentiſsima eſt.

DIuiſio iuris facta à D. Iſidoro, Iureque peritis, in ius naturale & ius humanum, ſiue poſitiuũ, itemque ſubdiuiſio iuris humani & poſitiui, in ius gentium & ciuile, optima eſt, & congruentiſſimas habet rationes. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thomæ 1. 2. q. 95. art. 4. & fundatur in ſupradicta auctoritate D. Iſidori. Et ad probandum quod ius gentium diſtinguatur à iure naturali, ſimpliciter & abſolute, iam nos plura diximus ſupra in Arti. 2. huius Quæſtionis, concluſione 2. 3. & 4. Nec neceſſe eſt eadem iterum in præſentiarum repetere. Solũ oportet modo vt oſtendamus, qua ratione ius gẽtium, & ius ciuile diſtinguantur. Pro cuius intelligentia, ſuppono ex D. Thoma loco ſupra citato, quod ius humanum diuiditur, in ius gentium, & ius ciuile, eo fere modo quo & hoc nomen animal in rationale, & irrationale. Certum eſt enim, quod vnumquodque genus formaliter & per ſe diuiditur, in ea quæ in eius ratione continẽtur, non autem penes ea, quæ ſibi accidunt forinſecus. Quia enim animal in ſe continet animam, quæ ex ratione ſua intrinſeca eſt, vel rationalis, vel irrationalis, inde eſt quod per ſe & formaliter diuiditur in rationale, & irrationale, non autem in album, vel nigrum, &c. nam hæc ſibi de foris accidunt. Hoc ſuppoſito probatur modo quod ius humanum poſitiuum, recte diuidatur in ius gentium, & ius ciuile. Nam vnumquodque poteſt diuidi, in ea, quæ in ſui ratione continentur ex ſupradictis: ſed ius humanum & poſitiuum includit in ſui ratione, vt deriuetur à lege naturali & diuina, vel tamquam concluſiones deductæ ex ſuis principijs, vel ſaltim per modum cuiuſdam particularis determinationis, ex quodam communi & generali ad ſuum particulare, eo modo quo diximus ſupra Artic. 6. concl. 2. ergo & omne ius humanum & poſitiuum recte, & congruenter diuiditur, in ius gentium & ius ciuile. Eſt enim ius gentium, quidquid mortales ex principijs naturalibus ratiocinati ſunt per modum concluſionis, ius vero ciuile, quod ex eiſdem principijs procedit, non quidem per modum concluſionis, ſeu naturalis illationis, ſed per modum deriuationis & arbitrariæ cuiuſdam determinationis. Videatur hac de re D. Thomas loco ſupra citato, & Soto libr. 1. de iuſtitia & iure quæſt. 6. artic. 4.

Nota valde.

Secunda Concluſio.

Leges etiam ciuiles congruenter diuiduntur, in leges ſacerdotũ & Militũ, & alias quæ deſumũtur ex diuerſis officijs.

LEges etiam ciuiles, congruenter diuiduntur, in leges Sacerdotum & Militum, & in alias, quæ deſumuntur ex diuerſis officijs. Hæc concluſio eſt etiam D. Thom. loco ſupra citato, quam & probat hac ratione. Nam cum de ratione legũ ſit, quod ordinentur ad commune bonum, ſecũdum diuerſum ordinem eorum, qui ſpecialiter dant opẽ-

operam bono communi, bene potuerunt fieri atq; conſtitui leges hac ratione, reſpectu diuerſorum officiorum ac miniſtrorum Reipublicæ, qui egregiam operam nauabãt eidem bono communi. Hac ratione inſtitutæ ſunt ab antiquis olim, leges Sacerdotum, qui Religionis cultui conſecrantur, leges militum qui Reipublicæ ſunt veluti cuſtodes, ipſamque defendunt, leges Magiſtratuum qui eandem gubernant, & iuſtitiæ adminiſtrandæ præficiũtur, & ſic de alijs. Neque exinde ſequitur, quod pari ratione poſſent multiplicari leges, quaſi in infinitum ad alios legum conditores qui fuerunt in Republica, nam ſupradicta diuiſio legumque diſtinctio non eſt ita materialis, ſed multum formalis vt de ſe patet, nam omnes ſupradicti ſunt Miniſtri publici, communi bono deputati, non verò alij, ſed Reipublicæ particularibus neceſſitatibus inſeruientes.

Tertia Concluſio.

Leges etiã ciuiles, cõgruẽter diuiduntur in Senatuſconſulta, & plebiſcita, & id generis alia.

LEges etiam ciuiles, congruè diuiduntur in Senatuſconſulta, & plebiſcita & id generis alia. Hæc Concluſio eſt etiam D. Thom. loco ſupra citato, vbi & probat eam ex tertia legum conditione, nempe, quod leges debent fieri ab auctoritate habent in Republica, ſeu eius vicem gerente, ſecundum quem particularem reſpectum, vt Reipublicæ gubernatores ſunt diuerſi, & diuerſus eſt modus regendi Rempublicam: nam quædam Reſpublica eſt *Ariſtrocratia*, ideſt optimatum Principatus, quædam verò *Poliarchia*, id eſt Principatus paucorum, diuitumque & potentum, quædam verò *Democratia*. hoc eſt popularis potentia; quædam verò *Monarchia*, quod eſt regimen vnius Regis: ſecundùm hos diuerſos regendi & gubernandi modos, diuerſæ fieri, atque conſtitui potuerunt leges, quarum primæ dicerentur Senatuſconſulta, ſiue prudentum reſponſa; ſecundæ verò leges Prætoriæ, quæ ab alijs nuncupantur ius Prætorium, ſiue honorarium; tertiæ Plebiſcita, & tandem vltimæ Regales Conſtitutiones, ſeu leges Principum, de quibus extat, tit. primi lib. *Digeſtorum*, cuius prima lex eſt, *vt quod Principi placuit, legis vigorem habeat*.

Quotuplex ſit modus regendi, & gubernandi Rempublicam.

Quarta Concluſio.

Leges etiã ciuiles, cõgruè diuiduntur ſecundum earũ auctores, aut illa de quibus agunt & tractant.

COngruè etiam olim fuerunt aliæ leges conſtitutæ & diuiſæ, ita vt quædam diceretur, Cornelia, alia Iulia, alia verò Sempronia, &c. Hæc Concluſio eſt etiam D. Thom. loco ſupra citato, vbi & probat eam, ex eo quod de ratione legum humanarum eſt, quod ſint directiuæ humanorum actuum, quo fit vt ſecundùm diuerſa de quibus feruntur leges, diuerſæ etiam fieri atque conſtitui potuerint leges, quæ ex ſuis auctoribus diuerſa ſortitæ fuerint nomina, & ſic diſtinguuntur inter ſe, lex Iulia de adulterijs, lex Cornelia de ſicarijs, & ſic de alijs, non tam propter ipſarum auctores, quam propter ſpecificam actionum diſtantiam, de quibus latæ ſunt. Per quæ omnia patet ſolutio ad difficultatem propoſitam, & ad rationem dubitandi, nec rationes in contrarium adductæ, quidquam concludunt. Et ſic imponitur finis præſenti Articulo.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm humanæ leges, in communi debeant fieri ſiue conſtitui?

EOrſan apparere poſſet cuipiam, quod humanæ leges non in cõmuni, ſed in particulari fieri atque conſtitui deberent, ex eo quod legesvt multoties dictum eſt, ſunt de actionibus noſtris, quæ quidẽ cum in ſingulari fiãt, conſequens etiam fieri videtur, quod & humanæ leges, non in vniuerſali, ſed in ſingulari & in particulari deberent conſtitui. Quod & confirmari poteſt ex eo, quia vt etiam ſupra dictum eſt, leges ſunt quædãm menſuræ humanarum actionum, quæ quidem actiones humanæ vt de ſe patet ex ſe ſunt lubricæ atque incertæ: conſequens ergo fieri videtur, fuiſſe congruentius, quod leges fierent, & inſtituerentur de caſibus ſingularibus, quã quod in communi, vt vel ſic regula & menſura, rebus regulandis & mẽſurandis proportionãretur. Sed his non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Leges non in particulari, ſed in communi debent conſtitui.

LEges non in particulari, ſed in communi debẽt conſtitui. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Tho. 1.2. quæſt. 96. art. 1. Quam & probar, primo ex auctoritate Pomponij Iuriſcõſulti, in l. *iura. ff. de legibus*, vbi inquit, *quod iura oportet conſtitui in his, quæ accidunt* (hoc eſt in his quę vſu euenire ſolent) *non autem in his quæ præter opinionem, & inſperato contingunt, nam de his*, inquit, *quæ forte vno caſu accidere poſſunt, iura non conſtituuntur*. Quod & proſequitur in tribus legibus ſubſequentibus. Eſtque ad id appoſitiſſima ratio, quam adducit D. Thom. loco ſupra citato. Nam cum leges (vt multoties dictum eſt) non pro bono aliquo priuato, ſed pro communi vtilitate ciuium debeant conſtitui, reſpicereque habeant bonum commune, hoc autem commune bonum, ex multis conſtet, & ex varijs & multiplicibus hominum actionibus procuretur, vt medium fini cõgruat, manifeſtum eſt quod leges non in particulari, ſed in communi debent conſtitui, communiaq; reſpicere, quę diuerſa ſunt ratione diuerſarũ perſonarum, temporum atque locorum, vt vel ſic optimę ſint, longoque tempore durẽt. Ad hoc etiam probandum & confirmandum, facit quammaxime quod dicit Magiſter Soto, lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 6. art. 1. ſcilicet, quod accidentales circunſtantię nequeunt ſub lege concludi, ſed per prudẽtiam ſunt poſtea perpendendę, & ſicut in ſpeculatiuis, quemadmodum iubebat Plato olim, docetque Ariſtot. in ſpeciebus eſt quieſcendum, pro eo quod de ſingularibus, quę caduca ſunt, nulla eſſe poteſt ſcientia, ſed experiencia, ita etiam in practicis, de ſingularibus & quę caſu & forte accidunt, nulla eſſe poteſt lex, ſed ſola prudentia. Cui etiam & accidit noua alia ratio, nam vt inquit D. Auguſ. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 21. & lib. 22. cap. 6. leges nõ inſti-

Leges non in particulari, ſed in communi debent conſtitui.

Nota valde, q̃ de particularibus nõ eſt lex, neq; ſcientia, ſed experientia & prudentia.

inſtituuntur aut debent inſtitui vt paruo tempore durent, ſed vt longiſſimis ſæculis & per longam ciuium ſucceſſionem perſeuerent. Ex quo etiam fit conſequens, quod non in particulari, ſed in cõmuni ſunt conſtituendæ, cum particularia omnia ſint temporalia & caduca; & ſi de caſibus particularibus & ſingularibus leges ponerentur, illis mutatis ſubinde continuo deberent & leges ipſæ mutari, ex qua frequenti legum mutatione, Reſpublica non modicum quidem, ſed magnum pateretur damnum & detrimentum. Ex quibus omnibus cõprobatur, commune illud Theologorum & Iuriſperitorum axioma quod leges non reſpiciunt ea, quæ particularia, ſed quæ communia, non quæ raro, ſed quæ ſæpe, atque vt plurimum contingunt. Qua etiam ratione grauiter ſunt reprehendendi, & damnandi iudices atque Prælati, qui ſingulis occurrentibus caſibus, per nouarum legum conſtitutionem ſtatim occurrere contendunt, cum huiuſmodi caſus non per nouas leges, ſed per antiquas & per prudentiam veniant decidendi.

Ad argumenta ſiue rationes adductas dubitandi reſpondeo, ad primum per illud quod dicit Ariſtotel. 10. Metaphyſices, tex. 4. nempe, quod illud quod eſt lex & menſura, & aliorum directiuum, plurium oportet eſſe directiuum, & omnia quæ ſunt vnius generis aliquo vno menſurari, quod eſt primum eorum, quæ continentur in tali genere. Si enim eſſent tot regulæ ſiue menſuræ, quot eſſent regulanda & menſuranda, iam vtique ceſſaret in eis, vtilitas & ratio regulæ ſiue menſuræ, quæ eſt vt ex vno plura cognoſcantur ſeu poſſint cognoſci, ſic inquam ceſſaret aut nulla eſſet vtilitas legum, ſi non ipſæ ſe extenderent niſi ad vnum ſingularem actum, cum igitur leges ſint regulæ & menſuræ, non eſſe debent tot leges, quot & ſunt humanæ actiones, quin verò ſicut vna & eadem regula artifex plurimos diſponit lapides, ſicut etiam eadem vlna multæ dimetiuntur rerum quantitates, ſic eiſdem legibus ſeu ipſarum aliqua vna communi, regulandæ ſunt humanæ actiones, quod etiam pertinet ad perpetuitatem ipſarum legum, & per hoc reſpondetur ad confirmationem. Quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm ad leges humanas pertineat, omnia vitia cohibere?

ET quidem prima facie, primoque intuitu, videri poſſet forſan, quod ſic, nam vt dicit Diuus Iſidorus, lib. primo Etymologiarum, capit. 20. leges humanæ in id ſunt factæ & conſtitutæ, vt earum metu humana coerceatur audacia: ſed hoc non poteſt ſufficienter fieri, niſi quælibet mala prohibeantur per legem: ergo leges humanæ omnia debent vitia cohibere. Quod & confirmari poteſt ex eo, quia vt ſupra dictum eſt, finis Legiſlatoris eſt ciues ſuos bonos & virtuoſos facere: ſed hoc effici nullo modo poteſt, niſi ab omnibus vitijs compeſcantur & refrenentur per leges, neque enim eſſe poteſt quiſpiam dimidiate bonus: ergo ad leges humanas pertinet omnia vitia cohibere. Quod vt videtur, & naturalis ipſa ratio confirmat, nam per legem naturæ omnia vitia & mala cohibentur, ipſique rationi naturali repugnant: cum igitur omnes leges humanę, vt ſupra dictum eſt, à naturali deriuentur aut ſaltem habeant deriuari, conſequens fit, quod & ipſæ hoc ipſum debeant efficere. Sed nihilominus in contrarium eſt veritas, de qua ſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Per leges humanas, nõ omnia vitia cohiberi debent, ſed grauiora & à quibus maior Communitatis pars poterit abſtinere.

PEr leges humanas, non omnia vitia debent cohiberi, ſed ea ſolum quæ grauiora ſunt, & à quibus Communitatis maior pars per legem poterit abſtineri. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 96. artic. 2. quam & probat primo, ex auctoritate Diui Auguſtini, lib. 1. de libero arbitrio cap. quinto, vbi inquit, humanas leges multa concedere atque impunita relinquere, quæ per diuinam prouidentiam vindicantur. Secundo probat id ipſum ratione, & ratio eſt, quoniam humanæ leges debent hominibus imponi, iuxta eorum conditionem ſiue capacitatem, ſunt enim humanæ leges, vt dictum eſt, menſuræ humanarum actionum, debetque menſura cum rebus menſurandis proportionari, qua etiam ratione dixit olim D. Iſidor. quod lex ad hoc vt recta ſit, eſſe debet poſſibilis ſecundum naturam: ſed ſecundum hominum naturam, ac labilem & fragilem ipſorum conditionem, non poſſunt omnes in vniuerſum homines ab omnibus vitijs abſtinere, nam id ſolummodo reſeruatur iuſtis & perfectis: ergo per leges non omnia debent vitia cohiberi, ſed maiora & grauiora, & ea à quibus multitudinis ſiue Communitatis maior pars, per legem poterit abſtinere. Quod & confirmatur etiam à ſimili, nam ſicuti pueris plura permittuntur, quæ in adultis non ſunt innoxia, quin verò vituperantur & puniuntur, & propter hoc non eadem omninò lex ponitur pueris & adultis, quia ratio dictat, quod non eſt idem omninò poſſibile puero, quod adulto & viro perfecto, ita etiam in Republica, imperfectis atque infirmis & deficientibus virtute, plura permittuntur & tolerantur ſine pœna, quorum vltio diuino iudicio reſeruatur, quæ aliàs permittenda & toleranda non eſſent, in hominibus perfectis & virtuoſis. Ex quo infertur, quod humanæ leges non omnia vitia debent prohibere, ſed ea ſolummodo, quæ grauiora ſunt, & quæ in aliorum nocumentum vergunt, & ſine quorum prohibitione humana ſocietas nullatenus poſſet conſeruari, & à quibus maior multitudinis pars facile poſſit abſtinere.

Ad argumenta ſiue rationes dubitandi, in contrarium adductas, reſpondetur. Ad primum quod ſatis ſufficienter per humanas leges, humana reprimitur audacia, ſi arceantur homines à criminibus grauioribus, & quæ vergunt in aliorum nocumentum ſiue iniuriam, & ſine quibus humana ſocietas non poſſet conſeruari. Alia verò minora humanæ leges non prohibent, ne forte homines dum nimium legibus premuntur, in grauiora & deteriora proſiliant. Eſt enim ſcriptum Prouer. 30.

Quod qui nimis emungit, elicit ſanguinem. Et per hoc reſpondetur etiam ad confirmationem, & quia iuxta ſententiam Chriſti Domini, Matthæi 9. *Non oportet mittere vinum nouum in vtres veteres, rumpuntur enim vtres & vinum effunditur & vtres pereunt*: ſic nec oportet leges & mandata, ardua atque calore feruentia, & quæ viris iuſtis & perfectis conueniunt, mittere in vtres veteres, hoc eſt in homines impuros, corruptiſque moribus & affectibus laceratos, nam vinum effundetur, peribuntque vtres, hoc eſt contemnétur præcepta, atque ex contemptu ipſi iniqui in peiora & deteriora proſilient. Ad illud verò quod dicitur de lege naturæ, reſpondetur quod lex naturalis vt ſupra dictum eſt, eſt quædã diriuatio ſiue participatio legis æternæ, & quamuis ab vtraque humanæ leges deriuentur, non tamen poſſunt nec debent ipſas adæquare, vitando & prohibendo omnia, quæ æterna & naturalis leges vetant, nam id facere moraliter loqnendo, & penſata & conſiderata hominum conditione, nec eſſet vtile neque poſſibile propter rationes dictas. Vnde ſatis eſt quod per dictas humanas leges, maiora crimina prohibeantur & cohibeantur, ad ſenſum ſupradictum.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm humanæ leges, debeant præcipere omnium virtutum actus?

ET videtur quod non, nam virtutũ officia vitiorumque opera contraria ſunt: ſed ad humanas leges non pertinet omnia vitia cohibere, vt in præcedenti Articulo eſt dictum: ergo neq; ad eaſdem ſpectat, præcipere omnium virtutum actus. Quod & confirmatur, nam leges humanæ, vt ſupra etiam dictum eſt, ordinantur debentque ordinari in bonum cõmune: ſed multarum virtutum actus, non ordinantur in bonum commune, ſed in bonum priuatum atque particulare: ergo huiuſmodi actus præcipi non debent per humanas leges. Quæ ad hunc Articulum ſpectant, reſoluentur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Humanæ leges omnium virtutum actus ſaltim in communi præcipere debẽt.

HVmanæ leges omnium virtutum actus præcipere debent, ad hunc ſenſum, quod nulla ſit virtutis ſpecies, de cuius actibus in communi, humanæ non conſtituantur leges. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. 1.2. quæſt. 96. artic. 3. & eandem tenet Magiſter Soto, lib. 1. de iuſtit. & iure, quæſt. 6. artic. etiam 3. & probatur in primis, auctoritate Philoſophi 5. Ethicorum, cap. 1. vbi dicit: *Leges ob communem omnium vtilitatem conſtitui, de omnibuſque debere dictare.* Et ſubdit *quod lex præcipit fortis opera facere, & quæ temperati & quæ manſueti, ſimiliter & alia ſecundum alias virtutes vel malitias, quædam quidem iubens, quædam autem vetans & prohibens.* Eadem fere omninò verba dixit Plato Dialogo 1. de legibus, vbi ait: *Eos qui de diuina Reipub. diſſerunt, non ad particularia virtutis & præſertim ad vacationem, ſed ad vniuerſam ipſos virtutem reſpexiſſe putandum, & per ſingulas earum ſpecies leges quæſiſſe.* Verba ſunt expreſſa Platonis. Quorum ratio in promptu eſt, nam cum virtutum omnium ſpecies ratione obiectorum diſtinguantur, nullumque ſit obiectũ virtutis, quod non ad bonum commune poſsit referri, leges etiã pro communi bono inſtituantur, inſtituique debeant (vt dictum eſt) manifeſte ſequitur, quod leges de omnium virtutum actibus debent præcipere, ſaltim in communi.

Secunda Concluſio.

Leges non debent præcipere, de omnibus virtutũ actibus in ſingulari.

LEges non debent præcipere, de omnibus ſingularum virtutum actibus in particulari. Hæc Cõcluſio probatur, nam leges (vt dictum eſt) ad commune bonum ordinantur, & non ad bonum priuatum & particulare: ergo non debent præcipere de ſingularum virtutũ actibus in particulari, ſed tantum de illis qui ordinabiles ſunt ad bonum cõmune immediatè aut ſaltim mediatè. Supradictæ duę Concluſiones, expoſitione atque explicatione aqualiter indigent, & dico quod ſenſus earum eſt dicere, quod leges debent quidem præcipere, poni, ſiue ſtatui, de aliquibus actionibus ſingularum virtutum, non tamen de omnibus aut de ſingulis in particulari, vt verbi gratia, in materia fortitudinis, præcipit humana lex (etiam cum mortis periculo) Rempub. eſſe defendendam, non ſic autem amicum, quamuis & hoc ſpectet ſeu ſpectare poſſit, etiam ad fortitudinem, ſed hoc relinquit legi naturæ. Item in materia temperantiæ, præcipit Eccleſia lege ſua Eccleſiaſtica certis diebus ieiunare: at quod reliquo temporis anno, temperate & moderate comedatur, hoc lex Eccleſiaſtica non præcipit, ſed illud naturæ legi relinquit. Idem dico de alijs virtutibus, & in ſumma quod lex humana eadumtaxat virtutis officia præcipit, debetque præcipere, quæ ad commũne bonũ ordinantur, referrique poſſunt mediatè vel immediatè; immediatè, vt ad publicum bellum armis indui, mediatè, vt illa quæ ad bonam pertinent diſciplinam, per quam ciues ſint informati, ad bellum forſan gerendum tempore pacis.

Sed pro maiori præſentis articuli declaratione, & vt quæ ad humanarum legum materiam & tractationẽ pertinent, apertiora & manifeſtiora fiant, aliquot notatu digna libet in præſentiarũ premittere & in compendio dicere. Et primo id quod iam ſupra aliqualiter dictum eſt, nempe quod humanæ leges cum primis eſſe debent rationabiles & Reipublicæ vtiles, quorum altero deficiente, procul omninò erunt à ratione legis. Etenim præceptum quod ſine ratione fuerit impoſitum, neque vtilitatem aliquam Reipublicæ attulerit, ſaltim ad euitandum vel remouendum aliquod damnum, non quidem iuſti præcepti, ſed iniuſti & iniqui nomen promerebitur. Quod & generaliter atque vniuerſaliter eſt verum, quando etſi aliquod ſpecimen cõmodi & vtilitatis præſeferat, non tantum boni affert quam mali, quin verò plus mali quam boni. Sed ne ex hoc quiſquã cogitare poſſit aut dicere, aliquot præcepta ſiue leges, nõ eſſe bonas, quia verò malas, quia forſan ex eis aliqui homines in ſingulari, damnoſam interdum occaſionẽ aſſumunt, efficiendi & perpetrandi aliquot mala,

Nota valde humanæ leges cum primis eſſe debent rationabiles, & Reipublicæ vtiles.

aduer

aduertendum eſt, quod legiſlatores non reſpiciũt nec reſpicere habẽt ſingularia & particularia, ſed communia, & Reipublicæ commune bonum, ne q; ad ipſos ſpectat conſiderare aut reſpicere, id quod per accidens & in raris, aut paucioribus fit, ſed quod per ſe & vt plurimum atque in multis contingũ. Vnde quamuis legis ſeu legiſlatoris intentio, non perficiatur ſeu verificẽtur in quolibet ſingulorum, non propterea immutanda eſt lex, aut iudicandum de illa quod ſit mala, inutilis ſiue iniuſta. Non enim poſſunt leges ſic prudenter præſcribi, vt per eas omnes particuleres caſus comprehendantur, qui raro in vno aut in altero poſſunt accidere, ſat eſt vt per ipſas comprehendantur, quæ vt plurimum & frequenter accidunt. Quod inſinuare vſus eſt D. Thom. loco ſupra dicto, quãdo dixit quod leges debent præcipere atque diſponere, de omnium virtutum actibus in communi, non verò de ſingulis in particulari. Secundò præmitto, eſſe latiſſimam differentiam, inter diuinam & humanas leges, nam cum ea quæ per diuinam legem naturalem, aut poſitiuam præcipiuntur aut prohibentur, ſecundum ſe bona aut mala ſint, vt Deum diligere, charos venerari parentes, non mentiri, non falſum teſtimonium dicere, inde eſt quod diuina lex immutabilis atque inuariabilis eſt, ſemperque & vbique obſeruanda, nec vllo modo eam licet præterire, at verò humanæ leges, cum ea quæ per ipſas præcipiuntur aut prohibentur, vt plurimum ex ſe non ſint ſimpliciter bona nec ſimpliciter mala, ſed quaſi in medio cõſtituta, ſicque bona & vtilia, vt interdum etiam eſſe poſſint mala & damnoſa, propter incidentes, & adiacentes circunſtantias, loci, perſonarum & temporis, inde eſt quod humanæ leges nõ poſſunt ſic vniuerſaliter accipi, quin quandoque liceat contra ipſarum tenorem facere, ad conſeruandam fortiorem æquitatem, & obligationem naturalem interdum emergentem, in quibus caſibus ſequenda potius eſt legum ipſarum intentio quàm littera, ſeu illud quod in cortice habent, & multoties ipſas moderari & mitigare oportet, & benignius ſint interpretandæ, quàm ipſa verba ſonant. Hoc nos egregie docuit Iuſtinianus Imperator, in leg. *nulla*, ff. de leg. & *ſenatuſconſ.* vbi dixit, *quod nulla iuris ratio aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro hominum vtilitate introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum ad ſeueritatem producamus. In fraudem* (inquit) *namque legis facit, qui ſalua ipſius verbis, ſententiam legis circumuenit.* Verba ſunt quammaxime notanda & memoriæ commendanda.

Nota quod lex diuina eſt immutabilis, atque inuariabilis, ſecus autem humana.

Maxima ſapientia & prudentia opus eſt, in Prælatis atq; Iudicibus, pro conſtituendis legibus.

Tertiò noto id quod ex ſupra dictis notabilibus ſequitur, quammaxima opus eſſe ſapientia & prudentia, in iudicibus, legiſlatoribus atque Prælatis, quos & expediret in his omnibus tantum, illuminationis fuiſſe aſſequutos, quantum requiritur in illis qui nati ſunt non ſolum ad regendos & gubernandos ſe ipſos, verum etiam & ad dirigendos alios. Oportet enim ſummopere vt in condendis legibus, ipſiſque obſeruandis, perpendant atque conſiderent ſupradicta, & quid ineſſe debeat legibus, ad hoc vt dici debeant iuſtæ, rationabiles ſimul & vtiles, longeque eſſe aliud legem aliquam eſſe iniquam & iniuſtam, aut inutilem ſeu minus vtilem, nam cum iniuſta ſit lex omnis, quæ diuino aut humano contrariatur bono, inutilis diiudicari debet illa, quæ quamuis diuino aut humano bono non contrarietur, nihil tamen commodi ſeu vtilitatis affert: quod & in communi, non verò in particulari debet conſiderari & penſari, iuxta ea quæ ſupra diximus *in primo notabili*. Vnde nec mox pro arbitrio reijcienda aliqua lex eſt, ex eo quod nullam præſeferre videatur vtilitatem, cum multæ ſint leges, quarum vtilitates & rationes non ſunt omnibus peruiæ & manifeſtæ, nec proinde è medio tolli aut mutari debent. Quod & exemplo eſſe poterit, diuina vetus lex olim populo Iſraëlitico tradita, in qua vt videre licebit intuenti, præter præcepta cæremonialia & figuratiua, erant etiam multa moralia occultæ cuiuſdam æquitatis, quorum rationem inueſtigare vix poſſet quiſpiam. Talia fuerunt illa de non induenda veſte, lino lanaque contexta, de non arando ſimul in boue & aſino, &c. quorum rationes quamuis vt cumque videantur ignotæ, non tamen propterea eiuſmodi præcepta exiſtimata fuere exiſtimariue potuerint vana & inutilia cum à Deo Optimo Maximo, fuerint propoſita, & ab æterna ipſius lege deriuata: quod ſuo quoque modo, ſimiliter dicendum eſt de multis humanis legibus, quæ pro iſto Articulo, dixiſſe vt credo non erit inutile aut iniucundum.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm humanæ leges, neceſſitatem imponant ſubditis, in foro conſcientiæ?

CIrca hunc Articulum, vt ratio dubitandi magis ac magis appareat pro parte negatiua libet aliquot argumẽta proponere.

Et primo quia poteſtas inferior, non poteſt imponere legem, in iudicium poteſtatis Superioris, nec ipſam attingit vt in eius foro ſiue iudicio quempiam poſſit obligare: ſed poteſtas humana, qua humanæ leges feruntur, inferior eſt poteſtate diuina: ergo non poteſt ſuorum ſubditorũ conſcientias ligare, quantum ad diuinum iudiciũ, ſeu quo ad diuinum forum.

Secundò probatur id ipſum, nam ſicut in lege diuina præceptum eſt obedire Superioribus, ſic etiam & præceptum eſt honorare parentes, vbi ſub nomine honoris ſecundum omnes, obedientia etiam comprehenditur: ſed parentes & patres familias ſuis filijs atque domeſticis, non poſſunt imponere aliquot præcepta, ſiue aliquas leges, quæ ipſos ad peccatum ſeu in foro conſcientię obligent: ergo neque Principes & legiſlatores ſibi ſubditis per humanas leges id ipſum poſſunt facere.

Tertiò ſic argumentor, ad idem nam iudicium conſcientię, maxime depẽdet ex diuinis mãdatis, quę documenta atque iudicia quędam ſunt diuinę voluntatis: ſed multoties cõtingit leges humanas cum diuinis pugnare, & quod per ipſas diuina mandata euacuantur, iuxta illud Matthęi 15. *Vos irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras:*

ergo ſaltem in iſto caſu & ſimilibus, humanæ leges non obligabunt in foro conſcientiæ. Et idem dico de alijs legibus, in quibus importatur calumnia, aut hominibus infertur ſiue irrogatur iniuria, de quibus dixit olim Eſaias cap. 10. *Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, &c.* in quibus videtur non eſſe illis obediendum, cum iure naturæ licitũ ſit vnicuique, quamlibet violentiam ſiue oppreſſionem euitare.

Quartò & vltimo ad idem ſic argumentor, nam caſus poteſt contingere, in quo ſententia iudicis, quæ eſt quædam legis applicatio, non obliget ſed nec obligare poſſit in foro conſcientiæ, etiamſi alias ipſa in foro exteriori ſit iuſta, vt dum iudex iudicans ſecundum allegata & probata, contra veritatem aliquem condemnat innocentem, vel quãdo aliquis condemnatus iuridice, nullatenus poteſt ſententiæ parere, vt qui clam duxit vnam vxorem & palam alteram, tunc quidem iuſte atque iuridice iubetur reddere debitum ſecundæ, quod tamen ipſe nullatenus poteſt facere, potiuſque debet mori quam in eo iudici obtemperare, eſſet enim fornicatio ſeu potius adulterum: ergo non ſemper omnis lex etiã iuſta, obligat in foro conſcientiæ. Pro huius quæſtionis reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Omnis lex humana, ciuilis ſiue canonica dummodo ea iuſta ſit, poteſtatem habet obligandi ſibi ſubditos in foro conſciẽtiæ.

OMnis lex humana Canonica ſiue ciuilis, dummodo ea iuſta ſit, ſubditos ligat aut ſaltim poteſtatem habet illos ligandi, etiam in foro conſcientiæ. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. 1.2. quæſt. 96. art. 4. vbi & eam probat, ex auctoritate D. Petri in 1. ſua Epiſ. Canonica, cap. 2. qua cunctos Chriſtianæ familiæ admonuit: *Regem vt honorificent, ſubditique ſint in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, verum etiam diſcolis.* Et ſubdit: *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam, ſuſtineat quis triſtitias patiens iniuſte.* Secundo probat D. Thom. eandẽ Concluſionem ratione, nam ſicut ſupra dictum eſt omnes leges humanæ, ab æterna Dei lege per naturalem deriuantur, iuxta illud Prouerbiorum 8. vbi dicit diuina Sapientia: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & Legum conditores iuſta decernunt*, in quorum verborum priori parte deſignatur regnandi poteſtas Principibus diuinitus conceſſa, iuxta illud Pauli ad Romanos 14. *Omnis poteſtas à Domino Deo eſt*, in poſteriori verò prudentia, per quam ijdem Principes leges condunt, & exequutioni eas mandant: ex quibus locis manifeſtè colligitur, quod ex eadem æterna & naturali Dei lege, deriuatur poteſtas & virtus, qua legiſlatores per ſuas humanas leges, obligare poſſunt ſibi ſubditos, etiam in foro conſcientiæ. Diximus autem hoc eſſe intelligendum de ligibus iuſtis, nam de iniquis & iniuſtis aliud eſt iudicium, vt ſtatim dicemus in ſequenti Concluſione. Debet autem penſari legum iuſtitia vel iniuſtitia, ex omnibus ſuis cauſis, nempe finali, efficiente, materiali atque formali. Finali, inquam, ita vt pro communi bono & non priuato aliquo commodo ſit conſtituta. Iam enim ſupra diximus, hoc intereſſe inter Regem & tyrannum, & illius & iſtius leges, nam quæ pro communi vtilitate lata lex fuerit, pro iuſta eſt habenda atque exiſtimanda, quæ verò pro priuato & particulari aliquo commodo, vt iniuſta & tyrannica. Ex parte item agentis ſeu cauſæ efficientis, iuſtitia item legis debet penſari & conſiderari, & ea iuſta exiſtimari, in qua qui illam tulerit, non ſuam tranſgreſſus fuerit facultatem. Item & ex parte materiæ, nam lex quæ pro tempore & loco interdum fuerit bona & iuſta, alio etiam tempore & loco poterit eſſe iniuſta, præterquam quod mala opera nõ eſſe poſſunt alicuius legis ſiue præceptionis materia, nec bona vllo modo debẽt prohiberi. Tandem ex parte formæ debet id ipſum pẽſari & conſiderari, nam cum lex (vt dictum eſt) ſit regula & menſura humanarum actionum, ea debet rectitudine & æquitate ſplendeſcere, vt talem ſeruet tam in honoribus, quàm oneribus proportionem ad ciues, qualem & ipſi habent ad corpus Reipub. cuius ſunt veluti partes ad totum, ob idque ſicut & partibus diuiſa ſunt à natura munera, ſic & onera ſecundum proportionem facultatum ciuium imperanda ſunt ſingulis, & honores ſimiliter ſecundum eandem proportionem atque perſonarum dignitatem, ſunt impertiendi & diſtribuendi. Omnia ſupradicta deſumpta ſunt ex D. Thom. loco ſupra citato, vbi & notanter ad propoſitum præſentis Articuli, concludendo dicit, quod leges quæ fuerint iuſtæ, & omnibus his ſuis numeris abſolutæ, obligatoriæ ſunt etiam in foro conſcientiæ.

Secunda Concluſio.

Leges humanæ iniuſtæ, non obligant in foro conſcientiæ.

LEges humanæ iniuſtæ, neutiquam obligant in foro conſcientiæ. Hæc Concluſio conſtat ex ſupradictis, nam lex iniuſta cum recta non ſit, non poteſt à lege Dei æterna ſiue naturali deriuari, neq; eſſe rationis regula, ac proinde neque lex, & quæ non eſt lex neminem obligat. Conſiſtit autem legis iniuſtitia, in eo quod diuino aut humano bono aduerſetur, aut quod ſibi deficiant aliquæ ex qualitatibus & conditionibus ſupradictis ad legem iuſtam, ſiue hoc proueniat ex defectu debiti finis ſeu agentis, materiæ aut formæ ad ſenſum ſupradictũ, de quo videndus eſt latiſſimè Sylueſt. verbo *lex*, q. 5. vbi quærit, quæ & quot requirantur ad legem eſſe iuſtam, & quæſt. 6. quærit, quæ & quot requirãtur, ad hoc quod lex vim habeat obligandi in ſe, ſiue in communi? & quæſt. 9 etiam quærit, vtrùm leges humanæ, canonicæ ſiue ciuiles, obligent in foro conſcientiæ, ſic quod ſemper ſint ſeruãdæ? Quibus in locis ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

Nota vnde prouenit aut qua ratione, humanæ leges obligationem poſſint inducere, in foro conſcienciæ

Sed dices, vnde prouenit aut qua ratione, humanæ leges & poteſtas humana, inducere poteſt obligationem in foro conſcientiæ? Reſpondeo & dico, quod poteſtas humana habet huiuſmodi vim obligandi, in quantum deſcendit & deriuatur à lege Dei æterna ſiue naturali diuina, nã quemadmodum in rebus phyſicis, cauſæ naturales ſecundæ ſuos producunt effectus, nõ abſolutè & per ſe, ſed in quantum ſubdũtur efficaciæ primæ cauſæ, ſic & in moralibus, humana poteſtas habet huiuſmodi vim obligandi, in quãtum ſubditur æternæ Dei legi & naturali diuinæ, ita quod eiuſmodi vis obligandi,

Nota ex quibus cauſis, debeat penſari legũ iuſtitia, ſue iniuſtitia

gandi, è duplici voluntate dimanat, ex voluntate poteſtatis humanæ inſtituentis & præcipientis aliquid in particulari, tanquam ex cauſa ſecunda, & ex volũtate diuinæ & æternæ poteſtatis, ordinantis vt illud quod auctoritate humana fuerit inſtitutum, tatum ac firmum habeatur, niſi apertam contineat iniuſtitiam. Hoc eſt valde notandum & memoriæ commendandum.

Tertia Concluſio.

Quæ leges obligent in foro conſcientiæ, quæ verò nõ?

LEges, quæ humano tantum bono aduerſantur, licet in conſcientia de ſe non obligent, obligant tamen & ligant quãdoq́ue ratione ſcandali. Illæ verò leges, quæ diuino repugnant bono nullatenus obligant, quin verò aperte illis eſt obuiãdum. Pro huius Cõcluſionis intelligentia præmitto, quod humanæ leges aliquãdo tantũ aduerſantur humano bono, tunc ſcilicet quando illis deficiunt aliquæ ex conditionibus, & qualitatibus ſupradictis, ad hoc vt leges ſint iuſtæ, aliquando verò aduerſantur etiam bono diuino, vt quando præcipiunt aliquid, quod eſt contra diuinam voluntatem. Hoc præmiſſo dico modo noſtra Concluſio, quod quando leges ſunt iniuſtæ in priori caſu, etſi in conſcientia non obligent, ſeruari tamen debẽt ratione ſcandali, at verò quæ ſunt iniuſtæ in ſecũdo caſu, diuinoq́ue aduerſantur bono, nullatenus obligant nec obſeruari habent, ſed aperte eſt illis obuiandum & repugnandum. Probatur Concluſio quoad primam partem, nam in his quæ non expreſſe ferunt manifeſtam tyrannidem, non eſt poſſibile potentibus reſiſtere citra ſcandalum, ſicque ratione vitandi ſcandali, parendum eſt huiuſmodi legibus, & ferendi præfati legiſlatores tyranni, interim quod leniori aliqua via ad ſaniorem mentem reducantur. Ad quod facit illud, quod dixit olim Chriſtus Dominus Matth. 5. *Si quis te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo, & qui abſtulerit tibi vnam tunicam, dimitte ei & pallium.* At verò in ſecundo caſu, ſi tyranni ad idolatriam (v.g.) inique ſuis legibus nos vellent inducere, ſeu arcere nos à Sacramentis noſtris, aut prouocare ad aliquos mores & ritus noſtræ Fidei contrarios, nullatenus eſt illis obtemperandum, ſed firmiter reſiſtendum, nullumq́ue eſt formidandum ſcandalũ, quin verò ſcandalum eſſet grauiſſimum, ſi non ita tim illis, poſthabita vita, & quocunq; alio periculo reſiſteremus. Quod etiam & exẽplo ſuo nos docuit D. Petrus qui præcipientibus ſibi Principibus Sacerdotũ, ne in nomine Chriſti prædicaret vt habetur Act. 5. audacter reſpõdit: *Obedire oportere Deo magis quam hominibus.* Hæc de legibus humanis in cõmuni & de ipſarum obligatione in foro conſciẽtiæ breuiter dicta ſint, quæ & maiori indigebant declaratione. Nam quamuis ſupradicta omnia verum habeant, non ſunt tamen in eodem certitudinis & firmitatis gradu, nam magis certa ſunt loquendo de legibus Eccleſiaſticis Summ. Pont. & Conciliorum, quã de legibus ciuilibus. Sed ne omnia confuſe, & inuolute dicerẽtur, de omnibus his ſpecialem decreui facere tractationem, ſingulareſque Articulos infra in ſuis proprijs locis, cũ ſeorſim Deo dante, de legibus canonicis & ciuilibus egerimus, in ſuis peculiaribus quæſtionibus, pro nunc hæc dicta ſufficiant, loquendo de legibus humanis in generali atque in communi. Nunc ſupereſt reſpondere ad argumenta propoſita in initio propoſiti Articuli.

Ad primum reſpondeo, quod quamuis poteſtas humana ex ſe non poſſit attingere forum poteſtatis diuinæ ſuperioris, poteſt tamen illud, in quantũ deriuatur ab æterna & naturali Dei lege, & ipſius miniſterio fungitur, nã vt inquit D. Paulus ad Rom. 13. *Præcipit Deus, vt omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim (inquit) eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et adiuſinuandum qualiter humana poteſtas obligare poſſit ſibi ſubditos etiam in foro conſcientiæ, ſubdit: *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationẽ acquirũt.*

Nota hoc valde, pro obligatione legum, etiam in foro conſcientiæ.

Ad ſecundum dico, quod etiam patres familias obligare poſsũt filios ſuos ad mortale, in caſu quo illis præciperent rem aliquam magni ponderis ac momenti, æquiſſimè & rectiſſime, cum animo & intentione ad idipſum obligandi. Nam & eorum poteſtas à Domino Deo eſt, & vt argumentum prætendit, non minus præcipitur in diuina lege honorari & venerari parentes, quam obedire Prælatis. Ad quod propoſitum facit quãmaximè, illud quod dicit D. Auguſt. ſuper Pſal. 70. huc de re agens: *vbi pater iubet quod non eſt contra Dominum, ſic audiendus eſt quomodo Deus.* Facit & id quod dixit Sãlomon Prouerb. 6. *Obſerua fili mi, præcepta Patris tui.* Quin verò & Apoſtolus Paulus ad Rom. 1. inter multa alia crimina, enumerat nõ obedire parẽtibus. Quæ de re videatur Magiſter Soto vbi ſupra, in ſolut. ad primum, vbi ad hoc propoſitum dicit plura eaque notatu digniſſima.

Nota pro obedientia parentibus debita, ſub mortali.

Ad tertium iam reſpõſum eſt, in 2. & 3. conclu. quod leges iniuſtæ & maximè, quæ diuinis aduerſantur mandatis, non habent legum vim & robur & idem dico de omnibus alijs legibus iniquis, quæ graue damnum ſiue iniuriam inferunt ſubditis, ad quas non ſe extendit ordo diuinæ poteſtatis Principibus conceſſus, nec in his tenentur ſubditi obedire, ſi id fieri poteſt ceſſante ſcandalo, vt diximus ſupra.

Ad quartum reſpondeo, quod ſententia Iudicis quæ ex eo tantum iuſta eſt quia ſecundum forum exterius fundatur in falſa præſumptione, non obligat in foro conſcientiæ cum ſit veritati contraria, nec in tali caſu ſubditus tenetur Iudici obedire, ſi id excuſare poteſt ſine ſcandalo, nam lex naturalis, & diuina aliud continet. Sed eſt in hoc differentia, quod quando ſententia diuinæ legi non eſt omninò contraria, licet condemnatus poſſit quomodocunque citra ſcandalum & vim illatam Iudici à Iudicio ſuo ſe eximere, poterit nihilominus ſi voluerit & eidem auſcultare, vt contingit quando quis innocens condemnatur, & ipſe patienter conſentit. At verò ſi ſententia eſt omninò diuinæ legi contraria, vt dum quis cogitur per ſententiam, illam cognoſcere, quæ verè non eſt ſua vxor propter rationem in argumento inſinuatam, in tali caſu, nec cum ſcandalo nec ſine illo tenetur, quin verò nec poteſt Iudici obedire, ſed potius eſt ſibi moriendum, quam quidquam tale faciendum. Hactenus de iſto articulo.

ARTICVLVS XV.

In quo ſit dignoſcendum, quod leges humanæ obligent ad culpam, vel non?

HAEC difficultas grauiſſima eſt, & de qua magna lis eſt & controuerſia inter DD. Iuriſconſultos, necnõ & Theologos communiter. Dicunt enim quidam, humanas leges quibus ſubnectitur temporalis pœna non obligare ad culpam, ſed tantum ad pœnam. Sed hæc ſententia, vt inquit Magiſter Soto, lib. 1. de iuſti. & iure, quæſt. 6. art. 4. quæſtiuncula 1. falſa eſt, & ab omni prorſus ratione aliena, vt latius patebit ex dicendis in iſto art. & ſeq. Caiet. autem in materia de ieiunio, videtur inſinuare, quod leges quæ non feruntur cum tali additamento, vt obligent ſub reatu mortali aut veniali, non obligãt ad culpam, & ſic de ieiunio, inquit, non ſatis cõſtare, an lex ieiunij obliget ſub peccato mortali. Sed hãc opinionem & ſententiam, etiam refutat & impugnat prædictus Magiſter Soto loco ſupra citato, & Medina in 1. 2. D. Thom. quæſt. 96. art. 4. vbi etiam refutat & impugnat, duas regulas Canoniſtarum, quas ad hoc propoſitum affert Sylueſt. verbo *lex*, quæſt. 8. & 17. & verbo, *præceptum*, & verbo, *obedientia, ſeu in obedientia*, vbi & fatetur hac de re ſe nihil exploratum habere, ſed nec habere potuiſſe. Et quamuis etiam ego circa propoſitam difficultatẽ, potius mallem aliorum auſcultare ſententiam, quam propriam meam ſtatuere, nihilominus tamẽ ex his, quæ ex multorum doctrina veriora atque probabiliora eſſe potui colligere, ſequẽtes libuit adducere Concluſiones, quibus breuiter & reſolutiuè, aliquot proponam regulas, quibus id quod quæritur vtcunque poſſit dignoſci.

Prima Concluſio.

Leges iuſtæ & rationabiles, iam receptæ & promulgatæ, quæ proponuntur per verba præceptiua, & conſtat de mente legiſlatoris, quod voluit per ipſas obligare ad peccatum, proculdubio obligãt

SVpposito quod aliqua humana lex ſit iuſta & rationabilis, & communi hominum vſu recepta, poſt ipſius ſolemnem promulgationem, ſi proponatur per verba præceptiua, & conſtet de mente & intentione legiſlatoris, quod vult per ipſam ad peccatum obligare, omni proculdubio obligabit, ſi ſit in materia graui. Hæc Concluſio receptiſſima eſt apud omnes, & eſt quædam communis & generalis regula, de qua nulli licèt dubitare, & habetur expreſſa in Gloſſa in capit. *quæ in Eccleſiarũ, de conſtitut.* & tenet eam D. Thom. 1. 2. quæſt. 96. artic. 4. & omnes ſui expoſitores ibidem, & Caſtro, lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. Sed quta hæc doctrina nimium eſt vniuerſalis, & quadam ratione quaſi videtur petere principium, cum neque ex ea poſſimus ſufficienter colligere, quando humanæ leges obligent ad mortale, cum vt dicitur id dependeat ex ligiſlatorum voluntate, operæ pretium eſt eiuſdem legiſlatoris mentem, & intentionem, ex verbis aliquibus inueſtigare atque conijcere, in quo tota huius rei difficultas conſiſtit. Etenim ſi legiſlator id expreſſe dicit, in expreſſis & claris non eſt opus coniecturis, prout habetur in iure, in leg. *contingit. ff. de verbor. obligat.* Sit ergo ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Omnis lex quæ abſolutè fertur, per verba præceptum indicantia ſiue æquipollentia & in quibus non explicatur contrarium obligãt ad peccatum mortale vel veniale, ſecundum exigentiã operis.

OMnis lex, quæ fertur abſolutè, per aliqua verba indicantia præceptum aut illis æquipollentia, & in qua non explicatur contrarium, obligat ad mortalem ſiue venialem culpam, ſecundum operis exigentiam. Hæc Concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soti, loco ſupra citato, vbi & dicit, quod quicumque Principes ſæculares, aut præpoſiti Eccleſiaſtici, vellent leges ferre & conſtituere, quæ non obligent ad culpam, illud (inquit) debent expreſſe dicere, atque explanare, & in caſu quo illud non dicant, videntur ad culpam velle obligare, neque aliud, conſtitui poteſt ſignum. Hæc Soti ſententia diſtat nimium à mente & ſententia Caietani, ipſe enim dicebat quod ad hoc vt humanæ leges obligent ad culpam, legiſlatores habebant illud dicere & leges ſuas ferre cum tali additamento, vt obligarent ſub reatu mortali, & quod alias non obligant ad culpam. Soto verò è contrario dicit quod ſemper videntur obligare ad culpam, quando leges abſolutè feruntur, nec contrarium expreſſe explicatur. In quo (inquit) grauiſſimè lapſus eſt Caietanus, quia nunquam leges ferri conſueuerunt, cum tali additamento, *præcipimus hoc vel illud ſub reatu mortalis ſeu venialis culpæ*, ſed abſolutè & ex natura & grauitate operis illud perpendendum eſt. Probat Soto ſuam ſententiam, quia omnis lex ſecum affert obedientiæ præceptum, & quia obedientia eſt virtus per ſe, cuius cõtrarium, nempe in obedientia, ſemper eſt peccatum. Quod & confirmat ex communi vſu & practica, deducta ex ſuis Conſtitutionibus Dominicanis & ex multis alijs aliarum Religionum, quibus quando legiſlatores nolunt obligare ad culpam, ſed ad pœnam tantum, id expreſſe atque explicite exprimit, quod inquit, manifeſtiſſimum eſt indicium & documẽtum, quod niſi eiuſmodi fieret expreſſio & adiectio, non poſſent ad culpam non obligare. Vt tamen præ manibus habeatur quænam verba ſint præceptoria, dico quod verba, quæ indicant legem aliquam eſſe præceptiuam, & legiſlatoris mentem efficacem ad obligandum tranſgreſſores ad culpam, communiter & regulariter loquẽdo, ſunt hæc quæ ſequũtur: *Præcipio, mando, inhibeo, veto interdico*, & his ſimilia aut illis æquipollentia, de quibus idem omninò eſt iudicium, & ſunt etiam quæ ſequuntur: *Debeant, teneantur neceſſario, neceſſe eſt, non licet, non poteſt*, & maximè ſi alicui ex ſupradictis verbis adderentur verba illa: *In virtute ſanctæ obedientiæ, aut ſub pœna excommunicationis, aut ſub interminatione gehennæ.* Omnia ſupradicta deſumpta ſunt ex doctiſſimo Caſtro, lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. vbi reprobat Abbatem aſſerentem, & dicentem, quod omne illud quod ponitur per verbum imperatiui, æquipollet præcepto. Videatur etiam hac de re Nauarro in Manual, capit. 23. numero 50. & 52. vbi ſupradicta limitat, ad hoc vt non procedant in legibus ciuilibus, ſed in hoc non tenetur quin verò communiter reprobatur, vt infra ſuo proprio loco dicemus. Aduerto etiam, quod quamuis ſupradicta omnia, regulariter

Nota quod omnis lex ſecum affert obedientiæ præceptum ne ſe aliud exprimatur.

Nota valde, quod aliquando verba impropiãtur in iure, & ponitur verbũ mãdati, pro verbo precario, ſic è cõtra.

lariter loquendo ſint vera, aliquando tamen verba impropriantur in iure, vt tenet communis iuriſconſultorum ſententia, & tradit Caſtro, & Nauarro locis ſupra citatis, & Sylueſter, verbo *præceptum*, num. 1. & apponitur verbum *mandati*, pro verbo *precario*, & verbum *rogo*, loco *mandati & præcepti*, vt conſtat ex multis iuribus, ſed maximè ex ca. *mandaſtis*, 2. quæſt. 5. & ex cap. *rogo*. 11. quæſt. 3. Sit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio.

Quãdo ex verbis legiſlatoris, colligitur velle per ſuã legem ad culpam obligare, ignoratur autem, an ea ſit mortalis ſeu venialis, id perpendendũ eſſe ex materiæ grauitate aut parunitate.

QVando ex verbis legiſlatoris, colligitur quod aliqua lex humana obligat ad culpam, ignoratur autem & dubitatur, an illa ſit mortalis ſeu venialis, id ex materiæ grauitate ſeu leuitate perpendendum atque inueſtigandum eſt. Hæc Concluſio eſt expreſſa Medinæ in 1.2. D. Thom. quæſt. 93. artic. 4. in 1. regula, vbi inquit quod ſi res, quæ præcipitur grauis eſt, & ad bonum commune maxime conducens, ſemper obligat ad peccatũ mortale, ſin minus ad veniale. Quod ſpecificando probat & oſtendit in alia ſequenti regula, dicendo quod quando legis humanæ tranſgreſſio, contrariatur charitati ſiue iuſtitiæ, tunc talis lex obligat ad mortale, ſin autem ad ſolum veniale. Et ponit exempla, nam ſi v.g. in Hiſpania eſſet penuria tritici, & ſtatueretur lex qua præciperetur, ne triticum deferatur extra regnum, in tali caſu, inquit huiuſmodi lex obligabit ad mortale, nam contrarium facere vergeret in graue damnum & detrimentum Reipublicæ & proximi. Idem eſt dicendum de lege, qua præciperetur tempore belli, ne arma deferantur extra regnum. Cæterum leges quæ ſtatuuntur, ad præcipiendum quo genere veſtium cuiquam ſit vtendum & ſimiles, vt plurimum ait, non obligant ad mortale, ſed tantum ad veniale niſi forſan ex aliqua cauſa vergerent in damnum Reipublicę. Sed aduerto quod contingit multoties, vt res quæ in ſe ipſa conſiderata eſſe videtur exigui momenti & ponderis, in ordine tamen ad aliquem finem, multum referat, & efficiatur maximi momenti & materia grauis, obligans proinde ad mortale. Pono exemplum in caſu quo Religioſorum Prælati, ſibi ſubditis præcipiunt, vt non aliquam domum ingrediantur, aut quod non pertranſeãt per aliquam viam ſeu vicũ, huiuſmodi præcepta obligant ad mortale, nec huiuſmodi res poſſunt dici parui momenti; nam in ordine ad honeſtatem & commune Religioſorũ bonum, quammaximi ſunt momenti, & idem dico de alijs ſimilibus.

Quarta Concluſio.

Omnis lex humana, quæ tranſgreſſoribus pœnam capitis minatur, aut perpetui exilij, minctur obligat ad mortale idemque eſt iudicium de ſimilibus.

OMnis lex humana, quæ tranſgreſſoribus pœnam capitis minatur, aut perpetui exilij, & ſimilium, obligat ad peccatum mortale, & idem dico ſi imponatur pœna excommunicationis latæ ſententiæ vel ferendæ. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Medinæ loco ſupra citato in 3. & 4. reg. & Sylueſt. verbo *præceptum*, num. 3. & expreſſius tenet eam Caſtro loco ſupra citato lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. vbi inquit, quod quando legis verba ſunt talia, quod præceptum aperte non indicãt neque æquipollent verbis præceptiuis, tunc diligenter aduertendum eſt ad pœnas, quæ in eiuſmodi legibus ſtatuuntur contra tranſgreſſores, nam ſi pœnæ ſunt tales, quod nõ niſi pro peccato mortali infligi poſſunt, & ſolent tunc ex tali pœna adiuncta, conijcitur mentem & intentionem legiſlatoris fuiſſe tranſgreſſores ad peccatum mortale obligare. Et pœnę (inquit) hoc ſignificantes ſunt, quę ſequuntur, *excommunicatio, degradatio, priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, mors, carcer perpetuus, bonorum omnium confiſcatio*, & ſimiles. Non autem, *irregularitas, ſuſpenſio, siue interdictum*, nam hęc multoties ſine peccato infliguntur, iuxta id quod habetur in iure, in cap. *ſi ciuitas*, cap. *ſi ſententia*, *de ſententia excommuni.* Hęc ſupradictus Caſtro. Ex cuius verbis colligitur, quod ſeueritas pœnæ, argumentum eſt quod res, quę præcipitur ſit grauis, obligetque proinde ad culpam mortalem.

Nota valde, quænam pœnæ non ponãtur in iure niſi pro peccato mortali.

Quinta Concluſio.

Tranſgreſſio cuiuſcunque legis humanæ ex contemptu facta, ex genere ſuo obligat ad peccatum mortale.

TRanſgreſſio cuiuſcumque legis humanę ex cõtemptu facta, ex genere ſuo obligat ad peccatum mortale, nam eſt quodammodo contemnere ſuperiorem & legiſlatorem, quod ſemper eſt mortale. Hęc Concluſio eſt expreſſa ſupradicti Medinę, loco ſupra citato in 5. reg. ſed poſtea modificat eã de mente & ſententia Caiet. in ſua ſumma, verbo *contemptus*, vbi inquit, quod contemnere aliquã legem intra limites legis leuis, & non maximi momenti, non peccatũ mortale eſt, ſed veniale. De veritate ſupradictę Concluſionis videndus eſt D. Tho. 2.2. q. 186. art. 9. in ſolutione ad tertium, vbi hoc magis explicando & declarando, inquit, quod tunc aliquis committit vel tranſgreditur aliquam legem ex contemptu, quando voluntas eius tenuit ſubijci legis ordinationi, & ex hoc procedit ad faciendum contra ipſam, attamen quando quis propter aliquam particularem cauſam, vt putà propter concupiſcentiam ſeu iram vel aliquid aliud, inducitur ad faciendum aliquid contra legẽ, tunc non peccat ex contemptu, ſed ex illa alia cauſa, etamſi frequenter motus ex eadem cauſa vel alia ſimili, iterum atque iterum prędictum peccatũ committat. Videatur hacde re Sylueſt. verbo *contemptus*, num. 1. 2. & 3. & Nauarro in ſuo Manu. cap. 23. num. 42. cum ſequentibus, quę pro iſto articul. breuiter dixiſſe ſufficiat.

Nota valde, quando dicetur quiſpiam peccare contra leges ex cõtemptu.

ARTICVLVS XVI.

Vtrùm leges humanæ, obligent ſemper ad ſui obſeruantiam, cum diſpendio & periculo propriæ vitæ?

CIrca difficultatem huius Articuli tres ſunt opiniones, duę extremę & vna media.

Prima opinio

Prima opinio eſt quorundam, dicentium quod nulla lex humana, obligat cum diſcrimine proprię vitę, & probatur ſic, nam vnuſquiſque iure naturali tenetur tueri & conſeruare ſuam propriã vitam, cui iuri naturali nullum ius humanum derogare poteſt. Huius opinionis facit mentionem Caietanus 1.2.q.96.art.4. vbi eam multis & magnis argumentis improbat, & dicit eſſe erroneam.

Alia opinio in alio extremo, eſt eiuſdem Caiet. eodem in loco, vbi inquit, quod omnis lex humana, quæ obligat ad peccatum mortale, obligat ad ſui obſeruantiam, etiam cum diſcrimine propriæ vitæ, quod & probat ſequentibus rationibus.

Primo, nam quilibet homo, quidquid habet & quidquid eſt, eſt Reipublicæ, ſicuti & pars, quidquid eſt, totius eſt: ergo lex humana & legiſlator, qui reſpicit commune bonum, in ordine ad idem cõmune bonum, diſponere poteſt de vita hominis vt voluerit.

Secundo probatur id ipſum: nam homo potius debet mori, quam contrahere matrimonium cum conſobrina ſua, aut in gradu aliquo prohibito vt plane conſtat, cum tamen hoc ſit tantum iure poſitiuo prohibitum. Item & Sacerdos potius debet mori, quam celebrare ſine Corporali, Calice, ſiue Altari lumine & veſtibus Sacerdotalibus, & alijs de iure humano requiſitis. Item in capit. *ſacris de his quæ vi, metus*, aperte definitur, quod Sacerdos potius debet mori, quam communicare cum excommunicatis, cum hoc ſit tantum iure humano prohibitum: ergo humanæ leges, bene poſſunt obligare ſibi ſubditos, cum diſpendio & diſcrimine propriæ vitæ.

Tertiò probatur id ipſum, nam mors animæ potius fugienda eſt, quam mors corporis: ergo cum aliqua lex humana ad ſui obſeruantiam obligat ſub mortali, potius caput ſubmittendum eſt gladio, quam eidem legi obuiandum. Ex dictis colligit Caietanus idem omninò eſſe dicere, legem humanam non poſſe obligare aliquem ad mortem pro ſui obſeruatione, ac dicere non poſſe conſtituere actum obligantem ad culpam mortalem quod eſt erroneum. Sed inter has duas extremas opiniones, eſt altera media, & vt apparet verior, quæ & explicabitur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Humanæ leges, quin vero neque lex diuina, & naturalis, non ſemper obligant ad ſui obſeruantiã, cũ diſpendio, & periculo propriæ vitæ.

SVpradicta opinio Caietani moderatione indiget, & vt iacet intellecta, omninò videtur falſa. Probatur: nam lex naturalis & lex diuina obligant ad mortale, & non cum tanto rigore, neque cum tanto diſpendio & periculo: ergo multo minus humanæ leges, id valent efficere. Conſequentia cum maiori eſt legitima, minorem autẽ ſic probo, & primo dẽ lege naturali, nam eadem tenemur ſubuenire pauperi in extrema neceſſitate cõſtituto, ſed non obligamur ad id cum diſcrimine propriæ vitæ, vt de ſe patet. Idem probatur de lege diuina, nam lege diuina prohibitum erat olim, comedere de panibus propoſitionis Deo ſacratis, qui ſolis Sacerdotibus erant dicati, & tamen Dauid neceſſitate compulſus de eiſdem comedit, vt habetur primo Regum cap. 22. nec in eo peccauit, vt dixit Chriſtus Dominus. Matthæi cap. 12. Rurſus Mathathias pugnauit in die Sabbati, vt habetur 1. Machabęorum, cap. 2. exiſtimans ſe non teneri ad ipſius obſeruationem cum tanto periculo & in tanta neceſſitate conſtituto, ergo intentum.

(.?.)

Secunda Concluſio.

In aliquo caſu bene poſſũt humanæ leges obligare cum diſcrimine & periculo propriæ vitæ.

CErtiſſimum eſt quod humanæ leges, in aliquo caſu bene poſſunt ſibi ſubditos ad ſui obſeruãtiam obligare, cum diſcrimine & periculo proprię vitæ. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Soto, li. 1. de iuſt. & iur. q. 6. art. 4. quæſtiunc. 2. & Medina, 1. 2. quæſ. 96. art. 4. in quodam dubio. Et probatur, nam tanti poteſt Reipublicæ referre id quod præcipitur, vt lex pro ſui obſeruatione obliget, vtiq; ad mortem. Et ſit exemplum, cum Princeps in bello præcipit alicui militi vt ſuum obſeruet locum, quia præſentaneum periculum Reipublicæ exiſtit ſi nõ id faciat. In tali caſu certum eſt quod potius debet mori quam locum deſerere. Id ipſum dicit Soto, in caſu quo quidpiam alicui Præcipitur ſub pœna capitis, certum eſt quod periculum ſubeundum eſt capitis pro legis cuſtodia. Nam etſi Princeps non ſit abſolutè dominus vitæ vt Deus, ex cauſa tamen & ex aliquo accidenti caſu poteſt ſibi ſubditos morti exponere, ſicut & totum particulares corporis ſui partes. Probatur præterea prædicta Concluſio, nam homo non ſolum quantum ad ea quæ poſſidet, verum etiam quantum ad ſe ipſum eſt Reipublicæ, & peculiaris quædam ipſius pars: ergo poteſt Reſpublica & qui illius curam gerit, exponere ipſum mortis periculo, pro tuendo & conſeruando bono communi & publico. Videatur hac de re Medina loco citato, vbi ad hoc propoſitum plures alios adducit caſus, ſed prædicta ſufficiunt.

Tertia Concluſio.

Regulariter loquendo humanæ leges, non obligant ad ſui obſeruantiam cum mortis diſpẽdio & vitæ periculo.

REgulariter loquendo, humanæ leges non obligant ad ſui obſeruantiam, cum mortis diſpendio & vitæ periculo. Hæc Concluſio eſt expreſſa ſupradictorum Soti & Medinæ, locis ſupracitatis. Pro cuius explicatione, ac pleniori intelligentia, adducit ſupradictus Medina generalem illam Theologorum regulam, qua dicitur quædam eſſe prohibita quia mala, alia verò mala quia prohibita. Primi generis ſunt, quæ habent intrinſecam malitiam, vt mendacium, adulterium, &c. Secundi verò generis ſunt, quæ non habent intrinſecã malitiam, vt frangere ieiunium, comedere carnes die veneris, &c. Quo præmiſſo dicit, quod in illis quę primi generis ſunt, potius debet homo mori aut mortem ſubire quam legem frangere. Potius, inquam, debet mori quam adulterari aut mentiri, quamuis mendacium ſi ſit leue, ſolummodo ſit peccatum veniale, quoniam illa, quæ intrinſecè ſunt mala, nulla ratione rectè fieri poſſunt. In illis verò, quæ ſunt ſecundi generis, ad inueſtigandum quando obligent cum diſcrimine proprię vitæ, attendenda & conſideranda eſt grauitas materię eius rei, quæ præcipitur. Nam ſi v. g. lex Eccleſiaſtica præcipit quadrageſimale ieiunium, ſeu abſtinẽtiam à carnibus, & infirmatur aliquis non tenetur ieiunare, ſed excuſatur, quoniam Eccleſiæ non tanti refert ieiunium, ac ſalus hominis. Sed tamen ſi incutiatur alicui metus mortis ſi ieiunet aut à carnibus abſtineat, & illud fiat in odium, & contemptum Eccleſiaſticarum legum, ſeu ad oſtendendum fidem & legem noſtram eſſe falſam & nullius valoris, in tali caſu, potius deberet homo ſubi-

ſubire mortem, quam legem Eccleſiaſticam frangere, nam tunc præualet ius diuinum, quo tenemur fidem noſtram profiteri & confiteri. Secus autem eſſet, ſi propter aliam cauſam id fieret, ex ſola malitia & nequitia hominis ſcelerati, vt ſi tyrannus mortem minaretur alicui, niſi ieiunium frangeret, aut carnes comederet, non quidem in odium fidei, ſed propter aliam rationem, ſiue cauſam, in tali caſu licitum eſſet id facere, nam leges humanæ non obligant cum tanto diſpendio & periculo. Hac de re videantur Soto, & Medina locis ſupraci tatis, vbi ad hoc propoſitum plures alios congerũt caſus. Solum ſupereſt nunc reſpondere ad argumẽta in contrarium adducta.

Ad argumentum primæ opinionis reſpondetur, non ſemper teneri & obligari hominem ad conſeruandam vitam ſuam, quinvero quandoque tenetur eam periculo exponere, tum pro amico, tum etiam & maxime pro Republica, & pro conſeruando bono communi.

Ad argumentum primũ opinionis Caietani reſpondetur, quod quamuis Reſpublica & legiſlator in particulari aliquo caſu poſſit facere id, quod argumentum prætendit, vt dictum eſt in ſecunda cõcluſione, non tamen in vniuerſis ſuis legibus, obligat cum tanto diſpendio & periculo, vt dictum eſt in tertia, niſi etiam in caſibus ibidem aſſignatis & conſtitutis.

Ad ſecundum reſpondeo, quod quamuis contrahere matrimonium in gradu prohibito, ſit tantum de iure poſitiuo, cum tamen ex eodem iure ſupradictum matrimonium ſit irritum & nullum, præſuppoſito quod hoc ita eſt, nullo modo licet cum conſanguinea contrahere, ſine diſpenſatione, non tam pro eo quod eſt contra ius poſitiuum, quam ex eo quod id facere, eſt fornicationem committere, quæ prohibita eſt de iure diuino & naturali. Ad alia exempla quæ ibidem adducuntur, dico quod ſacerdos non tenetur potius mori, quam celebrare ſine corporali, ſeu calice, &c. nam præcepta Eccleſiæ non obligant cum tanto diſpendio & periculo. Et idem dico de illo præcepto non celebrandi coram excommunicato: & ad *d. cap. in ſacris*, dico quod intelligendum eſt, quando id fit in contemptum Eccleſiaſticarum legum, ad ſenſum dictum in tertia concluſione, vel quando ſacerdos cogitur communicare cum excommunicato, in crimine criminoſo, de qua re videndus eſt Syluеſter, *verbo, excommunicatio* 5. §. 6. *in fine*, & Soto, & Medina locis ſupracitatis.

Ad vltimum reſpondetur, quod quamuis mors animæ potius ſit fugienda, quam mors corporis, & nullum peccatum mortale admittendum pro vitã do quocumque mortis periculo, hoc tamen non facit ad propoſitum in noſtro caſu, nam non dicimus nos, quod qui frangit legem humanam pro vitando mortis periculo peccat mortaliter, quinvero nec forſan venialiter, ſed dicimus quod aduenien te mortis periculo, ceſſat obligatio humanæ legis, ac ideo in tali caſu non committitur peccatum mortale nec veniale.

(?)

ARTICVLVS XVII.

Vtrum humanæ leges, ſiue ſententiæ iudicum fundatæ in præſumptione, obligent in conſcientia, veritate in contrarium inſpecta?

Prima Concluſio.

Humanæ leges in ſola præſumptione fundatæ, nõ obligant in cõſcientia veritate in contrariũ inſpecta.

HVmanæ leges in præſumptione fundatæ, & quæ ſolummodo iuſtæ ſunt, quia in ſupradicta præſumptione fundantur, non obligant in conſcientia, veritate in contrarium inſpecta. Hæc concluſio eſt manifeſta, & probatur, nã nulla lex quãtumcumque iuſta, obligat in conſcientia, quando legiſlator id non intendit: ſed legiſlator condendo legem iuſtam, ſecundum æquitatem non videtur velle ſuos ſubditos obligare, ſi veritas in contrarium ſit inſpecta: ergo intentum. Conſequẽtia videtur legitima, nam ſecundum ius, vt conſtat ex *cap. veritate, diſtinct. 8. & l. ex facto. ff. de vulgari*, intentiõ legiſlatoris ſecundum æquitatem eſt ſemper interpretanda. Id quod & confirmatur ex eo, quia ſæpiſſime, quin vero paſſim, legiſlatores contra huiuſmodi leges in præſumptione fundatas, probationem admittunt, quod quammaximum eſt indiciũ, fuiſſe ab eis quaſi conditionaliter latas, ita vt tantum obligent, dum in contrarium veritas non fuerit inſpecta, vt tradit Abbas, & DD. communiter, *in cap. 1. de conſtitutionibus*, qua de re videndus eſt Syluеſter, *verbo, lex q. 9.*

Secunda Concluſio.

Sententiæ etiã Eccleſiaſticæ, latæ cõtra innocẽtes per falſas informationes, non obligãt in foro cõſcientiæ.

SEntentiæ etiam Eccleſiaſticæ, latæ contra innocentes per falſas aliquas informationes ſiue probationes, non etiam obligant in foro conſcientiæ. Hæc concluſio eſt Caietani 2.2. quæſt. 7. ar. 4. ad ſecundum, & Magiſtri Soto in quarto, diſtinctione 22. q. 1. artic. 3. & in reiectione de ſecreto, membro 3. q. 1. concl. 4. & eandem tenet Ledeſma in ſecunda parte ſui quarti, q. 23, art. 4. & Couarruuias, *in cap. Almamater 1. p. §. 7. concl. 1.* qui omnes dicunt, ſententias & cenſuras iniuſtas ex aliqua cauſa, nõ ligare innocentes in foro conſcientiæ, & ratio eſt illa, quæ adducta eſt in præcedenti concluſione, quia nempe ſecundum æquitatem, non poteſt aut debet præſumi, quod iudices in eiuſmodi caſibus velint innocentes ſuis ſententijs, atque cenſuris ligare. Nec obſtat quod communiter contra præfatam reſolutionem adducitur, nempe eſſe magnam differentiam atque diſcrimen, inter deciſionem legis & ſententiam diffinitiuam, cenſuram aliquam imponentem, nam ſententiæ (inquiunt) trahunt ſecum exequutionem & maxime quando eſt ſententia excommunicationis, iuxta *cap. Paſtoralis. §. verũ, de appellationibus*, quo fit, vt licet per falſas informationes & probationes contra innocentes ſint latę, obligent nihilominus in foro conſcientiæ, cum vim gerant quaſi miniſtri exequentis, & ſicuti innocentes parẽre tenentur miniſtris exequentibus

ſententias etiam iniuſtas, ita & obedire tenentur cenſuris iniuſtis quouſque ab illis abſoluantur, quod non reperitur in legibus, nam cum ipſæ ſuos habeant miniſtros, ideſt Magiſtratus, vt decernitur in iure, *l. 1. §. magiſtratus. ff. de origine iuris*, non ita præciſe continent ſua præcepta, vt contra veritatem inſpectam obligent, ſeu obligare velint. Hæc inquam, inſtantia non obſtat, ſed neque obſtare poteſt, nam licet verum ſit, quod ſententiæ latæ ſecum trahant ſuam exequutionem, non tamen negari poteſt, quod cum ſint fundatæ infalſa præſumptione, ſecundum æquitatem debet præſumi, quod ſi iudices ipſi veritatis fuiſſent informati, eaſdem nunquam tuliſſent, & quod nullatenus velint obligare cum tanto rigore, vt teneant & ligent in foro conſcientiæ, veritate etiam in contrarium inſpecta. Semper enim legum & iudicum intentio, interpretanda eſt ſecundum æquitatem, neque vllo modo eſt præſumendum, quod ipſi velint vt falſa præſumptio in qua fundatur (vtcumque illa pro veritate habeatur) veritati ipſi præferatur. Hoc eſt valde notandum, atque memoriæ commendandum.

Tertia Concluſio.

Lex fundata in præſumptione falſa, non quidē diffinitiua, ſed præſuppoſitiua, ſeruanda eſt in conſcientia. etiā veritate in contrarium inſpecta.

QVando lex aliqua fertur, fundata in falſa præſumptione, non quidem diffinitiua, ſed vt dicitur pręſuppoſitiua, & neceſſaria ad bonam gubernationem Reipublicę, ſeruanda eſt, obligatque in conſcientia, etiam veritate in contrarium inſpecta. Pro intelligentia huius concluſionis adnotare oportet de mente & ſententia D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4. in ſolutione ad tertium, quod duplex eſt iudicium, quoddam definitiuum & determinatiuum, quoddam vero ſuppoſitiuum, ſeu quod dicitur, ex ſuppoſitione: Diffinitiuum & determinatiuum eſt illud, quod diffiniendo atque determinādo aliquid dicitur, determinando aliquam, formādo aſſenſum & dicendo, hac in re fiat hoc aut illud, propter hāc aut illam cauſam, quę quidem determinatio interdum eſſe poteſt vera, interdum vero falſa, ſiue in falſa pręſumptione fundata. Iudicium vero ſuppoſitiuum, ſiue exſuppoſitione, eſt illud quod adhibetur, quando agitur de remedio ſuper aliqua re, & prouidetur de cautela, ne mali aliquid in Republica contingat. Sit exemplum, ſi apud ſeculares aliqua fieret lex, vt cum infidelibus nullo modo communicarent, ne forte abeis peruerterentur, ſeu apud Religioſos (vt fieri contigit) vt alteri non ingrediantur aliorum cellas, propter mala quę forſan exinde poſſent obuenire, dico igitur, quod quāuis in primo caſu, hoc eſt in iudicio diffinitiuo, humanę leges non obligent in conſcientia, veritate in contrarium inſpecta, propter rationem in prima concluſione adductam, obligant tamen in ſecundo caſu, hoc eſt in iudicio præſuppoſitiuo, nam ad iuſtificationem huiuſmodi legum, quę fundantur in pręſumptione pręſuppoſitiua, ſufficit ſuperque ſatis eſt, vt factum ſit dubium, & ex illo mali aliquid poſſit euenire. Hinc conſequēs fit, quod factis ſupradictis legibus, quamuis ſecularis aliquis ſciret, & pro certo haberet, quod ex conuerſatione ſua cum infidelibus nullo modo peruerteretur adhuc nihilominus teneretur in conſcientia à tali conuerſatione abſtinere, propter factum dubium & quia id poteſt eſſe & non eſſe, in quo facto dubio ſupradicta lex fundata iuſtiſſima eſt. Idem dico de alia lege facta pro Religioſis, quod tenentur abſtinere ab ingreſſu in cellas aliorum Religioſorū, quamuis certo ſciant ſiue pręſumant, quod in ipſis ceſſat ratio legis, aut conſtitutionis ſupradictę, nā fat eſt quod factum ſit dubium, & quod poſſit eſſe & non eſſe. Hactenus de iſto Articulo.

Quod duplex eſt iudicium aliud diffinitiuū aliud vero præſuppoſitiuum.

ARTICVLVS XVIII.

Vtrum leges pœnales, obligent etiam ad culpam?

PRimo quidem intuitu, ſeu prima facie, videtur quod nō: nam multæ ſunt leges pœnales iniure, quæ ad nullam obligant culpam quales ſunt multę leges irregularitatis pœnam continentes. Certum eſt enim quod iudex, qui etiam iuſte malefactores occidit, & eſt cauſa effuſionis ſanguinis, iure fit irregularis, vt conſtat *ex toto tit. de homicidio voluntario, & ex cap. aliquantos, diſtinct.* 51. cum tamen in eo nullam committat culpam, quin vero potius promereatur, & bigamus ſimiliter iure eſt irregularis, vt conſtat *ex cap. ſi cuius, diſtinct.* 34. & tamen illic nulla ineſt culpa. Quæ forte vna eſt ex cauſis, ob quam iuris regula exceptionem fecit, dicendo quod ſine culpa non eſt aliquis puniendus, niſi ſubſit cauſa, ex qua regula ortum, atque originem duxit, commune illud axioma, *quod etſi ſine cauſa non poſſit infligi pœna, poteſt tamen ſine culpa*, non igitur omnes leges pœnales obligant ad culpam.

Nota quod etſi ſine cauſa nō poſſit infligi pœna, poteſt tamē ſine culpa

Secundo ſic argumentor ad idem, nam ſunt multę leges, tam diuinę, quam humanę, quæ nullam prorſus induunt pręceptiformam, ſed tantum pœnę, talis eſt illa Exod. 22. *Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, quinque boues pro vno bouc, & quatuor oues pro vna oue reſtituet.* Similiter & 2. *quæſt.* 3. *cap. qui non probauerit*, habetur, *quod qui non probauerit quod obiecerit, pœnam quam ipſe intulerit patiatur: & in l. capitali. ff. de pœnis*, habetur, *quod incendiarij puniuntur capite*, ſimiliter & fœnerarij, & multę alię ſunt ſimiles leges, quibus nihil prorſus pręcipitur aut prohibetur, ſed tantum pœna ſtatuitur, vt leges populorū quibus cauetur, ne oppidani cedant communē ſyluam, ſub tali vel tali pœna, leges etiam multarū Religionum, in quibus pœna ſolummodo ſtatuitur, contra illos, qui quidpiam tale vel tale fecerint: ergo in his omnibus, quamuis ſupradictæ leges obligent ad pœnam, non tamen ad culpam. Multa alia argumenta ad hoc propoſitum poſſunt adduci, ſed iſta ſufficiant. Circa hanc difficultatem reperio varias, atque diuerſas Doctorum opiniones.

Prima opinio eſt communis multorum Iuriſconſultorum, aſſerentium omnes leges obligantes ad pœnam non obligare ad culpam. Hanc ſententiam refert Magiſter Soto libr. 1. de iuſtitia & iure, q. 6. art. 5. & dicit eam eſſe pluſquam vulgarem, ipſam tamen vocat errorem.

I. opinio.

Alia eſt ſententia aliorum etiam Iuriſconſultorum, quos idem Soto refert, & Sylueſter, *verbo, ino bedien*

II. opinio.

be *dientia in fine*, qui aliquanto melius ſub diſtinctione loquuntur, dicentes, quod illæ leges pœnales, quæ præcipiunt aut prohibent aliquid, & poſtea in tranſgreſſores adhibent pœnam, obligant ad culpam, & ſimul ad pœnam, at vero illæ quæ nihil præcipiunt aut prohibent, ſed tantum pœnam adhibent, non obligant ad culpam, ſed ſolummodo ad pœnam, & tales inquiunt ſunt omnes in ſecundo argumento propoſitæ. Sed nihilominus ſupradictus Magiſter Soto, cõtrariam omnino tenet ſententiam, quæ & mihi videtur vera, multũque probabilis, quamuis & aliquali indigeat modificatione, ſiue limitatione. Pro cuius reſolutione ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Stãdo in ipſa rerumnatura nulla lex obligat ad pœnam quæ non etiã obliget ad culpam niſi contrariũ exprimatur ibidẽ.

STando in ipſa rerum natura, naturalique ratione, nulla eſſe prorſus videtur pœnalis lex, quę ſi verè ac propriè pœnalis ſit, obligando ad pœnã non ſimul etiam obliget ad culpam, niſi expreſſe legiſlator indicauerit aliam ſuam intentionem fuiſſe. Hanc ſententiam & concluſionem, tenet mordicus ſupradictus Magiſter Soto vbi ſupra, & eandẽ tenet Medina 1.2.q.96.art.4.dubio 2. & eam eſſe dicunt expreſſam D.Thom.1.2.q.87.artic.7. & 22.q.108.art.4. quam & probant multis & efficaciſſimis rationibus, ipſamque conſtare dicunt ex lumine naturali. Nam ſtando in lumine naturali, pœna & culpa, ſi propriè pœna eſt, tantam inter ſe habent connexionem ſiue correſpondentiam, vt vna alteri neceſſario correſpõdeat, ipſamve præſupponat, & addunt eſſe prorſus contra rationem pœnæ, vt culpa non ipſam præcedat, & contra omnem prorſus rationem, vt principi ſalicui pœnam capitis imponat, niſi propter præcedentem culpam idipſum promerentem, quod quidem argumentum multis proſequuntur. Eandem eſſe dicunt expreſſam ſententiam D.Auguſt.lib.1.retract.cap.9. vbi inquit, *quod omnis pœna ſi iuſta eſt, ſemper pro peccato imponitur.* Confirmãt etiam ſuam ſententiam & opinionem hac efficaciſſima ratione, nam leges humanæ iuſtę, ſi abſque comminatione pœnæ, & abſolute ponantur, obligant ad culpam, vt ſupradictum eſt: ſed cõminatio pœnæ legi appoſita, non eſt ſignum contrariæ voluntatis, quin vero ſi rectè perpendatur, potius eſt ſignum expreſſionis eiuſdem propter rationem dictam: ergo leges pœnales ſimul obligãt & ad pœnam & ad culpam. Sed aduertunt ſupradicti DD. quod loquuntur de pœna, quæ propriè habet rationem pœnæ, hoc eſt de pœna iuridica, quæ idem pollet atque vltio ſiue vindicta; non autem de pœna phyſicè ſumpta pro cruciatu, quem quis voluntariè patitur ab alio, v.g. à febre, aut alio quouis modo dolorem afferente; nec de pœnis quibus á Deo interdum flagellamur, non ſolum ob delicta præterita, verumetiam vt in futurum cautiores viuamus, hæ enim (inquiunt) pœnæ & flagella, non tam pœnæ ſunt, quam præſeruatoriæ quædam medicinæ. Loquendo tamen de pœna iuridice ſumpta, proeo quod eſt vltio, ſiue vindicta, adeò dicunt vnum eſſe alteri connexum, ſibique intrinſece, atque ex ſua intrinſeca & formali ratione correſpondens, vt contra omnẽ ſit prorſus rationem, legem ſeu principem aliquam imponere pœnam, ſaltim grauem, quam non præceſſerit culpa. Sed Nauarr. loquendo ſpecialiter de legibus humanis contraria omnino procedit via, inquit enim leges humanas pœnales, & obligantes ad pœnam, non ſemper obligare ad culpam, quinvero in dubio interim quod à ſancta Sede Apoſtolica contrarium non declaratur, probabiliuscredit humanas leges præſertim quæ temporalem pœnam aliquam conſtituunt non obligare ad culpam, & conſequenter neque ad pœnam æternam. Hanc ſententiam tenet in multis ſuæ doctrinæ locis, ſed præſertim in ſuo Manual.cap.23.quod eſt de inobedientia, à nume.48. vſque ad nume.86. vbi eam multis & efficaciſſimis rationibus comprobat. De cuius doctrina & reſolutione, moderando & limitando ſententiam ſupradictam Soti & Medinæ, & aliorum, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Nota opinionẽ ſingularẽ Doctor. Nau.

Secunda Concluſio.

Quando pœnales leges obligent ad culpã quando verò non.

QVando ex generali vſu, & communi hominũ conſuetudine, receptum eſt quod aliquæ humanæ leges obligent ſolummodo ad pœnam, & nullo modo ad culpam, in tali caſu leges pœnales ad culpam non obligabunt. Hanc concluſionem teneo propter fortiſſimas atque efficaciſſimas rationes ſupradicti Doct. Nauarr. & dico quod quamuis opinio Soti & aliorum ſit vera, ſtando in ipſa rerũ natura, & naturali ratione, intime conſiderata atque perpenſa ratione pœnæ, quæ ex ſe, & ex ſua intrinſeca ratione neceſſario præſupponit culpã; attamen ex communi vſu & conſuetudine, quę optima eſt legum interpres, & ex voluntate tacita, ſeu interpretatiua legiſlatoris, contrarium omnino poteſt contingere. Et quod in propoſito hoc ſit dicendũ, probatur primo, nam Reges & Principes ſiue ſeculares iudices, nunquam expreſſerunt, aut interpretati ſunt in ſuis legibus maxime pœnalibus, mentem & intentionem ſuam eſſe aut fuiſſe, obligare per ipſas ſibi ſubditos ad culpam, neque conſuetudo ipſa id vnquam fuit interpretata, niſi ſimul cum eis, ſeu aliqua ipſarum eſſet aliqua lex diuina, naturalis aut Euangelica, aut conſtitutio Canonica, ex qua idipſum colligeretur: ſignum igitur eſt conſuetudine ipſa, ſupradictas leges interpretantur, quod per eas non homines obligentur ad culpam, ſed ſolummodo ad pœnam in eiſdẽ appoſitam. Quod & hac præcipua ratione confirmatur. Nam gentiles infideles olim legumlatores, nihil minus quam de culpa, aut pœna æterna cogitarunt ſiue curarunt, ſed ſolummodo de temporali, & ex fidelibus Chriſtianis, ſi conſulantur hodie ſeculares principes, forſan nullus omnino erit id qui dicat, mentem & intentionem ſuam eſſe, aut quando aliquam ſtatuit legem cui appoſita eſt temporalis pœna, velle per ipſam ſibi ſubditos ſimul obligare ad culpam: ergo ſaltim ex voluntate interpretatiua principum, eiuſmodi leges mere pœnales, non ſimul obligant ad culpam. Et confirmatur ſecundo, nam vt efficaciſſime probat ſupradictus Nauarr. lib.1.conſ.de conſtitutionibus, conſi.1.num.25, & con.3.num.1. & in Manual.cap.23.numer.41. & ſequentibus, & nos late dicemus infra, ad hoc vt leges quantumuis iuſtæ obligent ad culpam & in conſcientia neceſſum eſt quod recipian-

Nota valde.

tur,

tur, ita quod leges non receptæ, nullo modo obligant, quia ſemper præſumitur legiſlatores eas ferre ſub hac conditione, ſi fuerint receptæ, & in tantum & non plus obligant receptæ, in quantum fuerint receptæ, poſſuntque eſſe receptæ, quantum ad vnam partem, & non quantum ad aliam, vt dicit idem Nauarr. eodem libr. 1. conſi. de conſuetudine conſi. num. 1. & libr. 3. de celebrat. miſſar. conſi. 4. numer. 11. ſed quod ſupradictæ leges pœnales ſimul obligent ad culpam, hucuſque non eſt vſu receptum aut poſitum in praxi, neque in communi hominum cõſuetudine: dicendum igitur eſt, quod leges humanæ quæ fuerint huiuſmodi, obligabũt quidem ad pœnam ſed nullo modo ad culpam, niſi illud ipſum quod præcipiunt, vetant aut prohibent, fuerit etiam alia lege diuina aut naturali, ſiue Canonica prohibitum, vel niſi ex communi vſu & conſuetudine, & interpretatiua ſaltem principum voluntate, in communi praxi fuerit poſitum, & receptum, vt ſimul obligent ad pœnam & ad culpam. Omnes rationes ſupradictæ ſunt valde notandæ, quia meo videri fortiſſimæ ſunt, & concludunt intentum. Solum ſupereſt modo reſpondere ad argumenta propoſita in initio huius Articuli.

Ad primum reſpondetur, quod leges pœnales irregularitatis & bigamiæ, de quibus fit mentio ibidem, neutiquam induunt rationem pœnæ, ſed ſolum cuiuſdam indecentiæ, quæ homines ad ſacrorum Ordinum functiones reddit inhabiles, de quibus non loquimur nos, ſed de illis tantum pœnis, quæ correſpondent culpis, quæ alio nomine nuncupantur vltiones, ſiue vindictæ, de quibus vt cõſtat ex dictis in prima concluſione, verum eſt ex natura rei, dicere quod non correſpondent, niſi præcedenti culpæ, aut quod non niſi propter præcedentem culpam, iuſtè à principibus poſſunt apponi.

Ad ſecundum reſpondetur, per illud quod dictum eſt in prima concluſione, nempe quod pœna ex natura rei, nonniſi culpæ correſpondet, ſi tamen ex conſuetudine aut voluntate Principum, expreſſa ſeu interpretatiua aliud habeatur, vel quia leges ſic & non aliter fuerunt receptæ, hoc nihil facit contra nos, aut contra reſolutionem noſtram. Videatur hac de re ſapientiſſimus Magiſter Soto loco ſupracitato, & Medina ſimiliter, & doctiſſimus Nauarrus: nam horum quilibet pro ſua tuenda, diſputanda atque defendenda opinione, & ſententia, plura dicit quammaxime iuri conſona, eaque notatu digniſſima. Hactenus de iſto Articulo, progrediamur ad aliud, & ſit decimus nonus Articulus.

(?)

ARTICVLVS XIX.

Vtrum legum pœnalium transgreſſores in foro conſcientiæ, & ante latam Iudicum ſententiam, ſiue condemnationem, teneantur pœnam ſubire? quod eſt dicere & declarare, an leges pœnales, ſicuti ad culpam, ita & ad pœnam, eodem modo obligent ante ipſius Iudicis condemnationem?

HAEc quæſtio grauiſſima atq; difficillima eſt, & ex grauiſſimis & difficillimis, quæ in præſentiarũ poſſent adduci. De qua & DD. Scholaſtici multa dicunt, varia & diuerſa argumenta pro vtraque huius difficultatis parte hinc inde afferentes, quæ longum eſſet nimis velle in præſentiarum recenſere, cum adeo breuitati ſtudeamus. Quapropter ab ipſius prolixiori tractatione ſuperſedendo, ea ſolummodo contentus ero dixiſſe, quæ præciſe ad eiuſdem exactam intelligentiam ſpectant. Et difficultatis punctus ſtat in hoc, vtrum eo ipſo, quo quis transgreditur aliquam legẽ, quæ ipſo facto transgreſſorẽ ſuiſpriuat bonis, teneatur in cõſcientia, Fiſco eadem bona dare ſiue reſtituere, an vero citra culpam ea retinere poſſit, vſque ad ſententiæ condemnationem, ob id quia illuc vſque dominium retinet, & poſſeſſionis potitur iure.

Dico igitur, quod hac de re ſunt duæ extremæ opiniones, vna dicit quod legum pœnalium transgreſſores in foro conſcientiæ, & ante iudicis condemnationem, tenentur ad ſubeundas earundem pœnas. Hanc opinionem tenet doctiſſimus Pater Fr. Ildephonſus de Caſtro, noſtræ huius Religionis magnum decus & ornamentum, ſed præcipue Prouinciæ D. Iacobi, & noſtri Salmanticenſis Conuentus, lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione, cap. 6. & libro etiam quem inſcripſit, de lege pœnarum quam & multis grauiſſimis atque efficaciſſimis rationibus comprobat, & revera eſt opinio Panorm. in *cap. canonum, de conſtit. t. & in cap. dilecti, de arbitris*, vbi inquit quod ille, cuius bona ſunt ipſo facto cõfiſcata, ſiue fiſco applicata, non poteſt illa cum bona cõſcientia, retinere, quia ſtatim, inquit, ſunt ac quiſita Fiſco. *I. opinio.*

Sed alia eſt aliorum opinio & ſententia, aſſerentium quod legum pœnalium transgreſſores, peccant quidem, ſi ſint leges, quæ ſimul obligent ad culpam, non tamen tenentur, ſeu ſtatim obligant ad ſubeundam pœnam in foro conſcientiæ, ante latam ſententiam & iudicis condemnationem. Hanc opinionem tenet D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. & Caietanus ibidem & in ſumma, *verbo pœna*, & Sylueſter *verbo aſſaſsinus*, Adrianus item quodlibeto 6. art. 1. Conr. lib. 1. de contractibus q. 7. Soto libr. 1. de iuſtitia & iure q. 6. artic. 6. Medina 1. 2. q. 96. artic. 4. in quadam incidenti quæſtione. Pro cuius quæſtionis reſo- *II. opinio.*

reſolutione, & vt ab ea breuiter atque celeriter me expediam, præmittendum duxi, quod vniuerſæ pœnæ, quæ legibus decernuntur ad tria genera, ſiue capita reducuntur.

Nota quod pœnarum omniũ genus, ad tria capita reducitur.

Primum genus eſt earum pœnarum, quæ nullã actionem requirunt, nec ex parte Iudicis, nec ex parte delinquentis, ſed ſolummodo conſiſtunt in priuatione, vt excommunicatio, irregularitas, & priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ.

Secundum vero genus eſt, earũ in quibus actio delinquentis miſcetur etiam paſſioni, vt pœna exilij, & pœna pecuniaria, nam in pœna exilij neceſſaria eſt etiam actio delinquentis, nempe vt in exilium proficiſcatur, & in pecuniaria etiam vt nummos ſoluat.

Tertium pœnarum genus eſt, in quibus actio requiritur ex parte exequentis iuſtitiam, ex parte vero delinquentis tantummodo requiritur paſſio vt contingit in pœna mortis & abſciſſionis membrorum. His igitur ſic præmiſſis, propoſitæ difficultati breuiter atque reſolutiue reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Leges pœnales quæ in ſola priuatione cõſiſtunt, obligant ante iudicis condemnationem.

TRansgreſſores earum legum pœnalium, quæ dicuntur ipſo iure ſeu ipſo facto, & in ſola priuatione conſiſtunt, cuiuſmodi ſunt excommunicatio & irregularitas, & priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ, ante iudicis ſententiam & condemnationẽ, in earundem pœnas incurrunt. Hæc concluſio eſt ab omnibus Theologis iurisque peritis vnanimiter recepta, quamuis aliqui diuerſi ſint in conſtituenda & aſſignanda ipſius ratione. Caietanus etenim ita eſſe exiſtimat, quia prædictæ pœnæ in ſola priuatione conſiſtunt, ex quo fit conſequens, quod abſque alia præuia actione, & iudicis admonitione incurruntur. Soto vero loco ſupracitato, alia procedit via, dicens id ita eſſe, quoniam excõmunicatio, irregularitas, & aliæ ſimiles pœnæ, nõ ſunt priuatio alicuius boni proprij, quod legis trãſgreſſor prius poſſederat, ſed priuatio bonorum cõmunium, quæ ab Eccleſia erat recepturus, quorũ proinde Eccleſia, optime illum facere poteſt non participem, & reddere inhabilem omnino, eo ipſo quo illius leges trãſgreditur, abſque aliqua deſuper facta declaratione. Vtraque ratio eſt probabilis, ſed Caietani eſt vniuerſalior. Ex qua concluſione ſequitur quod ſi aliqua lex ponit pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam, ſiue irregularitatis, aut priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, ij qui tale commiſerint crimen, continuo & ſtatim ac crimen patrarint in eaſdem incurrunt, abſque alia iudicis declaratione deſuper requiſita quamuis de priuatione vocis actiuæ Magiſter Soſo vbi ſupra aliquantulum dubitet, ſed immerito profecto. Videatur hac de re prædictus Soto & Medina, locis ſupracitatis. Intelligenda eſt autem dicta concluſio, cum tribus conditionibus ſiue limitationibus. Prima quod lex dicat ipſo iure ſeu ipſo facto, nam ſi dicat ſub pœna excommunicationis, &c. intelligendum id eſt comminatorie, & tantum de excommunicatione ferenda & non lata, & idem dico de alijs, nam leges pœnales cum ſint odioſæ, in mitiorem partem ſunt interpretandæ, & potius reſtringendæ, quam ampliandæ. Secunda conditio eſt, vt actus qui præcipitur aut prohibetur ſit exterior, nam actus interiores non ſubiacent cenſuris Eccleſiaſticis. Propter quod ſi quis (quod abſit) hæreſim mente conceperit, non autẽ ore aljove modo ipſam protulerit, non erit ipſo facto excommunicatus. Tertia conditio eſt, quod actus ratione cuius talis pœna imponitur ſit perfectus, nam ſi quis v. g. emiſit ſagittam animo interficiendi clericum, & errauit ictum, non erit etiam ipſo facto excommunicatus, ſimiliter qui propinauit venenum, ſi mors inde non eſt ſubſequuta non efficitur irregularis. Hæc omnia vera ſunt, omnibusque peruia.

Supradictæ cõcluſioni intelligenda eſt cum tribus cõditionibus, ſiue limitationibus.

Secunda Concluſio.

Leges pœnales, quæ in actione & paſſione ſimul conſiſtunt, non tenentur earum pœnas ſubire ante iudicis condemnationem.

TRansgreſſores earum pœnalium legum, quæ in actione & paſſione ſimul conſiſtunt, non tenentur earum pœnas ſubire ante iudicis condemnationem, & multo minus illas quæ in ſola paſſione conſiſtunt. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soti loco ſupracitato concluſione prima, & Medinæ concluſione ſecunda, vbi eam multis atque eſficaciſſimis rationibus comprobant, quarum ea potiſſima eſt, quia pœna (vt nomen ipſum ſonat) ex eo dicitur pœna, quia paſſio eſt, & natura ipſa rerum abhorret, vt idem ſit omnino agens & patiẽs. Ex quo fit conſequens, quod lex quæ efficeret me ipſum exequutorem propriæ pœnæ, non eſſet quidem naturæ conformis, neque iuſta ſed iniuſta, ac proinde neque obligatoria, cũ omnis lex iuſta (vt ſupradiximus) à naturali lege habeat deriuari. Videantur quæ hac de re latiſſime dicunt, ſupradicti Soto & Medina vbi ſupra.

Tertia Concluſio.

Lex pœnalis, quæ cõſiſtit in paſſione, ſeu bonorũ amiſſione, quãuis nõ obligeat ante iudicis condẽnationẽ, retrotrahitur tamen ad tẽpus cõmiſſi delicti.

QVando aliqua lex pœnam imponit ipſo facto incurrendam, quæ conſiſtit in paſſione ſeu bonorum amiſſione, quamuis non obliget ante iudicis condemnationem (vt dictum eſt) retrotrahitur tamen ſententia iudicis & eius exequutio, vſque ad illum articulum, quo eiuſdem legis tranſgreſſor crimen admiſit. Volo dicere, quod lex, quæ ponit hæreticis pœnam amiſsionis bonorum, ipſo facto quo hæretici fuerint, quamuis non obliget illos in conſcientia ad ſpoliationem & expropriationem eorundem bonorum, ante iudicis condemnationem ſiue ſententiam, poſt ipſam tamen retrotrahitur ſententiæ ipſius exequutio, vſque ad illũ articulum, quo hæreſis crimen voluntarie admiſerunt. Hæc concluſio eſt ſupradicti Magiſtri Soto loco ſupracitato, concluſione 4. vbi & probat eã, *ex cap. cum ſecundum leges, de hæreticis, & ex leg. poſt D. Martij. C. ad l. Iul. maieſt.* & dicit quod iſte eſt vniuerſalis vſus & practica ſenatus ſanctæ inquiſitionis, vt habetur in Directorio Inquiſitorum libr. 3. tit. 9. Adeoque vera eſt, inquit prædicta ſententia, vt omnes cõtractus nempe donationis ſeu venditionis, & alij, facta etiam cauſa dotis, quos hæretici ab illo articulo fecerunt, habendi ſint pro infectis & ſi apud dictos hæreticos, non adhuc inueniãtur pretia, nihilominus Fiſcus, nullo emptoribus pretio reſtituto, ſibi adiudicabit dicta bona. Neque

ex di-

ex dicta (inquit) concluſione inferri poteſt, quod leges pœnales, quæ conſiſtunt in actione & paſsione, obligent ante iudicis condemnationem (vt cõtraria tenet opinio) nã aliud eſt amittere bonorũ dominium, quantum ad hunc effectum, propter admiſſum crimen, vt non poſſint ab illo articulo illa alienare, aliud vero ſe ipſos expropriare ſiue ſpoliare ipſo dominio, ante iudicis condemnationem. Bene enim ſtat ac recte ſe compatitur, vt quis ſimul ſuorum bonorum habeat dominium, & non illa poſsit alienare, vt patet in habentibus primogenituras, & in pupillis ante legitimam ætatem, & in multis alijs, quæ latiſsime proſequitur prædictus Soto loco ſupracitato.

Quarta Concluſio.

In ſupradicto caſu, nõ eſtne ceſſaria ſentẽtia iudicis declaratoria cer ca pœnã, ſed ſat eſt vt per ſententiã declaretur, quẽpiã cõmiſiſſe tale delictũ ta li die, &c.

IN ſupradicto caſu, quando lex ponit pœnam amiſsionis bonorũm ipſo facto, tunc non eſt neceſſarium, vt ſententia iudicis feratur ſuper dictã pœnam, ſed ſat eſt vt feratur ſuper crimen, & declaretur quod quiſpiam hæreticus conuictus eſt de tali crimine, à tali die. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Soto loco ſupracitato, concluſione. 3. vbi & probat eam, *ex d. cap. cum ſecundum leges, de hæreticis*, ex vltimis verbis, & ex multis alijs rationibus & iuribus, quæ à me breuitatis gratia, in præſentiarum prætermittuntur, vt ne longiorem protraham ſermonem, cum adeo breuitati ſtudeam.

Quinta Concluſio.

Quãdo reuſtetur parere Iudicis ſentẽtiæ, quando vero non.

QVotieſcumque iudex, ſua iuſta atque iuridica ſententia, rerũm aliquem condemnat ad pœnam, quę non eſt mortis ſeu corporalis læſionis inflictiua, reus parêre tenetur etiamſi ipſum aliquid agere oporteat, ſecus eſt autem ſi corporali ſupplicio condemnetur, nam tunc tantum obligatur ad pati, non vero ad agere. Hęc concluſio eſt ſupradicti Soto loco ſupracitato, concluſione. 5. cuius primam partem hac ratione probat, nam vnuſquiſque, inquit, tenetur poteſtatibus ſublimioribus obedire, niſi aliquo diuino aut naturali iure excuſetur. Sed in prędicto caſu, poſt quam reus, vt ſupponitur, iuſte ac iuridice condemnatus eſt, nullo modo excuſatur, ergo in tali caſu non alius requiritur legis exequutor, quam ipſe iudex, ferens ſiue pronuntians ſententiam, ipſaq; ſententię prolatio vbi non eſt de corporali ſupplicio, legitima eſt eiuſdem exequutio, cui proinde reus parêre tenetur. Secundam vero partem concluſionis probat Soto, quia nullum, inquit, ius permittit aut patitur, vt idem ſimul reſpectu ſui ipſius, ſit agens & patiens, hoc enim vt videtnr natura ipſa abhorret & ipſa inclinatio quam natura nobis indidit, tuendi & conſeruandi propriam vitam, Ius nobis dat, & excuſatos nos habet, vt nulla nos obedientia cogere poſsit, vt in nos metipſos manus vltrices conijciamus. Multa ad hoc propoſitum adducit ſupradictus Soto vbi ſupra, varia contra ſe ſuasque aſſertiones afferendo argumenta, quibus meo quidem videri, ſatis dilucide atque perdocte reſpondet, vt videri poterit ibidem. Hæc de iſto Articulo breuiter atque ſummatim dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS XX.

Vtrum humanæ leges reſpiciant præterita, an vero ſolummodo futura?

Concluſio.

Regulariter loquẽdo, humanæ legesreſpiciunt futura, non vero præterita.

REgulariter atque communiter loquendo, humanę leges ſolummodo reſpiciunt futura, non vero prętęrita. Hęc concluſio eſt expreſſa Panorm. *in cap. cognoſcentes, de conſtitut.* & communis omnium Iuriſconſulto rum, pro qua facit, *cap. fin. de conſtitution. & cap. leges. C. de legibus, & l. de vſuris. C. de vſuris, & capit. ante triennium, diſt. 31. & cap. propoſuiſti, diſtinct. 82.* quam ſolummodo limitant Doctores, in caſu quo in aliqua lege, expreſſe & nominatim de prętęritis aliud decernatur ſiue caueatur, per dictum *cap. fin. eodem titulo. de conſtitutionibus.* Et addit ſupradictus Panormitanus quod etiam lex ſiue conſtitutio iuris antiqui declaratoria addens nouam pœnam non extẽditur reſpectu pœnę ad prętęrita, quinvero reſpectu dictę pœnę cenſetur, quaſi lex & conſtitutio noua, quod & probat, *ex cap. quoniam ſimoniacã, de ſimonia.* Nam licet ante conſtitutionem Concilij Generaliscuius ibi fit mẽtio, committeretur ſimonia in receptione Monialium pretio dato, non tamen erat conſtituta pœna, quę ſtatuitur in dicto capitulo, nempe quod Moniales ſimoniam committentes in aliarum receptione, è Nonaſterio expellerẽtur, detrudendę in aliud arctius, ad agendam pœnitentiam. Quę proinde pœnę (inquit ſupradictus Panormiſanus) non extenduntur ad Moniales ante dictam conſtiuutionem per ſimoniam receptas, vt conſtat ex dicto capirulo, & ex alijs multis quę ad hoc propoſitum poſſent adduci, à me breuitatis gratia omiſsis. Vbi conſtitutiones iuris antiqui declaratorię addentes nouam pœnam reſpectu eiuſdem pœnę non extenduntur ad prætęrita, & cenſentur quaſi conſtitutiones nouæ. In fine dicti capituli addit & aduertit Panormitanus, quod fallit hęc regula vbi lex ſiue conſtitutio eſt iuris naturalis declaratoria, nam in tali caſu extenditur etiã ad prætęrita, & ratio eſt, quia ibi ſolummodo declarat, & nihil de nouo inducit, iuxta id quod habetur in iure, *in l. hæredes palam. ff. de teſtamentis*, & quia ibi potius ligat conſtitutio antiqua, quam noua declaratoria. Circa prædictam difficultatem videatur Nauarr. relectione, *ſuper capitulo, ſi quando de reſcriptio, excepi. 21. num. 3. cum ſequentibus, & numero. 48.* vbi latiſsime tractat hanc materiam, Vtrum lex noua, ſaltim quoad aliquos effectus reſpiciat prætęrita. Videatur etiam Sylueſter, *verbo, lex, quæſtione vigeſima tertia.* Et hæc pro iſto Articulo breuiter dicta ſufficiat.

Nota valde.

(?)

ARTI-

ARTICVLVS XXI.

Vtrum necessum sit quod humanæ leges recipiantur, & an non receptæ liget?

Prima Conclusio.

Humanæ leges nō ligant, nisi recipiantur, & iusta aliqua de causa nō receptæ sunt nullæ.

CErtissimum, atque constitutissimū est, quod humanæ leges recipi debent, & quod iusta aliqua de causa non receptæ non ligant. Hanc conclusionem tenet expresse Nauarr. in suo Manual. capi. 23. num. 41. & lib. 1. consil. de constitution. con. 1. num. 23. & con. 3. num. 1. & lib. 3. cons. de statu Mona. con. 28. num. 1. quam & probat primo, ex §. *leges, distin.* 4. vbi subsequentia ponuntur verba, quæ sunt D. August. lib. de vera Religione. cap. 5. *Leges, inquit, instituuntur cum promulgantur, firmantur autem cum moribus vtentium approbantur. Sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus vtentium ipsæ leges confirmantur.* Et addit, *vnde illud Telesphori Papæ, qui decreuit vt generaliter clerici à quinquagesima á carnibus & delitijs iciunent, quia moribus vtentium approbatum non est, taliter agentes transgressionis reos nō arguit.* Verba sunt expressa suprad. D. Augustin. & Gratia. in *d. §. leges.* Alia duo exempla ponit idem Gratianus in *cap. statuimus, & cap. denique eadem d.* 4. & facit etiam ad hoc, *capi. 1. de tregua & pace.* vbi statutum fuit, vt ne bellum fieret etiam iustum ab Aduentu vsque ad Epiphaniam, neque à Septuagesima, vsque ad octauam Paschæ, & tamen quia eiusmodi decretum non fuit receptū, non ligat. Facit & *l. de quibus. ff. de legibus*, vbi ad idem propositum habetur, *quod leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quia iudicio populi receptæ sunt, &c.* Ex quibus verbis colligit supradictus Nauarr. in Manual. vbi supra, quod leges antequam recipiantur, saltim per maiorem partem, vniuersitatis cuius est pars transgressor, non ligant eundem, quoniam promulgari videntur cum ea conditione si recipiantur saltim per maiorem partē. Ad quod probandum inducit Nauarr. Dominicum singulariter ab omnibus receptum, *in dicto §. leges, distinct. 4. & in cap. 2. de constitutionibus, & Felinum in capit. 1. de tregua & pace, à num. 12. verbo, intellige 4. & num. 13. consil. 2.* Videatur etiam hac de re Castro de lege pœnali, lib. 1. cap. 8. Sed modo insurgit difficultas, an primi legem aliquam humanam non recipientes, sine iusta & legitima causa, peccent mortaliter? cui quæstioni, atque difficultati, respondeo per sequentem Conclusionem.

Secunda Conclusio.

Primi nō recipientes leges, nisi iusta causa excusentur peccant mortaliter.

CErtissimum, atque constitutissimum est, quod primi non recipientes humanas leges, peccant mortaliter, nisi excusentur ex aliqua iusta & rationabili causa, vt nisi id faciāt ex voluntate expressa, vel tacita, siue interpretatiua Principum aut Legislatorum. Hæc etiam conclusio est expressa supradicti Nauarr. lib. 1. consi. de constitutionibus, con. 1. num. 23. cum sequent. & in Man. cap. 23. num. 35. vbi agit de obligatione, qua tenentur subditi, obedire suis Superioribus & Prælatis, quando eis aliquid præcipiunt animo obligandi ad mortale, *per cap. 2. de maioritate & obedientia, & cap. sciendum 8. q. 1.* Sed quod excusentur, aut excusari possint, aliqua existente iusta & rationabili causa, probat idem Nauarr. locis supracitatis, ex D. Thom. 1. 2. q. 96 artic. 6. in corpore articuli, vbi inquit, quod si emerserit casus in quo alicuius legis obseruatio, saluti communi sit damnosa, non est obseruanda. Idem tenet 2. 2. q. 47. art. 3. & dicit prædictus Nauarr. quod iustam causam non seruandi aliquam legem videtur quis habere, quando cernit quod huiusmodi lex communiter non seruatur, nec obseruari cœpit ab alijs, maxime à maioribus, seu à maiori parte illorum quibus posita est, nam cum lex respiciat vtilitatem communem, non videtur eius legislator velle, vnum vel alterum ligare, ad seruandum quod alij consubditi similiter non seruant, nec seruare cœperunt. Præterea (inquit Nauarro) iustam habent causam illam non seruandi, qui id faciunt ex voluntate expressa vel tacita seu interpretatiua Principum & Legislatorum, vnde qui sciente Superiore & potente cogere & non cogente, legē aliquam seruare, eandem non seruant (inquit prædictus Nauarr.) non peccare ex eo, quod superior per eiusmodi taciturnitatem, videtur ipsam suspendere aut tollere, iuxta Gloss. singularem & celebrem, *in cap. 1. de treuga & pace*, quam approbant Panorm. & omnes communiter DD. quos refert Felinus in eodem cap. Sed difficultas est, an per id solum lex siue constitutio aliqua videatur derogata, & quid sit necessarium ad hoc, vt aliqua lex siue constitutio dici possit non recepta? Cui etiam difficultati respondeo per sequentem Conclusionem.

Nota quod quando legislator, videt aliquā legē nō seruari & id licet, videtur ip samtollere & suspendere.

Tertia Conclusio.

Quādo lex aliqua iuste & legitime dicatur non recepta?

REnuente populo ex aliqua iusta causa legem aliquam recipere, tunc vere censetur, atque iudicatur non recepta viribusque eneruata, quando vidente aut sciente Principe, siue Legislatore, & tacente, contra eam aliqui efficiuntur actus cōtrarij. Hanc conclusionem tenet glossa, *in cap. 1. de treuga & pace*, affirmans Episcopos non teneri de transgressione canonis ibidem positi, quia moribus vtentium non fuit receptus. Idem tenet alia glossa, *in l. rem nouam. §. patroni. C. de iudicijs*, & secundum Abbat. *ind. cap. 1. de treuga & pace*, sufficit binus aut trinus actus contrarius sciente legislatore ad hoc vt lex non habeat seu amittat suam vim quæ etiam fuit doctrina Bartol. *in l. de quibus. ff. de legibus, num.* 10. Quod & hac etiam ratione confirmatur, nam ad inducendam consuetudinem (ad quod vt dicitur requiritur frequentia actuū) sufficit binus actus, nam quod bis fit frequenter fieri dicitur iuxta glossam singularem, & communiter receptā *in rubrica. C. quæ sit long. consuet.* quin vero addunt quidam DD. non esse necessarium, quod huiusmodi bini actus sint iudiciales, imo vero neque quod fiant in præsentia Principis, siue Legislatoris, sed sat esse, quod ipsi sciant, aut illi, ad quos spectat punire eiusmodi delicta, quando infringuntur leges. Nam sicuti consuetudo potest induci & valet (secundum aliquos) inscio & ignorante Principe siue Legislatore; quod tenet Abbas, *in cap. fin. de conf.* nu. 13.

Notaquoi actus sint necessarijad hoc vt aliqua lex dicatur non recepta?

nu.13.ita & deſuetudo (vt ſic loquamur) introduci etiam poteſt in eiuſdem abſentia, quin vero & ſine ipſius ſcientia, ſatis enim eſt vt illud ſciant, illi ad quos ſpectat in Republica eiuſmodi delicta punire, nam ſi non id faciunt, tacite conſentire censentur. Sed pro maiori prædictorum declaratione, ſequens etiam ſtatuitur concluſio.

Quarta Concluſio.

Ad hoc vt lex humana dicatur nō recepta ſufficit quod per tēpus decem annorum non ſeruetur.

LEx humana dicitur non recepta, quãdo etiam ignorante Principe ſiue Legiſlatore, per decẽnium non ſeruatur, ſed negligitur, & communiter omittitur. Hæc concluſio ſtatuitur à Nauarr. in dicto lib.1.conſi.de conſtitut.conſ.1.num.24. quam dicit eſſe Felin. & multorum Iuriſconſultorum, in *cap.1.de tregua & pace*, vbi & communiter reijcitur Abbatis opinio, dicentis & affirmantis 40. annorum ſpatium ad id eſſe neceſſarium. Sed Felin opinionem, vt magis veram & communem, refert & recipit Couarr.lib.2.variarum, cap.16.num.6. & ponitur in numero opinionum communium, vt conſtat ex tertio tomo dictarum opinionum commun.fol. 561. Et extendenda eſt (inquit Nauarro) ſupradicta concluſio, ad hoc vt locum habeat non ſolum in legibus ciuilibus, verumetiam in canonicis, & in quibuſcumque ſtatutis ſiue decretalibus, aut Extrauagantibus Summorum Pontificum, quæ niſi fuerint receptæ, & per decennium fuerint omiſſæ & neglectæ, vim & vires amittunt, nec ſeruare ipſas aliquis tenetur. Quod etiam eſſe dicit intelligendum etiamſi lex de nouo emergens, deroget omni contrariæ conſuetudini, quia non etiam habebit locum eiuſmodi diſpoſitio, ſi ipſa ab initio non fuit recepta. Licet enim verum ſit quod non valet conſuetudo cõtra legem conſuetudinẽ derogantem, vt tenet Abbas, *in cap.fin.de conſuetudinibus, num.22.* & Bartolus, *in l.de quibus.ff.de legibus numero.4.* debet tamen intelligi clauſula conſuetudinis derogatoria, reſpectu præteritæ conſuetudinis antecedentis ipſius legis promulgationem, & cum hac conditione, ſi lex ipſa fuerit recepta, non tamen de conſuetudine futura, & ipſam ſubſequente, aut ſi nunquam fuit recepta. Nam coruente aliqua diſpoſitione per contrariam conſuetudinem, corruunt etiam & omnes clauſulæ, in ipſa diſpoſitione *inſertæ*, vt tradit gloſſa notabilis & communiter recepta, *in l.ſi patronus.§.patronum, verbo, fabianæ.ff.ſi quis in fraud.patron.* Notandum eſt tamen, intelligendam eſſe concluſionem prædictam, nempe quod lex tollitur per non vſum decem annorum, *ſi in* tra idem decennium occurrit caſus, in quo ipſa exequutioni mandetur, & nõ mandatur, nam ſi non occurrit, non tollitur per non vſum per decennium, neque vero per multũ maius tempus: quod tenet expreſſe ſupradictus Nauarr. *in d.con.1.de conſt.num.25.* vbi inquit, quod deſuetudo, quæ non implicat vſum contrarium legi, non tollit eam, ſicut neque tolleretur diſpoſitio *l.quæritur.ff.de ſtatu hominum*, vbi habetur, quod Hermaphroditus habeatur pro viro, ſiue pro femina, iuxta ſexum qui in eo præualet, etiamſi per mille annos in aliqua Prouincia nullus naſceretur Hermaphroditus. Videatur etiam hac de re Sylueſter, *verbo, lex q.26.* in dicto con.1.de conſt.num.25 prædictus Nauarr. mouet quandam aliam quæſtionem quotidianam in vſu, & vt inquit nouam in reſolutione, & ea eſt, an lex non recepta ab eam ignorantibus, ita eneruetur, ſicut non recepta ab eam ſcientibus? Quaſi quæſtione hinc inde diſcuſſa, pars adhæret affirmatiuæ, quam & dicit eſſe veriorẽ, nam iuſtior eſt cauſa non obſeruantium legem ali quam eo quod ignorant eam, quam eorum quiſciẽ res eam nolunt recipere. Et quidem ſi ratio quare lex non recepta non ligat eſt, quia non eſt vſu firmata, vt habetur in *l.de quibus.ff.de legib.* hæc certe ratio æque militat cum deſinit ſeruari per ignorantiam, ac ſi deſineret ſeruari per renutum ſiue per voluntatem contrariam. Videatur dictus Nauarr. etiam num.26. & 27. vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

Quinta Concluſio.

Omnis lex ſiue humana cõſtitutio, in dubio ſemper vẽ detur eſſe recepta.

OMnis lex ſiue cõſtitutio humana, in dubio ſemper præſumitur eſſe vſu recepta. Vnde qui legem aliquam in ſuum fauorẽ allegat ſuam habet intentionem pro ſe fundatam, & ille contra quem allegatur, probare debet eandem minime fuiſſe receptam. Hæc concluſio eſt expreſſa Bartoli in *leg. illa num.5.ff.de verborum obligatione*, quem omnes in hoc ſequuntur communiter Iuriſperiti. Et hæc de iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XXII.

Vtrum omnes homines ſubijciantur Legibus?

HAnc quæſtionem & difficultatẽ, tractat D.Thom.1.2.q.96.arti.4. quam & pro more ſuo, vt veritas plenius eluceſcat difficultat, Et quidẽ videtur prima facie, quod non omnes homines legibus ſubijciantur. Nam illi ſolummodo legibus ſubijciuntur, quibus eædem leges ponuntur: ſed iuſto, vt inquit D.Paulus 1.ad Timo.1. non eſt poſita lex: ergo iuſti non humanis ſubijciuntur legibus. Quod etiã confirmari poteſt, ex eo quod dixit Vrbanus olim Papa & habetur in *cap.duæ ſunt.19.q.2.* vbi dicitur, *quod qui lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt publica conſtringatur*: ſed iuſti & omnes ſpirituales viri qui ſunt Filij Dei, lege priuata Spiritus ſancti ducuntur, iuxta illud Pauli ad Romanos 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*: ergo non ipſi ſubijciuntur humanis legibus. Et confirmatur ſecundo: nam vt dixit etiam olim Vlpianus Iuriſconſultus, & habetur in *l.Principes.ff.de legibus*, *Principes ſoluti ſunt legibus*: ergo ſaltem illi non ſubijciuntur ipſis. Sed in contrarium eſt, quod dixit D.Paulus ad Roman.13. vbi habetur, *quod omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: ſed non videtur eſſe ſubditos poteſtati, qui non ſubijcitur eius legi, quam fert poteſtas: ergo omnes homines ſubijci debent humanis legibus.

Pro reſolutione & explicatione præſentis Articuli oportet aduertere, ſeu potius in memoriam reducere, id quod ſupra diximus, nempe quod duplex

plex eſt legis virtus: quædam directiua, alia vero coercitiua. Prima dicitur directiua, quia dirigit, nã de ratione legis eſt quod ſit regula & menſura humanorum actuum: ſecunda vero dicitur coercitiua, quia reprimit & corrigit quidquid in contrarium legis fit. Hoc præmiſſo ac ſuppoſito, propoſitæ difficultati reſpondetur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quãtũ ad vim directiuã, omnes in vniuerſum ſubdãtur legibus, nõ ſolum ſubditi, verum etiam Principes atque Prælati.

QVantum ad vim directiuam, omnes in vniuerſum homines, ſubijciuntur humanis legibus, ſiue ſubditi, ſiue vero Principes atque Prælati. Probatur hæc concluſio, nam legibus ſubijci, quantum ad præfatam vim directiuam, vt ex ſupradictis conſtat, nihil eſt aliud, quam per eaſdem ordinari & dirigi in debitum finem, cum de ratione legum ſit, quod ſint regula & menſura humanorum actuum à qua quidem obligatione, & directione, nulli eximuntur ſubditi, ſiue Principes atque Prælati. Hoc eſt certum & clarum.

Secunda Concluſio.

Loquendo de vi legũ coercitiua, ſine coacti ua Principes, & Prælati, quinvero & iuſti quadã ratione eximuntur à legibus.

LOquendo de legibus, quantum ad vim coactiuam, ſiue coercitiuam, quamuis illis ſint ſubiecti omnes in vniuerſum ſubditi, non tamen Principes, ſiue Legislatores, à qua etiam coercione, peculiari ratione eximuntur iuſti. Probatur hæc concluſio, nam Principes & Legislatores, vt ſupponitur, non habent ſuperiores, à quibus poſſint cogi, ſiue conſtringi ad earundem legum obſeruantiam, ſiue propter ipſarum transgreſſionem, pœnis mulctari, atque puniri, cum ipſi ſint legum latores & vltores, & coactio fieri non poſſit eiuſdem ad ſeipſum. Non enim capit intellectus, aut videtur vllo modo poſſibile, vt quis vim ſibi ipſi inferat, aut ſemetipſum ſua lege cogat, quod ſi id fecerit, certe erit extra rationem Legislatoris, ſiue Principis, ſimili quadam ratione dicitur de iuſtis, quod non ſunt legibus ſubiecti, quantum ad vim coercitiuam, nam cum virtutum habitibus ducantur, nihil coacte agunt, quod ad virtutem pertineat, ſed omnia ſua ſponte ac delectabiliter perficiunt, vt enim inquit Ariſtot. 2. Ethicorum, id eſt de ratione virtutis, nam virtus facit, vt ſtudioſus prompte, & cum delectatione operetur. Ex dictis patet ſolutio ad argumenta, ſiue rationes dubitandi, in contrarium adductas, nam omnes illæ auctoritates Diui Pauli, & Vrbani Papæ, intelligendæ ſunt de legibus quantum ad vim coercitiuam, non vero quantum ad directiuam, quinvero iſta Spiritus ſancti flamine adiuta, potius viget in iuſtis, vigereque debet, ac prævalere in Legislatoribus, & Principibus, in quibus præ alijs ratio dictat, vt faciant ipſi, quod facere præcipiunt ſubditis. Nam quanto Principes & Legislatores, magis exempti ſunt, & liberiores eoſdem Deus fecit à coactione, eo vigilantius obſequentes eſſe debent legibus, eiſdemque parere, ne merito de ipſis dicatur, quod de Scribis, & Phariſæis olim dixit Chriſtus, Math. 23. nempe quod dicunt, & non faciunt, imponuntque alijs onera grauia, & importabilia, ipſique nec digito volunt ea mouere. Vnde in *cap. cum omnes ex tra de Conſtitutionibus*, habetur, *vt quod quiſque iuris in alium ſtatuerit eodem vtatur & ipſe*, & citatur ad hoc propoſitum illa Sapientis auctoritas, *Patere legem, quam tuleris, & in l. 4. C. de legibus, & Conſtitutionibus.* dixere olim Imperatores ipſi, *Quod digna vox eſt maieſtati regnantis legibus ſe Principem alligatum profiteri.* Ex ijs omnibus colligitur, quod Principes & Legiſlatores, ſubijciuntur & alligantur legibus, quantum ad vim directiuam, licet non quoad coercitiuam, nam licet non timeant humanas pœnas, debent tamen timere Deum, qui iuxta Regium Pſaltem Pſalmo. 81. Conſtitutus in medio Deorum, hoc eſt iudicum, ſiue Principum, eoſdem dijudicat. Debent etiam qui alios illuminant, & ipſi lucere, ſibique ipſis lumen præbere. Hac de re videatur ſupradictus Soto loco ſupracitato, & Medina prima ſecundæ, quæſtione. 96. articulo quinto, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima. Videatur etiam Nauarrus, libro quinto conſilior. de pœnitentia, & remiſſione, conſilio. 18. numero primo, vbi agit de obligatione quam habent Principes & Monarchæ ſeruandi leges ſuas, & eiſdem ſubdi, quantum ad earum vim directiuam.

ARTICVLVS XXIII.

Vtrum liceat ſubditis, quandoque agere præter legis verba, aut vero contra legem ipſam, quod eſt dicere, an Epicheia ſit omnino ſubditis interdicta?

ET quidem vt veritas plenius eluceſcat pro parte affirmatiua videtur, quod Epicheia ſit ſubditis penitus interdicta, & quod nullo modo liceat ipſis, agere contra, aut præter legis verba. Primo, quia vt inquit Diuus Auguſtinus libro primo, de vera Religione, capit. 31. *In temporalibus legibus, quamuis homines iudicent de illis cum eas inſtituunt, poſtquam tamen inſtitutæ, & firmatæ ſunt, nullo modo licet de illis iudicare, ſed ſecundum ipſas*: ſed ſi quis ſubditus vteretur Epicheia, verba legis interpretando, ſeu potius prætermittendo, & dicendo ſe intentionem Legislatoris velle ſeruare, iam videretur de lege ipſa iudicare: ergo id facere ſubditis nullo modo licet: & confirmatur, nam ad quem leges pertinet leges condere, ad eundem ſolummodo ſpectat ipſas interpretari: ſed ſolis Principibus, competit leges condere, nullo modo vero ſubditis: ergo neque ipſas interpretari, quinvero clauſis, vt aiunt, oculis illis obedire, atque ſecundum ipſas facere. Cui & accedit ratio ipſa naturalis, nam de ſapientibus omnibus præſumendum eſt, quod recte ipſi nouerint ſuis verbis mentem & intentionem ſuam explicare: ſed legum conditores, vt plurimum ſunt ſapientes, diuinoque lumine illuſtrati, vtpote de quibus dicitur Prouerbiorum octauo. Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & legum conditores iuſta decernunt: ergo de intentione ipſius Legiſlatoris, nullo modo licet ſubditis iudicare, aut aliter facere quam per verba legum fuerit explicatum, & quammaxime declaratum.

Sed facit in contrarium, quod dixit D. Hilarius, lib. 4 de Trinitate ca. 12. nempe quod intelligentia dictorum ex cauſis deſumenda eſt, quia inquit, non ſermoni res, ſed rei eſſe debet ſermo ſubiectus: ergo ſecundum hanc doctrinam, prudentius, atque conſultius eſt, attendere ad cauſam, quæ Legislatorem induxit ad faciendam ſiue condendam aliquam legem, quam materialiter ad ipſius legis verba.

Nota valde quidnam ſit epicheia, & quod eius munus & officiũ

Pro intelligentia & reſolutione huius difficultatis de epicheia, licet plura ſuperius dixerimus, viſum tamen eſt dictis aliqua ſuperaddere. Et dico primo, quod ſicut iuſtitia legalis, in condendis atque ſtatuendis legibus, reſpicit communes caſus communiter conſuetos, & magna ex parte incidentes, ſic eſt & alia particularis virtus, quam Græci *Epicheiam* vocant, Latini vero, *AEquitatem*, quæ reſpicit caſus particulares, & ſpeciales rerũ circunſtantias, de qua agit D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 120. per plures Articulos. Et de ipſa intelligendum venit illud, quod dixit Sapiens Sapien. 11. loquendo cum Deo: *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos.* Vbi Græce, *tranquillitatis* loco & nomine, habetur, *epicheia*. Ac ſi diceretur, Tu Domine dominator virtutis iudicas nos ex æquo & iuſto. Reuerentiæ etiam nomine, habetur *indulgentia*, ideſt, diſponis nos cum multa indulgentia, ideſt non ſeuere, aut crudeliter nos iudicas, ſiue noſtra diſponis, ſed miſericorditer. Huius virtutis epicheiæ, ſeu æquitatis, proprium munus & officium eſt dirigere & moderari legem poſitiuam, propter defectus, quos quandoque habet, cum poſita ſit in vniuerſali, & caſus vniuerſos particulares non potuerit comprehendere. Hoc facit æquitas ſiue epicheia, reſpiciendo caſus particulares & extraordinarios, qui per legem communem nõ potuerunt prouideri. Cui prædictæ virtuti duo aduerſantur extrema vitia. Horum eſt alterum legum ſuperſtitioſa obſeruatio, quod tunc fit, quando quis in legum obſeruatione eſt nimis iuſtus, etiam contra intentionem Legislatoris. Alterum vero eſt, fraudulenta verborum legis interpretatio, etiam contra mẽtem legis & ipſius latoris. In primo vitio peccauit Iepnte, vt refertur apud ſacram Scripturam, Iudicum 11. qui vt iuramentum á ſe factum nimis ſeuere ſeruaret, occidit filiam ſuam. Idem & poteſt dici de Saule Rege, qui voluit occidere Ionatham filium ſuum, eo quod contra ſuum præceptum, ſummitate virgæ parum faui mellis deguſtaſſet. Præceperat enim vt nemo militum ſuorum, ante Solis occaſum cibi aliquid deguſtaret, vt habetur 1. Regum capi. 14. De hoc vitio multa traduntur Prouerbia, & talia ſunt illa, *Summum ius ſumma iniuria*, Et *ne quid nimis*. Prouerbiorum etiam 30. dicitur: *Nolli eſſe nimium iuſtus. nam qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.* De ſecundo vero vitio etiam dicitur, *in l. non dubium. C. de leg. quod non dubium eſt in legem committere, qui verba legis amplexus, contra Legislatoris nititur voluntatem. Et in l. contra. ff. eodem titulo*, habetur, *quod fraudem facit legi, qui ſaluis eiuſdem verbis, mentem eius circumuenit.* Circa hoc vitium ſæpe peccatur in Republica, nam præcipit lex, v. g. vt ne filij clericorum paternam hereditatem obtineant: & certum eſt quod concredere illam amico vt poſtmodum det eam filio, eſt ſaluis verbis legis mentem eius circumuenire. Item eſt lex Eccleſiaſtica, vt ſacerdos in fauorem filij beneficium non renuntiet, ſed conueniunt duo Presbyteri, vt alter in alterius filium ſuum conferat beneficium, & alter viciſſim mutuo idipſum faciat, certum eſt quod iſti duo amplectuntur verba legis, ſed tamẽ contra ipſius nituntur mentem & voluntatem, ac ideo eiuſdem ſunt transgreſſores. Hæc ſunt quam maxime notanda, atque memoriæ valde commendanda.

Quæna vitia aduerſentur æquitati & epicheiæ.

Secundo dico pro intelligentia eiuſdem Articuli & epicheiæ prædictæ, quod legem deficere in particulari, propter incidentes ſpeciales caſus, dupliciter contingit, vno modo negatiue, alio vero contrarie. Tunc lex deficit negatiue, quando deficit ratio ipſius in particulari; ſed tamen non eſt incommodum ſeruare ipſam, vt verbi gratia, fertur lex, vt quilibet Sacerdos tali die celebret in peccatorum ſuorum ſatisfactionem, cognoſcit quis aut certo credit, abunde ſe pro ſuis delictis ſatisfeciſſe, & cum hoc nihilominus celebrat, in tali caſu dicitur lex ceſſare negatiue, & non contrarie, quia non eſt incommodum eo nihilominus obſtante ſeruare ipſam. Dicitur autem lex ceſſare contrarie, quando ipſam obſeruare eſt facere contra Legislatoris intentionem & voluntatem, vt patet in lege de reddendis depoſitis, ſi expoſcantur vel a furioſo, ſeu ad deſtructionem Reipublicæ, in quo quidem caſu, talis redditio eſſet iniqua, mala atque doloſa. His præmiſſis notabilibus, propoſitæ difficultati reſpondetur per ſequentes Concluſiones.

Nota quotũplicitercontingat, legem aliquam deficere in particulari

Prima Concluſio.

Lex quæ á cõmuni bono deficit, non inducit obligationẽ ipſam obſeruandi.

OMnis lex, quæ à communi bono deficit, nullam habet vim neque inducit obligationem ipſam obſeruandi. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & fundatur in ratione deſumpta ex ratione ipſius legis. Nam cum iuxta ſuperius dicta, lex omnis non inſtitui atque conſtituidebeat, niſi pro bono communi, ciuiumque communi ſalute, quæ ab hac ratione deficit lex, nullam vim aut robur habebit obligandi. Quæ quidem concluſio, & ipſius ratio eſt Diui Thomæ, prima ſecundæ, quæſtione 196. articulo ſexto, quam & confirmat auctoritate Iuriſconſulti, in *leg. nulla. ff. de legibus.* vbi habetur, *quod nulla ratio iuris aut æquitatis benignitas, patitur vt ea quæ ſalubriter pro hominum vtilitate introducuntur, duriori nos interpretatione, contra ipſorum commodum ad ſeueritatem perducamus.* Ex hoc plane infertur, quod quamuis lex in communi lata, pluribus caſibus cõtingentibus vtilis ſit, nihilominus in caſu, quo agnoſcitur aduerſari bono communi, & communi ſaluti, proculdubio non eſt obſeruanda. Addúcit exemplum Diuus Thomas in obſidione ciuitatis, quo quidem tempore ſalutiferum eſt lege caueri, ne portæ ciuitatis aperiantur, ſed nihilominus, ſi tunc ciues, quorum vita adeo Reipublicæ eſt neceſſaria, hoſtes fugientes in vrbem ſe vellent recipere, etiam contra legis verba aperiendæ ſunt illis valuæ, nam id expedit communi bono, & contrarium facere, eſſet contra mentem legis, illam nempe quam haberet Legislator ſi adeſſet, &ea

& ea de re conſultus fuiſſet. Nam leges ponuntur in communi, nec poſſunt omnes perſpicere caſus particulares vt habetur *in l. nec leges. & in l. non poſſunt. ff. de legib.* Ex quo fit conſequens, quod quotieſcumque occurrerit caſus, quem ſi Legislator proſpexiſſet, exemptum à legis obſeruantia quem piam iudicaret, in tali caſu lex non eſt ſeruanda: Et hæc eſt propria ratio epicheiæ, ſiue æquitatis ſupradictæ, quod multum oportet adnotare.

Secunda Concluſio

Quando lex deficit in particulari tãtũ negatiue non ceſſat obligatio ipſius.

QVando lex deficit in particulari tantum negatiue, non ceſſat obligatio ipſius, nec in tali caſu licet ſubditis contra verba legis agere. Probatur & declaratur ſimul ſupradicta concluſio, & eſt notiſſimum exemplum in lege ieiunij, cuius finis eſt extenuare corpus, & habere pacatas paſſiones ſed demus caſum, quo quis ſatis alia via eaſdem haberet pacatas, certum eſt quod eo non obſtante teneretur lege ieiunij. Cuius & ratio eſt, quia quamuis in ipſo deficiat ratio legis in particulari, ceſſante ratione legis in particulari tantummodo negatiue, non ceſſat obligatio legis, vt dictum fuit ſupra. Ponuntur enim leges humanæ & ordinantur in commune bonum, & bonum commune & publicum conſeruatur, per communem legum obſeruantiam, neceſſumque eſt vt obſeruentur quando ſine incommodo ſeruari poſſunt, nam ſi per hoc quod ipſarum ratio deficiat in aliquo caſu particulari, vtcumque contrarium facere liceret propter huiuſmodi particulares exceptiones, nunquã leges humanæ obſeruarentur, quod quidem Reipublicæ & communi bono valde eſſet nociuum, atque damnoſum, & ſic neque dicendum, neque admittendum.

Tertia Concluſio.

Quando lex deficit in particulari, nõ ſolũ negatiue, verũetiã contrarie, ceſſat obligatio ipſius.

QVando lex deficit in particulari non ſolum negatiue, verumetiam contrarie, & ſubditus hoc certo ſcit atque cognoſcit, non tenetur ſeruare ipſam, imo vero poteſt contra ipſius verba agere, vtendo epicheia & æquitate, nec tenetur in tali caſu ad Superiorem pro legis interpretatione recurrere. Probatur & declaratur ſimul ſupradicta concluſio exemplo. Eſt lex v.g. de reddendo depoſito, & expoſcit quis furioſus depoſitum, ſeu quiſpiam alius ad deſtruendam Rempublicam, certum eſt quod in tali caſu nemo tenetur illud reddere, *ex epicheia*, ideſt, *ex æqui & iuſti interpretatione*. Sit aliud exemplum. Eſt lex ieiunandi in Quadrageſima & quod omnes à carnibus abſtineant eo tempore, cogitur autem quis egeſtate nimia, nec habet alios cibos quos comedat præter carnes, abſque dubio in tali caſu extremæ aut quaſi extremæ neceſſitatis, poteſt ipſas recte comedere, nec tenetur præfatam abſtinentiæ legem ſeruare, nam vt habet communis regula, *Quod pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem militare non debet.*

(?)

Quarta Concluſio.

Quando eſt dubiũ an alicua lex obliget, necne in aliquo caſu particulari, & eſt oportunitas ad cõſulendũ Superiorẽ, tenetur ſubditus ipſum cõſulere, & ſi nõ fuerit opportunitas in dubio legẽ ſeruare maxime ſinõ adeſt periculum

QVando eſt dubium an lex in aliquo particulari caſu obliget necne, & opportunitas conſulendi eſt Superiorem, tenetur ſubditus eundem conſulere, qui eſt legitimus legum interpres, & ſi non fuerit opportunitas, in dubio tenetur legẽ ſeruare. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & quidem quod epicheia, ſiue legum interpretatio & declaratio, vbi non adeſt periculum, ſolis Principibus conuenit, tradit expreſſe Ariſtoteles 5. Ethicorum cap. 10. vbi & dicit quod non competit ſubditis, niſi in illis duntaxat caſibus, quibus adeo inſtat ſubitum periculum, vt ſi ad Principem vel ad eius vicem gerentem recurrendum eſſet, damnum interim timeretur Reipublicæ, tunc enim, inquit, licitum eſſet eiſdem contra verba legis agere, & hæc neceſſitas eſt de qua dicitur quod neceſſitas caret lege, ſeu quod non habet legem. Sed quod extra eiuſmodi caſum, ſeruanda ſit lex probatur, nam vt tenet communis doctrina, in rebus dubijs tutior pars eſt eligenda, & vt de ſe patet, tutior pars eſt legem obſeruare, quam illam nõ obſeruare. Hic etiam habet locum illud quodcommuniter dicitur de rerum dominio, quod in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, & quod lex ſemper eſt veluti in poſſeſſione, vt obſeruetur, ſicque obſeruanda eſt.

Quinta Concluſio.

Lex non obligat in particulari, quãdo veriſimiliter creditur quod ſi Legislator adeſſet non obligaret.

QVando eſt dubium, an lex in aliquo particulari caſu obliget quempiam, necne, & ex alia parte fit vero ſimile viro prudenti, quod ſi Legislator adeſſet non illum obligaret, non remanebit obligatus. Hæc concluſio eſt expreſſa Caietani 1.2. quæſt. 96. art. 6. & eandem tenet Medina eodem in loco, quam & probant ex eo, quia licet ſit dubium ſpeculatiuum, eſt tamen certitudo moralis, prudẽtialis & practica, quod in tali caſu licitum eſt vti epicheia, & æquitate. Idem propter eandem rationem & cauſam, dico eſſe faciendum atque dicendum, quando dubium eſt ex vna parte, an lex aliqua obliget, & ex alia parte dubium etiam eſt, an ex legis obſeruatione periculum ſatis immineat, certum eſt, quod in tali caſu non tenetur quis illam ſeruare, & ratio eſt, nam recta ratio dictat, quod quando res eſt dubia & vtrinque imminet periculum, minus periculum eſt eligendum, & minus periculum eſt legem non ſeruare, quam ſubire vitæ diſcrimen. Omnia ſupradicta dicit Medina vbi ſupra, & quidem ſunt valde notanda & memoriæ commendanda, pro multorum aſſecurandis conſcientijs.

Nota hoc val de, qualitercũ dubio ſpeculatiuo ſe cõpatiatur certitudo practica.

Sexta Concluſio.

Verba legis in cortice ſeruare, & cõtra intẽtionẽ ipſius agere, vera legis præuaricatio eſt.

ET ſi in caſibus ſupradictis, propter epicheiam liceat contra verba legis, ſecundum mentem, & intentionem ipſius agere, extra prædictos vero vice verſa illam in cortice tantum, & ſecundum verba ſeruare corrupta legis mente, vera eiuſdem legis præuaricatio eſt. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soti libr. 1. de iuſtitia & iure, quæſtion. 6. arti. 4. in fine, quam & probat ex *l. contra, ff. de legib.*

vbi habetur, *quod in fraudem legis facit, qui ſaluis verbis legis, mentem eius circumuenit. Et l. ſequenti dicitur, quod fraus fit legi, vbi fit quod fieri noluit, fieri autem non voluit.* Huius rei varia à Doctoribus adducuntur exempla, quæ breuitatis gratia facio miſſa, cum ſupradicta ſuperque ſatis ſufficiant. Per quæ etiam fit ſatis ad argumenta, ſiue rationes, adductas pro ratione dubitandi: nam vt ex dictis conſtat, nullo modo concludunt, cum in dictis caſibus non ſubditorum munus ſit de legibus iudicare, ſed ſecundum ipſas, nec vero eaſdem interpretari, ſed ipſæ per ſe ſatis interpretatæ ſunt, vt non obligent in dictis caſibus particularibus, quos quantacumque pollerent ſapientia atque prudentia, Legiſlatores proſpicere aut prouidere non potuerunt.

ARTICVLVS XXIIII.

Vtrum humanæ leges debeant quandoque mutari?

VT quod quæritur plenius eluceſcat, volo rem hanc paucis difficultare, ſeu quod dicitur difficilem reddere. Et quidēquod humanę leges nō debeant mutari, multis vt apparet rationibus poteſt cōprobari. Primo, quia lex, vt multoties dictum eſt, de mente & ſententia Ariſtotelis eſt regula, & menſura noſtrarum humanarum actionum, ſed regula, vt idem dicit Ariſtot. 5. Ethico. cap. 5. ſolida & firma atque conſtans eſſe debet & immobilis: ergo humanæ leges mutari nullatenus debent. Quod & confirmari poteſt ex eo, nā vt etiam ſupradictū eſt, humanæ leges à naturali lege deriuantur: ſed lex naturalis eſt immobilis, inuariabilis, ſempeq; permanens: ergo humanæ leges mutari nō debēt. Et confirmatur ſecundo, ex auctoritate Nicolai Papæ, & habetur in *c. ridiculum eſt diſt. 12.* vbi dicitur, *quod ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus ſuſcepimus, infringi patiamur.* Sed in contrarium, quod leges quandoque mutari oporteat, confirmant & probant argumenta non minoris ponderis atq; momenti. Et primo, nā ratio ipſa expoſcere videtur, vt quoties melius quidpiā occurrerit, toties lex humana immutetur. Leges enim humanæ, veluti & cæteræ omnes artes, humana ratione ſunt excogitatæ atq; adinuētæ: ſed in alijs artibus ſi aliquid melius occurrat, id quod prius tenebatur mutatur: ergo idem omnino in legibus humanis faciendū eſt. Et cōfirmatur: nā ex præteritis debemus prouidere futura, & ex eis deſumenda eſt ratio & cautio rerum agendarum: ſed niſi multæ humanæ leges ſuperuenientibus melioribus adinuentionibus mutatæ fuiſſent, multa inconuenientia in Chriſtiana ac Ciuili Republica fuiſſent ſubſequuta, cum nonnullæ leges antiquę inueniantur ruditates multas continere, minuſq; eſſe accomodatas, ſiue ſculptas: ergo quotieſcumque meliores occurrerint, priſtinis antiquatis, humanæ leges mutandæ ſunt atque innouandæ. Quod & confirmatur ſecundo, nam leges humanæ, quamuis inſtituantur in communi, verſantur tamen atque inſtituuntur circa ſingulares hominum actus, quorum Legiſlatores non potuerunt perfectam cognitionem adipiſci, niſi per experientiam quæ longo tempore indiget, vt dicit Ariſtoteles ſecundo Ethicorum: ergo quotieſcumque per temporum ſucceſſionem, atque curriculum, aliquid melius occurrerit, expediens erit humanas leges mutari. Confirmat Diu. Auguſtinus hoc ipſum libr. 1. de libero arbitrio, capite ſexto, dicens, *Quod temporalis lex, quantumuis iuſta, per tempora communitari poteſt iuſte.* His pro vtraque parte argumentis adductis, quid in hac re dicendum atque tenendum eſt, explicabitur quidem per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

Licitūeſtquin vero cōdecēs & quāmaxime neceſſariū iuſta exigente cauſa, interdū humanas leges mutari.

LIcitum eſt, quinvero condecens, & quammaxime neceſſarium, iuſta exigente cauſa, humanas interdum leges mutari. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. prima ſecundæ, quæſt. 97. artic. 1. vbi & probat eam aliquibus ex rationibus adductis pro parte affirmatiua, quæ omnes deducuntur ex duabus radicibus, nempe & ex natura rationis humanæ, qua leges conduntur, & ex natura noſtrarum actionum, de quibus fiunt atque ſtatuuntur. Ex parte quidem rationis humanæ, eſt ratio appoſitiſſima, nam cum natura noſtra ſit rationalis & diſcurſiua, & nonniſi diſcurſu & ſucceſſu temporis veritatis indagatrix (non enim poteſt homo ſicut Angelus, qui naturalia omnia ſimul cognoſcit, ſubito veritatis intima penetrare, quinvero procedit, vt dicitur, ex imperfecto ad perfectum) naturalis ipſa ratio dictat, vt ſicut in ſcientijs ſpeculatiuis repertus fuit huiuſmodi proceſſus, etiā in practicis idem reperiretur, mutarenturque leges, melioribus ſuperuenientibus ſiue occurrentibus, cauſaque iuſta id exigente. Videatur hac de re Soto libr. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. artic. 1. & Medina prima ſecundæ, quæſtio. 97. articulo etiam primo. Secunda vero ratio deſumitur ex natura noſtrarum humanarum actionum, & ea eſt, nam cum ipſæ ſint variæ & ſingulares, adeoque mutationi ſubiectæ, expediens etiam eſt, vt & leges pro ipſarum ratione quandoque mutentur. Videatur hac de re Sylueſter, *verbo, lex, quæſtione vigeſima quinta latiſsime.*

Secunda Concluſio.

Non ſapeneq; ob quācumq; cauſam humanæ leges ſunt mutandæ.

QVamuis ſupradicta vera ſint, non tamen ſæpe neque ob quamcumque cauſam, humanæ leges ſunt immutandæ. Hæc concluſio eſt etiam D. Thomæ loco ſupracitato artic. 2. vbi & probat eam per ſupradictum capit. *ridiculum eſt, diſtin. 12.* & per alias rationes, quas adduximus pro parte negatiua. Vnde niſi lex aliqua detrimentum afferat, aut contra communem vtilitatem publicam aliqua ratione eſſe videatur, haud quaquam eſt mutanda. Videatur D. Thomas, Soto, & Medina locis ſupracitatis. vbi latiſſime, & diſſertiſſime tractant de damnis & inconuenientibus, quæ reſultant ex nimia mutatione humanarum legum. Vnde Vipianus in *leg. ſecunda, de conſtitutionibus Principum*, inquit, *Quod in rebus nouis conſtituendis, euidens eſſe debet vtilitas, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum viſum eſt.*

Facit

Facit ad hoc quod dicunt Doctores communiter, nempe quod valet nimium, ad ſui obſeruantiam legum veneranda canicies, quæ diuturna ſua conſuetudine faciliorem multo ipſam reddit, & neſcio quo amore trahit ad ſe humanos animos, vt prompte atque lætabiliter obſeruetur, quod de nouo inſtitutum, forſan non ita viſum fuiſſet gratum. Multa ad hoc propoſitum poſſem adducere, quæ breuitatis gratia facio miſſa, nam & vt ad alia progrediamur oportet. Ad argumenta ſiue rationes dubitandi, patet ſolutio ex ſupradictis.

ARTICVLVS XXV.

Vtrum Principes & rectores multitudinis, in legibus humanis poſsint diſpenſare?

VAmuis circa diſpenſationis materiã in communi, infra ſpecialis à nobis quæſtio ſit facienda, vbi per plures Articulos explicabitur quidquid ad ipſam viſum fuerit pertinere, ne tamen locus iſte intermiſſus, aut ſupradicta difficultas oblita videatur, pro complemento huius materiæ, ſiue tractationis de legibus, libuit in præſentiarum breuiter, atque reſolutiue, circa legum ipſarum diſpenſationem aliquid dicere. Et vt more ſolito procedamus, & vt dicitur ex oppoſitione contrariorum veritas plenius eluceſcat, aliquas proponam rationes & argumenta, quibus neq; inualide prouari videatur, quod Principes & Rectores multitudinis, in legibus humanis, non valeant aut poſſint diſpenſare: & primo probatur ex eo quod leges humanæ, vt pluries ſupradictum eſt, de mente & ſententia D. Iſidori, pro communi bono ſemper ſunt factæ, ſed commune bonum pro bono priuato non eſt prætermittendum, cum teſte Philoſopho 1. Ethicorum cap. 2. bonum gentis diuinius ſit quam bonum cuiuſque hominis particularis: ergo contra legem communem, cum nullo homine particulari, vt cõtra legem faciat, licitum erit diſpenſare. Quod & confirmatur, nam Deuter. 1. illis qui præſunt & ſuper alios in Iudices ſiue Prælatos conſtituuntur, præcepit olim Deus Optimus Maximus, vt non eſſent perſonarum acceptatores, & nullam facerent hominum differentiam ſiue diſtinctionem, *Ita*, inquit, *parvum audietis ac magnum, neque accipietis cuiusque perſonam, quia Dei iudicium eſt*: ſed diſpenſare cum aliquo, quod eſt concedere alicui in particulari, id quod communiter denegatur omnibus, maxima eſſe videtur perſonarum acceptio: ergo id facere nullo modo eſt licitum. Confirmatur ſecundo, nam lex humana ad hoc vt recta ſit conformari debet legi naturali & diuinæ, aliter enim non congrueret Religioni, nec conueniret diſciplinæ, aut proficeret humanæ ſaluti, quod eſſe de ratione legis dixit D. Iſidorus, vt habetur in *cap. conſuetudo diſtinct.* 1. ſed ſuper legem naturalem & diuinã, nulla cadit diſpenſatio: ergo neque in legibus humanis fieri poteſt iuſte. Sed his nihilominus nõ obſtantibus, contrarium conſtat ex doctrina Apoſtoli Pauli. 1. Corint. 9. in illis verbis, *Diſpenſatio mihi credita eſt.* Quæ explicando & declarando verba, dicunt omnes communiter DD. quod ſuper legibus fieri poteſt diſpenſatio. Vt autẽ quę ad hunc Articulum ſpectãt breuiter dicamus, ſequentes ſtatuuntur concluſiones.

Prima Concluſio.

Principes & rectores multitudinis, iuſta interueniẽte cauſa in legibus humanis poſſunt diſpenſare.

PRincipes & Rectores multitudinis, certiſſimũ eſt quod iuſta exiſtente atque interueniente cauſa, in legibus humanis diſpenſare poſſunt. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. qua & probat ex eo quod leges humanæ cum in communi ſint poſitæ, nullo modo poſſunt comprehendere omnes ſingulares & particulares caſus, poteſtque euenire, vt lex quæ in communi poſita, ac vt plurimum congruentiſſima eſt, in certo particulari caſu, & determinata perſona deficiat, ita vt ipſius obſeruantia obſtaculum ſit alicui meliori bono, ſeu occaſio alicuius magni mali: ergo in eiuſmodi caſibus, id iuſta exigente & exiſtente rationabili cauſa, Principes & Rectores multitudinis, bene poſſunt diſpenſare. Conſequentia videtur legitima, cum ſecundum ius ac iuſtam rationem, ad eoſdem pertineat diſpenſatio in eiuſmodi caſibus, cũ ipſi curam gerant Reipublicæ, & vniuſcuiuſque ſaluti teneantur conſulere atque proſpicere. Diſpenſatio enim nihil eſt aliud, quam commenſuratio alicuius communis ad ſingularia, quod quidẽ facere ad gubernatores ſpectat Reipublicæ, vt ipſi cum pondere & menſura diſponant & ordinent, qualiter aliquod commune præceptum, à particularibus perſonis ſit adimplendum.

Secunda Concluſio.

Iuſta non exiſtente cauſa, Principes & rectores multitudinis, nullo modo poſſunt in legibus humanis diſpenſare.

IVſta non exiſtente & rationabili cauſa & in cõmune bonum ordinata, pro ſuo libito, Principes & Rectores multitudinis, nullo modo poſſunt in legibus humanis diſpenſare, & contrarium facientes, præterquam quod committunt delictum imprudentiæ & infidelitatis, grauiſſime peccant mortaliter. Hæc concluſio eſt etiam D. Thom. loco ſupracitato, vbi dicit eiuſmodi eſſe peccatum infidelitatis, in quantum ipſi non vt tenentur proſpiciunt bono communi, ſed ſuo priuato & particulari, ſeu alterius priuatæ & ſingularis perſonæ: imprudentiæ vero, quia zelus & affectus boni publici, in ipſis non vti par eſt prudentia exornatur, dũ contra legem diſpenſant, priuſquam perſpectam, & exploratam habeant, diſpenſationis faciendæ iuſtam & rationabilem cauſam. Quæ quidem duo vitia magna ſunt, & quammaxime pugnant contra duas virtutes, in cunctis Principibus & Rectoribus multitudinis ſummopere neceſſarias, nempe fidelitate atque prudentiam. Quarum meminit Chriſtus Dominus olim in Euangelio Lu. c. 12. vbi de ipſis agendo dixit, Quiſputas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quẽ conſtituit Dominus ſuper familiã ſuã, vt det illis in tẽpore tritici menſurã. Ac ſi expreſſius diceret, munus & officiũ prædicti fidelis, atque prudentis diſpenſatoris eſſe, vt communes leges ad cõmune bonum ordinatas, diſponat & ordinet ad particularia, & ſtatuat qualiter obſeruandæ ſint à ſingularibus perſonis, ad id enim

conſtituit eum dominus ſuper familiam ſuam. Hac de re multa forent dicenda, ſed proprio & cõgruẽtiori loco reſeruantur, quando mentionem fecerimus, de rebus omnibus ad diſpenſationis materiam ſpectantibus.

Ad argumenta igitur ſiue rationes dubitandi, in initio propoſitas reſpondetur, ad primam quod quando diſpenſatio fit cum iuſta & rationabili cauſa non obſtat, aut præiudicat bono communi, nec fit vt eidem noceat, quin vero pro eiuſdem conſeruatione & vt in ipſius augmentum cedat. Similiter reſpondetur ad primam confirmationẽ, quod in iuſta & recta diſpenſatione, nulla omnino reperitur perſonarum acceptio, nam non ſemper æqualia, in æqualibus perſonis ſunt impendenda, & iuxta commune dictum, nihil eſt iniquius ſeu inæqualius ipſa æqualitate, quando perſonæ non ſunt æquales. Ita reſpondet Soto lib. 1. de iuſt. & iur. q. 7. art. 3. in ſolut. ad 1. & eſt ſolutio valde notanda, & memoriæ commendanda. Ad ſecundam confirmationem dico, quod expoſtulabat ipſa longam & peculiarem quandam difficultatem, an ſcilicet ſuper lege naturali & diuina diſpẽſatio cadat? à qua proinde conſulto abſtineo, cum non ſit præſentis ſpeculationis, nec mei propoſiti, in præſentiarum agitare, Scholaſticas quæſtiones, quæ communiter tractantur in Scholis. Videatur D. Thom. & Soto, locis ſupracitatis.

Nota nihil eſſe inæqualius æqualitate, vbi perſonæ ſunt inæquales.

ARTICVLVS XXVI.

De diuerſis Iuris regulis, ad exactam, perfectam atque genuinam legum, & ſacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum intelligentiã quammaxime neceſſarijs.

POſt traditam in communi iuſtitiæ ac legum omnium aliqualem cognitionem, acturi in ſubſequentibus de iure Canonico & ciuili in particulari, & de conſuetudinibus, ſtatutis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & rebus omnibus in particulari, ad diſpenſationis materiam ſpectantibus, & de Eccleſiaſticis cenſuris, non ab re in præſentiarum viſum eſt, ex ijs, quæ ex aliorum continua lectione percepimus pro inſtituendis Prælatis Regularibus, & Eccleſiaſticis iudicibus cunctis, aliquot iuris Regulas breuiter ac ſummatim conſtituere, quæ haud dubium quammaximum emolumentum eiſdem ſint allaturę. Viſæ ſunt autẽ ſummopere neceſſariæ, pro his maxime qui iure Canonico aut Ciuili, neque vero ſacræ Theologiæ, vllo vnquam tempore operã dederunt, & aſſumuntur quandoque in Prælatos, ſiue Iudices. Mirandum enim certe eſt, quin vero & multis gemitibus & irremediabilibus lacrymis deplorandum, & cum ic video ſiue audio, obſtupeſco, & viſcera mea contremiſcunt, quod præſenti hoc ſeculo multo malo noſtro experimur, quamplurimos, nempe ſcientiæ ac literarum prorſus ignaros, non vereri in hiſce rebus ſe immiſcere, ac temere Prælationis ſiue iudicandi munus & officium aſſumere, Religioſorum & Eccleſiaſticorum cauſas nimium interdum intricatas velle cognoſcere, iudicare atque determinare, ius ſuum (quod virtutis iuſtitiæ, eſt proprium) vnicuique reddere, cum neque ipſi quidnam ius ſit plene norint, ſeu quod dicitur, ipſum vnquam à primis liminibus ſalutauerint. Cum igitur ego in eum finem poſt meã inſtitutionem, hunc laborem aſſumpſerim, & huic Directorio ſtruendo operam dederim, vt prædicto malo & damno (quod aliorum multorum & innumerabilium iniuriarum eſt cauſa) vtcumque poſſem mederi, ſequentis iuris regulas ad legum & ſacrorum Canonum intelligentiam ſummopere neceſſarias, in medium producere, non incongruũ exiſtimaui, quæ ad 22. capita reducentur, vt ex ſequentibus Concluſionibus, conſtabit per ſuum ordinem.

Prima Concluſio.

OMnis lex generalis & vniuerſalis, generaliter, atque vniuerſaliter intelligenda eſt, locumque habet in omnibus contentis in tali genere, etiamſi non in omnibus eadem militet ratio ſed alia, aut aliqualiter videatur diuerſa in vna ſpecie & in altera. Hæc concluſio eſt communis omniũ Iuriſconſultorum reſolutio, & de ea videndus eſt Nauar. in innumeris ſuę doctrinæ locis, ſed maxime lib. 3. conſ. de clerico non reſidente conſ. 2. nu. 1. & de teſtam. conſ. 10. num. 3. & de Regular. con. 48. num. 1. & 5. & conſ. 79. num. 1. cum ſequenti. & de cenſur. con. 8. num. 2. & ſæpe alibi, quam & probat primo, ex *cap. ſolitæ, de maior. & obed. & ex l. 1. §. & generaliter. ff. de leg. præſtan. & ex le. 1. §. quod autem. ff. de aleæ luſu, & aleato, & l. de pretio. ff. de publica in rem actione.* Tradit hoc etiam Decius poſt alios, conſil. 669. num. 3. Quod adeo verum eſt, atque vt indubitabile tenendum, vt etiam lex odioſa & pœnalis, loquens in communi & in generali, comprehendat omnes ſpecies, quæ ſub propria verborum ſignificatione continentur, prout habetur in *l. cum lege. ff. de teſtam.* & tradit ſupradictus Decius in *le. factum. §. in pœnal. num. 12. ff. de regulis iuris*, & ſæpe alibi & Alciat. *in rubr. de verbor. ſignificat. pag. 1.* fallit tamen ſupradicta regula, quando prædicta lex generalis, per ſpecialem limitatur, ſeu in ea aliquis caſus excipitur, iuxta gloſſam communiter receptã, in *l. de pretio ff. de publ. in rem actionẽ.* & hoc, ſiue lex excipiens, ſiue limitans, generalem legem præcedat, ſiue vero ſequatur, *iuxta l. ſed & poſteriores. ff. de leg. & gl. ſ. in l. ſciendum. ff. qui ſatis coguntur, iuncta gloſſa in authent. offeratur. C. de liris conteſt.* quod eſt multũ notandum & memoriæ commendandum.

Leges generales, qualiter ſint intelligẽdæ, atque interpretandæ.

Quando fallit prædicta regula.

Secunda Concluſio.

SIcut leges priores, generales & vniuerſales, limitantur & modificantur, per poſteriores ſpeciales in aliqua ſpecie illis contraria, ita etiam & leges generales poſteriores, interdum modificantur & limitantur per ſpeciales priores, ſimiliter contrarias quoad illam ſpeciem. Hanc concluſionem tenet etiam Nauar. in innumeris ſuæ doctrinę locis, ſed maxime lib. 3. conſi. de clerico non reſid. con. 2. n. 2. & li. 3. de reg. conſ. 79. n. 2. & ſæpe alibi, & habetur in *l. ſed & poſteriores. ff. de le. & in l. in toto ff. de reg. iur.* & Dec. *& in 5. generi per ſpeciẽ, eod. ti. li. 6.*

Sicut leges priores, generales, atq; vniuerſales interdum limitãtur & modificantur per poſteriores ſpeciales, ita etiam & leges generales poſteriores, limitantur, & modificantur per ſpeciales priores.

cuius

cuius ordinarium & quotidianum exemplum, adducitur ex *l. ſciendum. ff. qui ſatis. cogan. & ex auth. offeratur. C. de litis conteſt.* quarum gloſſæ communiter receptæ, dicunt legem illam prædicti authentici, nouam & poſteriorem generaliter loquentē, quæ diſponit debere actorem præſtare fideiuſſores reo, licet ſit poſterior, limitari & modificari, per prædictam *l. ſciendum*, quæ diſponit eum qui bona habet immobilia, non teneri ad dandum fideiuſſores, quāuis ſit prior, quamuis etiam in neutra earum de altera mentio fiat, quod identidem dicendum eſt in alijs ſimilibus caſibus, ſiqui occurrerint. Quæ concluſio, vt inquit ſuprad. Nau. loco vbiſupra, procedit etiamſi in lege poſteriori & noua, apponeretur clauſula, communiter conſueta, non obſtantibus quibuſcumque legibus contrarijs, vt expreſſe tenet & probat Bart. ab omnibus receptus, *in extrau. ad reprimendum, verbo, non obſtantibus*, quem etiam refert, & ſequitur Decius in regula in toto. ff. de Regulis iuris, num. 7.

Tertia Concluſio.

Semper in legibus, ſacrisq; canonibus, iurium correctio eſt vitanda, & cōcordia quāmaxime quærenda & procuranda.

SEmper in legibus, ſacrisque canonibus, iurium correctio eſt vitanda, & concordia quammaxime quærenda, atque procurāda, oportet enim quātum fieri poſſit iura cōcordari iuribus, & concilia ri ſi poſſunt rationabiliter. Habetur hæc concluſio in *c. cum expediat, de elect. lib. 6. & in l. 1. C. inoff. dotibus, & in l. ſiquando. C, de inoffic. teſta. & in c. Eccleſia veſtra, el 2. de elect.* vbi & horum redditur ratio, quia nō eſt præſumendum velle Legiſlatorem, vnico verbo, antiqua omnia deſtruere. Facit & ad hoc, *c. quæ à iure, de reg. iur. lib. 6*, vbi ad ſimile propoſitum dicitur, *quod quæ à iure communi exorbitant, in conſequentiā non ſunt trahenda.* Qua quidem regula ad plurimorum caſuum deciſionem, vtitur ſupr. Nau. ſed maxime in conſi. lib. 1. de tempor. ord. conſi. 14. n. 4. in fine. Facit etiam ad hoc id quod communiter dicitur à DD. nempe quod antiquæ communes leges, quammaxime conſeruari debent, & quod ſi quando reperiatur aliqua lex, quæ ſit contra iuris regulas, ſic debet intelligi atque interpretari, vt quanto minus fieri poſſit corrigat ius commune. Hac etiam ratione in iure, omnes leges exorbitantes & correctoriæ, exiſtimantur odioſæ, & dicunt DD. ſtrictē eas eſſe interpretandas, & intelligendas, locumq; non habere, niſi in eo tantum caſu quo loquuntur, prout habetur in iure in *le quod vero. ff. de leg.* Addunt præterea omnes communiter Iuriſperiti, quod legi correctoriæ, atque exorbitanti ſufficit, vt in aliquo caſu operetur, licet non in omnibus, cum (ſicut dictum eſt) non ſit præſumendum, velle Legiſlatorem, vnico actu omnia antiqua iura deſtruere. Videatur hac de re ſpecialiter Decius *in c. fin. de reſcript. in fine.*

Quarta Concluſio.

Mens & ratio legis, eſt anima legis.

MEns & ratio legis, eſt anima legis. Hæc concl. celebris eſt multumq; ſolemnis in iure, & habetur in *ca. fin. de regu. iur. lib. 6.* adiuncto dicto Dini ibid. ab omnibus recepti, & in *c. Marcio. 1. q. 1.* quod eſt D. Hier. ad hoc propoſitum dicitur, *quod non debeat nus putare, Euangelium poſitum eſſe in ſolis Scripturarum verbis ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum follijs, ſed in radice rationis.* Pro quo & facit *l. ſcire leges. ff. de legib.* vbi ad idem habetur, *quod ſcire leges, non eſt ipſarum verba tenere, ſed vim & poteſtatem.* Paulus etiam Iuriſconſultus, in *l. pen. ff. ad exhib.* dixit, non oportere ius ciuile calumniari, aut ipſius verba, ſed qua mente quid dictum ſit animaduertere. Facit & ad hoc id quod dixit Imperator olim, in *l. non dubium. C. de leg. Non dubium eſt*, inquit, *in legem impingere, qui verba legis amplexus, contra Legiſlatoris nititur voluntatem.* Quo fit vt in omni iuris diſpoſitione recte intelligenda, mens & voluntas diſponentis, primum locū habere debeat, & ipſa eam debeat regere, per *l. in conditionibus. ff. de condi. & demonſt.* cū ei concordatis. Et plus mens & ratio legis attendi debent, quā verba, per *l. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo.* Eo vel maxime, quia ſemper præſumendum eſt, legem duci ratione, iuxta capit, *conſuetudo*, vbi dicitur, *quod lex eſt quidquid ratione conſiſtit.* Bald. etiam in *c. 1. de conſtit.* dicit quod lex conſiſtit in ſubſtantia rationis. *Et in c. dilectus, el 2. de reſcr. & in le. ſiquis ſeruo. C. de furtis.* habetur quod ratio legis, & mens legis, idem omnino ſunt, & quod ratio finalis legis, eſt anima ipſius legis. Sicq; lex omnis habito reſpectu ad hoc, intra ſuos limites limitari, aut extendi debet, *deducto arg. ex l. cum pater. §. dulciſſimis. ff. de leg. 2.* Facit & ad hoc *c. ratio nulla, de præbēdis*, & quæ tradit Panorm. *in c. ſubiectum. & in c. memimus. de appellat.* Vnde & in iure generalis eſt regula quod id quod Legiſlator intendit, ſemper habendum eſt pro lege, quodq; interrogatus diximet & reſpondiſſet, cū ipſam fecerat vt late tradit & probat ſuprad. Nau. lib. 3. conſi. de decimis, con. 2. n. 1. per gloſſam ſingularem, in *l. tale pactum. §. ſin. ff. de pactis.* Et quod leges ſecundum mentem & intentionem Legiſlatorum, ligent & non amplius, doctiſſime probat idem Nau. in tract. de reddit. Eccle. q. 1. in penul. ſumm. rio. n. 2. id ex omnibus ſupradictis iuribus deducendo. Ex qua concluſione colligitur quod vbicumq; habet locum ratio legis, illic habebit illum, & ipſa lex, non vero aliter, per *l. 1. C. de interdictis*, quod etiam tenet Archid. quem ſequitur Gemin. in *c. vbi periculum, de elect. lib. 6.* Et hoc etiāſi verba ipſa legis contradicant, per *le. ſcire oportet, §. aliud in verbo, ſed & ſi maxime verba legis, ff. de excu. tut.* quia vt dictum eſt, non in folijs, ſed in ſenſu conſiſtit lex, ſicut & Euangelium, *iuxta ca. Marcion. 1. q. 1.* Facit & *c. intelligentia. de verb. ſignifi.* facit & *text. in l. 3. C. de libe.* Facit etiam ad hoc id quod communiter dicitur ex communi Iuriſperitorum reſolutione, nempe quod in teſtamentis vbi manifeſtiſſimus eſt ſenſus teſtatoris, interpretatio verborum nuſquā tantum valet, vt ſenſu melior exiſtat: idem tradit Bald. in *l. commiſſoriæ. C. de pactis inter empt.* vbi dicit quod licet iudici ſit impoſita neceſſitas ſeruandi ſtatutum, ſecundum formam prout iacet ad literam, argum. *l. 1. §. ſi is qui nauem. ff. de executo.* non tamen habet locum hæc neceſſitas, niſi talis ſemper legis intellectus, nam vt inquit D. Paulus 2. Corinth. 13. *Litera occidit ſpiritus autem viuificat.* Videatur etiam hac de re gloſſa in *capit. illo vos, verbo pignus, de pigno.* & Panormitanus in *cap. tua de vſuris, in fine.* Quæ quidem omnia ſunt valde notanda, & memoriæ commendanda.

Quinta Concluſio.

In legũ, canonũ, & cõſtitutionũ Apoſtolicarũ interpretatione, ad proœmia, & præfationes, quãmaxime aduertere oportet.

IN legum & ſacrorum Canonum, Pontificaliumque Conſtitutionum, interpretatione & declaratione ad proœmia & præfationes quammaxime debet attendi, quæ vt plurimum Legiſlatorum finalem cauſam continent. Habetur hæc concluſio *in l. fin. ff. de har. inſti.* vbi hoc ipſum notant & aduertunt Bartolus, Baldus, Angel. & alij Iuriſperiti, ſed præſertim Panor. *in cap. ad aures num. 2. de immun. Eccleſiar.* & Imol. *in d. l. fin.* Quibus in locis ſupradicti omnes vnanimiter dicunt, quod ex verbis proœmij, colligitur mens & intentio diſponentis, ſicut & ex præfationibus, probatur intentio contrahentium, *per l. Titia. §. idem reſpondit. ff. de verbor. oblig. & l. item quia. §. fin. ff. de pact.* Ad hoc propoſitum facit quammaxime, id quod dicit Bart. *in l. ambitioſa, col. penult. de decr. ab ordine faci.* vbi inquit ad proœmium ſemper recurrimus, quo diſponentis voluntatem conijciamus. Ad quod probandum inducit *l. 1. in princ. ff. ad Senat. Maced. & l. cum hi, in principio. ff. de tranſaction. & l. cum inter dilectos. §. cæterum. ff. de fide inſtrum.* & multa alia iura, quæ breuitatis gratia facio miſſa. Quæ quidem concluſio & regula, quammaxime eſt notanda ad intelligendas leges, ſacrosque Canones, ſtatuta & priuilegia. Nã à præfationibus & proœmijs, reſtringenda ſiue amplianda eſt ſequens diſpoſitio, cum exinde perſpiciatur & intelligatur, mens & intentio Legislatoris & cauſa finalis, qua fuerunt moti ad aliquam legem condendam, ad quod (vt dixi) magis eſt attendendum, quam ad ipſius verba etiam expreſſa, per omnia ſupradicta. Faciunt etiam pro hac regula *cap. fin. de verborum ſignificatione, & capit. intelligentia. eodem titulo.*

Sexta Concluſio.

Ad intelligendam mentẽ & intentionẽ Legislatorũ, & conceſsionem quarũcumq; gratiarum & priuilegiorũ, ad verba quæ præcedũtq; in ſupplicatione, quãmaxime etiam oportet aduertere.

AD intelligendam mentem, & intentionem Legislatorum, & conceſſionem quarumcumq; gratiarum, ſiue priuilegiorum, quammaxime oportet aduertere ad verba quæ præcedunt ſupplicantium, recipiuntque ipſam interpretationem & declarationem à ſupplicatis, cum præſumendum ſit iure, velle Legislatores ſiue Priuilegiorum conceſſores, cum mente ſupplicantium ſe conformare, & tantummodo concedere quod ipſi petierũt, ſiue ſupplicauerunt & non amplius. Hæc etiam cõcluſio eſt certa & manifeſta, ſatisque conſtat ex *c. inter dilectos. §. cæterum, de fide inſtrum.* vbi hoc ipſum notat Felin. & omnes communiter Iuriſperiti. Aduertendum eſt præterea, ad id ad quod verba legum, Canonum, ſiue priuilegiorum principaliter proferuntur, nam vt inquit Vlpianus iuriſconſultus, in *l. non autem. ff. de flumine*, illa Prætoris verba in principio legis poſita, *ne quid in flumine, ripave fiat, quo ſtatio nauigio deterior fiat*, de flumine nauigabili ſunt intelligenda, quoniam ad id principaliter proferuntur. Et verba poſita ad vnum finem, ad illum ſunt trahenda atque interpretanda, & nõ aliter, vt habetur in *c. fin. de verbo. ſignificat.* Facit ad hoc, quia verborum intelligentia, vt inquit D. Hilarius, ex cauſis deſumenda eſt, vt habetur in *c. intelligentia. eod. tit.* Et idem habetur *in le. non omnes. ff. de rebus cred. & in l. in agris. ff. de acquir. rer. dom.* Suprà dicta omnia confirmantur per illud quod dixit olim Ariſt. nempe quod actus agentium non ſe extendunt, neque operantur vltra voluntatem ipſorum. Quod commune principium & Iuris axioma vnanimiter accipiunt omnes Iuriſconſulti, & ponunt illud pro generali & magiſtrali regula, ſumma animaduerſione & conſideratione digna: ſed aduerto quod in prædictorum explicatione, non ſolum eſt attendendum ad ſolam vnam lègis partem, verumetiam & ad alias omnes præcedentes, ſiue ſubſequentes, nam vt inquit D. Auguſt. lib. 3. de doctri. Chriſt. cap. 26. & ſuper Geneſim ad litteram capi. vlti. *Sacra ſcriptura non ſolum declaratur per vnam aliam eius partem, verumetiam quandoque per alias, ab ea omnino ſeparatas, & cum ſcripturæ verba apertius in vno loco ponuntur, exinde diſcendum eſt, quomodo in aliis locis obſcuris intelligantur.* Et in eodem libr. 3. de doct. Chriſt. cap. 2. dicit. *Quod cum verborum ambiguitas occurrit, contextus ipſe ſermonis á præcedentibus & ſubſequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio poſuerunt conſulendum eſt, vt videamus cuiusnam ſententiæ de pluribus quæ ſe oſtendunt, feratur ſuffragium.* Quibus & concinit illud quod tradidit olim Cicero libr. 2. de inuentione, vbi agens de verborum controuerſia, quæ interdum in ſcripturis reperitur, inquit, *quod ſi ipſa quandoque ſeparata verba ex ſe conſiderẽtur, pleraque omnia videbuntur ambigua.* Facit & ad hoc quod dixit etiam Vlpian. olim *in l. 1. ff. de rebus dub.* nempe *alteram alternatiuæ partem, per alteram debere interpretari.* Idem dixit Iullian. *in leg. ſi ſeruus. §. fin. ff. de poſtlim. reuer.* ſcilicet ad ſummam numorum legatorum conijciendam, ea quæ præcedunt & quæ ſequuntur ſcripta eſſe attendenda. Cuius ſimilia verba apud Iuriſconſultos paſſim licebit reperire. Cæleſtinus etiam Papa in *c. ſecundo requiris, de appellat.* ad idem propoſitum dixit, *quod vtriuſque iuris argumenta nos docent, ea quæ in principio ad medium & ad finẽ, & vice verſa eſſe referenda.* Quod omnino idem expreſſius dixit etiam Nico. III. *in c. exil qui ſeminat. §. in primis, de ver. ſignifi. lib. 6.* noſtram explicando Fratrum Minorum regulam, hac etiam de re videndus eſt Bal. *in d. cap. ſecundo requiris.* vbi inquit, *quod per media declarantur extrema, & per vnum extremorum declaratur & aliud.* Omnia iſta ſunt quãmaxime notanda atq; memoriæ cõmendanda, ad legum & ſacrorum Canonum, ſtatutorum, & priuilegierum interpretationem & declarationem.

Septima Concluſio.

Verba legum, ſiue canonũ, nunquã eſſe debent otioſa, ſed ſemper operari aliquid debent.

IN ſupradicta legum, ſacrorumque Canonum declaratione, modis omnibus curandum eſt, id que præcipue præoculis habendum, vt non ipſorum fruſtretur intentio, aut verba otioſa ſiue inutilia vllo modo reddantur, quin vero ſemper debent aliquid operari, ſuumque habere effectum, etiamſi ſit in materia ſtricta, odioſa & correctoria. Hæc concluſio eſt omnium Iuriſperitorum communis reſoluto, & conſtat ex multis iuribus, ſed maxime in *capit. in his, de priuilegijs, & in capit. ſi ciuitas, de ſententia excommunicationis. libro ſexto*, vbi ad hoc propoſitum habetur, quod interdictum latum contra ciuitatem (quod quia eſt odioſum, conſequenter proinde erat limitandum & reſtringendũ & nullo modo ampliandum, aut extendendum) late

late nihilominus eſt interpretandum, ita vt etiam includat ſuburbia, quæ non eſſe partem ciuitatis conſtat, ex cap. *Rodulphus de reſcript.* nihil certè ob aliud quam vt eiuſmodi interdictum non ſuo fruſtretur effectu. Et gloſſa communiter ab omnibus recepta, in cap. *quanquam, de vſur. verb. teſtamentum,* lib. 6. eandem omninò ob cauſam, illum tex. exorbitantem & corrigentem ius commune & antiquum, de ſolo teſtamento loquentem, extendi etiam debere dicit ad codicillos, cum tamen codicilli longe aliud ſint à teſtamentis, vt habetur in l. *ſi idem. C. de codicillis,* non quidem ob aliud, niſi vt non ſuo etiam fruſtretur effectu. Quod eſt valde notandum, & memoriæ commendandum, quo habito reſpectu, ad mentem & intentionem Legiſlatorum (vt dictum eſt) verba legum ſuum ſemper ſortiantur effectum, in eiſdem à Legiſlatoribus intentum.

Octaua Concluſio.

Legũ duplex eſt mens ſiue intentio, quædam comprehenſiua altera verò extẽſiua.

PRo prædicta legum interpretatione ſiue declaratione, aduertere etiam oportet quã maximè, quod duplex eſt mens, ſiue intentio legum, quædam comprehenſiua, alia verò extenſiua. Hæc Cõcluſio eſt Iuriſperitorum communis reſolutio, de qua ſpecialiter videndi ſunt Ioann. de Imol. & Geminianus in cap. *ſi poſtquam, de electio.* lib. 6. Sylueſt. etiam verbo *lex,* quæſt. 18. vbi aduertit non ſic hoc eſſe intelligendum, vt exiſtimemus duas eſſe in legis mentes ſiue intentiones (nam non eſt niſi vna & eadem omninò) ſed dupliciter conſiderata aut comparata ad duo, nempe ad rem, de qua agitur in lege cuius eſt ratio, ſiue ad caſum in ea comprehenſum (quæ dicitur legis intentio comprehẽſiua) vel ad aliam rem ſimilem ſiue alium ſimilem caſum (qui dicitur ratio legis extenſiua.) Sed inter DD. Iuriſperitos prædictos, eſt magna lis & cõtrouerſia, in definiendo & determinando, quomodo monſtretur aut deprehendatur, mens ſiue intẽtio legis comprehenſiua & etiam extenſiua? Cui difficultati reſpondens Sylueſt. loco ſupra citato, quæſt. 20. de mente atque ſententia prædictorum Imolæ, & Geminiani, in dicto cap. *poſtquam,* inquit, quod mens Legis comprehenſiua monſtratur, & comprehenditur ex quatuor. Primò ex communi vſu verborum, quia præualet omni rigori & ſignificationi verborum, iuxta *l. librorum.* §. *quod tamen* Caſſius, *ff. de legat. 3.* & cap. *cum dilectus, de conſuet.* Secundò ſi aliter intelligendo, ſequeretur aliquis intellectus abſurdus, cum lex debeat eſſe poſſibilis, honeſta, abſurdi nihil in ſe continens, iuxta ſuperius dicta, ex cap. *erit autem lex.* diſt. 4. & tradit Bar. in l. *omnes populi. ff. de iuſt. & iure.* Ad quod explicandum & declarãdum ponit exemplum in lege, quæ iuberet, vt qui hominem occiderit capite plectatur: nã ſi ad litteram deberet intelligi, ſequeretur, quod occidens alterum ſe ipſum defendendo, vel etiam furioſus ſi quempiam occiderit deberet occidi quod non eſt dicendum quia eſſet abſurdum, & contra Clement. *ſi furioſus, de homicid.* Tertiò quãdo in lege eſt expreſſa ratio legis, nam ex illa vt dictum eſt, colligenda eſt mens legis & ipſius latoris, iuxta Clement. 1. *de electio.* & cap. *ex parte, de poſtul.* vbi prohibitio de aduocando facta Monachis, extenditur etiam ad Canonicos Regulares, licet ſint diuerſi, quia Conſtitutio fundat ſe ſuper Religione, & omnis Conſtitutio, quæ habet reſpectũ ad Religionem, licèt loquatur de Monachis, comprehendit etiam Regulares Canonicos prædictos cum ſint veri Religioſi, & emittant tria Religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota. Secus eſſet ſi loqueretur de Religione cum aliquo addito, ſeu aliqua qualificatione, vt dicendo Monachi nigri & huiuſmodi. Quartò quando per eandem Conſtitutionem vel per aliam, appareret id quod ibi poſitũ eſt, exempli gratia fuiſſe poſitum, ſicut in l. 1. ff. *vti poſſide.* vbi licet verba edicti loquantur de æde, in fundo tamen etiam habent locum vt *in* §. *hoc interdictum omnibus.* Hac de mente legis comprehenſuç. Cuius mens extenſiua ſecundum eoſdem, comprehenditur ex identitate rationis non ſcriptæ, vt in l. 1. C. *de interd. & releg.* facit & cap. *inter cetera, de reſcript.* & cap. 2. *de tranſlat. Prælat.* nam vt dicitur de ſimilibus ad ſimilia, idem eſt iudicium, vt habetur in prædicto cap. Videatur hac de re Sylueſter vbi ſupra.

Nota valde.

Quomodo deprehendenda ſit mens, & intentio lgis, comprehenſiua atque extenſiua.

Nona Concluſio.

EX legum mente ſiue intentione comprehenſiua, ſic ſunt leges interpretandæ, declarandæ atque intelligendæ, vt locum habeãt in omnibus ſimilibus, non ſolùm fauorabilibus, verum etiam odioſis, ſiue pœnalibus. Hæc Concluſio duas habet partes, & quidem quoad primam partem de ſimilibus fauorabilibus, paruam aut nullam continet difficultatem. Conſtat enim apud omnes, compertiſſimumque eſt in iure, quod ex dicta mente, ſiue intentione legum comprehenſiua, hoc eſt quando caſus incidentes ſeu occurrentes, comprehendun tur in legum ipſarum ratione, licitum eſt argumẽtari ex ſimilibus ad ſimilia, prout habetur in cap. *multi,* 2. quæſt. 1. cum Gloſſa & in ca. *tranſlato de Conſtitut.* Super quod dicit Panormit. quod vbi caſus eſt ſimilis, ſed habet caſum ſpecialem in contrarium, non extenſio fieri debet, quia non debet fieri correctio legum ex ſimilitudine rationis; at vbi contrariũ non reperitur, bene poteſt fieri prędicta extenſio, & ſic venit intelligenda, *l. non poſſunt. ff. de leg.* quod & notat Bart. in l. *non dubium. C. de leg.* vbi & dicit idem eſſe intelligendum in conſuetudinibus & ſtatutis, per l. *de quibus. ff. de leg.* Et Syluverbo *argumentatio iuridica,* quæſt. 1. hac de re agẽs, inquit, quod ſtatutum municipale & conſuetudo, poſſunt ad alios caſus extendi ex rationis identitate, dummodo illi caſus non habeant legem contrariam, & ſic dicit eſſe intelligendum, cap. *noſtra, de iniu.* vbi tenuerunt multi, ſed male, quod ſtatutum non debet extendi quia eſt ſtricti iuris, ſed illud inquit procedit, quando fieret extenſio cum legis correctione, alias verò non.

Ex legum mẽte ſiue intentione comprehenſiua, ſic ſunt leges interpretandæ, & declarãdæ, vt locum habeant in omnibus ſimilibus, non ſolũ fauorabilibus verum etiam odioſis ſiue pœnalibus.

Secunda verò Concluſionis pars, nempe quod ſecundum mentem comprehenſiuam fiat extenſio legis ex ſimilibus, non ſolùm in fauorabilibus verum etiam in pœnalibus & in odioſis, maiorem habet difficultatem: ſed nihilominus hanc ſententiam & opinionem tenent, Ioann. de Imola, & Geminianus, in l. *ſi poſtquam, de elect.* lib. 6. relati à Syluęſtro, verbo, *lex.* quæſt. 18. vbi & ipſe hoc idem tenet, ſed inquit quod hæc propriè non eſt extenſio. Et ſic intelligẽdum eſſe dicit, illud quod dixit

Panormit. in cap. *quia in insulis, de statu Monach.* nempe quod lex debet ampliari & restringi, ad limites rationis expressæ etiamsi id verba non patiantur, iuxta *l. adigere. §. quamuis. ff. de iure patr. & l. cum pater. §. dulcissim. ff. de leg. 2. & l. pater. §. fundum. ff. de leg. 3. & cap. suggestum, cap. meminimus, de appell.* facit, & cap. *cum dilecta, de confir. vtili. vel inu. il.* & inquit, quod est bonus textus ad idem, *in reg. fin. de reg. iuris* lib. 6. & quod notat Bart. *in l. item queritur. §. qui impleto. ff. loca.* Quin verò & supradictus Panormit. in cap. 1. *de iure. calu.* dicit, quod etiam in pœnalibus seu odiosis, quando ratio est expressa, extenditur atque ampliatur dispositio legis ad limites rationis expressæ, quod & notat Glossa in Clement. 1. verbo *eligatur, de elect.* & in Clement. 2. verbo *pileū de vita & honesta cler. & in d. reg. fin.* Secus autem esset secundum eundem Panormit. in cap. 1. *de sent. & re iudicata,* in dictis legibus pœnalibus, vbi allegaretur simile sub terminis facilioribus vel paribus, vt etiam notat Innocent. in cap. *cum speciali, de appell.* Videatur hac de re Nauarro in cap. *pœnæ, de pœnit.* dist. 2. num. 4. vbi hoc arg. late prosequitur, dicens quod omnis lex etiam odiosa & pœnalis, extendenda est ad omnia, quæ verba illius ex propria significatione comprehendunt. Quam dicit esse celebrem doctrinam Aretini, in l. *cum lege. ff. de statu.* approbatam à Decio & ab Alciato, & alijs quos ibi citat. Et ratio inquit est, quia extendere legem ad omnia illa, quæ propriè verba eius significant, non est extendere illam ad casum non comprehensum in ipsa, nam omnia propriè significata per verba legis, in ea censentur contēta, quod est valde notandum ac memoriæ commendandū.

Nota hoc val de, in quibus casibus leges pœnales, possunt & debēt extēdi ad omnia, quæ sub propria verborum significatione cō prehendūtur.

Decima Conclusio.

Secūdum mētem siue intētionem legū extensiuā, nō fit legum extensio ex identitate rationis in pœnalibus, sed solummodo in non pœnalibus.

SEcundum mentem siue intentionem legum extensiuam, non fit extensio legis ex idēntitate rationis in pœnalibus, sed solummodo in non pœnalibus, seu fauorabilibus. Hæc Conclusio est expressa supradictorum Imolæ, & Geminian. loco supra citato, & refert etiam Sylvester vbi supra, aduertendum quod circa hoc est magnalis & controuersia inter Canonistas, nam Ioan. Andr. (vt videtur) aliqualiter est sibi contrarius in suis Glossis, nam in cap. *dispendia, de rescript.* lib. 6. dixit. quod per identitatem rationis habet locum legis dispositio, sed non pœna, & in Clement. 1. *de elect.* videtur aliter sentire. Glossa verò dicti, c. *sæpe de tēp. or.* lib. 6. dicit, quod constitutio pœnalis extenditur ad alium casum quam comprehensum, quando est eadem ratio & omnimoda similitudo, & quod tūc propriè non dicitur extensio, quia quod est ex ratione legis est ipsa lex, & non legis extēsio, quod & multis iuribus & rationibus comprobat, & addit quod Dominus Petrus dixit, hanc Glossam esse singularem. Sed quidquid de hoc sit, Ioan. de Imola & Gem. dicunt non fieri extensionem legis seu constitutionis pœnalis, ad alium casum quam ad comprehensum, etiamsi sit omnimoda similitudo, & subsit eadem ratio, quod etiam tenet Ioan. Andr. *in reg. odia. de reg. iuris, lib. 6.* & hoc est quod communiter tenetur à Doctoribus pro conclusione & reg. vera. Quod & probari videtur, ex cap. *constitutionem, de regular. lib. 6.* vbi constitutio loquens de Prædicatoribus & Minoribus, ex communi resolutione non habuit locum in alijs Ordinibus Mendicantibus, licet eadem subesset omninò ratio, ex quo factum fuit vt propter identitatem rationis, prædicta lex per alium textum extensa, & prorogata fuerit ad alios Mendicantes. Supradicta omnia refert dictus Sylvester loco supracitato, sed postmodum à dicta doctrina recedens, dicit quod magis sibi placet opinio supradictæ Glossæ, in dicto cap. *sæpe,* cum hac limitatione, quod ratio sit ex pressa, vel saltim indubitate præsumpta: & consequenter ait, quod omnis constitutio pœnalis, cuius ratio est expressa per legem, extēditur ad aliū casum similem non expressum, si ratio sit par simpliciter seu eadem aut maior, & Legislator non disponat aliquid particulariter in contrarium, declinando à ratione legis, propter aliquam particularem & priuatam considerationem. Quia inquit, sicut philosophice loquendo, est impossibile esse eandem causam quin idem sequatur effectus, ita & iuridice loquendo est impossibile, esse eandem rationem & non esse idem ius, cum ratio ipsa sit formaliter ius, quin verò & ipsa lex, nisi aliud habeatur ex voluntate Legislatoris, quam etiam inquit sequi non tenemur, nisi exprimatur. Hæc supradictus Sylvester vbi supra, quod & probat ex multis iuribus à me breuitatis causa omissis, videātur ibidem. Et concludendo dicit, quod non potest propriè dici quod dicta sit interpretatio extēsiua, sed potius intensiua seu intellectiua, quia lex non est aliud quam ratio ipsius, vt habetur, in l. *nō dubium. C. de leg.* In his omnibus Sylvest. recedit à Conclusione & regula superius posita, sed contrarium est verius, & quod tenetur communiter loquendo de mente & intentione legis extensiua, quibus sic adductis eligat vnusquisque quod voluerit, aut magis probabile sibi visum fuerit, iam enim ipse apposui meam opinionem atque sententiam.

Vndecima Conclusio.

Quamuis communiter & regulariter loquendo, odia restringi, fauores verò cō ueniat ampliari, in aliquibus tamen ca sibus leges pœnales fuerūt ampliandæ.

QVamuis communis ac generalis sit regula, quod odia restringi fauores verò conueniat ampliari, quodque ea, quæ à iure cōmuni exorbitant sunt restringenda, & quod in pœnis benignior interpretatio est facienda, vt habetur, in cap. *odia de reg. iur. lib. 6.* in cap. *pœnæ, de pœnitent.* dist. 1. & quod in interpretatione legum pœnæ potius mol liendæ sint quam exasperandæ, nihilominus tamē aliqui sunt casus, in quibus leges & constitutiones pœnales, latè sunt interpretandæ. Hæc Conclusio est expressa Sylvest. verbo *lex,* quæst. 29. vbi adducit ex Bart. vnum casum singularem. in l. *quemmadmodum. C. de agri. & cens. lib. 11.* vbi inquit, quod licet lex pœnalis & odiosa, extra proprium significatum nullatenus extendatur per supradicta, vbi tamen extensio tendit in fauorem Reipub. ita debemus ipsam extendere sicut legem fauorabilem. Vnde cum ad fauorem Reipub. pertineat maleficia puniri, vt vel sic prouincia quieta permaneat, iuxta l. *congruit. ff. de offi. præt.* inquit quod si per legem aliquam punitur quidpiam faciens, per eandem punitur & fieri mādans. Cuius rationem quamuis non adducat supradictus Bart. adducit tamen illā Sylvest. ac dicit id ex eo esse, quia pars totum illud

quod

quod eſt totius eſt, vnde cum ſtricta interpretatio in pœnalibus introducta ſit in fauorem hominis particularis, qui eſt pars totius multitudinis ſiue Reipub. in ſupradicto caſu, contemni debet ille fauor, propter fauorem totius cõmunitatis (quod eſt multum notandum) Panormit. etiam in capit. *ex tenore, qui filij ſint legit.* dicit quod cõſtitutio pœnalis debet & poteſt extendi, & largo modo interpretari, quando emanat vt euitentur animarum pericula, nam pro ſalute animæ, contemnenda eſt ſalus corporis. Ex quo colligit & infert Sylueſt. vbi ſupra, generalem quandam Philoſophicam regulam, nempe quod quotieſcunque illud in cuius fauorem tendit larga interpretatio conſtitutionis pœnalis, eſt fauorabilius eo, in cuius fauorem tendit interpretatio ſtricta, larga facienda eſt interpretatio, nam ſecundum Philoſophum eius quod magis diligimus, oppoſitum magis odimus, regulariter loquendo. Hæc Sylueſt. vbi ſupra.

Duodecima Concluſio.

Multum oportet ſcire ad legum interpretationẽ, atque declarationẽ faciendã quæ namleges ſint fauorabiles, quæ verò odioſæ, ſiue pœnales, vt exinde ſciatur, quænam ſint reſtringendæ, quæ autẽ ampliandæ.

AD legum & ſacrorum Canonum, conſtitutionumque Apoſtolicarum, interpretationem atque declarationem faciendam, quammaximè ſcire oportet, quænam dicantur fauorabilia, quæ verò odioſa, ſiue pœnalia, vt exinde percipi poſſit atque conſtare, quænam debeant limitari & reſtringi, quæ verò extendi & ampliari. Hæc Concluſio eſt omnium Iuriſperitorum communis reſolutio, quamuis in eo conſtituẽdo, & determinando nimis inter ſe varient ſintque diuerſi, aſſerentibus quibuſdam aliqua eſſe fauorabilia, quæ alijs nimium eſſe videntur odioſa. Pro quorum omnũ intelligentia, dico ſecundum magis communem ſententiam, quod ſemper lex dicitur fauorabilis, & conſequenter amplianda (idemque eſt iudicium de ſacris Canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis) per quam res aliqua redit ad ius antiquum, quod omnes leges deſiderare videntur. Nam de facili res reuertitur ad priſtinum ſuum ſtatum, vt conſtat ex c. *cum ab exordio*, diſt. 35. & ex l. *ſi vnus. §. pactus, ne petcret. ff. de pact.* Videatur hac de re Nauar. lib. 5. conſil. de pœnit. & remiſſi. conſ. 19. num. 4. vbi hoc ipſum probat ex multis iuribus, allegãdo in id Iaſonem varia ad hoc adducentem exempla, & plures alios DD. præter ea dicetur ſemper fauorabilis lex, quæ reſpicit vtilitatem publicam, per cap. *euit autem lex*, diſt. 4. nam hoc eſt intrinſecum & de ratione omnis legis, vt pluries eſt iam dictũ ſupra, quod qualiter ſit intelligendum, per docte ſatis explicat ſupra dictus Nauar. lib. 1. conſil. de conſtit. conſil. 3. num. 2. cum ſequentibus, vbi inquit, quod lex dicitur fauorabilis ſemper quando principaliter intendit fauorem, licet minus principaliter & per quandam conſequentiam, vergat in alterius præiudicium, iuxta cap. *non dubium, de ſent. excom.* & alia tradita ibi late per Felin. ex Gloſſ. *putata ſingulari*, in cap. *ſciant cuncti, de elect.* lib. 6. Dicitur autem lex odioſa, & conſequenter reſtringenda, quando facta eſt in odium aliquorum ſeu alicuius, iuxta Gloſſ. in l. *qui, de excep. ff. de cond. indeb.* qua de re videndus eſt etiam ſupradictus Nauar. loco quo ſupra, vbi hac de re latiſſimè agit, & dicit quod lex ſiue conſtitutio, quæ partim eſt fauorabilis, partim verò odioſa, debet odioſa reputari, ſi principaliter facta ſit in odium, licet minus principaliter reſpiciat alicuius fauorem, arg. l. *quæritur. ff. de ſtatu homi.* vt & notant Doctores in dicto cap. *ſciant cuncti, de elect.* lib. 6. Vnde inquit Nauar. lib. 4. conſil. tit. de conſang. & affin. conſ. 4. num. 9. quod ſublatio poteſtatis diſpenſandi, eſt odioſa & reſtringibilis, quia contrarium eius (ſcilicet facultas diſpenſandi) eſt fauorabilis, per Gloſſ. ſolemnem & communiter receptam, in Clem. 2. *de offic. Vicarij*, quam omnis extollit Felin. in cap. *poſtulaſtis, de reſcript.* num. 10. quamuis ipſa diſpenſatio ſit reſtringenda quia contra ius. Qua etiam ratione dicunt Doctores, quod diſpẽſatio illegitimi, eſt odioſa, ſed poteſtas legitimandi fauorabilis & conſequenter ampliabilis.

Tertiadecima Concluſio.

Lex noua inducẽs nouãpœnam, non cenſetur tollere aliam ſeu alias priores.

LEx noua nouam pœnam inducens, non cenſetur tollere aliam ſeu alias per priores leges inductas. Hanc regulam tradit Imola relatus à Dominico, in cap. *de temp. ord.* eſtque communis omnium Iuriſperitorum, & probari poteſt, *per legem quoties. ff. de actio. & oblig.* vbi habetur quod nouæ actionis inductio non tollit veterem. Hac etiam ratione, Gloſſ. in cap. *ita quorundam, de Iudeis.* inquit quod excommunicationis ſententia, lata ab Alexandro III. in Concil. Lateranen. per dictum capitulum, contra deferentes arma Sarracenis, non eſt ſublata, ſed potius duplicata, per Clemen. III. in c. *olim*, eo. tit. Imò verò dicit verbo. *crebra excommun.* quod huiuſmodi armade ferẽtes, duplici excõmunicatione ſunt excõmunicati, illa videlicet quã intulit olim Alex. III. ſupradictus, & illa quã tulit poſt modum, Clemens etiam III. in quod allegat multa iura, & dicit plura notatu digniſſima, quæ videri poterũt ibidem. Videatur etiam hac de re Naua. in dict. cap. *itaqu orundam de Iudeis*, nu. 24. & 30. vbi ponit aliquas exceptiones ſatis notatu dignas ad dictam generalem regulam. Eadem etiam ratione dicendum eſt, quod quando aliqua lex noua inducit aliquod nouum remedium, non videtur per id tollere aut reuocare, alia remedia per alias leges inducta, per *legem quoties. ff. de action. & oblig.*

Quartadecima concluſio.

Sola voluntas & actus interior non punitur per aliquam legem, etiãſi aliquo exteriori actu ſit probatus, niſi id habeatur expreſſe & in caſibus à iure expreſſis.

NVlla pœna impoſita per humanam legem pro quocumque delicto debet quiſpiam puniri, propter ſolam voluntatem, etiam actu exteriori, ſeu aliquo conatu aut præparatione monſtratam, & probatam, niſi in caſibus à iure expreſsis. Hæc concluſio eſt valde notanda, & eam tenet expreſſe ſupradictus Nauarr. in *cap. pœnæ, de pœnitentia. diſt. 1. num. 22.* vbi & probat eam in primis auctoritate Gratiani, loco ſupracitato, & ex *cap. cum incunctis, §. fin. de elect. adiunctio cap. perpetuo, eod. tit. lib. 6.* vbi prædicta duo capitula, probant pœnam impoſitam, cõtra male eligentem Prælatum indignum, non eſſe inferendam illi, qui ſuffragium ſiue votum ſuum indigno dedit, ſi non ſequatur electio, quæ conſequi debet publicationem ſuffragiorum, per cap. *publicata, de elect.* Cuius quidem Concluſionis, & hęc ratio eſt, nam lex pœnalis (vt ſupradictum eſt) nõ extendẽda eſt, de vno ad alium caſum regulariter, niſi

niſi ille ſit eadem in lege comprehenſus, iuxtà Gloſsã, in Clement. 1. *de ſepul.* & Clement. 1. *de conſang.* & vt de ſe patet, aliud eſt facere delictum, aliud verò velle illud facere ſiue attentare vel incipere illud, aliud verò ſe ad illud præparare: ergo pœna impoſita facienti aliquod delictum, non eſt imponenda volenti, attentanti, ſeu incipienti facere illud. Quæ quidem doctrina, intelligenda eſt cum duabus limitationibus.

Prima, vt procedat in foro exteriori & quoad pœnam ordinariam, pro aliquo delicto humana lege impoſitam; non autem quoad forum conſciẽtiæ & quoad pœnam æternam, nam proculdubiò eam incurrit, qui abſolutè in aliquod conſenſit peccatum, vt habetur, in dict. cap. *perpetuo*, *de elect.* lib. 6.

Secundò intelligenda eſt dicta doctrina, vt non procedat etiam in foro exteriori, quoad pœnam extraordinariam, qua debet puniri voluntas illa, per actum exteriorem attentationis, vel conatus patefacta plus minúſve, prout magnitudo, vel parvitas id exegerit, iuxta l. 2. ff. *de va. & extra.* Qua de re videatur ſupradictus Nauar. in cap. *ſi quis non dicam*, à num. 12. & ſequentib. vbi inquit, quod licet regulariter loquendo, conatus vel attentatio ad delinquendum, non debeat puniri pœna ordinaria, impoſita per humanam legem facienti aliquod delictum, debet tamen puniri pœna ordinaria impoſita illud facienti in caſibus à iure expreſſis, & in alijs pœna extraordinaria iudicis arbitrio imponenda. Videatur etiam hac de re ſupradictus Nauar. in cap. *periculoſo*, *de pœnit.* diſtinct. 1. num. 3. & in Manu. cap. 27. num. 51. vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

Nota quod conatus ſimpliciter attentatio alicuius delicti, licet non puniatur pœna ordinaria, niſi in caſibus à iure expreſſis, punitur tamen pœna extraordinaria.

Quintadecima Concluſio.

In ſententia excommunicationis, niſi apponatur clauſula latæ ſententiæ, vel ipſo facto incurrendæ aut ipſo iure, non ſtatim incurritur, ſed ſolummodo fit comminatio.

LOquendo de ſententia excommunicationis in aliqua conſtitutione ſiue Canone appoſita, certiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, niſi aliquid aliud addatur, & apponatur clauſula latæ ſententiæ, ſeu ipſo facto aut ipſo iure incurrere, quod eiuſmodi conſtitutio ſeu prohibitio, non excommunicat tranſgreſſorem ipſo iure, ſed ſolum efficit illum excommunicatione dignum. Hæc Concluſio eſt communis omnium Iuriſconſultorum, & Summiſtarum, de qua ſpecialiter videndus eſt ſupradictus Nauar. in ſuo Man. cap. 27. num. 12. & lib. 5. conſil. de ſententia excommun. conſil. 2. nu. 1. vbi & probat eam, ex Gloſſa (vt ipſe inquit celebri & communiter ab omnibus recepta) in cap. 1. *de ſag.* cui & alia ſimilis eſt, in cap. 2. *de matri. contra.* & ex cap. *in pœnis*, *de reg. iur.* lib. 6. vbi habetur quod in pœnis, ſemper benignior & mitior interpretatio eſt facienda, cuius benignitatis vnum exemplum ponit Gloſſa prædi. cap. ab omnibus recepta, & dicit quod in dubio pœna non eſt cenſenda ipſo iure impoſita, ſed per iudicem imponenda, circa quam rem vti notam & peruiam, plura dicere conſultò ſuperſedeo.

Decimaſexta Concluſio.

In legum interpretatione non ſunt ſemper omnes iuris apices ſeruandi, ſed interpretandæ ſunt interdũ ex bono, & æquo.

IN legum humanarum & ſacrorum Canonum, conſtitutionum & ſtatutorum (ſed maximè, quæ ad perſonas regulares pertinent) interpretatione, & declaratione facienda, hoc ſummopere eſt aduertendum & curandum obnixe, vt non adeò ſtricta, & rigoroſa interpretatio fiat, quod omnes iuris apices ſeruentur, quin verò interpretari & declarari debent, ex bono & æquo. Hæc reſolutio communis eſt omnium Iuriſconſultorum, qui in hiſce rebus quammaxime ſunt exercitati, quam & colligunt ex multis iuribus, ſed præſertim, ex l. *ſi ſeruum. §. ſequitur. ff. de verb. oblig.* vbi habetur, quod ſæpè ſæpius erratur perniciosè, allegata ſolum auctoritate ſcientiæ iuris. Quod eſt dicere, nõ ſemper debere iudices, iudicare & caſus ſiue cauſas determinare, ſecundum rigorem iuris, ipſiuſq; apices, ſed interdum ex bono & æquo ac ſecundũ æquitatem naturalem. Quod vt plenius intelligatur, notandum eſt, quod iſti termini, *rigor & iuris apex*, etiamſi contraponantur iſtis terminis, *bono & æquo*, non proinde dijudicandum eſt, rigorem & iuris apices, eſſe mala ſiue iniuſta, & quod ſolum iuſtitia conſiſtit in bonitate & æquitate, haudquaquam inquam hoc exiſtimandum eſt, quin verò iuſtiſſimum eſt interdum rigorem iuriſque apices ſeruari, vbi ius illud diſponit aut verò contrarium non ſtatuit. Multi enim ſunt caſus, in quibus ſecũdum rigorem & iuris apices, debent iudices iudicare, & in quibus ſi ſic non procederent, ſed ex bono & æquo, iniuſtitiam quammaximã committerẽt, Nam prudentiſſime interdum iuris apices cum ſuo rigore, ad euitanda aliqua mala & multorum hominum calumnias iubentur ſeruari. Sicut & videmus in humanis, prudentiſſimũ hominem inimicos habentem caute viuere, & interdum armatum incedere, qui & ceſſante neceſſitate, poſtmodum arma deponit. Haud minus itaque iura multorum hominum conſiderando calumnias, & mala quæ fieri ſolent, ſolemnitates adinuenerunt, quibus veluti armis forent munitæ contra hominum calumnias. Hac de cauſa in ſolemnitate teſtamentorum, cõtractuum & ſimilium, ſtatuerunt multa, quæ ſolemnitates & iuris apices nuncupantur, quæ & iubentur ſeruari, vbi neceſsitas id expoſtulat, & ſimiliter deponi in alijs caſibus quando nulla neceſſitas illud exigit, in quibus procedendum eſt ſolũmodo ex bono & æquo, ſecundum naturam & ius gentium, id quod dicitur ſimpliciter & de plano. Hanc ob cauſam videmus quod in teſtamento ad pias cauſas, iuberius deponi ſolemnitatem ſeptẽ teſtium, ſtatuens quod in eo caſu ſufficiat vt procedatur ſecundum naturam aut ſecundum ius diuinum, iuxta quod, *in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum*. Hoc eſt procedendo de bono & æquo, ideſt ſecundum bonitatem, & æquitatem, & non ſecundum iuris rigorem, prout habetur, in l. *bona fides. ff. de poſſ.* Ex dictis plane conſtat, qualiter æquitas procedit ſecundum ſimplex ius gentium, & rigor & iuris apices, ſignificant ceremonias, & ſolemnitates iuris poſitiui prædicto iuri gentium ſuperadditas. Hoc igitur ſic præmiſſo, dicit prædicta regula in explicatione & declaratione humanarum legum conſtitutionum & ſtatutorum, reſpicientium perſonas Religioſas & Regulares, & pertinentiũ ad ſtatum Monaſticum procedendum eſſe, depoſito omni iuris rigore eiuſque apicibus, & ſolummodo ex bono & æquo, & ſecundum æquitatem

Nota valde, quando procedendum ſit ſecundum iuris rigorem, & ipſius apices ſint omnino ſeruandæ, quin verò ex æquitate & bonitate.

natus

naturalem. Sed aduertendum eſt vt aduertit Bal. in rubrica C. *de conſti.* non ſic procedendum eſſe ex bono & æquo, vt procedatur ſecundum cuiuſque imaginationem, ſiue vt dicitur ad libitum, ſed prudenter ſemperque habito reſpectu ad terminos iuris, qua quidem ratione, dixit idem Bal. in cap. 1. §. *qui villam, de his qui fœuda dare poſſunt*, quod humanę æquitates in ſe vim ſtatuti minime habent, niſi aliquo ſtatuto vel conſuetudine legitime præſcripta ſint munitæ, quod ipſius dictum magni faciunt Tiraquel. & alij iuriſperiti. Itaque concludendo dico, quod humanæ leges & conſtitutiones, quæ pertinent ad perſonas Regulares, non ſecundum rigorem & iuris apices ſunt interpretandæ & declarandæ, ſed ex bono & æquo: cum quo tamē ſtat quod non ad libitum & ſecundum vnius cuiuſque imaginationem iudices debent procedere, ſed iuridice & habito reſpectu ad terminos iuris naturalis & gentium, quod eſt valde notandum, atque memoriæ commendandum.

Non ſic iudices procedere debent ex bono & æquo, vt proinde procedant ad libitum & ſe eādum cuiuſlibet arbitriū

Decima ſeptima Concluſio.

Quando duæ leges, altera affirmatiua altera verò negatiua ſimul concurrunt, vna per alteram non derogāt, niſi ſint contrariæ,

QVando duæ leges, altera affirmatiua altera verò negatiua ſimul concurrunt, non videtur vna derogari per alteram, niſi ſint contrariæ. Hæc Concluſio & regula eſt etiam multum notanda, valdeque neceſſaria ad explicationem multarum legum, humanarumque conſtitutionum, & ex ea pendet vera interpretatio & declaratio, cap. *licet de conſt.* lib. 6. vbi inſinuari videtur (quin verò & expreſſe dicitur) quod Papa ſiue Princeps, faciens aliquam legem ſiue conſtitutionem poſteriorem, videtur proinde derogare omnem priorem, quam uis de ipſa non expreſſam faciat mentionem, cum vt ibidem dicitur præſumatur totum ius habere in ſcrinio pectoris ſui. Quod quidem capitulum intelligendum eſt, de lege & conſtitutione noua poſteriori contraria, non tamen quando ſimul inter ſe ſunt compatibiles, vt notatur ibidē in ſummario dicti capituli quod eſt verum & dicendum, etiamſi vna ſit generalis affirmatiua, altera verò generalis negatiua, & multo minus ſi earum vna fuerit generalis, altera verò particularis, & non de ipſa ſpecialem facit mentionem. Cuius quidem concluſionis ratio eſt, nam vt habetur in l. *præcipimus, C. de appell.* ius antiquum nunquam cenſetur ſublatum, niſi quatenus ius nouum illud expreſſe tollit. Qua generali regula ſæpiſſime vtuntur DD. iuriſperiti, quando quærunt, vtrum lex poſterior deroget priuilegijs inſertis in corpore iuris, nulla de illis facta mentione? etenim ſi ſemper ex hoc quod Princeps aliquam edit ſeu condit legē negatiuam, derogare perinde videretur omnes alias affirmatiuas factas in eadem materia, multa quidem & grauia ſequerentur inconuenientia & abſurda, vanaq; profectò eſſet illa iuris regula, qua dicitur, *quod generi derogatur per ſpeciem.* Vt igitur ipſa in ſuo robore permaneat, dicendum eſt, quod ſupradictum capitulum *licet*, tunc ſolummodo habet locum, quando eduntur duæ leges ſiue conſtitutiones contrariæ. Neque in propoſito ſecundum ius dicuntur duæ leges contrariæ, ex eo ſolū quod vna ſit affirmatiua, altera verò negatiua (vt dicunt aliqui iuriſperiti toto cœlo aberrantes, & rem hanc non perfectè callentes) ſed vlterius requiritur, quod ſint contrariæ ſiue incompatibiles, vt ſi verbi gratia, facta fuiſſet lex, qua diceretur vt cōpatres poſſent matrimonium cōtrahere, & poſtea fieret altera, qua diceretur vt non poſſent ipſi cōtrahere matrimonium: in hoc caſu verum haberet quod dicitur in dicto capitulo *licet*, nempe quod Papa ſiue Princeps, edens vnam legem contrariā, derogare videtur proinde alteram priorem, quam uis de ipſa mentionem non faciat. Attamen quando leges non ſunt contrariæ, ſed ſimul compatibiles, quamuis vna ſit vniuerſalis negatiua, altera verò ſpecialis ſeu particularis affirmatiua, fundata in aliquo ſpeciali & particulari priuilegio, hæc non excluditur ſeu derogatur per illam aliam, niſi in negatiua de ea ſpecialis mentio fiat. Hæc inquam regula, eſt valde notanda & memoriæ commendanda.

Decima octaua Concluſio.

Concurrentibus duabus legibus contrarijs, & incōpatibilibus, maior debet prævalere, ac minor cedere maiori.

COncurrentibus duabus legibus contrarijs & incompatibilibus, maior prævalere debet, ac minor cedere maiori. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta & probatur argumento deſumpto, ex cap. *ſicut, de conſecratione*, diſt. 2. & l. *contra pupillum. §. is qui ad maius. ff. de re iudic.* ſed expreſſius & apertius, ex cap. *ſi dominus*, & cap. *Iulianus*, 11. quæſt. 3. poteſtque adduci exemplum, in duabus legibus naturalibus ſimul concurrentibus, verbi gratia, illa lex naturalis de non infamando proximum, contenta in octauo præcepto Decalogi, & illa de ſeruanda Republica, ſeu vita ſpirituali eiuſdem proximi, in hoc caſu certiſſimum eſt, quod vtilitas illa prævalet quia fortior, cum bonum commune ſit diuinius & præponendum bono cuicumque priuato & particulari, & vita ſpiritualis proximi præferenda vitæ temporali. Circa quam regulam videnda ſunt & quāmaxime notanda, quæ dicit Nauar. in Commentario, in rubricam de iudi. agendo de inquiſitione, & determinando quando & qualiter ſit facienda, à num. 92. vſque ad 96. Quo loco ad hoc propoſitum varia adducit exempla, circa modum quo prævalere debent duæ leges contrariæ & incompatibiles ſimul concurrentes. Quod & facit lib. 5. conſil. de pœnit. & remiſſ. conſ. 6. num. 7. tractando celebertimam illam quæſtionem, an dānatis ad mortem ſit Euchariſtia miniſtranda, & adminiſtrari poſſit pridie eius diei, quo occidendi ſunt etiamſi non ſint ieiuni? Vbi ad hoc propoſitū dicuntur plura, eaque notatu digniſſima. Videatur etiam in Manu. cap. 7. num. 1. & in cap. Sacerdos, de pœnit. & 6. num. 25.

Decimanona Concluſio.

In iure certiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, quod qui ſuo vtitur iure, nemini facit iniuriam.

IN iure certiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, quod qui ſuo vtitur iure, nemini facit iniuriam. Habetur hęc regula, in cap. *cum Eccleſia Volaterrana, de elect. & 1. iniuriam. §. ff. de iniur.* Vbi etiam dicitur, quod poteſt quilibet iuri ſuo renunciare, & legibus ac iuribus in fauorem ſuum factis, vt habetur, in l. *quod fauorem. C. de leg. & in cap. quod ob gratiam, de regul. iuris*, lib. 6. *cum ſuis gloſſis.* Vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura eaq; notatu digniſſima. Sed

eſt

est intelligendum hoc vltimum, de iure fauorem alicuius priuatum concernente, non autem de iure concernente bonum publicum, & facto principaliter in fauorem boni publici; nam in tali casu non potest quis pro suo libito tali iuri renunciare iuxta l. *ius publicum*, & cap. *si diligenti, de foro compet.* Qua de re videndus est Nauar. in Commentario, in cap. *cum minister.* 23. quæst. 5. de finibus humanorum actuum, à num. 28. vsque in fin. vbi per supradicta componit quamplures iuris antinomias & controuersias, demonstrando quibus in casibus, licitum sit cuilibet iuri suo renunciare aut non renunciare.

Nota casum in quo nõ potest quis renuntiare iuri suo.

Vigesima Conclusio.

CErtissimum etiam est in iure, quod potest permanere lex aliqua & obligare quoad vnã partem, & esse sublatam & non obligare quoad aliã. Hæc Conclusio est etiam certa & manifesta, & omnium Iurisperitorum communis resolutio, quod & contingere potest multiplici ex capite, sed primo, in casu quo supradicta lex, quoad aliquam sui partem nõ sit recepta. Est enim (vt supra diximus) de ratione legum ad hoc vt obligent quod recipiãtur, vt habetur, in §. *leges.* d. 4. nam leges omnes confirmãtur, cum moribus vtentiũ approbãtur, id quod & habetur, in l. *de quibus. ff. de leg.* in illis verbis, *nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt.* Qua de re videndus est Nauar. lib. 1. consil. de constit. consil. 2. nu. 12. & 13. & in Manual. cap. 23. à num. 41. cum sequẽtibus, vbi hac de re, latissimè agit, sed maximè nu. 62. vbi multis demonstrat qualiter leges obligare possint quoad vnam partem, non verò quoad aliã. Quod etiam secundo fieri potest per non vsum, siue per contrariam consuetudinem, iuxta supra dictam l. *de quibus. ff. de leg. & d.* §. *leges, dist. 4. & Gloss. singul. in cap. 1. de treuga, & pace.*

Bene potest aliqua lex permanere quoad vnam partem & esse sublatam quoad aliam.

Vigesima prima Conclusio.

IN legum seu constitutionum humanarum interpretatione siue declaratione, aduertendum summopere est, quod omnis lex siue constitutio interpretans, secundum terminos legis interpretandæ est intelligenda & declaranda. Hæc Conclusio habetur expressa, in Glossa à Cardinali pro singulari recepta, in Clementina penultima. verbo *consuetudine, de elect.* Et habetur etiam *in Authent. hæc constitutio.* §. *vnde collat.* 3. Videatur etiam hac de re Felin. in cap. 1. *de iure iura.* num. 5. vbi ad hoc propositum dicit plura, eaque notatu dignissima. Facit & ad hoc, quia vt dictum est expedit iura concordari iuribus, per cap. *cum expediat, de electione*, lib. 6. cum eiadnotatis, & quia lex generaliter loquens (vt etiam dictum est) siue præcedat siue vero sequatur, limitari debet per aliam legem specialiter illam limitantem, per leg. 1. & toto titulo. ff. *de regul. iuris & cap. generi per speciem derogatur.* Quod & efficacissime probatur, per duas Glossas communiter solemniter receptas, quarum altera est, in l. *faciendã ff. qui satis dare cogant.* altera verò in Authent. *offeratur. C. de litis contestatione.* Qua de re videatur Nauar. lib. 5. Consil. consil. 1. de Apostasia, num. 10. & vt lite pendente, consil. 1. num. 2.

Omnis lex siue constitutio interpretans, secundum terminos legis interpretandæ, intelligenda & declaranda est.

Vigesima secunda Conclusio.

ADuertere etiam oportet in legum interpretatione siue declaratione, quod nõ per hoc quia lex aliquid non prohibet, proinde intelligendum est id esse concessum, sed in hoc magna consideratione vti oportet. Hæc Conclusio est Sylue. verbo *lex.* quæst. 21. vbi supradicta quæstione proposita, vtrùm ex eo quod lex aliquid non prohibet, intelligatur proinde id esse concessum, vt eidem respondeat aduertit, quod in cap. *inter corporalia, de transiat. Episcop.* habentur duo, ex quibus ad hoc colligi possunt argumenta contraria. Alterũ est quod intelliguntur prohibita omnia, quæ non sunt concessa, per illa verba quæ ibidem continentur nempe quod *nunquam intelligitur prohibitum, quod non est concessum*, aliud verò quod concessa intelliguntur omnia, quæ non sunt prohibita, prout ibidẽ habetur, & vtrũq; arg. ibi Glossa late prosequitur. Et tãdem dicit quod primũ habet locũ in iudicijs, & in contractibus stricti iuris, vt in arbitrijs & priuilegijs, secundũ verò in iudicijs & cõtractibus bonæ fidei, & alijs, in quibus quilibet admittitur, qui non prohibetur. Sed prædictus Sylvest. sequutus Hostien. vt hanc difficultatem absoluat, inquit, quod si constitutio promulgata est affirmatiua, omnia quæ continet & ex eis consequentia videntur concessa, nisi reperiantur prohibita, vt si verbi gratia, concessum est contrahere matrimonium cuilibet semper erit licitum illud contrahere, nisi reperiatur prohibitum, si verò constitutio promulgata sit negatiua, omnia ex ea consequentia intelliguntur prohibita, nisi reperiantur concessa, vt quando, verbi gratia, prohibetur ne quis alterum occidat, semper & vbique intelligitur id esse prohibitum, nisi aliquando reperiatur cõcessum, vt putà iudici Reipublicæ curã gerenti. Hæc dicta sufficiant, pro intelligentia aliquarum legũ & sacrorum Canonum, Apostolicarumque constitutionum, reliqua suis proprijs locis dicentur, prout tractandarum rerum exegerit materia. Hactenus de isto Articulo & de tota quæstione.

Non per hoc quod lex aliquid non prohibet, intelligitur proinde id esse concessum, sed maxima in hoc cõsideratione est.

QVAEST.

QVAESTIO XXVI.

De iure Canonico, & ipſius partibus, & ijs, quæ ad iuris Canonici & Conſtitutionum Apoſtolicarum, materiam & tractationem ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſit ius Canonicum, & quæ eius partes, in quas diuiditur?

RRO huius Articuli ac dicendorum omnium intelligentia, oportet in memoriã reducere, id quod ſupra quæſt. 24. art. 2. diximus, nempe hoc nomen *ius*, quod ſecundum Diuum Iſidorum, æquitatem atque iuſtitiam deſignat, ſeu potius id quod eſt æquum, & iuſtum, eſſe generale nomen quoddam & ſub ſe varias atque diuerſas continere ſpecies, vt habetur in cap. *ius generale*, diſt. 1. Diuiditur enim primo ſecundum aliquos, in ius naturale, ius gentium & ius ciuile, iuxta cap. *ius autẽ*, *diſt. ead.* Secundum verò alios dici poteſt & melius, quod diuiditur vt ſupra diximus in ius naturale & poſitiuum, tanquam in duo immediatè oppoſita membra, ac ſubinde ius poſitiuum, in ius gẽtium, & ius ciuile, propter rationes & cauſas ibidem aſſignatas. Sed quidquid de hoc ſit, dico quod ſupradictum ius poſitiuum, adhuc vlterius ſubdiuiditur in ius canonicum ſiue Eccleſiaſticum, & ius ciuile ſiue laicum (quod ex eo quod humanam & ciuilem conuerſationem & gubernationem hominum reſpicit, & eam habet pro principali fine) ex communi omniũ ſententia iuris ciuilis ſibi vindicauit nomẽ. De quibus omnibus in ſequentibus quæſtionibus ſuo ordine ſumus dicturi, ſed nunc de iure Canonico, poſtea verò de ciuili ſermo fiet. Quæritur ergo nunc, quidnam ſit ius Canonicum, & quæ ſint eius partes, in quas diuiditur? Cui quidem difficultati, vt pro meo more breuiter ac reſolutiuè reſpondeam, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Ius Canonicũ in communi ſumptum, dicuntur Conſtitutiones, ordinatæ, ad regimen, & gubernationem, Eccleſiaſticæ rei publicæ.

IVs Canonicum in communi ſumptum nihil eſt aliud, quã quædam communes Conſtitutiones, factæ & ordinatæ ad regimen & gubernationem Eccleſiaſticæ Reipublicæ. Hæc Concluſio ſatis colligitur ex Gratiano in decreto, in cap. *omnes.* diſt. 3. vbi poſt alia multa, quæ de iure ciuili dixerat, ad Canonicum deueniendo, aſſerit illud eſſe Conſtitutiones quaſdam factas atque ordinatas, ad regimen & gubernationem Eccleſiaſticæ Reipublicæ, quæ quidem Eccleſiaſticæ Conſtitutiones, inſigniuntur Canonum nomine. Vnde etiam fit quod Canones nihil ſunt aliud, quam prædictæ Eccleſiaſticæ Conſtitutiones & regulæ rectè viuendi, ad Chriſtianam Religionem conformiter. Pro cuius intelligentia prædictus Gratianus loco vbi ſupra, incipit inueſtigare quidnam ſit Canon, & tradit ipſius definitionem poſitam à D. Iſido. lib. 6. vbi inquit, *quod Canon Græce, idem omnino eſt, quod Latine regula.* Regulæ etiam definitionem conſtituens dicit ex eodem, *quod regula eo eſt dicta quod recte ducit, neque aliquem aliorſum trahat*, ſeu vt alij dixerunt, *ex eo quod regat, vel quod normam recte viuendi alijs præbeat, & quod diſtortum prauumque erat, corrigat.* Sunt igitur Canones, iuxta ſupradicta, Eccleſiaſticæ quædam regulæ ſiue Conſtitutiones, ad regẽdam atque gubernandam Eccleſiaſticam Rempub. cõſtitutæ atque ordinatæ. Vt enim in arte medicinæ ſunt (vt dicitur) quidam Canones, regulantes in medicando, quibus phyſici & medici ducuntur, ſicut etiam Scriptura ſacra dicitur Canonica, quia regulat & dirigit circa credenda & agenda, quæ ſcitu & cognitu neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſic & generaliter loquendo, omne quod habetur in corpore iuris Canonici, dicitur Canon ſiue regula, qua noſtræ actiones, & operationes dirigi atque regulari debent. Sed ſtricte & propriè loquendo, non niſi Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, factis in aliquo Concilio Vniuerſali ſeu Prouinciali, ſupra dictum Canonis competit nomen, & ſic ſumitur in cap. *Canonum, de conſtit.* quando dicitur vt *Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus.* Sed quantum attinet ad obligationem cuſtodiendi ipſos, idem dicendũ eſt etiam de alijs Decretalibus & Conſtitutionibus Summorum Pontificum, poſtquam factæ ſunt ab habentibus auctoritatem, faciendi & condendi Eccleſiaſticas leges, & maximè loquendo de illis quæ ſunt practicatæ, & receptæ ſiue incluſæ in corpore iuris, de quibus poſtmodũ dicemus. Ad propoſitum ergo noſtrum reuertentes, dico quod cõmuni & generali nomine loquendo, omnia quæ continentur in prædicto corpore iuris Canonici, nuncupantur Canones, prout aduertit Gloſſa in dicto cap. *omnes*, diſt. 3. quamuis & ibidem contineantur aliqua, quæ propriè & in rigore loquẽdo, non ſunt Canones, ſed tantummodo Decreta, ſiue Conſtitutiones Decretales, dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, quorum omnium definitiones ibidem traduntur à Gloſſa, in quæ omnia veluti in partes poſſumus dicere, quod diuiditur ſupradictũ ius Canonicum, ſed propriè ipſius principales partes, non ſunt niſi quatuor, de quibus ſecundam ſtatuo Concluſionem.

Quidnam ſit Canon, quid verò Regula, & vnde deriuatur vtrumque.

Secunda

Secunda Concluſio.

Ius canonicũ in quatuor præcipuas diuiditur partes nempe in Decretum Decretales, Sextum, & clemẽtinas.

SVpradictum ius Canonicum, iu quatuor precipuas diuiditur partes, contentas in quatuor ipſius libris, nempe in Decretum Decretales, Sextum & Clementinas. Hæc Concluſio omnibus eſt peruia & iuris Canonici peritis notiſſima. Decretũ eſt & dicitur volumen illud quod compilauit Gracianus, ſacræ Theologiæ Magiſter, Religioſus quõdam Ordinis ſancti Benedicti, prout refert Diuus Antoninus de Florent. 3. part. tit. 17. cap. 6. ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Compilauit autem illud, ex multis ſanctorum Patrum decretis quam obcauſam appellatus fuit Decretorum liber ex eo quod ex ſanctorum Patrum decretis fuit compilatus.

Quidnã ſit decretũ, & quid cõtineatur in ipſo.

Quidnam ſint Decretales, ſeu Decretalium liber.

Decretales verò dicuntur Conſtitutiones quædã, quæ à diuerſis Summis Pontificibus diuerſis temporibus emanarunt, ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſe, vſque ad Gregoriũ IX. qui & eas quinque libris ſub diuerſis titulis diſtributas, in vnum compilauit, vt conſtat ex ipſarum proæmio, quod incipit: *Rex pacificus*, qui proinde liber Decretalium, ſibi nomen retinuit ſiue vendicauit. Poſt quem ſequitur Sextus, ſic dictus pro eo quod fuerit editus, ſeu additus, poſt quinque libros Decretalium ſupradictos. Quem etiam Sextum compilauit Boniſacius VIII. vt conſtat ex eiuſdem proæmio, quod incipit: *Sacroſanctæ*. Poſtmodum ſubſequutæ ſunt Clementinæ, quæ etiam ſunt Decretales quædam, à proprio ſuo Auctore Clement. V. Clementinæ nuncupatæ, ſicque dicitur, *clementinarum liber*, ex eo quod Clementis V. Conſtitutiones contineat. Aliæ etiam ponuntur in iure Conſtitutiones Extrauagãtes, quædam propriæ & ſpeciales, Ioannis XXII. aliæ verò communes, quæ quantæ ſint auctoritatis & ponderis, dicetur inferius, cum de ſupradictis omnibus ſpecialicrem, magiſque expreſſam fecerimes mentionem. Sed nũc pro pleniori ſupradictorum omnium intelligẽtia, ſaltim ſummatim ſiue in Compendio dicamus oportet, quidnam ſupradictorum vnum quodque contineat? De quo ſequentem ſtatuo Cõcluſionẽ, quæ erit tertia in ordine.

Quidnam ſit ſextus liber Decretalium

Tertia Concluſio.

Decretũ Gratiani in 3. præcipuas diuiditur partes, Decretalium liber in quinq; libros, ſextus vero Decretalium in totidem quinque.

GRatiani Decretum, in tres præcipuas diuiditur partes, quarum prima ſubdiuiditur in centum, vel centum & vnam diſtinctiones, ſecundum eos qui vltimam etiam ſubdiuidũtur atque diſtinguunt. Secunda in 36. cauſas diſtinctas per quæſtiones adhuc diſtinctas per Capitula, excepta 3. quæſtione cauſæ 33. quæ diſtinguitur per 7. diſtinctiones. Tertia in tractatum de conſecratione, diſtinctum etiã per quinque diſtinctiones & diuerſa Capitula. Quorum omnium ampliorem rationem & tractationem qui videre voluerit, & variam atq; diuerſam Capitulorum allegationẽ, ſeu diuerſum citandi & allegandi modum, circa decreta ibidem contenta, conſulat Sylueſtrum, verbo *lex*, quæſt. 2. vbi hac de re agit latiſſimè, & hæc quantum ad Decretum attinet. Liber verò Decretalium (vt dictum eſt) in quinque diuiditur libros, ſubdiuiſos in rubricas ſiue titulos & tractatus, per diuerſa Capitula, diſtinctas & diſtinctos, quæ quidem capita quonammodo ſint citanda & allegãda, tradit prædictus Sylueſt. verbo vbi ſupra, aduertendo quod quamuis de more & conſuetudine, cuilibet Capitulo apponatur ſeu apponi ſoleat, hæc dictio & particula, *extra*, quæ idem pollet ac ſi diceretur extra Decretum, melius tamen omittitur, nam ſecundum Panormit. in proæmio dictarũ Decretalium, allegatio quanto breuior, tanto & melior, modo intelligatur. Sextus verò totidem quinque continet libros, digeſtos ſiue ſubdiuiſos in duodecim rubricas ſiue titulos, qui etiam in diuerſa capita ſubdiuiduntur, vt dictum eſt ſupra. Quorũ etiam allegatio fit ſimiliter excepto quod additur hæc particula, libro ſexto, ſeu in ſexto, ad inſinuandum quod eiuſmodi caput ſiue capitulũ, non in quinque primis libris Decretalium, ſed in Sexto lib. reperiatur. In cuius etiam fine apponuntur regulæ iuris, à ſupradicto Bonifacio VIII. compilatæ & abbreuiatæ, quibus continentur veluti in compendio, omnia quæ late atque diffuſe in toto prædicto libro ſexto dicuntur. Poſt ſupradicta omnia ſequuntur Clementinæ, ſic dictæ & nuncupatæ, vt dixi, à ſuo Auctore ſiue latore. Cleme. V. quas cum morte præuentus, in lucem edere non potuiſſet, fecit id ipſum ipſius ſucceſſor Ioa. XXII. vt conſtat ex earundem proæmio, quod incipit: *quoniam nulla*. Diuiduntur autem ſupra dictæ Clementinæ in quinque etiam libros, in vndecim rubricas ſiue titulos ſubdiuiſos, & ij etiam in diuerſa capita, quorum allegatio fit modo quo dictum eſt, de ſexto Decretalium libro: hoc ſolo excepto quod loco capitis, ſiue capituli Clementinæ nomẽ apponitur. Poſt quas vt dixi ſequuntur Extrauagantes Ioan. XXII. diuiſæ in quatuordecim rubricas ſiue tractatus etiam in diuerſa capita. Quæ & allegantur modo ſupradicto, excepto quod loco capitis, proponitur hæc dictio *extra*, quod etiam ſeruatur in alijs Extrauagantibus communibus, quæ ſunt diuerſæ Decretales, editæ à diuerſis Romanis Pontificibus poſt ſextum, quæ etiam diuiduntur in totidem quinque libros ſub diuerſis titulis, diuerſa capita vel capitula ſeu diuerſas Extrauagantes continentes. Ex dictis manet in compendio explicatum & declaratum, totum iuris Canonici corpus & quatuor principales ipſius partes diuiſæ & partitæ in ſupradictos quatuor libros, vt vel ſic ſaltim in communi de eo aliqualis habeatur notitia, & quid contineatur in eorum ſingulis. Quæ quidem cum à me tantummodo pro inſtruendis tyronibus ſin dicta, ea qui perlegerit, obſecro æqui bonique conſulat, neque otioſe, aut in vanũ, tradita fuiſſe credat.

Nota hoc valde, pro allegãdis Capitulis iuris Canonici.

ARTICVLVS II.

De differentia quæ verſatur, inter ius Canonicum & ius Ciuile, & an vtriuſque ſit vnus & idem finis.

Prima opinio

DIfficultas præſentis Articuli latiſſima eſt, & de qua magna lis eſt & controuerſia inter Doctores Iuriſperitos. Quidam enim ſequentes Gloſſã in cap. *cum contingat, de inre iurand. ver. debent.* dicunt, quod iuris

Capo;

Canonici & ciuilis, non est vnus & idem finis. Nã finis (inquiunt) iuris Ciuilis, est dirigere homines tantummodo in bonum publicum & honestum, nihil curando de salute & vtilitate animæ, at verò iuris Canonici finis est, eosdem dirigere in bonũ publicum honestum, curando simul de salute & vtilitate animæ, iuxta cap. 2. *de constit.* lib. 6. ibi, *vt animarum periculis caueatur.* Alij verò dicunt, quod vtriusque iuris scilicet, Canonici atque ciuilis, vnus est & idem omninò finis. Quam sententiam & opinionem, præ alijs defendere conatur Fortunius lib. 6. quem inscripsit de vltimo fine vtriusque iuris in principio. Sed ego omissis hac in re breuitatis gratia, variis argumentis, quæ facile possent adduci, difficultari propositæ respondeo per sequentes Conclusiones.

Secunda opi.

Prima Conclusio.

Si consideretur ius Ciuile tantum, quatenus ratione naturali ducitur, diuersum habet finem, à fine iuris Canonici.

Si consideretur ius Ciuile in quantum est tale, & quatenus constituitur per potestatem secularẽ; quæ etiam ratione naturali tantum ducitur, certũ est, quod diuersum habet finem, à fine iuris Canonici. Hæc Conclusio est certa & manifesta, nam vt sic consideratum ius Ciuile, non habet sed nec habere potest pro fine, beatitudinem & felicitatem æternam, ad quam nos Christiani & fideles omnes tendimus, quamque præuia Dei gratia, diuinoque adiutorio speramus adipisci. Quod & hac ratione atque irrefragabili argumento probatur. Nam nihil esse potest finis alicuius libere agentis, nisi fuerit prius ab eodem cognitum, cum nihil fit volitũ quin præcognitum, vt inquit Aristoteles in quam pluribus suæ doctrinæ locis, & D. etiam Augustin. sæpissime ait, quod voluntas non fertur, sed neque ferri potest in incognitũ, & certum est quod potestas secularis, quatenus secularis est & naturali ratione tantum ducitur, non cognoscit, sed neque cognoscere potest prædictum supernaturalem finem, cum ad id naturalis rationis lumẽ haud quaquam valeat pertingere. Qua etiã ratione Diuus Thom. 1. part. quæst. 1. & omnes communiter Doctores Theologi Scholastici, in prologo sententiarum concludunt fuisse simpliciter necessariam homini scientiam reuelatam & supernaturalem, vt saluaretur, & vt consequi posset vitam æternam, & suum supernaturalem finem. Hoc itaque est certissimum, atque constitutissimum.

Secunda Conclusio.

Finis iuris Ciuilis, quatenus tale est, ac naturali ratione tantum ducitur, est humana felicitas vitæ huius temporalis.

Finis prædicti iuris Ciuilis quatenus tale est, legumque omnium secularium humanarum quatenus tales sunt & feruntur à potestate seculari & laica, sola ratione naturali ducta, est humana tãtum felicitas vitæ huius temporalis, quæ consistit in vita virtuosa morali & naturali, quæ tunc solummodo dicetur talis, cum fuerit naturali rationi conformis. Hæc Conclusio est expressa Aristotelis, lib. 5. Ethicorum, cap. 10. & Diui Thomæ, 1. 2. quæst. 95. art. 2. & quæst. 90. art. 3. & satis colligitur atque probatur ex proœmio Decretalium, vbi agendo de humanis legibus habetur: *Quod lex prodiit, vt appetitus noxius sub iuris regula limiteur, per quã etiam humanum genus, vt honeste viuat, alterum non lædat, suum vnicuique tribuat, informatur.* Et cap. *fa-*

Nota Valde ad

ctæ, dist. 4. dicitur, *quod factæ sunt leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tuta fit inter probos innocẽtia, atque in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia, nocendique facultas.* Omnia ista notatu dignissima sunt.

quid condita fuerint humanæ leges, & quis sit earũ finis.

Tertia Conclusio.

Finis iuris Canonici est felicitas, non temporalis tantũ verum etiam æterna.

Ivris Canonici siue Pontificij finis, etiam quatenus humanum est, at diuina luce illustratum, supernaturaliq; fide persuasum, & per potestatem Ecclesiasticam supernaturalem conditum, est fœlicitas æterna, quam Christiani & fideles cuncti media fide quæ timus, & diuina operulante gratia cum Dei adiutorio, bonis operibus consequi & adipisci speramus. Hæc Conclusio, expresse colligitur ex supradicto cap. *cum contingat, de iure iuran.* verb. *debet*, & ex cap. 2. *de constit.* lib. 6. & etiam ex cap. 1. *de pactis*, & ex cap. *quamuis pactum*, eodem tit. lib. 6. & ex cap. *licet mulieres, de iure iurando eodem libro, & ex toto titulo de summa Trinit. & fide Catholica, posito in Decretalibus, & in sexto & Clementinis, & ex titulis de baptismo, de celebratione Missarum, de pœnit. & remiss.* & ex multis alijs causis, & quæstionibus. Quæ ad hoc propositum afferuntur à Gratiano, & *Extrauagan. Vitam sanctam, de maior. & obedient.* colligitur etiam ex multis Apostolorum Canonibus, & Oecumenicis Concilijs generalibus, & Prouincialibus, quæ in eum finem habita sunt diuersis temporibus. Et præterea, quia Ecclesia Christiana in eundem finem, fuit à Christo Domino instituta, à quo & Diuus Petrus potestatem accepit, summam, plenam, atque perfectam, & supernaturalem, ligandi & soluendi, aperiendi & obserandi cœlorum ianuas, vt habetur Matthæi, ca. 16. & refertur in cap. *quodcunque*, 24. quæst. 1. & *in Extrauagant. quia quorundam*, Ioannis 22. *de verborum significat.* Ex quibus omnibus superque satis constat, quod Ecclesia sancta Dei, supernaturali potestate legibus à se latis, homines dirigit in supernaturalem finem, supernaturaliter à se cognitum lumine fidei, & consequenter colligitur quod secundum hoc, diuersus est finis iuris Canonici atque Ciuilis, de quo nulli dubium.

Quarta Conclusio.

Finis iuris Ciuilis, quatenus est à Christianis Imperatoribus & Regibus constitutum, etiã potest dici quod sit felicitas æterna, & non solum temporalis.

Sed his nihilominus non obstantibus haud quaquam inconuenit dicere, quod finis iuris Ciuilis, quatenus est à Christianis Imperatoribus & Regibus constitutum, & à naturali etiam potestate compilatum, siue compactum sit, siue esse possit felicitas æterna, quam Christiani cuncti credimus, & medijs operibus consequi speramus. Hæc etiam Conclusio videtur clara & manifesta, nam licet potestas supradictorum in totum sit naturalis, & in quantum talis non possit ad supernaturalia se extendere, habuerunt tamen nihilominus multi ex supradictis infusam siue acquisitam fidei cognitionem, qua crediderunt & cognouerunt vitam, quam nos Christiani credimus, ac medijs operibus consequi speramus æternã, potuerunt q; suarum virtutum opera, in eandem actu aut saltim virtute referre, & consequenter ius suum ciuile, suasq; humanas leges, in supradictũ supernaturalẽ finem dirigere. Quod & credendum est eorũ multos fecisse, cõstatq; id satis ex *inscriptione Gothicis, in-*

cipientis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Digeſti incipientis, in nomine Domini. Sed clarius conſtat id ipſum ex l.1. & 2. & l. *inter claras*, cum alijs quæ ibidem ponuntur, & ex epiſtola Iuſtiniani, *de ſumma Trinit. & fide Catholica*, & ex l.1. & 2. *de vet. iure enucl.* & ex diuerſis titulis qui in iure habentur ciuili, *de Epiſcopis & Clericis, & de Epiſcopali audientia.* Alijſq; multis à me breuitatis cauſa omiſſis. Ex quibus omnibus ſupradictus Fortunius, perſuadere & probare contendit quod ius ciuile à Iuſtiniano compilatum ſiue compoſitum, ex mente & intentione ipſius explicita aut ſaltim implicita, ita eſt interpretandum, vt nulla ei fuerit voluntas contraueniendi ſacris Canonibus, legitime ab Eccleſia, & Concilijs Oecumenicis ante illum latis aut poſtea ferendis, quoad ea, quæ ad vitam æternam conſequendam attinent & ſunt neceſſaria. Quod etiam aduertit Nauar. in Comment. in ca. *cum miniſter. 23.* quæſ. 5. Quamuis autem hoc ita ſit, non tamen poteſt negari vllo modo, inter ius Canonicum & Ciuile expreſſam eſſe differentiam, vt quammaxime aduertit Gloſ. *ſuper Reg. iuris.* 2. qua dicitur *quod poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit.* Ex qua Reg. Gloſ. prædicta infert differẽtiam clariſſimam & patentiſſimam, inter ius Canonicum & Ciuile, nam cõtrariũ omninò procedit de iure ciuili. vbi & addit, *quod lex cum notiſsimi, C. de præſcrip.* 30. & 40. annorum, non habuit reſpectum ad animarum ſalutem, ſed dũtaxat ad commune bonũ; qua ratione etiam cum mala fide procedebat præſcriptio longiſſimi temporis, ſed ius Canonicum in ſupradicta Regula habuit reſpectum, non ſolum ad bonum cõmune, ſed etiam ad animarum ſalutem. Ex quo vltimo infert, quod ſubiectum ſcientiæ iuris Ciuilis, eſt homo rationabilis dirigibilis in bonum ſibi ſecundũ rationem proportionatum, & in bonum cõmune, at verò iuris Canonici ſubiectum, eſt homo dirigibilis, non ſolum in prædictum bonum commune, verum etiam in Deum ſupernaturalem finem, quę de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota patẽtiſſimam differentiã, inter ius Canonicũ & Ciuile.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnia quæ continentur in iure Canonico, obligent ad ſui obſeruantiam?

Prima Concluſio.

Qualiter Decretorũ liber ad ſui obſeruantiam obligẽt.

DEcretorũ liber, à Gratiano compoſitus & compilatus, quamuis communiter connumeretur inter volumina iuris Canonici, magnaque ex parte quammaximæ ſit auctoritatis, non tamen ad ſui obſeruantiam obligat, cum non fuerit conditus ab habente auctoritatẽ obligandi. Pro intelligentia ſimul & probatione huius Concluſionis notandum eſt, quod vt ſupra diximus, Decretorum liber cõpoſitus ſiue compilatus fuit, à quodã Magiſtro Gratiano Ord. S. Bened. qui ipſum ex diuerſis Sanctorum dictis & decretis compilauit, inter quæ multa alia de ſuo adiecit, quæ nullam maiorem habẽt auctoritatem quam ſuã, cum ſupradictus liber nõ fuerit approbatus per aliquem Summum Pontificem, quãuis non deſint qui dicant approbatũ fuiſſe poſtea à quodam Papa Eugenio, ſed de hoc non ſatis conſtat, quapropter nec dici poteſt authenticus, prout aduertit Abbas Panorm. *in Decretalium proœmio.* Aduertere etiam oportet, quod ea quæ in ſupradicto libro Decretorum continentur, in quadruplici ſunt differentia, nam primo continentur auctoritates quamplurimæ ſanctorum Patrũ, quæ ad diuerſa propoſita afferuntur ibidem. Et quantũ ad hoc ſupradictus liber, magnam habet auctoritatẽ, & ex diuturna Eccleſiæ traditione atq; approbatione, quadam tenus cenſetur Authẽticus, ſicq; eiuſmodi auctoritates & ſanctorum Patrum dicta ſiue decreta, allegantur cõmuniter ad multarum cauſarum deciſionem, prout aduertunt Abbas & Felinus, in cap. 1. col. fin. *de reſcript. ver. liber decreti.* Secundo continentur in prædicto Decretorũ libro multa dicta & placita eiuſdẽ Gratiani, quæ & ibidem diuerſis characteribus apponuntur, quando ipſe loquitur aliquid addẽs de ſuo, abſque aliqua alicuius Sancti auctoritate, vt illis viã paret. Quæ quidem dicta & placita (vt dixi) non maiorem auctoritatem habent, quam ſit auctoritas eiuſdem Gratiani, quę nullibi reperiantur approbata, proinde neque ſunt Authentica. Tertiò continentur ibidem auctoritates cuiuſdam Paleæ, qui fuit quidã diſcipulus ipſius Gratiani, qui propria ſua auctoritate nonnulla inſeruit capitula decretis ſupradictis, quod fit quotieſcũque in Rubrica alicuius Decretorũ capituli ſcriptũ reperitur hoc nomen *Palea.* Quę quidem etiã non ſunt Authentica nec vllã faciunt fidẽ, multo minus quam dicta ſui Magiſtri Gratiani, cum neutra fuerint edita & condita ab habente obligandi auctoritatem, nec poſtea per aliquem Summum Pontificem fuerint confirmata & approbata. Quartò & vltimo continentur in præfato Decretorum libro, auctoritates multorũ Iuriſconſultorum, necnon & Imperatorum ſecularium, & leges ciuiles multæ, quæ inſertæ ſunt in decretis, quæ etiam non per hoc cenſentur approbatæ, neque pro eo quod Gratianus illas inſeruit in d. Decretorum libro, talem habent auctoritatem, vt ſeruari præcipiantur tanquam de iure Canonico, quin verò dictę leges remanẽt ciuiles, prout antea erant, & perinde habentur ac ſi inibi non fuiſſent inſertæ, prout aduertit Abbas loco ſupracitato, nec ſeruantur vt Canones ſiue vt leges Canonicæ. Quæ quidem omnia quam maxime ſunt notanda & memoriæ commendanda.

Nota quod illa, quæ in Decretorũ libro, continentur ſunt in quadruplici differentia.

Secunda Concluſio.

CONſtitutiones & leges Canonicæ Pontificales Authenticæ & approbatæ, pro legibus Canonicis habentur, & vt tales indubie ab omnibus iubentur obſeruari, cum ſint conditæ ab habente auctoritatem, & poteſtatem faciendi & condendi Eccleſiaſticas leges, & ſunt quæ continentur in volumine Decretalium, & in Sexto & Clementinis, & in alijs Extrauagantibus ſiue Conſtitutionibus, quæ reperiũtur inſertæ in Corpore iuris Canonici, & in alijs etiã Conſtitutionibus aliorũ Summorum Pontificũ, qui poſtea ſucceſſerunt, quæ & communi vocabulo præ alijs Extrauagantes dicuntur

Quædam leges & Conſtitutiones Canonicæ, ad ſui obſeruantiam obligent.

euntur, pro eo quod extra ius commune vagãtur, quæ omnes ad ſui obſeruantiam obligant, cum fuerint factæ ab habente auctoritatem, & ſolemniter promulgatæ, ab omnibuſque receptæ, & auctoritate Apoſtolica cautum atque præceptum in eiſdem, vt ab omnibus obſeruentur, cum clauſulis ſolitis, & ſublata auctoritate & poteſtate, aliter diffiniendi & declarandi. Hæc ſunt in ſumma, quæ in corpore iuris Canonici ad ſui obſeruantiam obligant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in iure Canonico, ſint aliqua nõ ligantia nec tenenda, quantum ad textum & quantum ad Gloſſam?

PAnè quæſtionem mouet Sylueſt. verbo *lex*, quæſt. 13. & pro ipſius reſolutione, præmiſſo quod Eccleſia non poteſt errare, in determinando ea, quæ pertinent ad fidem & ad mores, vt latius ipſe tractat, verbo *Eccleſia*, 1. §. 2. & ſimiliter neque Papa vt Papa eſt, vt explicat etiam, verb. *Papa*. §. 5. ſequentes ſtatuit Concluſiones.

Prima Concluſio.

Loquendo de iure Canonico quantum attinet ad textũ, multa reperiũtur in decretorũ libro, quæ iam non ligãt neque ſunt tenenda pro eo quòd aut per ſubſequentes Summos Pontifices ſunt immutata, aut per contrariã conſuetudinẽ abrogata, & reuocata.

LOquendo de iure Canonico quantum attinet ad textum, multa reperiuntur in Decretorum libro, quæ iam non ligant nec ſunt tenẽda, pro eo quod ſunt abrogata, ſeu reuocata per contrariam conſuetudinem, aut per ſubſequentes Sũmos Pontifices immutata. Hæc Concluſio eſt expreſſa ſupradicti Sylueſt. loco ſupracitato. Et quantum ad reuocata ſeu abrogata per contrariam conſuetudinem, ponit exemplum, in cap. *ſtatuimus*. d. 4. cũ duobus ſequentibus, vbi præcipitur vt Clerici inchoent Quadrageſimale ieiunium, immediatè poſt Sexageſimam, hoc eſt à Dominica Quinquageſimæ, & tamen vt habetur in ead. diſt. §. vlt. contrarium facere non eſt peccatum, pro eo quod vt ibidem dicitur, id communi vſu non fuit approbatũ. Alia etiam ponit exempla, quæ intuenti facile licebit videre, à quibus omnibus cõſulto in præſentiarum breuitatis gratia abſtineo. Vbi etiam ſimul adducit plura capitula multorum Decretorũ, quæ edita fuerunt iure antiquo, & poſt modum per ſubſequẽtes Põtifices ſunt immutata, quale eſt vt electio Papæ fieret non ſolum à Cardinalibus, verum etiam ab alijs Religioſis & Clericis Romæ exiſtentibus, vt habetur in cap. *in nomine*, diſt. 23. quæ tamen hodie fit per ſolos Cardinales, vt in titulo *de electione, per totum, & in cap. vbi periculum*, eod. tit. li. 6. à quibus etiam breuitatis gratia abſtineo, neque enim omnia ſimul poſſunt dici in tam breui Compendio.

Secunda Concluſio

Multa inſeruit de ſuo Gratianus in Decretorum libro, in quibus communiter non tenentur.

MVlta etiam reperiuntur in ſupradicto Decretorum libro, quæ Gratianus ſupradictus inſeruit de ſuo, quæ modo communiter non tenentur. Hæc Concluſio eſt etiam ſupradicti Sylueſtri loco ſupracitato, vbi & numerat 14. caſus, in quibus modo doctrina ſupradicti Gratiani non ſuſtinetur, ſed nec ſuſtineri poteſt. Quæ pro eo quod longa atq; prolixa ſunt, nec mei muneris ſiue propoſiti, aut præſentis ſpeculationis de his agere, non libet in præſentiarum referre, patẽre cum poſſint facile intuenti vnde, ab ipſis conſulto breuitatis etiam gratia abſtineo. Videantur ibidem ſi placuerit.

Tertia Concluſio.

Loquendo de Decretorũ libro quantum ad Gloſſam, quamuis multæ Gloſſæ teneantur, & obſeruentur multæ tamen non ſunt tenẽdæ, nec ſequẽdæ.

QVantum attinet ad ſupradictorum Decretorũ Gloſſam, quamuis earum aliquæ bonæ ſint & neceſſariæ, & ſimiliter Gloſſæ ſummariæ, quæ ponuntur in diſtinctionũ ſiue quęſtionũ principio, in quibus cum multæ opiniones recitẽtur, vltima ſemper eſt melior. Multæ tamen ſunt Gloſſæ, in diuerſis decreti Capitulis, quæ nõ ſunt veræ nec tenendæ. Hæc Concluſio eſt etiam ſupradicti Sylue. loco ſupracitato, nu. 13. vbi & numerat ſex peculiariter loca, in quibus Decretorũ Gloſſæ nõ ſunt ſequendæ nec tenendæ, à quorum peculiari tractatione conſulto etiam abſtineo, quia nec ſunt mei propoſiti, nec præſentis ſpeculationis, videantur apud Sylueſt. ſupradictum. Qui poſt prædicta omnia, vſque ad ſequentem numerum 14. latiſſimè agit, de diuerſa Doctorum doctrina, conſtituendo hac de re triplicem differentiam, & dicendo quod ex doctrinis Doctorũ, quædam ſunt tamquam falſæ & hæreticæ reprobatæ, quædam verò apocryphę, ideſt occultæ & ſecretæ, & paruæ aut nullius auctoritatis, quædam autem cõmuniter per Eccleſiam approbatæ, de quibus omnibus adducit exempla, quæ facile ibidem videre licebit intuenti. Et hac de iſto Articulo, breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Quiſnam poſſit facere ſiue cõſtituere ius Canonicum, & leges Canonicas?

Prima Concluſio.

Ius Canonicũ & Canones, ſiue Conſtitutiones Canonicas, generales & vniuerſales, ſolummodo Summus Pontifex poteſt efficere.

CAnones ſiue Conſtitutiones Eccleſiaſticas, generales & omnes in vniuerſum obligantes, ſolus Papa & Sũmus Pontifex efficere poteſt. Hæc Concluſio eſt Sylueſt. ver. *lex*, n. 4. & generalis omnium Doctorum & Iuriſconſultorum, quæ & ſatis colligitur, ex c. *fi. de conſtit.* vbi hoc idẽ aduertit Gloſſa, traditque pro regula, nempe quod ſolius Papæ conſtitutio generalis eſt & omnes generaliter ligat, cũ ipſe ſolus ſit generalis omnium iudex. Quod & quãmaximè verũ habet, de Cõſtitutionibus ſpectantibus ad fidem, quas ſolus Sũmus Pontifex cõdere & efficere poteſt, vt tradit Gloſ. in Extrauag. *quia quorundam, de verborum ſignificat. verbo, quod falſum eſt.* Vbi inquit quod ad ſolum D. Petrum, & Pontifices eius ſucceſſores, ſpectat ſuper rebus fidei aliquam conſtitutionẽ ſiue declarationem efficere. Ad quod probandum inducit, cap. *quotiens ratio, & cap. hæc eſt fides*, 24. q. 1. Facit & cap. *quoniam vetus eadem cauſa. & quæſ. & cap. exijt.* §. *vlti. de verborum ſignificat. lib. 6. & Clement. 5. in capit. fidei, de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, ibi, *nos igitur, vt poſſe ad quos ſuperna diſpoſitione iuſſa ſunt re-*

Cõſtitutiones pertinẽtes ad fidem, ſolus Summus Põt. efficere poteſt

ferri maiora Eccleſiæ negotia, facit & cap. *rogemus*, 24. quæſt. 2. & cap. *nec licuit*, 17. diſt. & cap. *huic ſedi ibidē extra de appell.* & cap. *vt debitus honor, in fin.* & capit. *maiores*, *de baptiſmo*. Per hoc autem non tollitur, quin hoc ipſum poſſit etiam facere generale Concilium, auctoritate Apoſtolica legitime congregatum, prout conſtat ex cap. *regulæ* §. *porro*, vbi dicitur, quod Canonum, alij ſunt Pontificum decreta, alij verò vniuerſalium Conciliorum ſtatuta. Supradicta omnia dicta ſunt de canonibus & conſtitutionibus, ſiue legibus Canonicis generalibus & vniuerſalibus. Sed loquendo de ſpecialibus & particularibus, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Conſtitutiones ſpeciales & particulares in proprijs Diœceſibus, etiam Epiſcopi efficere poſſunt, cū Concilio Prouinciali, ſiue Synodali.

CONſtitutiones & Canones ſpeciales, prouinciales & particulares efficere poſſunt Legati in ſua Prouincia, ſimiliter & Metropolitani cum ſuo Concilio Prouinciali, de negotijs paruis, ſpectantibus ad onus ſuum, non autem de magnis & ſpectantibus ad fidē, ſimiliter & Epiſcopi in ſua propria cuiuſq; Diœceſi & Epiſcopatu, ſaltem in Cōcilio Synodali. Hæc Concluſio eſt etiam Sylueſtri loco ſupracitato. Et quantum ad Legatos probat eam, ex cap. *de loca. de offic. deleg.* & ex cap. *quod dicitur*. diſt. 26. Quantum verò ad Metropolitanos, ex cap. *multi*. diſt. 27. quoad Epiſcopos autem, ex cap. *ſi quis, de maiorit. & obedientia*, & ex Gloſ. in §. 2. diſ. 28. Quamuis propriè & in rigore loquendo, ſtatuta facta in Concilio Synodali, non propriè conſueuerint dici Canones, ſed ſolummodo Conſtitutiones Synodales. Poſtmodum agit D. Syluester, de Conſtitutionibus ſiue ſtatutis, quæ fiunt à Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, & quærit, An id poſſint facere ſine conſenſu & licentia Epiſcoporum? De quo etiam ipſe agit, verbo *excommunicatio*, 1. n. 5. latiſſimè. Sed difficultas hæc infra in peculiari quæſtione, quæ eſt de ſtatutis facienda, congruentiorem habebit locum. Hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm lex ſiue Conſtitutio Canonica obliget ſemper, ſeu obligare poſſit ad peccatum mortale, & in foro cōſcientiæ?

Error quam maximus circa Eccleſiæ poteſtatem.

CIrca hanc difficultatem, fuit in primis error olim Valdenſium, quem poſtea tutati ſunt Ioannes Vuiclef & Lutherus eorundem legitimi hæredes & ſucceſſores, aſſerentes, neque in Pontifice Maximo neque verò in tota Eccleſia, eſſe auctoritatem & poteſtatem ſtatuendi articulos fidei, aut condendi aliquas humanas leges, obligantes ad peccatum mortale, neque in foro conſcientiæ. Quorum etiam errori ſubſcribere viſus eſt Ioannes Gerſon, vir alias egregiæ notæ, & alias valde Catholicus lib. quem inſcripſit de vita ſpirituali, lectione quarta, qui audacter nimis aſſerere non eſt veritus, quod nulla poteſtas humana noua inſtituere poteſt præcepta, prēter ea quæ Deus præcepit. Quā eandē ſententiam, poſtea tutatus eſt Almain, lib de poteſt. Eccleſ. cap. 10. & 12. dicebant itaque iſti Auctores, quod in Eccleſia nulla erat poteſtas, ciuilis neque Eccleſiaſtica, quin verò nec naturalis, quæ vim haberet obligandi homines ad culpam & in conſcientia, niſi ſolum interpretando & declarando alioquin, ſiue alia ex parte, ad id eos eſſe obligatos, per legem naturalem ſiue diuinam poſitiuam. Ita quod quando lex Eccleſiaſtica, præcipit eſſe ieiunandum, aut legem ſtatuit de ieiunio, non de nouo eiuſmodi legem inſtituit, ſed tantum declarat, diuina lege alias eſſe præceptum ieiunium. Eoque dementiæ deuenerunt, vt dicere auderent, quod ſi conſtaret aliquid eſſe præceptum tantum ab Eccleſia, & non alias naturali aut diuina lege conſtitutum, nullatenus obligaret in conſcientia. Dicebant enim quod humanæ leges per ſe, & in quantum ſunt humanæ, ideſt conditæ poteſtate humana, hominibus conceſſa, non obligant ſed neque obligare poſſunt quempiam ad peccatum, neque in conſcientia, niſi ſolum quatenus alias, diuino aut naturali iure ſunt roboratæ & ſtabilitæ. Huius opinionis ſeu potius erroris, mentionem facit Soto libr. primo de iuſtitia & iure, quæſt. 6. articulo 4. concluſ. 4. & Medina in ſecundam ſecundæ Diui Thomæ, quæſt. 96. articulo 4. quæſtiunc. 1. vbi ponuntur ſupradictorum rationes & fundamenta, quibus etiam reſpondet: à quibus quidem ego breuitatis gratia abſtineo, quia id in præſentiarum dicere, neque eſt mei propoſiti aut præſentis ſpeculationis, neque breuitas cui tantopere ſtudemus, id vllo modo permittit. Vnde his omnibus prætermiſſis vt congruentiori loco & tempore diſputentur in ſcholis, propoſitæ difficultati, per ſequentem reſpondeo Concluſionem.

Concluſio.

Firma tenendum eſt fide, in Eccleſia ſacra eſſe poteſtatem condendi Eccleſiaſticas leges, quæ ad peccatum obligent & in conſcientia.

FIrma tenendum eſt fide, in Eccleſia eſſe facultatem condendi Eccleſiaſticas leges, obligareque ipſas ex genere ſuo, ſub reatu peccati mortalis, & in foro conſcientiæ. Hæc Concluſio eſt expreſſa Magiſt. Soto, loco ſupracitato & Medinæ, qui & aſſerunt Gerſonis & Almaini ſententiā eſſe falſiſſimam, nihilque differre aut parum certe diſtare à Lutherana hæreſi, & ab eo quod primitus dixerunt Ioannes Vuiclef, & Valdenſes, quorum quidem hæreſis iamdiu condemnata fuit in Concilio Viennenſi, & habetur in Clement. *ad noſtram, de hæreticis*, in Concil. Conſtantien. Seſſio. 13. art. 15. ac tandem in Lateranen. celebrato, ſub Leone X. Sed ſupradicta noſtra Concluſio probatur, comprobarique poteſt apertiſſimis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, ſed maximè ex illo quod habetur Lucæ 10. vbi legitur Apoſtolis dictum fuiſſe à Chriſto Domino: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, & Matthæi 18. poſtquam etiam dictum fuit: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Eccleſiæ*, ſubditur: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*. Quo loco apertiſſimè & manifeſtiſſimè Eccleſiæ iuriſdictio deſignatur. Sed expreſſius in illis verbis, quæ dicta fuerunt Diuo Petro ibidem: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatū & in*

in cœlo. D. etiam Chryſoſtomus explicans illa Chriſti Domini verba, Ioannis 20. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt,* inquit, nihil euidentius quam illic collatam fuiſſe à Chriſto Apoſtolis, ac ſubinde Eccleſiæ poteſtatem, quam ipſe attulerat à Patre. Eo præcipuè, quia retinere peccata functio eſt habentis poteſtatem obligandi. Sed probatur præterea noſtra Cõcluſio, ex eo quod legitur Deutero. 17. vbi lex à Deo Optimo Maximo conſtituta fuit, *vt qui non obediret Sacerdoti, morte moreretur*, qua mortis pœna in lege illa antiqua aut etiam in noua, nemo niſi propter peccatum mortale plectebatur, aut plecti poteſt, ex quo fit conſequens & à fortiori ratione, in lege noua & Chriſti Domini Eccleſia, eſſe facultatem & poteſtatem (ſed maximè in Romano Pontifice) ſtatuendi & condendi leges, obligantes ad peccatum mortale, & in foro conſcientiæ. Quæ etiam omnia confirmantur per illa Diui Petri verba, quæ habentur Actuum 15. vbi dixit: *Viri Fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus in nobis, per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere.* Et infra: *viſum eſt igitur Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quã hæc neceſſaria, &c.* Et tandem vltimo confirmantur ſupradicta hac ratione. Etenim niſi Chriſtus Dominus poteſtatem prædictam Eccleſiæ ſanctæ ſuæ reliquiſſet, condendi & ſtatuendi Eccleſiaſticas leges, quæ obligare poſſent fideles ad peccatum mortale, omni proculdubio & in foro conſcientiæ, non ſatis illi prouidiſſet aut conſuluiſſet, neque eius ſtatus eſſet fixus & firmus, pro temporum, locorum ac perſonarum differentia; ſine tali enim poteſtate haud quaquam poſſent fideles in officio contineri. Quãdo verò eiuſmodi leges Canonicæ obligent ſub mortali, quando verò non, ſed tantummodo ſub veniali, & vnde hoc dignoſci poſſit, iam ſupra dictum fuit in Articulo 15. præcedentis Quæſtionis. Videaturque hac de re Sylueſter, verbo *lex*, quæſt. 8. & 9. latiſſimè.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ad hoc vt lex ſiue Conſtitutio Canonica, vim & robur habeat obligandi, ſit expectandus populi conſenſus?

HAC de re omiſſis opinionibus, ac varijs dicendi modis Doctorum Iuriſperitorum, circa publicationem legum ciuilium & Canonicarum Conſtitutionum, earumque receptionem, & an ſit expectandus populi conſenſus, ad hoc vt vim & robur habeant obligandi, quod melius & verius atque tenendum videbitur, breuiter & reſolutiuè explicabitur per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Ad hoc vt leges Canonicæ, vim & robur habeant obligandi, non eſt expectandus populi conſenſus.

AD hoc, vt lex ſiue conſtitutio Canonica, vim & robur habeat obligandi, nullatenus expectandus eſt populi conſenſus, quin verò poteſt Papa ſuis legibus, modo ſint iuſtæ & rationabiles, ſtatim cunctos fideles ſub mortali peccato ad ſui obſeruantiam obligare. Hæc Concluſio certiſſima eſt, adeò vt fere nulla indigeat probatione. Sed probatur ex innumeris Capitulis, quæ habentur 25. quæſt. 1, & 2. per totam, vbi ad hoc propoſitum dicuntur multa eaque notatu digniſſima. Sed probatur præterea ratione; nam quamuis ſupra quæſtione præcedenti, articulo 21. dictum fuerit, multiſque monſtratũ atq; probatum, quod leges omnes humanæ, tam ciuiles quam Canonicæ, ad hoc vt obligent debent recipi, quodque non obligant, ſi exiſtente aliqua iuſta & legitima cauſa, non fuerint receptæ: ibi etiam dictum eſt, quod eaſdem abſque iuſta & legitima cauſa non recipientes, peccant mortaliter. Ita quod non poſitum eſt in arbitrio ſiue libera ciuium voluntate, ipſas recipere aut repellere, quin verò cogi & compelli poſſunt ad ſeruandum ipſas, modo ſint iuſtæ & rationabiles, vt dictum eſt. Neque ad hoc vt vim legum habeant, expectandus vllo modo eſt populi conſenſus, vt tenet communior Iuriſconſultorum opinio, & tradit latiſsimè Burgos de Paz, *in proœmio legum Tauri.* num. 299. Quod ſi hoc de legibus humanis ciuilibus verum eſt dicere, quod (inquam) neceſſariò ſunt recipiendæ, niſi adſit aliqua iuſta & rationabilis cauſa, neque ad hoc vt obligent, aut vim, & robur habeant obligandi, expectandus eſt populi conſenſus, quanto ergo melius atque fortioti & præſtantiori ratione, id ipſum dicendum erit de legibus & conſtitutionibus Apoſtolicis & Eccleſiaſticis, factis à Summis Pontificibus, qui immediatè à Chriſto Domino, & non à populo Chriſtiano, receperunt ad gubernandam Eccleſiam, condendasque Eccleſiaſticas leges, ſuam auctoritatem, poteſtatem & iuriſdictionem? Supra dicta omnia confirmantur, nam ex cõtraria poſitione, multa & grauia ſequerentur inconuenientia & abſurda. Sequeretur enim, quod poteſtas condendi leges, non tam eſſet ſeu reſideret penes Romanum Pontificem, quam penes populum ſibi ſubiectum, poſtquam vis & robur quod habet obligandi, dependeret ex eiuſdem populi conſenſu, quod dicere eſt abſurdum. Idem dico ſuo modo de legibus ciuilibus, factis à ſecularibus Principibus, quod indirectè poteſtas condendi leges, remaneret penes populum, cum tamen contrarium ſit certum, nam non competit niſi ſolis Principibus, ex quo tempore populus in eos ſuum imperium, & poteſtatem contulit, vt colligitur ex iure, ex §. *ſed & quod Principi placuit, Inſtitut. de iure natu. & gen.* Et hæc circa hunc articulum breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm liceat ſupplicare Papæ & Summo Pontifici, vt ſuas leges ſiue conſtitutiones moderetur aut reuocet, & An per huiuſmodi ſupplicationem, ſuſpendatur interim ipſarum effectus?

Licitũ eſt ſupplicare Papæ vt ſuas leges aliqua exiſtẽte iuſta & rationibili cauſa, reuocet aut moderet.

HAC in re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico quod certiſſimum eſt, licitum eſſe ſupplicare Papæ, vt ſuas leges aliqua exiſtente iuſta & rationabili cauſa, moderetur aut reuocet, prout inſinuatur in iure, in cap. *ex litteris, de in integrum reſtit.* cap. *paſtoralis, de appella.* & *in Authentic. quæ ſupplicatio, C. de precibus Imperato. offerendis.* Facit & cap. *ſi quando, de reſcript.* vbi id ipſum magis expreſſe habetur, ac dicitur quod ſi quis ex aliquibus Papalibus litteris læſum ſiue grauatum ſe ſenſerit, intelligat que ipſas ex falſa & ſiniſtra relatione proceſsiſſe, ſupplicare poteſt ſuæ Sanctitati, vti decet humiliter vt prædictas litteras moderari aut reuocare dignetur, ſupplicando de ipſarum executione ad eũdem Papam, bene ſeu melius informatum. Quæ quidem ſupplicatio hunc habebit effectum, vt ipſe bene informatus, in melius ſententiã cõmutet. Eſtque cõmunis Doctorũ reſolutio, quod ſupplicatus Sãctiſſimus dominus Papa de prętati reſcripti reuocatione aut moderatione, ſi petitio fuerit iuſta, neque id faciat, peccabit illã non admittendo. Hæc quidem ſunt certa & comperta apud omnes. Quod autem in præſentiarum in dubium vertitur, maioremque habet difficultatem, eſt ſcire atque inueſtigare, An eiuſmodi ſupplicatio habeat effectum ſuſpenſiuum, ita quod non parendo nec obediẽdo quis prædictis litteris Apoſtolicis, præmiſſa ſupplicatione non peccet, nec remaneat excommunicatus, etiamſi in Reſcripto eiuſmodi apponatur cenſura? Cui difficultati, reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si reſcriptũ eſt priuatum & particulare, interpoſita ſupplicatione, eius executio ſuſpenditur.

SI Reſcriptum Summi Pontificis fuerit priuatũ & particulare, emanatum ſuper aliqua re particulari, interpoſita ſupplicatione prædicta, eius executio ſuſpendi poteſt, obediendo tamen reuerenter vti decet Apoſtolicis litteris, & allegando cum debita reuerentia & humilitate, cauſas & rationes, ob quas eiuſmodi litteræ, non poſſunt aut debent executioni mandari. Hæc Concluſio habetur expreſſa in prædicto cap. *ſi quando, de reſcriptis*, cuius ſunt ſequentia verba Alexandri Tertij Raben. Archiepiſcopo: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes.* Et infra: *Qualitatem negotij pro quo tibi ſcribitur diligenter conſideras, aut mandatum noſtrum reuerenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſsis rationabilem cauſam prætendas: quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris, quod fraud nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Ex quibus verbis vltimis, *quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris*, &c. infert Gloſſa argumentum ibidem quod ponit pro Regula, nempe quod non tenemur adimplere mandatum Prælati & Superioris, ſi cauſa redditur. Ad quod probandum, inducit capit. *quoniam quidam*, diſtin. 75. & cap. *cum teneamur, de præbend.* Et addit ſupradicta Gloſſa, quod nõ immerito ſupradictus Pontifex, appoſuit illa verba, *quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris*: cum etiam Imperator vbi per conſultationem reſcribit, non velit ſuam reſponſionem eſſe ſequendam, ſi quis non recte reſponſum fuiſſe putauerit, vt habetur in leg. *nemo, C. de ſent. & interlo. omnium iudicum.* Ex quibus colligitur, quod in eiuſmodi reſcriptis, allegando prædictas cauſas & rationes, ob quas non poſſunt aut debent litteræ adimpleri, non ſunt executioni mandandæ, ſed expectanda eſt ſecunda iuſſio ipſius Papæ, prout habetur *in textu, iuncta gloſ. in Authen. de mandatis Princip. §. ſi quis autem collat. 3.* quam Gloſſam Felinus, Bald. & Innocent. ſequuntur & approbant, ac reputant ſingularem in dicto cap. *ſi quando, de reſcrip.* Quin verò & alia Gloſ. in l. *puniri. ff. ſi contra ius, vel vtilitatem publicam*, inquit, quod Prælati non debent temere ſupplicare de eiuſmodi reſcriptis, & ipſa non executioni mandare, ſed veritatem ſequi. Nam (inquit) ſic faciendo, cũ conuenit atque expedit, magis placebunt Deo & Papæ. Non enim facere dicitur cõtra Regis, aut Papæ mandatum, qui pro maiori vtilitate & honore eorundem, non facit quod in aliquo ipſorum reſcripto imponitur ſibi faciendum, vt etiam pulchre notat Bald. in leg. fin. C. *de negot. geſtis*, & Alexand. conſ. 106. Et omnium eſt omnium Theologorum, quin verò & Iuriſconſultorum ſententia, quod cuiuſlibet præcepti Superioris executio, poteſt prorogari & differri, quotieſcunque maius dãnum timetur ex executione quam ex dilatione, quod fit vſque dum apparet de vera præcepti iuſtitia. Quod & verum eſt, etiamſi in eiuſmodi reſcripto ſeu Apoſtolicis litteris, contineatur mandatum cum pœna excommunicationis latæ ſententiæ, prout expreſſe tenet Anchar. conſ. 253. nã hæc etiam in tali caſu non ligat, quin verò eiuſdõ etiam executio ſuſpenditur.

Nota valde, quando liceat non ſtatim parere aut obedire Superioris mandato, & ſupplicare de ipſius executione.

Secunda Concluſio.

Quando reſcriptum Summi Pontificis eſt generale, non ſuſpẽditur executio per ſupplicationẽ

SI verò reſcriptum Summi Pontificis, & litteræ Apoſtolicæ non ſint priuatæ & particulares, emanatæ à Sede Apoſtolica ſuper aliquo particulari negotio, ſed leges & Conſtitutiones communes atque vniuerſales, factæ ad conſeruationem Eccleſiaſticæ Reipublicæ, & Regularis diſciplinæ in communi, licet etiam de ipſis poſſit fieri ſupplicatio, vt reuocentur ſiue moderentur, non tamen poſſunt inferiores Papa, quibus tales litteræ diriguntur, earundem executionem ſuſpẽdere, etiam interpoſita ſupplicatione, expectando eiuſdem ſecundam iuſſionem. Hæc Concluſio probatur, nam à lege ſiue ordinatione edita ab eo qui auctoritatem & poteſtatem habet condendi leges, ſicut nõ poteſt appellari, vt habetur in iure, in l. *ſi res. ff. appe.* & *c. quia nos eod. tit.* vbi hoc ipsũ aſſerũt omnes

vna-

vnanimiter Doctores, ita neque ſupplicatione interpoſita, earum legum executio poteſt ſuſpendi: nam ſuſpenſio executionis in hoc caſu, eſt veluti effectus ipſius appellationis. Et grauamen legis vniuerſalis non eſt, aut verò exiſtimari poteſt grauamen, vt notat Baldus in cap. *ad noſtram, de appell.* quia omnes legibus obedire tenẽtur, prout habetur *in Authen. §. eripiat, vt omnes obediant iudici, collat.* 7. & debeant leges ab omnibus cuſtodiri, iuxta l. *legem, C. de legibus.*

Difficultas. Quænã ſit cauſa, ob quam in Reſcriptis particularib⁹ interpoſita ſupplicatione ſuſpenditur executio, non verò in generalibus.

Sed difficultas inſurgit in propoſito, quænam ſit ratio & cauſa, ob quam in reſcriptis particularibus, interpoſita ſupplicatione ſuſpendatur eorum executio, non autem in Reſcriptis continentibus leges & Conſtitutiones vniuerſales? Cui difficultati vt reſpondeam præmitto breuiter, hoc eſſe diſcrimen inter reſcripta particularia, & leges cõmunes atque vniuerſales, quod (vt nomen ipſum ſonat) reſcripta particularia non reſpiciunt ius generale, ſed particulare cuiuſpiam aut quorundã, ſpecialiaque negotia pertinentia & ſpectantia ad particulares perſonas, at verò leges & Conſtitutiones vniuerſales, reſpiciunt ius generale bonũque commune, vt dictũ eſt ſupra. Licet enim præcipiant aut prohibeant, operationes quæ fiunt in particulari, ipſæ tamen referuntur ad bonum cõmune, poſſuntque dici communes, non cõmunitate generis ſeu ſpeciei, ſed communitate vnius cauſæ finalis, in quantum finis dictarum legum eſt bonum commune. Hoc præmiſſo, propoſitæ difficultati perfacilis eſt ſolutio, & dico quod ex eo interpoſita ſupplicatione, ſuſpendi permittitur executio alicuius reſcripti particularis, quia præceptum contentũ in tali reſcripto, ſpectat ad ius particulare ipſius impetrantis, ex parte cuius in his quæ fuerũt Papæ propoſita, eſſe potuit error, propter malam atque ſiniſtram informationem, voluitque propterea non incongrue Summus Pontifex, vt interpoſita ſupplicatione, ſuſpendatur eius executio, & vt non ſtatim executioni mandetur, ſed ſpectetur ſecunda iuſſio, poſt aliam relationem ſiue informationem meliorem ſibi traditam. At cum lex ſiue Conſtitutio, reſpiciat bonum commune, & ſi vti par eſt lata, & facta ſit iuxta dictamen rationis, rectiſſime voluit Summus Pontifex, vt etiamſi aliqui propter aliquam cauſam, ex ea grauatos ſe ſentiant & intelligant, humiliter nihilominus obediant, & nec etiam interpoſita ſupplicatione ipſius executio ſuſpendatur & differatur. Non enim debet Summus Pontifex neque alius legiſlator, qualibet ex cauſa ſuam legem poſitiuam mutare, & ſe accommodare diuerſitati & varietati ſingulorum hominum & temporum, ſed ipſam firmiter obſeruari facere, quamuis aliàs alicui ſeu aliquibus videatur diſconueniens. Ex dictis colligitur, quod quando Summus Pontifex per aliquod ſuum reſcriptum, legẽ aliquam edit vniuerſalem, ad commune bonum pertinentem, quamuis aliqui per ipſam ſe ſentiant grauatos, poſſintque proinde eundem ſupplicare, vt dignetur ſua Sanctitas, illam reuocare aut moderari, nõ tamen poſſunt (etiam interpoſita ſupplicatione) ipſius executionem ſuſpendere & ſecundã iuſſionem expectare, quin verò ijdem (maxime ex contemptu) nõ ſtatim obtemperantes & obedientes, ſed contrariantes, mortaliter peccabunt, pœnaſque in eadẽ appoſitas incurrent, cum ſit facta *in* bonum commune, & non ſit reſcriptum priuatum, ſiue particulare. Quod quammaximè eſt notandum atque memoriæ commendandum. Nam vidi ego nonnullos (alioquin doctos) qui præfatam differentiam, & reſcriptorum diuerſitatem non intelligentes, callentes aut penetrantes, in ea fuerunt ſententia & opinione, vt dicerent & affirmarẽt, cuiuſlibet reſcripti Apoſtolici, etiam reſpicientis bonum commune, vimque legis habentis, executionem poſſe ſuſpendi, per interpoſitam ſupplicationem, donec aduenirẽt ſecunda iuſſio Põtificis, in hoc toto cœlo aberrantes, qui non eſt verum, ſed contrarium omninò.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm ſuſpenſio litterarũ Apoſtolicarũ, fieri poſſit abſq; iuſta & rationabili cauſa, per interpoſitã ſupplicationẽ?

Concluſio.

Nota valde.

CErtiſſimum eſt, quod ſuſpenſio executionis cuiuſcunque Reſcripti Apoſtolici, etiam priuati & particularis, fieri non poteſt ſine iuſta & rationabili cauſa, propter ſolam interpoſitã ſupplicationem. Hæc Concluſio ſatis conſtat ex dictis in præcedenti Articulo. Solum oportet conſtituere & aſſignare, quænam cenſenda ſit iuſta & rationabilis cauſa, ſuſpenſionis ſiue detentionis ſupradictæ? Et dico quod Doctores id relinquunt viri boni & prudentis arbitrio, ſicuti & reliqua quæ in iure non habent certam, expreſſam atque determinatam cauſam, quæ determinanda ſunt (vt dicitur) ex bono & æquo & ad arbitrium boni viri, vt habetur in l. 1. ff. *de iure deliber.* & in cap. *de canſis. de officio iudicis delegati.* Vt tamen aliquid determinatũ in præſentiarũ habeatur, dico quod generalis, iuſta & rationabilis, ad id eſſe videtur cauſa, quotieſcumque ex eiuſmodi reſcripto, læditur ius alicuius tertij & perſonæ particularis, maximè in dignitate conſtitutæ. qualis eſt Epiſcopus, aut quandocumque vergit in damnum & præiudicium alicuius Congregationis. Non enim præſumitur, ſeu præſumi poteſt aut debet, velle Summum Pontificem alicui præiudicare, per quodcunque Reſcriptum, & tollere ſine cauſa ius quæſitũ alicuius tertij, vt tradũt vnanimiter omnes Iuriſperiti Doctores, & Soto lib. 3. de iuſtitia & iure, quæſt. 6. artic. 3. Vnde quotieſcumque in aliquo Apoſtolico Reſcripto reperiuntur verba, per quæ ius tertij videatur auferri, cenſeri debent ſuperflua, aut extorta per circumuentionem, ſeu per importunitatem, etiamſi ibidem dicatur, facta fuiſſe ex Motu proprio, ſiue ex certa ſcientia, vt tradunt communiter omnes Doctores Iuriſperiti. Idque multo melius, quando eiuſmodi Reſcriptum, ſub quibuſcumque verbis & clauſulis exhibitum, cedit in damnum & præiudicium alicuius Congregationis. Quod oportet aduertere ſummopere, pro multis caſibus qui occurrere poſſunt

Suſpenſio Reſcripti Apoſtolici, etiam priuati & particularis, fieri non poteſt abſque iuſta & rationabili cauſa, etiam interpoſita ſupplicatione

Quænam ſit cenſenda, iuſta & rationabilis cauſa, ſuſpenſionis alicuius Reſcripti Apoſtolici?

quotidie. Quapropter ſi dari contigerit aliquod reſcriptum à Papa & Summo Pontifice, & ſit exemplum, verbigratia, quo præciperetur vt aliquis Prælatus reeligeretur, ſeu continuaretur in officio, idque aliqua ex cauſa videretur bono communi non expedire, eiuſmodi reſcriptum & merito, iudicari deberet ſubreptitium, ſiue impetratũ per ſubreptionem, importunitatem aut circumuẽtionem, & contra voluntatẽ concedentis, ac proin de non neceſſariò eſſet executioni mandandum, ſed ſupplicandum de illo, ſuſpendendamque ipſius executionem, interpoſita prædicta ſupplicatione. Non enim præſumendum eſt, velle Summũ Pontificẽ, præiudicare bono totius communitatis, & electorum iuri quæſito, eorum, inquam, qui in dicta electione vocem habent actiuam & paſſiuam. Eo præſertim, quia ſecundum iuris regulam, *quod ad omnes attinet, ab omnibus approbari habet*, vt habetur in cap. *quod omnes, de regul. iuris*, lib. 6. Quod & faciẽdum eſt, etiamſi in eiuſmodi reſcripto, apponatur clauſula vt id fiat ſub pœna excommunicationis, non obſtantibus quibuſcunque ordinationibus, &c. nam vt inquiunt Doctores, per nulla verba cuiuſcunque plenitudinis verborum, in reſcriptis apoſita, tollitur ius quæſitum tertij, & multominus cuiuſcunque communitatis, niſi aliud expreſſe appareat. Sicque de eiuſmodi reſcripto & ipſius executione, cum debita reuerentia eſt ſupplicandum, ipſumque ſuſpendendum, & nullatenus executioni mandandum, donec facta ſupplicatione & informatione de præiudicio ſupradicto, adueniat Summi Pontificis ſecunda iuſſio. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS X.

Vtrùm declaratio ſacrorum Canonum, ad ſolum pertineat Romanum Pontificem?

Prima Concluſio.

Interpretatio & declaratio iudicalis diuinæ legis, & ſacrorum Canonum, de iure ad ſolum ſpectat Rom. Pontificem. Cuius eſt legem condere, ipſius eſt ipſam etiam interpretari.

INterpretatio & declaratio iudicialis diuinæ legis & ſacrorum Canonum, de iure ad ſolum ſpectat Romanum Pontificem. Hæc Concluſio eſt Sylueſtri verbo, *interpretatio*, quæſt. 1. vbi & dicit, hoc idẽ eſſe intelligendum de legibus ciuilibus, in quantũ concernunt Clericos, per cap. 1. *de iura. calum.* licet in quantum concernunt Laicos, id pertineat ad Imperatorem, *per l. fin. C. de legib. quia eius eſt legem interpretari, cuius eſt condere, de regul. iuris*, lib. 6. Sed probatur præterea ſupradicta Concluſio ex multis iuribus, & primo ex Gratiano in *decreto. §. ex his omnibus*, 11. q. 1. vbi inquit, *quod ille ſolus ius habet interpretandi Canones, qui & habet poteſtatem condendi illos.* Quæ quidem verba expendens gloſſa ibidem, adducit *cap. inter alia, de ſentent. excommunicat.* vbi habetur, *quod vnde ius prodijt, eius quoque interpretatio debet procedere.* Facit & cap. 1. *de tranſlat. Prælato. & cap. cuncta per mundum. 9. q. 3. & §. qui autem. 17. q. 4. & in l. vltima, C. de legibus.* Et de hac iudiciali declaratione generali & iuridica intelligenda ſunt verba, quæ apponunt Pontifices in ſuis conſtitutionibus Pontificalibus, quando dicunt quod nemini liceat ipſas aliter interpretari, vel quod ſit ſublata poteſtas aliter diffiniendi, interpretandi & determinãdi, &c. nam prædicta interpretatio & declaratio, facit ius quoad omnes per *cap. fin. de conſtitutionib.*

Sed loquendo de alijs declarationibus, & interpretationibus particularibus non iudicialibus, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Interpretatio particularis, & doctrinalis ſacrorum Canonum, bene fieri poteſt à Doctoribus, Prælatis atq; iudicibus inferioribus.

INterpretatio particularis & doctrinalis ſacrorum Canonum, bene fieri poteſt à Doctoribus, Prælatis ſiue iudicibus inferioribus. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Syluestri loco ſupracitato, & probatur eam ex Innocentio in capit. *cum ſpeciali, de appellat.* & ex Gloſſa in c. 1. *de poſtulat. Prælator.* Facit & leg. *vnica. C. de profe. qui in vrbe.* Quod intelligendum eſt, niſi eſſet aliquid ita arduum, vt certus intellectus dari non poſſet, nam tunc recurrendũ erit ad Principem, *per legem pen. & fin. C. de legi.* Qua de re videndus eſt Panorm. in cap. 1. *de iura. calu.* & in cap. *etiam. 1. de poſtul. Prælat.* vbi tractatur, an Legatus poſſit reſcriptum interpretari? In fine dictæ quæſtionis aduertit Syluest. ex D. Thom. quod lex humana non debet ſeruari, quando eſt in damnum, ſed tunc pro interpretatione recurrendum eſt ad Principem, ſi eius præſentia haberi poteſt de facile, & niſi ſit periculum imminens. Videatur D. Thom. prima. ſecundæ. quæſt. 66. art. 6. & 2. 2. quæſt. 60. art. 5.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm declarationes Cardinalium, teneãt & obligent in foro interiori, & in exteriori?

De origine ſacræ Congreg. Cardin. interpretum ſacri Conc. Triden. & cauſarum Regularium.

RO huius Articuli intelligentia oportet præmittere, quod cum circa Concilij Tridentini decreta, multa fuerint olim exorta dubia, quæ nullo modo nec ſine magna difficultate decidi & explicari poterant, niſi ad Sedem Apoſtolicam fieret recurſus, quod & factum eſt multoties, tempore Pij V. vt conſtat ex varijs eius Conſtitutionibus, declarationibus & interpretationibus præfati Concilij Tridentini ſuper impedimentis Matrimonij, & alijs: vt ne Summi Pontifices grauarentur propter nimiam dubiorum multitudinem, quæ ad dictam Sedem concurrebant in dies, & maximè in materia Religionum, ſiue ad Religioſos & Regulares perſonas ſpectantibus cauſis, conſtituerunt quandam Cardinalium Congregationem, ad ſupradicta dubia Concilij Tridentini explicanda & declaranda, & aliam pro Conſultationibus Regularium, vt conſtat ex duabus Conſtitutionibus Sixti V. quæ circumferuntur in Bullario magno, vbi vtriuſque Congregationis Cardinalibus ampla præbetur facultas, interpretãdi & declarandi omnia ſupradicta dubia, vt ex eiſdem conſtat. Quo præmiſſo atque preſuppoſito, quæritur nunc quã-

tam

tam vim & auctoritatem habeant, huiuſmodi Cardinalium declarationes, interpretationes, ſiue diffinitiones? & an teneant & obligent, tam in foro interiori, quam exteriori?

Nota quorundam Doctorū placitum & opinionem.

Circa quam difficultatem, non modica dubitatio exorta eſt olim Romæ, & in noſtra Hiſpania fuit placitum quorundam doctiſſimorum virorum quorum meminit doctiſſimus Bobadilla in ſuo Enchiridione, ſiue Manuali manuſcripto, aſſerentium per eiuſmodi declarationes, non obligari quempiam in foro interiori neque exteriori, neque propter ipſas eſſe vllum in iudicio damnandum, ſi oppoſita ſententia idoneo & iuridico aliquo fundamento fuiſſet fulcita. Cuius rei rationem eſſe dicebant quia prædictæ declarationes & interpretationes, non habent vim legis cum non ſint ſolemniter promulgatæ, & ſit de intrinſeca ratione legis, quod promulgentur iuxta decretum & celebre illud dictum D. Auguſtini, quod habetur in *ca. in iſtis. diſt. 4.* vbi inquit, *quod tunc leges incipiunt vim habere, cum promulgantur & moribus vtentium approbantur.* Præterea aiebant, quod prædictæ declarationes non habent ſed neque habere poſſunt vim ſententiæ diffinitiuæ, cum communiter fiant parte non audita. Neq; ex dictis inferri dicebant, quod fuiſſet inutilis ſupradictarum Congregationum inſtitutio, ſiquidem ipſarum decreta & quæ à Cardinalibus ipſis erant diffinita, nullam vim & robur habebant obligandi in conſcientia, neque in foro exteriori: nam quamuis id ita eſſet, multum tamen eaſdem valere aſſerebant, ad tollendos multorum ſcrupulos, qui quotidie circa præfati Concil. decreta exoriri videbantur. Tandem dicebant ſupradicti Auctores, quod præfatæ declarationes potius erant doctrinales, quam iudiciales, cum nulla adhuc eſſet promulgata lex, quæ eas ſuſcipi iuberet, tamquam regulas & leges certas & infallibiles, quin vero ſicut dubia omnia abſoluí poſſunt à Doctoribus Iuriſperitis & Theologis tantum doctrinaliter (quod interdum á quibuſdam ſummis Pontificibus factum legimus) ita & ſummi Pontifices voluerunt, certos quoſdam atque determinatos fieri & cõſtitui, ſacri Concilij Tridentini interpretes, & cauſarum pertinentium ad regulares, quorum reſponſa (quãuis ſolummodo doctrinalia) maximi fierent, æſtimarenturque ab omnibus, interim quod à ſummo Pontifice conditur atque promulgatur declaratio iudicialis totius Concilij Tridentini. Quam etiam iuridicam declarationem, nimium neceſſariam eſſe dicebant, adeo vt nihil fieri poſſet magis opportunum ad veram intelligentiam & efficacem executionem ſupradicti Concilii, quam etiam dicebãt ad tollenda è medio omnia dubia & difficultates omnes, oportere ſolemniter ac ſub literis authẽticis promulgari. Hoc fuit olim quorundam ſapiẽtiſſimorum virorum placitum. Quorum opinio breuiter reſoluta conſiſtit in hoc, quod declarationes ſupradictorum Cardinalium, potius ſunt doctrinales, quam iudiciales, neque ad ſui obſeruantiam quempiam obligant in foro interiori, neque in exteriori, propter rationes dictas. Sed eis nihilominus non obſtantibus, contrarium videtur verius dicendum atque tenendum, de quo & ſequens ſtatuitur

Concluſio.

Concluſio.

Declarationes & interpretationes Cardin. modo ſint authenticæ, in vtroq; foro obligãt.

DEclarationes & interpretationes Cardinalium ſupradictæ, modo ſint authenticæ & authentico ſigillo munitæ, non ſolum ſunt habendæ vt doctrinales & doctorales, verumetiam vt iudiciales & in vtroque foro obligant, & ſecundum ipſas (modo ſint authenticæ, vt dictum eſt) in Tribunalibus cunctis debet iudicari. Hæc concluſio probatur, nam idipſum inſinuatur apertiſſime, ex litteris Sixti V. & ex commiſſione, auctoritate & facultate, prædictis Cardinalibus tradita ibidem, per illa verba, *interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis impartimur.* Neque in contrarium adducta quidquam faciunt, non enim neceſſum eſt ad hoc, vt ſupradictæ declarationes obligent in foro conſcientiæ, & exteriori, quod ſolemniter promulgentur: nam licet id in legibus cunctis ſit neceſſarium, non tamen in declaratione ipſarum legum iam publicatarum & receptarum, à Principe vel eius vicem gerente iuridice facta, ſimiliter opus eſt quod ſolemniter publicetur. Sufficit enim quod leges ipſæ ſint promulgatæ & receptæ, & quod earum declaratio fiat à Principe vel ab eius vicem & auctoritatem habente. Vnde ſupradictorum Cardinalium declaratio non tantum habenda eſt vt doctrinalis, verũ etiam vt revera iudicialis, facta ab ipſo legiſlatore ſeu ab eius vicem gerente, eo vel maxime cum ſupradicti Cardinales (vt ibidem dicitur) præſertim in rebus arduis & difficillimis, nihil faciant, ſed neque facere poſſint inconſulto ſummo Pontifice, vt patet ex literis ſuæ commiſſionis, ibi, *nobis tamen cõſultis.* Nec dictis obſtat, quod præfati Doctores dicebant, nempe nullam eſſe promulgatam legem, quæ iubeat ſupradictas declarationes & interpretationes, ſuſcipi & haberi tanquam regulas & leges certas atque infallibiles: nam quamuis id ita ſit, quod nulla expreſſe hoc iubeatur ſpeciali lege, at præſuppoſito quod dicti Cardinales tradunt & faciunt prædictas declarationes & interpretationes, ex ſpeciali Summi Pontificis commiſſione, & ipſius auctoritate & nomine, eadem lege qua iubemur Papalem declarationem recipere, tanquam certam & veram, cum ad legiſlatorem pertineat leges ſuas interpretari & declarare (per ea quæ dicta ſunt in præcedenti Articulo) eademmet lege, tenemur etiam recipere declarationes ſupradictas tamquam certas & veras, explicantes & declarantes mentem & intentionem legislatoris. Quæ omnia intelligenda ſunt, modo ſint authenticæ, nam ſi non ſunt authenticæ, ad ipſas recipiendas nemo obligatur. Et hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiat, progrediamur ad alium, & ſit duodecimus Articulus.

ARTICVLVS XII.

Vtrum liceat Doctoribus Iuriſperitis, ſiue Theologis, Ius Canonicum & Conſtitutiones Apoſtolicas interpretari & declarare?

Prima Concluſio.

Doctores Iuriſperiti, ſiue Theologi, bene poſſunt ius Canonicũ, & Cõſtitutiones Apoſtolicas doctrinaliter interpretari & declarare.

VAmuis verus ſenſus & declaratio, ſiue interpretatio iudicialis Concilij Tridentini & ſacrorum Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ad ſolum ſummum ſpectet Romanum Pontificem, & ad ſacram Congregationem Cardinalium ad id conſtitutam & deſtinatam, interpretatio tamen doctrinalis ſiue Doctoralis, bene fieri poteſt à Doctoribus, Iuriſperitis & Theologis, quorum auctoritas multum valet, quamuis ipſorum declaratio non ſit iudicialis. Quod huiuſmodi declaratio fieri poſſit à ſupradictis Doctoribus Iuriſperitis, ſiue Theologis, conſtat expreſſe ex eodem Concilio Tridentino ſeſ. 25. cap. 2. vbi id tanquam certum præſupponitur, & eo ſuppoſito præcipitur ipſis, *vt myſteria fidei ad normam præfati Concilij Tridentini & non aliter, doceãt ſiue interpretẽtur.* Probatur præterea prædicta concluſio, quia id ſemper obſeruatum fuit, & poſitum in communi praxi, non obſtante Bulla Pij IIII poſita in fine eiuſdem Concilij, quæ incipit: *Benedictus*, qua hoc ipſum videbatur prohiberi, atque interdici. Nam ſemper apud omnes compertum fuit, intelligendum id eſſe de Cõmentarijs & gloſſis extortis, ſupradicto Concilio vim ac violentiã inferentibus, illiuſque mentem in alium ſenſum detorquentibus, non autem de Gloſſis & Commẽtarijs genuinis & literarijs, eiuſdem ſententiam ad literam (vt dicitur) de verbo ad verbum explicantibus. Quod & probari poteſt præterea hac ſpeciali ratione. Nam etiam legum regni, iudicialis interpretatio & declaratio ad ſolos Reges ſpectat, ſeu ad ipſorum Senatum Regium, & nihilominus eo non obſtante Doctores in Scholis & Academijs, & Iudices etiam in ſuis Tribunalibus, multoties leges ipſas interpretantur, quin vero earum rigorem per æquitatem ſeu epicheiam temperant interdum, iuxta ipſorum legislatorum veram ſiue præſumptam intentionem: quod & feciſſe hos & illos, Reipublicæ & communi bono, ſummopere, vt videtur, extitit neceſſarium, vtpote ſine quo, vix aut nullatenus poſſet Regnum gubernari, manerentque cuncta in ancipiti, ſi pro quolibet occurrenti caſu, recurrendum ſemper foret ad Principem. Dicendum eſt igitur, quod eſt licita declaratio, atque interpretatio ſupradicti Concilij Tridẽtini, & aliorum ſacrorum Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum, doctoralis & doctrinalis, facta, ſeu quæ communiter fit, ac fieri conſueuit à Doctoribus Iuriſperitis & Theologis, quodque ipſa, quammaxime eſt facienda & æſtimanda, ad veram eorum intelligentiam, quamuis, vt dictum eſt in Concluſione, declaratio ſupradicta non ſit iudicialis, ſed ſolummodo doctoralis & doctrinalis.

Secunda Concluſio

Doctrinales declarationes Conc. Tri. & ſacrorũ Canonũ, non obligant vt ſtetur illis, neq; vt tãquã certæ regulæ, & infallibiles recipiantur.

SVprad. interpretationes & declarationes, quãuis vt dictũ eſt multũ valeant & pluris ſint æſtimandæ, non tamen tenent ſeu obligant, vt ſtetur illis, ſeu vt ab omnibus tanquam regulæ certæ, atque infallibiles recipiantur, cum ſicuti præmiſſum eſt, ſint tantum doctrinales, ſeu doctorales, & non iudiciales. Probatur hæc concluſio, nam quamuis Doctoribus ſupradictis, liceat iuris Canonici ſimiliter & Ciuilis, leges, ſiue conſtitutiones declarare & interpretari, doctoraliter & doctrinaliter, nõ tamen auctoritatiue & poteſtatiue, hoc enim (vt ſupradiximus) ad ſolos ſpectat Principes, & conſtat ex *cap. 1. de iuramento calumniæ, & l. fin. C. de legibus & c. 1. de regulis iuris lib. 6.* vbi habetur, *quod eius eſt legem condere, eius eſt ipſam interpretari, ac declarare.* Ad quod facit quammaxime ſententia D. Auguſtini in epiſtola decimanona, quæ eſt ad D. Hieronymũ, vbi agens de ſacroſanctæ Scripturæ libris Canonicis, poſt alia, in hæc ſequentia verba prorumpit: *Ego ſolis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem & honorem deferre, vt nullum eorum ſcribendo erraſſe credere audeam. Alios autem ita caute lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrinave polleant, non ideo verum putem, quod illi dixerunt, vel quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia id mihi per alios Auctores, vel Canonicos, ſiue probabiles rationes, quod à vero nõ abhorreant, perſuadere potuerunt.* Et in Epiſtola ad Fortunatum, inquit idem D. Auguſtinus poſt alia: *Neque quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominũ, veluti Scripturas Canonicas habere demus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcripturis improbare atque reſpuere, ſi forte inuenerimus quod aliter ſenſerint quam veritas habet, diuino adiutorio ab alijs intellecta vel à nobis. Talis ego ſum in ſcripturis aliorum, quales & eſſe volo intellectores meorum ſcriptorum.* Hæc ſupradictus Auguſtinus. Quæ ſi vera ſunt loquendo de ſacræ Scripturæ interpretibus & Doctoribus, ſanctiſſimis atque doctiſſimis; quanto melius potiorique ratione idipſum erit dicendum de Iuriſperitis aut Theologis, Iuris Canonici, ſiue Ciuilis interpretibus & declaratoribus, quorum ſententia & doctrina, quamuis pluris ſit æſtimanda, non tamen tanquam regula certa, & infallibilis habenda, cum vt præmittitur, ſit tantum doctrinalis & non iudicialis, nec facta habentibus auctoritatem. Hactenus de iſto Articulo, & tota Quæſtione, progrediamur ad alia, & ſit vigeſima ſeptima.

Nota valde circa legũ interpretationẽ & declaratiõnem.

(?)

QVAES.

QVAESTIO XXVII.

De iure Ciuili, & ipſius partibus, & ijs, quæ ad iuris Ciuilis materiam & tractationem ſpectant, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſit ius Ciuile, & quænam ſint ipſius partes?

Prima Concluſio.

Ius ciuile eſt id quod quiſq; populus, vel quæq; ciuitas ſibi propriũ dicit, diuina humana que cauſa conſtituit.

IVS Ciuile id quod quiſque populus, vel quæque ciuitas, ſibi proprium, diuina humana quecauſa cõſtituit. Hæc iuris Ciuilis diffinitio, eſt D. Iſidori, libr. 5. Etymologiar. cap. 5. & refertur à Gratiano in *cap. Ius ciuile, diſt. 1.* quod ſub alijs clarioribus verbis, eſt dicere, quod ius Ciuile, ſunt illæ leges ſeu Conſtitutiones Ciuiles, quæ varijs temporibus, à diuerſis perſonis factæ, ordinatæ, atque conſtitutæ ſunt ad regimen & gubernationem laicæ & ſecularis Reipublicæ. Huiuſmodi autem ius Ciuile, ſupradictus D. Iſidorus loco ſupracitato, diuidit in ius militare, ius publicum, & ius Quiritum ſiue Romanorum, & hoc iterum ſubdiuidit in leges, Plebiſcita, Senatusconſulta, Conſtitutiones & edicta, prudẽtum reſponſa, & alias particulares leges, Tribunitias ſiue Conſulares, Satyras & Rhodias, quorum omnium diffinitiones ex eodem Iſidoro, adducit Gratianus in decreto per ordinem, diſtinctione prima & ſecunda, quas & ipſe in præſentiarum referre facile cum poſſim prudens omitto, cum non ſit id mei propoſiti aut præſentis ſpeculationis, neq; vero id per tempus ſuppetit. Quapropter ero contentus, hæc breuiter tantum in communi dixiſſe, vt horum ſaltem aliqualis habeatur notitia.

Secunda Concluſio.

Ius ciuile diuiditur, in Digeſtũ, Codicẽ, & Volumen.

DIuiditur autem ſupradictum ius Ciuile in tres partes ſiue libros principales, nempe in Digeſtum Codicem, & Volumẽ, quæ vt ſtatim dicemus iterum ſubdiuiduntur. Hæc cõcluſio liquido & manifeſte patebit, ſupradictum ius Ciuile inſpicienti & intuenti. Qua de re qui plura videre voluerit, eaque notatu digniſſima, & multiplices modos referendi & allegandi leges, quæ in præfato iure Ciuili continentur, conſulat Sylueſtrum, *verbo, lex q. 2.* vbi hac de re tractationem facit longiſſimam. De cuius mente & reſolutione dico, quod Digeſtũ continet quinquaginta libros, in tria volumina diuiſos, nempe in Digeſtum vetus, Infortiatum, & Digeſtum nouum. Quorũ quodlibet etiam diuiditur per libros, & libri per rubricas ſiue titulos, rubricæ autem per leges ſiue capitula, & hæc aliquãdo per §§. Continet autem Digeſtum vetus viginti tres libros, & partes ſiue rubricas vigintiquatuor Infortiatum vero continet quatuordecim libros, & rubricam vnam. Digeſtum autem nouum, continet duodecim libros, qui ſuperioribus additi, efficiunt quinquaginta, quos continet ſupradictum Digeſtum. Secunda vero Iuris ciuilis pars, quæ dicitur Codex, continet tantum nouem libros. Tertia vero quæ dicitur Volumen, quatuor in ſe continet volumina ſiue diſtincta opera, quorum primum dicitur Inſtituta. Secundum continet tres libros Codicis, qui numerati cum nouem prioribus faciunt duodecim, quamuis in alio diſtincto contineantur volumine. Tertia pars appellatur Authenticum, in quo varia atque diuerſa continentur Authentica. Quarta & vltima pars, appellatur liber, ſeu vſus fœudorum, quorum omnium, vt dixi, qui videre voluerit tractationem longiorem, & varios atque diuerſos allegandi modos ſupradictorum librorum, & characteres, quibus in Scholis allegantur communiter, & apud Doctores Iuriſperitos, conſulat ſupradictum Sylueſt. in loco ſupra allegato.

Digeſtũ cõtinet 50. libros in triadiuerſa volumina diſtinctos, & quid vlterius vnumquodq; eorum continet, dicitur.

Codex cõtinet tantum nouẽ libros.

Volumen continet quatuor volumina.

ARTICVLVS II.

Quiſnam poſsit facere, ſiue condere ciuiles Leges?

Prima Concluſio.

Ciuilem generalẽ legem, in tẽporalibus ſolus Imperator facere poteſt.

QVilem generalem legem, in temporalibus ſolus Imperator facere poteſt. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Sylueſtri, verbo *lex, q. 4. in fine*, vbi quærit, quiſnam legem Canonicam, ſiue Ciuilem facere poſſit? & loquendo de lege Ciuili generali, inquit quod ſolus Imperator eam poteſt condere, quod & probat ex *l. 2. & fin. C. de legibus*, ſed addit, quod etiã Præfectus in Prætorio, & omnes hi quibus Imperator mandat, & Romanus populus, ſeu potius Romanus Senatus, & omnis ciuitas, ſiue populus, legem ſibi facere poteſt, quod probat per §. 1. & 2. *Inſtitut. de iure nat.*

Quantumquiſque habet de iuriſdictione, tantum & nũ plus habet de auctoritate & poteſtate condendi leges & ſtatuta.

Secunda Concluſio.

GEneraliter loquendo, quantum quiſque habet de iuriſdictione, tantum & non plus haber de auctoritate & facultate condendi leges & ſtatuta, nec vlterius extenditur, niſi hi, quorum intereſt conſentiant, vel ad minus ſint præſentes. Hæc etiam concluſio eſt ſupradicti Sylueſtri loco ſupra-

ſupracitato, & dicit eam eſſe Baldi in *l. omnes populi, ff. de iuſtit. & iure*, & etiam Innocentij *in capi. 1. de locato & condu. & in cap. à nobis, el 1. de ſentent. excom.* Facit ad idem *cap. fin. de his quæ fiunt à Prælat.* Et ratio huius concluſionis eſt, vt dicit Anton. in *capit. cum laicis, de rebus Eccleſiæ non alienandis*, quia poteſtas ſtatuendi leges, dependet à iuriſdictione & imperio in ſtatuente, & à ſubiectione quoad eos, in quos ſtatuitur, vt conſtat ex cap. *Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitut. & ex cap. bene quidem, cum gloſſa, & cap. ſi Imperator 96. diſt.* quod etiam tenet Bartol. *in l. 1. ff. de iuriſdictione omnium iudicum.* Faciunt etiam & ad hoc, quę dicta ſunt ſupra quæſt. 25, Arti. 3. vbi diximus non debere fieri leges, niſi ab auctoritatem & poteſtatem habentibus. Videatur Sylueſt. vbi ſupra & verbo, *excommunicat. 1. num. 5.*

ARTICVLVS III.

Vtrum ciuiles leges, ex ſui tranſgreſſione obligent, ſeu obligare poſſint, ad peccatum mortale?

QAm ſupra quæſt. 25. Art. 14. difficultatem hanc in mediũ protulimus, agentes de legibus in communi, id quod & in præcedenti quæſt. Art. 6. fecimus, loquendo de legibus & conſtitutionibus canonicis in particulari. Sed nunc ad maiorem magisque exactam rei huius cognitionem, & explicationem, idipſum in quæſtionem libuit adducere, agendo de legibus ciuilibus etiam in particulari, quod quidem maiorem difficultatem habet. Poteſtque ſupradicta quęſtio in duplici ſenſu inueſtigari. Primo loquendo de poſſibili, An ſcilicet in poteſtate ciuili laica, facultas ſit obligandi per ſuas leges ad peccatum mortale ſibi ſubditos? Secundo, an ita fuerit effectum de facto, ita quod revera omnes ciuiles leges tranſgreſſores ſuos ad peccatum mortale obligent, ſeu obligare poſſint? Et vt à facultate exordiamur, videtur quod in poteſtate ciuili & laica, nulla ſit huiuſmodi facultas. Primo, nã id videtur pertinere ad ſolam poteſtatem ſpiritualem, obligãre ſibi ſubditos ad culpam, & vt dicitur in foro conſcientiæ, non autem ad poteſtatem ciuilem & laicam. Quod & confirmatur ex eo, nam cum in poteſtate ciuili & laica, nulla ſit facultas ad remittẽda peccata & culpas, dicendum perinde videtur, quod neque in eadem vlla ſit facultas, ad conijciẽdum ſibi ſubditos in aliquod peccatum, cum ad eãdem poteſtatem pertineat, ſeu pertinere videatur, ſoluere & alligare. Quibus & accedit, nam (vt ſupra diximus) finis poteſtatis ſecularis & laicæ, nõ eſt aliquid ſupernaturale, ſed tantum bonum temporale, & quietus & pacificus Reipublicæ ſtatus, non tam quoad animam, quam quoad corpus: ex quo proinde videtur, quod poteſtas, quæ non protenditur non extenditur ad æterna, nec extendatur, aut protendatur ad inducendam culpam mortalem, cum ex ea æternæ pœnæ obligatio exoriatur. Tandem vltimo confirmatur & corroboratur hoc ipſum, nam obligatio ad culpam in legibus ciuilibus, aut poſita eſt in arbitrio Principis ferentis legem, aut præter voluntatem ſuam ſequitur ex natura ipſius legis. Si primum dederis, ſequitur quod nulla ſit ciuilis lex, quæ obliget ſub reatu mortalis culpæ, cum in nulla à Principe conſtituente eiuſmodi circunſtantia exprimatur: ſi vero dicatur ſecundum, hoc eſt quod obligatio ad culpam, ſequitur de inde ex natura ipſius legis, ſequeretur, quod non poſſet Princeps aliquam condere legem, quæ ad culpam, ſeu ſub reatu mortalis culpæ non obligaret: hoc autem dicere eſt pluſquam falſum, cum ex cõmuni omnium ſententia multæ inueniantur leges, aut ſaltem inueniri poſſint, quæ ad culpam nullam obligant. dicendum eſt ergo, quod in ſupradicta poteſtate ſeculari & laica, nulla eſt facultas per ſuas leges ſiue cõſtitutiones, ad peccatum obligandi, ſed duntaxat ad temporalem pœnam. His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt veritas. Pro cuius pleniori reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Etiam in poteſtate ciuili & laica, eſt facultas condendi leges, quæ obligent in foro cõſcientiæ & ex genere ſuo ad peccatũ mortale.

CErtiſſime tenendum eſt, quod in poteſtate ciuili & laica, eſt etiam facultas, ſiue poteſtas, faciendi & condendi leges, quæ obligent in foro cõſcientiæ, & ex genere ſuo ad peccatum mortale. Hanc concluſionem ponit expreſſe Magiſter Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 6. art. 4. vbi & tenendam eam eſſe dicit firmiſſime, quamuis non eadem firmitate, ſeu eodem certitudinis gradu, quo hoc ipſum ſupradictum eſt de legibus Eccleſiaſticis, & de poteſtate Summorum Pontificum, ad obligandum cunctos fideles per ſuas leges ad peccatum mortale. Probat ſuam ſententiam & opinionem ſequentibus rationibus. Nam quamuis (inquit) poteſtas ſecularis & laica, differat à ſpirituali & Eccleſiaſtica, penes hoc quod hæc collata eſt immediate à Chriſto Domino Eccleſiæ ſuæ diuina lege, illa vero non, ſed deſcendit per rationem naturalem, qua quælibet Reſpublica, cum auctoritatem & poteſtatem haberet ſeipſam regendi & gubernandi, ſua voluntate in Reges ea voluerit transferre, ac tam in vna, quam in altera, conſiderata ratione finis, neceſſaria fuit facultas & poteſtas obligandi ſibi ſubditos, non ſolum ad temporalem pœnam, verumetiam & ad æternam (quod fit per culpam) alias enim manca & defectuoſa ad ſui regimen & gubernationem eſſet huiuſmodi Reſpublica. Sed quod per ciuiles leges obligentur homines ad culpam, aut ſaltem obligari poſſint, probat ſupradictus Soto alia peculiari ratione: & ea eſt. Nam omnis lex humana ſi ipſa fuerit iuſta vti par eſt, à naturali lege deriuatur & deſcẽdit, eſt enim lex, quędam rectę rationis regula, & quædam recte viuendi norma: ſed deuiare à recta ratione (vt inquit D. Thom. 1. 2. quæſt. 21.) ex natura ſua peccatum eſt: ergo & facere cõtra legem, erit etiam peccatum, ſiquidem eſt facere contra rationem ipſam, ſeu cõtra rationis regulam, niſi Princeps aliud in lege ſua exprimat. Adeo ſupradictus Soto credit Concluſionem prædictam eſſe veram, vt dicat quod licet negare hanc veritatem & poteſtatem, auctoritatẽ atque vigorem legibus ciuilibus, non ſit ita manifeſta hæreſis, ac eſſet hoc ipſum negare in legibus

Eccle-

Eccleſiaſticis, eſſet tamẽ, inquit, valde temerariũ, & contra communem Doctorum conſenſum, eorum præcipue, qui alicuius ſunt momenti, & nominis.

Difficultas. Prima opinio

Sed an ſemper ciuiles leges, de facto ad peccatum obligent? eſt magna lis & controuerſia inter DD. nam Nauarr. in ſuo Manuali, cap. 23. à num. 48. cum ſeqq. & lib. 1. Conſil. de conſtitut. conſil. 3. n. 1. quamuis concedat, quod Principes per ciuilem ſuam legem, obligare poſſint ſibi ſubditos ad peccatum, de facto tamen, inquit, non ita eſt, niſi hoc ab eiſdem expreſſe in eadem lege habeatur & exprimatur, aut niſi illud quod fieri præcipitur ſiue prohibetur, per aliam legem naturalem ſiue diuinam, ſub pœna peccati mortalis fuerit prohibitũ, quod dicit eſſe verum, quantumcumque grauis pœna in aliqua lege apponatur, amiſſionis etiam bonorum, famæ ſeu vitæ. Cuius potiſſimum ac præcipuum fundamentum eſt, quia inquit, conſuetudo, quæ optima eſt legum interpres, hoc ipſum eſt interpretata, quòd nullæ ciuiles leges ad culpam ſiue ad peccatum obligent, vtcumque grauis in eiſdem apponatur pœna, niſi in caſu ſupradicto, quo idipſum per aliam naturalem aut diuinam legem ſub pœna peccati fuerit prohibitum. Et præterea, quia de ratione humanarum legum eſt vt recipiantur, nec ſi non fuerint receptæ obligant, quantumuis fuerint iuſtæ, & iam receptæ non obligant, niſi quoad illud tantummodo quod ſunt receptæ. Ex quibus infert, quod cum ciuiles humanæ leges, nõ fuerint receptæ, quoad pœnam æternam, ſed tantummodo quoad pœnam temporalem (quod & ſemper interpretata eſt antiqua & diuturna conſuetudo) quod nullæ tales leges de facto obligant ad culpam, ſed tantum ad pœnam, quod dicit eſſe tenendum & dicendum interim, quod ſacra Sedes aliud non determinauerit. Quæ quidem Nauarr. opinio, cum ſale, & in ſano ſenſu intellecta, meo quidem videri probabiliſſima eſt, fortiſſimoque innititur fundamento. Vnde pro huius rei reſolutione, & vtcumque concordanda opinione prædicti Nauarr. cum opinione Soti, ſub cenſura ſacræ Romanæ Eccleſiæ, & doctiſſimorum virorum, & cuiuſlibet melius ſentientis, ſequentem ſtatuo ſecũdam Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Quamuis ciuiles leges, & maxime illæ, quæ grauẽ pœnã imponũt, ex natura ſua obligẽt ad culpã, ex voluntate tamẽ expreſſa aut tacita, & interpretatiua Principũ bene cõtrariũ fieri poteſt.

QVamuis ciuiles leges, & maxime illæ quæ grauem aliquam pœnam imponunt, ex natura ſua obligent ad culpam, vt recte dicit ſupradictus Magiſter Soto, ex conſuetudine tamen, & ex voluntate expreſſa, ſeu interpretatiua Principum, bene fieri poteſt, & de facto in multis legibus ita eſſe videtur, vt tantum obligent ad pœnam, præſertim ſi ſolummodo quantum ad hoc fuerint receptæ, & in hoc verum habet ſupradicta opinio Doctoris Nauarr. Per hanc Concluſionem, opiniones prædictæ, vtcumque concordantur, nam prima Soti reſpicit naturam pœnæ, quæ vt dictum eſt ſupra quæſtio. 25. art. 18. concluſione ſecunda, ex ſua propria ratione reſpicit culpam. Secunda vero opinio Nauarr. loquitur de eo quod communis conſuetudo eſt interpretata, & de eo ſecundum quod humanæ leges ſunt receptæ, ex quo videtur, quod nulla ſit inter ipſos contradictio, cum alter loquatur de legum pœnalium natura, alter vero de eo quod eorum vſus recepit, & interpretata eſt antiqua & diuturna cõſuetudo. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant: nam reliqua quæ ad hoc propoſitum ſpectant, videri poterunt in locis ſupracitatis, in initio huius Articuli.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſint aliquæ Imperiales leges, in corpore iuris ciuilis contentæ, ex materia ſua iniuſtæ, & quæ non obligẽt in foro conſcientiæ ad ſui obſeruantiam?

HAnc quæſtionem mouet & tractat Sylueſter, *verbo, lex, quæſtione decima*, vbi ſequentem ponit Concluſionem.

Concluſio.

Multæ ſunt in corpore iuris ciuilis imperiales leges, ex materia ſua iniuſtæ, quæ proinde nõ obligãt in foro cõſcientiæ.

MVltæ ſunt imperiales leges ex materia ſua iniuſtæ, quæ proinde non obligant ſecundum animam, neque in foro conſcientiæ ſunt obſeruandæ. Ponit exemplũ prædictus Sylueſter in illa lege, quæ concedit filium vnius germani, contrahere poſſe matrimonium cum filia alterius germani, vt habetur *Inſtitut. de rapt. §. inter eas, & in l. nemini, C. de nupt.* qui tamen ſecundum diuinam legem, & ſacros Canones debent penitus ſeparari, vt habetur in *cap. non debet, de conſang. & affin. & in cap. progeniem. 35. q. 3.* Item ponit exemplum in illa lege, quæ concedit homini ſoluto, tenere mulierem ſolutã in concubinam, vt in Authentico, *quibus modis naturales efficiantur ſui. §. ſi quis, collat. 7.* quod quidem in foro Dei & Eccleſiæ non eſt licitum, quia committitur ad minus ſimplex fornicatio, quę vel eſt contra naturam, ſeu ad minus eſt peccatum mortale excludens à regno Dei, iuxta illud D. Pauli 1. Corinth. 6. vbi inter alia vitia & peccata, fornicationem enumerat, & inquit, *quod, qui talia agunt, regnũ Dei non poſſidebunt.* Etiam adduxit exemplum de illis legibus, quę damnant tenentem in vxorem mulierem deprehenſam in adulterio, vt habetur in *l. trimen, & l. caſtitati, C. de adulteriis*, quod tamen ſecũdum Deum & iura canonica, facere non eſt illicitũ, quinvero, & poteſt quis illã tenere ſine pœna & culpa, modo velit ipſa ab adulterio recedere, vt habetur in *§. obauditur. 31. q. 1.* Supradictas leges imperiales, quę ex materia ſua ſunt iniuſtę, ac propterea in foro conſcientię non ligantes nec obſeruãdę, reducit ſupradictus Syluelt. ad 19. capita, quas cum facile eſſet referre, ſciens & prudens in præſentiarũ omitto, cũ id non ſit mei muneris, nec præſentis ſpeculationis, & vt etiã breuitati ſtudeã quia facile poſſunt videri ibidem.

Hęc de iſto Articulo breuiter, atque reſolutiue dicta ſufficiant.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum leges & conſtitutiones Iuris ciuilis, generaliter & indiſtincte loquentes, obligent abſque diſcrimine, etiam perſonas Eccleſiaſticas, & Regulares?

HAEC quæſtio celebris atque famoſiſſima eſt, & ab vtriuſque Iuriſperitis nimium multis in locis agitata, in qua omiſſis variis opinionibus, ac dicendi modis; qui hinc inde afferuntur, quod verius atque tenendum videbitur, explicabitur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Leges imperiales ciuilis iuris, in foro Eccleſiaſtico, ſunt obſeruandæ deficiente Eccleſiaſtica lege, quæ eadē de re tractet.

LEges contentæ in corpore iuris Ciuilis, quæ communiter imperiales appellantur, deficiente iure Canonico ſeu Eccleſiaſtica lege, quæ eadē de re tractet, in foro etiam Eccleſiaſtico ſunt obſeruandæ. Hæc concluſio eſt fere omnium Iuriſperitorum communis, cuius ea potiſſima ratio eſt, nā eiuſmodi leges per ſummos Pontifices reperiuntur approbatæ, adiuuandos ſacros Canones, vt cōſtat ex multis iuribus, & ſacris Canonibus, ſed maxime ex *cap. de capitulis, & cap. tertum cum ſeqq. d. 10. & ex cap. 1. de noui oper. enuntiat.* vbi ad hoc propoſitum ſequentia habentur verba: *Sicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonū, Principum conſtitutionibus adiuuantur.* Super quæ dicta verba, videatur Gloſſa, *verbo, non dedignantur, & verbo. adiuuantur.* Vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima. Oſtendendo qualiter leges non dedignantur ſacros Canones imitari, qualiter etiam ſacrorum Canonum ſtatuta, principum conſtitutionibus adiuuantur. Ita quod in cauſis Eccleſiaſticis leges poſſunt allegari, & cum Canones deficiunt, ſecundum ipſas poteſt iudicari, iuxta *cap. lege. d. 10. & cap. ſi in adiutorium. 23. q. 2. ca. hiſtoria. & cap. ex antiquis, d. 54.* Quidam limitant concluſionem ſuprapoſitam, & dicunt illam procedere, in legibus imperialibus fauorem concernentibus, non tamen in odioſis. Sed revera eiuſmodi limitatio, quamuis plurimum pietatis afferat, in rigore tamen loquendo non eſt vera, nec tenenda, nam ſi penitus introſpiciantur ſupradicta iura, approbantia imperiales leges, id abſque vlla diſtinctione faciunt, non reijciendo odioſas, aut fauorabiles tantummodo admittendo. Quod & probatur præterea, nam ex numero legum, quæ communiter dicuntur odioſæ, eſt *interdictum vnde vi*, quod in odiū ſpoliantium fuit inſtitutum, quod tamen obtinet etiam in foro Eccleſiaſtico, vt conſtat ex quampluribus iuribus, ſed maxime ex *cap. in literis, cap. grauis cap. cum ad ſedem, de reſtit. ſpoliat.* Similiter & edictum noui operis, cenſetur communiter lex odioſa, conſtituta in odium contemnentis præcepta iudicum, iuxta *l. Prætor ait. §. ait prætor, ff. de noui oper. enuntiat.* & tamen obtinet etiam in foro Eccleſiaſtico, vt cō ſtat etiam ex multis capitulis eodem titulo. *Cui &* peculiaris alia accedit ratio, nam cauſa ob quam ciuiles leges in Canonum adiutorium adducuntur & approbantur, nulla eſt alia, niſi ob iuſtitiam quā in ſe continet in ordine ad bonum commune, vt colligitur ex *cap. fin. ibi, diuinitus. 16. q. 3.* ſed hæc eadem iuſtitia non minus reperitur in legibus odioſis, quam in fauorabilibus, vt conſtat *ex cap. facta. 4. d. & ex l. 1. ff. de legibus*: ergo idem dicendum eſt vtro bique, nempe quod imperiales leges, clauſæ in corpore iuris Ciuilis, ſiue odioſæ, ſiue vero fauorabiles, deficiente Canone, qui ſpecialiter eadem de re tracter, etiam in foro Eccleſiaſtico obtinent.

Imperiales leges cōtētæ in corpore iuris ciuilis, ſiue odioſæ, ſiue fauorabiles, deficiente canone qui ea de re tractet, ſunt recipiēdæ, & in foro etiam Eccleſiaſtico practicandæ.

Secunda Concluſio.

Vbi ius canonī cū tradit regulam ſpecialem ipſa ſeruanda eſt, nullo habito reſpectu ad ius ciuile.

VBi ius Canonicum in aliqua materia tradit regulam ſpecialem, ipſa ſeruanda eſt, nec illam debemus per ius Ciuile diſtinguere. Hæc concluſio eſt Sylueſt. *verbo, lex. q. 11.* quam & eſſe dicit Innocent, *in cap. fin. de rebus Eccle. non alienandis,* & Pan. *in cap. 1. de reſti. in integr.* Et ſtatuens exemplum, inquit, quod ex eo quod ius Canonicum inducit ſolemnitatem ſeruandam, in alienatione rei Eccleſiæ, per totum titulum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, non debemus in eiuſmodi ſeruare illam iuris Ciuilis ſolemnitatem, poſitam in Authent. *hoc ius. C. de ſacroſ. Eccleſijs.* Ex qua generali regula, elicit ſupradictus Sylueſt. vnum corollarium valde notandum, nempe quod in foro Eccleſiaſtico, nulla valet lex ciuilis, cui ſpecialiter aliquis Canon contrariatur, quod conſtat ex multis iuribus, quæ habentur diſt. 10. per totam, ſed maxime in *cap. conſtitutione*, vbi dicitur, *Conſtitutiones contra ſacros Canones & decreta Præſulum Romanorum, ſeu contra bonos mores, nullius eſſe ponderis & momenti.* Super qua re videatur Gloſſ. in *d. cap. Conſtitutiones*, & Gloſſa etiam, in *cap. intelleximus, verbo, adiuuantur, de noui oper. enuntiat.* Et generaliter loquendo verum eſt, quod ſeculares leges legibus Canonicis contrariæ, nullius ſunt momenti, quodque leges ſacros Canones non dedignantur imitari, ſed præcipue in matrimonijs vſuris & huiuſmodi, quorum eſt exemplum in Authent. *vt non luxurientur contra naturam, col. 6.* & in Authent. *vt clerici apud proprium Epiſcopum conuen. col latione eadem.* Quod ſaltim in foro Eccleſiaſtico eſt indubitatum, quamuis Ioann. Andr. in reg. poſſeſſ. lib. 6. ſub dubio relinquat, an idem omnino ſit dicē dum de foro ciuili, & an Papa ciuiles leges poſſit auferre, vel ſaltim corrigere? Sed Panormitanus in *cap. clerici, de iudic.* expreſſe dicit quod in materia Eccleſiaſtica, nulla datur contrarietas inter ſacros Canones & Ciuiles leges, pro eo quod leges ſuccumbunt Canonibus. In materia vero indifferenti (inquit) quod ſeruantur Canones in ſuo foro, & leges in ſuo, Sed an in foro Ciuili, ſint ſeruandæ leges quibus contrariantur Canones? maiorem difficultatē habet. Qua de re ſunt tres opiniones, duæ extremæ, & vna media. Quidam enim indiſtincte dicunt, quod Papa poteſt leges quoad vtrumque forum tollere, & conſequenter quod edendo Canones contrarios legibus, eaſdem corrigit, ac deponit, ad quod adducunt ſupradictum capitulum, *conſtitutiones, d. 10. & cap. cum eſſes de teſtibus.* vbi hoc videtur determinari.

Nota valde, quod in materia Eccleſiaſtica, leges ſuccūbunt canonibꝰ neq; in hoc dignantur ſacros canones imitari.

Nota quod in foro Eccleſiaſtico, leges ciuiles ſacris canonibus cōtrariæ, nullius ſunt ponderis ac momenti.

Difficultas.

Opiniones diuerſæ.

Alij

Alij vero etiam indiſtincte dicunt, non poſſe illum ciuiles leges tollere, niſi tantummodo quoad ſuum forum, nempe quoad forum Eccleſiaſticum.

Sed inter ipſos Ioann. Andr. in Gloſſ. 3. *Regul. poſſeſſor.* dicit medium eſſe tenendum, mediaque via incedendum, & dicendum in his, quod Papa poteſt eas tollere, quoad forum ciuile, ſolummodo in illis terris, in quibus temporalem iuriſdictionem habet, quia poteſtates ſunt diſtinctæ, vt habetur in *ca. cum ad verum. 96. d. & in cap. quantum. d.* 10. Et in illis etiam, in quibus vertitur animarum periculum, inquit, quod eas poteſt tollere, quantum ad vtrumque forum vbique, vt probatur in *cap. nouit, de iudi. & in cap. fin. de præſcript. & cap. penulti. de ſecund. nupt.* quia in his ciuiles leges non dedignantur ſacros Canones imitari, vt pluries eſt iam dictum. Sic reſpondet Ioann. Andr. difficultati ſupradictæ, cuius ſolutio placet Sylueſtro, loco ſupracitato. Sed addit, quod loquendo de poteſtate abſoluta, exiſtenti rationabili cauſa, vbique Papa ciuiles leges, quo ad vtrumque forum poteſt corrigere, quia omnia iura poſitiua ſubſunt eius voluntati, ſecundum D. Thom. & omnes communiter Theologos, quibus (inquit) non obſtat, id quod communiter dicitur, nempe quod Papa & Imperator ſunt diſtinctę poteſtates, quia non id dicitur quaſi ſint diſparatæ, ita vt vna alteri eſſe poſſit contraria, ſed quia ſunt ſubordinatæ, ita quod vna ſimpliciter aut ſaltim ſecundum quid, dependet ab alia, vt latius explicat prædictus Syluеſt. *eod. verb. lex, q. 15. poſt med. & ver. obedientia, num.* 10.

Tertia Concluſio.

Leges ſiue cõſtitutiones ſeculares & laicæ, expreſſe ſiue ſpecificedi ſponẽtes de perſonis eccleſiaſticis & ipſorũ bonis, nullius ſunt valoris, & momenti.

LEges ſiue conſtitutiones ſeculores & laicæ, expreſſe ſiue ſpecifice diſponentes de perſonis Eccleſiaſticis & ipſorum bonis, nullæ ſunt nec in foro Eccleſiaſtico obſeruandæ, cum fuerint factæ à non habente auctoritatem & poteſtatem. Hæc cõcluſio eſt expreſſa ſupradicti Syluеſt. *verbo, lex. q.* 15 vbi hac de re agit. Et dicit eam eſſe expreſſam Panorm. in *capit. Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, de conſtitut.* cui & duas apponit exceptiones. Prima niſi forte ſupradictæ leges contineant aliquod priuilegium, in fauorem perſonarum Eccleſiaſticarũ, tunc enim prædictæ leges valerent, nam ad fauendum, & priuilegiandum, bene poteſt quis quandoque priuilegiare non ſibi ſubditum, vt conſtat ex *cap. nouit, de iudic.* vbi ad ſimile propoſitum allegatur lex & priuilegium Imper. Theodoſij. Secunda, quando ſupradictæ leges, fuerint fundatæ ſuper ratione naturali, quia tunc ſeruari debent, non quidem ratione legis, & quatenus procedunt à non habente auctoritatem & poteſtatem, ſed ratione iuſtitiæ naturalis quam continẽt per *l. ſcire oportet, §. qui non iuſte. ff. de excuſat. tutorum.* Pro quo eſt aduertendum quod Eccleſiaſticorũ exemptio á legibus ciuilibus ſiue laicis, non ita late, ſiue indiſtincte protenditur, vt eximat ipſos ab obligatione, qua alias tenentur, ex iuſtitia ſiue ratione naturali, eſſet enim huiuſmodi exemptio adeo lata & ampla, quod ammodo irrationabilis, per quam Reſpublicæ membra (quales ſunt Eccleſiaſtici & Regulares) in nulla re ſubderentur Principibus & poteſtatibus ſub inferioribus, ſaltim vt alij ciues, in his quæ ſpectant ad iuſtitiã naturalem, contra præſcriptum & ſententiam D. Pauli in Epiſt. ad Romanos 13. vbi præcepit, *vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.* Dico igitur quod huiuſmodi leges ciuiles, ſpecialiter & expreſſe de perſonis eccleſiaſticis loquentes, comprehendunt etiam ipſos quantum ad illas res, quæ ſunt datæ ſunt in iuſtitia, æquitate & ratione naturali. Quo fit vt ſupradicti eccleſiaſtici ſubdantur illis, in his, quæ ordinantur ad bonum commune, & quę nullatenus dedecent perſonas eccleſiaſticas, vt quod certo tempore à venatione abſtineant, quod triticum non vendant vltra taxatum pretium, &c. in his & ſimilibus rebus, quæ fundatæ ſuper ratione naturali, eccleſiaſtici legibus ciuilibus tenentur obedire, etiamſi de illis expreſſam & ſpecialem mẽtionem faciant, nam quantum ad hoc, ſeculares Principes ex ratione naturali, & ratione æquitatis & iuſtitiæ, auctoritatem habent & poteſtatem, faciendi & condendi leges, quæ ipſos etiam eccleſiaſticos obligent.

Quarta Concluſio.

Leges, ſiue cõſtitutiones ſeculares & laicæ, nõ expreſſe aut ſpecificedi ſponentes de perſonis eccleſiaſticis & ſuis bonis, ſi alias ſint rationabiles, ſeruãdæ ſunt ab ipſis, dũmodo nõ contradicãt ſacris Canonibus.

SI leges & conſtitutiones ſeculares & laicæ, nihil diſponant expreſſe & ſpecifice de eccleſiaſticis, ſiue de ipſorum bonis, ſed generaliter loquãtur, ſintque rationabiles & non contradicentes ſacris Canon. ſeruandæ ſunt etiã à clericis, & perſonis eccleſiaſticis. Hæc concluſio eſt ſupradi. Syluеſt. loco ſupra citato, & eam tenet expreſſe Panormit. in *cap. ſanctæ Mariæ, de conſtitut.* Sed intelligenda eſt cum duplici limitatione. Primo ea lege & conditione, vt ſeruari poſſint ſupradictæ leges abſque peccato, etenim ſi abſque peccato ſeruari non poſſunt (vt contingit in præſcriptione malæ fidei) nõ ſunt ſeruandæ à perſonis eccleſiaſticis, iuxta cap. *fin. de præſcript.* Facit & cap. *licet mulieres de iur. iuran. lib. 6.* Secunda limitatio eſt, quando prædictæ leges perſonis eccleſiaſticis fuerint fauorabiles, iuxta c. *requiris, el 2. de appellat.* vnde ſtatutum, vt exiſtentibus maſculis mulier non ſuccedat, extenditur etiã ad Clericos, vt tenet expreſſe Abb. loco ſupracitato, & in *cap. ſtatuimus, de reſtitutione in integrum.* Idemque eſt dicendum quando priuilegium eſt conceſſum hominibus alicuius loci, nam comprehendit clericos etiam illius loci, licet id non exprimat, ad quod facit *cap. dilecti, de foro compet.* & notata per Ioann. de Lignan. in *cap. clericis, eod. tit.* & per Bald. in *l. cunctos populos. C. de ſumma Trinit.* Circa quod nõ tandum eſt, quod quando talis lex, ſiue ſtatutum generaliter diſponens, poteſt ſe habere ad commodum & ad incommodum, non propterea dici poteſt præiudiciale, quale eſt ſtatutum diſponens quod primogenitus ſuccedat, nam in tali caſu ſecundo genitus, etiaſi ſit clericus, non ſuccedet. Similiter & in ſtatuto, quo maſculi excludunt mulieres comprehenduntur etiã Moniales, vnde nec ſuccedet mulier, licet ſit effecta religioſa: & vniuerſaliter loquendo verum eſt, quod omnia ſtatuta & leges diſponentes generaliter ſuper contractibus, emptionis, venditionis, locationis, conductionis, commodati, &c. ſi non contradicunt legi naturæ, aut ſacris Canonibus, ſeruandę ſunt à quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, iuxta *capit. 1. de*

Nota valde pro obligatione qua tenentur eccleſiaſtici, ſeruandi ius naturale.

Nota quando lex, ſiue ſtatutum, eccleſiaſticis dicatur præiudiciale.

non

noui operis enuntiatione, & ita tenent omnes Doctores communiter, in *cap. Ecclesiæ, vt lite pendente*, sed maxime Ioann. Andr. & Hostiensis, vno solo excepto casu, quando tales leges eisdem ecclesiasticis offerrent præiudicium simpliciter, vt est lex quod qui non fecerit inuentarium, aut intra tale tempus adierit hæreditatem, sit ipsa priuatus. Et similiter lex qua disponitur sine statuitur, vt non possit aliquid vendi non subditis. Hæc & huiusmodi, quæ nunquam esse possunt in ecclesiasticorum commodum, sed simpliciter asserunt ipsis præiudicium, nō necessario seruandę sunt ab illis. Quod est valde notandum, & oportet illud multum memorię commendare.

Quinta Conclusio.

Leges ciuiles generales, vt cūq; rationabiles, à facto Canonibus deuiantes vel ipsis cōtrarię in foro ciuili licet sint seruādæ, nō tamē in Ecclesiastico, neq; in terris subiectis Romano Pōtifici

SI leges ciuiles generales, quantumcumque rationabiles, deuiant aut contrariæ sunt sacris Canonibus, quorum est exemplum in *cap. 2. de arbitris in 6.* tunc in foro seculari sunt seruandæ, sed nō in ecclesiastico, nec in terris subiectis dominio Ecclesiæ, in quibus Canonica lex seruari habet in vtroque foro. Hæc conclusio est etiam Syluest. loco supracitato, & etiam Panorm. *in d. capit. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut.* & pro ea facit, *cap. si duobus, de appellat.* & notata à Doctoribus, *in cap. quod clericis, de foro compet.* Huius rei quamplurima adducit exempla supradictus Syluest. loco supracitato à quibus breuitatis gratia abstineo, vt ad alia procedam, cum etiam facile videri possint ibidem.

Sexta Conclusio.

Leges ciuiles non cōprehendunt Ecclesiasticos & religiosos, in illis rebus in quibus ipsi specialiter sunt exempti, & potiuntur priuilegio

LEges ciuiles, non comprehendunt personas ecclesiasticas & Regulares, in illis rebus in quibus ipsi specialiter sunt exempti, & potiuntur priuilegio. Hæc conclusio est certa & manifesta, pro qua & multi faciunt sacri Canones, qui habē tur in *titulo de immunitate Ecclesiarum.* Qua quidem ratione Ecclesiastici (vt amplius in Articulo sequē ti dicemus) exempti sunt à contributionibus & tributis, ad quæ tenentur alij seculares, licet enim (vt supradiximus) prædicti ecclesiastici sint ciues, membraque Reipublicæ, in prædicta tamen materia odiosa, per exemptionem sibi factam, & speciale priuilegium quod habent, non censentur quasi ciues, nec in his subduntur Principibus secularibus, sed solummodo Papæ, vt habetur expresse in *cap. quamquam, de censibus in 6.* & facit *cap. Constantinus, 69. dist.* Neque contrarium facere, est Principibus & potestatibus subimmoribus resistere, contra doctrinam Diui Pauli, nam in tali casu prævalet constitutio Ecclesiæ, & præceptum Summi Pontificis, cui magis est obediendum, iuxta *cap. qui resistit. 11. q. 3.* quod etiam est valde notandum, & multum memoriæ commendandum.

Etsi Ecclesiastici & religiosi subdātur legibus ciuilibus iustisquo ad directionē, non tamēquā tū ad coactionem.

Septima Conclusio.

QVantumcumque atque vndecumque, clerici & personæ ecclesiasticæ, legibus ciuilibus sunt subiectæ quoad directionem, quoad coactionem tamen & pœnas in eisdem contentas, non subduntur Principibus secularibus, sed earum transgressores ad proprios Iudices debent remitti. Hæc conclusio est certa & manifesta, & communiter ab omnibus Doctoribus recepta, de qua & quamplures habentur sacri Canones, in prædicto *titulo, de immunitate Ecclesiarum*, & ratio eius est appositissima. Nam vel prædictæ pœnæ decernuntur ipso iure per leges, aut sunt per iudicem imponendæ. Et siue hoc siue illud sit, in vtroque casu imponi non possunt clericis & personis ecclesiasticis, per Principes & Iudices seculares, cum nemo possit pœna aliqua ligari & affici à non suo iudice contra sacros Canones, & maxime contra *cap. at si Clerici, de iudic. & cap. Sacerdotibus. 11. quæst. 1. & capit. 1. de Constitutionibus*, vbi habetur, quod remittantur supradicti ad proprios iudices, qui suo arbitrio, perpensa criminis grauitate, & materia constitutionis violatæ, ac scandalo exinde suborto, illos pro modo culpæ debent punire. Quod si aliter factum fuerit, Principes & Iudices seculares, Clericos & personas ecclesiasticas ad sua secularia tribunalia trahentes, in excommunicationem incidunt, quæ quotannis publicatur in Bulla Cœnæ Domini. Ex supradictis conclusionibus satis colligitur, qualiter leges & constitutiones Iuris ciuilis, personas prædictas ecclesiasticas obligent, & in quibus rebus Principibus & Iudicibus secularibus teneantur obedire, in quibus autem non. Hactenus de isto Articulo.

ARTICVLVS VI.

Vtrum valeant Ciuiles leges, & statuta facta contra immunitatem Ecclesiasticam?

Nota quid sit libertas, siue immunitas ecclesiastica.

PRo huius Articuli intelligentia & dicendorum resolutione, libet breuiter præmittere, quidnam dicatur immunitas siue libertas Ecclesiastica, & quas res in se contineat, & ad quę se extendat? Et dico primo quod immunitas seu libertas ecclesiastica, est exemptio Ecclesię, seu personarum ecclesiasticarum, in personis, rebus & iuribus, facta sibi à Deo aut à Papa, siue Imperatoribus, aut Ecclesiasticis Principibus. Hęc diffinitio immunitatis siue libertatis Ecclesiasticæ, desumpta est ex Syluest. *verbo, immunitas. num. 1. & 2. quæst. 1.* In qua comprehenduntur omnia Ecclesiæ priuilegia, quæ collata sunt ei à Deo, vel Papa, seu ab Imperatoribus & Ecclesiasticis Principibus. Dictum fuit à Deo vt generalis præeminentia, quam habet Summus Pontifex supra totam Ecclesiam, ita quod cuncti fideles vtcumque maximi atque supremi, illi teneantur obedire, & esse subiecti, ille vero nulli in terra. Et fundatur in illis verbis, quæ dixit Christus Dominus olim Diuo Petro, Matthæi 18. promittens illi claues Regni Cœlorum, & dicens, quod quæcumque ligasset supra terram, essent ligata & in Cœlo, & quæcumque soluisset super terram, essent soluta & in Cœlo, & refertur in *cap. quodcumque 14. quæst. 1.* Hæc ecclesiastica libertas, siue præeminentia orta habuit à Deo. Alia vero sunt Ecclesię priuilegia, concessa à prædicto Papa, quale

Quotuples sit libertas, seu immunitas ecclesiastica.

est

eſt illud, vt percutiens quemcumque Clericum, ipſo facto ſit excommunicatus, vt habetur in *cap. ſi quis ſuadente Diabolo. 17. q. 4.* Quædam ſunt autem priuilegia ab Imperatoribus conceſſa, aliquando generaliter, ideſt toti generali fidelium congregationi, vt conſtat ex *l. 1. C. de ſacroſanctis Eccleſijs*, aliquando vero minus generaliter, vt pro ſolis Eccleſijs, vel Epiſcopis, ſeu alijs Clericorum ordinibus, iuxta *l. nemo, C. de Epiſcopis, & Clericis*, aliquando etiam locis ſacris, vt quod eiſdem non irrogetur iniuria, &c. quæ omnia late proſequitur Innocent. in *cap. nouerit, de ſentent excommunicat.* Quædam ſunt alia priuilegia data ab inferioribus, vt in *capi. auditis, de reſtitutione in integrum, & cap. inter de fide inſt. & cap. dudum de decim.* Pro quibus datur generalis regula, quod quilibet poteſt dare Eccleſiæ priuilegium in his quæ ad ipſum ſpectant, iuxta *cap. cum dilecti, de donat.* ſed generale priuilegium dare aut cõcedere, ad ſolum Papam ſiue Imperatorem pertinet, cum & ad eos duntaxat ſpectet, vniuerſaliter diſponere de toto orbe, vt colligitur ex *cap. cuncta, & cap. per principalem. 9. q. 3. & cap. ad honorem, de aucto. & vſu pal.* Hæc omnia ſunt valde notanda, & memoriæ commendanda.

Nota quod generaledarepriuilegiũ adſolum Papã ſine Imperatorẽſpeccat, quilibet tamẽ poteſt priuil. giare in his quæ ſpectant ad ipſum.

Clericorũ & perſonarã Eccleſiaſticarum exẽptio, quo iure illis competat.

Secundo præmitto, quod quamuis ex Doctoribus Iuriſperitis nonnulli dixerint, Clericorum & perſonarum Eccleſiaſticarum exemptionem, tam in bonis, quam in perſonis, competere ſibi abſolute de iure diuino, ſequentes Gloſſam, in *cap. ſi Imperator, ver. diſcuti, 96. diſt.* contrarium tamen eſt verius, certius & tenendum, nempe quod non competit eis abſolute de iure diuino, ſed de humano & poſitiuo, at diuino multum conformi, vt tenent alij multi Iuriſperiti, & omnes Theologi communiter, qua de re videndus eſt Victoria, de poteſtate Eccleſiæ, cap. 97. & Sot. in 4. diſt. 25. q. 2. ar. 2. & Couarruuias in practic. qq. cap. 31. col. 2. numer. 3. quo fit vt non ſit amplior eorum exemptio à poteſtate ciuili, quam in iure fuerit expreſſum & cautum. Et licet huiuſmodi exemptiones ſint multiplices, omnes tamen ad quinque capita ſiue genera reducuntur. Primum quantum ad forum, hoc eſt, quod in omnibus caſibus in quibus actor ſequi tenetur forum rei, Clerici & eccleſiaſticæ perſonæ, non poſſunt coram iudicibus ſecularibus conueniri, neque ad ipſorum tribunalia trahi, prout habetur ex preſſum & determinatum in iure, in *cap. 1. & cap ſi diligenti, de foro comp. & in cap. experientia, 11. q. 1.* Secũdo quantum ad capturam, hoc eſt, quod Clericorum, ſeu perſonarum eccleſiaſticarum captura, in nullo caſu eſt licita, ſi fuerit facta auctoritate Iudicum laicorum, vt expreſſe determinat ius Canoni. in *cap. 2. de foro compet.* Tertio quantum ad tributa, nam Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ onerari non poſſunt tributis & oneribus laicorum, vt habetur expreſſum in *cap. quanquam, de cenſibus in 6.* Quarto, quantum ad regimen & gubernationem, nam res & perſonæ Eccleſiaſticæ, nequaquam ſubijciuntur regimini, & diſpoſitioni laicorum, vt expreſſe habetur in *cap. bene quidem, 96. diſt. & in cap. vlti. de rebus Eccleſiæ non alienand.* Et tandem quinto & vltimo, quantum ad loca eccleſiaſtica, nam ad Eccleſias confugientes in caſibus quibus exemptio ſibi valet, haud quaquam exinde extrahi poſſunt vt habetur expreſſe in *capi. inter alia de immunitate Eccleſiarũ.* Ad quæ quinque capita reducuntur, omnes Clericorum & perſonarum eccleſiaſticarum exemptiones, à poteſtate Ciuili. Circa quas, quia interdum contingit leges & laica fieri aliqua ſtatuta, quæritur in præſentiarum, an valeant & ſint obſeruanda? Cui difficultati reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Nota quod exẽptiones clericorũ adquinque capita ſiue genera reducuntur.

Concluſio.

Leges & ſtatuta laicorũ, & ſecularium principum, facta contra libertatem eccleſiaſticam, nihil valent. eaque facientes ipſo ſunt facto excommunicati.

LEges & ſtatuta laicorum & ſecularium Principum, facta contra libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam, nihil omnino valent, eaque facientes ipſo ſunt facto excommunicati. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & eam tenet expreſſe Sylueſt. *verbo, immunitas, 1. num. 9. & 10. & verbo, excommunicatio. 9. num. 12.* & habetur in *cap. nouerit, cap. grauem, de ſententia excommunication.* vbi poſt alia verba, poſtquam excommunicantur hæretici omnes, vtriuſque ſexus, quocumque nomine nuncupentur, & eorum fautores, receptatores, & defenſores, ſubditur, *Necnon excommunicamus eos, qui de cæteros ſeruari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines introductas, contra Eccleſiæ libertatem, niſi ea de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt huiuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoueri. Item ſtatutarios & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon poteſtates, Conſules, Rectores, & Conſiliarios locorum, vbi de cætero huiuſmodi ſtatuta & conſuetudines editæ fuerint vel ſeruatæ, necnon & illos qui ſecundum eam præſumpſerint iudicare, vel in publicam formam ſcribere iudicata.* Hæc in dicto *cap. nouerit* & eadem fere verba habentur in *cap. grauem*, quibus in locis videatur Gloſſa, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura eaque notatu digniſſima. Videatur etiam ſupradictus Syluester locis ſupracitatis, ſed maxime, *verbo, excommunicatio 9. num. 12.* vbi difficultatem hanc tractat ex profeſſo.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſit licita lex aut ciuilis conſtitutio, alienari prohibens bona immobilia Eccleſijs, ſeu perſonis eccleſiaſticis

HAEc quæſtio difficillima eſt, & quæ lõgiorem requirebat diſputationem, ſed tamen reſoluetur breuiter id quod tenendum eſt, magisque rationi videbitur eſſe conſonum. Sed vt hoc plenius fiat, libet prius quæſtionem prædictam, hinc inde paucis diſcutere, & pro meo more, hinc inde difficilem reddere.

Primum Arg.

Et quidem pro parte affirmatiua, quod huiuſmodi lex ſiue conſtitutio ſit licita, in primis facere videtur, nam de facto in Regno Portugaliæ, libro. 2. Ordinationum, titulo octauo, prohibentur ſeculares alienare bona immobilia Eccleſijs, Monaſterijs ſiue perſonis eccleſiaſticis, quæ quidẽ conſtitutio, cum fuerit facta auctoritate Regum eiuſdem met Regni, haud quaquam credendum eſt, id

fuiſſe determinatum, abſque maximo fundamento & conſilio grauiſſimorum virorum, Theologorũ, & in vtroque iure peritorum, quod pro hac parte quamplurimum facit, & hoc ſit primum Argumentum.

Secũdũ Arg. Secundo, nam re penitus introſpecta, non videtur quod prædicta conſtitutio ſiue lex egrediatur limites ſuæ poteſtatis, diſponendo de bonis temporalibus ſuorum ſubditorum, in ordine ad bonũ commune, cũ & quilibet priuatus de populo prohibere poſſit alienationem rei ſuæ immobilis, in Clericos, Eccleſiam, ſiue Monaſteria, vt patet in contractu emphyteutico, vbi hoc licite ſæpiſſime fit, vt tenet communis opinio: nec dicendum videtur quod non poſſit Reſpublica ſiue Princeps, ſua lege in proprio ipſius Regno facere, quod quilibet in re ſua particulari. Certe hoc non eſt infimũ aut inualidum, ſed quammaximum ad hoc propoſitum argumentum.

Tertiũ Arg. Tandem tertio probatur idipſum, nam Bald. in *cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitution. num. 6.* in ea eſt opinione vt credat eiuſmodi conſtitutionem eſſe validam & licitam, id quod & tenere dicit multos doctiſſimos & grauiſſimos Doctores, quod etiam argumentum ab auctoritate tantorum virorũ deſumptum, quammaximas habet vires, magnique eſt ponderis ac momenti. Sed his nihilominus nõ obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Lex ſiue conſtitutio ciuilis alienari prohibens bona immobilia Eccleſijs ſiue Eccleſiaſticis perſonis, abſque Sũmi Põtificis permiſſione & licẽtia, omnino eſt illicita & nulla

LEx ſiue conſtitutio ciuilis, alienari prohibens bona immobilia Eccleſijs, ſiue perſonis Eccleſiaſticis, abſque Summi Pontificis permiſſu & licẽtia, exhibita aliqua rationabili cauſa, & ratione, non eſt licita, ſed omnino illicita. Hæc concluſio probatur expreſſe. Primo; quia eſt omnino contra libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam, quæ ex huiuſmodi conſtitutione, haud modicum, patitur præiudicium, ſiue detrimentum. Secundo, nam quamuis conſtitutio ſupradicta, vt volunt Doctores contrariæ opinionis, directe non reſpiciat perſonas Eccleſiaſticas, ſed duntaxat ſeculares, quibus prohibet alienare ſua bona, certis quibuſdam perſonis, ac perinde nec directe aduerſari videatur libertati & immunitati Eccleſiaſticæ, ſufficit tamen vt id fiat indirecte, vt ad aliud ſimile propoſitum tenet Nauarr. lib. 3. conſiliorum, de immunitate Eccleſiarum, conſi. 2. num. 4. dicens, quod qui vult antecedens, neceſſario vult etiam & conſequens, & id quod ad illud neceſſario conſequitur, iuxta *l. illum. ff. de adquiren. hæred. & l. 2. ff. de iuriſdict. omnium iud. & cap. præterea, de offic. deleg.* Ex quo videtur, quod ſupradicta conſtitutio ſit illicita, quinvero ipſo facto irrita & nulla, per *cap. fin. de immunitate Eccleſiarum in ſexto.* Imo vero etiam videtur, quod ſtatuentes eiuſmodi conſtitutiones, ſiue leges, ſint ipſo facto excommunicati, per ſupradictũ *cap. nouerint, & capit. grauem, de ſententia excommunicat.* adducta in Articulo præcedenti, quibus excommunicantur, abſolute eiuſmodi ſtatuta facientes, nulla facta diſtinctione, de directe aut indirecte. Vnde ad rationem dubitandi ſeu ad argumenta in cõtrarium adducta, ſiue apposita, facile reſponderi poteſt dicendo.

Ad argumenta poſita reſpondetur.

Ad primum. Ad primum de ſtatuto facto in Regno Portugaliæ, pie eſſe credendum fuiſſe factum de licentia & permiſſione Summi Pontificis, quam iuſta exiſtẽte cauſa potuit & ipſe concedere, & ab eo etiam approbatum ſtatutum tenebit iuxta Gloſſam, in *capi. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtitutio.* Qua de re videatur Sylueſter, *verbo, immunitas 1. num. 9. & verbo. ſtatutum num. 2.* quibus in locis expreſſe tenet, quod ſtatuta aliqualiter facta contra immunitatem Eccleſiæ, valent & tenent, ſi per Summum Pontificẽ fuerunt approbata.

Ad ſecundũ. Ad ſecundum reſpondeo negando conſequentiam, & dicendo, quod Principes, conſtitutionem, ſiue legem eiuſmodi ſtatuentes, proculdubio excedunt limites ſuæ poteſtatis, contra immunitatẽ & libertatem Eccleſiæ, quod quidem facere per Eccleſiaſticam legem ſunt prohibiti, directe, & etiam indirecte. Nec eadem eſt ratio de perſonis particularibus in contractu emphyteutico, de quo adducitur exemplum, nam eiuſmodi in re propria non ſunt prohibiti facere quod ſibi libuerit, diuerſaque eſt ratio de bonis proprijs, & de bonis Reipublicæ, quæ cum communia ſint, in communi & abſque diſtinctione omnibus debent diſtribui, nec in hac diſtributione perſonæ Eccleſiaſticæ deterioris eſſe debent conditionis. Quibus rationibus adducti, hanc ſententiam & opinionem tenent Bart. in *l. filius fam. §. Dui num. 12. ff. de legatis 1.* & Alexander & alij grauiſſimi Doctores Iuriſperiti, in dicto *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtitution.* Et hæc de iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant, non enim licet per tempus, vt in his amplius immoremur, tantumque intendimus vt horum omnium aliqualis habeatur notitia.

ARTICVLVS VIII.

In quas pœnas incidant facientes Leges & conſtitutiones iniquas?

QVæ ad hunc Articulum ſpectant, reſoluentur breuiter atque reſolutiue per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Facientes leges & conſtitutiones iniquas, graviter peccãt, ipſæq; leges ſunt ipſo iure nullæ.

FAcientes leges & conſtitutiones iniquas, & quæ ſunt ſimpliciter contra legem Dei, ſiue Eccleſiaſtica mandata mortaliter peccant, & eiuſmodi leges ſiue ſtatuta facta, ipſo iure nihil valent. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſt. *verbo, lex, quæſt. 12.* & probatur eam per *cap. quæ contra, diſt. 8. & cap. flagitia, 32. quæſt. 7. & cap. cum in Eccleſia, & cap. non ſatis, de ſimon. & cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtitution.* Nec ſolum facientes, verumetiam inducentes & conſentientes & ſeruantes ipſas leges, mortaliter peccant, per dictum *cap. cum in Eccleſia, & capit. non ſatis, de ſimonia.* Qua de re videatur Sylueſter loco ſupra citato.

Secunda

Si ſupradictæ leges iniquæ, ſint contra libertatē Eccleſiaſticā, ipſarū conditores

Secunda Concluſio.

SI eiuſmodi leges & conſtitutiones, ſint contra immunitatem & libertatem Eccleſiaſticam, præter hoc quod mortaliter peccant, ipſas condentes atque ſeruantes, ipſo ſunt facto excommunicati. Hæc etiam concluſio eſt Syluestri loco ſupra citato, & *verbo, excommunicatio 9. num. 12.* & facit ad hoc *capit. nouerit, & capit. grauem, de ſententia excommunication*, de qua excommunicatione, videatur dictus Syluester locis ſupracitatis, vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima. Et hæc de iſto Articulo, & tota Quæſtione breuiter dicta ſufficiant.

præter hoc, quod mortaliter peccantes ſunt ipſo facto excōmunicati, ipſaſq; ſeruantes.

QVAESTIO XXVIII.

De Conſuetudinibus, & ijs, quæ ad eiuſmodi materiam ſpectant, in quatuordecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſit conſuetudo?

Nota quodduobus regitur humanū genus, iure ſcilicet & moribꝰ

PRo huius Articuli & ſequentium intelligentia adnotare oportet, ex Gratiano in Decreto, §. *humanum genus. diſt.* 1. quod duobus regitur humanum genus, iure ſcilicet & moribus. Quod quidem dictum originaliter eſt deſumptum ex D. Iſidoro, lib. 5. Etymologiarum, capit. 3. & habetur in *ca. Ius generale, eadem diſtinct.* 1. vbi dicit, quod omne ius legibus & moribus conſtat. Quod ſub alijs verbis idem omnino videtur eſſe, quod ad idem propoſitum dixit Gloſſa in rubrica ad titulum, de conſtitution. in 6. ex Inſtit. de iure naturali, gentiū & ciuili, nempe quod duplex eſt ius, aliud ſcriptum, aliud vero non ſcriptum. Ius ſcriptum nuncupantur leges & conſtitutiones ſcriptæ. Ius autem non ſcriptum ſunt cōſuetudines præſcriptæ. Quo præmiſſo notabili poſtquam in præcedentibus quęſtionibus iuris ordinem ſequentes, latiſſime egimus de iure ſcripto, hoc eſt de legibus & conſtitutionibus ſcriptis, iuris tam canonici, quam ciuilis in communi breuiter & reſolutiue, prout libri huius exiguitas expoſcit, reliquum eſt vt nunc de iure non ſcripto, hoc eſt de moribus & conſuetudinibus, aliquid eadem breuitate & reſolutione dicamus. Et á conſuetudinis diffinitione exordientes, quæritur in præſentiarum, quidnam ſit conſuetudo? Cui difficultati reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Nota breuem hanc, ſed compendioſam legis deſcriptionem.

Concluſio.

Cōſuetudo eſt ius quoddam, moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur cum deficit lex.

COnſuetudo eſt quoddam ius, moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur cum deficit lex. Hæc conſuetudinis diffinitio, affertur à Gratiano in Decreto, & habetur in *cap. conſuetudo, diſt.* 1. quæ & originaliter deſumpta eſt, ex ſupradicto Diuo Iſidoro vbi ſupra. Et addit, quod non differt, an id quod habetur in communi hominum praxi, ſcriptura vel ratione conſiſtat, quando & legem ratio ipſa commendat, & ſi ratione lex conſtat, lex (inquit) erit omne quod ratione conſtiterit, quod Religioni conueniat, diſciplinæ congruat, ac ſaluti proficiat. Quibus verbis prædictus D. Iſidorus paucis comprehendit omnia quæ ſpectant ad eſſentiā ſiue rationem legis, tam ſcriptæ quam non ſcriptę: ſub quo nomine intelliguntur conſuetudines. Tandem ſubdit, quod hominum mores vocantur conſuetudines pro eo quod communi vſu ſunt receptæ. Quæ ſupradicta verba explicans Gratianus, inquit, quod dum D. Iſidorus dicit nil differre, vtrum conſuetudo, ſcriptura an ratione conſiſtat, liquido conſtat, quod omnis in vniuerſum conſuetudo, eſt duplex, nam vel eſt redacta in ſcriptis, aut non eſt redacta, ſed moribus tantum vtentium comprobata. Quæ in ſcriptis redacta eſt conſuetudo, conſtitutio ſiue lex aut ius ſcriptum vocatur, quæ vero in ſcriptis redacta non eſt, generali conſuetudinis comprehēditur nomine. Hæc ex Gratiano. Ex quibus omnibus ſuperque ſatis colligitur, exacta conſuetudinis diffinitio, & ea eſt, quod conſuetudo eſt ius quoddam, non quidem ſcriptum, ſed moribus, ſeu aſſiduis actibus comprobatum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex. Tantumque differt à lege, penes hoc, quod lex ſcripto traditur, conſuetudo vero non ſcripto, ſed vſu, ſeu vtentium moribus & actibus. Circa quam conſuetudinis diffinitionem eſt adnotandum ex Nauarro in Commentario, in *cap. non liceat. 12. q. 2. de ſpol. Clericorum*, §. 14. n. 7. quod multo ante tempore humanum genus, regi atque gubernari cœpit, conſuetudinibus, quam legibus ſcriptis, & prius homines vixerunt conſuetudinibus & moribus tacite traditis, quam legibus expreſſe conſtitutis, vt ab orbe condito ex omnibus ſcripturis ſacris, atque profanis facile licebit colligere. Ad quod probandum facit quammaxime illud quod Geneſis, cap. 29. fertur dixiſſe olim Laban Iacob genero ſuo, nempe non eſſe in illa Meſopotamiæ regione conſuetudinem prius maritandi filias minores, quam maiores, quod quidem dixit ad ſe excuſandum, rationemque illi reddendam ob quam Rachel minorem filiam, non prius quam maiorem Liam ſibi tradidiſſet in vxorem, quaſi allegans in id legem communemque conſuetudinem, quæ eadem de re vigebat in regione illa. Ad hoc etiam conſuetudinis propoſitum, quæ vim legis habet, facit quod quidam Iuriſconſultus dixit olim, & habetur in *l. omnes populi. ff. de iuſtit. &*

iure, nempe quod omnes Reſpubl. politice viuentes, non ſolum legibus ſcriptis, verumetiam conſuetudinibus reguntur atque gubernantur, quodque prius fuerunt conſuetudines quam leges, & in *l. diuturna. ff. de legibus*, dicitur, quod conſuetudo pro iure & lege, in his quæ non ex ſcripto deſcendunt obſeruari ſolet. Et addit, magnæ certe auctoritatis hoc ius conſuetudinis habetur, quod in tantum probatum eſt, vt non fuerit neceſſe illud ſcripto comprehendere. Atque ita indubitate tenendum eſt, vt recte probat ſupradictus D. Nauar. loco ſupracitato, quod quid quid humana lege introduci poteſt, poteſt & conſuetudine, iuxta *cap. ius ciuile, cap. conſuetudo. 1. d.* iunctis *cap. erit autem lex, diſ. 4. & ca. quæ contra mores. 8. d.* & quod eadem poteſtate nituntur lex humana, & conſuetudo, differant penes hoc, quod illa nititur expreſſo conſenſu potentis legem facere, hæc vero non conſenſu expreſſo, ſed tacito eiuſdem, iuxta *l. de quibus. ff. de legibus, & c. conſuetudo. diſt. 1.* & tradit late Innocen. in *cap. ex parte, de conſuetud.* & ſatis ſignificat prædictũ *cap. omnes, diſt. 1.* ibi *humanæ leges moribus conſtant*, quibus verbis ſignificatur, morem qui conſuetudo eſt eiuſdem eſſe potentiæ, cuius eſt lex, vt amplius dicemus infra.

Differentia, quæ verſatur inter legẽ ſcriptam & conſuetudinem.

ARTICVLVS II.

Vtrum conſuetudo aliqua, vim legis poſſit obtinere?

DIfficultas hæc iam aliqualiter cõſtat ex dictis, ſed quia præcipua eſt huius materiæ, libet eam amplius inueſtigare, & ſequutus D. Thom. vt veritas plenius eluceſcat, argumentis quibuſdam hinc inde propoſitis, ipſam diſcutere, ſeu quod dicitur illam difficilem reddere. De hac difficultate agit prædictus D. Thom. 1. 2. q. 97. ar. 3. vbi pro parte negatiua prædictam ob cauſam argumẽtatur, ad probandum, quod nulla conſuetudo vim legis poſſit obtinere, nec legem amouere.

Primũ Arg. Primo, quia omnis lex humana (vt ſupra diximus) deriuatur, deriuarique habet, à lege naturali & diuina: ſed conſuetudo nulla immutare valet legem naturalem & diuinam, nec contra ipſas obtinere: ergo nec etiam humanam legem poteſt immutare aut tollere, nec contra ipſam vim legis habere. *Secũdũ Arg.* Quod & confirmatur hac efficaciſſima ratione, nam certum eſt, quod ex multis malis actibus, fieri non poteſt aliquid bonum, quinvero ſemper malum, nam quod amplius aliquod malum fuerit multiplicatum, eo ipſo peius efficitur: ſed qui primo agere incipit contra legem, male facit & peccat, vt amplius poſtea dicemus: ergo ex eiuſmodi multiplicatis actibus nihil poteſt fieri bonum, ex quo vlterius infertur, quod cum lex ſit quoddam bonum (eſt enim Regula & norma humanorum actuum) nulla deprauata conſuetudo, cauſata ex multiplicatis malis actibus, vim legis poſſit habere, nec legem prius poſitam vllo modo tollere, ſiue amouere.

Tertiũ Argũ. Quod & confirmatur ſecundo, nam leges ferre ſiue conſtituere, non pertinet ad particulares & priuatas perſonas, ſed ad communes Reipublicæ, ac totius communitatis perſonam gerentes, perſonæ enim priuatæ & particulares haud quaquam legem poſſunt conſtituere: ſed vt dictum eſt, per ſe conſuetudo introducitur atque inualeſcit ex priuatis & particularibus ciuium actibus: ergo nulla conſuetudo vim legis poteſt obtinere, per quam lex prius poſita tollatur ſiue amoueatur. Hæc argumenta adducit D. Thom. vbi ſupra ad difficultãdam hanc quæſtionem. Quibus nihilominus non obſtantibus in contrarium ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

Si conſuetudo fuerit legitime præſcripta ac debitis circunſtãtijs veſtita, vim habet legis, quin vero legem prius poſitã, poterit amouere.

COnſuetudo, ſi legitime fuerit præſcripta, ac debitis circunſtantijs veſtita, vim habet legis, legemque poſitam poteſt tollere & amouere. Probatur hæc concluſio, in primis auctoritate D. Auguſtini, in epiſto. ad Caſſulanum, quæ eſt 86. in ordine & habetur in *cap. in his, d. 11.* vbi dicit. *quod in his reburcerte ſtatuit diuina Scriptura, mõs populi Dei, & inſtituta maiorum, pro lege tenenda ſunt, nam ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita & contemptores conſuetudinum Eccleſiaſticarum coercendi ſunt.* Hæc prædictus Auguſtin. & quod ille dixit de conſuetudinibus Eccleſiaſticis ſuo quoque modo & ordine intelligendum eſt de conſuetudinibus ſecularibus & laicis, quinvero & potiori ratione ſi legitime fuerint introductę. Quod & probatur hac efficaciſſima ratione, deſumpta ex D. Thom. vbi ſupra, nam certum eſt (inquit) quod omnis lex ſiue humana ſiue diuina proficiſcitur à ratione & voluntate legislatoris, lex quidem naturalis & diuina à rationabili Dei voluntate, lex autem humana, à voluntate etiam hominis ratione regulata. Hæc autem legislatoris voluntas, vt plane conſtat non vno tantum modo manifeſtari poteſt ſed duplici, nempe verbo & etiam facto, nam ſicuti quis verbo manifeſtat ſuam voluntatem & intentionẽ alteri quia (vt inquit Ariſt.) voces ſunt ſigna conceptuum, ita etiam & facto poteſt illam manifeſtare, quod enim vnuſquiſque bonum eſſe videt & eligit, id opere complet, ſeu operibus ab alijs fieri & compleri finit: ergo ſicut lex verbo poteſt ſtatui & introduci, ita & facto ſiue conſuetudine idipſum effici poteſt, per exteriores actus multiplicatos, qui conſuetudinem efficiunt, quatenus per eos mens ſiue intentio atque voluntas ipſius legislatoris exprimitur, quod ita vult fieri. Hæc ſupradictus D. Thom. Ex quo argumento clare ac manifeſte colligitur, qualiter conſuetudo legitime præſcripta, non ſolum valet legem præteritam tollere, amouere & immutare, no uamque efficere, verumetiam ipſa eſt quæ meliori modo, legis & eiuſdem latoris mentem & intentionem interpretatur, vt etiam patebit amplius ex infra dicendis. Sed nunc ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur.

Nota valde, quod ſicut ilex fit & fieri poteſt verbo, ita & conſuetudine introduci.

Ad primum. Ad primum quod naturalis & diuina lex, pro eo quod procedit (vt dictum eſt) à voluntate diuina, non poteſt immutari per vllam conſuetudinem, procedentem à voluntate hominis, ſed ſolum per auctoritatem & voluntatem Dei, quo fit vt conſuetudo nulla contra legem naturalem & diuinã

vim

vim legis poſſit obtinere, vt tenet communis ſententia Theologorum atque Canoniſtarum, aſſerentium quod lex naturalis & diuina eſt immutabilis. Qua de re videatur D. Thomas vbi ſupra, & capit. *mala. cap. veritate, cap. ſi conſuetudinem, diſtinct.* 8. Secus eſt autem de lege humana, nam ſicuti lex humana verbo tenus, Principis, ſeu legislatoris voluntatem ſignificante, poteſt ſtatui atque inſtitui, ita etiam & facto, eodem Principe ſeu Legislatore vidente conſentiente atque diſſimulante, & conſuetudinem introduci permittente, quæ quidem permiſſio eſt quidam ipſius tacitus conſenſus, & manifeſtatio propriæ ſuæ voluntatis. Vnde non valet argumentum adductum ad probandum quod conſuetudo præualere non poſſit contra legem humanam, ex eo quod ipſa præualere non poteſt contra legem naturalem & diuinam, nam eſt multum diſpar ratio vt de ſe patet.

Ad ſecundum

Ad primam confirmationem ſiue ſecundum argumentum, reſpondeo primo, quod non ſemper conſuetudo introducitur per actus illicitos, quin vero aliquando introduci poteſt per actus licitos & factos abſque peccato. Nam cum leges (vt ſupradictum eſt) non inſtituantur de actibus in particulari, ſed in communi, ſtare optime poteſt, quod humanæ leges in aliquibus caſibus deficiant nec obligent in illis nempe, in quibus eam ſeruari nõ expedit bono communi, atque ita tunc contra ipſas ſeu præter ipſas agendo, eiuſmodi actus non erunt mali, cum in ipſis leges deficiant. In his ergo caſibus conſuetudo contra ipſas per actus licitos poteſt inchoari. Qui quidem actus frequentati vim legis obtinebunt, cum per illos ſatis oſtendatur legem aliquam antiquam fuiſſe inutilem, ſicut & manifeſtaretur idipſum, ſi contraria lex fieret, verbo, & publicaretur. Hæc ſolutio eſt D. Thomæ vbi ſupra, in ſolutione ad ſecundum, Addit tamen quod ſi manet eadem ratio, propter quã prima lex conſtituta vtilis erat, in tali caſu non quidem conſuetudo vincit legem, ſed lex ipſa conſuetudinẽ, niſi forte eadem lex propter hoc inutilis eſſe videatur, quia non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem patriæ, quæ eſt vna de conditionibus legis, vt habetur in *cap. erit autem lex, 4. d.* Difficile eſt enim inquit D. Thomas, conſuetudinem multitudinis remouere. Hæc ſupradictus Diuus Thomas. Sed tamen in hac ſua ſolutione, diminute proceſſiſſe videtur dicendo qualiter conſuetudo aliqua per actus licitos, poſſit inchoari, & nihil reſpondendo ad id quod petit argumentum, ſiue confirmatio ſupradicta, nempe in caſu quo inchoetur conſuetudo per actus illicitos. Cui difficultati Caietanus ipſius commentator reſpondet quod etiam ſi tunc incipiat ſiue inchoetur conſuetudo per actus illicitos, lapſu tamen temporis poteſt vim & robur legis obtinere. Peccabunt quidem, inquit, ipſam introducentes abſque iuſta & legitima cauſa, ſed tamen non peccabunt poſteri, eadem conſuetudine vtentes, & exiſtimantes, atque credentes, bonum ipſam habuiſſe principium. Qua de re videndus eſt Magiſter Soto libro primo, de iuſtitia & iure, quæſtione ſeptima articulo ſecundo, in ſolutione ad ſecundum, vbi hac de re agens, vtitur ſequenti diſtinctione. Inquit enim quod debemus conſiderare, binos conſuetudinis effectus, quorum primus eſt, vt priſtina lex antiquetur, cuius reſpectu dicit, quod etiam illa conſuetudo, quæ illicitum habuit principium, vim legis poteſt obtinere, ſi non apud eoſdem homines ipſam introducentes, ſaltim apud poſteros, illos ſubſequentes. Et ponit exemplum, in caſu quo cœperunt anteceſſores noſtri praue agere contra aliquam legem, certum eſt quod quamuis illi peccauerint, nos tamen in noſtro ſeculo inuenientes eiuſmodi legem conſuetudine abrogatam, non tenemur ſcrutari de illa, quale habuerit initium, ſed liberi omnino ſumus ab illa lege. Alter vero effectus conſuetudinis eſt (inquit) obligare, cuius reſpectu conſuetudo, non ſortitur vim legis, quandiu per actus illicitos increbuerit, cum lex eſſe debeat iuſta & æqua ſortietur tamen illum poſtmodum, quando legitime fuerit introducta, & reſpectu poſterorum & ſubſequentium. Hæc certe valde ſunt notanda, atque memoriæ commendanda.

Nota quod cõſuetudo non ſemper introducitur per actus illicitos, ſed quandoq; per licitos.

Nota valde, quod etiamſi cõſuetudo in ſe rdũ inchoetur per actus illicitos lapſu tamẽ temporis vim legis poteſt obtinere.

Notaqualiter peccent introducẽtis depra uatam aliquã conſuetudinẽ non vero poſteriores ipſam ſequuntur.

Ad ſecundam confirmationem ſiue tertium argumentum reſpondeo cum eodem Diuo Thoma, vbi ſupra, quod multitudo priuatorum hominum, introducentium aliquam conſuetudinem, duplici ter poteſt conſiderari, ſeu duplicis eſſe poſſunt cõditionis. Nam vel liberam conſtituunt Rempublicam, quæ ſe ipſam gubernet ſine Principe, & tunc mos & conſuetudo populi, erit quaſi conſtitutio legis, nec huiuſmodi cenſentur aut cenſeri debẽt quaſi perſonæ particulares, ſed publicæ, cum ſint ipſa Reſpublica: aut vero non liberam conſtituunt Rempublicam, ſed degunt ſub Rege, aut ſub aliquo alio Principi, in quo quidem caſu, inquit Diuus Thomas, quod cenſentur perſonæ particulares, & currit quod argumentum prætendit, ſed dicit quod in tali caſu conſuetudo ipſa introducta, non eſt per ſe lex, niſi quatenus ſuſtinetur à Principe, & eſt veluti interpretatio voluntatis ipſius, de quo infra dicemus amplius. Hactenus de iſto Articulo.

Ad tertium Argumentũ.

ARTICVLVS III.

Quænam ſint de eſſentia & ratione conſuetudinis, ad hoc, vt vim legis poſſit obtinere, & priorem legem tollere?

Prima Concluſio.

Cõſuetudo ad hoc vt vim legis poſſit obtinere, debet eſſe rationabilis

NOnter conditiones requiſitas ad rationem conſuetudinis, & ad hoc vt ipſa vim poſſit legis obtinere, & priorẽ legem tollere, prima atque potiſſima eſt, quod ſit rationabilis. Hæc cõcluſio habetur expreſſa in *c. cum tanto, de conſ.* de qua videndus eſt Sylu. *v. conſuetudo, q. 4.* & Sot. *l. 1. de iuſt.* & *iur. q. 7. art. 2.* & Med. *in 1. 2. D. Tho. q. 97. ar. 3.* & ratio huius cõcluſionis in promptu eſt, Nam cum conſuetudo æquipoleat legi, ſitque quædam lex non ſcripta, ſed moribus hominum comprobata atque introducta, & de eſſentia & ratione legis cuiuslibet ſit, vt ea ſit rationabilis, iuxta id quod habetur in *ca. erit autem lex,*

d.4. manifeſte colligitur quod conſuetudo quæ fuerit iniuſta atque irrationabilis, ſiue ratione carens nullatenus vim & robur legis poterit obtinere. Sed in conſtituendo atque determinando, quænã conſuetudo ſit dicig; debeat rationabilis, eſt magna lis & controuerſia inter DD. Quidam enim dicunt, illam conſuetudinem eſſe rationabilem, quã iura non improbant ſed ſuſtinent, irrationabilem vero illã quæ nullo iure ſuſtinetur. Hoc dicit Glo. præd. cap. *quanto, de conſuetud.* in quod allegat plura iura, *c. cum dilectus eod. tit. c. cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſionis, cap. Abbate, de verbor. ſignifi.* Sed iſte dicendi modus non placet Sylu. *ver. conſuetudo, q.* 1. quia inquit per id conſuetudo rationabilis non ſufficienter deſcribitur, & eſt regula multum vniuerſalis, vt patebit intuenti. Alij autem dicunt, quod hac de re nõ poteſt ferri ſufficiens iudicium, ſed relinquendum eſſe iudicum arbitrio, quæ conſuetudo dicenda ſit rationabilis, quæ vero non. Sed inquit vlteriuspræ dictus Sylu. quod neque hoc videtur benedictum, nam ſtare poterit duorum iudicum eſſe contrariũ arbitrium, de rationabilitate conſuetudinis aduerſantis legi, poſſentque ſubinde eadem de re, contrarias ſententias ferre, vnus ſecundum legem, alter vero ſecundum contrariam legi conſuetudinẽ, ſicque eſſet rixa & diſceptatio inter eos. Quam ob cauſam quidam alij DD. Iurisperiti, nempe Ant. in *cap. fin. de conſuet.* & Gem. in *cap. licet, de conſtitut. in 6.* dicunt, quod conſuetudo in tantum eſt rationabilis, in quantum participat de ratione iuris ſiue legis, qui quidem finis in iure Canonico eſt tõlicitas animæ, in Ciuili vero bonum commune Reipublicæ, vt notat Gloſ. in *c. cum contingat de iur. iurando.* Quo inquiunt fit, vt conſuetudo ſicuti & lex, iuxta mẽtem D. Iſidori in *c. conſuetudo, d.* 1. eſſe debeat quæ Religioni conueniat, diſciplinæ congruat, atque ſaluti proficiat. Quibus ſi in aliquo fuerit contraria, vt pote ſi per ipſam peccatum nutriatur, aut diſciplinæ non congruat, nec communi ſaluti proficiat, eã ſeri debet de ſe irrationabilis, nec poterit ſeruari ſine peccato, iuxta *cap. quæ contra mores, d.* 8. etiam ſi alias conueniret iuri Ciuili, qualis eſt conſuetudo mutuandi ſub vſuris, quæ pro bono publico olim permittebatur, nam bonum animæ præponderat cuicumque bono temporali, ſed Pano. de ijs agens in *d. ca. fin. eod. tit.* inquit, quod conſuetudo dicitur rationabilis, quando aliquo bono fine inſtituitur, licet alias ſit contra ius quod eſt rationabile: nam quamuis conſiderata vnica ratione, ſiue vnico fine, conſuetudo quæ eſt cõtra legem, non eſſe poſſit rationabilis, ſub diuerſis tamen rationibus bene poteſt conſuetudo etiam contra legem eſſe rationabilis. Et ponit exemplum, nam ius eſt & rationabile, quod Epiſcopus tractet negotia ſuæ Eccleſiæ cum conſilio capituli, iuxta *cap. nouit, c. quanto de his quæ fiunt à Prælatis,* & quia firmius eſt iudiciũ plurimorum, iuxta *cap. prudentiam de off. deleg. & c. de quibus d.* 20. & tamen conſuetudo poteſt contrarium introducere, vt habetur in *c. non eſt, de conſuetudine, li.* 6. quæ quidem conſuetudo alia ratione erit etiam rationabilis, vt ſcilicet negotia eiuſdem capituli in aliquo caſu citius expediantur. Prædicta omnia dicit Sylu. eſſe bene dicta. Sed inſufficienter, quia ſi cõſuetudinis finis eſſet bonus, & haberet aliquas circunſtantias malas, nõ eſſet rationabilis, ſicut neque lex, nam & ipſa conſuetudo eſt quædam lex. His igitur ſic præmiſſis, ſequens ſtatuitur generalis regula ad ſciendum quænam conſuetudo dicenda ſit rationabilis. Dico ergo, quod conſuetudo in eo caſu erit rationabilis, quo rationabilis eſſet etiam lex ſi de nouo cõderetur, mutata lege priori ſi qua erat, vel non mutata ſi non erat. Ita quod conſuetudo habens conditiones legis ſuperius poſitas, Quæſt. 29. Art. 9. cui etiam non defuerint aliæ conditiones inferius ponendæ (nam bonum eſt ex integra cauſa, malum vero ex quocumque defectu) dicẽda eſt rationabilis. Quod eſt valde aduertendũ, nam non modica difficultate caret, qualiter cõſuetudo aliqua contra ius, eſſe poſſit rationabilis, cum ius fundetur ſuper ratione, vt habetur in *ca. erit autem lex, 4. d. & in l. leges ſacratiſſimæ. C. de leg. & ca. conſuetudo, d.* 1. Ex quo videtur, quod conſuetudo iuri contraria non eſſe poſſit rationabilis, quia ſi vnum eſt bonum & rationabile, aliud debet eſſe malum & irrationabile, iuxta *cap. intellecto, de iure iur. & cap. hoſpitiolum* 22. *d.* Sed nihilominus ſtandum eſt in dicta generali regula, & ex ipſa deſcendendum eſt ad particularia & ſingularia, neque enim poteſt melior alia conſtitui, ſiue aſſignari.

Nota valde quænã cõſuetudo cẽſeatur rationabilis.

Nota quod cõſuetudo vt ſit rationabilis, debet habere cõditiones legis iuſtæ, & tunc non vero aliter vim legis obtinebit.

Secunda Concluſio.

Cõſuetudo vt vim legis habeat, debet eſſe legitime introducta, & præſcripta.

SEcunda conditio requiſita ad hoc vt conſuetudo vim legis poſſit obtinere, & priorem legem tollere, eſt quod ſit legitime introducta & præſcripta, ideſt obtenta per curſum temporis ad præſcriptionem requiſiti. Hæc concluſio habetur etiamin *d. cap. de conſuetudin.* & de ea videndus eſt Sylueſter *verbo, conſuetudo, quæſt.* 4. Sed circa tempus requiſitũ ad præſcribendam conſuetudinem, inter Doctores Iuriſperitos ſunt variæ atque diuerſæ opiniones. Panorm. enim in *d. cap. fin. de conſuetudin.* inquit, quod ad introducendam conſuetudinem, de iure Ciuili videtur ſibi ſufficere tempus 16. annorum, nam ad introducendam huiuſmodi conſuetudinem, iura ciuilia ſolum requirunt longum tempus, vt habetur *C. quæ ſit longa conſuetudo in rubro & nigro,* argumẽto etiam deducto ex *l.* 2. *C. de ſeruit.* longum autem tempus, ſecundum eadem iura, eſt decem annorũ, vt habetur *C. de præſcript. longi temp. per tõtum, & in Gloſſ. dictæ rubri. & C. quæ ſit longa conſ.* quod etiam tenet Bartol. *l. de quibus, ff. de legibus,* & Cynus in *d. l.* 2. Sed alij dicunt expectandum eſſe tantum tempus, quod in contrarium hominum memoria non exiſtat. Alij autem & verius, dicunt quod ſufficit prædictum tempus decem annorum, inter præſentes, viginti vero annorum inter abſentes, vt habetur expreſſe *C. de præſcriptione longi temporis,* vbi longum tempus in quo inducitur præſcriptio, dicitur eſſe decem annorum inter præſentes, viginti vero annorum inter abſentes, & hoc videtur tenendum. Qua de re videatur Sylueſter vbi ſupra, quæſtio. 2. num. 4. Hoc quantum ad ius Ciuile.

Quantum tempus ſufficiat, ad præſcribendam conſuetudinem, tam de iure ciuili, quã canonico?

De iure ciuili ad præſcribendam conſuetudinem inter præſentes, ſufficit decem annorũ tempus, viginti vero inter abſentes.

De iure vero Canonico, inquit Panormitanus vbi ſupra, quod ſi conſuetudo eſt præter ius, ſufficit tempus decem annorum. Pro quo facit Gloſſa in *cap. fin. de conſuetudinibus in 6. & capt. conſuetudo. diſtinctione.* 12. Sed hoc limitandum eſt ſecundum Innocen. in *cap. cum dilectus, de conſuetudin.* niſi detraheretur iuri alicuius Eccleſiæ particularis, tunc enim requi-

requiritur tempus debitum & ad præſcriptionem requiſitum quod eadem & fortiori ratione, dicendum eſt de iure Eccleſiæ vniuerſalis, iuxta dictum Panorm. vbi ſupra, quia non minus debet eſſe fauorabile totum Eccleſiæ corpus, quam particulare ipſius membrum. Si vero conſuetudo fuerit contra ius, requiritur tempus quadraginta annorum, nam oportet eam eſſe pręſcriptam, vt habetur in *d. cap. fin. & in c. 3. de conſtitut. in 6.* & certum eſt quod in minori tempore præſcribitur. Quod venit etiã limitandum, niſi Papa id ſciret & ſcienter diſſimularet, tunc enim dicunt quidã Doctores, quod ſufficeret prædictum tempus decem annorum. Sed contrarium eſt verius & communius, nam vt dicit Innocen. conſuetudo debet eſſe præſcripta & ſecundum Canoniſtas, conſuetudo non iudicatur præſcripta, niſi illa quæ quadraginta annorum fuerit, *per cap. Cumana, de elect. cap. olim, de cenſibus, cap. auditis, de præſcript.* quod eſt intelligendum in præſcriptione rei aut iuris eccleſiaſtici, vt conſtat ex omnibus ſupradictis allegatis iuribus. Si autem conſuetudo ſit contra ea quæ ſeruata ſunt Principi in ſignum ſpecialis priuilegij, dicit Sylueſter vbi ſupra, quod tam de iure Ciuili, quam Canonico, requiritur tẽpus, de cuius initio non ſit memoria hominis, vt eſt textus expreſſus in *cap. ſuper quibuſdam, de verbo. ſignificat.* De quibus videatur Sylueſter vbi ſupra, *quæſt. 4. num. 6.*

De iure Canonico, ſi cõſuetudo eſt præter ius, ſufficit tẽpus 10. annorũ, ſi vero fuerit contra requiritur 40. annorum.

Tertia Concluſio.

Quot eſſe debent actus, ad hoc vt conſuetudo cẽſeatur legitime introducta, vimq; legis habere?

TErtia conditio ad conſuetudinem requiſita eſt quod mores ſiue actus per quos inducitur, ſint tot, ac tanti, & ita notorij, quod verisimiliter tranſeant in notitiam Principis ſiue populi, ſintque tales, vt eiuſdem Principis, aut populi conſenſum, ſiue voluntatem arguant, nam tacitus Principis, ſiue populi conſenſus, eſt qui ſolum inducere poteſt conſuetudinem vim legis habentem. Hæc concluſio colligitur expreſſe ex *d. l. de quibus. ff. de legib.* & eſt expreſſa ſententia Panormit. loco ſupracitato, & huius ratio in promptu eſt, nam conſuetudo de ſe ipſa vim legis non poteſt habere, niſi quatenus à Principis ſiue populi conſenſu dimanat. Qui quidem conſenſus eſſe debet expreſſus, aut ſaltem tacitus, ſiue interpretatiuus, cuius tunc euidens argumentum eſt, ſi Princeps videat violari legem, nec puniat eius transgreſſores, violatores, & introductores deprauatæ cõſuetudinis, nam ex quo videt & tolerat, non videtur velle inijcere vinculum. Sed circa actus qui ad hoc requiruntur, eſt etiam magna lis & controuerſia inter Doctores Iuriſperitos, quidam ſufficere dicunt ad introducendam conſuetudinem, vnicum actum ſi ſit notorij, & conſtet de eo Principi. Sed Panorm. inſurgit cõtra hoc & dicit, quod ſecundum Cardinalem in *d. l. de quibus*, non ſufficit vnus actus quantumcũque ſit notorius, nam conſuetudo introducitur ex frequentia actuum, quæ quidem ceſſat, vbi actus eſt tantum vnicus. Eſt enim contra eſſentiam & rationem conſuetudinis, quinvero & contra ſignificationem vocabuli, quod introducatur per vnicum tantum actum, nam conſuetudo dicitur, quaſi communis aſſuetudo, quæ plures actus requirit. Præterea probatur idipſum, quia ex vnico tantum actu, quantumcumque notorio, non poteſt dici quod haberetur Principis aut populi conſenſus, nam forte per errorem vel gratia euitandi ſcandali, pro prima vice non contradixit. Ex quo ſatis aperte appareret, quam male dixerunt illi, qui tenuerũt per vnũ actum introduci poſſe conſuetudinem, ſi appareat de expreſſo conſenſu Principis ſiue populi, volentis per illum actum induci cõſuetudinem, nã quid quid de hoc ſit, de ratione tamen cõſuetudinis (vt dictum eſt) eſt pluralitas actuum, vt patet ex ipſius diffinitione & nominis etymologia, & in eo caſu nõ eſſet cõſuetudo, ſed principiũ conſuetudinis. Solummodo limitat hoc Panor. vbi ſupra in caſu quo huiuſmodi vnicus actus, cauſam habet ſucceſſiuã, & continuationẽ temporis ſufficiẽtis ad inducendã cõſuetudinem, nã in tali (inquit) caſu induceretur conſuetudo, & ſufficeret. Et adducit exemplum ex *cap. cum de beneficio, de præb. in 6.* vbi ſi beneficium ſeculare confertur Regulari, & ab eo poſſidetur tempore neceſſario ad inducendam conſuetudinẽ pręſcriptam, efficitur Regulare & è contra, licet vnica tantum interuenerit collatio. Et idem eſt dicendũ ſi ædificaretur pons in aliquo loco publico, & haberet cauſam ſucceſſiuam per dictum tempus. Et huius ratio eſt, quia quamuis ille actus ſit tantum vnus ratione rei factæ, quæ fuit vnica, eſt tamẽ multiplex ſaltem virtualiter, propter temporis diuturnitatem, in qua actus eſſent multiplices, & ſi de facto non ſint nihil obſtat, cum neque artifices ſemper & continue operentur.

Nota valde, quod conſuetudo non poteſt vim legis habere, niſi quatenus à Principis, ſiue populi conſenſu dimanat.

ad introducẽdã conſuetudinẽ, vim legis habentem.

Alij vero Doctores, alia procedentes via dicũt, quod ad introducendam conſuetudinem ſufficiunt duo actus, quod & probant ex *ca. ita nos. 25. q. 2.* Sed nihilominus hoc etiam non eſt verum quantum ad propoſitum conſuetudinis, de qua in præſentiarũ eſt ſermo, cum conſuetudo eſſe debeat præſcripta vt dictum eſt per *cap. fin. extra eod. titu.* niſi eiuſmodi actus eſſent etiã permanentes, & haberent cauſam ſucceſſiuam, & continuationem temporis neceſſario ad præſcriptionem requiſiti, Et credo quod fautores prædictę opinionis ſunt decepti & in eo errore, vt credant, illos tantum actus ſufficere ad introducendam conſuetudinem, & ad abrogandas leges, quæ ſufficiunt ad hoc vt aliquid nõ ſit lex, ſeu ad hoc vt aliqua lex dicatur non recepta, in quo eſt latiſſimum diſcrimen. Nã plus requiritur ad abrogandam legem, quã ad impediendũ introductionẽ ipſius, ſeu ad hoc vt aliqua lex non habeat vim. Vnde aſſeueranter dicendum eſt, quod duo tantũ actus non ſufficiunt ad abrogandam legem, neque ad introducendam conſuetudinem vim legis habẽtem. Sufficient quidẽ in criminalibus, vt dicit glo. in *d. c. ita nos, ver. vſum*, allegando in id *l. 3. C. de epiſc. audient. in fin.* non tamen in ciuilibus. Qua de re videatur Sylu. *v. conſuetudo, q. 4. n. 7.* vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaq; notatu digniſſima. Concludendo ergo dico, quod ad introducendã conſuetudinẽ prædictam, requiritur frequentia, ſiue pluralitas actuum. Ad quod faciunt *l. ſed & ea, ff. de legib. & l. nam Imperator ibidem, & l. ſed & ſi pupillus. ff. de inſtitu. & ſubſt.* In quo quidẽ multũ valet arbitriũ boni viri, qui & in hoc debet aduertere, quod ſicut ad acquirẽdũ ius itinerisper aliquẽ locũ priuatũ, pluſquã triginta actus requiruntur, vt dicit quidã Iuriſcõſultus in *l. 1. §. hoc interdicto. ff. de itinere actuq; priu.*

Nota valde, quod ad introducendã conſuetudinẽ non ſufficiũt duo tãtũ actus, maxime in ciuilibus.

Plus requiritur ad abrogãdã legẽ, quam ad impediendam introductionem ipſius

Nota, quod ad introducendã conſuetudinẽ requiritur frequentia actuũ

Nota quod nõ ſufficit vnicus actus vtcumque notorius

ita & ad introducendam consuetudinem contra legem, seu vim legis habentem, plures sunt actus requisiti, ita vt iure præsumi possit consensus Principis, siue populi. Et hæc circa hoc breuiter dixisse sufficiat.

Quarta Conclusio.

Quo animo & qua intentione fieri debēt actus ad inducēdā consuetudinem.

QVarta conditio, ad consuetudinem etiam requisita est, quod eiusmodi actus & mores hominum per quos introducitur, fiant eo animo, eaque intentione, qua lege siue Principe præcipiēte fierent, argumento deducto ex *l. vlt. ff. de vi, atque priu. & l. 1. §. Iulianus recte, eod. tit. & leg. fin. ff. quem admodum serui. amitta.* Volo dicere quod ad hoc vt cōsuetudo vim habeat legis, obligationemque aliquid faciendi possit inducere, necessum est quod illi actus, per quos introducenda est, tali animo fiāt vt obligationem inducant, eo modo quo illam induceret scripta lex si eadem de re fieret. Etenim si huiusmodi actus, non ea intentione & eo animo fierent vt sint obligatorij, sed ex mera & libera voluntate procederent, per tales certe actus nunquam introduceretur consuetudo, quæ vim legis habeat & obligationem inducat. Pono exemplum de quibusdam Religionibus, in quibus consuetudo introducta fuit, recitandi officium paruum Dominæ nostræ, seu ieiunandi certis quibusdam diebus, non quidem per viam obligationis, sed permodum deuotionis, dico quod in tali casu eiusmodi consuetudo non habet vim legis, nec obligationē inducit. Et idem dico de illis hominibus siue mulieribus, quæ pietatis & deuotionis gratia, non autem obligationis celebrare incipiunt aliquem diē festum, aut facere aliquod pium opus, non tanquā ex præcepto, sed ex quadam animi pietate, vt feria quarta abstinere à carnibus, certissimum est quod in his omnibus & similibus casibus, si consuetudo (vt præmittitur) processit ex libera deuotione, & non ex animo se obligandi, nunquam vertitur in præceptum, nec vim aut robur legis habet; nam ad id requiritur quod actus per quos introducenda est consuetudo, animo obligandi fiant, atq; eo animo & intentione, qua lege siue Principe præcipiēte fierent. Videatur hac de re Sylvest. *v. consuetudo, q. 14.* vbi ad hoc propositum adducit plura exempla, in quibus non inducitur consuetudo.

Quinta Conclusio.

Cōsuetudo ad hoc vt vim legis habeat, debet esse vniuersalis & nō particularis, ac potentium ipsam introducere.

QVinta conditio vt consuetudo vim habeat legis, ac robur obligandi, priorēmque legē tollat, est vt ipsa sit vniuersalis & non particularis, & potentium eā facere siue introducere. Hęc cōclusio est certa & manifesta, quo fit vt festa quæ interdum seruantur à quibusdam, ab alijs autem non obseruantur, interim dum hæc cōsuetudo permixta est, non habet, sed nec habere potest vim legis, nam ad id est necessarium, quod maior pars populi tali vtatur consuetudine, aut eiusmodi consuetudinem approbarit, tacite vel expresse. Quinvero addo secundum opinionem quorundam, in id ipsum oportere, vt sint duæ partes populi, siue Collegij, *iuxta l. nulli, & l. plane. ff. quod cuiusq; vniuersitatis.* Nam aliter, sicut neque legem, ita neque consuetudinem ipsi poterunt efficere. Et quod dicitur de maiori parte, intelligendum est de maiori parte, habente consensum habilem ad instituendam siue condendam legem, nam pueri, mulieres, furiosi & huiusmodi, non computantur quoad hoc in aliorum numero, quia legē ipsi non possunt constituere, iuxta *l. 1. ff. de legibus.* Multa alia dicuntur requiri, ad introducendam consuetudinem vim legis habentem, de quibus videatur Panorm. in *d. cap. fin. de consuetudinibus*, & Sylvest. loco vbi supra.

ARTICVLVS IIII.

Quinam possint introducere consuetudinem vim legis habentem, & priorem legem abrogantem?

HAnc difficultatem tractat Sylvest. *verbo, consuetudo. q. 5.* & de mente & sententia D. Thom. 2. 2. q. 97. arti. 3. in solu. ad 3. vnica distinctione præmissa, respondet per duas Conclusiones.

Prima Conclusio.

Plus valet cōsensus multitudinis si libera est, ad introducendā consuetudinē vim legis habentē quā cōsensus etiam ipsius Principis.

SI multitudo, cuius consensu consuetudo introducitur, libera est, & quæ possit sibi facere legē plus valet consensus multitudinis ad aliquid obseruandum, quod consuetudo manifestat, quam cōsensus & auctoritas ipsius Principis. Hæc conclusio est expressa D. Thom. & Sylvest. locis supracitatis. Et probatur, nam ex suppositione quod multitudo siue Respublica libera sit, maior est ipsius potestas ad faciendam legem, introducendamque consuetudinem, quam auctoritas Principis, qui nō habet eiusmodi potestatem, nisi ab ipsa Respublica & in quātum gerit personam multitudinis, quo fit, vt quamuis singulares & priuatæ personæ nō possint sibi condere legem, neque consuetudinem introducere (vt supradictum est) multitudo tamen & totus populus siue Respublica, id optime facere potest, & multo meliori ac potiori iure quam Princeps, cum, vt inquit Aristoteles: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Secunda Conclusio.

Si multitudo qua consuetudo introducitur non est libera, non potest per se introducere consuetudinem vim legis habentē, nisi in quātū tolerat ur per Principem.

SI autem multitudo qua consuetudo, introducitur, non habet liberam potestatem cōdendi legem, vel legem à superiori potestate positam remouendi, non potest per se introducere consuetudinem vim legis habentem, & priorem legem abrogantem, nisi in quantum toleratur per eum siue per eos ad quos pertinet eidem multitudini imponere legem. Hæc etiam conclusio est D. Thom. & Sylvest. locis supracitatis. Et ratio eius in promptu est, cum dicta multitudo non sit libera ad condendam legem, ac proinde nec ad introducendam consuetudinem, quinvero ex eo solo consuetudo videtur esse introducta legitime, quatenus à Principis & Reipublicæ curam gerentis voluntate, tacita vel interpretatiua dimanat, nam ex hoc solummodo

do approbare videtur id, quod consuetudo introduxit. Ex quibus duabus Conclusionibus infertur quod consuetudinem vim legis habentem, & priorem legem abrogantem solummodo facere potest multitudo libera ad condendam legem, aut non libera ex sola tolerantia illius, qui potest condere legem. Nam secundum ius & veram philosophiã, à quo remouetur genus, id est potestas condendi legem, remouetur etiam & species, nempe potestas inducendi consuetudinem. Facit adhoc *l. filius. ff. de donation. & l. iurisgentium. ff. de pactis.* Quod autẽ consuetudo sit species iuris, patet ex *inſt. de iure naturali. §. constat.* quæ hæc de isto Articulo dicta sufficiant.

Nota quod cõsuetudo est species legis, vnde qui non potest facere legem, neq; potest introducere consuetudinem vim legis habentem

ARTICVLVS V.

Vtrùm quæcunque inueterata consuetudo, vim legis habeat, & priorem legem tollere siue abrogare possit?

POstquam in superioribus Articulis ostendimus quid sit consuetudo, & qualiter ipsa vim legis possit habere, & conditiones etiã & qualitates in id ipsum requisitas, & quinam sint illi, per quos introduci potest consuetudo, ad particularia descendendo, non abre visum est, in præsentiarum eadem breuitate & resolutione dicere, vtrùm quæcumque inueterata consuetudo vim legis habeat, priorémque legem tollere & abrogare possit. De qua difficultate agit latissimè supra dictus Syluest. verbo, *consuetudo*, quæst. 6. verbis desumptis & mutuatis ex Panorm. in cap. fin. *de consuetud. in fin.* vbi proponit quæstionem de effectu consuetudinis. Ad cuius resolutionem præmittit distinctionem quandam, dicendo quod omnis consuetudo esse potest, aut secundum legem aut præter legem, aut verò contra legem. Qua distinctione præmissa, de mente & sententia eiusdem Panormit. & aliorum, propositæ difficultati resolutiuè respondeo per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Consuetudo, quæ est secundum legẽ, valet in omni casu, & ipsa est optima legum interpres.

IN casu quo consuetudo fuerit secundum legem omni proculdubio valet vimque habet legis, quin verò ipsa est optima legum interpres. Hæc Conclusio probatur expresse, ex cap. *cum dilectus, de consuetud. & ex l. si de interpretatione, & ex l. minime. ff. de leg.* quod & adeò verum est, vt consuetudo legẽ ipsam confirmet. Quæ etiam ratione in iure sæpissime allegatur textus, & consuetudo circa idem, vt patet ex sup. adicto cap. *cum dilectus, de consuetud.* & cap. *sapiẽtes, de censibus*, facit & adhoc quod notat Glossa in cap. 1. *de constit. in 6.* vbi quæritur. Numquid si consuetudo habet id quod lex, tollata legẽ tollatur consuetudo? Et respondet quòd non: videatur hac de re quod dicit sup adictus Panormitan. in cap. 1. & cap. *sapiẽtes, de legat. Spirituali.* & Bart. & Legistæ communiter, in l. 1. §. *lex Falcidia. ff. ad l. Falcidiam.* Sed aduertendum est, quod ad hoc vt consuetudo legem aliquam interpretetur, duæ sunt conditiones necessariò requisitæ. Prima quod prædicta consuetudo sit publica & neminẽ lateat, nam si à multis aliquid seruatur, in occulto tamen sic vt ad notitiam Principis non perueniat, sed neque peruenire potuerit, eiusmodi consuetudo nõ est fida legum interpres. Secunda conditio est, quod eiusmodi Princeps, expresse vel interpretatiue approbet dictam consuetudinem, ita quod sciat & non puniat, etiamsi delictum deferatur in iudicium, nam si consuetudo per Principem non fuerit approbata, quin verò contradicta, nõ etiam erit fida legis interpres. Ex his clare satis colligitur, qualiter valeat consuetudo, quæ viget, lumen dicollationem in diebus ieiunij, nam quamuis sit lex antiquissima, vt in diebus ieiunij non comedamus, nisi semel in die, idque hora nona, seu sexta pomeridiana, horas computando ad modum, quo computantur in nostra Hispania, quia tamen consuetudine introductum est quod noctu aliquid sumamus, & hæc consuetudo est publica, ita vt neminem lateat, approbata etiam à Principe, hoc est à Romano Pontifice, expresse aut saltim interpretatiue, cum id sciens ac videns, non puniat, nec prohibeat, quia verò cõsentiat valet proculdubio eiusmodi cõsuetudo, estque optima supradictæ legis interpres. A contrario autem sensu, non valet consuetudo, quæ introducta est à Tabellionibus, exigẽdi aliquid vltra taxatũ pretiũ, & idẽ dico de similibus, vt de stabularijs & alijs, cum eiusmodi consuetudo non sit publica, ita vt neminem lateat & quamuis sit publica idque fiat frequentissime, & ita fieri Princeps cognoscat, non tamen approbet, quin potius prohibeat & puniat eiusmodi delictum, si deferatur in iudicium, quod argumentũ est efficax, non approbandi consuetudinem prædictam, sed quod vult seruari legem à se positam. Hinc fit, vt prædicta consuetudo non sit legitima legis interpres, nec deobliget in conscientia, quin verò peccatum sit facere contra id quod lege præcipitur, quod est valde notandum ac memoriæ cõmendandum.

Nota quod cõsuetudo cõfirmat legẽ, & in id ipsum allegatur interdum simulcũ lege.

Quænam conditiones requirantur, ad hoc vt consuetudo legem interpretetur, seu vim legis obtineat

Nota pro consuetudine faciẽdi collationem, vel comedẽdi ex carnibus die Sabbatorum.

Secunda Conclusio.

Consuetudo, quæ est præter legem, valet si optimis circũstantijs fuerit vestita.

IN casu etiam quo consuetudo fuerit præter legem, etiam valet vimque legis habet, si vt supra diximus debitis conditionibus & circunstantijs fuerit vestita. Hæc Conclusio est etiam Panormitani, loco supracitato, & probat eam ex cap. *catholica. cap. in his*, distinct. 11. & ex cap. *consuetudo*, dist. 1. de quo nulla esse potest ratio dubitandi, ac propterea circa prædictam Conclusionem, nihil aliud in præsentiarum dicendum occurrit. Maior difficultas est, de casu, quo consuetudo fuerit contra leges, & cum leges sint multiplices, nam quædam & omnium prima est lex naturalis diuina, alia verò diuina positiua, quædam humana, & hæc alia ciuilis, alia verò Canonica, & inter Canonicas, alia contra libertatem & immunitatem Ecclesiæ, seu illi contraria & eodem iure prohibita, de his omnibus in particulari, quo omnia manifesta fiant, peculiares sunt statuendæ Conclusiones, & primo de consuetudine, si quæ fuerit contra legem naturalem aut diuinã introducta, an valeat, de qua fit tertia Conclusio.

Tertia Concluſio.

cõſuetudo cõtra legem naturalem & diuinam, nihil omnino valet niſi forſan in aliquo ſpeciali caſu.

SI conſuetudo aliqua fuerit contra legem naturalem aut diuinam poſitiuam introducta, & talis quod ipſius tranſgreſſio peccatũ inducat, nihil omninò valet, niſi forte in caſu, quo procedat rationabiliter dictã diuinã legem explicando, diſtinguendo aut limitando. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Panormit. loco ſupracitato. Et quidem quod conſuetudo contra legem naturalem, ſiue diuinã poſitiuam, nihil valet, præter id quod diximus ſupra articulo ſecundo, de mente & ſententia Diui Thomæ 1. 2. quæſt. 97. artic. 3. in ſolutione ad primum, nempe quod cõſuetudo nullã vim legis poteſt obtinere cõtra legem naturalem & diuinam, quæ conſuetudo procedit à voluntate humana, & prædictæ leges à diuina. Ratio etiam eſt appoſitiſſima, nam conſuetudo vt etiam dictum eſt, debet eſſe rationabilis, & certum eſt quod non eſſe poteſt rationabilis conſuetudo, quæ quoquo modo directè vel indirectè fuerit contra legem naturalem, aut diuinam poſitiuam. Quo fit vt ius naturale & diuinum, per nullam conſuetudinem immutari poſſit, iuxta cap. fin. *de conſuetud.* & §. *hæcque diſt.* 5. & §. *ſed naturalia, inſtit. de iure naturali*, quin verò eiuſmodi conſuetudo cenſenda, atque æſtimanda eſt corruptela, iuxta cap. *quæ contra*, & cap. *mala*, diſt. 8. Et pono exemplum ſi conſuetudo aliqua introduceretur, vt filij non educarentur à parentibus, certum eſt, nec in dubium cadit, quod eiuſmodi conſuetudo nihil omninò valeret, quia de iure naturali ſunt eis alimenta debita, iuxta cap. *ius naturale*, diſt. 1. Idemque eſt dicendum de alijs ſimilibus. Sed appoſita eſt in Concluſione limitatio de caſu, in quo conſuetudo aliqua procederet, diuinã aut naturalem legem rationabiliter interpretando ſiue limitando, nam in eo caſu eiuſmodi cõſuetudo valeret, vt expreſſe tenet Innocent. in dicto cap. fin. *de conſuetud.* dicens, quod conſuetudo interpretatur, poteſtque interdum augere, diminuere atque diſtinguere ius ipſum naturale & diuinum, quemmadmodum & lex poſitiua idem poteſt, cũ conſuetudo nihil ſit aliud quam quædam lex non ſcripta, vt ſupra diximus, & habetur in l. *de quibus. ff. de legibus, & in cap. conſuetudo*, diſt. 1. Quod autem ius poſitiuum (etiam ciuile) interpretari, diſtinguere, atque limitare poſſit ius naturale & diuinũ, certiſſimum eſt, poteſtque multis exemplis comprobari. Nam verbi gratia, hoc generale præceptum, *non occides*, naturale & diuinum cum ſit in iure tamen reperitur varijs modis interpretatum & limitatum, aut in multis caſibus hodie permiſſum eſt occidere, qui non ſunt prohibiti à iure diuino: quin verò ratio ipſa naturalis id ipſum ſuadet. Facit ad hoc cap. *pro humani, de homicidio*, in 6. & l. 1. & 2. cum ſequentibus, C. *quando licet, ſine iud. vend.* Similiter & illa iuris diuini regula, qua dicitur, *quod in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum*, per ius etiam ciuile, & Canonicum, multipliciter reperitur limitata, nam in multis caſibus plures requiruntur teſtes, in aliquibus verò ſufficiunt pauciores, vt conſtat ex cap. 1. 2. quæſt. 4. & in cap. *licet vniuerſis, de teſtibus*, & in cap. *cum eſſes*, cap. *nuper*, eodem tit. & in l. *hac conſultiſſima*, & l. *ſancimus. C. de teſtam.* ex quibus concludendo dicit ſupradictus Panormit. quod vbi rationabilis cauſa ſuadet, ius naturale & diuinum debere interpretari, diſtingui aut limitari, lex ſiue conſuetudo illud facit, nec ipſorum tranſgreſſio peccatum inducit, quoniam præſumitur hoc voluiſſe Deum ipſum auctorem prædictorum iurium, nam cum non potuerit vel (vt melius dicam) nõ voluerit ipſe omnes caſus in particulari diſtinguere, regulas quaſdam dedit generales applicabiles, & determinabiles ad caſus particulares, & poteſtatem vniuerſalem ſuo in terris Vicario, vt quodcumque ligauerit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlo, & è cõtra, iuxta id quod habetur Matthæi 16. & refertur in cap. *quodcunque*, 24. quæſt. 1. Dicit tamen quod vbi nulla ratio naturalis ſuadet, ius naturale aut diuinum debere mutari ſeu limitari, tunc nulla lex, nullaque conſuetudo id ipſum valebit efficere. Sicque nulla eſſet conſuetudo, ſi introduceretur, vt liceret non honorare patrem aut matrem, quia nulla ratio naturalis id poteſt ſuadere. Qua etiam ratione dicit idem Panormit. quod Papa potius diceretur errare, quam legem cõdere, ſi diſponeret aliquid circa ius diuinum ſine cauſa, & ſic intelligit, cap. *ſunt quidam*, 25. quæſt. 1. Videatur etiam hac de re Sylueſt. verbo *conſuetudo*, quæſt. 9. num. 14. vbi plura alia adducit exempla ad hoc propoſitum, & ad probandum in quibus caſibus valeat, aut non valeat conſuetudo. Et generaliter, an & quando lex poſitiua poſſit diſtinguere & diſponere circa ius diuinum, tradit Bart. in l. fin. C. *ſi contra ius, vel vtilitatem publ.* & dictus Panormit. in cap. *quæ in Eccleſiarũ, de conſtit.* Eadem ratione dicendum eſt etiam quod nulla poteſt conſuetudo introduci aut prævalere contra ea, quæ ſunt fidei, neque contra bonos mores, per cap. *illa*, diſt. 12. ibi, *neque contra fidem neque contra bonos mores*. Et idem dico de his, quæ ſunt de iure gentium, nam ius gentium, etiam pertinet ad ius naturale, cum iure naturali inductum ſit vt conſtat ex d. l. *omnes populi. ff. de iuſtitia & iure.* Quod eſt intelligendum ad modum quo ſupra, niſi forte conſuetudo aliqua rationabiliter aliquid diſponeret contra dictum ius gentium, ipſum interpretando, diſtinguendo aut limitando, quod facere ſimiliter poſſet, ſicut & ius poſitiuum, ex cauſa poteſt diſponere contra ipſum, vt & de facto diſpoſuit contra ius gentium & contra ius naturale, inducendo ſeruitutem iuxta cap. *ita quorundam, de Iudæis.* Item priuãdo aliquos dominio ſuarum rerũ iuxta ea, quæ habentur toto titulo *de præſcription* quod & facere poteſt ſimiliter rationabilis conſuetudo, cum ſit lex quædam, vt dictum eſt.

Nota valdè, circa poteſtatem quam habet Pontifex, interpretandi diſtinguendi, ac etiam limitandi, ius diuinum & naturale.

Nota quod cõſuetudo, interdum interpretatur, auget & diminuit ſine etiã diſtinguit ius naturale & diuinum quemadmodum & lex poſitiua, idem valet efficere.

Nota quod cõſuetudo nulla introduci poteſt contra fidem, neque contra bonos mores, neque cõtra ea quæ ſunt iuris gẽtium.

Quarta Concluſio.

Nulla conſuetudo, quæ fuerit contra legem, concernẽtem libertatẽ publicam, ſiue immunitatem Eccleſiaſticam, quidquam valet.

SI conſuetudo fuerit contra legem poſitiuam humanam, hoc eſt contra leges Ciuiles ſiue Canonicas & humana ſtatuta concernentia publicam libertatem, aut immunitatem Eccleſiaſticam, eiuſmodi etiam conſuetudo nihil omninò valet. Hæc Concluſio eſt Panorm. in cap. fin. *de conſuet.* & cap. 1. *de tregua & pace.* & idem tenet Bartolus in l. *de quibus. ff. de legib.* & Sylueſt. locis ſupracitatis, ſed præcipuè quæſt. 6. & probat quoad vltimam partem, ex *authent. caſſa & irrita, C. de ſacroſ. Eccleſ.* & ex *capit.* 1. & cap.

& *cap. cum inter, de conſuetudine.* Et idem omnino eſt dicendum quoad primam partem ſi eiuſmodi conſuetudo fuerit contra vtilitatem publicam, quia non valet, ſicut neque valeret aliqua lex facta cõtra ipſam iuxta l. fin. C. *ſi contra ius, vel vtilitatem publicã*; quod tenet etiã Bar. in l. *de quibus, ff. de legibus.* Secus eſſet ſi eiuſmodi leges cõcernerẽt vtilitatẽ priuatam, & in nullius vergerent præiudicium. Nã tunc ſi ſuperior ſcit, & toleret, conſuetudo abnegat legem, iuxta Gloſſam in cap. 1. *de tregua & pace*, neque requiritur alia præſcriptio, nam ex quo videt, & toletat non videtur velle inijcere vinculũ, & dicet Panorm. quod ad id ſufficit binus vel trinus actus, ſi ſuperior ignorat, reſpondetur & ſit quinta Concluſio.

Quinta Concluſio.

Conſuetudo etiam contra legem continentem vtilitatem priuatam, non valet ſi habeat clauſulam de rogatoriã talis conſuetudinis.

SI autem conſuetudo fuerit, contra leges ciuiles ſiue Canonicas, & contra humana ſtatuta reſpicientia, non quidem vtilitatem publicam ſed priuatam, & habuerit clauſulam derogatoriã ad conſuetudinem, dicendo quod nulla in contrariũ introducta conſuetudo valeat, eiuſmodi decretum conſuetudinem irritat, ita vt per illam nunquam abrogetur lex vlla. Hæc Concluſio etiã eſt expreſſa ſupradictorum Panormit. & Sylueſt. locis ſupra citatis quæſt. 6. & probant eam ex Bart. in l. *eos. C. de vſuris, & in authentico, nauigia, C. de furtis*, facit & l. *Arriani, C. de hæret.* vbi dicitur quod lex ſemper loquitur. Qua etiam de re videatur Nauarro ſuper cap. *non liceat* 12. quæſt. 1. §. 14. num. 2. expreſſe tenet contra legem humanam decreto irritante munitam, nullam poſſe conſuetudinem introduci, pro quo citat cap. *ſtatutum. §. fin. de reſcriptis*, lib. 6. & dicit de mente cuiuſdam iuriſconſulti, quod decretum irritãs eſt penetrabilius omni gladio ancipiti omnia interiora & occultiſſima afficiens ac aſtringens, nam eſt (inquit) tam malignantis naturæ, quod quidquid poſt ſe inuenit deſtruit, & in oppoſitum ducit. Vnde & addit quod in tali caſu, neq; etiam ex conſenſu partium, introduci poteſt conſuetudo, iuxta Panormit. in cap. *dilecto, de præbendis*, & Gloſſa ſupra dicti cap. *ſtatutum*, verbo *commutantur*, videatur etiam hac de re Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. art. 2. vbi inquit, quod in tali caſu conſuetudo nihil operatur, eo quod nunquam eſſe poteſt indicium voluntatis Principis, poſtquã per legem ſuam expreſſe dixit, conſuetudinẽ nullam contra ipſam valituram. Ex dictis infert Panor. vbi ſupra, quod conſuetudo ſemel lege reprobata non amplius poteſt induci: ad quod probandum adducit Gloſſ. in Clement. *ſtatutum, de electione.* Sed poſtea limitat ſuum dictum, in caſu, quo ſubſit noua ratio, quæ non ſuberat tempore legis damnantis conſuetudinem, nam tunc poterit de nouo induci, & eſt optimum argumentum, ex l. *ſi hominem ff. mandati*, & ex c. *non debet, de conſanguinit. & affinit.* Qua de re videatur etiam ſupradictus Panormit. in cap. 2. *de probatio.* & Sylueſt. loco ſupracitato, vbi ad hoc propoſitum dicit plura eaque notatu dignißima, quæ breuitatis cauſa facio miſſa.

Nota quod cõſuetudo ſemel recte reprobata, nunquam amplius induci poteſt, niſi ſubſit noua ratio.

Sexta Concluſio.

Si conſuetudo fuerit contra legem ciuilẽ

SI verò conſuetudo fuerit contra legem ciuilẽ Canonem, ſiue ſtatutum aliquod humanum, nõ habeus clauſulam derogatoriam, loquendum eſt ſubdiſtinctione, nam aut lex præcedit & conſuetudo ſequitur, an verò è contra. In primo caſu, conſuetudo vincit, & præualet contra legem, in ſecũdo verò non. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Panor. vbi ſupra & Sylueſt. in dicta quæſt. 6. Sed indiget explicatione, nam circa aliquam ipſius partem inter Legiſtas & Canoniſtas, ſunt diuerſæ & contrariæ opiniones. Loquendo ergo de primo caſu dicit Panormit. quod conſuetudo vincit, *argum. l. ex facto. ff. de vul. & pupil. ſubſt.* & quod ſi cõſuetudo eſt generalis & vniuerſalis, vincit generaliter atque vniuerſaliter, ſi verò non eſt vniuerſalis ſed particularis, non legem vincit vniuerſaliter, iuxta l. 2. C. *quæ ſit longa conſuetudo*, ſed vincit legem ſolummodo in illis partibus vbi conſuetudo viguerit, iuxta l. *venditor. §. ſi conſtat. ff. communia prædiorum* qua quidem ratione ait prædictus Panormitanus, in cap. *cum olim, de conſuetudine*, quod eiuſmodi conſuetudo ſolũmodo locũ habet vbi viget, & nocet priuilegijs ſtudij generalis vbi viguit, non autem alio loco. Et addit quod etiam prædicta victoria intelligenda eſt, dummodo conſuetudo ſit rationabilis & præſcripta, quantum ad tollendum ius Canonicum, vt conſtat ex cap fin. *de conſuetudine*, quantum verò attinet ad abrogationem iuris ciuilis (inquit) quod non oportet eam eſſe præſcriptã, ſed ſufficit populi conſenſus tacitus. Et ratio differentiæ eſt, nam ſeculares habent ius condendi legem, etiam contrariam legi Imperatoris, ab ipſo Imperatore, iuxta leg. *omnes populi. ff. de iuſt. & iure*, ideòque poſſunt inducere conſuetudinem abſq; eo quod ſit præſcripta, nõ ſic autẽ eſt circa ius Canonicum, ſed oportet conſuetudinem eſſe præſcriptam, & non eſſe tale ius, vt contra ipſum præſcribi non poſſit. Ex quo infertur, quod quia laici non poſſunt præſcribere, ſpiritualia, non etiam poſſunt circa ipſa inducere conſuetudinem, quæ ſit lex iuxta cap. *Meſſana, de elect.* etiamſi non eſſet memoria de eius initio, vt etiam notat Ioannes Andreas, in cap. 2. *de præbend.* in 6. Hæc quantum ad primum caſum, in quo lex præceſſit & conſuetudo ſubſequuta eſt.

Si lex præcedat & conſuetudo ſequatur an ſit valitura.

Sed tamen loquendo de ſecundo caſu, in quo conſuetudo præceſſit & lex contraria ſubſequitur, tenet Bart. quod tunc conſuetudo non vincit legem, quinimo tollitur per legem ſequentem, ad quod allegat l. 2 *ff. de ſepulchro violato*, dicit tamen Canoniſtas tenere contrarium. Et certè videtur caſus expreſſus, in cap. 1. *de conſtitu.* in 6. vbi dicitur quod lex Papæ, non tollit conſuetudinem rationabilem certi loci contrariam, niſi de ea fuerit ſpecialis mentio facta, quia Papa non præſumitur ſcire omnes iſtas conſuetudines. Sed quidquid de hoc ſit, Panormit. ſequitur ſententiam Bart. & ex illa infert, quod ſi Ciuitas facit ſtatutum contra ſuam conſuetudinem, tollitur prædicta conſuetudo, licet de ea ſpecialis mentio non fiat, nã Ciues præſumũtur ſcire ſuam conſuetudinẽ, vt notatur in l. *omnes populi. ff. de iuſt. & iure*, facit & cap. *quod dicitis*, diſt. 16. & ſic ceſſat ratio dicti, cap. 1. *de conſtit.* in 6. Hactenus de iſto Articulo, qui certè longiorem requirebat tractationem, ſed per tempus & multa, quæ ſuperſunt dicenda, facere quod optaremus non licet.

tra legem, nõ habentẽ clauſulam derogatoriam, quid eſt inſpiciendũ, an valeat & vel non?

ART.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm conſuetudo derogare poſsit legi poſitiuæ etiam præceptiuæ?

HAC de re ſunt variæ atque diuerſæ Doctorum opiniones. Panormi. enim in cap. 1. *de tregua & pace*, ſequutus Gloſſ. ibidem (inquit) quod lex poſitiua etiam præceptiua non obligat ad peccatum, ſi moribus vtentium non fuerit recepta, aut ſi per deſuetudinẽ abijt. Quam opinionem tenere dicere Goffredum, Innocent. & Hoſtien. in ſumma, licet prius in di. cap. 1. cõtrarium tenuerit, ea ratione motus, quia lex præceptiua à principio ligauit contrauenientes ad peccatum, & conſequenter per non obſeruantiam tolli non poteſt eius diſpoſitio, quia tempus non eſt modus tollendi obligationem, per le. *obligationum. §. placet. ff. de act. & oblig.* idque præſertim, cum principium fuerit vitioſum & peccauerint contrauenientes legi. Dicit vlterius Panorm. quod alij vt refert Ioannes Andreas, diſtinguunt inter leges, quæ apponunt pœnas ipſo facto, & illas quæ non apponunt eas ipſo facto, ſed ſolummodo mandant infligi, & dicunt quod in primis non habet locum conſuetudo contraria, cum ſtatim contrafaciendo, incidant in dictas pœnas, & in factum damnatum, iuxta cap. *audiuimus*, 24. q. 1. ſecus tamen eſt in alijs, quæ ſolummodo mandãt pœnas infligi, ſed non ipſo facto imponunt eas.

Antonius etiam loquendo hac de re diſtinguit & dicit quod aut lex præceptiua emanauit in fauorẽ priuatum, & tunc poteſt tolli conſuetudine, ſicut poteſt tolli pacto & renunciatione, vt habetur in d. l. *de quibus. ff. legibus*, aut verò emanauit in honorem Dei & in fauorem publicum, & tunc inquit, quod ſi ſubditi non ſeruauerunt illam ſciente ſuperiore & patiente, talis lex non ligat, neque requiritur aliqua alia præſcriptio, nam ex quo ſuperior videt, patitur & tacet, nõ videtur velle quod lex ſua inijciat vinculum: ſed ſi ſuperior ignorat, dicit, quod peccant contrauenientes legi. Sed dicit Panormit. loco ſupracitato, quod contra hoc vltimum dictum obſtare videtur, cap. 1. *de conſuet.* vbi habetur quod cõſuetudo rationabilis & præſcripta tollit omnem humanam legem, non quod eam tollat priuatorum conſuetudo, ſed ſuperior ipſe conſenſum præſtando eidem conſuetudini, pro eo quod omnia iura ſtatuunt, & per conſuetudinẽ tollatur omne ius poſitiuum. Hæc ſunt, quæ circa hanc difficultatem adducũtur communiter, in qua tantorum Doctorum diuerſitate, vt quod verius atque tenendum eſt conſtare poſſit, ſequẽtes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si lex poſitiua & præceptiua, nunquã fuit ſeruata ſciente & nõ contradicente ſuperiore cum poſſet, non obligat.

SI lex poſitiua & præceptiua nunquam fuit ſeruata, ſciente & non contradicente ſuperiore cum poſſet, eiuſmodi lex non ligat, neque ad id requiritur tempus præſcriptionis, ſed ſufficit binus vel trinus actus in contrarium, cum in præſenti nõ agatur de præſcribendo contra legem, ſed ſolummodo de impediendo vinculum legis, ne liget mutato ſuperioris conſenſu, qui per binum vel trinũ actum poteſt ſatis conſtare. Hæc Concluſio eſt expreſſa Panormitan. loco ſupracitato, & Sylueſtri verbo, *conſuetudo* quæſt. 7. vbi inquit hoc eſſe dicẽdum, etiamſi aliqui legẽ ipſam ſeruauerint, aliqui verò non in eodem loco: nam ſi qui illam ſeruauerunt fuit minor pars, non introducunt conſuetudinem, nec faciunt quidquam ad receptionem legis, ſecus eſſet ſi ſeruantes ipſum fuiſſent maior pars, nam tunc non ſeruantes non excuſarentur à peccato, iuxta cap. *cum iam dudum, de præben.* in quo caſu locum habet, illud quod habetur in dicto ca. ad finem, nempe quod multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuiſſent in iudicium non tolerarentur. Sed adhuc nihilominus lex non ligabit, ſi nunquam fuerit ſeruata ſciente & non contradicente ſuperiore.

Secunda Concluſio.

Si lex poſitiua & præceptiua non fuit ſeruata ignorante ſuperiore, ad hoc vt conſuetudo eã deroget, neceſſum eſt quod ſit præſcripta & rationabilis.

SI verò lex poſitiua & præceptiua, nõ fuerit ſeruata ignorante ſuperiore, ad hoc vt conſuetudo eidẽ poſſit derogare, neceſſum eſt quod ſit præſcripta ſimul & rationabilis, ad ſenſum ſupradictũ in 3. art. in 2. concluſ. & ſi fuerit talis abrogabit legem, ſed non ſufficit altero modo tantum. Hæc etiam Concluſio eſt ſupradictorum Panormitan. & Sylueſtr. locis ſupracitatis, nec inquiunt obſtat, quod contrauenientes & non ſeruantes, in principio peccauerint. Tum quia negari poteſt hoc, ſi ex rationabili cauſa ſunt motiquia vt inquit Archid. in cap. *vtilem*, diſt. 26. potuerunt præſumere quod ipſemet ſuperior in tali caſu, ſi ſciuiſſet indulſiſſet, tum etiam quia quamuis primi non ſeruantes peccauerint, non tamen peccant ſucceſſores primo peccantium, nam poterũt exiſtimare ex aliqua illos rationabili cauſa motos fuiſſe, ad non ſeruandam eiuſmodi legem, argumento eorum, quæ notantur à Gloſſ. in ca. *de quarta, de præſcript.* Et quod lex præceptiua non liget, ſciente ſuperiore & nõ contradicente, probat ſupradictus Panormit. ex cap. 1. *iuncta gloſſ.* diſt. 20. & ex cap. *cum olim, de clericis coniug.* & multa alia dicit circa introducendam conſuetudinem in ſacramẽtalibus, ad quod inquit requiritur tacitus conſenſus Papæ, vt tradit gloſſ. in cap. *vir, de ſecund. nupt.* De qua re videatur ipſe, & Sylueſt. locis ſupracitatis. Videatur etiam circa hoc Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. art. 2. quæſtiuncul. 1. & Medina 1. 2. q. 97. art. 3. ibi, circa ſecundum.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm per ſolum non vſum, introducatur conſuetudo, quæ vim habeat auferendi legem?

HANC quæſtionem mouet ſupradictus Sylueſt. verbo, *conſuetudo*, q. 8. & Panor. in c. *Ioannes, de cleric. coniug.* de quorum mente & ſententia, pro reſolutione huius Articuli, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Quando non vſus non habet actum tacitum in ſubſtantia contra diſpoſitionem legis, per non vſum non induci poteſt conſuetudo, quæ vim habeat ad tollendam legē.

QVando non vſus non habet actum tacitum in ſubſtantia ſeu, in forma contra diſpoſitionē legis, per talem non vſum non inducitur conſuetudo, quæ vim & robur legis habeat. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Panormitani, & Ioannis Andr. & omnium Iuriſperitorum communis, qui & hac ratione moti dicunt, quod etiamſi per mille annos non accideret caſus hermaphroditi, adhuc nihilominus non eſſet abrogata lex diſponens eū eſſe iudicandum ſexum prævalentem, vt habetur in l. *quæritur. ff. de ſtat. hom.* quia nihil eſt actum contra legem, ſicuti etiamſi paſſus damnum agere noluit contra damnatorem, non proinde erit abrogata lex concedens illi poſſe agere actione legis Aquiliæ, neque contra illam inducta eſſe videtur conſuetudo, ſi quidem lex non neceſſitat quēpiam ad vſum, ſed tantū dat agendi facultatē. Vnde cōcludendo ſupradict. Panorm. inquit, quod in his, quæ ſunt meræ facultatis, non inducitur conſuetudo, quia in huiuſmodi caſibus, nihil agitur contra legem punientem.

Secunda Concluſio.

Quando nō vſus, in ſe habet actū tacitum cōtra diſpoſitionē legis in tali caſu inducitur conſuetudo, quæ vim habeat ad tollendam legem.

SI verò non vſus habet in ſe actum tacitum contra diſpoſitionem iuris ſiue legis, in tali caſu inducitur conſuetudo. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Panormit. & Sylueſt. loco ſupracitato, & probant eam ex dicto ca. *Ioannes*, vbi quidam non deferendo tonſuram, committere viſus eſt contra legem, quæ tonſuræ delationem iniungit, & cum plura per tempus dicere non liceret, hæc de iſto articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VIII.

Qualiter conſuetudo poſsit tolli, & interrumpi, & per quot actus interrumpatur?

HANC quæſtionem mouet Sylueſt. verbo, *conſuetudo*, quæſt. 5. & Panormitan. in capit. fin. *de conſuetud.* de quorum ſententia, & reſolutione, propoſitæ difficultati reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si cōſuetudo non fuerit completa & perfecta, ad ipſam interrumpendam ſufficit vnicus tantū actus.

SI conſuetudo non fuerit completa & perfecta, ad ipſam interrumpendam ſufficit vnicus tantū actus contrarius, ita quod ad hoc vt introducatur, opus eſt, quod de nouo incipiatur. Hanc Concluſionem tenet ſupradictus Panormit. vbi ſupra, & probat eam arg. l. *vbi duo. ff. de reg. iur.* & ex cap. *ſolicitudinem, de appell. in fin.* & probatur etiam ratione nam ex eo, quod interuenit vnicus contrarius actus, ſatis apparet de tacito cōſenſu populi, quod noluerit eiuſmodi conſuetudinem introducere, poſtquam contrauenit eidem, fecitque actum illi contrarium.

Secunda Concluſio

Si conſuetudo eſt iam cōpleta & perfecta, ad interrumpendam eam non ſufficit vnicus actus. Sed requiritur tempus à iure præſcriptum.

SI conſuetudo eſt iam completa & perfecta, non tollitur aut interrumpitur per vnicum tantum actum contrarium, ſed oportet quod tollatur eo tempore, & modo quibus fuit introducta, cum iā ſit lex & tolli debeat tanquam lex. Hæc etiam Cōcluſio eſt ſupradicti Panorm. qui & dicit quod ad interrumpendam conſuetudinem, ſufficit indifferenter tempus decem annorum, & ſic eſſe intelligendam, Gloſſ. in l. *nemo alieno nomine. ff. de iuſt. & iure*, & Ioannes Andreas, tenet idem in dicto cap. fin. *de conſuetud.* dicens, quod alias etiam per plures actus, conſuetudo non frangitur neque interrumpitur. Quæ pro iſto articulo breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS IX.

Quam ob cauſam contra Canones valeat conſuetudo & non ſtatutum, & laicis perſonis ſtatuere liceat contra leges Imperiales, non autem Eccleſiaſticis contra leges Canonicas & Pontificia?

HANC etiam quæſtionē tractat Sylueſt. verbo *conſuetudo*, quæſt. 10. & Panorm. in dicto cap. fin. *de conſuetudine*, quæ vt patebit intuenti, vnum quærit & aliud prę ſupponit. Preſupponit quidē tanquā certum atque indubitatū, contra ſacros Canones prævalere poſſe cōſuetudinē, non verò ſtatutū aliquod contra eoſdem fieri, cuius rei inquirit rationem & cauſam. Item quærit cauſam, cur laicis liceat contra leges Imperiales interdum aliquid ſtatuere, non verò perſonis Eccleſiaſticis contra ſacros Canones. Quorum omnium, vt aliqualis habeatur notitia, propoſito Articulo breuiter & reſolutiue reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Certiſsimū eſt quod cōtra ſacros Canones, nullum fieri poteſt ſtatutū quod valeat & teneat.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod contra ſacros Canones, nullum omninò fieri poteſt ſtatutum, quod valeat & teneat. Hæc Concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, & Panormitani vbi ſupra & probat eam latius Panormit. in cap. *cum dilectus de conſuetud.* ex cap. *ſuper his, de maior. & obed.* & cap. *inſtitutionis*, 25. quæſt. 2. qua quidem ratione inquit, quod ſi inferiores Eccleſiaſtici, contra aliquem ſacrum Canonem quidpiam velint moliri ſiue attentare, neceſſum eſt, vt confugiant ad conſuetudinē, ſeu quod id fuerit conſuetudine introductum, ſed oportet eiuſmodi conſuetudinem legitime eſſe præſcriptam, quia niſi fuerit talis, nihil etiam omninò valebit, id quod habetur expreſſe determinatum in multis iuribus, ſed maxime in cap. *cum eſſet, de teſtam. cap. Cumana, de elect. cap. fin. in princi. de officio Ordin.* in 6. & cap. *non eſt, de conſuetud.* eodem libro

quibus

quibus omnibus in locis dicitur, ad consuetudinē contra sacros Canones, necessum est vt sit legitime introducta & præscripta, nec aliter valere quicquam. Quod quidem non ita est de iure ciuili. Non enim ius ciuile, requirit consuetudinem contra ipsum esse præscriptam, quin verò hoc est speciale de iure Canonico, quod solummodo mētionem facit de huiusmodi consuetudine præscripta. Sed nunc redit quæstio: Quænam sit causa ob quam contra sacros Canones, interdum præualere possit consuetudo, legitime præscripta, non autem fieri aliquod statutum? Cui difficultati respondeo, & sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

Ratio ob quā contra sacros Canones, interdum præualere possit consuetudo, non autem fieri aliquod statutum.

RAtio ob quam contra sacros Canones, præualere interdum possit consuetudo si fuerit legitime præscripta, non autem fieri aliquod statutum est quia consuetudo desumit vires, non tam ex voluntate seu tacito consensu contrauenientium legi, quam ex voluntate & auctoritate Papæ permittentis introduci consuetudinem: at statutum si fieret contra ipsos, haberet vires ab ipsis statuentibus, quod in proposito casu esse non potest, cum id ipsum illis omninò atque expresse fuerit prohibitum. Hæc Conclusio est etiam expressa Panorm. vbi supra, nec maiori aliqua indiget probatione quam supradicta, nempe quod Ecclesiasticis viris, contra sacros Canones aliquid statuere, iure Canonico per multa iura est omninò prohibitum: nō sic autem est prohibita consuetudo, si fuerit præscripta & legitime introducta. Nec immerito quidem id iure Canonico est introductum, quia non tanta malitia aut temeritas, præsumitur in consuetudine introducta (licet semper malum sit sacris Canonibus contraire) ac præsumeretur in statuto aliquo facto contra ipsos, præsumeretur enim tale statutum, ambitiosum, temerarium, & æterno fini quam ius Canonicum semper prętendit, contrarium, & præterea quia maius scādalum sequeretur ex reprobatione consuetudinis præscriptæ, quam ex reprobatione cuiuscunque statuti. Sed prædictus Panorm. de mente Baldi in l. *omnes populi. ff. de iustit. & iure, verbo sed hic dubitatur*, & Bart. in *l. si hominem. ff. mandati*, inquit, quod existēte aliqua iusta & rationabili causa vrgenti, & verisimiliter non præuisa à Canone, bene fieri potest aliquod statutum contra ipsum, pro quo allegat d. l. *hominē* qua dicitur, quod si datum fuerit speciale mandatum alicui, vt seruum aliquem manumittat, bene potest procurator generalis domini, ex noua causa non considerata per ipsum dominum, interdicere procuratori speciali ne eundem manumittat, veniendo contra speciale mandatum. Ita etiam in proposito, inquit Panormit. quod in aliquo casu bene potest fieri interdum aliquod statutum contra aliquem Canonem, ex causa non præuisa, aut considerata per Papam, & ex eadem noua causa asserit quod potest Legatus generalis prohibere delegato speciali, ne procedat in causa sibi commissa, quamuis in ea Delegatus specialis dicatur maior generali vt habetur, cap. *Studuisti, de offic. deleg.* Sed hoc, vt dictum est, non admittitur nisi rarissime & ex noua causa vrgente, & non considerata per Papam, quod est multum notandum atq; memoriæ commendandum. Nunc superest vt etiā reddamus causam, ob quam laicis personis liceat interdum, contra leges Imperiales aliquid statuere, cum non id ipsum permittatur vllo modo Ecclesiasticis personis, contra sacros Canones, de quo fit tertia Conclusio.

Tertia Conclusio.

Ratio ob quā secularibus interdū liceat, aliquod statutum siue legē facere contra leges Principum, non verò Ecclesiasticis contra sacros Canones.

RAtio ob quam secularibus interdum est licitum, contra leges Imperiales legem aliquam statuere seu statutum facere, non autem Ecclesiasticis personis contra sacros Canones, est propter diuersum eorundem finem. Hæc Conclusio est etiam Syluest. & Panorm. vbi supra, quia inquiunt ius ciuile, licet habeat pro fine bonum publicum, respicit tamen priuatorum ciuium temporalem commoditatem siue vtilitatem. Vnde si condita aliqua lege vtcunque bona, sancta & iusta, populus edendo aliam in contrarium, voluerit sibi præiudicare, de hoc Imperator nihil curat, modo non sit contra honestatem, aut contra ea, quæ sunt ipsius Principis propria, aut sibi specialiter reseruata. At ius Canonicum, cum non habeat pro fine tē poralem & priuatam ciuium vtilitatem, sed bonū commune publicum eosdemque in Deum supernaturalem finem studeat dirigere, etiamsi ipsi velint aliquod statutum siue legem contra sacros Canones cōstituere, nullatenus id sibi permittitur, quin verò strictissime prohibetur, & contrarium factū reijcitur, tanquam temerarium, & contrariū æterno fini. Hæc etiam est causa, ob quam contra ius ciuile non necessum est quod consuetudo introducta sit præscripta, cum absolutè Ciues ipsi facere potuerint statutum contra ipsum, vt dictum est, directe tollendo legem per in contrarium factum statutum, modo non sit contra honestatem aut cōtra ea, quæ sunt specialiter Principi reseruata, sed in suum commodum aut forte præiudicium, vt satis constat ex l. *omnes populi. ff. de iust. & iure.* Et quidem si populus voluerit sibi præiudicare sibi videat, nam cuilibet licitum est suo fauori particulari renūciare, iuxta cap. *Apostolicam, de regul.* Quin verò & de iure communi ciuili, ad introducendā consuetudinem, sufficit tacitus consensus populi, nec requiritur vt ipsa sit præscripta, prout habetur expresse in l. *de quibus. ff. de legibus*, quæ de isto Articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS X.

Vtrùm lex siue statutum, habens annexam sententiam excommunicationis, tollatur per consuetudinem?

CIrca hunc Articulum, dicūt quidam quos refert Cardinalis, & Innocentius in prologo Clementinę, & Panorm. in cap. *1. de treg. & pace*, quod non tollitur, nec contrafacientes excusantur ab excommunicatione, etiamsi lex sit tātum præceptiua non verò prohibitiua, ex quo in principio obliga-

obligauit ad peccatum, iuxta cap. 1. *de iregua & pace*. Nam inquiunt non videtur, quod per non obſeruantiam legis tollatur ipſius diſpoſitio, & pœna ibidem appoſita, neque tempus eſt modus tollẽdi aliquam obligationem, iuxta id quod diximus in articulo 6. hoc idem tenet Caſtro, lib. 2. de leg. pœnal. cap. 11. vbi dicit, contra legem habentem annexam excommunicationis pœnã, nullam omninò introduci poſſe conſuetudinem, nam excommunicatio (inquit) trahit ſecum ſuam executionem, iuxtã cap. *paſtoralis. §. verum, de ſenẽt. excommu.* Sed hoc non obſtante contrarium nihilominus tenet Sylueſt. verbo *conſuetudo*. quæſt. 11. vbi hac de re agit, de cuius mente & reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Etiãſi lex aut ſtatutũ annexã habeat ſententiã excommunicationis, tolli nihilominus poteſt per conſuetudinem.

Concluſio.

ETiamſi aliqua lex ſiue ſtatutum, annexam habeat ſententiam excommunicationis, tolli nihilominus poteſt per conſuetudinem, & contrafaciẽtes non incurrunt eam. Hæc Concluſio eſt Sylueſt. vbi ſupra, ad quod probandum dicit, quod ex quo per aliquos, contra aliquam legem (etiam habentem annexam excommunicationis pœnam) per binum aut trinum actum, factum ſciente legiſlatore, & valente contradicere & non contradicente, introducta eſt conſuetudo, ad modum quo ſupra dictum eſt art. 6. Concluſ. 1. licet primi peccent, & in excommunicationem incidant, contrauenientes legi antequam conſuetudo fuerit introducta, ſi id fecerunt abſque iuſta & legitima cauſa, poſteri tamen & ſubſequentes prioribus contrauenientibus, conſuetudine iam introducta nec peccant, nec in excommunicationem incidunt, ſiue eiuſmodi conſuetudo vincẽs legem iuſte, ſiue iniuſte fuerit introducta. Hæc Concluſio ſic explicita colligitur expreſſe ex dicto cap. 1. *de iregua & pace*, vbi etiam apponitur ſententia excommunicationis, in illos qui treugas ibidem conſtitutas frangere, ſiue violare præſumpſerint, in quam quidem excõmunicationis ſententiam, non incidunt modo, nec inciderunt olim dimicãtes & belligerantes poſt dictam legem conſuetudine iam introductã, pro eo quod introducta fuit legitime, hoc eſt ſciente & conſentiente legiſlatore, & valente contradicere & non contradicente. Secus eſſet in caſu quo legiſlator id ignoret, vt ſupra etiam dictum eſt articulo eodem Concluſione 2. nam ad id requiritur tempus neceſſario requiſitum ad præſcribendum contra ius Canonicum, nempe quadraginta annorum. Supradicta Concluſio confirmatur, nam ſicuti poteſt conſuetudo præſcribi, contra legem non habentem annexam excommunicationis pœnam, ita & contra habentem iptam: quin verò quando id quod lege præcipitur, eſt abrogatum per contrariam conſuetudinem, etiam excommunicatio ſuper eo lata, videtur abrogata & nulla. Nam ſublata principali obligatione legis, tollitur & obligatio pœnæ ibidem appoſitæ. Hac etiam ratione videmus excommunitationes multarum antiquarum Extrauagantium eſſe ſublatas, neque ligare hodie, quia ea quæ ibi præcipiebantur, abrogata ſunt per contrariam conſuetudinem. Dicit tamen Sylue. in fin. ſupra dictę quæſt. quod ſi ſtatutũ annexam habens ſententiam excommunicationis fuerit Epiſcopi, ad introducendam conſuetudinem contra ipſum, ſufficiet decem annorum ſpatium, ante quod ligabuntur pœna & culpa delinquentes & contrauenientes legi, abſque iuſta & rationabili cauſa, non verò poſt eam legitime introductam atque præſcriptam, vt dictum eſt.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm omnis cõmunis conſuetudo propriè dicta, obliget ad ſui obſeruantiã ſub peccato mortali?

HANC difficultatem, mouet Sylueſt. verbo *conſuetudo*, quæſt. 13. & quæſt. 14. 15. 16. & 17. vbi mouet etiam pluries alias incidẽtes difficultates circa diuerſas conſuetudines, quæ ad varia propoſita ponunt introduci, quas omnes in compendium redigendo, propoſitæ difficultati reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

CErtiſſimũ eſt & omni dubio procul, quod quilibet ſeruare tenetur communem conſuetudinem vigentem in ſua patria, legitime introductam atque præſcriptam, idque ſub peccato. Hæc Concluſio eſt expreſſa Sylueſtri loco vbi ſupra, & de ſe patet, nam, vt ſatis conſtat ex dictis, omnis conſuetudo ſi fuerit legitime introducta præſcripta & debitis circunſtantijs ornata & veſtita, æquipolletlegi vimq; habet legis, quo fit vt nõ minus teneatur quilibet ſeruare illam, quã legem ſi eadẽ de re fuiſſet ſtatuta. Hoc itaque eſt certiſſimũ, & de eo nulli eſſe poteſt dubium: aduertendum eſt tamen, quod nõ omnes obligantur ad ſeruandã vnã & eandem conſuetudinem, etiamſi ſit Romanæ Eccleſiæ, in his quæ ſunt extra fidem & articulos eius, & niſi Papa mãdaret vt ſeruetur, quod expreſſe dicit Gloſſ. in cap. 1. *de ſumma Trinit.* in 6. & cap. *nolite*, diſt. 2. facit & cap. *quoniam, de feriis*, quod & tenet expreſſe Panormit. ibidem. Item eſt aduertendum, quod conſuetudo nõ ſemper obligat ſub mortali, quamuis vt præmiſimus ſit lex, vimque habeat legis, quia nec omnis lex obligat ſemper ad mortale, ſed tunc ſolummodo quando ea intentione introducta eſt, & eſt præceptiua ſeu prohibitiua rei alicuius ſub mortali, quod inquit Sylueex eo perpendi poteſt, quia ita communiter tenetur ab omnibus ſapientibus, quod faciens contra prædictam legem, ſeu conſuetudinem peccat mortaliter. Quod & maxime verum habet, quando cõſuetudo fuerit de his, quæ homo libere facit, vt dicit ſupradictus Sylueſt. vbi ſupra, quæſt. 14. de conſuetudine dandi aliquid libere, per viam ſeruitij ſiue donationis alicui domino ſiue Principi, aut recipiendi aliquem in domum ſuam hoſpitij gratia dum facit iter. Ad quod propoſitum licebit ibidẽ & in quæſtionibus ſubſequentibus videre plura, eaque notatu digniſſima, quæ ipſe breuitatis gratia

Quilibet ſub peccato tenetur, ſuæ patriæ obſeruare conſuetudinem, legitime introductam, atque præſcriptam.

Non ſemper conſuetudo ſit lex, obligat ſub mortali, niſi ſolùmodo, quãdo tali intentione introducitur.

tia in præſentiarum conſulto prætermitto, neque enim vacat per tempus omnia dicere, aut in tam breui compendio.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm ſi conſuetudo ſit praua & mala, excuſet à peccato & à pœnis huius ſeculi?

AD reſoluendam propoſitam difficultatem, vtendum eſt diſtinctione, qua vtitur Gloſſa, in cap. *denique*, diſt. 4. nempe, quod conſuetudinis prauitas, aut eſt declarata per ius, aut non eſt declarata per ipſum, quo ſuppoſito reſpondetur breuiter, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

In quo caſu conſuetudo de prauata, excuſet à peccato & à pœnis huius ſeculi.

SI conſuetudinis prauitas nunquam eſt declarata per ius, nec ſcita, ſed ignorata, & non ignorantia craſſa, excuſat à peccato quoad Deum & etiam à pœnis huius ſeculi. Secus autem eſt in caſu, quo ſupradictæ conſuetudinis prauitas, per ius fuerit declarata & ſcita, aut ignorata ignorantia craſſa. Hæc Concluſio eſt expreſſa dictæ Gloſſæ, in cap. *denique*, diſt. 4. & Sylueſt. verbo, *conſuetudo*, quæſt. 12. vbi notanter dicit quod contra ius naturale nulla admittitur ignorantia, quod & probat ex cap. *flagitia*. 32. quæſt. 7. Et tandem concludens inquit, quod vbi eſſet dubium probabile ſuper alicuius conſuetudinis validitate, tunc ignorantia legis non eſt peccatum, quod & probat ex l. *regula. ff. de iuris & facti ignor.* & ex cap. *cum dilectus, de conſuetud.* quod etiam notat Innocent. in cap. *per tuas de ſimonia.* & Gloſſ. in cap. *vnico, de poſtulat. Prælator.* in 6. verbo, *de cætero*. Et hæc de iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm in iudicio contentioſo, iudicandū ſit ſecundū conſuetudinē, etiā contrariā iuri ſcripto, & ſecundum quā conſuetudinem ſit iudicandum?

HANC quæſtionem tractat ſupradictus Sylueſt. verb. *conſuetudo*, quæſt. 19. 20. & 21. de cuius mente & reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

In iudicio iudicandum eſt ſecundum cōſuetudinem, ſi ſit rationabilis & præſcripta, etiamſi ſit interdū contraria iuri ſcripto.

SI conſuetudo fuerit rationabilis & præſcripta iudicandum eſt ſecundum ipſam in iudicio & foro contentioſo, etiamſi ſit interdum contraria iuri ſcripto. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Sylueſt. loco ſupracitato, & probat eam ex Gloſſa, ſuper cap. *conſuetudo*, diſt. 1. vbi id expreſſe habetur. Et addit ſupradictus Sylueſt. id etiam eſſe dicendum, etiamſi eiuſmodi conſuetudo non ſit præſcripta dū modo ſit à Principe ſcita & ſponte tolerata, quia inquit etiā in eo caſu derogat legi vincitque legē ſcriptam, ac proinde ſecundum ipſam iudicandum eſt. Sed ad quam conſuetudinem recurrendum ſit, vtrùm ad conſuetudinem terræ aut loci ſeu vicinarum prouinciarum, vel ad conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ? Eſt inter Doctores controuerſia, de quo ſecundam ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio

Iudices & maxime delegati, qualiter iudicare habeāt ſecundum cōſuetudinem.

IVdex & maxime delegatus, iudicare debet primo ſecundum Canones, quibus deficientibus iudicabit ſecundum leges, ſed deficiente Canone & lege, iudicabit ſecundum conſuetudinem generalem, vel particularem ſi deeſt generalis. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Sylueſt. loco ſupracitato, & probat eam ex ſupradicta Gloſſa, in cap. *conſuetudo*, diſt. 1. & etiam ex cap. *intelleximus, de noui operis enunciatione*, & ex cap. *ſi in adiutorium*, diſt. 10. Nō deſunt qui dicāt, quod deficiente generali cōſuetudine, recurrendum eſt ad conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, nō verò ad particularē ſed deficiente iure & conſuetudine, debet iudex procedere de ſimilibus ad ſimilia, iuxta cap. *de quibus*, diſt. 20. & l. *non poſſunt. ff. de legib.* Omnibus autem deficientibus (inquit predictus Sylu.) quod ad Romanā conſuetudinem debet recurrere, iuxta l. *de quibus. ff. de legib.* licet ex alia parte, ſint etiam qui aſſerant, quod in tali caſu ſit recurrendum ad conſuetudinem vicinarum Prouinciarum, pro quo allegant, cap. *ſuper eo, de cenſibus*, cum pluribus alijs, quæ ibidem citantur & allegantur à Gloſſa, verbo, *in vicinis*, circa quod nihil volo in præſentiarum diffinire aut determinare.

Tertia Concluſio.

Cuiuſnam cō ſuetudinē ſequi teneatur, iudex delegatus, quādo diuerſa eſt conſuetudo, delegantis, actoris & rei.

QVando iudex eſt delegatus, & eſt alia & alia conſuetudo, delegantis, actoris, & rei, ſi iudex per appellationem obtinetur, ſequi debet conſuetudinem eius loci à quo appellatur, ſi verò ſine appellatione impetretur, ſequenda eſt conſuetudo delegantis. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Sylueſt. loco ſupracitato, quæſt. 20. vbi hac de re refert opinionem Gloſſæ, in cap. *illud*, diſt. 12. dicentis, quod ſimpliciter & abſolutè iudicandum eſt, ſecundum conſuetudinem delegantis, quando litigantes ſeſe ſponte ſubijciunt alicui, vel petierint delegatum, & ſecundum conſuetudinem litigantium, ſi iudex datur inuitis, & tunc potius ſecundum cōſuetudinem Rei quā Actoris, nam cauſa Rei fauorabilior ſemper eſt, quam Actoris, niſi forte in duobus caſibus quos limittat Archid. Primo cum actoris conſuetudo eſt magis conſona iuri & veritati; ſecundo ſi magis abſolutionem quā condemnationem adducit, quia magis ſequendum eſt quod conſonat negotij veritati, iuxta cap. *iudicent*. 3. quæſt. 7. & promptiores eſſe debemus ad abſoluendum, quam ad condemnandum, iuxta cap. *veniant*. 35. quæſt. 9. Sed ſupradicto Sylueſt. melius videtur vti diſtinctione illa, quam appoſuimus in Concluſione, nempe quod ſi iudex delegatus per appel-

Nota quod iudices promptiores eſſe debent ad abſoluendum, quā ad condemnā dum.

appellationem obtinetur, ſequi debet conſuetudinem loci à quo appellantur, ſi verò ſine appellatione impetretur, conſuetudinem delegãtis. Quorum primum probat ex eo, quod iudex appellationis, tenetur ſequi conſuetudinem prioris ſententiæ, à qua appellatur, vt in Authent. *vt cum de appellatione cogn. in princ. collatione* 8. *arg. etiam cap. Raynutius, de teſtibus*, vbi iudex ſecutus eſt conſuetudinẽ loci à quo appellatũ fuit. Secundum verò probat, argumento deducto, ex l. *quæ conditio. ff. de condit. & demonſt.* Alij dicũt quod iudicare debet ſecũdũ cõſuetudinẽ rei, cũ Actor ſequi debeat forũ Rei, iuxta c. *cum ſit generale, de foro cõp.* niſi ratione contractus ſeu maleficij ſit factus de foro alterius, nã tunc ſeruabitur conſuetudo loci, vbi contraxit vel deliquit, iuxta cap. *quæ contra morem.* diſt. 8. & cap. fin. *de foro comp.* Hæc habẽtur ex Gloſſa, in dicto cap. *illud*, diſt. 12. verbo *contrario more*. Quæ certe omnia longiorem requirebant tractationem: ſed propter tẽporis penuriam, & rerum dicendarum copiam, ſat ſit hæc vtcumque breuiter atque ſuccinctè dixiſſe, vt eorum aliqualis habeatur notitia, reliqua reperientur in noſtro libro ordinis iudiciarij, & de modo procedendi in cauſis criminalibus tam in foro Eccleſiaſtico, quam ſeculari agitãdis. Sed inſurgit vlterius alia difficultas, ea eſt. Vtrùm iudex arbiter, in quem compromiſſum eſt vt ſecũdum iura pronuntiet, iudicare poſſit ſecundum conſuetudinem & particularia ſtatuta? Et dicunt quidã quod non, ſaltim, ſi eiuſmodi conſuetudo iuri fuerit contraria, nam appellatione iuris, ius commune Romanorũ intelligitur, iuxta *Inſt. de iure naturali*, & gẽtium contrariam tamen ſententiam tenent alij, quam ſequitur Sylueſt. vbi ſupra, de qua & ſequẽtem ſtatuo Concluſionem.

Iudex cõpromiſſarius, iudicare etiam poteſt, ſecundum conſuetudinem & particularia ſtatuta.

Quarta Concluſio.

IVdex compromiſſarius in ſupradicto caſu, iudicare etiam poterit ſecundum conſuetudinem, & particularia ſtatuta. Hæc Concluſio eſt Sylueſt. loco ſupracitato, q. 21. & dicit eam eſſe Anton. in cap. *Quintauallis, de iure iurand.* & quod placet Panorm. & probatur, nam conſuetudo, vt pluries ſupradictum eſt, eſt ius quoddam non ſcriptum: ergo prædictus iudex iudicans ſecundum conſuetudinem, ſtat promiſſis & iudicat ſecũdũ iura. Quod ea ratione præſertim videtur tenendum, nam cũ ſumus in materia odioſa, verba generalia debent verificari, & ſufficit vt verificentur in qualibet ſpecie contenta ſub tali genere, per cap. *ſuſcitatus, de reſcript.* & certum eſt quod conſuetudines ſunt quædam iura. Quibus addit Sylueſt. quod conſuetudines, quæ ſunt contra aliquod ius commune Romanorum interdum ſunt ſecundum aliud ius, hoc eſt *ſecundum legem, omnes populi. ff. de iuſt. & iure*, qua conceditur populis poſſe condere ſtatuta etiam contra legem, ac proinde & conſuetudines, & ſic iudex iudicando iuxta ipſas, iudicat & pronunciat ſecundum iura & ſtat promiſſis, neq; quicquã amplius requiritur. Hęc de iſto articulo dicta ſufficiant.

I.

ARTICVLVS XIIII.

Quænam verſetur differentia, inter Præſcriptionem & conſuetudinem?

Concluſio.

Inter conſuetudinem & præſcriptionẽ ſexcuplex differentia verſatur.

COnſuetudo & præſcriptio differunt multis modis, ſed omnes differentiæ ad ſex capita reducũtur. Hæc Concluſio eſt Sylueſt. verbo *conſuetudo*, quæſt. 22. & dicit eam eſſe Hoſtienſ. Primo differunt, nam præſcriptio habet locum in rebus mobilibus & immobilibus, corporalibus & incorporalibus, vt conſtat, ex cap. *auditis & ſequentibus, de præſcript.* conſuetudo autem ſolum habet locum in rebus incorporalibus, vt in ſeruitutibus, iuriſdictionibus, electionibus & huiuſmodi. Secundò differunt, nam præſcriptione adquiritur ius alicui ſingulari & priuato, ſiue illud ius trahatur ex aliquo publico, ſiue ex aliquo priuato, conſuetudine verò non adquiritur ius alicui priuato, nec magis iſti quam illi, ſed publico etiamſi trahatur ex aliquo priuato, ſecundum Panorm. vt in l. *venditor. §. ſi conſtat. ff. communia prædiorum.* Quod qualiter ſit intelligendum, proſequitur idem Panormit. in ca. fin. *de conſuetudine*, num. 20. eadem de re plura adducens exempla, quæ breuitatis cauſa facio miſſa. Tertiò differunt, quia in præſcriptione exigitur titulus & bona fides, iuxta cap. *ſi diligenti, de præſcriptione*, in conſuetudine autem, non requiritur titulus & bona fides, ſed ſolummodo tempus, iuxta l. *cum de in rem. ff. de vſuris, & in l. de quibus. ff. de legibus.* Quartò differunt, quia præſcriptio & priuilegium non concurrunt, iuxta cap. *cũ dilectus. §. cæterum, de fide inſtrument. & cap. veniens, de præſcriptione*, conſuetudo autem & priuilegium bene concurrunt, iuxta cap. *cum dilectus*, eodem titulo, & cap. *ſi Abbas, de verbo. ſignificatione.* Quintò differunt, quia præſcriptio eſt excluſio actionis ſiue petitionis, conſuetudo verò eſt actionis ſiue iuris adquiſitio, per cap. *conſtituto, de electione, & cap. in Geneſi, ibidem, in fine*, licet & ipſa poſſint negatiuam reſpicere, vbicunque probari poteſt, allegando quod tale quid fieri non debeat, argumento deducto, ex cap. *cum Eccleſia Volaterrana, de electione.* Sextò & vltimo differunt, nam conſuetudo erronea nihil iuuat, ſecus verò eſt in præſcriptione, quia titulus putatiuus, etſi non ſit verus, dum tamen probabilis error excuſet, dat cauſam præſcribendi, iuxta l. *vltimã. ff. proſocio.* quæ de iſto articulo ac proinde de tota hac queſtione dicta ſufficiant.

I.

QVAESTIO XXIX.

De ſtatutis particularibus & generalibus, & his, quæ ad ſtatutorum materiam & tractationem ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit ſtatutum, & à quo ſeu à quibus fieri poſsint ſtatuta?

AM ſupra quæſt.24.art.4.diximus aliquid in ſumma & cõpendio, de ſtatutis in communi, explicantes & declarantes, vnde deriuetur ſtatuti nomen, conſtituentes etiam multiplices ſtatutorũ differẽtias. Sed vt non iſte articulus intermiſſus videatur, & vt plenior rerum omnium habeatur notitia, propoſitæ difficultati breuiter reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Statutum eſt ius ab homine poſitum, ſeu diſpoſitio ex qua ius producitur.

STatutum (quod ab ſtatuendo dicitur) eſt ius ab homine poſitum, vel diſpoſitio ex qua ius producitur. Hæc Concluſio eſt Sylueſt. verbo *ſtatutum* num.1. vbi & probat eam *ex inſtituta, de iure naturali gentium & ciuili*, dicens quod ſtatutum à lege ſiue à Conſtitutione, ſolo vocabulo differt, quamuis in communi acceptione, tantummodo municipalis lex, ſtatuti ſibi nomen vendicauerit.

Secunda Concluſio.

Statuta facere poſſunt omnes qui & leges Canonicas ſeu ciuiles reſpectiue.

STatuta facere poſſunt omnes, qui & facere poſſunt legem Canonicam, ſiue ciuilem reſpectiue. Hæc etiam Concluſio eſt ſupradicti Sylue. vbi ſupra, & quinam ſint illi, qui poſſunt facere legem ſiue leges, tradit late ſupradictus Sylueſt. ver. *lex*, q.4. & nos ea de re plura diximus ſupra, q.25.ar.3. & q.26.art.9. & q.27.art. 2. Sed vt hic etiã aliquid præ manibus habeatur, dico breuiter, quod ſtatuta ſiue Conſtitutiones, & leges Canonicas generales, Eccleſiaſticas & ſpirituales, ſolus Papa facere poteſt, per cap.fin. *de conſtit.* Et Concilium Generale eius auctoritate factum, per cap. *regula*, diſt.3. & Legatus in ſua Prouincia, per cap. *de loca. de offic. del. & c.ex reſcripto, de condit. appoſ.* Item ſtatutũ poteſt facere Concilium Prouinciale, ſiue Legatus ad illud faciendum ſpecialiter deſignatus, per capit. *quod dicitur*, diſt.16. & Metropolitanus cum ſuo Cõcilio Prouinciali, de paruis negotijs ſpectantibus ad ſuum onus, non autem de magnis neq; de ſpectantibus ad fidem, per cap. *mulus*, diſt. 17. Sed huiuſmodi ſtatuta obligabunt ſolummodo ſibi ſubditos, ſiue Prouinciales. Præterea poteſt facere ſtatutum Epiſcopus in ſua Diœceſi ſiue Epiſcopatu, per cap. *ſi quis, de maioritate, & obed.* ſaltem in Concilio Synodali, ſecundum Gloſſam, diſt. 18. §. 1. ſed eiuſmodi ſtatuta propriè, non dicuntur Canones, ſed Conſtitutiones Synodales. Similiter & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, poteſt ſibi ſtatutum & Conſtitutionem aliquam efficere, per cap. *cum acceſſiſſent, de conſtit.* & vniuerſitas Clericorum & Magiſtrorum, per cap. *ex literis*, eodem titulo, & ſtatuere aliquod ius, per cap. *Catholico*, diſt.11. Sed aduertit Archid. quod Eccleſia Cathedralis & quæcumque alia ſine conſenſu Epiſcopi, nullum poteſt facere ſtatutum, niſi forte de aliqua re minima, per cap. *cum conſuetudinis, de conſuet. & cap. nouit, de his quæ fiũt à Prælat.* & ratio eſt, quia Epiſcopus eſt caput Cathedralis Eccleſiæ & aliarum, per capit. *requiſiſti, de teſtibus*, & ſine capite nihil eſt omninò faciendum, ſecundum Innocent. in dicto cap. *cum acceſſiſſent de conſtit.* Vnde ad aliqua iura, quæ huic reſolutioni videntur contradicere, nempe capit. *cum omnes*, eodem tit. & cap. *cum dilectus, de cleri. non reſid.* dicunt Doctores communiter dicendum eſſe, quod illa iura intelligenda ſunt, quando Conſtitutio aliqua facta fuerit, auctoritate Epiſcopi, expreſſa vel tacita, vel quia non erat qui illam impugnaret, aliàs enim (inquiunt) nõ valeret, niſi forſan Papa ex certa ſcientia illam confirmaſſet, quod notant Doctores, in dicto cap. *cum omnes*. Supradicta omnia dicta ſunt in communi, de ſtatutis & Conſtitutionibus Canonicis ſiue Eccleſiaſticis, qua de re videatur etiam Sylueſt. verbo *excommunicatio*, 1. num.5. latiſſime. Loquendo verò de ciuilibus, generale ſtatutũ in tẽporalibus, ſolũmodo poteſt facere Imperator per l.2. & l.fin. C. *de legibus*. Sed poteſt etiam ſtatutum aliquod facere Præfectus Prætorio, & omnes, quibus Imperator hoc mandat, & populus Romanus, & Senatus Roman. & omnis Ciuitas ſiue Populus. Quæ omnia probantur, *per inſti. de Reg. iure naturali.* §.1. & 2. vnde dicit Bald. in l. *omnes populi ff. de iuſt. & iure*, quod quantum quis habet de iuriſdictione, tantum habet de auctoritate condendi legem ſiue ſtatuta, nec vlterius extenditur, niſi ij, quorum intereſt conſentiant, vel ad minus ſint præſentes, ſecundum Innocent. in cap. *de locato & conducto*, & cap. *à nobis*, el 1. *de ſentent. excommunicat.* Facit & cap.fin. *de his quæ fiunt à Prælatis.* Quorum omnium ratio eſt, quia poteſtas ſtatuẽdi, dependet ab Imperio & iuriſdictione ſtatuentis, & ſubiectione eorum pro quibus fit ſtatutum, iuxta cap. *Eccleſiæ, de conſtit.* & c. *bene quidem*, diſt. 69. quod & tradit Bartolus, in l.1. ff. *de iuri. omn. iud.* Sed deueniendo ad ſtatuta regularia (quod mei muneris eſt magis proprium) ſequenté ſtatuo Concluſionem, quæ erit tertia in ordine.

Tertia

Tertia Concluſio.

Statuta generalia in Religionibus, ſolũ modo Capitulum generale facere poteſt Prouincialia autẽ, Prouinciale, ſed non ſine licentia Miniſtri Generalis, aut Prouincialis.

STatuta generalia, ſolummodo facere poteſt Capitulum Generale repræſentans totum Ordinem, & Prouincialia Capitulum Prouinciale totã repræſentans Prouinciam, ſed hoc non ſine licentia Miniſtri Generalis ſiue Prouincialis. Hæc Cõcluſio ſatis conſtat ex ſupradictis, & iuribus allegatis, ſed facit quammaximè, cap. *cum acceſſiſſent, de conſtit.* & cap. *ex literis eodem*, & cap. *cum conſuetudinis, de conſuetudi.* & cap. *nouit de his, quæ fiunt à Prælat.* Et ratio eſt, nam Miniſter Generalis eſt caput totius ſui Ordinis, & Prouincialis ſimiliter ſuæ Prouinciæ, eo modo quo & Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, & ſicut dictum eſt, ſine capite nihil eſt omninò faciendum, ſecundum Innocent, & cõmunem, in dicto cap. *cum acceſſiſſent.* Aduerto etiã quod ad hoc vt ſtatutum, ſiue Generale, ſiue Prouinciale valeat vt ſtatutum, neceſſum eſt vt fiat per maiorem partem Capituli, ſecundum ſupradictum Innocent. & communem, in cap. 2. *de noui operis enuntiat.* & Bart. in l. *omnes populi, ff. de iuſtitia & iure.* Et huius rei ratio in promptu eſt, cum ſtatutũ fieri debeat in vtilitatem publicam, & bonum totius Religionis. Sed dixi conſulto, & ex propoſito, *valeat vt ſtatutum*, nam Miniſter Generalis & Prouincialis, bene poſſunt facere & ſtatuere aliqua præcepta ſiue mandata, ſine conſenſu ſui Capituli, quę tamen non erunt ſtatuta, ſed dumtaxat præcepta ſiue mandata, inter quæ eſt quammaxima differentia, nam præcepta finiuntur morte prę cipientium, at verò ſtatuta legitime facta, durant etiam poſt mortem ſtatuentium, niſi expreſſe reuocentur, vt tenet Panormit. in cap. *nobis, el 1. de ſent. excommunic.* & facit capit. fin. *de offic. deleg.* quin verò ſecundum Federicum conſ. 16. ſtatutum factum à Capitulo Sede vacante, durat creato nouo Epiſcopo, niſi expreſſe per eundem reuocetur, ſed de hoc alias.

Notaquod ad hoc vt ſtatutum, ſiue Generale, ſiue Prouinciale valeat, neceſſum eſt vt accedat conſenſus maioris partis Capituli.

Quænam differentia verſetur, inter ſtatuta & præcepta ſiue mandata.

ARTICVLVS II.

Vtrùm valeat ſtatutum, factum ſola voluntate ſtatuentium?

Prima Concluſio.

Statuta ſiue mandata, eſſe debent ratione regulata, nec fieri poſſunt ex ſola voluntate ſtatuentium.

STatuta ſiue mandata, non debent fieri ſola voluntate ſtatuẽtiũ, quin verò eſſe debent ratione regulata, alias non valent neque obligant. Hæc Concluſio probatur primo, à diffinitione legis, nam vt dictum eſt, ſtatutum eſt lex quædam, & de mente & ſententia Diui Iſidori, libr. 5. Etymolog. cap. 3. & habetur in cap. *conſuetudo, d. 1. lex erit omne quod ratione conſtituerit.* Ex quo infero, quod ſi ſtatutum ſiue lex ſola voluntate & libero ſtatuentis arbitrio fuerit facta, rationeque caruerit, non legis nec ſtatuti promerebitur nomẽ, nec valebit aut ligabit ad ſui obſeruantiam, quod latiſſimè proſequitur D. Tho. 1. 2. quæſt. 90. art. 1. in ſolutione ad 3. hac de re agẽs. Tractans enim de eſſentia & ratione legis, inter alias conditiones dicit quod debet eſſe ratione regulata, nam ex quo aliquis vult aliquem finem, ratio ipſa imperat de medijs, & de his quæ ſunt ad finem. Et addit prædictus D. Thom. quod ſecundum hoc intelligendum eſt illud quod communiter dicitur, quod voluntas Principis eſt lex, vimque legis habet, *inſt. de iure naturali, & l. 1. ff. de conſt. Principum*, intelligendum eſt de voluntate Principis ratione regulata & alias non, ſed magis eſſet iniquitas quam lex. Verba ſunt expreſſa D. Thom. Nec dictis obſtat, quod dixit Auguſt. lib. 4. de Ciuitate Dei, nempe *antiquitus arbitria Principum pro legibus fuiſſe habita*, nam id etiam intelligendum eſt ad ſenſum ſupradictum, non de quolibet arbitrio, ſed de voluntate Principum ratione regulata. Quibus etiam non obſtat, quod quidam Iuriſcõſultus dixit olim, in l. *non omnium. ff. de legibus*, nempe *non omniũ quæ à maioribus noſtris dicta ſunt rationem reddi oportere aut poſſe*, nam id non ita intelligendum eſt, quaſi ipſa rationem non debeant habere, aut prorſus ratione careant, ſed in hoc dumtaxat ſenſu, vt non omnium, quæ à maioribus noſtris ſunt conſtituta, rationem & cauſam perquiramus, vt rectè explicat Magiſter Soto, lib. 1. de iuſtit. & iure. & 2. q. 5. a. 1. aſſignans rationem, deſumptam ex Ariſto. lib. 6. Ethicor. cap. 5. nam in dubio habenda fides eſt experientiæ & prudentiæ maiorum, vt de rationabilitate ſuorum ſtatutorum præſumamus, quamdiu non liquido cõſtat contrarium. Stare enim poteſt optime ea fuiſſe regulata ratione ſibi ipſis nota, nobis autem ignota, & incognita.

Nota quòd quãmodo ſit intelligendum id, quod communiter dicitur, quod voluntas Principis eſt lex.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſtatuta iniuſta obligent in foro exteriori, & etiã in foro conſcientiæ?

Nota quod leges ſecundum quadruplex cauſarum genus, dicuntur iuſtæ vel iniuſtæ, ex parte teſtis, ex parte cauſæ efficiẽtis materialis & formalis.

RIuſquam huic Articulo ſolutionem adhibeamus, præmittere oportet ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 4. quod leges ſecundum quadruplex cauſarum genus, dicuntur iuſtæ vel iniuſtæ. Quod eſt dicere, ad ipſarum iuſtitiam neceſſariò requiri, quod ſecundum quadruplices cauſas ſint ſimul iuſtæ, ad iniuſtitiã verò ſufficit, quod aliqua ipſarum illis deficiat, aut in ipſis aliqua reperiatur iniuſtitia, nam iuxta D. Dionyſium, bonum eſt ex integra cauſa, malum verò ex quocumq; defectu, & quod dicitur de legibus, intelligẽdum perinde eſt de ſtatutis. Qua de re videndus eſt Syluest. verbo, *lex*, quæſt. 5. Primo dicuntur leges iuſtæ ex fine quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune, qui eſſe debet cunctarum legum finis, iniuſtæ verò quando ſunt contrariæ bono cõmuni, vt ſi fiat aliqua lex, ad priuatam vtilitatem imponẽtis, ſeu ad cupiditatem vel ob inanem gloriam, talis lex erit iniuſta. Ex parte verò cauſæ efficientis leges ſunt iuſtæ, ſi non excedunt poteſtatem ſtatuentis, nec ponuntur niſi ſibi ſubditis, iniuſtæ verò ſi ferãtur ſuper eos, in quibus nullam quis habet poteſtatẽ, vt poteſt laicus facere legem ſuper Clericos, vt cõpareãt in ſuo foro, vel vt ſoluant talias & aliquid huiuſmodi. Ex forma leges ſunt iuſtæ, quãdo ſecũdũ qualitatẽ proportionis, imponũtur onera ſubditis in ordine ad bonũ cõmune, nam cũ quilibet

bet homo ſit pars multitudinis, & id quod habet ſit eiuſdem multitudinis (ſicut & quælibet pars, id quod eſt totius eſt) ex iuſta cauſa ſubditis bene poſſunt imponi collectæ, ſed debent imponi ſecũdum proportionem. Vnde tunc leges ſunt iniuſtæ, quando huiuſmodi onera imponuntur non proportionabiliter, vt pote ſi aliqui alleuiantur, aliqui verò grauantur nimis notabiliter. Tandem vltimo dicuntur leges iuſtæ ex materia ſiue ex natura ſua, quando fiunt de rebus in ſe iuſtis, è contrario verò iniuſtæ quando fiunt de rebus illicitis, vt putà contra ius naturale vel diuinum, quorum multa exempla qui videre voluerit, conſulat Diuum Thomam vbi ſupra. Quo præmiſſo notabili, propoſitæ difficultati reſpondetur, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Statuta quæ fuerint patenter & euidenter iniuſta, nullo modo obligant in foro conſcientiæ neque etiã in foro exteriori.

STatuta quæ fuerint patenter iniuſta, nullo modo obligant in foro conſcientiæ, nec etiam in foro exteriori. Hæc Concluſio eſt D. Thom. loco ſupracitato, & omnium Theologorum, & Iuriſperitorum communis, qua de re videatur ſupradictus Syluest. vbi ſupra, quæſt. 6. & quæſt. 9. Et probatur ratione, nam de ratione legis (vt ſupradictum eſt) ad hoc vt obliget, neceſſum eſt quod ſit iuſta, iuxta cap. *erit autem lex*, diſt. 4, & prętera quod deriuetur à lege Dei æterna & naturali: ſed ſtatuta, quæ patenter ſunt iniuſta, neque in ſe continẽt iuſtitiam, neque deriuantur à lege Dei æterna aut naturali: ergo eiuſmodi ſtatuta nullo modo obligant in foro conſcientiæ, nec in foro exteriori. Dixi de ſtatutis patenter iniuſtis, nam de alijs non ſic patenter iniuſtis, ſeu quorum non eſt ita patens iniuſtitia, aliter eſt dicendum, nam quamuis etiam ipſa ſi fuerint iniuſta, non obligent in foro conſcientiæ & interiori, obligant tamen in foro exteriori, quandiu non fuerit patens eorum iniuſtitia, ad modum quo dicunt Doctores communiter, de excommunicatione iniuſta & nulla. Nam eo ipſo quod ſuſtineatur aliqua lex, præſumptione iuris cenſetur quod ſit iuſta, iuxta ea, quæ notantur in iure, in cap. *in iſtis*, diſt. 4. ſecundum quã præſumptionem tenetur iudex iudicare, eíque fauere & eandem executioni mandare, quantumcumque alias ſciat eam eſſe iniuſtam. Ad quod facit cap. *paſtoralis. §. quia vero, de offic. del.* vbi idem omninò dicitur de ſententia iniuſta, & eſt communis Doctorũ reſolutio, aſſerentiũ quod lex etiam iniuſta, obligat in foro exteriori. Sed loquuntur, non de lege patenter & euidẽter iniuſta, ſed de iniuſta non ita patenter aut euidenter.

Secunda Concluſio

Statuta quæ fuerint iniuſta non patenter & euidenter, quamuis obligent in foro exteriori, non tamen obligant in foro interiori, & conſcientiæ niſi immineat ſcandalum.

STatuta quæ fuerint iniuſta non patenter & euidenter, quamuis obligent in foro exteriori, non tamen obligant in foro conſcientiæ, niſi quando ex ipſorum tranſgreſſione, aliquod imminet ſcandalum. Hæc Concluſio, eſt D. Thom. loco ſupracitato, vbi expreſſe dicit, quod ſi immineret aliquod ſcandalum, aut timeretur aliqua perturbatio populi, in tali caſu tenetur homo etiam in foro conſcientiæ, ſupradictam legem etiam iniuſtam obſeruare, iuriſque ſuo cedere, propter vitandum ſcandalum, ad quod de iure naturali tenentur omnes, vt late probat idem D. Thom. 2. 2. quæſt. 43. arti. 1. & 2. ad quod probandum adducit illud, Matthæi 5. *Qui te angariauerit mille paſſus, vade cum eo, alia duo, & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſuperiores & Prælati, obſeruare teneantur ſuarum Religionum ſtatuta?

DE hac difficultate iam aliqua diximus ſupra, quæſt. 25. art. 22. vbi in controuerſiam adduximus, agentes de legibus in communi, vtrùm omnes homines ſubijciantur legibus: Sed nihilominus, vt ne iſte locus intermiſſus maneat, & ad maiorem huius rei explicationem, breuiter & reſolutiue, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Superiores & Prælati, ſeruare tenẽtur ſtatuta ſuarũ Religionum, ſubduntur q; illis, quãtum ad vim directiuam, quãuis non quoad coercitiuam.

SVperiores & Prælati, quamuis non ſubdantur ſuis legibus quantum ad vim coactiuam ſiue coercitiuam, ſubduntur tamen eiſdem, quantum ad directiuam, ac proinde ſeruare tenentur ſtatuta ſuarum Religionum. Hæc Concluſio clariſſime conſtat ex his, quæ latiſſimè diximus in ſupradicto articulo 22. quæſt. 25. Sed probatur modo præterea, nam omnes quotquot ſunt membra Reipublicæ quantum ad vim directiuam ſubijciuntur eiuſdem legibus, modo ipſarum ratio in eiſdem non deficiat, nam ſubijci legibus quoad dictam vim directiuam nihil eſt aliud, quam obligari ab eiſdem, in quantum ſunt regulæ rectæ rationis: ſed hæc ratio non deficit, quin verò quantum ad hoc creſcit & augetur in ſupradictis ſuperioribus & Prælatis, quorum operationes eſſe debent magis ratione regulatæ: ergo non ſunt ſoluti ab obligatione ſeruandi ſuas leges ſiue ſtatuta. Et ſi qui ſunt Doctores contrarium aſſerentes, & dicentes Principes ſolutos eſſe legibus, iuxta id quod habetur in l. *Princeps. ff. de legibus*, intelligendi & explicandi ſunt, ad ſenſum ſupradictum, hoc eſt quãtum ad vim coactiuam, non verò quoad directiuam. Supradicta omnia ſunt quammaxime rationi conſona, & contrarium velle ſuſtinere, vergeret quidem in maximum damnum & detrimentum atque in totale excidium totius Reipublicæ. Vt enim inquit Plato libr. 4. de Republica: *Euidenter conſtat illam eſſe beatam Rempublicam, in qua non leges Principibus & Magiſtratibus, ſed Principes, & Magiſtratus obediunt legibus.* *Quidnã ſit ſuperiores & Prælatos tenere legibus, quãtum ad vim directiuam.*

Nota valde.

Sed circa illud quod diximus, ſuperiores atque Prælatos eſſe ſubditos ſuis legibus & ſtatutis, quoad vim directiuam, non verò quoad coactiuam ſiue coercitiuam, inſurgit difficultas. Qua ratione ſi id ita eſt, quandoque Ordinum Generales, & qui nulli præter Papam immediatè ſunt ſubiecti, in ſuis Viſitis ſiue findicationibus, puniũtur propter tranſgreſſiones aliquarum legum, ſtatuto-

Difficultas. An ſuperiores ſupremi & qui nulli ſubſunt, puniri poſſint, pro eo quod non ſubdãtur ſuarum legũ vi directiuæ.

tutorum ſiue ordinationum, quæ factæ fuerunt ab ipſis, ſi vt ſupradictum eſt, nulli ſunt ſubiecti ex vi legis coactiuæ ſiue coercitiuæ? Cui difficultati breuiter reſpondetur, quod puniuntur debiteque poſſunt puniri, propter culpam quam commiſerunt, non ſequentes directionem legum à ſe factarum, & non ſe conformando cum vi ipſarũ directiua, in magnum ſuorum ſubditorum ſcandalum, & damnum ſuarum Religionum. Quod ſi eo tempore quo erant ſuperiores & ſupremi Prælati, non experiebantur, ſed nec experiri poterant, propter ſuam præeminentiam & quia non habebant (vt ſupponitur) ſuperiorem vim ſuarum legum coercitiuam, ratio ipſa fert ac nimium expoſtulat, eandem vt experiantur, quando depoſiti fuerint in ſua reſidentia, ſyndicatione ſiue viſita, & quod tunc habeant debitas pœnas, correſpondentes culpis, quas commiſerunt, non ſe conformando cum recta ratione & cum vi ſuarum legum directiua.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſine ſpeciali Papæ licentia, fieri poſſit in religionibus, aliquod ſtatutum contra ius commune?

VIdetur quod ſic: nam ſi reſpicia mus ad factum, in quampluribus Religionibus aliqua reperientur ſtatuta, quæ aduerſari videantur iuri communi, quod quidem vel maximè reperire licebit in ſacro noſtro Minorum Ordine, vbi vt in initio huius operis diximus, habetur quoddam ſtatutum, vt deſcẽdẽtes ex cõuerſis ludæis, vel Mahumetanis ſeu hæreticis quantumuis remotis, vel ex gentilibus modernis, nullatenus ad eãdem admittantur, vel admiſſi obtinere poſſint Ordinis officia. Neque credendum eſt tot eruditiſſimos, & Religioſiſſimos Patres, qui in Generalibus noſtris Comitijs congregantur, vt plurimumque conueniunt, aliquid quod facere ſibi non liceret ſtatuiſſe. Cui ſimile ſtatutum eſſe fertur, etiam in Religione Minimorum, vt conſtat ex Conſilio quinto Nauarri lib. 3. de Regularibus. Et præterea probatur id ipſum ex facto, nam & multa iura communia, arcent quamplurimos ab Ordine & Religione Clericali, & à beneficijs Eccleſiaſticis, vt habetur in cap. 2. & cap. *ſtatutum, de hæret.* in 6. & etiam Pius Quintus felicis recordationis in quadam ſua Extrauaganti, excludit à Religione nonnullos ab hæreticis deſcendentes. Quin verò & Paulus, primo ad Timotheum 3. etiam arcet Neophytos ab Epiſcopatu, in illis verbis: *Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli*, quod argumentum late proſequitur Gratianus, diſt. 48. Et tandem vltimo confirmatur id ipſum, nam multæ etiam ſunt hodie Eccleſiæ, in quibus nulli recipiuntur Neophyti, nec deſcendentes ab infidelibus. Multa præterea Collegia ſecularia, eiuſmodi habent ſtatuta, à Sede Apoſtolica approbata & confirmata, quæ omnia ſunt contra ius commune; nam de iure cõmuni, omnes ſunt iſtarum rerum capaces, & omnium illorum in quibus expreſſe non ſunt prohibiti: ergo & id ipſum facere licebit Religionum ſuperioribus & Prælatis, poſtquam minores debent & poſſunt maiores ſuos imitari, iuxta illud quod habetur in capit. *ea quæ de reiud.* ſcilicet vt à boue maiori diſcat arare minor. Hæc argumenta diſputationis gratia, pro hac parte adducit ſupradictus Nauarro loco ſupracitato. Quibus nihilominus non obſtantibus, contrariæ ipſe adhæret ſententiæ, de cuius mente & reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Condere aliquod ſtatutũ contra ius cõmune, nullus inferior Papa poteſt, aut ſine ſpeciali licentia ipſius.

NVllus inferior Papa aut ſine eius ſpeciali licẽtia, aliquod poteſt condere ſtatutum, quod ſit contra ius commune. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Nauarro, & conſtat expreſſe, ex cap. *ſuper his, de maioritate & obedientia*, cum eis adnotatis cõmuniter à Doctoribus. Vnde & idem Nauarr. reſpondẽdo cuidam dubio ſiue difficultati ſibi propoſitę, circa ſupradictum ſtatutum prædictorum Minorũ Fratrum, affirmanter dicit, num. 4. & 8. illud eſſe omninò nullum, cum ſit contra ius commune Canonicum, nam iure communi Canonico, omnes cõmuniter Chriſtiani, regulariter loquẽdo, apti ſunt ad intrandam & profitendam, quamcunque Religionem à Sede Apoſtolica approbatam, ſi alias nõ eis obſtet aliquod Canonicum impedimẽtum. Cuius reſolutionem latiſſimè ibidem proſequitur, reſpondendo ad argumenta ſiue rationes dubitandi, ab ipſo in contrarium adductas. Et ad primum argumentum dicit, quod quamuis in dicto Capitulo, vbi facta fuiſſe fertur præfata conſtitutio, adfuerint viri grauiſſimi & religioſiſſimi, non tamen inde ſequitur, quod condendo eiuſmodi ſtatutum non peccauerint aut potuerint peccare. Aut melius forſan (inquit) dici poteſt, quod illud fecerũt abſque vllo prorſus peccato, ſaltim mortali: nam quamuis errauerint id faciendo, errare tamen circa ius commune dubium, non ſemper eſt peccatũ mortale, iuxta Gloſſam communiter receptam, in capit. 1. *de poſtulatione Prælatorum*, verbo, *de cætero*. Hæc dicit prædictus Nauarro de ſupradicto ſtatuto Fratrum Minimorũ, quod forſan factum fuit ſine ſpeciali licentia Apoſtolica. Longe tamen alia ratio eſt, de prædicto ſimili ſtatuto noſtri ſacri Ordinis Minorum, vt pote quod factum fuit auctoritate Apoſtolica, quod & dici poteſt non tam ſtatutum noſtrum quam Pauli Quarti, & Clementis Septimi, & aliorum Summorum Pontificum, qui iuſtis moti cauſis, pro noſtro ſacro Ordine, illud ſpecialiter fecerunt atque ſtatuerunt. Qua de re plura etiam diximus ſupra, in præcedenti Tomo, quæſtion. 19. articulo ſeptimo, atque in alijs locis. Cum quo tamen ſtat, vt vera atque tenenda ſit ſuprapoſita Nauarri doctrina, nempe quod nullus inferior Papa, aliquod poteſt condere ſtatutum, quod ſit contra ius commune Canonicum, ſine ſpeciali licentia ipſius. Et quantum attinet ad dictam licentiam, inquit ſupradictus

Nota quod in re communi Canonico, & viſi in contrariũ, aliquod habeatur ſtatutum auctoritate Apoſtolica factum, omnes communiter chriſtiani baptizati, ſunt apti ad intrãdã quãcunque Religionem.

Nota hoc valde, quod errare circa ius commune dubiũ, non ſemper eſt peccatum mortale.

Nota valde quod ad faciẽ dũ ſtatuta cõtra ius commune, nõ ſufficit. Generalis licentia Papæ, ſed requiritur ſpecialis.

Nauarro ibidem, numero 10. quod non ſufficit licentia Generalis condendi aliqua ſtatuta, ſed requiritur ſpecialis, ad derogandum ſeu vt derogari poſſit iuri communi. Nam quando (inquit) datur licentia Generalis faciendi & condendi ſtatuta aliqua in communi, ſeu in generali confirmantur à Papa, id ſemper intelligendum eſt, quatenus ſunt licita & honeſta, & dummodo non fuerint iuri cõmuni ac ſacris Canonibus contraria, non verò alias, quæ etiam clauſula, in principio confirmationis ſtatutorum prædictorum, ſemper conſueuit apponi. Ad primam confirmationem reſpondet ſupradictus Nauarro, concedendo multos quidem de iure factos fuiſſe inhabiles, ad Ordines & ad beneficia & etiam ad Religiones, negando tamẽ eoſdem factos fuiſſe inhabiles ab inferioribus Papa, de quibus in præſentiarum eſt controuerſia, an id ipſum facere potuerint, ſine ſpeciali ipſius licentia, & hoc eſt certum & abſque omni prorſus dubio, quod non ipſi poſſunt facere aliquod ſtatutũ, quod ſit contra ius commune Canonicum, quantũuis ſint Generales aut generalia Capitula, in quibus efficiantur. Ad vltimam confirmationem ſimiliter reſpondetur, concedendo quod multæ etiam Eccleſiæ, & Collegia ſecularia & regularia, habent eiuſmodi ſtatuta, negando tamen quod valeant & teneant, ſi non fuerint ſpecialiter confirmata per Papam, aut ſpeciali ipſius licentia & auctoritate facta, aut niſi eiuſmodi Collegia ſint fundata à patronis laicis, ſiue Eccleſiaſticis ſub hac conditione, nam in eo caſu de Epiſcoporum licentia, licebit eis ſuæ donationi ſiue fundationi apponere quaſcumque voluerint cõditiones, eſto ſint iuri communi contrariæ, arg. cap. *cum dilectus, de conſuetud.* vbi hoc notatur communiter à D D. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota quod nulla ſtatuta quibus aliqui Iudæi vel ſimiles excludãtur à Religionibus, Eccleſijs & huiuſmodi, licita ſunt, niſi fuerint ſpecialiter per Papã approbata & confirmata.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſtatuta particularia vnius Prouinciæ, obligent hoſpites aliarum Prouinciarum, pro tempore quo ibidem commorantur?

PRO intelligentia huius Articuli & vt plenius eluceſcat, præmittere libet, quod in aliquibus Prouincijs noſtræ ſacræ Religionis, interdum aliqua fiunt ſtatuta pro maiori reformatione, quibus ſub grauibus pœnis præcipiuntur ſubditi aliquid obſeruare, idque ſub præcepto obedientiæ, quin verò & adiecta quandoque excommunicationis pœna, vt (verbi gratia) quod fratres noctu & ſilentij tempore, non ingrediantur aliorum cellas, ſeu quod talibus diebus ieiunent, aut à carnibus abſtineant. Quæritur ergo nunc: an hoſpites aliarum Prouinciarum ibidem exiſtẽtes, ſeu per aliquod tempus commorantes, teneantur ad ſeruanda eiuſmodi ſtatuta, incidantque in pœnas & cenſuras ibidem contentas & conſtitutas? Et vt ex oppoſitione contrarij, veritas planior fiat pro parte contraria, vnicum volo proponere argumentum. Et illud ſit, nam ſi reſpiciamus ad alios caſus ſimiles, ex quibus præſens vtcumque poſſit deduci, videbimus quod hoſpites ſeculares, & peregrini per alienas terras tranſeuntes, ſeu in alienis Prouincijs per aliquod tempus commorantes, niſi alias ibidem habeant domicilium, neq; quoad vim coercitiuam, nec verò quoad directiuam, earum Prouinciarum tenentur legibus, cum non eiuſdem ſint Reipublicæ membra, prout expreſſe tenet Gloſſa communiter approbata, in l. *cunctos. C. de ſumma Trinitate*, & Gloſſ. *verb. aut peregrini*, in cap. *quæ contra mores*, 8. d. Bart. in d. l. *cunctos populos*, nu. 24. & l. 1. *C. de emancipatione liberorum* (inquit) quod eiuſmodi lex nequit ligare forenſes, & probatur, ex d. cap. *quæ contra mores*. Idem ergo erit dicendũ, de hoſpitibus vnius Prouinciæ tranſeuntibus per alias, ſeu in alijs per aliquod tempus commorantibus. His tamen non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Nota. *Pro ratione dubitandi.*

Hoſpites & peregrini, per alienas terras tranſeuntes, ad quid obligentur.

Concluſio.

HOſpites vnius Prouinciæ, in foro exteriori cõpelli poſſunt, ad obſeruanda ſtatuta illarum Prouinciarum, in quibus commorantur & etiam in interiori foro propter ſcandalum, niſi aliqua eos legitima cauſa excuſet. Hæc Concluſio colligi videtur expreſſe, ex dicto cap. *quæ contra mores*, diſt. 8. & ex cap. *illa*, diſt. 10. & ex cap. 1. diſt. 41. quibus omnibus in locis dicitur, quod peregrini ſequi tenentur, conſuetudines illorum, inter quos commorantur, vt etiam notat & aduertit Gloſſa, in ſupradicto cap. *quæ contra mores*, ibi, *peregrini*. Sed inter ſupradicta capita, quammaximè eſt notandũ cap. illa quod eſt D. Auguſt. vnde & deducitur vulgare illud dictum, *dum fueris Romæ, viuito Romano more*, & plura alia ibidem dicuntur, quammaxime notatu digna. Et præterea ratio ipſa id ipſum ſuadet, nam contra rationem prioris eſſe videtur, vt membra non ſuo conformentur capiti, ſeu membris alijs eiuſdem corporis aſſimilentur; faceret enim quammaximam deformitatem & diſſonantiã, ex quo ſequi videtur quod leges morum, quales ſunt illæ, quæ ciuibus viuendi formam & modum præſcribunt, præcipiendo illas virtutes, quæ ſpectant ad conſeruationem Reipublicæ, aut prohibendo vitia, quæ quoquo modo facere poſſunt ad ipſius deſtructionem, abſque delectu & diſcrimine, obligent quoſcunque ciues, peregrinos ſeu hoſpites ibidem commorantes. Quod & confirmatur præterea, nam certum eſt, pertinere ad poteſtatem quamlibet, non ſolũ diſponere & ordinare, quæ recta ſunt, verũ etiã & reſiſtere omnibus, quæ tali Reipublicæ eſſe poſſunt nociua & cõtraria, ſicut & in corpore naturali experimur, quod ineſt eifacultas ad ſui cõſeruationẽ, & reſiſtẽdi ſuis contrarijs etiã exteris. Idem ergo omninò dicẽdũ eſt, de habente & gerente poteſtatẽ Reipublicæ, etiam reſpectu hoſpitum & peregrinorum. Qua etiam ratione communis eſt Doctorũ ſententia, q̃ poteſt Eccleſia exercere poteſtatem etiam in ſibi non ſubditos, vt putà infideles, quando obſtaculo & im-

Hoſpites vnius Prouinciæ, obſeruare tenentur ſtatuta illarum Prouinciarum vbi cõmorantur, ſiue per quas tranſeunt.

& impedimento fidelibus, ſeu contradicunt illis prædicationem Euangelij. Idem ergo dicendum eſt in caſu propoſito. Facit & ad hoc, quod ſecundum communem ſententiam aut ſaltem veriorē, hoſpites forenſes & peregrini, tenentur abſtinere à caruibus, in eo loco in quo abſtinentia indicta fuerit de præcepto, inſuper & obſeruare feſta & ieiunia, quæ fuerint illius loci in quo per aliquod tempus commorantur, & hoc non ſolum in foro exteriori, ita vt ſubijciantur pœnis, quibus ſubdūtur alij violantes eiuſmodi ſtatuta ſiue conſuetudines, verum etiam in foro interiori propter ſcandalum, niſi ſubſit aliqua iuſta atque legitima cauſa, ob quam ceſſet dictum ſcandalum, vt dictum eſt in Concluſione.

De obligatione qua tenentur omnes, cō formandi ſe moribus illarum regionū & prouinciarum, in quib⁹ degunt.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ſtatutum fundatū in præſumptione, obligans ad peccatum, ſiu etiam annexam habens excommunicationis pœnam, obliget in conſcientia, veritate in contrarium inſpecta?

TIrca hunc Articulum, iam aliqua diximus ſupra, quæſt. 29. arti. 17. ſed tamen vt veritas plenius elucescat & ne iſte locus videatur intermiſſus, libet eadem de re in præſentiarum, breuiter etiam aliquid dicere. Pro cuius intelligentia præmitto, quod interdum in Religionibus fiunt aliqua ſtatuta, quæ fundantur in præſumptione, hoc eſt quæ fiunt ad obuiandum aliquibus malis, quæ ex contrario facto forſan poſſent exoriri. Tale eſt ſtatutum, quo prohiberi conſueuit, vt fratres noctu & ſilentij tempore, non in aliorum ingrediantur cellas, propter aliquas legitimas cauſas, inter quas illa ſola eſſet valde ſufficiens, vt eo tempore cuncta ſint quieta & pacata, & vt non rumpatur ſilentium. Sed cum hac cauſa, ſunt etiam plures aliæ, quæ mouere ſolent Prælatos, ad condenda eiuſmodi ſtatuta, quæ vt dixi fundantur in præſumptione, & præſuppoſitione illorum malorum, quæ ex contrario facto poſſent euenire. Cui etiam ſimile eſt ſtatutum, quo in Eccleſia fideles omnes communicare prohibentur cum infidelibus, ne forte ab eiſdem peruertantur, & in iniuriam ſacræ fidei ſeducantur. Sit igitur modo caſus, quod aliquis Religioſus certo ſciat, ex ſuo ingreſſu in aliquam alterius Fratris cellam, nihil omninò mali euenturum, ſeu quod aliquis fidelis cum diuina gratia de ſe confidat, quod loquendo & tractando cum infidelibus, non ab eis ſcandalizabitur ſiue peruertetur, quæritur nunc, an iſti etiam nihilominus, ſeruare teneantur eiuſmodi ſtatuta, in prædictis præſumptionibus fundata, veritateque in contrarium inſpecta? Et videtur quidem quod non nam vt dicitur finis & ratio legis eſt anima legis: ſed in ſupradicto caſu (vt ſupponitur) finis & ratio legis & ſtatuti ceſſat, ergo ceſſabit perinde obligatio ipſius. Hoc eſt quod facit hanc quæſtionem dubiam. Sed his non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua fit Concluſio.

Concluſio.

PRædicta ſtatuta, obligant ad ſui obſeruantiam, etiam veritate in contrarium inſpecta. Probatur hæc Concluſio, nam certū eſt quod omnis lex iuſta, & ſtatutū iuſtū & iuſtificatā habens cauſam, obligat ad ſui obſeruantiam: ſed in propoſito caſu eiuſmodi ſtatuta iuſtam habent cauſam, licet fundatam in præſumptione: ergo illi ad quos pertinēt illa obſeruare tenentur. Conſequentia eſt legitima. Minorem autem ſic probo, in qua tota huius rei conſiſtit difficultas. Nam ad hoc vt cauſa prædictorum ſtatutorum cenſeatur iuſta, ſufficit ſuperque ſatis eſt, quod factum ſit dubium & poſſibile ad eſſe & non eſſe id quod prohibetur ſtatuto ſiue lege, nam ex ſuppoſitione quod poteſt eſſe, ad obuiandum eiuſmodi malo, iuſtiſſima eſt eiuſdē prohibitionis cauſa. Hæc doctrina eſt expreſſa ſententia D. Thom. 2. 2. quæſt. 60. art. 4. in ſolutione ad 3. vbi hac de re agit, tractans de iudicio, diſtinctionē que faciens atque conſtituens, inter iudicium diffinitiuum ſeu determinatiuum, & iudicium præſuppoſitiuum, ſeu quod dicitur ex ſuppoſitione, vt latius conſtat ex his, quæ diximus ſupra loco citato. Sed præterea probatur ſupradicta Concluſio, nam lex ſiue ſtatutum plura reſpiciēs, aut plures habens ſuæ inſtitutionis rationes & cauſas, vna aut pluribus earum ceſſantibus, non ceſſat ipſius obligatio ſi altera remaneat: ergo etiā in prædictis caſibus remanet obligatio ſeruandi ſtatuta prædicta, nam quamuis vt ſupponitur, ceſſet vna ratio ſiue cauſa, remanet tamen alia (verbi gratia) in fideli maximum periculum tractando cum infidelibus, in Religioſis verò, faciendi aliquid quod non conueniat, nam cauſa prohibitionis vt non in grediantur alij in aliorum cellas, non ſolum ſunt peccata, quæ inde poſſint exoriri, verum etiam & vitare colloquia etiā licita & honeſta in illo quietis & ſilentij tempore. Quo fit vt teneantur Fratres ad obſeruantiam ſtatuti prædicti, etiamſi nullum peccatum exinde timeatur. Hoc eſt certum. Sed eſt intelligendum cum ſale, & niſi adſit iuſta aliqua & legitima cauſa, pietatis, charitatis ſiue neceſſitatis, vt poſſet recreandi hoſpites, & cellas ingrediendi ad curandum, & viſitandum aliquem infirmum. In quo caſu videtur, quod peccatum non committatur, nam nullæ leges ſed maxime Eccleſiaſticæ, obligant in eiuſmodi caſibus ad ſui obſeruantiam, vt patet de obſeruatione feſtorum, & de præcepto audiendi miſſam diebus feſtiuis, quæ quidem non obligant, quando ex hoc aliquatenus officium charitatis circa infirmos impeditur. Hæc de iſto Articulo.

Quāuis in præſuptione ſint fundata ſupra dicta ſtatuta, obligant ad ſui obſeruantiam, etiā veritate in contrariū inſpecta.

Nota quod nulla ſtatuta & leges obligant, contra charitatem & pietatem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Capitulum Generale poßit tollere atque abolere facta & ſtatuta in alio Capitulo Generali, auctoritate Papæ?

Prima Concluſio.

Nullum Capitulum Generale, ſine ſpeciali licentia Papæ, poteſt tollere aut abolere, eaque in alio fuere ſtatuta auctoritate ipſius.

CApitulum Generale, vtcumque ſit totius Ordinis repręſentatiuum, ſine expreſſa & ſpeciali licentia Papæ, nõ poteſt tollere aut abolere ea, quæ in alio Capitulo Generali, ſunt decreta & ſtatuta auctoritate eiuſdem Papæ. Hæc Concluſio eſt expreſſa Nauar. in quodam ſuo conſilio, vbi ſupradicta difficultate ſibi propoſita, eidem reſpondendo dicit, id quod poſitum eſt in Concluſione, cuius rationem reddens, dicit eam eſſe, quia ſtatuta facta auctoritate Papæ, iam nõ cenſentur eſſe tã Religionis ſtatuta, quam ipſius Papæ: certum eſt etiam (inquit) quod inferior non poteſt tollere facta ſuperioris, ſeu quæ per ſuperiorem ſunt decreta, ſtatuta atque ordinata, vt late probat Felinus, in cap. *cum acceſsiſſent, de conſtit.* nũm. 9. & idem eſſe ait dicendũ de alijs irreuocabilibus ſtatutis, factis in aliquo Capitulo Generali, qualis eſt ſententia diffinitiua prolata à toto Capitulo contra aliquem fratrem iuridice, quam ſtando in rigore iuris ſecũdum veriorem atque communiorem ſententiam, non poteſt abolere, ſiue reuocare aliud Capitulũ Generale eiuſdem repræſentatiuum. Nam ſententia diffinitiua irreuocabilis eſt, maxime ab eo qui illam tulit, vt conſtat expreſſe, ex cap. *in literis, de offic. deleg. & ex lege index. ff. de re iud.* cum ibi annotatis. Secus eſt de alijs ſtatutis reuocabilibus, ſeu non auctoritate Apoſtolica factis, quæ certum eſt reuocari poſſe, per aliud ſubſequens Capitulum Generale præcedentis repræſentatiuum, cum eandem omninò habeat poteſtatem quam prius, ſed tamen ſi male reuocauerit, poteſt appellari ad Papam, cui ambo ſubijciuntur immediatè. Supradicta Concluſio eſt Nauar. quæ verum habet, præſertim in illis ſtatutis, quæ auctoritate Papæ fiunt, in bonum publicum & fauorem totius Religionis, magis quam ipſorum ſtatuentium. In his inquam certiſsimum eſt, quod nõ poſſunt Vocales aut Diffinitores illa reuocare, ſeu ab ipſis recedere, ſine ſpeciali licentia Apoſtolica. Secus autem eſſet, quando prædicta ſtatuta non fuiſſent facta ex auctoritate Apoſtolica prædicta, aut principaliter cõcernerent fauorem ipſorum ſtatuentium, nam tũc libere poſſent ab ipſis recedere, vt tenet Bart. *l. omnes populi. ff. de iuſt. & iure.* Et ratio differentiæ eſt, nam in vno caſu, auctoritas ſiue confirmatio Papę ſolummodo habet vim cuiuſdam priuilegij facti ipſis, cui & proinde optime poſſunt renuntiare, vt latius dicemus infra cũ agemus de priuilegijs. At in alio caſu, auctoritas ſiue confirmatio Papæ, non ſolum habet vim priuilegij, verum etiam cuiuſdam mandati ſiue decreti. Facit ad hoc ſupradi. cap. *cum acceſsiſſent, de conſtitut.* vbi ſtatutum factum & confirmatum per Papam, de certo Canonicorum numero non tenuit, & ab eo potuerunt Canonici ibidem contenti recedere, quia non habuit niſi vim priuilegij. Nec dictis obſtat id quod communiter dicitur, quod ſtatutum factum auctoritate Papæ vel confirmatum per Papam, efficitur Papæ, iuxta illud vulgare dictũm quod habetur in *l. 1. C. de veteri iure enucleando*, & in cap. *ſi Apoſtolica, de præbendis, in 6.* nempe *quod omnia noſtra facimus, cuius auctoritate facimus.* Nam hoc intelligendum eſt ad ſenſum ſupradictum, quando ſcilicet auctoritas ſiue confirmatio Papæ, habuit vim mandati ſiue decreti, vt dicemus ſtatim in Concluſione ſequenti, & nõ ſolius priuilegij. Vel quantum ad hoc quod eſt habere robur firmitatis, ita vt actus confirmatus à Principe, perinde cenſeatur firmus, ac ſi fuiſſet geſtus per Principem. Exinde autem non ſequitur, quod amittat ſuam naturam primordialẽ, quam habebat ex ſe, ſeu ex parte ipſorum ſtatuentium: nam confirmatio eſt tam quam quid acceſſorium, quod conſequitur naturam principalis, per cap. *cum dilectis, cũ ſimilibus, de fide inſtrumẽt.* Et ſic concludendo dico, quod quando ſtatutum factum fuerit auctoritate Papæ, & conceſſum per modum priuilegij, non verò mandati ſiue decreti, aut reſpexerit magis ſiue principalius fauorem ſtatuentium, quam bonum publicum & vtilitatem totius Religionis, in tali caſu, bene poterunt ſtatuentes ab illo recedere, etiamſi ſit confirmatum per Papam, nam illa confirmatio vtcumque firma, vicem gerit cauſæ acceſſoriæ, non verò principalis, argumento, *l. omnium. C. de teſtibus*, & tradit Decius, in dicto cap. *cum acceſsiſſent.* Sed loquendo de ſtatutis, factis auctoritate ſiue confirmatione papę, per modum mandati ſiue decreti, ſit ſecunda Concluſio.

Nota quod ſtatuta facta in Capitulo Generali auctoritate Papæ, non tam cenſentur Religionis ſtatuta, quam ipſius Papæ.

Nota quod ſententia diffinitiua, eſt irreuocabilis ab eo qui illam tulit.

Nota in quibus rebus Religionum Prælati, poſſint recedere aut cõtrauenire, ſtatutis à ſe factis, auctoritate Papæ.

Nota quod quando ſtatutum Papæ, cõfirmatũ à Papa, efficitur Papæ.

Secunda Concluſio.

STatutum factum in aliquo Capitulo Generali, quando Summus Pontifex determinando, illuc mittit aliquid per modum cuiuſdam decreti ſiue mandati, ordinationis ſeu conſtitutionis, ab omnibus inuiolabiliter obſeruandum, ſine ſpeciali licentia Papæ, non poteſt per aliud Capitulum Generale immutari. Hæc Concluſio eſt certiſſima, & ſatis colligitur ex ſupradictis. Nam huiuſmodi ſtatuta ſiue leges, ſemper reſpiciunt bonum commune, diſtinctum à bono priuato, quo fit vt in damnũ, & præiudicium totius Religionis, nullatenus per Capitulum Generale tolli poſſint, quia nemo ius alterius valet remittere, iuxta *l. 1. & totum titulũ, C. de reb. alien. & l. ius publicum. ff. de pact. & cap. ſi diligenti, de foro comp.* vbi habetur quod ius publicum, Vniuerſitatis vel Collegij, conſtitutum per legem ſuperioris, non poteſt per eandem communitatem remitti. Quod & tenet communis Doctorum doctrina, in cap. *cum acceſsiſſent, de conſtit. & cap. dilecto*, eodem titu. ea ſcilicet ratione, nam dum Princeps edit aliquam ſpecialem legem, circa communitatem inferiorum, eo ipſo ſe facit rectorem eiuſdem communitatis, quantum ad effectum conſeruandi bonum illud, per eandem legem ſiue ſtatutum prę tenſum, ac ſubinde reſeruare ſibi poteſtatem diſpenſandi in illa lege ſiue ſtatuto, aut immutandi ipſum,

Quando Pontifex ad Capitulum Generale mittit aliquid quod ſtricte præcipitobſeruari, nullomodo poteſt ſine ſpeciali licentia ipſius vel ſucceſſoris, per aliud Capitulum Generale immutari.

Nota valde, quod ius commune ſeu ad communitatẽ pertinens, nõ poteſt per particulares remitti ſiue immutari.

ipſum, quaſi ipſe ſolus dictam Vniuerſitatem repreſentet, ſolusque ipſe poſſit ius illud remittere, non autem inferiores. Hoc eſt valde notandum atque memoriæ commendandum. Nam interdum Pōtifices ſummi confirmando Religionum generalia ſtatuta, præcipiunt aliqua ſpecialia, quæ ſibi vidētur communi bono earundem Religionum expedire: in quo quidem caſu, licet circa ea quæ ſunt primi generis, ſequens generale Capitulum aliquid poſſit immutare, & maxime quando id fuerit confirmatum, non tam in bonum & fauorem totius religionis, quam in bonum & fauorem ipſorum ſtatuentium (vt dictum eſt) nō tamen in his quæ ſunt ſecundi generis, & pono exemplum, in Bulla Sixti V. quæ incipit, *Etſi communis cura*, data Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Iulij, anno 1587. Pontificatuſui anno 3. miſſa ad capitulum generale ibidem celebratum eodem anno, in Conuētu de Aracœli. In qua duo continentur, primo confirmatio ſtatutorum prædicti Capituli generalis, Secundo aſſignatio durationis temporis & officij Abbatiſſarum Monialium, ſub noſtra cura degentium, necnon & modus ſuffragandi in electionibus vt ſcilicet fiat ſemper per ſchedulas obſignatas, ita vt ſuffragia & nomina ipſorum eligentium, omnino ſint occulta & ſecreta, &c. Quorum primum (hoc eſt ſtatuta ibidem facta) cum tantum ſint per Papam confirmata, per modum cuiuſdam priuilegij, non vero decreti ſiue mandati, poteſt per aliud ſimile capitulum generale reuocari, prout optimo regimini ordinis viſum fuerit expedire; non vero ſecundum, cum ſit ſtatutum conditum & factum immediate ab ipſo Papa, per modum decreti & mādati, reſpiciendo ad bonum commune, & miſſum, ac propoſitum ab eodem toti Ordini, vt ab omnibus inuiolabiliter obſeruetur. Hoc inquā ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, reuocari aut mutari minime poteſt. Nota hoc valde, & hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Generales & Prouinciales Miniſtri, declarare poſsint ſtatuta facta in ſuis Capitulis Generalibus, ſiue Prouincialibus reſpectiue?

Concluſio.

Miniſtri Generales & Prouinciales per ſeipſos ſolūmodo declarare non poſſunt ſtatuta facta in ſuis Capitulis Generalibus ſiue Prouincialibus declaratione iudiciali, ſtādo in iure communi.

STando in iure communi, Miniſtri generales ſiue Prouinciales per ſe ipſos ſolummodo, declarare non poſſunt ſtatuta facta in ſuis Capitulis generalibus, ſiue Prouincialibus, declaratione iudiciali, quæ vim & robur habeat obligandi. Hæc concluſio ſatis colligitur ex doctrina Panorm. & Ioann. Andr. in *cap. ex parte, de verborum ſignificat.* & Bartol. in *l. omnes populi, ff. de iuſtitia & iure.* Et ratio eius in promptu eſt, nam cum ipſi per ſe ſolos, non condiderint, aut condere potuerint eiuſmodi ſtatuta, ſed totū Capitulum Generale ſeu Prouinciale reſpectiue (vt ſupra diximus) ad idem Capitulum eſt recurrēdum, ſecundum ius commune, pro vera atque iuri dica eorundem ſtatutorum declaratione, nam iuxta commune dictum, *Eius eſt legem interpretari, cuius eſt condere.* Quod limitat Panorm. quando interpretatio eſt valde dubia, & ex tali interpretatione poteſt ſequi aliquod arduum circa ius, legem ſiue ſtatutum, ſecus autem quando fuiſſet clara ac iuri cōſona, tunc enim bene poſſunt generales & Prouinciales reſpectiue, hoc ipſum efficere, & ſtatuta ſua interpretari, eo modo, quo & aliquam communem legem, ſiue priuilegium, prout tradit Innocent. in *cap. cum ſpeciali, de appellat.* & Bartol. in *d. l. omnes populi.* In noſtris autem priuilegijs, nullum inueni quod ad hoc faciendum, peculiarem præbeat facultatem, quod valde fuiſſet neceſſarium, pro vitandis multis ſcrupulis, qui ex huiuſmodi interpretationibus & declarationibus interdum poſſunt exoriri. Sed in Compendio Ordinis Ciſtercienſis, tit. *Conſtitutiones, ſiue diffinitiones*, §. 1. habetur ad hoc quædam ſpecialis facultas cōceſſa Prælatis, à Martino V. & Eugenio IIII. qua etiam vti poſſumus nos, & omnes ordines & Religiones priuilegium habentes communicationis, quæ eſt tenoris ſequentis: *Quod Generalis Reformator, & Capitulum Generale huius congregationis, pro directione ac ſubditorum animarum ſalute, ſtabilitateque Monaſteriorum, ſaluis Regulæ ſubſtātialibus, quaſcumque in ſpiritualibus & temporalibus, circa ipſam regulam & eius obſeruantiam occurrentes ambiguitates, obſcuritates & dubia, declarandi, interpretandi, & diſpenſandi, ſtatutaque & ordinationes, ſeu eiuſdem diffinitiones etiam interpretandi, modificandi, dirigendi, & reformandi, mutandi, variandi, tollendi, renouandi, caſſandi, & alterandi, necnon noua edendi, condendi & faciendi, plenā & liberam auctoritate Apoſtolica habeant facultatem & poteſtatem.* Quæ quidem facultas eſt magna, multumque memoriæ commendanda, nam deſeruire poteſt & neceſſaria erit pro multis caſibus.

Nota quod eius eſt legē interpretari, cuius eſt eam cōdere.

Nota ſpeciale priuilegiū Ciſtercienſiū ad explicanda & declaranda à Prælatis eiuſdem Ordinis ſtatuta.

ARTICVLVS X.

Vtrum noſtræ Religionis ſtatuta obligent ad culpam, an vero ſolummodo ad pœnam?

Prima Concluſio.

Sixtus IIII. reuocauit omnia noſtri ordinis ſtatuta obligantia ad culpam, & ſtatuit vt ſolum modo obligarēt ad pœnam

OMnia noſtræ Religionis ſtatuta, obligantia ad culpam vſque ad tempora Sixti IIII. per eundem ſunt ſublata & reuocata, & redacta vt ſolummodo obligent ad pœnam. Hæc Concluſio non aliter poteſt probari, quam adducendo ad literam Sixti IIII. conſtitutionem prædictam, quæ habetur in Monumentis Ordinis 1. impr. fol. 22. & 2. fol. 106. conc. 229. & refertur in Compendio, *verbo ſtatuta ordin.* §. 1. vbi dicitur, quod *ſtatuit atque decreuit, quod Miniſtri & Cuſtodes, ac Guardiani, & Fratres Ordin. Minor. qui pro tempore fuerint nulla Eccleſiaſtica cenſura, nulloque mortalis peccati vinculo ligari valeant ex ſtatutis, conſuetudinibus, atque declarationibus dicti Ordinis, præter regulam quomodolibet & à quibuſcumque editis etiam confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis illis contrafaciendo, niſi tales eſſent caſus vel exceſſus, qui diuina lege aut præcepto Romanæ Eccleſiæ, merito inducerent ad mortale,*

ac etiam cenſurat & pœnas aliter latas reuocauit & annullauit, illasque ad vim comminationis pœnarum comminatoriarum & inferendarum, ſeu ad corporales & temporales pœnas per Prælatos ſupradictos ferendas & infligendas reduxit, Voluitque ſimiliter, quod Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & alij prædicti ordinis Prælati, poſſint ferre & promulgare corporales & temporales ſeu alias pœnas, pro non obſeruatione dictorum ſtatutorum, ſecundum qualitatem perſonarum, locorum & temporum, ac alias ſecundum quod videbitur ſaluti animarum Fratrum eorundem in Domino expedire, ac etiam delinquentes ab illis abſoluere. Hæc ſupradictus Sixtus IIII. Circa quam conceſſionem aduertit priuilegiorum Collector, quod non obſtante prætacta ordinatione ſeu cõſtitutione tenentur Fratres Minores, ad ſtatuta quæ poſtea auctoritate Apoſtolica reperiuntur facta ac de cætero fiunt. Nã (inquit) Pontifices præcedentes nequeunt ligare manus ſuorum ſuccedentium, & quod præſertim tenentur ad ea ſtatuta generalia, quæ tempore generalis reformationis, facta ſunt virtute præcepti Leonis X. pro toto ordine, quæ habentur in Supplemento fol. 30. conceſſione 107. cuius præcepti fit etiam mentio in dicto Compendio, *verbo, ſtatuta Ordinis*, §. 2. Aduertit præterea ſupradictus Collector, quod illud quod ait Sixtus, de declarationibus, intelligendum eſt de factis per Fratres, & poſt modum per Papam approbatis, non autem de declarationibus Regulæ, factis à Summis Pontificibus, & præſertim à Nicolao III. & Clemente V. quæ exiſtunt in corpore iuris, in *cap. exijt, de verbo. ſignificat. in 6. & in clement. exiuit, eod. tit.* quidquid alij ſenſerint ſed male. Sed doctiſſimus Pater Corduba, in additionibus ad dictum Compendium, *verbo. ſtatuta Ordinis*, contrarium omnino dicit, & tenet probatque ex multis. Acuius difficultatis tractatione conſulto ſuperſedeo breuitati ſtudens, cum hæc facile videri poſſint ibidem, & hac de re vidē dus eſt Emanuel Rodericus 1. tom. ſuarum Quæſt. Reg. quæſt. 11. art. 8. vbi hanc quæſtionem tractat atque reſoluit, videantur ſupradicti Auctores. Et nos etiam in explicatione noſtræ Regulæ quam fecimus, hac de re plura diximus, quæ etiam poterunt ſi placuerit videri ibidem.

Nota hanc doctrinã Collectoris priuilegiorũ, circa ſtatuta, quæ modo fiunt auctoritate Apoſtolica.

Secunda Concluſio.

Religionis noſtræ ſtatuta, nunc ſolũmodo obligant ad pœnas in eiſdem conſtitutas.

RElegionis noſtræ ſtatuta, nunc ſolummodo obligant, ad pœnas in eiſdem conſtitutas. Hæc Concluſio cõſtat ex ſupradictis & habetur expreſſa in noſtris Conſtitutionibus generalibus Toletanis *cap. 8. §. de conſtitut.* & idem omnino tenent (vt dicitur) Fratres Prædicatores in ſuis ordinationibus & conſtitutionibus. Sed modo inſurgit difficultas, quæ etiam tractata eſt à nobis ſupra, quæſt. 25. Art. 18. Et ea eſt quonam pacto ſupradicta ſtatuta obligare poſſint ad pœnam, ſi non obligant ad culpam, cum ex natura rei pœna & culpa ſibi inuicem ſint correlatiua, & intrinſecam atque naturalem habeant correſpondentiam? De hac re plura dicta ſunt à nobis loco citato, & de ea videatur Sot. lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 6. artic. 5. in fin. vbi dicit eiuſmodi pœnas, in ſui ſacri Ordinis conſtitutionibus contentas, non tam proprie eſſe pœnas quam conuentiones quaſdam & pacta, quibus eiuſdem alumni & profeſſores, ſuo voto ſe aſtrinxerunt, vt ſi hæc aut illa fecerint, talia vel talia patiãtur, quæ non inepte dicuntur pœnæ, pro eo quod exiguntur ac rependuntur propter res vetitas & prohibitas, ad modum quo & quando quis voto ſe aſtringit, vt quoties iuramento aliquo fuerit abuſus, tãtum perdat. Videatur hac de re D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 4. & 2. 2. quæſt. 186. art. 9. & ibi Caiet. & Caſtro libr. 1. de lege pœnali, capit. 8. & ſupradictus Emanuel Rodericus vbi ſupra, Arti. 6.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Religioſus aliquis in particulari, impetrare & procurare poſsit priuilegium, contra ſuæ Religionis ſtatuta?

Concluſio.

Nullus Religioſus in particulari, impetrare poteſt, aut cebet, priuilegium aliquod contra ſtatuta ſuæ religionis.

VIlus Religioſus in particulari, impetrare aut procurare poteſt, neque debet priuilegium aliquod cõtra ſtatuta ſuæ Religionis. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta etiam ſtando in iure communi, nam iuxta iuris Regulam: *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, ſeu improbari*, & eadem eſt ratio, de priuilegio in contrarium impetrando. Sed de iure ſpeciali, in quamplurib⁹ Religionibus, ad idem impetrata ſunt priuilegia, vt ſcilicet contra ſua ſtatuta, nulla poſſint impetrari priuilegia, vt patet ex ipſorum Compendijs, *verbo, priuilegium.* Et in primis Vrbanus Quartus, *conceſsit Fratribus Prædicatoribus Premonſtratenſi. quod nullus Frater aliquod priuilegium contra communia ſuæ Religionis ſtatuta audeat poſtulare, aut obtentum obtinere, & ſi quæ impetrabuntur huiuſmodi à Sede Apoſtolica vel eius Legatis ſub quacumque forma & expreſsione verborum, irrita ſint & inania*, Quod etiam Clemens Septimus conceſſit Abbati & Conuentui Ciſtercienſis Cabilonenſis diœceſis. Hoc etiam idem conceſſit Leo X. pro Eremitis Sancti Auguſtini, quibus facultatibus & priuilegijs, & nos Minores Fratres vti poſſumus, poſtquam priuilegium habemus communicationis, quod & poterunt ſimiliter facere omnes, qui illud habuerint, quod eſt magni ponderis ac momenti, multumque neceſſarium Religionibus. Ad hoc etiam facit, quædam Alexand. VI. conceſſio, & habetur in noſtri Ordinis Monumentis 2. impr. fol. 55. con. 64. & refertur in Compend. *verbo, priuilegia*, §. 14. *qua decreuit & ordinauit, quod Minores Fratres vti nequeant gratijs vel facultatibus in forma breuis duntaxat conceſsit, quæ per quẽdam Bartolum Floridum, olim Secretarium ſuum ſubſcripta fuerunt, niſi ad id ſuorum Superiorum, Generalium, vel Prouincialium pro tempore exiſtentium accedat aſſenſus, perinde ac ſi in ſiteris prædictarum facultatum & gratiarum adiecta foret prædicta conditio.* Et idem videtur dicendum de quocumque priuilegio, à quacumque perſona particulari impetrato, contra noſtri ſacri Ordinis ſtatuta, in quo eſt ſtandum.

Nota quædam priuilegia quibuſdã Religionibus cõceſſa, vt cõtra communia ſtatuta nullus Religioſus priuilegiũ aliquod impetrare poſsit.

ART.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Summus Pontifex, confirmando Religioſorum aliqua ſtatuta ab eiſdem facta, intendat eos reſeruare a ſtricta ſuæ Regulæ obſeruantia?

Concluſio.

Sũmus Põtifex, confirmãdo Religionũ ſtatuta, nõ intendit per id remouere Religioſos, á ſtricta ſuæ Regulæ obſeruãtia

SVmmus Pontifex confirmando ſtatuta, quorumcumque Religioſorum, facta in ſuis generalibus Capitulis, non per id intendit reſeruare eos à ſtricta ſuæ Regulæ obſeruantia. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, cuius & ratio in promptu eſt, nam Pontifices Summi, Sanctitatis & totius reformationis amatores, quamuis fauorem beneuolum Religioſis cunctis velint ac ſoleant impartiri, non tamen vllo modo volunt ſeu intendunt, ipſorum vitam religioſam relaxare, quinvero recollectionem ſemper ſtudent, & prætendunt promouere. Vnde neque confirmando aliqua ſtatuta, approbare debent cenſeri, quæ ſuæ Regulæ & Religionis fuerint relaxatiua, ſed ea ſolummodo, quæ eidem fuerint conſona & conformia. Cuius certiſſimum, atque euidentiſſimum indicium eſt, nam ſtatuta aliqua confirmando, ſemper vtuntur hac clauſula, *quatenus licita & honeſta, & iuri communi, & ſacris Canonibus non contraria.* Id quod & Concil. Trident. ſeſſ. 25. capi. 22. etiam clare innuit, nam poſtquam ſtatuit in communi aliqua ad Regulares perſonas pertinentia, tandem ſubdit, *Si qui vero Regulares, tã viri, quam mulieres, ſunt qui ſub arctiori Regula vel ſtatutis viuunt (exceptis facultate habendi bona ſtabilia in communi) eos ab eorum inſtituto & obſeruantia Sancta Synodus amouere non intendit.* Per quæ dicta verba, clare ſatis datur intelligi, quod quando Pontifices Summi, concedunt Regularibus, ſiue Religioſis, auctoritatem faciendi & condendi ſtatuta aliqua in ſuis Comitijs generalibus, per id non intendunt, vt ſub ſtrictiori obſeruantia viuentes, à ſuis inſtitutis remoueantur, ſed liberam eiſdem facultatem tribuunt, in ſuo laudabili ac magis recollecto ſtatu permanendi, & in tantum ea confirmant, in quantum ſunt licita & honeſta, iuſta & vtilia, ſuæque Regulæ conſona & conformia, & in nullo eidem contraria. Quod ſi aliter fuerit eiuſmodi ſtatutorũ confirmatio munita, cenſenda eſt per ſubreptionẽ ſiue obreptionem fuiſſe impetrata, quibuſcumque clauſulis fuerint facta (etiam ex certa ſcientia) quia non eſt veriſimile, voluiſſe Papam eiuſmodi ſtatuta confirmare: neque ſub generali ſtatutorum confirmatione, confirmata intelliguntur, quæ vllo modo fuerint iniuſta, ſeu iuri ac rationi contraria, aut quæ contra aliquem tertium extiterint poſſunt nouum Ius inducere. Et hæc de iſto Articulo & tota Quæſtione dicta ſufficiant, progrediamur ad alia & ſit trigeſima.

QVAESTIO XXX.

De Diſpenſatione in communi, & his quæ ad Diſpenſationis materiam, & tractationem ſpectant, in Duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſit diſpenſatio?

Diſpẽſatio in communi ſumpta eſt iuriſcõmunis relaxatio facta abhabente auctoritatẽ & poteſtatem.

OMISSIS varijs, ac pene innumeris diſpenſationis acceptionibus, deſcriptionibus, ſiue diffinitionibus, quæ traduntur à Doctoribus, propoſito Articulo fiet ſatis ſolum modo afferendo, quæ inter ipſas videbuntur meliores, quod fiet per ſequentes Cõcluſiones.

Prima Concluſio.

DIſpenſatio in communi ſumpta, & vt ſub ſe comprehendit licitam, atque illicitam, eſt iuris communis relaxatio, procedens ex mera diſpenſantis miſericordia, facta ab habente auctoritatem & poteſtatem. Hæc diſpenſationis diffinitio eſt Raymundi, & refertur à Syluestro, *verbo, diſpenſatio, num.* 1. vbi & dicit, quod diſpenſatio hac ratione ſumpta, à quibuſdam Doctoribus dicitur *vulnus* pro eo quod quaſi vulnerat ius commune, per capitulum, *ipſa pietas, 23. quæſtione quarta*, & addit, quod diſpenſatio vt ſic, in diſpenſante eſt poteſtas ſeu actus poteſtatis iure conceſſus: in diſpenſato vero, eſt quoddam ius priuatum, ſiue licentia aut permiſſio, facta contra rigorem iuris, ſed non ius commune, per capitulum, *interfectores, 32. quæſtione ſecunda.* Iſta diſpenſationis deſcriptio, ſiue diffinitio, eſt nimis ampla, & vt dictum eſt complectitur ſub ſe diſpenſationem licitam & illicitam. Quapropter Oſtienſis reſtringens ſe ad ſolam diſpenſationem licitam, ponit aliam, de qua materia ſit Secunda Concluſio, in ordine ſolito.

Nota quod diſpenſatio dicitur vulnus, pro eo quod quaſi vulnerat ius commune.

(?)

Secunda

Secunda Concluſio.

Diſpẽſatio in particulari ſumpta eſt miſericors & canonica iuris cõmunis relaxatio facta cũ cauſa, per eũ ad quẽ ſpectat

DIſpenſatio licita, eſt miſericors & canonica rigoris iuris communis relaxatio, facta cũ cauſa, per eum ad quem ſpectat. Hæc diffinitio adducitur á Sylueſt. vbiſupra, & colligitur ex Gratiano, in *cap. requiritis, §. niſi rigor. 1. q. 7.* vbi eam multis exẽplis illuſtrat atque declarat. Cui etiam diffinitioni correſpondent multæ aliæ, quæ communiter traduntur à Doctoribus, inter quos Bald. in additio. ad Speculat. *cap. 1. de treuga & pace*, agens de diſpenſatione, inquit, quod diſpenſatio eſt rigoris mitigatio, vel moderatio pœnæ, facta ex publica vtilitate, vel alia rationabili æquitate, per habentem auctoritatem, quam lex ciuilis indulgentiam appellat. Et paulo inferius inquit, eſſe ſeueritatis & exceſſus mitigationem vel remiſſionem, ſubdens,

Nota quod iura ciuilia, raro aut nunquã eiuſmodi diſpẽſationes admittunt.

quod iura ciuilia raro aut nunquam eiuſmodi diſpenſationes admittunt, quia, inquit, non debent indulgentia crimina ſubleuari. Alciatus etiam agendo de eadem re dicit diſpenſationem nihil eſſe aliud, quam iuris communis quandam relaxationẽ, ſeu correctionem in fauorem particularem, quæ & priuilegium iure optimo dici poteſt. Alij tradũt aliam diſpenſationis diffinitionem, dicentes quod diſpenſatio licita eſt, prouida iuris communis relaxatio, facta ab habente auctoritatem, penſata vtilitate & neceſſitate. Hanc diffinitionem ponit gloſa in *cap. requiritis, §. niſi rigor diſciplinæ, 1. q. 7.* Sed D. Thomas alia procedens via, aliam adducit diſpenſationis diffinitionem prima ſecundæ, quæſt. 97. ar. 4. & 2. 2. quæſt. 88. articulo decimo. De qua fit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio.

Diſpẽſatio eſt cõmenſurata applicatio ſeu diſtributio alicuius cõmunis ad ſingularia & particularia.

DIſpenſatio eſt commenſurata applicatio, vel diſtributio alicuius communis ad ſingularia & particularia. Hæc diffinitio etiam adducitur à Syluestro loco ſupra citato, vbi inquit, quod diſpẽſatio propriè, & ſecundum ſuam originariam ſignificationem, importat pecuniarum penſionem, diuerſis facta, & dicitur à *diſpenſo*, quod eſt idem, ac *diuerſis penſo*. Vnde ſecundum Panorm. diſpenſator dicitur pecuniarum adminiſtrator, nam pecuniæ olim non numerabantur, ſed appendebantur, ſeu penſabantur. Ex quo proinde tranſlatum eſt prædictum nomen ad omnem diſtributionem. In qua etiam ſignificatione Romanus Pontifex á D. Bernardo, lib. 3. de conſideratione ad Eugenium, nuncupatur diſpenſator. Quo etiam nomine inſignitus fuit quilibet Prælatus à Chriſto Domino in Euangelio, Lucæ 12. quando dixit, *Quiſputas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* Stando igitur in hac ſignificatione, omnis diſpenſatio in præcepto alicuius legis communis, eſt applicatio illius, ad hunc vel ad illum ſecundum eorum proportionem, ita vt iſte aſtringatur ad totũ, ille autem ad partem, alius vero ad nihil, ſecundũ ipſorum conditiones. Quibus omnibus in vnum redactis, ex dictis manifeſte colligitur, vera, exacta, breuis & compendioſa diſpenſationis diffinitio, nempe, *quod ipſa eſt iuris communis relaxatio, facta cum cauſæ cognitione, ab eo qui poteſtatem & auctoritatem habet ad diſpenſandum.* Cuius proprius effectus eſt efficere vt fiat licitum, quod aliàs de iure erat illicitũ prout tenet Gloſſa in *cap. non debet, de conſanguin. & affinit.* Hactenus de iſto Articulo.

De originaria ſignificatione huius nominis diſpenſatio.

Vera, exacta, breuis, & cõpendioſa diſpẽſationis diffinitio.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit diſpenſatio?

VLtiplices diſpenſationis ſpecies, ſeu diuiſiones tradunt Doctores, ſed inter ipſas quæ magis ad noſtrum attinet propoſitum, explicabuntur breuiter, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Diſpẽſationũ aliæ ſunt licitæ & iuſtæ, aliæ vero illicitæ & iniuſtæ.

DIſpenſationum, aliæ ſunt licitæ & iuſtæ, aliæ vero illicitæ & iniuſtæ. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis reſolutio, de qua videndus eſt Syluester, *verbo, diſpenſatio, num. 2.* Illa diſpẽſatio dicitur licita & iuſta, quæ fit ex iuſta & rationabili cauſa, illa vero illicita & iniuſta, quæ fit ſine iuſta cauſa, quæ & potius dicitur diſſipatio, quam diſpenſatio, de qua videndus eſt ſupradictus Syluester, qui loco ſupracitato, de mente & ſententia D. Bernardi, libro *de diſpenſatione & præcepto*, inquit, quod Prælati pro ſuo arbitrio & voluntate, ſine iuſta & rationabili cauſa, vel ſaltem dubia, licentiã dantes veniendi contra legem, diſſipatores ſunt, non vero diſpenſatores. Et addit quod ſi diſpenſatio aliqua impetretur ex cauſa falſa, vel tacita veritate nulla eſt, vt conſtat ex *cap. 2. de filijs presbyter. in 6.* & idem (inquit) eſt dicendum de qualibet alia gratia, vt notatur communiter, in *cap. ad audientiam, el 2. de reſcriptis, & in cap. non poteſt, de præbendis, eodem libro ſexto.*

Nota quod diſpenſatio impetrata ex cauſa falſa, vel tacita veritate, nulla eſt, & idẽ eſt iudiciũ de quacumq; gratia.

Secunda Concluſio.

Diſpẽſatio alia eſt tacita, alia vero expreſſa.

INter diſpenſationes etiam, aliæ ſunt tacitæ, aliæ vero expreſſæ. Diſpenſatio tacita dicitur illa, quæ æquipollet expreſſæ, quamuis & ipſa expreſſa non ſit, iuxta Gloſſ. in *cap. qui in aliquo, d. 51.* & eſt verbi gratia, quando Papa alicui indigno, vel inhabili, ſcienter prouidet, aut inhabilem ſeu indignum ad beneficium vel officium admittit ſeu promouet, informatus de ipſius inhabilitate. Expreſſa vero eſt, quæ fit ſub expreſſis verbis appoſitis in literis Apoſtolicis, dicendo, *diſpenſamus, ſeu ali quando permittimus*, aliisve verbis vtendo, vt colligitur ex *cap. literas, de filijs presbyter. & ex capi. vnico, de ætat. & qualit. in 6.* Circa quam concluſionem aduertendum eſt ſecundum Doctores Iuriſperitos, & maxime Innocen. in *ca. nuper, de officio deleg.* quod eſt magna differentia inter modum diſpenſandi Papæ, & modum diſpenſandi aliorum Prælatorum inferiorum. Nam Papa, cum ſit ſuper omne ius, diſpenſare poteſt ſine præuia cauſæ cognitione, quo fit vt in eo diſpenſatio etiam tacita, magni ſit ponderis & momenti, nam cauſa ſemper præſumitur in Papæ diſpenſationibus, & in indulgentijs ab eodem conceſſis & emanatis, & ſecundum multos ſola liberalitas ſufficit interdum pro cauſa, at vero Pre

Quid ſit diſpẽſatio tacita, quid vero expreſſa?

ro Prælati inferiores diſpenſare non poſſunt, ſine præuia cauſæ cognitione, quapropter tacita diſpẽſatio in eiſdem parum, vel nihil operatur. Hinc ſit quod ſi Papa aſſumeret ad dignitatem aliquam, homicidam, apoſtatam, ſeu indignum ſcienter, cum ipſo videretur diſpenſare, & ad id ipſius ſufficeret voluntas, iuxta *Inſtitut. de iure nat. §. ſed & quod Principi placuit*, ſecus vero Epiſcopus, nam Epiſcopus non videtur tacite diſpenſare, etiam ſi excommunicatum, aut indignum ad ſacros ordines promoueat, quæ eſt communis iuriſperitorum reſolutio. Supradictis omnibus addunt nonnulli, quod diſpenſationum prædictarum tria ſunt genera, alia enim eſt legis, alia vero hominis, quædam vero mixta, quando ſcilicet lex concedit vt homo diſpenſare poſſit, & homo ipſe diſpenſat, vt notatur in *cap. de multa in fin. de præbend.* Sed hæc breuitati ſtudens miſſa facio, quia non ſunt præſentis ſpeculationis. Videatur Syluester, *verbo, diſpenſatio, quæſt. 15. numer. 21.*

Nota quod Papa cũ ſit ſuper omne ius, diſpenſare poteſt quãdoq; abſque præuia cauſæ cognitione nõ vero alij Prælati inferiores.

Diſpenſatio alia eſt legis, alia vero hominis, quædã vero mixta, & quaſi ex vtroque compoſita.

ARTICVLVS III.

Vtrum diſpenſatio ſit idem quod priuilegium, declaratio, aut Epicheia?

Prima Concluſio.

Diſpẽſatio nõ eſt idẽ quod priuilegium, ſed multũ ab eo differt.

DIſpenſatio non eſt idem quod priuilegium, ſed multum ab eo differt. Probatur hæc concluſio, nam primo differunt penes hoc quod priuilegium interdum conceditur concedique conſueuit, ſine vlla prorſus cauſa, at diſpenſatio non conceditur ſine cauſa, quin vero adhuc cum ipſa conceſſa, ſi nõ eſt legitima aut narratiua facta fuerit falſa, diſpenſatio erit omnino nulla. Secundo differunt, nam diſpenſatio non conceditur, neque concedi conſueuit, niſi ad petitionem partis, nõ autem ex proprio motu, ſecus autem eſt de priuilegio, quod interdũ ex proprio motu conceditur, iuxta *cap. innotuit in fine, de electione. & c. fin. de ſchiſmaticis.* Cuius ratio eſt, nam lex non debet ſolui vel relaxari niſi ex iuſta, & rationabili cauſa, & parte petente inſtante & ſupplicante, vt deducitur ex *l. 4. §. hoc autem iudicij, ff. de damno infecto*, quod non eſt neceſſarium ad concedendum priuilegium. Tertio differunt, nam diſpenſatio non recipit niſi ſtrictam interpretationẽ, cum ſit iuris relaxatio, & omnis receſſus à iure cõmuni ſit odioſus, iuxta textum in *cap. fin. de filijs preſbyter. in 6. & in cap. quod dilectio, de conſanguin. & affinitate*, at vero priuilegium ſecundum Doctores communiter, poteſt & debet ample interpretari, niſi in aliquo particulari caſu, de quo ſuo loco dicemus.

Quænã differentia verſetur inter diſpenſationem, & priuilegiũ.

Secunda Concluſio.

Diſpẽſationõ eſt idẽ, quod legis interpretatio, aut declaratio, ſed multum ab ea differt.

DIſpenſatio non eſt idem, quod legis interpretatio aut declaratio, ſed multum ab ea differt. Probatur hæc cõcluſio, nam declarare eſt in iure, diſpenſare vero circa ius, & ius interpretatur quotieſcumque explicatur, obliget ne, an non, iuxta *l. fin. ff. de legibus, & cap. cum veniſſent, de iudic.* at in eo diſpẽſatur ex ſuppoſitione quod obligat. Hoc fiet clarius exemplo, lex naturalis præcipit vt non occidamus, quod quidem naturale præceptum, leges humanæ explicant variis modis, ſed inter alia dicendo, quod per illud non prohibetur homicidiũ ad propriam defenſionem commiſſum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, nam ratio naturalis dictat, defenſionem omnibus eſſe permiſſam, iuxta *l. vt vim. ff. de iuſt. & iur.* hoc igitur eſt legem naturalem interpretari & declarare, dicendo quod in eo caſu non obligat lex de non occidendo. Sed diſpenſare eſt ſuppoſita obligatione, & ex ſuppoſitione quod præceptũ obliget, priuatim aliquẽ ab illa obligatione eximere. Cuius exemplum tradit D. Thomas 2.2. q. 88. ar. 10. dicendo quod lex imponitur reſpiciendo ad id, quod in pluribus eſt commune bonum, ſed quia contingit eiuſmodi in aliquo caſu non eſſe bonum, oportuit per aliquem determinari, in illo particulari caſu legem non eſſe ſeruandam, & hoc eſt propriè in lege diſpenſare. Sit exemplum illud quod habetur, in *capi. de multa, de præbend.* nam omnes iure humano prohibentur, duo obtinere beneficia animarum curam habentia, quæ lex rectiſſima eſt reſpiciendo ad bonum commune, ſed Summus Pontifex aliquando diſpenſando dicit, quod aliquis nobilis ſiue litteratus, plura poſſit obtinere beneficia, quod eſt proprie diſpenſare in dicta lege, & ſupradictos ab illa generali obligatione, ſeu prohibitione eximere.

Quænã differẽtia verſetur inter diſpẽſationẽ legis, & interpretationem & declarationẽ ipſius

Tertia Concluſio.

Diſpẽſationõ eſt omnino idem quod epicheia, ſed multum ab ea differt.

DIſpenſatio non eſt omnino idem quod Epicheia, ſed multum ab ea differt. Probatur hæc cõcluſio, nam epicheia eſt declarare legem, in aliquo caſu locum non habere, at diſpenſatio eſt ſubditorum quempiam, iuſta de cauſa à communi legis obligatione excipere ſiue eximere, conceſſa illi licentia & facultate, ſine qua legi eſſet obnoxius. Sed vt hoc plenius notum fiat, & ne per incognita procedamus, aduertendum eſt quod epicheia, idẽ eſt quod æquitas: quæ quidẽ æquitas nihil eſt aliud quam iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata, pẽ ſatis omnibus circunſtantijs, cuius officium & proprius actus in caſibus ſpecialibus, eſt diſcedere à verbis generalis legis, ſeruata tamen eiuſdem intentione, & attentis quibuſdam circunſtantijs. Ità quod æquitas ſiue epicheia, eſt quando prætermiſſo verborum legis rigore, præfertur id quod recta ratio dictat ſiue expoſcit, & quod Legiſlator in tali caſu conſultus dixiſſet, & eligi voluiſſet. Cum enim leges, vt pluries dictum eſt, reſpiciant bonũ commune & ferantur de his, quæ vt plurimum accidunt, quorum obſeruantia in quibuſdam caſibus propter incidentes circunſtantias, manifeſte foret pernicioſa prædicto bono communi. Tunc & in tali caſu æquitas & epicheia facit vt á verbis legis recedatur, dũ tamen eius finis eodẽ ſeu meliori modo conſequatur. Idque optime, & multum ad rationem conformiter, nam quod propter aliquem finem ſtatutum eſt, contra ipſum militare non debet. Alias enim potius cenſendus eſſet quis tranſgreſſor & præuaricator legis, quam zelator & obſeruator ipſius, cum iuxta communis iuris regulam,

Nota quidnã ſit epicheia, ſiue æquitas.

Nota differentiã, quæ verſatur inter diſpenſationem legis & epicheiam.

lam, ex *l. non dubium. ff. de leg. is in lege committat, qui verba legis amplexus, contra legislatoris nititur voluntatem*, & commune eſt in iure, quod cupiunt leges ipſæ, vt iure regantur. Eſt itaque æquitas ſiue epicheia medium quoddam inter ius & rigorē, ſiue exceſſum eiuſdem iuris. Nam ius eſt iuſta ordinatio generalis ad bonum commune, iuris autem rigor, eſt exceſſus & auſteritas nimia eiuſdem iuris multoties ad terrorem poſita, inter quæ duo, eſt media æquitas ſiue epicheia, quæ non ſicut diſpenſatio, per licenriam eximit ſubditum ab obſeruantia legis qua tenebatur, ſed ſolummodo explicat quod in illo caſu non tenetur, neque id fuit de mente, & intentione legis aut Legislator, in eo caſu conſultus, quidquam tale voluiſſet, reſpondiſſet aut dixiſſet. Ex ijs conſtat clariſſime differentia, quæ verſatur inter diſpenſationem & epicheiam, & quod diſpenſatio tantum conuenit Prælatis, epicheia vero Prælatis & ſubditis propter rationem dictam, de quo videatur D. Thomas 2.2. quæſt. 129. art. 11. & Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſtion. 6. articulo 3.

Nota quoddiſpenſatio tantummodo cōpetit Prælatis at epecheia locum habet & in Prælatis & in ſubditis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ad diſpenſandum ſemper cauſa requiratur?

IAm ſupra quæſt. 25. Art. 25. oſtendimus, qualiter Principes & Rectores multitudinis, in legibus humanis poſſint diſpenſare. Sed nunc ad maiorem eiuſdem rei explicationem atque declarationem, in quæſtionem libuit adducere, vtrum ad diſpenſandum, ſemper cauſa requiratur? Cui difficultati reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Nulla diſpēſatio facta etiā à Papa, ſine iuſta & rationabili cauſa, in foro cōſcientiæ eſt licita, quāuis ſit circa legem pure humanā, & à iure naturali & diuino independentē.

NVlla diſpenſatio facta etiam à Papa & Pontifice Summo, ſine iuſta & rationabili cauſa, eſt licita in foro conſcientiæ, quamuis ſit circa legem pure humanam, & à iure naturali & diuino independentem. Hæc concluſio eſt communis omniū Doctorum reſolutio, ſed maxime Theologorum. De qua videndus eſt D. Thomas prima ſecundæ, quæſt. 96. art. 9. & quæſt. 97. art. 4. & quæſt. 100. ar. 8. & 2.2. quæſt. 88. art. 1. & quæſt. 89. art. 9. & quæſtio. 147. arti. 4. quibus omnibus in locis hac de re agit, idque expreſſe dicit. Et idem tenet Caietanus ibidem, & Victor. lib. de poteſtate Papæ & Concilij, quæſt. 7. Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. ar. 3. Et iuris interpretes idipſum tenent, in *cap. cum omnes, de conſtitut.* & Nauarr. in *cap. ſtatuimus, num.* 10. Idē tenet Medina prima ſecundæ, quæſt. 97. artic. 4. vbi & probat hanc cōcluſionem, ex eo quod Summus Pontifex, vt conſtat ex D. Paulo 1. Corinth. 10. *Poteſtatem & facultatem habeo diſpenſandi, ſed in ædificationem Eccleſiæ, non vero in deſtructionem.* Quapropter (inquit) ſi aliquid diſpenſauerit ſine iuſta & rationabili cauſa, ſeu quod dicitur pro libito, peccatum committet, quod quidem peccatum ex ſuo genere eſt mortale, & ſimiliter, inquit, peccauerunt, qui diſpenſationem eandem procurauerunt, ipſius cooperando peccato. Cui & accedit alia peculiaris ratio, nam diſpenſare in lege cum aliquo in particulari, nihil eſt omnino aliud, quam ipſum eximere à vinculo & obligatione, qua tenentur alij de Vniuerſitate: ſed hoc fieri non poteſt ſine cauſa iuſta & rationabili, quin aliqualiter vergat in eorundem iniuriam & præiudicium, ergo nullatenus facere id licebit abſque peccato. Hoc itaque eſt certiſſimum atque conſtitutiſſimum, & communis Doctorum reſolutio.

Secunda Concluſio.

Diſpēſatio facta à Papa circa ius naturale & diuinum ſine cauſa eſt nulla, & illa vtens non eſt ſecurus in conſcientia, quin vero mortaliter peccat.

SI ſupradicta diſpenſatio, ſit circa legem naturalem & diuinam, ſeu rem aliquam ab ipſis depēdentem, vt in votis, iuramentis, & ſimilibus, quæ dicuntur eſſe de iure diuino, & fiat ſine iuſta & rationabili cauſa, non ſolum peccabit ſummus Pontifex illam faciens, & eandem procurantes, & expoſtulantes, verumetiam & diſpenſatio ipſa in ſe, erit omnino nulla quoad Deum, & diſpenſatus vtens illa, haud quaquam erit tutus & ſecurus in conſcientia, quin vero mortaliter peccat. Hæc cōcluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua ſpecialiter videndus eſt Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. art. 3. & Caietanus prima ſecundæ, quæſt. 96. art. 5. & quæſt. 97. arti. 4. & Medina loco ſupracitato, vbi & dicit idem eſſe iudicium ſi Papa diſpenſaſſet cum Epiſcopo, vt poteſtatē habeat teſtandi de bonis Eccleſiaſticis, quæ pauperibus erant diſtribuenda, nam omnes huiuſmodi diſpenſationes, factæ ſine legitima & rationabili cauſa, ſunt prorſus inualidæ coram Deo. Et ratio (inquit) euidens eſt, nam Summus Pontifex, non habet auctoritatem & poteſtatem, ſupra ius diuinum & naturale, vt illud pro ſua voluntate abroget, annulleꝛ, aut ſeruari non faciat. Hoc etiam eſt certiſſimum, atque conſtitutiſſimum.

Tertia Concluſio.

Diſpēſatio facta à Papa in iure pure humano & poſitiuo, ſine iuſta & rationabili cauſa, quāuis peccetur, eſt tamen valida, illaque vtentes non peccabūt mortaliter, ſed ſolūm venialiter.

SI diſpenſatio ſit in lege pure humana, & nullo modo dependente à naturali & diuino iure, vt eſt diſpenſatio in gradibus prohibitis matrimonij & in ieiunijs, ſi fiat ſine iuſta & legitima cauſa, peccabit quidem Papa diſpenſans, & id ſolicitantes, vt dictum eſt, non tamen eiuſmodi diſpenſatio erit omnino nulla, quoad Deum ipſo iure, quin vero ſactum tenebit, & illa vtentes non peccabunt mortaliter, ſed ſolummodo venialiter. Hanc ſententiā & concluſionem tenent Magiſter Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 6. art. 4. & Nauarr. in Man. capi. 23. num. 42. & Victoria de poteſtate Papæ, num. 15. hoc dicentes contra Caietanum prima ſecundæ, quæſt. 97. art. 4. innuentem tali diſpenſatione vtentes peccare mortaliter, & contra Panormitanum, & alios Canoniſtas aſſerentes, eadem diſpenſatione vtentes, nullo modo peccare, neque mortaliter nec venialiter. De quorum ſententia & opinione, videatur Sylueſter, *verbo, diſpenſatio*, q. 3. Videndus eſt etiam Medina prima ſecundæ, quæſt. 97. artic. 4. prope finem, vbi prædictam concluſionem probat ex hoc quod obligatio illa dependet à iure humano, ſuper quo Summus Pontifex cum cauſa poteſt diſpen-

diſpenſare, & diſpenſando tollit obligationem, quamuis id faciendo ſine cauſa (vt dictum eſt) ipſe peccet mortaliter, & diſpenſationem procurantes & ſolicitantes; vtens vero illa non ita, ſed venialiter tantum, vt dictum eſt. Sed loquendo de alijs diſpenſationibus in communi. Sit quarta Concluſio.

Quarta Concluſio.

Diſpẽſatio inferioris, circa legẽ Superioris, facta ſine iuſta & legitima cauſa, nihil valet.

COmmuniter & generaliter loquendo, omnis diſpenſatio inferioris circa legem Superioris, facta, ſine iuſta, legitima & rationabili cauſa, nihil valet. Probatur hæc Concluſio, primo ex dictis, nam ſi diſpenſatio Superioris Papæ circa legem Dei, ſine iuſta cauſa non valet; ergo nec diſpenſatio ipſimet inferioris, circa legem ſui Superioris, ſine eadem iuſta cauſa aliquid valebit. Conſequentia inde patet, nam ſicut ſe habet vnũ ad alterum, ita & alterum ad aliud. Sed ſecundo probatur ſupradicta concluſio, nam quandocumque inferiori conceditur facultas diſpenſandi, intelligi debet, vt id fiat cum iuſta & legitima cauſa vt tenet Innocent. in *cap. cum ad Monaſt. de ſtat. Mona.* Videatur Sylu. *verbo, diſpenſatio*, vbi ſupra. Ex quibus omnibus infertur, ad diſpenſationem vt licite fiat ac fieri debet, neceſſariam eſſe cauſæ cognitionem, quidquid dicat Panorm. in *ca. diuerſis, de clericis coniugatis*, & Innocent. in dicto *cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*, aſſerentes quod in Principe non requiritur eiuſmodi cauſæ cognitio, ſed ſufficit ſola eius voluntas in his quæ ſunt iuris poſitiui, quod & nos etiam ſupra probabiliter diximus, ſed contrarium eſt verius & tenendum, propter omnia ſupradicta aut ſaltim eſt ſecurius. Et de Prælato ſiue Iudice inferiore, communis eſt omnium ſententia & reſolutio, vt notat Gloſſa in §. *niſi rigor*, 1. q. 7. Vnde ſi fiat ab eo diſpenſatio, pro libito, & ſine cognitione cauſæ, non quidem diſpenſatio ſed diſſipatio dicenda eſt, venietque puniendus, quia egit contra legem. Ad quod facit Gloſſa in *cap. 2. de ſchiſmaticis*, vbi hoc tenent omnes vnanimiter Doctores. Tenebit tamen eiuſmodi diſpenſatio, quoad eum qui diſpenſauit, quantum ad hoc quod non poteſt cõtrauenire nec ipſam reuocare, ex quo egit actum in quo potuit diſpenſare, licet non teneat quoad Superiorem, vt notat gloſſa in dicto *cap. diuerſis, de clericis coniug.* Videatur hac de re Syluester, *verbo, diſpenſatio, quæſtione 2.* & Nauarrus in Manuali, præludio 9. num. 13. & 14.

Diſpẽſatio ad hoc vt debite fiat, prærequirit cauſæ cognitionem.

ARTICVLVS V.

Quænam ſint cauſæ requiſitæ, & ſufficientes ad iuſtam diſpenſationem?

Prima Concluſio.

Conc. Trid. ponit quatuor, iuſtæ diſpẽſationis cauſas.

SEcundum Concilium Tridentinũ, quatuor vtplurimum ſunt iuſtæ diſpenſationis cauſæ, nempe Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, ac eximia Eccleſiæ, ſiue Reipublicæ vtilitas. Hæc concluſio habetur expreſſa ſeſſ. 23. cap. 1. agẽdo de reſidentia Prælatorum, & ſeſſion. 27. per plura capita. Sed quamuis hæc cauſæ ſint potiſſimæ, Doctores tamen plures alias aſſignant, de quibus ſecundam ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

cõmuniter & regulariter loquendo, iuſtæ diſpẽſationis cauſa, ad ſeptem capita reducuntur.

PRæter ſupradictas, plures aliæ ſunt iuſtæ diſpẽſationis cauſæ, quæ ad ſeptem capita reducuntur. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſt. *verbo, diſpẽſatio, quæſt. 1.* vbi quærit, Quænam ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi, ſeptemque conſtituit. Prima tempus, pro quo facit *cap. neceſſaria, & capit. pro remedio, 1. q. 7. & cap. fraternitatis, diſt. 34.* vbi habetur, quod defectus noſtri temporis, quibus non ſolùm merita, verumetiam & corpora ipſa defecerunt, diſtrictionis illius non patitur manere cenſuram. Secunda cauſa eſt vtilitas, vt ſcilicet alij facilius reuertantur ad dominum, pro quo facit *cap. ipſa pietas, 23. quæſt. 4. & cap. iuſti. 1. quæſt. 3.* Tertia eſt qualitas perſonæ, meriti & ſcientiæ, pro qua facit ſupradictum *capi. iuſti, & cap. didici, eadem cauſ., & quæſtione*, tunc vel maxime, cum alius non ſit æque dignus. Quarta cauſa eſt neceſſitas corporalis, ſeu ſpiritualis ipſius diſpẽſandi, aut neceſſitas communis Reipublicæ. Pro quo facit ſupradictum *cap. neceſſaria, & cap. pro remedio, capit. iuſti, 1. quæſt. 7. & d. capit. fraternitatis, diſt. 34.* Quinta cauſa eſt pietas. Sexta euentus rei. Septima multitudo, ſiue ſcandalum multitudinis, pro quibus faciunt omnia capitula ſupradicta, ſed maxime *cap. vt conſtituerentur, diſt. 50.* vbi habetur, indulgendum eſſe multitudini, & cum timentur populorum ſtrages, detrahendum eſſe aliquid ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis, charitas ſincera ſubueniat. Super quæ verba videnda eſt gloſſa, *verbo, detrahendum*, vbi ad hoc diſpenſationis propoſitum, dicuntur plura eaque notatu digniſſima, ſed cauendum eſt, inquit Syluester vbi ſupra, ne quis alatur in ſcandalo. Vt igitur omnia vnico verbo concludam, dico cum Sylueſt. quod cum diſpenſationis caſus ſint innumerabiles, in hoc dari nõ poteſt certa & generalis regula, ſed penſatis omnibus circunſtantijs, rebuſque ſupradictis, ſtandum eſt arbitrio boni viri, qui ſi iudicauerit cauſam rationabilem eſſe, diſpenſatio erit nedum licita, verumetiam & debita, iuxta *capi. domino ſanctò, diſtinct. 30*, ita quod Prælatus non diſpenſando peccabit, argumento *cap. in quanto, 2. q. 5.* quamuis ſubditi ius petendi non habeant, niſi tantum deprecatiue, vt iam etiam ſupradiximus.

Quænã ſint iuſtæ diſpenſationis cauſæ

ARTICVLVS VI.

Vtrum Prælati eſſe debeant faciles, an vero nimium difficiles, ad diſpenſandum?

Prima Concluſio.

Prælati non multũ eſſe debẽt faciles ad diſpenſandũ, neclegũ diſpẽſationes faciẽdæ ſunt abſq; iuſta & rationabili cauſa.

LEgum diſpenſationes, faciendę nõ ſunt, abſque vrgenti & multum iuſta & rationabili cauſa. Hæc concluſio eſt communis reſolutio omnium Doctorum, hac de re recte ſentiẽtiũ, ſed maxime tenet & probat

bat eam Victoria, lib. quem inscripsit de potestate Ecclesiastica, propos. 7. & 8. vbi & dicit quod sunt in Ecclesia aliq uæ leges pure humanæ, adeo necessariæ ad Christianæ legis obseruantiam, quod expediret, vt nunquam in eisdem dispensaretur. Nam etsi aliquando in aliquo casu dispensatio videatur rationabilis, multo tamen (inquit) vtilior esset Ecclesiæ, ipsarum inuiolabilis obseruatio, quam vt aperiatur ianua tot dispensationibus, interdum cum tanto fidelium, necnon & infidelium scandalo. Idem fere omnino dicit Magister Soto lib. 1. de iustitia & iure, quæst. 7. artic. 3. agendo de causis legitimę dispensationis, vbi inquit, quod dispensationes fieri nullatenus debent, nisi in cõmune bonum cedant, pro quo communi bono omnes leges constituuntur. Et addit, quod quantum periculi & damni Christianæ Reipublicæ euenerit ex eo quod legum dispensatio alijs priuatis respectibus, & si leuibus causis fieri cœperit, locus in quem Ecclesia Dei nunc iacet, apertissimo est indicio & documento. Nam (inquit) si leges nihil aliud emolumenti in Rempublicam conferũt, quã quod Principibus sunt fructuosæ, pernicies potius & labefactatio boni publici censendæ sunt, quam leges in bonum publicum & publicam vtilitatem cõfectæ. Inde enim fit, vt soli pauperes legibus coerceantur, diuites vero & qui illis magis indigebant non subijciantur eisdem. Verba sunt expressa prædicti Magistri Soto notatu dignissima, & quæ quãmaxime faciunt ad nostrum propositum. Quid enim (inquit) prodest bigamos & homicidas, per legem à Sacerdotio arceri & prohiberi, si omnes illi qui volunt & possunt dato pretio, statim per dispẽsationem promouentur, & qui alias per legem inhabiles erant, per dispensationem habiles fiunt? leges enim non ideo latæ sunt, vt sine licentia & dispensatione, si non expedit non aliquid fiat, sed propter commune bonum & publicam vtilitatem vt simpliciter & absolute nõ id fiat. Ex quibus colligit, quod Prælati, quinvero & ipse Summus Pontifex, in legibus iuste latis, non esse debent faciles ad dispensandum, nec sine vrgenti nimis & iusta, atque rationabili causa, in eisdem dispensare. Etenim si (vt dictum est) eidem Papæ & Summo Pontifici, non licet Ecclesiæ leges, sine iusta & rationabili causa omnino derogare, tollere aut abolere: ergo neque illa licebit sine ipsa passim in eisdem legibus dispensare, cum vtrumque eo tendat & idẽ fere sit iudicium. Facit ad hoc quædam iuris regula, ad hoc propositum nimis notabilis, qua dicitur, *vt cum aliquid vna via fieri prohibetur, id alia via non admittitur*, si igitur idem omnino effectus; qui sequitur ex legum derogatione, sequitur etiam ex dispensatione, si fiat passim & cum omnibus, & absq; iusta & rationabili causa, nam tunc frustra esset lata lex, nullusque prorsus eiusdem esset effectus, ergo id nullatenus est faciendum. Quibus accedit & alia ratio, nam si vt supradiximus, dispensatio nihil est aliud, quam vulnus legis, quia vulnerat ius commune, iuxta *cap. ipsa pietas, 23. quæst. 4.* ergo id nonnisi raro, & existenti vrgenti iusta & rationabili causa est faciendum. Hoc aduertere summopere oportet, cunctos Prælatos & maxime Regulares, quibus subest facultas & potestas dispensandi, qui non pro suo arbitrio, facilitate nimia debent in legibus dispensare, sed raro & cum discretione magna, attendentes & respicientes commune Reipublicæ bonum, non vero priuatum singulorũ & particularium, cum vt dicitur, omne bonum commune, sit præferendum & anteponendum priuato & particulari. Quod si aliquis succedat casus, in quo ratio ipsa dispensationem exposcat, non nimis faciliter idipsum facere debent, cum melius sit & magis Reipublicæ commodum, vt aliquis in particulari interdum detrimentum aliquod patiatur, quam quod ex nimia & facili dispensatione, via & porta aperiatur aliqua, qua tota Religionis obseruantia in dies destruatur, tantumque detrimentũ sustineat. Hac de causa Gerson, alijque grauissimi Doctores, laudant nimisque extollunt Carthusiensium statuta, quia sunt fere indispẽsabilia, & in sua ciborum carnalium abstinentia, nullam prorsus vnquam dispensationem admittunt, non obstante quacumq; necessitate, etiã periculo mortis. Quod ex vna parte, durum ac rigidum licet esse videatur, ex alia fieri apparet nõnisi rationabiliter, & cũ iusta multumque rationabili causa, etenim si idipsum semel in ipsis cœperit dispensari, latius certe se extendet dispensatio, quam legum & suorum statutorum obseruantia. Qua ratione minus malum existimant, detrimentũ esse particulari alicui, ex rigorosa ipsorum obseruantia, viuendo sine vlla prorsus dispensatione, quam per eandem aperire viam, ad infirmandas leges adeo valde necessarias ad sui status & Religionis conseruationem. Hoc aduertant cuncti Prælati Regulares oportet summopere. Sed his nihilominus non obstantibus, secundam statuo Conclusionem.

Nota verba Magi. Victor. notatu dignissima pro legũ inuiolabili obseruantia.

Dispensationes legum fieri non debent nisi in cõmune bonum cedant.

Nota quod cũ aliquid vna via fieri prohibetur, id alia via non admittitur.

Hæc sunt valde notãda maxime á Prælatis Regularibus, circa dispensationem legum.

Secunda Conclusio.

Iusta existẽte causa; rationabili causa, Superiores & Prælati, bene possunt, quinvero quandoq; debẽt, cũ suis subditis misericorditer dispensare.

PEr ea quæ in præcedenti conclusione sunt dicta, non tollitur quin iusta existente & rationabili causa, cũcti Prælati possint quinvero & quãdoque debeant, cum sibi subditis misericorditer dispensare. Hæc conclusio quantum ad primã partem iam constat ex supradictis: sed quod idipsum quodammodo sit debitum, tenet expresse glossa solemnis & communiter recepta in *cap. vt constituerentur, dist. 50. verbo, detrahendum*, vbi pro cõclusione ponitur, quod dispẽsatio quãdoq; est debita. Id quod probat ex *d. c. vbi strages multorum iacet, & ex cap. licet, dist. 45. cap. dispensationes 1. quæst. 7. capit. plerumque, 11. quæst. 3. cap. noui, in fin. 23. quæst. 1. cap. considerandum, eadem dist. 50.* Eo vel maxime, quia dispensatio est qua si quædam misericordia, & quilibet in casu vrgente & ex causa tenetur esse misericors, iuxta *capit. non satis, dist. 46.* Addit tamẽ supradicta glossa, quod quamuis dispensatio in casu sit debita, non tamen debet peti, nec subditi ius habent petendi, nisi deprecatiue, quod etiam dicit Syluest. *verbo, dispensatio, quæst. 1. in fin.* Et ponit glossa exemplum in Episcopatu, nam etiam Episcopatus debetur bono, & tamen non potest peti per eum, iuxta *cap. qui Episcopatum 8. quæst. 1.* quod est multum notandum. Denique vt omnia vnico concludam verbo, dico, quod in dispensationibus summopere habenda est ratio boni communis, & omnes iustæ dispensationis causæ, reducuntur, reducique debent ad bonum commune, & sicuti lex non esse potest iusta, nisi ad bonum

Dispensatio quandoq; est debita, sicut & eleemosyna, seu aliud, quodcũq; misericordiæ opus.

Omnes iustæ dispensationis causæ reducũntur, reduciq; debent ad bonum cõmune.

num commune & publicum ordinetur, ita & ſuo modo neque diſpenſatio. Sed pro Principibus & Iudicibus ſecularibus aduerto, cauendum ſibi quammaxime eſſe, ne vllo modo occaſionem præbeant ſuſpicandi, quod eorum ſint leges ſtatutæ, propter turpe lucrum, & vt legiſlatorum augeatur peculium. Quapropter conſuetudinem illam, non diſpenſandi in tali vel tali lege, niſi pro tanta, aut tanta pecunia, omnino á Republica abolendam eſſe cenſeo, ſicut & aboleuit eam Concilium Tridentinum, ſeſſione 24. & 25. per multa capita. Habeant igitur præoculis Prælati cuncti, tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares, iuxta præſcriptum Diui Pauli, quod acceperunt auctoritatem & poteſtatem, non quidem in deſtructionem, ſed in ædificationem ſuæ Reipublicæ, ex quo compertum fiet illis, quando & in quibus caſibus debeant, aut non debeant in legibus diſpenſare. Hactenus de iſto Articulo.

Nulla diſpenſatio eſt licita pro aliquo tẽporali lucro facta ſine alio reſpectu.

ARTICVLVS VII.

Vtrum petens diſpenſationem, & ea vtens, ſine iuſta & rationabili cauſa, peccet mortaliter?

Concluſio.

Diſpẽſationẽ petens, eaque vtens abſque iuſta & rationabili cauſa, peccat mortaliter.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod diſpenſationem petens, eaque vtens abſque iuſta & rationabili cauſa, committit peccatum quod ex genere ſuo eſt mortale. Hæc concluſio iam ſuperque ſatis conſtat ex ſupradictis, poteſtque de nouo comprobari, ex doctrina Diui Pauli ad Romanos primo, vbi in ſimili caſu, agens de quibuſdam legis naturalis violatoribus, inquit, *quod digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, verum etiam qui conſentiunt facientibus.* Quod ſi generaliter & vniuerſaliter loquendo mortaliter peccant, malo cuiquam & peccato cooperantes, quanto magis & qui cauſa ſunt iniuſtæ diſpenſationis, ipſam ſine iuſta ac rationabili cauſa procurantes, eademque vtentes? Quod etiam & confirmari poteſt præterea, alia peculiari ratione, quia nempe per huiuſmodi diſpenſationes iniuriam alijs ſemper irrogat, eximendo aliquos à lege omnibus communi, abſque iuſta & rationabili cauſa. Sicuti enim ſi Rex eximeret ſine cauſa iuſta, aliquos à communi tributorum contributione, certum eſt quod non ſolum ipſe peccaret, verumetiam & ipſi exempti partẽ ſui oneris non ſubeuntes, quia alios grauarent; ita ergo dicendum eſt in propoſito caſu. Videatur hac de re Caietanus in Summa, *verbo, diſpenſatio*, vbi aſſeueranter dicit, non eſſe pacatas eorum conſcientias, cum quibus ſine cauſa diſpenſatur. Et reddit rationem, nam licet per diſpenſationem quæ fit, non tollatur niſi tantummodo ius poſitiuum, ſupereſt tamen nihilominus vis legis naturalis, quæ eſt vt ne quis abſque cauſa, à Reipublicæ oneribus ſe ſubducat. Quam Caietani rationem expendens Soto, libro primo, de iuſtitia & iure, quæſtione 72. articulo tertio, in fine, inquit habere verum, ſi prædicta exoneratio vergit in aliorum damnum & detrimentum. Vt ſi quis procuraret priuilegium, quo abſque cauſa à ſoluendis tributis ſe ſubtrahat, ex quo vergit aliorum grauatio, tunc (inquit) peccatum eſt mortale. Secus eſt autem in diſpenſatione iuris poſitiui, quod verſatur circa ieiunia & ſimilia, in quo quidem caſu, non peccabit exemptus mortaliter, niſi forſan ſcandalum daret, illo autem ceſſante, dicit Soto quod non erit culpa maior, quam venialis. Hactenus Soto, cuius doctrina eſt vera & ſatis notabilis.

Nota rationẽ Cai. ad probãdũ quod petẽtes diſpẽſationẽ alicuius legis abſq; iuſta & rationabili cauſa, peccant mortaliter, neq; ſunt ſecuri in conſcientia.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ſit tutus in conſcientia, qui dolo & fraudibus, diſpenſationem obtinuit ſubreptitiam?

AEc difficultas iam aliqualiter cõſtat ex ſupradictis, ſed iterum idipſum quæritur, vt hac occaſione dicantur aliqua, quammaxime notatu digna, & reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

In gratijs & diſpenſationibus obtinẽdis expreſsio cauſæ nõ vere facit gratiã, ſeu diſpẽſationẽ ſubreptitiam

IN gratijs & diſpenſationibus obtinendis, quæcumque expreſſio cauſæ, quæ mouere potuit Principem ad facilius aliquid concedendum, ſi nõ eſt verum id quod exprimitur, facit gratiam ſiue diſpenſationem ſubreptitiam. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarri, in *capit. ſi quando, de reſcriptis, exception. 3. numer. 3.* & facit præterea *capit. Super literis, & capit. poſtulaſti, de reſcriptis.* Quod dicit eſſe verum, etiamſi expreſſum non contineat cauſam finalem, ſed tantummodo impulſiuam, per textum, vt ipſe inquit, omnium iuris optimum, in dicto *capit. poſtulaſti*, ibi, *non tam de leui conceſsimus*, prout etiam ibidẽ adnotauit Panormitanus communiter receptus, & Decius in *capit. cum ceſſante, de appellation. numer. 2.* Quod qualiter veniat intelligendum, & de qua cauſa impulſiua loquatur, latiſſime explicat ſupradictus Nauarrus, loco ſupra citato, concordando opinionem Decij, à cuius rei ampliori tractatione, breuitati conſulens in præſentiarum ſuperſedeo, & vt ad alia procedam, ſolum dico, hoc eſſe quammaxime iuri ac rationi conſonum, nam iuxta iuris regulam, in *leg. itaque fullo. ff. de furtis, & in capit. 1. de poſtulatione Prælatorum*, ex delicto, & ex ſua iniquitate nemo debet reportare commodum. Quo fit vt fraudulosus, ſiue qui fraude & dolo gratiam ſeu diſpenſationem aliquam obtinuit, dignus ſit vt ipſa priuetur. Ad quod facit quammaxime *capit. legi, 16. quæſtione 1.* quod eſt Diui Auguſtini ad Aurelium, vbi inquit, *quod non eſt danda via ſeruis Domini, vt facilius putent eligi ad aliquod melius, ſi fuerint ipſi deteriores.* Quæ verba quammaxime ſunt notanda, & memoriæ commendanda.

Nota quod nemo debet ex delicto & culpa reportare commodum.

Secunda Concluſio.

Nõ ſolum expreſsio falſi, verum & taciturnitas veri, facit gratiã & diſpẽſationẽ ſubreptitiam & inualidam.

NOn ſolum expreſſio falſi, verum & taciturnitas veri, quod iura debent exprimi, facit gratiam ſiue diſpenſationem, eſſe ſubreptitiam & inualidam. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Naua. loco ſupra citato, exceptione quinta, num. 1. & in Manuali, cap. 22. num. 86. vbi latiſſime hac de re agit dicendo ad hoc propoſitum, quod faciliusolim diſpenſabatur cum impeditis, qui iam etiam ſcienter contraxerunt, & matrimoniũ conſummauerũt quam cum alijs, at modo poſt Concil. Triden. ſeſ. 24. c. 5. difficilius diſpenſatur, & conſummatio matrimonij illiciti, quæ olim inclinabat Papam ad diſpenſandum, hodie retrahit ipſum à tali diſpenſatione, & de facto conceſſa nullius eſt valoris atque momenti, ſi fuerit tacita prædicta circunſtantia. Ad quod etiam propoſitum inquit, quod in diſpenſationibus obtinendis, non ſolum nocet quæcumque expreſſio falſi, mouentis ſeu quod mouere poſſet Principem ad concedendam gratiam, verumetiam & quæcumque taciturnitas veri, idipſum facientis, quando tacetur verum, quod iura ipſa exprimi iubent, ſecundum Rotam in nouis, deciſione 32. de reſcriptis, & Bellamera deciſione 698. & Felinus in dicto *cap. poſtulaſtis, de reſcriptis.* Ex quo infert, quod qui ſciens Principem concedere aliquam gratiam in remedium neceſſarium obuiandi alicui delicto, & admittit illud vt illam impetret, & petit eam quia contingit eum ſic delinquere, non facta mentione finis cur deliquit, non ſolum, inquit, videtur tacere verum, verumetiam æquipollenter exprimere falſum, ſcilicet quod nõ deliquit eo animo, vt ei fieret illa gratia. Et addit hac de re eſſe appoſitiſſimum exemplũ, quod prius poſuit in prælectione dicti *cap. ſi quando, de reſcriptis, exceptione* 5. de Monacho monito à Banchario, quod Papa non concedet ei gratiam, ad tranſeundum ad Ordinem & Regulam laxiorem, niſi nouerit eum habitu demiſſo apoſtatare, qui dimiſſo eo, vno vel altero die ſe præſentat Banchario, quo informet Papam de eius apoſtaſia, vt moueatur ad concedẽ dam ei illam gratiam. Is inquit licet expreſſe non exprimat falſum, tacite tamen ſic, ſubindicando, quod nondimiſit habitum, vt impetraret illam, ſed ob alias cauſas, quibus multi temere dimittunt ipſum. Quapropter dicit Nauarro, quod niſi exprimat prædictam circunſtantiam, eius diſpenſatio eſt penitus ſubreptitia & inualida. Quæ doctrina quammaxime eſt notanda pro apoſtatis, & petentibus eiuſmodi diſpenſationes, dolo & fraudibus, expreſſis falſis vel tacitis veris, quæ iure exprimi iubentur, & his, quæ ſi exprimerentur, diſpenſationes prædictæ non concederentur.

Nota valde ex Nauarr.

Nota valde pro apoſtatis dimittẽtibus habitum, quo facilius cũ eiſ dẽdiſpẽſetur.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Papæ, ac Summo Pontifici conueniat generaliter & vniuerſaliter in omnibus ſpiritualibus, & maxime cum Regularibus & Religioſis diſpenſare?

Prima Concluſio.

Suprema poteſtas diſpẽſandi, in rebus ſpiritualibus, reſidet penes Romanum Pont.

SVprema poteſtas diſpenſandi in rebus ſpiritualibus, penes Papam & Romanum Pontificem reſidet, qui diſpenſare poteſt in omnibus, quæ ſunt de iure poſitiuo, & etiam in quibuſdam pertinentibus ad ius diuinum & naturale. Hæc concluſio eſt expreſſa Syluestri, *verbo, diſpenſatio, quæſt. 4. & verbo, Papa, quæſt. 2.* vbi hac de re latiſſime agit, & de omnibus ad quæ ſe extendit Papæ ac Summi Pontificis poteſtas. De quo etiam dicitur in *cap. licet, de conſtitut. in 6. quod omnia iura habet in ſcrinio pectoris ſui*, quantũ attinet ad interpretationem ſiue diſpenſationem, quamuis in aliquibus diſpenſare non poſſit aut cõ ſueuerit, vt late proſequitur ſupradictus Syluest. *verbo, Papa*, agens de eius poteſtate per varias quæſtiones, & *verbo, caſus, quæſt. 1.* ponit etiam quamplures caſus, qui ſoli Papæ ac Summo Pontifici reſeruantur,

Secunda Concluſio.

Ad prædictũ Rom. Põt. ſpectat ſpecialiter diſpẽſare cũ Religioſis in caſibus ſibi occurrẽtibus.

AD prædictum Romanum Pontificem, ſpectat ſpecialiter ſuprema ſua auctoritate & poteſtate, diſpenſare cum omnibus Regularibus & Religioſis, in caſibus & cauſis ſibi occurrentibus. Hæc concluſio conſtat ex eo, quia ipſe eſt diuino iure, non ſolum caput totius vniuerſalis Eccleſiæ, vt omnes Catholici docent, & eſt de fide tenendum, verumetiam ſpeciali quadam ratione, eſt Religioſorum omnium Pater, & quaſi vniuerſalis Prælatus Generalis, ſiue Prouincialis, Prior, ſiue Guardianus Religioſorum omnium, vt quam doctiſſime tradit & docet Magiſter Soto libro 8. de iuſtitia & iure, quæſt. 3. art. 1. & noſter Corduba li. 4. ſui quæſtionarij, quæſtion. 1. propoſitione 8. Qua etiam ratione dicunt quod omnes Religioſi, ratione ſui ſtatus, in ſuis obſeruantijs Regularibus, ex æquo eidem tenẽtur obedire, ac ſi reuera ex ſpeciali obedientiæ voto ſeſe illi conſecraſſent, & aſtrinxiſſent, vt & facimus nos in profeſſione noſtræ ſacræ Regulæ. Id quod & ego latiſſime dixi atque probaui, explicando & declarando prædictam Regulam, quod etiam facere dicuntur Religioſi Societatis Ieſu, qui vltra tria eſſentialia Religionis vota, aliud emittunt ſpeciale, quo ſe profitentur Summo Pontifici in ſuis miſſionibus obedire. Quod quidẽ ſpeciale votum, licet quammaxime ſit laudandum & commendandum, nam vt dicitur abundans cautela non nocet, omnes tamẽ Religioſi, vt dictũ eſt, quamuis idipſum expreſſe nõ faciãt ex ratione ſui ſtatus, obedire tenentur eidẽ, ac ſi per ſpeciale votum ad illud ſe obligaſſent, cũ ipſe ſit vniuerſalis omnium

Omnes Religioſi ratione ſui ſtatus, ex æquo obedire tenẽtur Romano Pont. ac ſi eidẽ ſe ſpecialiter aſtrinxiſſent per votũ

omnium, ſed ſpecialis Religioſorum pater & Prælatus. Cui reſolutioni fauet & alia ſpecialis ratio, nam cum nulla ſit vera Religio, quæ per ſummum Pontificem non fuerit approbata & confirmata, clare ac manifeſte conuincitur, quod omnes omnium Religionum profeſſores, tenentur illi tanquam ſuo vero & proprio Prælato obedire, poſtquam ab eo pendet tota obedientia & obſeruātia Regularis. Ex quo proinde ad noſtrū præſens propoſitum ſequitur, quod ipſe eſt ad quem ſpecialiter ſpectat, ſuprema ſua auctoritate & poteſtate, in cauſis & caſibus occurrentibus cum Religioſis prædictis diſpenſare.

ARTICVLVS X.

Vtrum Epiſcopis etiam conueniat, cum ſibi ſubditis diſpenſare?

CIrca hanc difficultatem, multa & varia dicunt Doctores Iuriſperiti, ſed qua nitor breuitati ſtudendo, quæ ad eandē ſpectant, dicentur reſolutiue per ſequētes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quānis ſuprema poteſtas diſpenſandi, penes Romanū reſideat Pōt. Epiſcopi tamē in multis caſibus poſſūt cū ſibi ſubditis diſpēſare.

QVamuis ſuprema diſpenſandi poteſtas ſolummodo reſideat penes ſummum Romanum Pontificem, ſupremum vniuerſalis Eccleſiæ Principem, nihilominus tamen in omnibus caſibus in quibus ſpecialiter non ſunt prohibiti, Epiſcopi etiam cum ſibi ſubditis poſſunt diſpenſare. Hæc cōcluſio eſt omnium Doctorum communis, & de ea videndus eſt Sylueſt. *verbo, diſpenſatio, q.4. & verbo, Epiſcopis, q.8. & 9. cum ſequentibus*, & Soto lib.1. de iuſtitia & iure, q.7. artic.3. & revera eſt ſententia D. Thom. & Caiet. 1.2. q.97. ar.4. vbi quæſtionem propoſuit, non in particulari de Romano Pont. ſed in communi de omnibus in vniuerſum Prælatis, ſpiritualem iuriſdictionem habentibus, an ſcilicet Rectores multitudinis, in legibus humanis poſſint diſpenſare? Cui difficultati ſolutionem adhibet affirmatiuam, dicendo quod ſic, & ſatis clare conſtat, quod Rectores multitudinis, non ſolum dicuntur Principes & Legislatores, verumetiam alij Prælati inferiores, qui ad gubernandum ſibi ſubditos, auctoritatem & poteſtatem habent. Sed circa ea quæ poſſunt aut non poſſunt Epiſcopi, pro eo quod ſunt ſibi prohibita, magna eſt lis & controuerſia inter Doctores, de quo ſecundam ſtatuo Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Epiſcopi diſpenſare poſſūt cū ſibi ſubditis auctoritate ordinaria, in ſuis proprijs legibus, & in quibus iure non ſunt prohibiti.

EPiſcopi diſpenſare poſſunt cū ſibi ſubditis auctoritate Ordinaria, tam in ſuis proprijs legibus, quam in legibus Papæ, in his quæ eis à iure, ſeu ab eodem Papa non ſunt prohibita. Hæc concluſio eſt ſupradicti Syluest. *verbo, diſpenſatio*, loco citato, & probat eam ex *cap. nuper, de ſententia excommunicat. & ex capit. miror cum gloſſa, d.50.* vbi latiſſime proſequitur, quænā ſint illa quæ Epiſcopi iure poſſunt, aut non poſſunt facere, quod latius proſequitur eodem verbo, quæſtion. 9. & 10. 11. 12. & 13. vbi hac de re facit diſputationem longiſſimam, dicendo omnia quæ ad hoc propoſitū poſſunt deſiderari, á quorū ego tractatione conſulto abſtineo, pro eo quod ſunt longiſſima, & nō ſunt præſentis ſpeculationis. Sed an dicti Epiſcopi in rebus grauibus, aliquid poſſint facere ſine conſenſu, ſiue conſilio ſui Capituli? controuertitur inter Doctores ſupradictos, qua de re videatur ſupradictus Syluester, *verbo, diſpenſatio, quæſt.4.* vbi hoc argumentum late proſequitur, aſſerendo quod in rebus grauibus & ponderoſis, & in quibus Vniuerſitati ſiue Eccleſiæ fieri poſſet præiudicium, tenentur dicti Epiſcopi diſpenſare cum conſenſu, ſiue conſilio ſui Capituli. Secus eſt autem in non præiudicialibus, & in cauſis minoribus & non ponderoſis, vt in diſpenſando circa ieiunia & vota & ſimilia. Hactenus de iſto Articulo.

Difficultas an Epiſcopi aliquid poſſint, ſine conſenſu ſiue cōſilio ſui Capituli?

ARTICVLVS XI.

Vtrum Prælati Regulares Summo Pōtifici inferiores, ſed & epiſcopi coæquales, aut ſaltem ſimiles in iuriſdictione (quales ſunt Generales & Prouinciales) diſpenſare poſſint cū ſibi ſubditis in legibus & ipſarum pœnis?

HAc de re iam ſupra quæſt.6. ar.3. ſpecialem fecimus quæſtionem, agentes de auctoritate & poteſtate Generalis Miniſtri, ad diſpenſandum in legibus latis à ſuis Superioribus, nempe Papa & Concilijs. Et ſimul de auctoritate omnium Prælatorum inferiorum, ad diſpenſandum in legibus ſuorum Superiorum, ſed vt nō iſte locus intermiſſus remaneat, & vt hac de re aliquid etiam in præſentiarum habeatur, poſtquam egimus de diſpenſationis materia, pro reſolutione ſuprapoſitæ difficultatis, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

In iure cōmuni ſtando, certiſſimum atq; cōſtitutiſſimū eſt, quod Prælati inferiores diſpenſare nō poſſunt in legibus latis à ſuis Superioribus.

CErtiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt ſtando in iure communi, quod Prælati inferiores diſpenſare non poſſunt in legibus latis à ſuis Superioribus. Hæc concluſio habetur expreſſa, in *capi. inferior, diſt.21.* & in Clementina, *ne Romani, de elect. & l. 2. C. de legibus*, & tenet eam expreſſe Syluester, *verb. diſpenſatio, q.4. & 9. cum ſequentibus.* Et Nauarr. in ſuo Manual. prælud. 9. num. 15. & Medina 1.2. quæſt. 97. articulo quarto. Atque adeo Religionum Prælati, diſpenſare non poſſunt in legibus latis à Summo Pontifice, ſeu à Concilio Generali, & generaliter loquendo, nec Prælati inferiores in legibus ſuorū Superiorum, niſi quando expreſſe, vel tacite, aut interpretatiue, hoc illis fuerit conceſſum. Sed pro maiori horum intelligentia adnotare oportet (vt iam etiam ſupra diximus) quod aliud eſt diſpenſare in lege, aliud vero in pœna legis iam contracta. Nam diſpenſare in lege, eſt obligationem eius tollere ab aliquo particulari, propter aliquam

ſpecialem & particularem cauſam, vt non ipſum obliget, at diſpenſare in pœna non id eſt, ſed tantummodo tollere prædictam pœnam iam contractam, per alicuius legis transgreſſionem. Quo ſuppoſito dico, quod concluſio intelligenda eſt in primo ſenſu, nempe quod Prælati inferiores diſpenſare non poſſunt, in lege ſuorum Superiorum, tollendo ab aliquo particulari ipſius obligationem, niſi hoc expreſſe aut tacite illis fuerit conceſſum. Non autem concluſio intelligenda eſt in ſecundo ſenſu nam bene poſſunt Prælati inferiores tollere pœnam iam contractam per trãsgreſſionem legis ſuorum Superiorum, dum tamen eiuſmodi pœna non ſit actualiter reſeruata. Et ratio eſt, quia cum huiuſmodi Prælati, circa ſibi ſubditos ſint ordinarij, bene poſſunt omnia, in quibus iure non ſunt prohibiti, vt tenent omnes communiter Doctores. Et aſſert prædictus Medina exemplum, ex *capit. nuper, de ſententia excommunicationis*, vbi communicans cum excommunicato eſt ipſo iure excõmunicatus, per iuris determinationem, attamen quia conditor Canonis eius abſolutionem ſibi non ſpecialiter reſeruauit, communis eſt Doctorum reſolutio, quod cõceſſiſſe videtur aliis ipſius diſpenſationem, pœnã ſcilicet excommunicationis iam contractam, tollẽdo, relaxando, vel ab ea abſoluendo. Quo fit vt Prælati inferiores ſupradicti, licet diſpenſare non poſſint in hoc vt non incidat in excommunicationẽ communicans cum excommunicato (nam id eſſet diſpenſare in ſubſtantia legis, quod ipſis minime conceditur) attamen diſpenſare poſſunt in pœna excommunicationis iam contracta, tollique poteſt per ipſos, ſiquidem ſuperior eam ſibi minime reſeruauit. Eadem ratione loquendo in particulari de Prælatis Regularibus, poſſunt Prælati inferiores, vt (verbi gratia) Prouinciales ex iuſta cauſa diſpenſare in pœnis poſitis & taxatis à Generalibus Miniſtris, & à Conſtitutionibus generalibus, ſi ipſarum diſpenſationem ſiue mitigationem ipſi ſibi nõ ſpecialiter reſeruarunt, cum ipſo iure & eo ipſo quo ſunt Prælati ordinarij, poſſunt omnia in quibus ſpecialiter non ſunt prohibiti. Sed aduertendum eſt, eſſe hoc intelligendum de pœnis poſitis & inflictis à iure ſiue ab ipſis legibus, non autem de pœnis impoſitis ſpecialiter à Iudicibus & Prælatis ordinarijs, nam in his etiam Prælati ſuperiores ſine nimium iuſta, vrgenti & rationabili cauſa, non poſſunt aut debent diſpenſare aut illas tollere cõtra voluntatem ipſorum Prælatorum ordinariorũ, vt expreſſe innuitur, quinvero mandatur, in Concilio Tridentino ſeſſion. 14. capit. 1. & idipſum habetur in noſtris conſtitutionibus generalibus, cap. 6. de correctione delinquentium, §. de pœnis impoſitis non reuocandis. Sit exemplum de pœna iuſte impoſita, per Prouincialem Miniſtrum alicui Religioſo, dico quod Generalis Miniſter contra ipſius voluntatem non poteſt iuſte in ea diſpenſare, aut ipſam tollere, niſi per viam appellationis ſeu ſupplicationis, aut in caſu quo illam iniuſtam eſſe repererit. Quod quidem fuiſſe ſtatutum, quammaxime extitit rationi conſonum, vt non Prælati ordinarij deſpiciantur & contẽnantur à ſubditis, quod certe in magnum Religionum omnium vergeret damnum & detrimentum. Verum eſt tamen, quod tranſacto aliquo tempore, & poſtquam dictus Prouincialis functus fuerit officio ſuo, bene poterit prædictus Generalis Miniſter aut Prouincialis, ipſius ſucceſſor, iuſta aliqua de cauſa occurrente, ſuper tali pœna diſpenſare, cum iam dictus Prælatus functus fuerit officio ſuo, nec in hoc ipſius auctoritas contemnatur, neque contraueniatur decreto Conc. Trid. Quod eſt quãmaxime notandum. Sed difficultas eſt, an in aliquo caſu poſſint dicti Prælati inferiores diſpenſare etiam in ſubſtantialibus legis latæ à ſuis Superioribus, omnino tollendo ipſius obligationẽ ab aliquo in particulari? Cui difficultati reſpondeo per ſequentem concluſionem.

Nota, quod Prælati Superiores ſine iuſta & legitima cauſa diſpẽſare nõ poſſunt in pœnis latis ab inferioribus, contra ipſorũ voluntatem.

Secunda Concluſio.

Prælati inferiores, in aliquibus caſibus bene etiã poſſunt diſpenſare in ſubſtantialibus legis latæ à ſuis Superioribus omnino tollendo ipſius obligationem ab aliquo in particulari.

PRælati inferiores, in aliquibus caſibus bene etiam poſſunt diſpenſare in ſubſtantialibus legis latæ à ſuis Superioribus omnino tollendo ipſius obligationem ab aliquo in particulari. Hanc ſententiam & concluſionem tenet Medina ſupraci tatus, 1. 2. q. 97. art. 4. concl. 3. Et probat eam primo ex conſuetudine, quæ vt dicitur optima eſt legum interpres, & vt dicunt Doctores dare poteſt iuriſdictionem, iuxta *cap. cum contingat, de foro comp. & cap. duo ſunt, de officio ordinar.* Et hac etiam ratione Epiſcopi poſſunt diſpenſare, & de facto diſpenſant, in vniuerſis votis, exceptis tribus, Religionis ſcilicet & caſtitatis, & Hieroſolymitanæ peregrinationis, quibus de nouo additi ſunt, peregrinationis etiam Romanæ, Compoſtellanæ, & Dominæ noſtrę Laurętanę, quod & facere etiam poſſunt Religionũ Prælati, in votis emiſſis à ſuis Religioſis. Secundo probatur prędicta cõcluſio, quia in caſibus leuibus recurrere ad Summum Pontificem, ſeu ad alium Superiorem, videretur omnino intolerabile, & per conſequens ad id teneri & obligari, non eſt dicendum. Idẽ eſt iudicium de legibus ieiunij, & obſeruationibus feſtorum, & aliis caſibus ſimilibus, in quibus dicere quod ad Summum Pontificem eſſet recurrendum, durum videretur nimis & intolerabile, & facere aſperum atque incõportabile Chriſti Domini iugum, quod alias dixit eſſe ſuaue, Mat. 10. Vnde reſolutiue dicendum eſt, quod Prælati inferiores in dictis caſibus, auctoritatem habent conceſſam à iure, & etiam à ſuis ſuperioribus (ſaltim interpretatiue) ad diſpenſandum cũ ſibi ſubditis. Videatur hac de re prędictus Med. & Syl. *verbo, diſpenſatio, q. 9.* & Nau. in Man. c. 21. nu. 21. vbi poſt alia in hęc ſequentia verba prorumpit. Solus Papa diſpenſat circa ieiunia generaliter & abſolute, vt nemo quis ieiunij lege teneatur, aut non illis & illis diebus, arg. Clem. *ne Romani de elect. & cap. ex inſinuatione, de appell.* Sed ſingulariter cũ hoc aut illo, & ne in hac aut illa die aliquis ieiunet etiam Epiſcopus iuſta de cauſa poteſt diſpenſare, imo & eo abſente Parrochus & quilibet Prælatus Regularis cũ ſuis Religioſis, iuxta D. Tho. in 4. d. 15. q. 3. ar. 2. ad vlt. & 2. 2. q. 147. ar. 4. & ibi Caietan. qui hac de re ait, quod nõ debent Prælati relinquere ſibi ſubditos ſuę conſcientię petentes ab ipſis diſpenſatio nẽ, vt aliqua de cauſa in die ieiunij ſibi liceat cœnare, aut ante horam conſuetã comedere, ſed potius debent eiſdem compati, ac benigne cum ipſis diſpenſare, liberando eos á ſuis ſcrupulis, aut eorũ ieiunium in aliquod pium opus commutando.

Prælati inferiores, in aliquibus caſibus bene etiã poſſunt diſpẽſare in legibus latis á ſuis Superioribus.

Nota circa ſi culatẽ, quam habent Prælati ad diſpenſandum cũ ſibi ſubditis.

Sed

Sed dices, quonam iure hoc poſſunt Prælati Regulares, diuino an Papali humano? De hac difficultate iam memini, me aliquid ſupra dixiſſe, ſed breuiter nunc & reſolutiue dico, quod id facere poſſunt, non ſolum iure Papali humano, verumetiam vt videtur, tenentque id multi Doctores, ex iure ipſo diuino, qua ratione ſunt vere Eccleſiæ Prælati, & poſſunt circa ſibi ſubditos, omnia quæ Epiſcopi cum ſuis, cum habeant iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem.

ARTICVLVS XII.

Vtrum poteſtas & facultas diſpenſandi ſit late, an vero ſtricte interpretãda?

DE hac quæſtione & difficultate, agit Sylu. *verbo, diſpenſatio, q. 5.* de cuius ſententia & reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

In quo caſu poteſtas diſpẽſandi, late ſit interpretanda

QVando poteſtas & facultas diſpenſandi datur non expreſsis perſonis, ſed tanquam Principis beneficium, late eſt interpretanda. Hanc concluſionem tenet expreſſe Sylu. loco ſupracitato, & probat eam de mente Panorm. in *capi. fin. de ſimonia.* & idem ſentit ibi Gloſſa, & Bart. in *l. 3. ff. de verborum obligatione*, vbi inquit, quod ſi aſicui datur poteſtas legitimandi filium adulterinum, & ſimul inceſtuoſum, legitimare poterit adulterinum, & inceſtuoſum ſimul, nam in materia larga, ſub ſimplicibus veniunt intelligenda & miſta, iuxta *l. ſi ita, ff. de liberis & poſthumis.*

In materia larga, ſub ſimplicibus veniũt intelligenda, etiam miſta.

Secunda Concluſio.

In quo caſu diſpẽſandi poteſtas, nõ late ſed ſtricte ſit interpretãda

SI in facultate & poteſtate diſpenſandi, exprimantur perſonæ cum quibus ſit diſpenſatio, nõ late ſed ſtricte eſt interpretanda. Hanc concluſionem tenet etiam dictus Sylueſt. loco ſupracitato, & probat eam argumento deducto, ex *capi. ſi cui, de præbend. in 6.*. & quia omnis receſſus à Iure communi eſt odioſus, iuxta textum, in *ca. fin. de filijs præsbyt. eodem lib. & in cap. quod dilectio, de conſanguin. & affinit.* Et ſic inquit, concordandi ſunt Canoniſtæ, tenentes contra Bart. in *cap. per venerabilem, qui filij ſunt legitimi.* Sed aduertendum eſt, quod licet diſpenſatio ſit ſtricti iuris (vtpote contra ius) & ſtricte interpretanda quando exprimnntur perſonæ, per capita ſupradicta, nihilominus extenditur ad neceſſario conſequentia, & ad dependentia ex eo ſuper quo diſpenſatum eſt, quando aliter non exprimeret actum validum, ſuper eodem quo diſpenſatur: pro quo facit Gloſſa, & Panorm. in *capit. quia in tantum, de præbend.* & Gloſſa in *capi. ſi quis in Clero, 7. q. 1.* vbi dicit, quod diſpenſatus ſuper beneficiorum pluralitate, videtur perinde diſpenſatus ſuper reſidentia. Videatur hac de re prædictus Sylueſt. loco ſupra citato, & *verbo, beneficium, 3. quæſt. 7. & 10.* & *verbo, matrimonium, 8. quæſtion. 6. particula vltima*, quibus in locis ad hoc diſpenſationis propoſitum, dicuntur plura eaque notatu digniſsima. Et hæc de iſto Articulo, ac de tota hac Quæſtione dicta ſufficiant.

Licet diſpenſatio quando exprimitur perſona, ſit ſtrictiiuris, bene tamẽ ſe extẽdit ad neceſſario cõſequẽtia, & ad illa ſine quibus nõ exprimeret actum valid.

QVAESTIO XXXI.

De Diſpenſatione in particulari, & de modo quo Prælati Regulares diſpenſare poſſunt aut debent cum ſibi ſubditis, in caſibus occurrentibus, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum Prælati Regulares, diſpenſare poſsint cum ſuis ſubditis, in obſeruantijs regularibus?

IAm ſupra quæſt. 9. arti. 6. hac de re plura diximus, agentes de Generali Miniſtro, & de ipſius auctoritate & poteſtate, ad diſpenſandum cũ ſibi ſubditis, in obſeruantijs regularibus. Vbi & conſtituimus triplicem obſeruantiam regularem nimis inter ſe differentem, quarum prima eſt eſſentialis & ſubſtantialis in genere ſiue abſolute Religioni ſiue Religioſo ſtatui, quia nempe eſt de intrinſeca ratione ipſius, & ſine qua Religionis ſtatus conſtare non poteſt, qualis eſt obſeruantia trium votorum, quæ communiter dicuntur eſſentialia & ſubſtantialia. In cuius obſeruantiæ genere diximus Religionum Prælatos, nullo modo poſſe diſpenſare, quinvero nec ipſum Summum Pontificem manente monachatu, vt latius diximus in præcedenti tomo, q. 25. arti. 13. Secunda obſeruantia eſt etiam eſſentialis, & ſubſtantialis Religioni alicui, ſed non in genere nec in communi ſeu abſolute, ſed duntaxat in ſpecie ſiue in particulari, ex ſpeciali inſtitutione eiuſdem qualia ſunt particularia aliquarum religionũ præcepta ſiue vota, quę ex vi regulę, ſeu aliunde profeſſores ſuos obligant ad mortale. In quo ſecũdo obſeruantię genere, diximus Religionũ Prçlatos, poſſe quidem diſpenſare, non ſimpliciter, &

absolute, seu in communi pro toto Ordine, sed aliqua existente iusta causa cum aliquo Religioso in particulari. Tertia obseruantia Regularis est, non essentialis, sed quodammodo accidentalis, & dicũtur tales, quia nullo modo professores suos obligant ad culpam mortalem, sed solumm odo ad venialem, vel forsan ad nullam culpam, sed tantummodo ad pœnam, quales sunt multarum Religionum obseruantiæ, in quibus nihil est obligatorium præter tria supradicta essentialia Religionis vota. In cuius obseruantiæ genere diximus, ex leuiori causa, Religionum Prælatos posse cum sibi subditis dispensare. Quibus omnibus habitis pro præmissis siue expressis, vt non semel & iterum eadẽ dicere cogamur difficultati propositæ, breuiter & resolutiue, respondeo per sequentem Conclusionem.

Conclusio.

Religionum Prælati, bene possunt cũ sibi subditis in obseruantijs Regularibus dispensare.

RElegionum Prælati, bene possunt cum sibi subditis in obseruantijs Regularibus dispensare. Hæc conclusio intelligenda & explicanda est ad sensum, supradictum, estque id intelligendum de iure communi, vt euidenter ostendimus & probauimus loco supracitato. Sed de iure speciali & ex priuilegio pro nostro sacro Minorum ordine, habemus ad id concessionem specialem Pij Secũdi, quę habetur in Monumentis nostri ordinis 1. impr. fol. 62. & 2. fol. 65. conc. 92. & in Suppl. fol. 100. con. 382. & refertur in Compendio priuileg. *verbo, dispensatio*, §. 8. qua concessit, *quod Prælati ordinis Minorum de obseruantia, circa subditos suos possint condescendere seu dispensare cum debilibus & infirmis in his quæ non sunt cõtraria Regulæ, & exprimuntur ibi aliqui casus, vt de fotulatoribus in itinere, ac de equitando, licet non sit arcta necessitas vel infirmitas, & de receptione frumenti pro induendis Fratribus vbi nõ est alius modus habẽdi, & de procurãdis in die Sabbati eleemosynis pro carnibus, vbi cõsuetũ est & similibus neq; propter hoc dicantur facere cõtra Regulam.* Circa quam concessionem, inquit priuilegiorum Collector, quod est velut propositio seipsam falsificans, cum primo dicat, quod dispensare possint, in his quæ non sunt contraria Regulæ, & postea explicet aliqua, quæ manifeste sunt contra ipsam, dum ponit exemplum in equitando & in calceamentis portandis, quæ sunt manifeste de obligatorijs Regulæ. Propterea inquit videri sibi, quod debuit potius dici; de his quæ non sunt contra substantialia vota, vel intellexit non esse contra Regulam, quãdo est talis necessitas, quæ bono modo aliter fieri nõ potest & Frater est dubius. Hactenus Collector: sed Pater Corduba in additionibus ad dictum Cõpendium, *tit. dispensatio*, §. 8. dicit corrigendo Collectorem supradictum, quod saluo meliori iuditio verba prædicta melius possunt & debent intelligi sic, nempe quod Papa concedit ibi nostris Prælatis (etiam Guardianis) posse condescendere & dispensare, seu compati infirmis & debilibus, in his quæ non sunt contraria Regulæ, idest in his quæ non sunt omnino contra substantiam obligatoriorum Regulæ, neque contra aut extra totam latitudinem ipsorum præceptorum, seu obligatoriorũ. Quod pro eo dicit, quia ex aliqua causa portare calceamenta, & equitare existente aliqua necessitate siue causa, quamuis non sic vrgente, licet aliqualiter sit contra substantiam obligatoriorum Regulæ & eiusdem præcepti, non tamen simpliciter, sed contra aliquam conditionem siue circunstantiam requisitam, ad plenam & debitam obseruantiam ipsius præcepti, requirentis manifestam & vrgentem necessitatem siue infirmitatem, ad hoc, quod quis licite possit calceari & equitare. In his ergo quæ sic sunt contra Regulam, quod tamẽ non omnino sunt contra substantiam principalem præceptorum seu obligatoriorum Regulæ, neque contra seu extra totam latitudinem ipsorum, sed solum sunt contra aliquam circunstantiam, seu cõditionem requisitam, ad plenam obseruantiam ipsorum, concedit Papa (inquit Corduba) quod nostri Prælati, quorum nomine etiam Guardiani comprehenduntur, dispensare possint, non quidem ad libitum (hoc enim potius esset dissipare, quam dispensare) sed ex causa aliqualiter rationabili, quãuis non omnino sufficiente, & condescendere, seu aliqualiter relaxare, non autem omnino tollere obligationem dictorum præceptorum. Et talis dispensatio in prædictis ex tali causa facta, quæ alias esset insufficiens sine dispensatione, ad licite faciendum id, super quo dispensatum est, & quod esse videbatur contra obligatoria Regulæ, iam facit causam prædictam esse sufficientem, ad hoc, vt licite quis illud faciat, & sic faciendo non potest dici facere simpliciter aut illicite contra Regulã. Et hoc inquit Corduba voluit Papa concedere loco supracitato, vt ex verbis eiusdem concessionis facile elici potest. Tandem dicit quod concessio præfata multum valet his temporibus, vbi refrigescente feruore charitatis, infirmi sumus corpore & spiritu, ad serenandas conscientias Fratrum, in multis impuritatibus & relaxationibus ex aliquali licet non omnino sufficienti causa, siue necessitate, commissis contra multas conditiones & circunstantias, requisitas ad debitam obseruantiam præceptorum Regulæ, vt patet in articulo de pecunia, de paupertate, de vsu paupere, siue moderato, de non equitando, non calceando & cæteris huiusmodi, dummodo non ad libitum, & sine vlla causa fiat prędicta dispensatio & relaxatio in prædictis. Sic enim non excusarentur Fratres nec Prælati, quia non conceditur hoc ad libitum fieri posse, sed ex aliqua causa aliqualiter rationabili (vt dictum est) & patet ex prædicta concessione, & dummodo ex hoc non accipiatur occasio, ad alias dispensationes seu relaxationes irrationabiles & excusabiles. Hactenus supradictus Corduba, quæ de isto Articulo breuiter atque resolutiue dicta sufficiant.

Nota circa facultatẽ dispẽsandi à Prælatis cũ sibi subditis in obseruantijs Regularibus.

Nota quod quãdo Prælati dispensant cũ sibi subditis ex aliquali rationabili causa, tam sit sufficiẽs, quæ alias non esse videbatur esse talis.

ART.

ARTICVLVS II.

Vtrum noſtræ Minorum Fratrum Regulæ præcepta, dici debeant vota, an vero ſolummodo præcepta? Et an ad diſpenſandum in ipſis, requiratur ita ſtricta & arcta neceſsitas, ſicut ad diſpenſandum in votis?

Circa hanc difficultatem iam plura diximus ſupra, in præcedenti Tomo, quæſt. 25. art. 2. referentes, placitum quorundam Fratrum noſtræ Religionis, quæ in ea fuerunt opinione & ſententia, vt dicerent, quod omnia noſtræ Regulæ præcepta, non tam ſunt præcepta quã vota, quinvero omnia ſunt vota ſolemnia, ita fere indiſpenſabilia, ac tria quæ communiter dicuntur eſſentialia, & ſubſtantialia Religionis vota, quorum fundamenta ibidem ſunt poſita atque impugnata. Vnde his quæ ibidem dicta ſunt habitis pro expreſſis, propoſitæ difficultati breuiter reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Religionis noſtræ præcepta præter eſſentialia tria Religionis vota, nõ ſunt vota, ſed præcepta.

REligionis noſtræ præcepta, præter tria quæ omnium Religionum ſunt eſſentialia & ſubſtantialia vota, non ſunt dicenda vota, nec ſimplicia, nec ſolemnia, ſed revera præcepta, inſtar præcepti Quadrageſimalis ieiunij cunctis Chriſtianis poſiti ab Eccleſia, in quibus proinde Summus Pontifex faciliori de cauſa diſpenſare poteſt quam in votis. Hæc concluſio ſatis manet probata ex ſupra dictis. Sed probatur præterea quantum ad vltimã partem, nam cum ad diſpenſandum in votis, maior ſit neceſſaria cauſa & neceſſitas, quam ad diſpenſandum in præceptis, vt tenet communis opinio, ex Gloſſa in *cap. non eſt, de voto*, & Caiet. in Summa, *verbo, diſpenſari*, & Nauarr. capit. 12. nume. 76. & Couarr. in 4. 2. par. §. 9. & Soto, li. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 1. art. vlti. cum prædicta, vt dictum eſt, nõ ſint vota, ſed tantummodo præcepta, plane ſequitur, quod non tanta ſiue tam vrgens requiritur neceſsitas ad diſpenſandum in ſupradictis præceptis, ac ſi fuiſſent vota, quorum obligatio & adimpletio eſt de iure diuino, adeo vt dicant quidam, quod in his etiam Papa, non ram diſpenſat, quam declarat. Nec proinde velim cogites, quod poteſt Papa in ſupradictis præceptis pro libito, & ſine vlla iuſta & rationabili cauſa diſpenſare, nam iam ſupra diximus, quæſtione præcedenti, arti. 4. & 5. quod ad diſpenſandum in quacumque lege (& eadem eſt ratio de quocumque præcepto) requiritur cauſa, & non quæcumque, ſed iuſta & rationabilis. Quapropter diſpenſatio aliter facta, etiam in his quæ ſunt iuris poſitiui, non videtur quod fieri poſſit abſque peccato, & quod ea vtens ſit nimis tutus in conſcientia. Quo circa Fratres, qui fraudibus, mẽdacijs, ſiue doloſis relationibus, à Sede Apoſtolica interdum impetrant aliquas gratias ſiue indulgentias, quæ alio nomine dicuntur Bulletta, quibus ſine iuſta & rationabili cauſa, eximuntur ab obſeruantia ſupradictorum præceptorum, meo quidem iudicio minime ſunt tuti & ſecuri in conſcientia, quia nec ſummus Pontifex id pro libito facere poteſt, neque credendum eſt quod id fecerit, niſi deceptus aliqua relatione falſa & commentitia, non iuſta & ſufficiente ad diſpenſandum cum eiſdem. Non enim credo quod aliunde, quam ex nimia eorum relaxatione, prouenit difficultas quã patiuntur in obſeruanda noſtra regula, & certum eſt, quod difficultas quæ procedit ex habitu vitioſo ipſius diſpenſati, non eſt iuſta cauſa ad diſpenſandum. Videatur hac de re Emanuel Rodericus 1. tomo Quæſtionum Regularium. 26. articulo ſeptimo, & 2. tomo, quæſtione 46. articulo quinto, in fine.

Nota quod ad diſpenſandũ in votis, maior eſt neceſſaria cauſa & neceſsitas, quã ad diſpẽſandũ in præceptis.

Nota pro Fratribus impetrantibus diſpenſationes, abſque vlla iuſta & rationabili cauſa.

ARTICVLVS III.

Vtrum Prælati noſtri Ordinis Minorum, diſpenſare poſsint cum ſibi ſubditis, vt recipiant triticum, ſiue frumentum, & alia ſuperabundantia, vt poſtea diuendantur, & pro alijs rebus neceſſarijs commutentur?

Concluſio.

PRælati noſtri Ordinis Minorum, bene poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in eo quod poſſint petere & recipere quandoque triticum & alia, vt poſtea diuendantur, & ex pretio eorum neceſſaria emantur & pro alijs rebus neceſſarijs commutentur. Hæc concluſio probatur expreſſe ex ſupradicta conceſsione Pij II. relata in primo Articulo, nam quamuis diminute referatur ibi à priuilegiorum Collectore, re tamen vera verbis ab eodem poſitis, addendum eſt vt & nos addimus, *itẽ & de receptione frumenti pro induendis Fratribus, vbi non eſt alias habendi modus, & de procurãdis in die Sabbati eleemoſynis pro carnibus, vbi eſt conſuetum, & ſimilibus, & nec propter hoc dicantur facere contra Regulam.* Omnia ſupradicta verba omiſſa fuerunt à priuilegiorum Collectore, hac vt reor de cauſa, quia exiſtimauit & intellexit, etuſmodi conceſsionem relaxatiuam eſſe Ordinis, ac propterea ipſam ſilentio præterire ac ſubticere voluit. Sed revera habentur in conceſsione originali, vt conſtat ex Monumentis noſtri Ordinis 1. impr. fol. 62. & 2. fol. 69. conc. 32. & in Suppl. fol. 100. conce. 362. Sed qeod dicta conceſsio non ſit relaxatiua Regulæ, tenet expreſſe Corduba, in annot. ad dictum Compendium, *verbo, diſpenſatio*, §. 8. quia inquit, ex aliquali cauſa recipere frumentum per Syndicum nomine Papæ, aut per alium nomine dantis, non eſt omnino contra præceptum de non recipiendo pecuniam, quamuis forte aliquando ſit contra aliquam circunſtantiam ſeu cõditionem requiſitam, ad plenam & rigoroſam obſeruantiã illius præcepti, ſicq; in hoc nõ ſit omnino contra ſeu extra totã latitudinẽ illius præcepti, quãuis fiat aliqualiter,

Prælati noſtri Ordinis, bene poſſunt diſpẽſare cũ ſibi ſubditis in eo quod poſsint petere triticũ & alia ſimilia vt vendãtur, & ex pretio eorũ neceſſaria emantur, aut pro alijs rebus neceſſarijs commutentur.

in quibus Papa diſpenſat ſeu potius declarat, non violari regulam. Habent enim hæc & cætera omnia præcepta moralia, ſuum magis & minus, intra latitudinem obſeruantiæ ipſius Regulæ, quod non aduertunt neque conſiderant, aliqui Fratres non multum ſapientes, & nimium ſcrupuloſi, aſſerentes & dicentes, omnia noſtræ Regulæ præcepta (vt in præcedenti Articulo retulimus) non eſſe præcepta ſed vota, & vota quidē ſolemnia, in quibus proinde, inquiunt cum ſint de iure diuino, non poteſt etiam ipſe Summus Pontifex diſpenſare. Sed falluntur quidem & grauiter, quia nos Minores Fratres, promittentes ſeruare noſtram ſacram Regulam, ratione voti non aſtringimur, niſi tantummodo ad tria eſſentialia & ſubſtantialia, quæ communiter dicuntur Religionis vota, tamquam ad vota: ad alia vero in eadem Regula contenta, obligamur quidem, ſed non tamquam ad vota, ſed tantummodo tamquam ad præcepta, ad inſtar præcepti Quadrageſimalis ieiunij, cunctis fidelibus Chriſtianis poſiti ab Eccleſia, in quo vt de ſe patet, iuſta exiſtente cauſa, bene poteſt Summus Pontifex diſpenſare, & ſimiliter in alijs, quod proprie loquendo (vt dixi) non tam eſt diſpenſare, quam declarare in his caſibus Regulam non obligare. Quod Fratres prædictos oporteret aduertere, cum etiam ſtando in iure communi, in aliquo caſu particulari (vt ſupra ſuperque ſatis dictum eſt) idipſum poſſint facere Epiſcopi cū ſibi ſubditis, & pari ratione cum ſuis, omnes in vniuerſum omnium Religionum Prælati.

Nota pro Fratribus plusmmio ſcrupulo ſis, circa obſeruātiā præceptorū regulæ.

Sed præter ſupradictam Pij Secundi conceſſionem habemus aliam ad idem Leonis Decimi, quæ habetur in Supplemento fol. 23. conc. 66. & refertur á Collectore in Compendio, *verbo, commutare*, §. 3. *Qua conceſſit, quod Fratres Minores poſſint recipere triticum, ac alias res ſuperabundantes, quibus in propria ſpecie Fratres non habent vti neceſſe, aut non in tanta quantitate, vt pro vino, carnibus, ac alijs rebus victui neceſſarijs, per Syndicum Romanæ Eccleſiæ eiſdem Fratribus datum, commutentur & permutentur, ſeu vt triticum & alia huiuſmodi vendantur, & ex pecunia inde proueniente, vinum & carnes, & aliæ res neceſſariæ emantur.* Sed ſupradictus priuilegiorum Collector, in ſua ſcrupuloſa ſententia perſeuerans, inquit, cauendum eſſe omnino ab iſta conceſſione, quia eſt expreſſe contra declarationem Nicolai Tertij, & relaxatiua atque deſtructiua ſtrictæ noſtræ paupertatis, quam in Regula promiſimus, cum talia ſic recepta ſint manifeſte pecunia, cuius receptionē notoriū eſt, in noſtra Regula eſſe prohibitam. Nec inquit ſufficit dicere, quod Papa diſpenſet in hoc, nam per ſimiles diſpēſationes vel potius diſſipationes, deſtrueretur noſtra Religio in altiſſima paupertate fundata. At Pater Frater Antonius de Corduba, in additionibus ad dictum Compendium, *verbo, commutare*, §. 3. doctiſſimus, etiam ſcrupuloſiſſimus cum eſſet, vt ex ſua noſtræ Regulæ expoſitione quam fecit, ſatis conſtare poteſt, abſtinendum eſſe dicebat ab hac tam rigida Collectoris cenſura, ab eaque iuré optimo ipſe diſcedit, aſſerendo hoc non eſſe contra Regulam, & aduertendo, quod Papa non abſolute ſed cum duabus limitationibus, idipſum concedit. Prima, quod eiuſmodi triticum poſſit peti & recipi pro rebus neceſſarijs, quæ alias ſine pecunia cōmode haberi non poſſunt. Secunda, quod per Syndicum per ſedem Apoſtolicam deputatum, talia diuēdātur pro eiuſmodi rebus neceſſarijs. Quibus ſuppoſitis, inquit, quod nō eſt ibi aliqua maior diſpēſatio, neq; fit aliqua maior Regulæ relaxatio, quā cum conceditur, quod per dictum Syndicum procurentur ſiue recipiantur pecuniæ, pro ſupradictis rebus neceſſarijs, quod cum non ſit contra Regulam, vt tenent grauiſſimi & doctiſſimi Regulæ eiuſdem expoſitores, illudque habeant noſtri Fratres Vltramontani, ſecundum Conſtitutiones Martini Quinti, non videtur quare id nobis facere, non etiam ſit licitum, & quod ſit licitum latiſſime probat prædictus Pater Corduba in capite. quarto expoſitionis noſtræ Regulæ, quæſtione 16. Sed adhuc inſtabunt aliqui Fratres nimium ſcrupuloſi, & illic forſan timentes vbi non eſt timor, & dicūt quod neque Summus ipſe Pontifex id poteſt facere, aut ſuper hoc vllo modo diſpenſare, quia (inquiunt) eſt contra ſolemne votum, & contra ius diuinum, & dicūt plura alia, pro libito circa hoc, & Eccleſiæ auctoritatē quæ referre pudet: ſed quam hæc ſint à ratione aliena, ac maiori & rigidiori cenſura digna, nemo non videt. Et certe ego ex duobus inconuenientibus prædictis incidere magis vellem in leuem aliquam Regulæ relaxationem, quam temere de Papæ auctoritate & poteſtate dubitare, atque in Fraticellorum olim morem, in hæreſim aliquam incidere. Sed circa hoc plura dixi in expoſitione & declaratione noſtræ Regulæ quam feci: & hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Prælati noſtri ſacri Ordinis, ex iuſta & legitima cauſa, diſpenſare interdum poſſint, in præceptis de non equitando, néque portandis calceamētis, & quiſnam Prælatus poſſit in his ce rebus diſpenſare?

Prima Concluſio.

Prælati noſtri ordinis, iuſta exiſtente cauſa, bene poſſunt diſpenſare, in præceptis de nō equitādo, & de nō portandis calceamentis, & in alijs.

PRælati noſtri ſacri Ordinis, bene poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis, iuſta exiſtente & rationabili cauſa, in præceptis de non equitando, & de non portandis calceamentis, etiamſi non nimis arcta & manifeſta neceſſitate, aut infirmitate cogantur. Hæc concluſio iam ſatis patet ex ſupradictis in Articulo primo, & ex ſupradicta conceſſione Pij Secundi, explicata & declarata ad modum quo ipſam explicat & declarat ſupradictus Pater Corduba. Sed ſecundo probatur, nam etiam loquendo de iure communi, id facere poſſunt ſupradicti noſtræ Religionis Prælati, quamuis non ſimpliciter & abſolute, & vt dicitur ad ſemper, ſed in vno aut altero caſu, & iuſta atque legitima exiſtente neceſſitate, prout ibidem diximus. Et de nouo dico, quod hoc ipſos poſſe facere, tenent expreſſe Soto lib. 1.

lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſtione ſeptima artic. 3. & Nauarro in ſuo Manual. cap. 21. num. 21. vbi ſimili quæſtione propoſita, inquit, quod Epiſcopi diſpenſare poſſunt cum ſibi ſubditis, tam in ſuis proprijs legibus quam in legibus Papæ, vel ex iuris conceſſione, vel conſuetudine introducta & maxime in triplici rerum ordine, nempe vbi materia leuis eſt, aut frequens caſus, vel vbi lex reſpicit proprium bonum ſuæ ciuitatis. Quam eſſe dicit ſentẽtiam Caietan. 2. 2. quæſt. 147. artic. 4. Et addit, quod eo abſente id ipſum poteſt facere Parrochus, & quilibet Prælatus cum ſuis Religioſis, quod latius proſequitur ſupradictus Soto, vt ſupra diximus, art. 1. Sed cuinam competat eiuſmodi facultas, & quiſnam ſit Prælatus, qui eiuſmodi diſpenſationẽ poſſit facere, Generalis vel Prouincialis, an verò etiam Guardiani? Difficultatem habet, de qua ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

In ſupradictis præceptis diſpenſare poſſunt, non ſolum Generales & Prouinciales, verum etiam Guardiani, & Ordinarij Prælati.

NOn ſolum Generalis aut Prouincialis Miniſter, diſpenſare poſſunt ex iuſta cauſa cum ſibi ſubditis, n præceptis de non equitando, & de non portandis calceamentis & ſimilibus, verum etiam & Guardiani, & Ordinatij Prælati. Hæc Concluſio conſtat in primis ex ſupradicta conceſſione Pij Secundi, vbi hoc ipſum Prælatis cunctis conceditur, abſque delectu & diſcrimine, & certum eſt quod Guardiani, vt ex Superioribus conſtat, ſunt verè & propriè Prælati. Quod ſentiens ſupradictus Pater Corduba, in explicatione dictæ conceſſionis poſita in primo articulo, pluries illud repetiuit & inculcauit, nam poſt expreſſionem verbi Prælati, ſæpiſſime ſubdit, *quo nomine etiam comprehenduntur Guardiani.* Sed præterea, eſt expreſſa ſententia ſupradictorum Soti, & Nauarri locis ſupra citatis, quod in abſentia Epiſcopi in ſimilibus rebus, diſpenſare poteſt Parrochus cum ſuis Parrochianis, & in abſentia Prioris Prouincialis, id poteſt Prior Conuentualis: ergo id ipſum dicendum eſt de Guardianis. An verò id ipſum facere poſſint Præſidentes, ſiue Conuentuum Vicarij, maiorem difficultatem habet, cum ipſi non ſint Prælati Ordinarij. Qua de re videatur Emmanuel Rodericus, tomo primo quæſtionum Regularium, quæſt. 26. artic. 5. vbi hac de re agit. Et qualiter ſubditi in abſentia Prælatorũ, imminenti aut vera exiſtente neceſſitate diſpenſare etiã poſſint cũ ſe ipſis, vtẽdo ſeu recurrendo ad epicheiã, quæ vt ſupra diximus, non eſt proprie & in rigore diſpenſatio, cum non ſit eximere ſubditum per licentiam à lege in caſu quo tenetur, ſed explicare & declarare quod non tenetur. Quæ ſupradicta epicheia, vt certum & manifeſtum eſt, omnibus in vniuerſum competit & ſubditis & Prælatis in aliqua conſtitutis neceſſitate.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Prælati Regulares diſpenſare poſſint cum ſe ipſis, in caſibus, in quibus diſpenſare poſſunt cum ſibi ſubditis?

ET pro ratione dubitandi videtur quod non, quia nullus poteſt in ſua propria cauſa eſſe iudex, & vt videtur diſpenſare ſecum eſt actus iuriſdictionis, quam nemo in ſemetipſum exercere poteſt. Hac enim ratione Abbas, in cap. *magnæ de voto* (inquit) quod Epiſcopus & ſimiles Prælati, non poſſunt in votis à ſe emiſſis ſecum diſpenſare, ac diſpẽſare poſſunt in ſuorum ſubditorum votis. Quin verò & eadem ratione, noſtrorum priuilegiorum Collector in Compendio, verbo, *accedere ad monaſteria Monalium circa finem*, tenet quod Prælati in dicto caſu, potentes diſpenſare cum alijs, non poſſunt cum ſemet ipſis diſpenſare, ex quibus colligitur intentum. Sed reuera hæc opinio & ſententia, nimis videtur ſtricta & rigoroſa, quin verò & falſa, & contrariũ obſeruatur in communi praxi, vnde & contra eam ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Prælati Regulares, potẽtes diſpenſare cũ ſibi ſubditis, id etiam ſecũ poſſunt facere.

PRælati Regulares diſpenſare potentes cum ſibi ſubditis, etiam poſſunt ſecũ diſpenſare. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Corduba, contra ſupradictum Collectorem in prædicto verbo, *accedere ad Monaſteria Monialium*, vbi dicit quod ſaluo meliori iudicio, Generales & Prouinciales, quin verò Cuſtodes & Guardiani, bene poſſunt cum ſe ipſis diſpenſare, aut potius ſemetipſos licentiare, in illis caſibus, in quibus licentiare poſſunt ſibi ſubditos. Et ratio inquit eſt, quia in actibus qui nõ ſunt iuriſdictionis vel iudiciariæ poteſtatis, ſed tantũmodo ſuperioritatis, bene poteſt quis licentiare ſe ipſum ſicut & ſubditos ſuos, quomodocumque habeat talem poteſtatem, ſiue ordinariam & ex officio, ſiue ex commiſſione aut cõceſſione facta, ſed maxime per Papam. Nam eo ipſo quo ſibi confiditur vt poſſit alios licentiare, confiditur & conceditur, quod & ſe ipſum poſſit ſimiliter licentiare, niſi id ei ſpecialiter & ex cauſa prohibeatur. Quod & probat prædictus Corduba in multis caſibus, vt in licentiando ad Ordines, & ad itinerandum, ſeu vt Religioſus exeat extra Clauſtrum, vel ad ſtudia, aut quod ſit teſtis in teſtamento, vel vt recipiat legata & vt procuret pecuniam pro neceſſitatibus, in his & ſimilibus, communis eſt, inquit Doctorum reſolutio, quod poteſt ſecum diſpenſare, & quod Prælatus concedens alicui indulgentias, poteſt eas ſibi lucrari, quemadmodum & illas alijs conceſſit. Similiter Caietan. ſecunda ſecundæ, quæſtione 46. articu. 5. inquit, quod in ſuis legibus ſuperior poteſt ſecum etiam diſpenſare, eo modo, quo & poteſt cũ ſuis ſubditis. Facit ad id

Nota quod generaliter loquendo, niſi expreſſe id prohibeatur, Prælatus potens diſpenſare cum alio in aliqua lege ſine præcepto, poteſt etiam cum ſemetipſo diſpenſare

cap. fin. *de pœnit. & remiſſ.* Vbi habetur, quod Epiſcopi & alij, qui licentiare poſſunt ſibi ſubditos vt confiteantur alijs, licẽtiare etiam poſſunt ſemetipſos ad idem, ſeu potius ſibi prouidum eligere confeſſorem ſine licentia ſuorum ſuperiorum. Nam licet textus ibi tantummodo loquatur de confeſſione, idem etiam dicendum videtur de diſpenſatione in ſupradictis Obſeruantijs Regularibus, cũ de ſimilibus ſimile ſit iudicium, & vnus caſus trãſferatur ad alium. Ex quibus omnibus manifeſtè colligitur noſtræ Concluſionis veritas, & quod non debeat ſuſtineri opinio ſupradicta Collectoris. Et ad argumenta ſiue rationes adductas dubitandi reſpondetur, quod diſpenſatio in ſupradictis, non eſt proprie actus iuriſdictionis aut iudiciariæ poteſtatis, vt argumentum prætendit, nam in his certũ eſt, quod nemo poteſt in ſemetipſum eiuſmodi actus exercere, nec ſecum in votis diſpẽſare, vt recte tenet Abbas cum communi, ſecus eſt autem in his, quæ ſuperioritatis ſunt ſolummodo, quam auctoritatem bene poteſt quiſpiã in ſemetipſum exercere, eo modo quo & in alios ſibi ſubditos. Id quod explicauit & declarauit, quin verò & confirmauit antiqua conſuetudo, quæ optima eſt legum interpres & æquiualet legi, vnde in hoc recedendum eſt, à nimium ſcrupuloſa Collectoris opinione, & tenenda noſtra Concluſio, quæ de iſto articulo dicta ſufficiant.

In his quæ ſunt iuriſdictionis ſeu iudiciariæ poteſtatis, non poſſunt ſecũ Prælati diſpenſare, ſed bene in his, quæ ſolummodo ſunt auctoritatis ſiue ſuperioritatis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſit verum & certum, ſeu vti expediat interdum, quodam viuæ vocis oraculo, quod conceſſum fuiſſe dicitur, pro noſtro ſacro Minorum Ordine à Pio V. Patri fratri Ioanni de Aguilera, olim Commiſſario Romano?

PRo huius articuli intelligentia & ipſius reſolutione oportet præmittere, apud quãplures Religioſos eſſe quoddam tranſumptum, non quidem authenticatum, ſed ſimplex & manuſcriptum, & nulliusſigillo ſeu ſubſcriptione obſignatum, cuiuſdam viuæ vocis oraculi, quod conceſſum fuiſſe dicitur, à S. P. Pio V. anno Domini 1566. die 26. Auguſti, ad inſtantiam & ſupplicationem, Patris Fratris Ioannis de Aguilera Commiſſarij Romani, toti noſtro Minorum Ordini & omnibus Fratribus, tenoris ſequentis: *Quod tantum teneantur ſeruare ſub pœna peccati mortalis, præcepta Regulæ quæ ſequuntur. ſcilicet tria vota eſſentialia, obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, necnon prohibitionis recipiendi denarios vel pecunias, & præceptum de dicendo officio diuino ſecundum ordinem Romanæ Eccleſiæ, & præceptum de ieiunijs in Regula indictis, & quod quis calceamenta de corio, quibus omninò pedes cooperiantur, ſine neceſſitate aut diſpenſatione ſuperioris non portet, utiter faciat equitando ſine manifeſta neceſſitate ſeu diſpenſatione ſuperioris, quibus ſua Sanctitas id committit onerando tamen eorum conſcientias, licet non ſit arcta neceſſitas, & quod intra clauſuram quarumcumque Monialium non intrent, exiſtẽ caſus in earum Regula & Apoſtolicis Conſtitutionibus cõtentos, & quod Electores quibus incumbit, teneantur eligere Miniſtrum Generalem in Feſto Pentecoſtes, & petere à Domino Papa vnum Cardinalem Protectorem Ordinis, & tandem quod à debita obedientia, & reuerentia domini Papæ quiſpiam non recedat. In cæteris autem præceptorũ trãſgreſſionibus, quod nullus incurrat aliquod peccatum mortale, niſi quatenus aliquod ius vel præceptum diuinum, naturale, vel humanum fuerit transgreſſus, aut contemptum habuerit. Et iſta omnia in foro conſcientiæ tantum ſua Sanctitas conceſsit, non obſtantibus quibuſcumque literis & declarationibus, necnon Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & dicti ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, & alijs quibuſcumque.* Circa quam conceſſionem & viuæ vocis oraculum, eſt magna lis & controuerſia inter Patres noſtri ſacri Ordinis, an ſcilicet illud certum ſit & verum, & reputari debeat authenticum, & an eo vti expediat interdum, nec ne? Et proſpectis & penſatis atque intime conſideratis rationibus & fundamẽtis, quæ hinc inde pro vtraque huius difficultatis parte adducuntur, quod verius eſſe credo & dicendum hac in re atque tenendum, explicabo per ſequentem Concluſionem.

Nota quoddã viuæ vocis oraculũ, quod à Pio V. P. F. Ioanni de Aguilera conceſſum fuiſſe dicitur.

Concluſio.

SVpradictum viuæ vocis oraculum, vt credo nõ eſt certum, & verum nec authenticum, neque nobis vllo modo eo vti expedit. Huic Concluſioni adhæreo propter fortiſſimas rationes. Et primo quia pro certo habetur, & multo verosimilius eſt, quod dictum viuæ vocis oraculum, eidem Patri fratri Ioanni de Aguilera, falsò fuit impoſitum à quibuſdam Fratribus, cuius magnum, euidentiſſimum indicium eſt, quod in libris Ordinis nullum omninò ipſius reperitur veſtigium, vt firma habetur traditione grauiſſimorum Patrum qui fuerunt Romæ, & ſumma diligentia illud exquiſierunt, cupientes ea de re certiores fieri. Quibus & accedit nam etiam ipſa tranſumpta, quæ vulgo circumferuntur, haud quaquam ſunt ſibi cohærentia & cõuenientia, ſed quædam feruntur vno modo, alia verò altero, quod & ipſorum falſitatis, nouum & nec paruum quidem indicium eſt. Secundo, nam dato caſu quod dictum viuæ vocis oraculum eſſet certum, verum & authenticum, adhuc ipſo non nobis expedit vti, ſeu vllo modo eſt vtendum, cũ Regulę noſtræ adeò ſit relaxatiuum, & quã magna ſit differentia, latiſſimumque diſcrimen inter ipſum, & prætatam conceſſionem Pij Secundi, de qua ſuperius diximus. Nam in dicta conceſſione nulla fit Regulæ noſtræ relaxatio; quin verò ſecũdum ipſam, Regula noſtra integra & intacta perſeuerat, nam ſolum conceditur Prælatis facultas, vt in præceptis non eſſentialibus eius, diſpenſare poſſint cum ſibi ſubditis, iuſta interueniente cauſa etiamſi non ſit arcta neceſſitas, quod etiam ſtando in iure communi (vt dictum eſt) ipſa ex cauſa facere poſſent: at verò ſecundum præfatum viuæ vocis oraculum, Regula noſtra remanet truncata, nimiſq; relaxata, multaq; ex ea detrahuntur, per illa verba ibidem poſita, *in cæteris autem præceptorum tranſgreſſionibus, nullus aliquod mortale peccatum incurrat*, quod reuera, eſt diſpenſatio facta in ipſa Regula,

Supradictum viuæ vocis oraculum, non videtur eſſe certum & authẽticum, neque eo licet nobis vti.

gula, ſimpliciter & abſolutè vt de ſe patet, quod quidem longe diſtat ab eo, quod ſupradictus conceſſit Pius Secundus, quod vt dixi, abſque ſpeciali aliquo priuilegio, ex iure communi ipſis Prælatis conueniebat. Quibus omnibus & accedit, alia noua ratio quæ erit tertia in ordine, & ea eſt, nam nullo viuæ vocis oraculo, nos Minores Fratres vti poſſumus, ſine aſſenſu & ſpeciali licentia Generalis Miniſtri, de quo plura habentur in libris Ordinis viuæ vocis oracula, Ordini noſtro conceſſa, à diuerſis Summis Pontificibus. Quin verò & Leo Decimus hoc ipſum conceſſit Fratribus Auguſtinienſibus, & Eugenius Secũdus, & Clemens Quartus Ciſtercienſibus, prout refertur in eorundem priuilegiorum Compendio, verbo, *priuilegium.* §. 6. & in Compendio Societatis Ieſu, eodem verbo. §. 3. Ex quibus omnibus infertur, quod quando prædictum viuæ vocis oraculum, eſſet certum & verum, & alicubi inueniretur authenticum, adhuc eo à nobis non eſſet vtendum, aut nobis licitum illo vti, cum non fuerit per Ordinem receptum, neque ad id habeatur licentia & conſenſus Generalis Miniſtri, vt præmittitur neceſſarius, per ſupradicta viuæ vocis oracula, ſpecialiaque priuilegia. Eo vel maximè cum ſupradictum viuæ vocis oraculum, non ſit perſonale aliquod priuilegium alicui particulari perſonæ conceſſum, ſed toti Ordini, vt ex ipſius verbis conſtat, quo fit vt non poſſit à Fratribus in particulari recipi, nec eo ipſi poſſunt vti, quin prius per totum Ordinem recipiatur, aut ſaltim per eiuſdem caput Generalem Miniſtrum. Haud enim credendum eſt velle Summũ Pontificem, ſeu tale vnquam ipſius fuiſſe intentũ, quod in vno eodemque Ordine, diuerſus eſſet viuendi modus, & quod quidam Fratres obſeruent ad vnguem ea, quæ ſunt ſuæ Regulæ, alij verò minime, & in eodem Conuentu quiſpiam ſtricte, alter verò laxe ſeu relaxate viuat, ita vt de eo illud Hieremiæ cap. 9. iure optimo dici poſſit: *Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi?* Non (inquam) hoc de tanto ac tam magno Pontifice eſt credendum. Tãdem vltimo probatur ſupradicta Concluſio, nam dato caſu (vt præmittitur) quod dictum viuæ vocis oraculum, eſſet verum certum & authẽticum, adhuc illo minime eſt vtendum, cum ſit expreſſe atque ex diametro pugnans, cum Concilio Tridẽtino Seſſion. 25. *de Regul.* cap. 1. & 6. vbi ſtatuitur atque decernitur, *quod Regulares omnes, tam viri quàm mulieres, ad Regulæ quam profeſsi ſunt præſcriptum, vitã ſuam inſtituant atque componant,* & inferius, Seſſio. 25. cap. 2. dicitur, *vt hoc exequutioni mandetur, reuocando omnia in contrarium priuilegia.* Et licet dicatur, quod dictum indultum fuit à Pio Quinto, poſt prædictũ Concilium Tridentinum conceſſum, ac proinde per ipſum non eſſe ſublatum aut derogatum, adhuc tamen ſublatum, & derogatum eſſe creditur per Conſtitutionem & Extrauagantem Gregorij XIII. datam Romæ, Pontificatus ſui anno primo, quæ incipit: *In tanta negotiorum mole,* qua reuocauit expreſſe omnia conceſſa à prædicto Pio Quinto, quoquo modo contraria prædicto Concilio Tridentino, & hoc ſufficit hactenus de iſto articulo.

Nota valde, quod religioſi non vti poſſunt viuæ vocis oraculis, ſine aſſenſu, & ſpeciali licentia Generalis Miniſtri.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Prælati Regulares, volentes cum ſibi ſubditis diſpenſare, hoc alij poſsint committere?

DIfficultas præſentis Articuli, pendet ex reſolutione alterius difficultatis, an ſcilicet delegatus à Papa vel à Principe, indiſtincte poſſit totã cauſam vel ipſius partem alteri delegare & committere? Qua de re latiſſime agit Sylueſter, verbo, *delegatus*, num. 10. & 11. explicando & dicendo in quibus caſibus Delegati poſſunt ſubdelegare, & in quibus non. De quo longiſſimam iam ipſe habui diſputationem, in quæſtione ſecunda, mei ordinis iudiciarij, per plures Articulos, quam obcauſam & quia hoc non eſt præſentis ſpeculationis, ab ipſa conſulto ſuperſedeo, propoſitæque difficultati breuiter reſpondeo, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

PRælati Regulares volentes cum ſibi ſubditis diſpenſare, bene poſſunt hoc alijs committere & delegare. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in l. *Indice. C. de iudic. & in cap. finali, de officio delegati,* & tradit eam Innocent. in cap. *Paſtoralis,* eodem titulo, quod eſt quammaximè verum, cum in prædicto caſu non intelligatur electa fides ſiue induſtria eius, cui negotium committitur. Cui Concluſioni fauet etiam vniuerſalis conſuetudo, quæ legem interpretatur, eſtque multum rationabilis, qua Prælati omnes eiuſmodi diſpenſationes alijs ſolent committere, idque meritò, namvt plurimũ ſubditi Prælatos verentur, vnde & rationi conſonum videtur, vt ipſi præ nimia verecundia non aliquid graue patiantur, quin verò alijs Religioſis viris & doctis committatur, vt cum eiſdem poſſint diſpenſare. Facit ad hoc nam & priuilegiũ, conceſſum Prælatis pro tempore exiſtentibus, vt poſſint cum ſibi ſubditis diſpenſare, eſt perpetuũ, datque proinde ordinariam iuriſdictionem, ex natura ſua alijs delegabilem, vt expreſſe tenet Gloſa, in cap. fin. *de officio ordinarij*, quæ ad hoc propoſitum eſt ſingularis, quæ de iſto articulo breuiter dixiſſe ſufficiat, nam & ad alia progrediamur oportet.

Prælati Regulares, volẽtes cum ſibi ſubditis diſpenſare, bene poſſunt hoc alijs committere & delegare.

Nota quod priuilegium perpetuũ, dat iuriſdictionẽ ordinariã & ſubdelegabilẽ

ART.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm quando Prælatus mandat alicui ſubdito facere aliquid contra Regulam, ſeu contra aliquod præceptū Regulæ, cenſeatur proinde cum ipſo diſpenſare?

HANC difficultatem mouet Caietanus 2.2. quæſt. 104. art. 5. in ſolutione ad tertium, & intelligenda eſt de Prælatis potentibus diſpenſare, nam in alijs qui eiuſmodi nō habent facultatem, minime locum habet. Et primiſſa diſtinctione, de diſpenſatione, quæ interdum fit fieriq́ue ſolet, abſolutè & ſine cauſæ diſcuſſione (quia nempe ſic videtur Prælato ſuperficie tenus) aut quando ſine cauſa diſpenſatur (vt communiter fieri ſolet in rebus leuibus) & de diſpenſatione, quæ fit fieriq; ſolet, cum cauſæ vrgentis diſcuſſione & cognitione, de mente ſupradicti Caiet. propoſitæ difficultati reſpondeo, per duas ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si Prælatus cum ſubdito ad liberum & ſine cauſa diſpenſet, in his quæ ſunt contra vel præter Regulam, non tenetur ſubditus ei obedire

SI Prælatus præcipiat alicui ſubdito aliquid cōtra vel præter Regularem vitam, diſpenſando primo modo, non tenetur ſubditus ei obedire, ſed ſequi debet potius ſtatum ſuæ Religionis. Huius Concluſionis ratio eſt, quia diſpenſatio facta ſine cauſa legitima, ſufficiente ad relaxationem legis, in tali caſu non eſt diſpenſatio ſed diſſipatio, niſi forte diſpenſans ſit Princeps, & ſit in his, quæ ſunt mere de iure poſitiuo, & libere ſuæ ſubduntur poteſtati.

Secunda Concluſio.

Quando Prælatus diſpenſat cū ſibi ſubdito, cum cauſa legitima, tenetur ſubditus quidē obedire

SI verò Prælatus præcipiat aliquid alicui ſubdito, diſpenſando ſecundo modo, hoc eſt cum cauſa legitima, in tali caſu tenetur ſubditus illi obedire. Hæc Concluſio probatur, nam ex quo acceſſit legitima diſpenſatio, opus illud pro tunc, non eſt contra aut præter Regularem vitam: & ſi ex alia parte ſubeſt cauſa præcipiendi, & fiat propter aliquem finem, ſubordinatum Regulari conuerſationi ſeu vitæ, ad quam omnia præcepta in Religionibus ordinantur, faciendum id eſt, & non vlla ratione excuſatur ſubditus ab eiuſmodi adimpletione. Pro hoćq; maxime facit dictum Diui Bernardi, lib. de diſpenſat. & præcepto, vbi inquit: votum meum non augeat, nec minuat Prælatus ſine neceſsitate: inſinuans his verbis, quod quando neceſſitas adeſt, poteſt illud augere, ſiue minuere Prælatus, & præcipere aliquid quod alias ſit, aut eſſe videatur contra Regulam. Nam præcipiendo diſpenſat, aut ſaltim diſpenſare videtur cum poſſit, & ita ſubditi in hiſce rebus, quando Prælati aliquid eiuſmodi ſibi præcipiunt, attendere debent an in eo caſu ſit ſufficiens cauſa ad diſpenſandum, & ſi eam viderint eſſe talem, clauſis oculis debent obedire, quia nullo debēt modo præſumere, quod Prælati prædicti, contra conſcientiam & animam ſuam, id ipſum ſibi præcipiant niſi diſpenſando cū eiſdem. Attamen ſi viderint, nullam eſſe prorſus diſpenſationis cauſam, nec Prælatū hac de re multum curare, non illi in eo caſu contra Regulam ſeu Regulæ præcepta, tenentur obedire, neque eius iuſſa exequutioni mandare, niſi (vt dictum eſt) iuſta interueniente cauſa, cum ipſis diſpenſet.

Nota valde, pro diſpenſatione Prælatorum cum ſibi ſubditis, & qualiterinhiſce rebus ipſi ſe habere debeant.

ARTICVLVS IX.

Quænam ſit iuſta cauſa, diſpenſandi cum aliquo religioſo, vt ad aliam Religionem laxiorem, ſe transferre poſsit?

Prima Concluſio.

Sufficiens cauſa tranſeundi ad aliam ſtrictiorem Religionem, eſt zelus maioris perfectionis, ſeu declinatio alicuius Religionis à debita perfectione

AD hoc vt aliquis Religioſus, ſe transferat ad aliam Religionem ſtrictiorem, ſufficiens eſſe videtur cauſa, zelus perfectionis Religionis, vel declinatio ſui Ordinis à debita perfectione. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thomæ. 2.2. quæſt. 189. art. 8. & Syluest. verbo, *Religio.* 4. §. 1. & 2. & Nauarr. in cap. *ſtatuimus*, num. 4. & Cordub. ſuper noſtram Fratrū Minorum regulam, cap. 2. quæſt. 17. à cuius Concluſionis probatione, & ampliori tractatione conſulto ſuperſedeo, quia hac de re in præcedenti tomo, quæſt. 31. per plures articulos, plura diximus agendo de Religioſis profeſſis, quantum attinet ad tranſitum ad alios Ordines.

Secunda Concluſio

Ad hoc vt religioſus ſe tranſferat ad religionem laxiorem, iuſta & ſufficiens eſſe videtur cauſa, infirmitas, corporis debilitas, aliaque huiuſmodi, obſeruandas auſteritates priores religionis.

AD hoc vt aliquis Religioſus ſe transferat, ad alium ordinem laxiorem, iuſta & ſufficiens eſſe videtur cauſa, infirmitas ſiue debilitas, & delicata complexio ad obſeruandas auſteritatis ſuæ Religionis. Hæc Concluſio eſt etiam D. Thom. loco ſuprecitato, & Syluest. & Nauarr. De qua etiam plura diximus ſupra loco citato in præcedenti tomo. Vbi etiam diximus, ad id eſſe iuſtam & ſufficiētem cauſam, vrgens parentum neceſſitas, vt poteſi in Ordine proprio non ſit commoditas ad tribuendum illis, per modos licitos & congruentes ſuæ Regulæ. In tali caſu, communis eſt Doctorum opinio, quod eſt ſufficiens cauſa ad diſpenſandum cum dicto Religioſo, vt ſe transferat ad aliam Religionem laxiorem (etiam Monachalem) dummodo eiuſmodi Religioſus non ſit ex Mendicantibus, quia talis tranſitus eſt ſibi prohibitus, per Extrauagantem Martini Quarti, quæ incipit, *Viam ambitioſæ cupiditatis*, niſi forte quis dicat prohibitionem prædictam eſſe intelligendam, quando ſit ſine iuſta cauſa, aut cum illa virtute alicuius licentiæ ſpecialis, & non ex conceſſa à iure facultate.

Tertia Concluſio.

Ad hoc vt religioſus ſe tranſferat ad laxio

ETiam erit ſufficiens cauſa, ad diſpenſandum in eo vt quis ſe transferre poſſit ad laxiorem ordinem, iuſta ignorantia de his, quæ profitentur in tali

rem Religionē, etiam ſufficiēs eſſe cauſa videtur, ignorantia de his, quæ profitenda erant in tali religione.

tali Religione. Hæc Concluſio eſt expreſſa Cordubę loco ſupracitato, & probatur & declaratur Cōcluſio, nam ſi quis v.g. propter ſuam ignorantiam ſiue ſimplicitatem, non intellexit regulam & eius obligatoria tempore profeſſionis, & poſtea videt ſe ſtrictius obligari, & quod alumni illius Religionis laxius viuunt communiter, licite poſſet cum illo diſpenſari, vt ad aliū Ordinē ſe transferat ſeruatis ſeruādis, quæ ſupra in præcedēti tomo diximus eſſe obſeruatu neceſſaria, ad hoc vt licite fieri poſſit eiuſmodi tranſitus. Et ratio dictæ Concluſionis eſt, nam cum intentio & voluntas ſupradicti, non fuerit ſe obligare in profeſſione ſua, ad tantam vitæ rectitudinem, perfectionem ſiue auſteritatem, quanta in illa Religione iuxta Regulam obſeruari præcipitur, & ex præcepto obſeruari habet, ſufficiens eſſe videtur cauſa ad diſpenſandum cum illo, vt ad laxiorem Religionem ſe transferat. Sed difficultas eſt, an ad id ipſum ſufficiat, difficultas & moleſtia quam quis patitur, ad obſeruanda ſuæ Religionis præcepta? De quo ſit quarta Concluſio.

Quarta Concluſio.

Difficultas, quæ ſe tenet ex parte diſpēſati, aut ex illius prauo habitu, non eſt ſufficiens cauſa diſpenſandi, ad hoc vt quiſpiam ſe transferat ad laxiorem Religionem.

SI difficultas ſit in re ipſa, vt pote quia in conſulta prudentia & non commenſurādo vires ſuas, & Religionis aſperitates cum ſua delicata cōplexione, profeſſionē emiſit, in tali caſu prædicta difficultas ſeu potius temeritas, ſufficiens eſt cauſa diſpenſandi, ſecus eſt autem ſi difficultas illa ortū habet à prauo ſuo habitu ſiue deprauata conſuetudine, nam in tali caſu, nō erit cauſa ſufficiens. Hæc Concluſio iam ſatis patet ex ſupradictis, & quia nemo debet, ex ſuo delicto reportare commodū. Sit quinta Concluſio.

Quinta Concluſio.

Difficultas, quæ ſe tenet ex parte Religionis ex aliquo incidenti caſu poſt factam profeſſionem, vt pote infirmitas ſuperueniens, non eſt ſufficiens cauſa diſpēſandi vt quis ſe transferat ad laxiorem Religionem.

SI verò difficultas, ex aliqua cauſa obueniat poſt profeſſionem factam, vt pote ex aliqua infirmitate, vel quacumque alia ratione, non eſt ſufficiēs cauſa ad diſpenſandum vt quis tranſeat ad aliam Religionem, nam in tali caſu, Religionum Prælati cum ipſo poſſunt diſpenſare, & debent in eiuſdem aſperitatibus. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Soto, lib. 1. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. art. 3. reſpondendo ad prædictam dubitationem. In caſu tamen quo dicti Prælati diſpenſare nolint, & Fratres murmurent dicendo illum relaxare Religionem, præ oculis magis habentes literalem ſenſum, ſeu potius exteriorem auſteritatem, quam pietatem & charitatem, crediderim certe ſufficientem eſſe eam cauſam ad diſpenſandum cum illo. Item, & perſequutio magna, ſi ſuboriatur alicui in aliqua Religione, cui ille nullam dedit cauſam, ſed vt dicitur, odio habetur gratis. Tandem vltimo vt hæc omnia vnico concludam verbo dico, quod hac de re non poteſt tradi regula certa & determinata, ſed maxima ex parte id relinquendum eſt arbitrio æqui & boni viri, quapropter ab huius rei ampliori tractatione ſuperſedeo, cum in præcedenti tomo loco ſupracitato, & in præcedenti quęſt. art. 4. & 5. de hoc argumenti genere plura dixerimus.

ARTICVLVS X.

Vtrùm quando Papa aut eius Legatus, conceſſam à ſe diſpenſationis gratiā alicui committunt Ordinario, vt verificata narratiua diſpenſet cum aliquo, morte Papæ aut Legati concedentis, finiatur eiuſmodi delegatio?

PRO huius articuli intelligentia præmittere libuit, ſæpiſſime contingere quod Papa ſiue ipſius Delegatus, conceſſam à ſe diſpenſationis gratiam, alicui committant Ordinario, vt verificata narratiua diſpenſet cum aliquo vt & fieri præcipit Concil. Trident. Seſſion. 22. *de reformatione*, c. 5. & id ipſum contingit in Religionibus, cum Fratres ſiue Moniales, expoſcunt à Papa ſeu ab eius Apoſtolico Nuncio, diſpenſationes aliquas ſuper aliqua re, quam ipſi narratiuam Prælatis Regularibus committunt, vt ipſa verificata cum eiidem diſpenſent: quæritur nunc, an eiuſmodi delegationes, finiantur morte concedentium? Cui difficultati breuiter atque reſolutiue reſpondeo, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Nō extinguūtur nec expirant morte Papæ delegationes, quæ conceduntur, ad diſpenſandū cū aliquibus.

DIſpenſationes ſiue delegationes ſupradictæ, morte Papæ aut Nuntij Apoſtolici concedentis, minime expirant aut extinguuntur. Hanc ſententiam & Concluſionem tenet expreſſe Sylueſt. verbo, *gratia*, §. 2. & eſt communis omnium Doctorum & Iuriſconſultorum reſolutio. Qui omnes eam intelligunt, & intelligendam eſſe volunt, etiam vt dicitur re integra, & quamuis prædicti Prælati non prius diſpenſauerint, aut nondū gratiam diſpenſationis acceperint. Nam eiuſmodi diſpenſatio, quantum eſt ex parte Papæ ſiue eius Nūtij Apoſtolici, iam plene facta eſt in gratiam & fauorem petentis, dum tamen vera ſit narratiua: dictiſque Prælatis ſiue Ordinario, tantum committitur aut demandatur, executio gratiæ iam factæ, nec ipſis committitur ſubſtantia aut cauſę aliquid ſubſtantiale, an expediat vel non expediat id facere tanquam iudicibus delegatis, ſed ſolummodo, an ſit vera facti præteriti enarratio, qua ſtante iuſti eſſent eiuſmodi Prælati, ſi non diſpenſarent. Sed quidquid de hoc ſit, certiſſimum eſt (redeundo ad noſtrum propoſitum) quod executio gratię iam factæ, non expirat morte concedentis, vt late proſequitur Couart. in pract. qq. capit. 11. num. 2. colum. 3. Nec dictis obſtat cap. *ſi cui, de præbend.* in 6. ex quo nonnulli contrarium volunt colligere, nā reſpondetur, quod ibi illa gratia facta eſt, ſi in vita eiuſdem Papæ vacaret aliqua prębenda in cōmuni, quā ipſe iure ordinario poterat cōferre, quod erat quaſi in futurum, at in propoſito, eſt ſingularis diſpenſationis gratia (vt ſupponitur) iam à Papa facta eiuſmodi priuatæ & particulari perſonæ, &

Nota quod executio gratiæ iam factæ non expirat morte concedentis.

Præ-

Prælatis Regularibus ſiue Ordinario, tantummodo conceditur eiuſdem exequutio, quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Prælati Regulares, diſpenſare poſſint in foro exteriori, cum ſibi ſubditis committentibus aliqua delicta, propter quæ in aliquibus conſtitutionibus Apoſtolicis, appoſita eſt pœna, vt ipſo facto priuati ſint omnibus officijs, & inhabiles ad alia in futurum?

PRO huius articuli intelligentia & reſolutione, oportet in memoriam reducere ea, quæ dicta ſunt ſupra, nempe, quod Prælati generales & Prouinciales, Epiſcopalé vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, poſſunt circa ſibi ſubditos quidquid Epiſcopi circa ſuos, per Gloſſ. ſingularem, & communiter receptam in Clement. 1. *de reb. Eccleſ. non alienand.* de qua ſupra pluries diximus in multis occurrentibus caſibus. Secundo eſt aduertendum, quod Alexand. III. in cap. *at ſi clerici. §. de adulterijs, de iudic.* conceſſit Epiſcopis, vt in adulterijs alijſque minoribus delictis, cum Clericis peracta pœnitentia poſſint diſpenſare. Circa quod capitulum inquirendum atque diſputandum ſe ſe offerebat, de grauitate huius criminis, & quænam dicantur ſeu dici debeant crimina, ſiue delicta adulterio minora, quæ verò maiora? Sed hæc res propriã habebit ſedem & locum in alio tomo, qui tertius erit, in ordine, vbi Deo dante agendum à nobis erit, de pœnis correſpondentibus omnibus in vniuerſum delictis. Pro nunc dixiſſe ſufficiat, quod inter maiora delicta, ſimplex fornicatio à Doctoribus enumeratur, qua maius eſt adulterium, vt docet Diuus Auguſtinus, & habetur in cap. *adulterij malũ* 32. quæſt. 7. Vincitur autem adulterium ab inceſtu, prout ibidem dicitur, ſed his omnibus grauiora & maiora ſunt Sodomia, & crimen aſſaſſinatus & homicidium qualificatum, vt habetur in dicto capit. *adulterij malum*, & in cap. *ille qui.* 22. quæſt. 5. Ex quibus omnibus colligitur, quod Epiſcopi cum Clericis, peracta pœnitentia, diſpenſare poſſunt, in pœnis correſpondentibus delicto adulterij, ipſoque minoribus, non autem in maioribus, nam hæc ſpecialiter Papæ reſeruantur. His vtcumque ſic præmiſſis, difficultati propoſitæ breuiter reſpõdetur, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Prælati Regulares in exteriori foro, diſpenſare poſſunt cum ſibi ſubditis in omnibus pœnis delictorũ adulterio minorum, nõ autem in maioribus.

PRælati Regulares in exteriori foro, diſpenſare poſſunt cum ſibi ſubditis peracta pœnitentia, in omnibus pœnis, quæ fuerint poſitæ, propter aliqua crimina & delicta adulterio minora, non autẽ in maioribus. Hæc Concluſio iam plane conſtat ex ſupradictis. Sed intelligenda eſt Concluſio, non reſeruante ſibi ſpecialiter Papa pœnam alicuius delicti. Sicque poſſunt prædicti Prælati diſpenſare cum ſibi ſubditis, in omnibus irregularitatibus, & depoſitionibus verbalibus, & in priuatione officij ſiue beneficij, & inhabilitatibus ad ea, ſiue alia peracta pœnitentia, quando reſultant ex delictis, non adulterio grauioribus. Quod fuiſſe per Summum Pontificem determinatum & ſtatutum, rationi fuit quammaxime conſonum. Nam licet eiuſmodi delicta, ſint grauia & animaduerſione digna, frequenter tamen committuntur, graueque eſſet nimis ſemper propterea ad Sedem Apoſtolicã recurrere, ad diſpenſationem impetrandam. Ad cõ ſulendum ergo tanto Clericorum damno & labori, Alexandri III. eiuſmodi diſpenſationes, Epiſcopis peracta pœnitentia commiſit. Et dico peracta pœnitentia, quia ita habetur ibidem, & quia nemo præter Pontificem Maximum, diſpenſat aut diſpẽſare poteſt, abſque cauſæ cognitione. Circa hanc materiam iterum redibit ſermo, quando agemus de pœnis contractis à Religioſis, introducentibus mulieres in virorum Monaſteria. Atque ita pro nunc hæc de iſto articulo dicta ſufficiant.

Subditis peracta pœnitentia in omnib⁹ pœnis delictorũ adulterio minorum, nõ autem in maioribus.

ARTICVLVS XII.

Qualiter in negotijs, cauſis & neceſſitatibus occurrentibus vtendum ſit Epicheia?

IAM ſupra ſemel atque iterum diximus, quod epicheia proprie & in rigore loquendo non eſt diſpẽſatio, ſed multum ab ea differt. Non enim eſt eximere per licentiam ſubditum à lege, in caſu quo illam obſeruare tenetur, iuſta & rationabili interueniente aliqua cauſa (quod proprie ad diſpenſationem pertinet) ſed explicare & declarare, quod in illo caſu non teneatur obſeruare legem. Quo fit vt epicheia, non ſolum competat Prælatis, verum etiam ſubditis, in quo etiam à diſpenſatione differt, quæ ſolum conuenit Prælatis. Vt igitur ſciri poſſit, qualiter dicta epicheia ſit vtendum, tam à ſubditis quàm à Prælatis, quod maxime cognitu eſt neceſſarium ad regimen Reipublicæ, & ad pacandas & quietandas multorum Religioſorum conſcientias, qui plus nimio interdum, innumeris agitantur & moleſtantur ſcrupulis, quæſtionem hanc in præſentiarum in medium libuit producere, vt præ manibus habeantur, quæ ad hoc propoſitum viſa fuerint neceſſaria, cui vt debite ſatisfaciam, pro meo more reſolutiue reſpondeo, per ſequentes Concluſiones.

Quidnam ſit epicheia, & qualiter ipſa competat, nõ ſolum Prælatis, verum etiam ſubditis

Prima Concluſio.

Præcepta Dei quamuis ſtricte ſint obſeruanda, nõ tamen obligant ad vix poſſibile.

QVamuis præcepta Dei noſtri Optimi Maximi, ſtricte & ad vnguem ſint obſeruanda quoad maxime fieri poterit, vt pote in quorum ſtricta & rigoroſa obſeruantia, Deus ipſe delectatur ſummopere, iuxta illud Pſalmi 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*: non tamen hoc ita intelligẽdum eſt

eſt vt exiſtimemus quod velit nos Deus obligare, ad vix ſeu nimis difficilia, nam ciuiliter & moraliter loquendo, quæ talia ſunt, ſecundum iura cenſentur & reputantur ſimpliciter impoſſibilia. Hęc Concluſio cum multis argumentis & auctoritatibus comprobari poſſet, hoc ſolummodo contentus ero dixiſſe, quod iuxta Sapientis dictum, Sapient. 1. *Sentiendum eſt de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærere debemus illum*. Cui concinit illud, quod dixit Chriſtus Dominus, Lucæ 11. nempe, *ipſius iugum eſſe ſuaue & onus eius leue*. Quod quidem haud quaquam recte dici poſſet, ſi obligaret nos Deus (vt præmiſſum eſt) per legem ſuam ad impoſſibilia, ſeu nimis difficilia, vel ad id quod ciuiliter & moraliter loquendo, cenſeretur & reputaretur quaſi impoſſibile. Quibus & accedit aliud eiuſdem Sapientis dictum, quo dixit Prouerbior. 30. *Non eſſe debere nos nimium iuſtos, nam qui vehementer emungit, elicit ſanguinem*. Hinc fit vt in obſeruantia ſupradictæ legis, & quorumcunque aliorum præceptorum, iuxta generale & vniuerſale omnium Doctorum conſilium, recte hac de re ſentientium potius ſit declinandum ad æquitatem (quam nos in præſentiarum vocamus epicheiam) quam ad rigorem. Aiunt enim, ius eſſe medium quoddam inter æquitatem & rigorem, & inter hæc duo extrema, ad æquitatem potius, quam ad rigorem oportere nos declinare. Ad quod propoſitum dicunt Iuriſconſulti, quod rigor eſt exceſſus ſiue auſteritas iuris ſiue legis, aliquoties ad terrorem tantum ſcriptus, qui ſeruandus non eſt, niſi vbi exemplum mali timetur, per cap. *ſed & illud*, diſt. 4. Aequitas verò (inquiunt) eſt iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata, quam ſemper iudices atque Prælati habere debent præ oculis, nam melius eſt de miſericordia, quam de ſeueritate reddere rationem, iuxta cap. *allegant*, 26. quæſt. 7. Facit & l. *quod ſi effici. ff. de eo quod certo loco*, & cap. *diſciplina*, diſt. 45. cap. *ponderet*, diſt. 50. Quo fit, vt ſemper humana iura intendant cum miſericordia punire, *iuxta regulam in pœnis*, in 6. Idque meritò, cum deriuentur à diuino iudicio, in quo vt ex ſacra pagina frequentiſſime habetur, iuſtitia ſemper cum miſericordia eſt temperata. Ex hac Concluſione & generali regula, elicere poterunt omnes tam Prælati, quàm ſubditi, qualiter ſe gerere debeant, in diuinæ legis & aliorum præceptorum obſeruantia, ita vt quamuis ſint obſeruantes nimis, non tamen nimis rigidi ſiue ſcrupuloſi. Sed ſciant multoties quin verò & frequentiſſime, aut ſaltem quotieſcumque neceſſitas id expoſcit, vtendum eſſe ab ipſis epicheia & æquitate, quæ eſt interdum à verbis legis diſcedere, ſeruata tamen eiuſdem intentione, & reſpectu habito ad illud quod diceret determinaret, atque diffiniret Deus ipſe, & quilibet legiſlator conſultus in tali caſu. Sed vt ad magis particularia deſcendamus, ſit ſecunda Concluſio.

Notaqualiter ſit intelligendum, quodius eſt quaſi medium, inter æquitatem & rigorem.

Nota quod iudices & Prælati, ſemper eſſe debent proni & propenſi ad æquitatem, potius quam ad rigorem.

Secunda Concluſio

Non eſt credẽdum, quod Deus ſiue Eccleſia, per ſua præcepta obligare nos velit, ad aliquid ſtultum ſine inurbanum, ſeu per quod ſtulti & fatui reddamur.

HAud quaquam etiam credendum eſt, quod velit Deus Optimus Maximus, neque Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto regitur & gubernatur, per leges ſuas obligare nos ad exequendum ea, quæ adimplentes ſtulti & fatui omninò redderemur, ſeu ex quorum obſeruantia, omninò tolleretur vrbanitas & honeſtas, & communis hominum conuictus. Hæc Concluſio ſatis eſt clara & manifeſta. Nam non credendum eſt de Deo aut eius Eccleſia, quod imponere voluerint nobis onera grauia & incomportabilia, quæ nullo modo portare poſſimus, & incidere in id quod Chriſtus Dominus olim in Phariſæis acriter reprehendit, Matthæi 23. Non etiam Deus, aut eius Eccleſia vult, aut nobis conſulit nænias, aut quod ſic ſe homo habeat, vt alijs ſit ludibrio & opprobrio. Pro quo facit quam maxime illud, quod dixit olim Regius Pſaltes, Pſa. 30. nempe, *quod odit Deus obſeruantes vanitates ſuperuacue*. Sapiens etiam Eccleſiaſt. 15. inquit, *quod diſpliceat eidem infidelis & ſtulta promiſſio*, & alibi dicit, *quod omnia Domini mandata, iuſtitiæ ſunt æquitas & iudicia*. Qua de re videatur Gloſſa, & Innocent. in cap. *nouerit, de ſententia excommunicationis*. Eadem ratione nec etiam vult Deus aut Eccleſia, obligare nos ad quippiam, ex quo graue aliquid immineat malum probabiliter, & quod non niſi cum magno damno, & detrimento noſtro fieri poſſit, aut ex quo neceſſe ſit, quod aliquod ſequatur ſcandalum. Quæ omnia ſunt maxime notanda, & memoriæ commendanda, vt ſciamus qualiter nos obligent leges diuinæ ſiue Eccleſiaſticæ, & quorumcunque aliorũ præceptorum obſeruantia. Sed tamen vt ne ex his quiſpiam decipiatur, aduertere etiam libuit, quod non de facili iudicare debemus, quamcunque cauſam in diuinis præceptis, ſiue Eccleſiaſticis adimplendis, difficultatem eſſe quammaximam, mentiaturque proinde iniquitas ſibi, vt dixit olim Regius Pſaltes, Pſalm. 76. neceſſitatem fingendo, vbi forſan nulla eſt omninò neceſſitas, quin verò oporte re, quod neceſſitas ſit certa & manifeſta, aut ſaltẽ multum apparens, repræſententurque inconuenientia imminentia mala & ſcandala, ſeu incommoda, quæ ex alicuius legis obſeruantia poſſunt exoriri. Quibus in rebus, vt non errare contingat, in negotijs dubijs optimum erit conſilium, vt ſemper aliorum deſumatur conſilium, & Sapientum & Religioſiſſimorum hominum ſtetur iudicio. De quo etiam ſit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio.

Quantum valeat Sapientium conſiliũ ad pacandas conſcientias, & qualiter qui illud ſequitur, tutus remanet.

ADpacandas & quietandas nimium timoratas & ſcrupuloſas conſciẽtias, magni refert multumque valet ſapientum & Religioſiſſimorum hominum ſpectare conſilium, nam qui cum conſilio aliquid agit, conſcientiam erroneam deponendo, tutus remanet. Hæc Concluſio eſt expreſſa Diui Antonini de Florentia, 1. parte tit. 3. cap. 10. & Gerſon, 5. par. de remed. contra puſillanimitatem, alphabeto 69. littera Q. & in tractatu de diuerſis Diaboli tentationibus, alphabeto 70. littera etiam Q. vbi latiſſime agit de hac materia, nempe de quietanda conſcientia dubia, & tollendis multorum ſcrupulis. Pro quo Doctores prædicti ſupradictam tradunt generalem regulam, vt qui huiuſmodi habent inquietas conſcientias, dubias atque ſcrupuloſas, aliorum expoſcant ſemper conſilium, illudque ſequantur, quantumcunque aliud ſibi videatur. Nam (inquiunt) in his quæ rationabiliter dubitamus, non peccamus alijs acquieſcendo, etiãſi

alias

alias erroneum aliquid committatur. Nam inuincibiliter excuſamur per eiuſmodi ignorantiam, quin verò potius interdum mereri poterimus propter humilitatem, dum captiuamus intellectum, & volũtatem noſtram in obſequium Chriſti. Hæc omnia ſunt valde notanda, & memoriæ commendanda. Videatur etiam hac de re Diuus Gregorius in Moralibus, explicando illa verba Iob, capit. 1. quibus dicitur, *quod boues arabant & aſinæ paſcebantur iuxta illos.* Vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaq; notatu digniſſima. Pro quo etiam facit illud, quod dixit olim Thobias filio ſuo, cap. 1. *Semper conſilium à Sapiente perquire.* Et Salomon Prouerbior. 3. & 22. inquit. *Ne innitaris prudentia tua, & ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt tibi patres tui.* Videatur præterea hac de re Nauarr. in ſuo Manuali cap. 27. num. 286. vbi agit de opinione eligenda, & de quibuſdam conſcientiæ nimis ſcrupuloſæ medicinis. Quæ omnia multum proderunt ad pacandas & aſſecurandas, multorũ ſcrupuloſorum conſcientias.

Quarta Concluſio.

Quid ſit inſpiciendũ in rebus dubijs, ad ſciendum qualiter Eccleſiæ præcepta, practicari debeãt?

AD ſciendum in rebus dubijs, qualiter Dei & Eccleſiæ præcepta exequi & practicari debeant, ſummopere oportet reſpicere, ad communem viuendi modum virorum bonorum, prudentum, peritorum atque timoratorum, ex quibus deſumi debet exemplum, quorum vita eſſe nobis debet viuendi regula, nam qui tales ſunt, rectũ præſumuntur habere iudicium, ſicut & rectum habẽt affectum. Hæc Concluſio eſt valde notanda & memoriç commendanda, pro qua facit quammaxime, cap. *ſic viue*, 16. quæſt. 1. quod eſt D. Hieron. ad Ruſticum Monachum, vbi illi conſulit, vt inter bonos ſemper obſeruet meliores. Certum etiam eſt, quod in omnibus, ſed maximè in legibus humanis & his quæ iure tantum humano ſunt prohibita, multum præualet conſuetudo, vt ſupradiximus. Etenim ſi ea fuerit præſcripta, & legitime introducta, optima eſt legum interpres, quin verò & tollit legem, excuſatque à peccato in totum. Tunc vel maxime, quando id quod videmus maiores noſtros facere (dum tamen ipſi ſint ſapientes & timorati) exequutioni mandatur communiter. Vt itaq; omnia vnico concludam verbo, dico quod in quolibet caſu, prætermittẽs quiſpiam facere id quod lex aliqua imponit ſine faciendum præcipit, excuſari poteſt à peccato ſaltem mortali (quamuis non ſemper veniali) ſi id faciat bono, æquo & ſimplici animo, ex epicheia (vt dicitur) ſiue æquitate, ſine legis vel præcepti contemptu, ratione alicuius euitandi periculi, infirmitatis ſiue neceſſitatis, aut cuiuſcumque alterius cauſæ, ſiue circunſtantiæ recte conſideratæ, exiſtimando ſe non peccare mortaliter, paratus nullo modo id facere, ſi exiſtimaret id tale eſſe peccatum. Hæc eſt regula valde generalis, multumque notabilis, rationabilis, pia & fructuoſa pro timoratis conſcientijs. De qua videantur ſupradicti D. Anton. de Florentia, & Gerſon locis ſupracitatis, & Caietan. in Summa, ver. *ieiunium, & verbo contemptus, & præceptum, atque detractio*, vbi ad hoc propoſitum plura licebit adinuenire. Et hæc de iſto articulo ac de tota quæſtione dicta ſufficiant.

Nota generalem regulam, ad pacandas, ſcrupuloſorũ timoratas conſcientias.

QVAESTIO XXXII.

De Prælatis Regularibus, quantum attinet ad facultatem diſpenſandi, commutandi, necnon & irritandi ſuorum ſubditorum vota, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Prælati Regulares, diſpenſare poſsint in votis ſuorum ſubditorũ?

Nota quod quincupliciter tolli poteſt cuiuſlibet obligatio voti, & qualiter id fiat.

PRO huius Articuli intelligentia, & vt paremus viam ad ea, quæ in ſubſequentibus ſunt dicenda, oportet breuiter præmittere, quod quincupliciter ſiue quinque modis, tolli poteſt cuiuslibet obligatio voti. Primò per interpretationem. Secundo per ceſſationem. Tertiò per diſpenſationem. Quartò per commutationem, & tandem quinto & vltimo per irritationem. Per interpretationem tollitur votum, quando per epicheiam, quæ (vt ſupra diximus) eſt iuſta legis interpretatio, euidenter conſtat ipſum non obligare, vt ſi, verbi gratia, emiſit quis votum ieiunandi, poſtmodumque in aliquam incidit infirmitatem, per epicheiam, & iuſtam legis interpretationem, abſoluitur à ieiunij vinculo & obligatione. Per ceſſationem verò tollitur votum & obligatio ipſius, tunc quando extinctum ſiue adimpletum eſt tempus, ſibi poſitæ obligationis, vt ſi verbi gratia, emiſit quiſpiam votum ieiunandi, per ſpatium vnius anni ſingulis ſextis ferijs, expleto anno extinguitur eiuſmodi obligatio. Per diſpenſationem autem tollitur, quando iuſta exiſtente cauſa, Superior ſiue Prælatus diſpenſat, eximendo ſubditum à tali obligatione. Per commutationem, quando non ſimpliciter & abſolutè diſpenſat, ſed emiſſum votum commutat in aliud æquale, ſiue melius, ad modum infra dicendum. Tãdem vltimo tollitur votum, & obli-

obligatio ipsius, per irritationem patriæ potestatis nempe quando pater, Prælatus siue Superior, inferioris sibi subditi obligationem tollit, non finèdo illum votum adimplere, vt etiam statim dicemus.

De differentia, quæ versatur inter dispensationem, cõmutationẽ, atque irritationem votorum.

Sed aduerto etiam, maximam esse differentiam, atque latissimum discrimẽ, inter dispensationem, commutationem & irritationem votorum, nam irritatio non aliam requirit causam, quam meram voluntatem illius, qui ad irritandum facultate & potestate pollet, per cap. *puella*, 20. quæst. 2. cap. *manifestum*, 33. quæst. 5. & omnes Doctores communiter. Dispensatio verò requirit causam, iustam & rationabilem, quam qui habet & auctoritatem dispensandi, potest omninò votum tollere, & obligationem ipsius relaxare, absque eo quod loco emissi voti, aliquid iniungat vouenti, & tam vouens quam ille qui dispensat, manent in conscientia securi. Quod aliter contingit in commutatione, nã commutatio est quasi redemptio voti, & exigit vt id, in quod votum est commutandum & redimendum, sit æque bonum aut melius, ac illud quod quis vouit. Tunc requiritur quod sit æque bonum quando ex aliqua rationabili causa fit commutatio, tunc verò melius quando fit sine aliqua causa, sed solum ex mera voluntate commutantis, vt recte tradit Caietanus 2. 2. quæst. 88. art. 12. Ex qua doctrina infert Nauarr. in suo Manuali, cap. 12. nu. 63. quod qui potestatem habet simul, ad dispensandum & commutandum, potest partim dispensando, partim verò commutando, votum relaxare sine causa omninò iusta ad ipsum votum omninò relaxandum, imponendo ei etiam simul aliquid loco eiusdem voti, licet sit minus eo quod vouit nã dispensatio aliquid debet operari. Hæc sunt valde notanda atque memoriæ commendanda. Quibus sic præmissis, vt propositæ difficultati satisfaciam, ac simul breuiter & resolutiue complectar omnia fere ea, quæ ad hanc materiam votorum spectant, proposito Articulo respondeo, per sequentes Cõclusiones.

Nota quod irritatio votorum, non aliã requirit causam quam solã meram & liberam voluntatẽ illius, qui in id ipsũ auctoritate & potestate pollet.

Nota valde differentiam, quæ versatur inter dispensationem & cõmutationem votorum.

Prima Conclusio.

Soli Prælati Ecclesiasti. de iure, auctoritatem & facultatem habent, dispensandi & commutandi vota suorum subditorum.

SOli Prælati Ecclesiastici, de iure auctoritatem & facultatem habent dispensandi & commutandi vota suorum subditorum. Hæc Conclusio est certa & manifesta, constatque expresse ex doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. 88 art. 12. vbi eam multis & efficacissimis rationibus comprobat, sed maximè ex doctrina Diui Pauli 2. ad Corinth. 2. vbi de dispensatione agens, inquit: *Nam ego quod donaui si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Ex quibus infert D. Thom. quod soli Prælati Ecclesiastici dispensant, dispensareque possunt in votorum obligatione, facereque ipsorum commutationem, vt pote qui auctoritatem gerunt Ecclesiasticæ Reipublicæ, viceseque Dei habent in Ecclesia, quæ mystice est corpus Christi. Quo fit, vt quamuis multi alij potestatem & facultatem habeant, irritandi vota suorum inferiorum, vt putà pater, & eo deficiente mater, quæ tutelam filiorum suscepit, ipsique tutores & curatores, pupillorum, seu minorũ suorum, mariti etiam suarum vxorum, & domini seruorum, non tamen dispensandi aut commutandi vota, facultatem habent, nisi soluminodo Prælati Ecclesiastici, vt tenet communis Doctorum sentẽtia, cum D. Thom. vbi supra, & cum sententiarum Magistro in 4. sentent. dist. 38. Qua de re videatur suprad. Nauar. vbi supra num. 68. & 75.

Secunda Conclusio.

Solus Papa siue Romanus Pontifex, dispensare potest super quinq; principalibus votis.

SOlus Papa Romanusque Pontifex dispensare potest super quinque votis, hoc est super voto perpetuæ Continentiæ, Religionis, Peregrinationis in Hierusalem, vel Romam, & ad sanctum Iacobum de Compostella, cui & de nouo, vt dicitur additum est, votum dominæ nostræ Lauretanæ. Hæc Conclusio est omnium Doctorum communis, de qua videndus est supradictus Nauarro loco supracitato, num. 75. vbi inquit, quod quamuis nullius textus reperiatur, qui omnia dicta vota soli Papæ reseruet, præter votum in Hierusalem, per capit. *ex multa, de voto, iuncta gloss. singulari, verbo incumbit*, quinimo neque hoc, quando ex deuotione, & non in subsidium Terræ Sanctæ fit, secundum Panor. in dicto cap. *ex multa*, quem multi ibi sequuntur, tamen iuxta stylum Romanæ Curiæ, omnia supradicta quinque vota, sunt Summo Pontifici reseruata. Quod satis colligitur ex Extrauaganti Sixti IIII. cap. *etsi Dominici, de pœnit. & remiss.* Vnde secundum multorum opinionem, quicunque inferior ab aliquo istorum votorum tentaret absoluere, præterquam quod peccaret mortaliter, pœnam etiam excommunicationis incurreret, per dictã Extrau. quod quidem dictus Nauarr. non credit esse verũ, nisi in illis, qui ex facultate, vel concessione eiusdem Papæ Sixti IIII. absoluuntur, quoniam de ipsis ea tantummodo loquitur, vt sequutus Syluest. verbo, *excommunicatio*, 7. casu 32. & Ang. verbo, *excommunicatio*, 5. §. 31. suprad. Nauar. tenet super Extrauag. dictam. Videantur hac de re, quæ diximus supra quæst. 9. articulo 8.

Tertia Conclusio.

In reliquis autem votis præ supradictis principalibus, dispẽsare possunt Episcopi aliique Prælati Regulares, cum sibi subditis.

IN cæteris autem votis præter supradicta, generaliter possunt dispensare Episcopi cum sibi subditis & Prælati Regulares, Episcopalem vel quasi Episcopalẽ habentes iurisdictionẽ cum suis. Hæc Conclus. est omnium DD. communis, & eam tenet expresse D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. in solut. ad 3. & Mag. Soto, lib. 7. de iust. & iure. q. 4. art. 1. & 3. & Nauar. loco supracit. n. 75. & in c. 21. n. 21. & 22. quã dicit esse tenendam, etsi Panor. in cap. *propositi, de concess. præben.* supradictis solum cõmutandi potestatem concedat. Quod inquit Nauar. non est verum, propter ea, quæ ipse Panormit. in cap. 1. *de voto*, docuit. Et addit, quod Prælati inferiores Episcopis, non habentes iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem, nihil tale possunt efficere, secundum Innocentium in dicto cap. 1. *de voto*, communiter receptum ab Hostiense, & à reliquis iuris Doctoribus, nisi ad id præscriptione, vel particulari priuilegio muniantur, possunt tamen dicti Prælati, suorum Religiosorum vota irritare, vt amplius infra suo proprio loco dicemus. Quod solũ forsan fallere dicit in aliquibus Abbatibus, si sint exẽpti, qui etiã cum suis subditis poterũt in votis dispẽsare, quoniã ipsorũ iurisdictio quasi Episcopalis reputat, per glos. singularẽ, & cõmuniter recep

tam in Clementina 1. *de rebus Eccleſiæ*, alias verò minime, quidquid aliqui ſenſiſſe videantur.

Quarta Concluſio.

Ad diſpenſandum in ſupradictis votis, neceſſariò requiritur cauſa iuſta & rationabilis, & qui ſine ipſa diſpenſat peccat, nec diſpenſatus manet in conſcientia ſecurus.

AD diſpenſandum in ſupradictis votis, neceſſariò requiritur cauſa iuſta & rationabilis, & qui ſine ipſa diſpenſat peccat, nec diſpenſatus manet in conſcientia ſecurus. Hæc Concluſio eſt etiam omnium Doctorum communis, & eam tenet expreſſe D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. ar. 12. adeòque vera eſt, vt nec ipſe Summus Pontifex pro mera ſua voluntate, & ſine vlla iuſta cauſa vota poſſit diſpẽſare, aut commutare, vt expreſſe tenet ſuprad. Nauarr. in d. Manual. cap. 12. num. 76. quod & probat per Gloſſ. *ſingularem, in cap. non eſt de voto*, & inquit, quod diſpenſatus ſine iuſta cauſa etiam à Papa, nõ eſt in conſcientia ſecurus, per d. Gloſſ. & c. *non eſt de voto*. Ad quod probandum & confirmandum, adducit cap. *venientes, de iureiur.* vbi dicitur, quod in quocũque iuramento (id quod & de votis pariter intelligẽdum eſt) debet ſemper intelligi, ſalua auctoritate Summi Pontificis, vbi notat, quod non dixit ſalua ſua voluntate, vt recte etiam loco ſupra citato ponderauit D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. ſed ſalua auctoritate, nec prædictum capitulum innuit, vota & iuramenta non obligare ſi Papæ diſpliceant, aut ſi ſua Sanctitas contradixerit, ſed potius nullo iuramento aut voto, poſſe detrahi aut derogari, iuri & auctoritati prædicti Summi Pontificis, quo minus cum rationabili cauſa poſſit in illis iuſte diſpẽſare. Sed quænam ſit aut cenſeri debeat, hæc iuſta & rationabilis cauſa? Dicetur in ſeq. Articulo.

ARTICVLVS II.

Quænam ſit iuſta & rationabilis cauſa, ad diſpenſandum in votis?

Prima Concluſio.

Quælibet cauſa reddens cõplementum alicuius voti malum, aut inutile vel maioris boni impeditiuum, eſt ſatis iuſta & rationabilis ad diſpenſandum in ipſo.

VAlibet cauſa, reddens complemẽtum alicuius voti malum aut inutile, vel maioris boni impeditiuum, eſt ſatis iuſta & rationabilis ad diſpenſandum in ipſo. Hæc Concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 10, & 12. & Caietanus, ibi & Nauarr. loco ſupra citato, cap. 12. num. 76. in fin.

Secunda Concluſio.

Leuitas ſeu nimia facilitas, quã quiſpiam habuit in vouendo, ſufficiens etiã videtur eſſe cauſa, diſpenſandi in voto eius, qui vouit, ad exequendum illud quod vouit, vt poteſt ad eiuſmodi ſimile quidpiam faciendum, nam de ſimilibus ſimile eſt iudicium.

VNa etiam ex iuſtis cauſis, ad diſpẽſandum cum Religioſo in aliquo voto, eſt leuitas ſeu nimia facilitas quam habuit in vouendo. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Nauar. loco ſupracit. n. 77. & probat ea ex Panorm. in c. 2. *de voto*, & per ea, quæ dicit expreſſe textus ibidem. Idem tenet D. Ant. 2. p. tit. 11. c. 2. in prin. Quibus addunt prædicti DD. eſſe etiam iuſtam cauſam ad diſpẽſandum, imbecillitas

De aliis cauſis ſufficienti bus ad votorum diſpenſationem.

hiſce rebus recidi poteſt aut tradi certa omninò regula, quin verò relinquuntur Prælati & Superioris prudentis arbitrio, iuxta quorum pietatem atque prudentiam, prædicta omnia diffiniri & determinari debent, iuxta Panor. in c. 1. *de voto*, & idem tenet in c. ex *multa*, eod. tit. addens, quod ad diſpenſandum in votis, requiritur neceſſitas vel vtilitas publica, quod vltimum improbat Nauarr. loco ſupracit. n. 77 dicens, quod nõ neceſſariò requiritur vtilitas publica, ſed ſatis eſt quod ſit vtilitas priuata, arg. deſumpto ex c. 1. & 2. *de voto*. Sed difficultas eſt, an ſufficiat, ſitque idonea cauſa diſpẽſandi in aliquo voto, quod qui fecit illud, nequit ſine graui difficultate & moleſtia adimplere? Quã difficultatem mouet Soto, lib. 1. de iuſt. & iure, q. 7. art. 3. dubitatione vltima, de cuius mente & ſententia, propoſitæ difficultati, per ſequentem reſpõdeo Concluſionem.

Tertia Concluſio.

Si quis inconſulta prudentia, nec re ſatis perpenſa, votum ieiunij deuouit in pane & aqua, aut pedeſtrem peregrinationem ſuis viribus imparem, huiuſmodi temeritas, ſufficiens eſt cauſa diſpenſandi.

SI difficultas ſit in re ipſa, ſcilicet quia in conſulta prudentia nec re ſatis perpenſa, votum ieiunij deuouit in pane & aqua, aut pedeſtrem peregrinationem ſuis viribus imparem, huiuſmodi temeritas, ſufficiens eſt cauſa diſpenſandi. At verò ſi difficultas, non ex natura ipſius rei, ſed ex prauo habitu vouentis proficiſcitur, cum difficultas ipſa abſtinendi ab iniqua conſuetudine, cauſa fuerit vouendi, non eſt aut eſſe poteſt ſufficiens diſpenſationis & obligationis relaxandæ cauſa. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Sot. loco ſupracitato, vbi hac de re agit, & aſſignat aliquas alias cauſas, quæ ſufficientes eſſe poſſunt, ad diſpenſandum in votis, quæ de iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Prælati Regulares, ſuorum ſubditorum vota poſſint commutare?

Prima Concluſio.

Religionum Prælati optime poſſũt ſuorum ſubditorum vota cõmutare.

REligionum Prælati, optime poſſunt ſuorum ſubditorum vota commutare. Hæc Concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. & omnium Doctorum communis in 4. ſent. diſt. 38 vbi hac de re agunt, & Magiſt. Soto, lib. 8. de iuſtitia & iure, quæſt. 4. art. 3. inquit, quod generaliter loquẽdo, omnis ille, qui poteſtatem habet ad diſpenſandum in vota quod eſt amplius, habet etiam illam ad commutandum quod eſt minus. Sed Nauarro in Manual. cap. 12. num. 79. omninò tenet contrarium, & dicit quod ille qui non habet ampliorem auctoritatem, quam commutandi, non poteſt diſpenſare, & qui non pollet poteſtate niſi ad diſpenſandum, non poteſt commutare, quia iſta inter ſe ſunt valde diuerſa, & poteſtas & priuilegium diſpenſandi poteſt aliquid operari, abſque eo quod ad commutationem extendatur. Et addit quod opinio Soti ſupradicta, verum habere poteſt in illis, qui ſunt eiuſmodi auctoritatem ſortiti ex iure communi, & tanquam ordinarij, non autem in his, qui priuilegiorum vi & tanquam delegati eandem adepti ſunt, quod probat argumento deducto ex capit. *priuilegia*, diſtinction. 3. & capit. *ſane*, & capite *porro*, *de priuileg.*

Nota priuilegiũ ita eſt intel-

terpretandũ, vt aliquid operetur contra ius, eo tamẽ dato ſemper eſt reſtringendum & nõ ampliandum.

leg. & per notata in cap. 1. *de reſcriptis*, vbi poſt alios reſoluit Decius priuilegium ita eſſe interpretandum, vt aliquid operetur contra ius, ſed dato aliquo tali, in reliquis eſt reſtringendum, quia priuilegia ſunt reſtringenda per dictum cap. *porro*. Sed difficultas eſt, qualiter dicta commutatio à dictis Prælatis Regularibus ſit facienda? De quo ſit ſecũ da Concluſio.

Secunda Concluſio

Quid debeant Religionum Prælati, in cõmutatione votorum conſiderare.

RElegionum Prælati. in commutatione votorũ debent conſiderare & aduertere, vt illud in quod aliquod votum commutatur, ſit melius aut ſaltem æque bonum. Hæc Concluſio eſt generalis D. Thom. omniumque Doctorum loco ſupracitato, vbi inquiunt, quod tunc ſufficit quod ſit æque bonum, quando votum ex aliqua rationabili cauſa commutatur, tunc verò requiritur quod ſit melius, quando ſine aliqua cauſa, ſed ſolum ex mera voluntate facienda eſt commutatio. Sed aduerto, vt etiam dixi in principio Articuli primi huius Quæſtionis, quod quando Prælatus diſpenſat cum ſuo ſubdito (& idem eſt iudicium de quolibet alio, qui poteſtatem habet ſimul ad diſpenſandum & commutandum) vtendo partim diſpenſatione, partim verò commutatione, poteſt tollere & relaxare votum ſine cauſa omninò iuſta ad ipſum omnino relaxandum, & abſque eo quod loco ipſius imponat vouenti, ſeu illi qui votum emiſit aliquid aliud melius ſeu æquale, ſed minus eo quod vouit, vt diximus de mente Nauarri loco ſupracitato cap. 12. num. 63. in fine.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Religionum Prælati, ſuorum ſubditorum vota poſsint irritare, & quenam iure?

IAM ſupra diximus differentiam, quæ verſatur inter diſpenſationẽ, commutationem, & irritationem votorum, & ex parte quibus competat ſeu competere poſſit, quodlibet iſtorum. Sed nunc pro reſolutione ſuprapoſitæ difficultatis, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Summus Pontifex generaliter loquendo Religioſorum omnium vota poteſt irritare.

GEneraliter loquendo, Summus Pontifex Religioſorum omnium vota poteſt irritare. Hæc Concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto, lib. 7. de iuſtitia & iure, quæſt. 3. art. 1. cuius rationem reddit, quia Summus Pontifex eſt veluti Generalis; Prouincialis prior, ſiue Guardianus cunctorum Religioſorum, cui ſpecialiter ſunt ſubiecti, ac proinde omnium eorum vota iure optimo poteſt irritare, quod & communiter tenetur ab omnibus. Sed addit ſupradictus Soto, quod non poteſt idem Pontifex irritare vota ſecularium, quia inquit, licet habeat ſuper omnes fideles plenam iuriſdictionis poteſtatem, non tamen ſuper ſeculares habet poteſtatem dominatiuam, quæ requiritur ad irritandũ vota, ſicut habet illam ſuper Regulares. Sed hæc Soti opinio, reprobatur à doctiſsimo P. F. Michaele à Medina lib. 5. de ſacrorum hominum continentia, cap. 44. & 45. vbi dicit, quod in ordine ad fidem & ad Euangelium, omnes ſeculares pariter atque Religioſi, ſubduntur Summo Pontifici, atque ideò ſi quis ſecularis votum emiſiſſet, etiam intrandi in Religionem, quo inutilem ſe reddidiſſet ad fidei obſequia, dicit ſupradictus Doctor, quod poſſet Summus Pontifex, ſi hic homo ad propulſandos fidei hoſtes in bello, valde eſſet neceſſarius, eiuſmodi votum irritare, ipſumque ad ſumenda arma cogere: nam propter baptiſmum ſit Papa dominus voluntatis omnium Chriſtianorum, in ordine ad ſpiritualem finem. Sed re vera hoc non eſt ſimpliciter votum irritare, ſed tantum ſecundũ quid, & commutare ipſum in ordine ad altiorem finem. At Prælati Regulares, ſimpliciter irritant ſeu irritare poſſunt ſuorum ſubditorum vota, ex hoc ſolum quod ſunt Domini voluntatis eorum, quod etiam reſpectu ipſorum, ratione particulari & ſpeciali iure, poteſt facere Summus Pontifex, quod non concedit ſupradictus Soto reſpectu virorum ſecularium.

An Summus Pontifex ſecularium vota irritare poſſit.

Secunda Concluſio.

Religionum Prælati, iure ordinario irritare poſſunt, ſuorum ſubditorum vota.

RElegionum Prælati, iure ordinario irritare poſſunt ſuorum ſubditorum vota. Hæc Concluſio eſt omnium Doctorum communis, conſtatque ex c. *puella*, & c. *illud*, 20. q. 2. c. *mulier*, 32. q. 2. c. *manifeſta*, c. *nolunt*, 33. quæſt. 5. cum ſuis gloſsis, cuius rationẽ reddit D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 8. dicens, quod nullus qui alterius ſubditur poteſtati, votum poteſt emittere, quod ſit validum, in illis, in quibus ipſi ſubijcitur, abſque eius conſenſu & voluntate, quod ſi contrarium fiat, poteſt qui eiuſmodi habet dominatiuam poteſtatem, tale votum irritare idque pro mera ſua voluntate, ſine vlla alia ratione, & nullum ipſum reddere. Quod expreſſe tenet Innocent. in hoc communiter receptus, in cap. *ſcriptura, de voto*. Vnde ſi Religioſus quiſpiam emittat aliquod votum de his, quæ non ſunt ſuæ Regulæ, nec diuinis præceptis, aut ſuorum Superiorum ſtatutis contraria, quamuis eiuſmodi votum validum ſit, interim quod à ſuis Superioribus non reſcinditur aut irritatur, poteſt tamen ab ipſis pro mera ſua voluntate ſine vlla ratione irritari. Sed eſt aduertendum, vt optime aduertit Nauarr. loco ſupra citato cap. 12. num. 69. in fin. quod quamuis quoad effectum ne Monachus teneatur votum aliquod adimplere, ſatis ſit quod Superior illi iubeat ne faciat id quod vouit, aut nolit ſibi facultatem concedere ad id agendum, eſto prius non ſit certior effectus de voto ab illo emiſſo, attamen quoad effectum vt votũ ſit irritũ & inane, non ſatis eſt hoc, ſed neceſſariũ eſt præterea, quod Prælatus de voto ipſo iam præmonitus, ipſum voluntate & auctoritate ſua omninò caſſet, irritet & nullum faciat, vt optimè docet Caiet. 2. 2. q. 88. artic. 8. Hæc dicta ſunt de voto emiſſo ab aliquo Religioſo, de his quę ſunt bona licita & honeſta, nec ſuæ Regulæ, aut diuinis præceptis aut Superiorũ ſtatutis contraria, quod eſt validum quãdiu per Superiorem non irritatur. Secus eſt autem de illis, quæ fiunt contra

Nota hoc valde pro irritatione votorũ quæ communiter fiunt à Religioſis.

Nota quæ vota à Religiosis facta valeant, quæ vero non.

prohibitionem Regulæ, seu contra Prælatorum voluntatem, nam eiusmodi vota, non tenent nec valent, nisi Prælati consenserint, etiamsi Monachus ignoret rem aliquam esse à Prælato prohibitam, ac proinde cum nulla sint, irritatione non indigent, prout aduertit Soto, lib. 7. de iustitia & iure, quæst. 3. art. 1. dubio 3. & Nauarro in cap. *non dicatis*, num. 74. & Aragon, 2. 2. quæst. 88. ar. 8. conclu. 1. & 2.

Tertia Conclusio.

Religionum Prælati, irritare etiã possunt, suorum subditorũ vota, si quæ fecerunt de non committendo tale vel tale peccatum.

RElegionum Prælati, etiam possunt irritare suorum subditorum vota, si quæ fecerunt de non committendo tale vel tale peccatum. Hæc Conclusio ponitur contra Caietanum, asserentem eiusmodi vota à Prælatis Regularibus non posse irritari, quia inquit eiusmodi materia nõ est illis subiecta, ait nihilominus Caietanus, quod possunt Prælati eiusmodi vota in nomine Domini commutare. Sed contrariam omninò sententiam, tenet Soto, lib. 7. de iustitia & iure, quæst. 3. art. 1. & Nauarr. in Manual. cap. 12. num. 65. quia inquit quamuis Prælatus, non possit tollere obligationem quam subditus habet, ad non committenda illa vel illa peccata, ad quæ alijs legibus tenebatur, potest tamen tollere nouam obligationem, quam sibi ad id de nouo imposuit, non habens sufficientem libertatẽ absque suorum superiorum voluntate. Quantum enim ad spontanea, domini sunt Superiores, voluntatum suorum subditorum, ad quod habent etiam Prælati, priuilegium quoddam speciale Eugenij IIII. concessum Monachis sancti Benedicti Obseruantiæ Italiæ, quod refertur à Collectore priuilegiorum, in Compendio, verbo, *dispensatio*. §. 25. videatur ibidem.

Quarta Conclusio.

Omnia Religiosorum vota, quorũ materia nec in genere, nec in specie non est prohibita, valida sunt, quãuis á Prælatis irritari possint.

OMnia vota, quorum materia nec in genere nec in specie Religiosis est prohibita valida sunt, quamuis vt prædictum est, à Prælatis possint irritari. Hæc Conclusio est Nauarri loco supracitato, cap. 12. num. 67. vbi inquit, quod non debent existimari Religiosorum vota, esse nulla ac nullius vigoris & momenti, pro eo quod sint à Prælatis irritabilia, quin verò si nõ sint de rebus in genere aut in specie sibi prohibitis, valida sunt & ad sui obseruantiam obligant, quousque irritentur ab illis qui id ipsum possunt facere, etiamsi prius ea nunquam approbauerint. Et ratio est, quoniam semper fieri videntur, sub ea conditione si Superior non contradixerit, quæ quidem conditio semper impleta manet, donec Superior contradicat. Secus tamen est de votis, quæ ab ijsdem fiunt, de rebus sibi à Superioribus prohibitis, alioquin tamen licitis, nam eiusmodi vota non valent nec obligãt, donec Prælatus ea approbauerit, quoniam semper fieri videtur sub hac conditione, si videlicet Superior annuerit aut licentiam præstiterit. Quæ doctrina est Caietani loco supracitato, quo modo venit limitandum & interpretandum dictum Concilij Agathensis, quod habetur in cap. *Monacho*, 20. q. 4. vbi dicitur, quod Monachis non licet vouere.

Nota hoc valde pro votis, quæ fiũt á Religiosis.

Quinta Conclusio.

Superiores & Prælati, potestatẽ habentes irritandi & annullandi suorum subditorum vota, si postquam semel in ipsa consenserunt, sine iusta & rationabili causa, pro libito aut ex malitia illa irritauerint, peccabunt mortaliter.

SVperiores & Prælati, potestatẽ habentes irritandi & annullandi suorum subditorum vota, si postquam semel in ipsa consenserunt, sine iusta & rationabili causa, pro libito aut ex malitia illa irritauerint, peccabunt mortaliter. Hæc Conclusio adducitur à Nauarro loco supracitato, numero 73. & dicit eam esse Caietani, secunda secundæ, quæst. 88. arti. 8. & ratio est, nam quamuis irritare possint suorum subditorum vota pro libito, & absque vlla ratione & causa antequam approbentur, quoniam in hoc vtuntur iure suo, per cap. *puella*, capit. *illud*. 20. quæst. 2. cap. *manifestum*, 33. quæst. 5. at postquam semel consenserunt, non possunt ea irritare absque iusta & rationabili causa, & multo minus ex mera malitia, proprioque impulsu affecti, fingentes eiusmodi vota in maximum præiudicium vergere, cum tamen parum aut nihil, inde vergat damni siue nocumenti. Hoc multum pro irritatione votorum est notandum, valdeque memoriæ commendandum. Et licet non desint qui dicant, quod etiam à principio non possunt dicti Prælati pro mera sua voluntate suorum subditorum vota irritare, & quod contrarium faciendo sine aliqua causa ad minus peccant venialiter, quam sententiam tenet Soto, lib. 7. de iustitia & iure, quæst. 3. art. 1. & Sylvest. verbo, *votum*, & neque caret multo fundamento, nam ad minus eiusmodi irritandi actus esset otiosus & inutilis, teneret tamen dicta irritatio, nec peccarent subditi qui non adimplerent votum, perperam & sine causa irritatum, vt optime docet Caietanus loco supra citato. In casu tamen quo Prælati, bono aliquo fine præuiaque deliberatione & cum aliqua causa, suorum subditorum vota irritauerint, non peccabunt, nec mortaliter nec venialiter.

Nota hoc valde pro Prælatis Regularibus, an pro libito irritare possint, omnia suorũ subditorum vota

Sexta Conclusio.

Potestas & facultas, irritãdi suorũ subditorum vota competit Prælatis de iure diuino & naturali.

EIusmodi facultas & potestas irritandi vota, competit Prælatis de iure diuino & naturali, nam ratione voti Prælati efficiuntur domini volũtatis suorum subditorum. Hanc Conclusionem tenet expresse Magister Soto, lib. 7. de iustitia & iure, quæst. 3. art. 1. vbi miris eam atque efficacissimis rationibus comprobat, ostendendo qualiter Religiosi, postquam semel professionem emiserunt, ita per obedientiam astringuntur suorum Prælatorũ arbitrio, fiuntque ipsorum ac desinunt esse sui, vt iure naturæ non possint inde absque eorum iniuria, vllo modo suam voluntatem dimouere, non minus ac naturales filij, nihil valent efficere contra parentum suorum voluntatem. Quapropter, inquit, non modo tanquam spirituales Prælati, super subditorum suorum votis possunt dispensare, ex vi iurisdictionis, quam habent, verum etiam & tanquam veri domini suarum voluntatum, eorundem vota pro libito possunt irritare.

Nota hoc valde pro irritatione prædictorum votorum

ART.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Prælati Regulares, diſpenſare poſsint in votis volentium intrare ſuum Ordinem?

Concluſio.

Religionum Prælati, ex ſpeciali iure, & priuilegio diſpẽſare poſſunt in votis volentium intrare ſuum Ordinem.

RElegionum Prelati, ex ſpeciali iure ſiue priuilegio diſpenſare poſſunt in votis volentium intrare ſuum Ordinem. Probatur hæc Concluſio, nam ad id habent ſpeciale priuilegium, conceſſum ab Eugenio IIII. Prælatis Congregationis ſancti Benedicti, quo fruuntur, potiriq; poſſunt omnes Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis, quod quidem priuilegium habetur in priuilegiorũ Compendio, ver. *diſpenſatio.* §. 28. vbi dicitur, quod *Eugenius IIII. conceſſit Prælatis dictæ Congregationis S. Benedicti, perſonas volentes eorum Congregationi ſociari, quæ Religionem, locum & Ordinem alium quemcumque etiam arctiorem vouiſſent, tali voto non obſtante, ad probationem, profeſſionemq; recipere, eoſque auctoritate Apoſtolica ab ipſo voto abſoluere, & cum ipſis diſpenſare, dum modo in tali Religione ſeu Ordine, de quo vouiſſent, profeſſionem non emiſerint. Quod ſi tamen ante profeſſionem emiſſam ab ipſa receſſerint Congregatione, huiuſmodi diſpenſatio, nullius ſit roboris vel momenti.* Hæc cõceſſio magni eſt facienda, plurimique æſtimanda, nam virtute ipſius (vt videtur) Regulares Prælati diſpenſare poſſunt cum illis, qui emiſerunt votum ingrediendi (etiam Carthuſiam) vt ante ibidem profeſſionem emiſſam, intrare poſſint quemlibet Ordinum Mendicantium. Sed aduertendum eſt, quod ad id faciendum requiritur aliqua cauſa, quæ videatur legitima, nam Summus Pontifex non concedit niſi id quod habet & quod poteſt, & communis eſt ſententia, quod nec ipſe poteſt diſpenſare ſine legitima cauſa, vt aliquis Religioſus tranſeat ad Religionem laxiorem, vt tenet Panor. in cap. *non eſt de voto*, & Sylueſt. verbo, *votum.* §. 3. Sed cauſa eſſe videtur iuſta & rationabilis ad id, ſi quis putet & exiſtimet, ſe melius ibidem poſſe Deo deſeruire, quam in arctiori Religione. Qua de re videatur Soto, lib. 7. de iuſtitia & iure, quæſt. 4. art. 3. Aduertendum etiam eſt, quod ſupradicta procedunt, quando aliquis poſt emiſſum votum ſtrictioris Ordinis ſiue Religionis, ſe transfert in aliam laxiorẽ virtute ſupradictæ diſpenſationis; at quando non virtute diſpenſationis, ſed ex ſua voluntate, aut virtute alicuius communis priuilegij in aliam laxiorẽ ſe transfert, profiteturque in ipſa, licet profitendo ſatisfaciat voto (nam in quolibet voto ſolemni includitur & continetur votum ſimplex) non tamẽ liberatur à culpa mortali, quam commiſit intrando & ſuſcipiendo Religionem laxiorem, cum promiſiſſet ſtrictiorem, vt tenet D. Thom. 2. 2. quæſt. 189. art. 10. in ſolut. ad 3. & Nauarr. cap. 2. num. 48. Qua de re plura nos diximus in præcede. tomo q. 20. artic. 8. agendo de Nouitijs ante emiſſam profeſſionem in fine. Hæc de iſto Art. dicta ſufficiant.

Nota hoc val de pro iijs qui vouerunt ingredi Religionem aliquam ſtrictiorẽ, ingrediunturq; laxiorem.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Prælati Regulares, diſpenſare, commutare, atque irritare poſsint, ſuorum Nouitiorum vota?

Concluſio.

OMnia Nouitiorum vota, realia, perſonalia & mixta vt ſunt peregrinationes, includuntur & commutantur, in ſolemne Religionis votum, ita quod profeſſione emiſſa, in aliqua Religione per Sedem Apoſtolicã approbata, omnia ſupradicta vota ceſſant. Hæc Cõcluſio eſt expreſſa D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. & q. 185. art. 8. ad 2. & q. 189. art. 3. ad 3. & communis omniũ DD. reſolutio, de qua nos latiſſime egimus ſupra in præced. to. q. 25 art. 7. oſtendentes, qualiter omnia vota ſimplicia, includantur & cõmutentur in ſolẽne Religionis votũ. Cuius rei multiplices, appoſitiſſimas atq; efficaciſſimas adduximus cauſas & rationes, quas iterum referre breuitatis gratia omitto. Solummodo dico, quod inter ipſas omnes principaliſſima eſt, quia ſolemniter profitens, totaliter mundo moritur viuit autem Deo, ad quam vitam ſolemnis illa profeſſio dirigitur, quo fit vt ceſſante præterita vita, ceſſent etiam omnia vota in ipſa facta, non ſolum perſonalia & mixta, verum etiam & realia, quod maiorem difficultatẽ videbatur habere. Et ratio eſt, nam cum ipſa etiam ad regimen ſpirituale vitæ prioris fuerint emiſſa, & iſte finis iam ceſſet per tranſlationem profitẽtis in aliam vitam magis ſpiritualem (quod fit per emiſſionem ſolemnis profeſſionis) inde eſt quod etiam dicta vota realia, peracta profeſſione ceſſant. Sed quid dicendum eſt de iuſmodi votis, ante profeſſionem emiſſam, tenentur ne Nouitij ea dum exiſtunt in Religione, adimplere? Dico quod minime adimplere tenentur illa vota, quæ non cum ſuo ſe compatiuntur ſtatu, vt latius etiam diximus in præced. tomo loco ſupratitato. Quin verò etiamſi ſe cõpatiantur, nõ tenentur illa adimplere, ſed iure opt imo commutari & compenſari poſſunt, in eos labores & aſperitates, quas patiuntur in probationis anno, ſurgendo ad matutinas horas, aſſiſtendo prope ſemper in choro, vocali & mentali orationi intenti, & in ieiunia, diſciplinas, & mortificationes alias innumeras quas patiuntur. In quæ omnia, ipſorum vota in ſeculo facta, magiſtrorum ſuorum, ſiue Prælatorum auctoritate, tamquam in aliquid melius & magis Deo gratum, poſſunt commutari. Sed aduerto, quod Religionum Prælati, quamuis poſsint diſpenſare & commutare ſuorũ Nouitiorum vota, non tamen ea poſſunt irritare, vt optime dicit & notat Nauar. in ſuo Manual. ca. 12. num. 63. & 65. & ratio eſt, quia quando adhuc ſunt in Nouitiatu, non habent ſuper eos poteſtatẽ dominatiuam, ſicuti ſuper profeſſos, nec illorum voluntas tunc à dictorum Prælatorum & Superiorum pendet voluntate, argumento deducto ex ca. 1. & cap. *beneficium, de Regular.* lib. 6. Hactenus de iſto Articulo & tota Quæſtione.

Omnia vota Nouitiorum, realia perſonalia & mixta, includuntur in ſolemni voto Religionis, quod emittitur in profeſsione.

Difficultas, an Nouitij d in probatio exiſtũt, adimplere tenean tur illa vot quæ non cum ſuo ſe compa tiuntur ſtatu?

Nota hoc val de pro Magiſtris Nouitiorum.

QVAESTIO XXXIII.

De Prælatis Regularibus, quantum attinet ad facultatem absoluendi sibi subditos, á quibuscumque casibus, peccatis & censuris, in duodecim articulos diuisa.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Fratres teneantur de iure, suis proprijs Prælatis confiteri?

Prima Conclusio.

Omnes omniũ Religionum alumni & professores, de iure cõmuni tenentur, proprijs Prælatis confiteri.

OMnes omnium Religionum alumni & professores, de iure communi suis proprijs Prælatis tenentur cõfiteri, nec alteri quam ipsis aut de ipsorum licentia confiteri possunt, & confessio aliter facta, nisi ex speciali priuilegio aut in articulo mortis, est ipso iure nulla. Hæc Conclusio, est communis omnium Doctorum resolutio, & habetur expresse in Extrauagant. *inter cunctas, de priuileg.* Facit, & cap. *si Episcopus, de pœnit. & remiss.* quatenus habet, quod nulla consuetudine introduci potest, vt quis confessorem valeat sibi eligere, absque licentia sui Superioris. Quin verò eadem ratio generalis est, de omnibus in vniuersum Christianis & fidelibus, per ca. *omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Quod communiter intelligunt Doctores, tam iurisperiti quã Theologi, non solum de annuali confessione facienda proprio Prælato & non alteri, nisi de illius assensu & licentia, verum etiam de quibuscumque alijs confessionibus, quæ fieri non possunt, nisi proprio Parrocho, aut alteri de illius assensu & licentia, quod vt dixi, intelligendum est secluso aliquo Superioris priuilegio, quod habeat pœnitens aut Confessor, & extra casum extremæ necessitatis siue articulum mortis. Et ratio huius Conclusionis in promptu est, loquendo in communi & in generali, tam pro Religiosis quàm pro omnibus alijs fidelibus Christianis, nam absoluere est actus iurisdictionis, quam nisi in proprium subditum, nemo vllo modo exercere potest. Vnde quamuis Sacerdotes omnes in sua ordinatione, facultatem accipiãt absoluendi à peccatis, iuxta Concil. Trident. Sess. 23. cap. 15. & quia potestas super corpus Christi mysticum, deriuatur à potestate super corpus Christi verum, nullum tamen possunt absoluere, in quem ordinariam aut sub delegatam non habuerint iurisdictionem. Videatur hac de re D. Thom. in additionibus ad 3. partem, quæst. 8. art. 4. & 5. & Magister Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 1. 2. & 3. vbi hac de re lactissimè agit, & Sylvest. verbo *Confessor.* 1. num. 1. & 2. cum sequentibus, & Nauarro in suo Man. cap. 2. de confessione, nu. 1. cum sequentibus.

Secunda Conclusio.

Quod Religiosi non confiteantur nisi proprijs Prælatis, habetur etiam ex speciali priuilegio, quod habent ad hoc omnes fere religiones.

QVod Religiosi & Regulares proprijs Prælatis confiteantur, & non alijs nisi de ipsorum licentia, assensu & voluntate, est etiam de iure speciali omnium fere Religionum, quæ ad id priuilegium habent, vel vtuntur & fruuntur aliarum Religionum priuilegijs per communicationem. Hęc Conclusio, non aliter potest aut debet probari, quã adducendo & referendo eiusmodi priuilegia. Atque in primis, *Clemens IIII. inhibuit vniuersis Ecclesiarum Prælatis, & alijs quibuscumque, ne confessiones Fratrum Minorum præsumant eorum Prælatis inuitis audire, & eisdem Fratribus, ne aliquis eorum, nisi necessitatis vrgente articulo, alijs quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, vel alijs eiusdem ordinis Sacerdotibus, nisi secundum Regulam & ipsius ordinis instituta.* Habetur hæc concessio in Monumentis Ordinis, 1. impres. foli. 58. & 2. foli. 144. concess. 338. & idem habetur quoad Fratres Prædicatores in eisdem Monumentis 2. impres. fol. 238. concess. 563. & quoad Carmelitas, 2. impres. fol. 168. concess. 475. & refertur in Compend. priuilegiorum, verbo, *absolutio ordinaria, quoad Fratres.* §. 5. & 6. & verbo, *confessiones, & Confessores.* §. 1. idem priuilegium habent Fratres Eremitæ D. Augus. cõcessum per Innoc. VIII. quod habet in monu. 2. impres. fo. 264. cõcess. 683. & refertur in Compen. verb. vbi supra, vbi aduertit Collector quod huiusmodi concessio est iam cõmunicata toti Ordini, per Iuliũ II. vt habetur in eodem Compend. verb. *communicatio priuilegiorũ.* §. 22. Idem priuilegium habent Cistercienses, & Monachi Ordinis S. Bernardi Hispaniæ, prout refertur in ipsorũ Compend. verb, *Confessores.* §. 3. & 4. Hoc idem concessit Gregorius XIII. pro Religiosis Societatis Iesu, prout habetur in ipsorũ Compend. tit. *absolutio*, fol. 11. quæ omnia priuilegia iuri sunt cõmuni quã maxime consona & conformia, cum sicut dictũ est secundũ ius cõmune, nullus Sacerdos neq; secularis neq; Regularis, audire possit cõfessiones eorũ, in quo ordinariã aut subdelegatã nõ habuerit iurisdictionẽ. Sicuti igitur nemo audire potest cõfessiones fidelium alicuius Episcopatus, nisi ab Episcopo aut à Papa super fideles ipsos, actualẽ habuerit iurisdictionẽ, prout tradit Nauar. in Man. cap. 4. num. 1. & est cõmunis omnium Doctorum resolutio, ita etiam nullus Sacerdos, nec secularis, nec Regularis, audire potest confessiones Fratrũ alicuius Religionis, nisi vel à Papa vel à proprijs Prælatis, super ipsos actualem etiam habeat iurisdictionem. Vnde dico, quod Confessores approbati ab Episcopis, licet audire possint confessiones aliorum

Nota valde, pro confessionibus Religiosorum, nõ faciendis Clericis secularib⁹ sine licentia Prælatorum.

Pres-

Presbyterorum ſecularium, non tamen poſſunt audire, confeſſiones Fratrum cuiuſcumque Ordinis, niſi vt dictum eſt, ſuper ipſis prædictam habuerint iuriſdictionem. Dicit tamen ſupradictus Nauar. vbi ſupra, quod ad audiendas confeſſiones quorũcumque Fratrum, ſufficit approbatio ſuorum Prælatorum, cum conceſſione iuriſdictionis, nam quãuis in Concilio Tridentino, Seſſio. 23. capit. 15. habeatur, quod nullus Sacerdos etiam Regularis, ſecularium poſſit etiam Sacerdotum confeſſiones audire, aut ad id idoneus reputari, niſi per Epiſcopum Diœceſanum fuerit approbatus, hoc tamen (inquit) decretum locum non habet in cõfeſſionibus Religioſorum, qua ipſis poſſunt confiteri alij Religioſi, etiamſi ab Epiſcopis non ſint approbati, ſi habuerint ſuorum Prælatorum approbationem, cum conceſſione iuriſdictionis, ſicut fieri ſolebat antiquitus ante Concilium Tridentinum. Nam Cõcilium Tridentinum, hac de re nihil de nouo ſtatuit ſiue ordinauit, neque à iure antiquo eſt recedendum, niſi quatenus in nouo aliter inuenitur expreſſum, per l. *præcipimus. C. de appellat.* & cap. 2. *de tranſlatione Prælat.* Et quod in dicto Concilio Tridentino nihil circa hoc pro Religioſis innouetur, ſed ſolummodo circa audiendas cõfeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, cõſtat ex ipſius expreſſis verbis. Et ratio differentiæ eſſe videtur, quia ſeculares Sacerdotes, vt plurimum loquendo ſunt diſtractiores & negligentiores, in rebus ad ſuam conſcientiam ſpectantibus, quod non præſumpſit Concilium de Religioſis, qui vt plurimum ſunt circũſpectiores & diligentiores in his, & ita ceſſant prædicti Concilij verba, quin verò & ratio, qua ſola ceſſante, ipſa quoque ceſſant, per l. *adigere.* §. *quamuis. ff. de iure patr.* & *c. cum ceſſante, de appellat.* etiã ſi verba non ceſſauerint, quæ tamen vt diximus in prædicto caſu ceſſant.

Nota quod ad audiendas cõfeſſiones Fratrum, ſufficit approbatio Prælatorum ſuorum, cum iuriſdictionis conceſſione.

Nota quod á iure antiquo non eſt recedẽdum, niſi aliquid de nouo inueniatur determinatum.

Nota valde, quod ceſſante ratione legis, ceſſat & diſpoſitio ipſius.

ARTICVLVS II.

Vtrùm prædicti Fratres, ex præcepto & ſub mortali teneantur certis quibuſdam diebus confiteri?

NON eſt in votis in præſentiarum agere, de Generali obligatione qua cuncti Religioſi, & ſimiliter Clerici & ſeculares, tenentur ſemel in anno confiteri, vel antequam ad Sactamentum Altaris accedant, de qua agunt omnes communiter Doctores Scholaſtici, cum Magiſtro in 4. ſententiarum, diſt. 18. vbi videndus eſt Magiſter Soto, quæſt. 1. per quatuor continuos Articulos, de qua etiam agit D. Thom. in addition. ad tertiam partẽ, quæſt. 6. per ſex etiam continuos Articulos, & Sylueſt. verbo *confeſſio*, 1. num. 3. & Nauarr. in Manu. cap. 2. quod eſt de confeſſione, à num. 1. cum ſequẽtibus. Sed loquor de alia ſpeciali obligatione, quam dicuntur præ alijs habere Religioſi, confitendi certis quibuſdam diebus ſeu menſibus anni. Et ratio dubitandi eſt, nam in Clement. *ne in agro.* §. *hanc de Stat. Monach.* iubentur Monachi ſemel in menſe ſua peccata confiteri. Circa quam Clementinam, Cajetan. 2 tomo de confeſſione, quæſt. 1. & in paruis opuſculis, tomo 1. tracta. 5. quæſt. 1. inquit Monachos etiam nulla peccata mortalia habentes, tenere ad venialia confitenda, vt ſupradictum præceptum adimpleãt: quin verò & Nauarro in Manuali cap. 2. de confeſſione, numero 6. innuere videtur, omnes Religioſos ſaltim Ordinis ſanctiBenedicti, aſtringi ad confitendum ſua peccata duodecim vicibus in anno, id quod & expreſſius dicit capit. 21. numero 57. fundatus in ſupradicta Clement. *ne in agro*, quam & extendit ad Moniales cuiuſlibet Ordinis, dicitque eas peccare mortaliter ſi non id fecerint, allegando ad hoc Concilium Tridentinũ, Seſſio. 25. cap. 10. *de Regul.* Sed nihilominus in contrarium eſt veritas, de qua ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Religioſi & Regulares, de iure communi loquendo, & ſecluſo alio quo ſpeciali ſuæ Regulæ præcepto, non tenentur niſi ſemel in anno confiteri, niſi ſolũmodo ex æquitate & de conſilio.

REligioſi de iure communi loquendo, & ſecluſo ſpeciali aliquo ſuæ Regulæ præcepto, non tenentur ſub peccato niſi ſemel in anno confiteri, aut quando habent communicare, ſeu mortis imminet periculum, niſi ſolummodo ex æquitate, vel de conſilio. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Magiſter Sot. in diſt. 1. Sententiarum, diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. & 4. vbi hac de re latiſſime agit, & Nauarr. in cap. *placuit, de pœnit.* diſt. 6. num. 110. cum ſequentibus, quam & probant hac efficaciſſima ratione, quia ſecluſo ſpeciali præcepto Regulæ, non tenentur ad id, nec iure diuino neque ex iure Eccleſiaſtico humano, ac proinde nullo iure tenentur. Solum eſt difficultas, de dicta Clement. *ne in agro*, qualiter ſit intelligenda, & an ipſa omnes in vniuerſum Religioſos comprehendat, Religioſaſque pariter, an verò ſolummodo Monachos Ordinis ſancti Benedicti, pro quibus fuit conſtructa, & an ipſos obliget ad mortale, an verò etiam ſolum ad veniale? Et quidem Nauarr. locis ſupradictis, & maxime, cap. 21. nu. 57. ibi, tertiodecimo, in ea eſſe videtur opinione, vt credat prædictam Clementinã, Monachos Ordinis ſancti Benedicti, & Moniales cuiuſlibet Ordinis obligare ſub mortali ad communicandum, conſequenterque confitendum ſemel in menſe. Sed contraria ſententia communiter tenetur, tantummodoque id eſſe, & obligare de conſilio, etiam Monachos Ordinis ſancti Benedicti, vel ad ſummum ſub veniali. Ita tenet expreſſe Henriquez lib. 1. de Sacramento Pœnitẽtiæ, ca. 4. num. 10. in textu & in Gloſſa, & Soto in 4. ſententiarum, diſtinct. 18. quæſt. 1. artic. 3. ibi, neutiquam tamen, & Viualdus in ſuo libr. de Confeſſione, numero 51. Quod & potiori ratione & iure, dicendum eſt de alijs Monachis & Religioſis, & de Monialibus, quamuis ea de re ſpeciale habeant ſtatutum, non enim ſtatuta omnia obligant ſub mortali, ſed multa ſub veniali vel ad nullum peccatum obligant. Et ad locum quem adducit prædictus Nauarro ex Concilio Tridentino, Seſſion. 25. cap. decimo, ad id probandum, de cuiuſuis Ordinis Monialibus, reſpondeo quod ex eo potius ſequitur contrarium, cum ibidem Concilium nullum tale præceptum apponat, ſed ſolummodo præcipiat Epiſcopis, & cæteris Monialium Prælatis, vt in ſuis Cõſtitutionibus admoneãtur, vt ſaltim ſemel ſingulis menſibus, ſuorum peccatorũ confeſſionẽ faciant,

Nota pro confeſſione faciẽda à Monachis ſiue Monialibus ſemel in menſe, qualiter obligẽtur.

faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant. Vnde vt huic Articulo vltimam imponam manũ, reſolutiue dico, quod nec dictæ Moniales, nec Monachi qui dicuntur nigri, ſeu potius Ordinis ſancti Benedicti, & multo minus aliarum Religionũ alumni & profeſſores, ſecluſo aliquo ſpeciali præcepto, confiteri tenentur ſingulis menſibus ſub mortali, ſed ſolummodo ad ſummum ſub veniali, aut ex quadam honeſtate, decentia, & de conſilio, nam dicta Clement. *ne in agro*, vel tantum comprehendit ſupradictos Monachos nigros, vel quamuis extendatur ad alios, non obligat ſub mortali, ſed tantum ſub veniali, & nihil aliud innuitur ibidem: & vt dicitur odia reſtringi, fauores verò conuenit ampliari. An verò in caſu, quo dicti Religioſi ſiue Moniales, nullum habeant peccatum mortale, ſed ſolummodo venialia, teneantur eadem confiteri, prædicti præcepti adimplendi cauſa? dicetur in articulo ſequenti.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Religioſi ſiue Moniales ad implendum prædictum præceptum, ſiue conſilium de confitendo, aut in aliquo alio caſu, teneantur peccata venialia ſub mortali confiteri?

HAEC difficultas, multum celebris eſt apud Doctores Scholaſticos, agendo de cõfeſſionis materia & Sacramento Pœnitentiæ, & an omnes in vniuerſum fideles, ad adimplendum præceptum confitendi ſemel in anno, poſitum in cap. *omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* teneantur prædicta peccata venialia ſub peccato mortali confiteri? Qua de re videatur Sot. in 4. ſent. diſtin. 18. quæſt. 1. art. 3. vbi refert ſententiam & opinionem multorum Doctorum aſſerentium, quod dum quis nõn habet peccatum mortale, quod confiteatur, teneatur venialia confiteri, vt adimpleat præceptum Eccleſiæ de confitendo ſtatuto tempore. Hoc tenuit olim Richardus in 4. diſt. 16. art. 2. quæſt. 4. & D. Bonauentura, eadem diſtinctione, in 2. parte artic. 2. quæſt. 1. & Alex. Alenſis. 1. part. quæſt. 77. memb. 1. vbi in eadem ſententia perſiſtens, inquit, quod homo quantumcumqne perfectus, nullam habens peccati mortalis ſiue venialis conſcientiã, tenetur confiteri, non quidem propter præceptum diuinum (quod tantummodo obligat de mortalibus) ſed propter præceptum Eccleſiaſticum. Adeò quod dum nullius eſt conſcius peccati, tenetur Sacerdoti in genere confiteri, dicẽdo, ego ſum peccator, idque ad dandam gloriam Deo, & præſtandam obedientiam Eccleſiæ. Sed nihilominus hæc ſententia, nullatenus eſt tenenda, & contraria eſt communior & verior, de qua ſtatuitur

Concluſio.

PEccata venialia, quamuis aliàs legitima ſint cõfeſſionis materia voluntaria, ſalutareque conſilium illa confiteri, in nullo tamen caſu ſunt materia neceſſaria, & ſub mortali confitenda, etiam ratione adimplendi cuiuſcumque præcepti. Hanc Concluſionem tenet expreſſe ſupradictus Magiſter Soto, loco ſupracitato, concluſio 4. Et quantum ad primam partem, nempe, quod peccata venialia legitima ſint Sacramenti pœnitentiæ & confeſſionis materia, adeò de ſe patet cunctiſque eſt peruia vt probatione nulla indigeat. Hæc enim ſunt, quæ viri iuſti & boni, & omnes communiter Religioſi, vt plurimum confitentur. Cum etiam Sacramentum Pœnitentiæ, inſtitutum ſit in remiſſionem omnium peccatorum, & venialia verè ſunt peccata, liquidum profecto fit, quod ipſa ſunt ſufficiens & legitima Sacramenti Pœnitentiæ, & Confeſſionis materia, quamuis non neceſſaria, neque ex præcepto confitenda (vt dicemus) ſed voluntaria, multumque meritoria, vt pote quorum confeſſio, quia legitima eſt, gratiam auget, quin verò & aliquando primam gratiam confert, aut ſaltim conferre poteſt attrito, ſi aliquod habet peccatum mortale, cuius citra culpam fuerat prorſus oblitus. Præterquam quod prædictorum peccatorum venialium confeſſio, plurimum confert ad puritatem conſcientiæ procurandam, & ad cautelam nõ peccandi in futurum. Sed quod dicta peccata venialia, in nullo caſu, etiam ratione adimplendi cuiuſuis præcepti, ſint materia neceſſaria, & ſub mortali confitenda, probat multis & efficaciſſimis rationibus ſupradictus Soto, & primo dicit eam eſſe ſententiam D. Thom. 3. part. quæſt. 65. articu. 1. vbi ait, ad deletionem peccati venialis, nullum eſſe directe inſtitutum Sacramentum, cuius rationẽ reddit, nam Sacramenta omnia ad infuſionem gratiæ ſunt inſtituta, venialia autem peccata certum eſt, quod abſque infuſione gratiæ per actum charitatis poſſunt remitti. Id ipſum docet in eadem 3. par. quæſt. 84. art. 2. vbi inquit, quod Sacramentum Pœnitentiæ, non eſt contra peccata venialia principaliter inſtitutum. Eandem opinionem tenet Scotus, in 4. diſtinc. 17. & Durandus, ibidem, quæſt. 9. & Caietan. quæſt. 1. earum quas de confeſſione adiecit, ad tertiam partem, vbi ait, quod licet alia opinio ſit tutior, hæc tamen eſt verior. Quod ipſius dictum, reprehendit Soto loco ſupracitato, dicẽs, quod melius dixiſſet, quod confiteri libere peccata venialia eſt tutius, quam quod opinio ad id obligans eſt tutior, quia multos atque innumeros ingerit ſcrupulos. Sed quidquid de hoc ſit, ratione probatur Concluſio. Nam ad confitenda peccata venialia, non tenemur iure diuino, cum Sacramentum Pœnitentiæ teſte Diuo Hieronymo, *ſit ſecunda poſt naufragium tabula*, & peccatum veniale non eſt aut dici poteſt, perfecte ſpirituale naufragium, quia non frangit innocentiæ nauim, nec ſeparat à Deo, nec verò tenemur ad illa confitenda, ex iure humano Papali & Pontificio, per dictum capitulum, *omnis vtriuſque ſexus*, nam tantummodo loquitur de habentibus peccata mortalia, quæ confiteantur, vt ex ipſius verbis patet, ibi, *omnia ſua peccata*, quod quidem de mortalibus debet intelligi,

Peccata venialia, licet ſint ſufficiens confeſſionis materia, in nullo tamen caſu ſunt ſub mortali confitenda.

Nota valde, quantum proficiat peccatorum venialiũ confeſsio.

Nota quod peccatum mortale dicitur animæ ſpirituale naufragiũ, & pœnitẽtia ſecunda poſt naufragiũ tabula.

telligi, vt ibidem dicit Gloſſa: ergo nullo iure diuino, nec humano ad eadem confitenda tenemur. Alia plura argumenta ad id ipſum probandũ & confirmandum adducit ſupradictus Soto, quæ breuitatis gratia facio miſſa, & quia hæc res communis eſt omnium reſolutio, de qua videndus eſt Nauarr. in ſuo Manuali cap. 2. de confeſſione, num. 8. 9. & 10. & cap. 21. num. 7. & in *cap placuit, num. 110. de pœnitent.* & ſæpe alibi, & Henriquez lib. 1. de ſacramento Pœnit. cap. 4. num. 10. Vnde concludendo dico, quod ad confitenda prædicta peccata venialia, nec ſeculares, nec Religioſi, vllo modo ex præcepto & ſub mortali tenentur, etiam ratione adimplendi alicuius præcepti, niſi forſan ad id obligarentur ex aliquo ſtatuto, facto de eorundem Religioſorum conſenſu, tunc enim & in tali caſu, obligarentur eadem confiteri ſub veniali, vt dicit ſupradictus Henriquez, loco ſupracitato. Sed de hoc maior eſt difficultas ampliuſque inueſtiganda, quod fiet in Articulo ſequenti.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum fieri poſsit & ſit licitum ſtatutum, quo Religioſi & Regulares obligentur ad confitenda peccata venialia, & mortalia, aliàs confeſſa?

HAEc etiam difficultas multum celebris eſt, & inter Doctores Scholaſticos nimium hinc inde exagitata, de qua latiſſime agit Nauarr. in *cap. placuit, de pœnit. diſt.* 106. in annotatione ad primam Gloſſam, vbi diſcutit ſententiam & opinionem dictæ Gloſſæ, an ſcilicet poſſit quiſpiam lege aliqua Canonica, ad bis eadem peccata confitenda aſtringi & obligari? Et vt ex oppoſitione falſitatis ſiue ſui contrarij, veritas plenius eluceſcat, pro parte affirmatiua ſic argumentor: & primo, nam ad id poteſt quis, ſi velit voto ſe obligare, cum res ſit de ſe bona, & laude digna, per *cap. quem pœniet, de pœnit. diſt.* 1. ergo & poteſt ſimiliter lege humana aſtringi ad eadem peccata bis confitenda. Conſequentia inde patet, nam ad quod quis voto poteſt ſe obligare, bene etiam poteſt per obedientiæ præceptum aſtringi.

Secundo ſic argumentor ad idem, nam multorũ eſt ſententia, quod etiamſi quis intra annum peccata ſua Sacerdoti ſubdelegato confiteatur, tenetur etiam eadem proprio Parrocho poſtmodum cõfiteri, vt præceptum adimpleat Eccleſiæ, poſitum in dicto *cap. omnis vtriuſque ſexus*: ergo ſaltim in iſto caſu, ex lege humana eadem peccata bis quiſpiam tenetur confiteri. Ad quod etiam facit textus, vt quibuſdam videtur ſingularis, & à paucis cognitus in Extrau. *vices, de treuga & pace*, quæ habet, *Religioſos Mendicantes non debere prædicare, quod Parrochiani nõ teneantur, ſaltim in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri, quia (inquit) de iure tenentur.* Quibus verbis datur intelligi, tenere ipſos ad confitenda peccata, quæ ſemel Religioſis cõfeſſa ſunt, iterũ ſuis Parrochis in Paſchate. Ad quod etiam facit Extrauag. *inter cunctas*, Ioan. XXII. §. *cæterum, de priuilegijs*, vbi habetur, *monendos eſſe Fratres, vt in ſuis concionibus populum exhortentur, quod ſuis Parrochis ſaltim ſemel in anno confiteantur, aſſerendo id pertinere multum ad animarum profectum.*

Tertio ſic argumentor ad idem, nam hac de re ſtatutum eſt inter Monachos Ciſtercienſes, vt omnes ſemel in anno ſuis Abbatibus confiteantur ea peccata, quæ alijs confeſſarijs (etiam ſui Ordinis à ſuis ſuperioribus deputatis) prius confeſſi ſunt & ab eiſdem abſoluti, quod etiam ſtatutum in multis alijs Religionibus habetur etiam, vt ampliùs infrà dicemus: ergo aſſerendum eſt id eſſe licitum, optimeque fieri poſſe. Et quod eſt dictum de peccatis mortalibus bis confitendis, intelligendum perinde eſt, de peccatis venialibus ſemel neceſſario cõfitendis, in caſu, quo non habeantur mortalia, ad implendum eiuſmodi ſtatutum, ſiue præceptum. Vt autem quid hac in re tenendum ſit, breuiter dicamus, quæ ad hunc Articulum ſpectant, explicabuntur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Licitũ eſt fieri, poteſt ſtatutũ, quo Religioſi obligẽtur ad eadem peccata mortalia in fine anni proprio Prælato cõfitenda, ſed cũ moderatione ſequenti.

LIcitum eſt, fierique poteſt ſtatutum, quo Religioſi obligentur ad eadem peccata mortalia in fine anni proprio Prælato confitenda, ſed cum moderatione ſequenti. Hanc ſententiam & concluſionem tenet expreſſe Enriquez lib. 2. de ſacramento Pœnit, cap. 16. & 17. limitando eam cum hac conditione, vt eiuſmodi ſtatutum fiat cum expreſſo conſenſu ipſorum Regularium ſiue Religioſorum, in quo ſenſu & non aliter etiã illam approbat Nauarr. in *cap. placuit. de pœnit. diſt. 6. num.* 112. & in Manuali, cap. 9. num. 1. & probari poteſt, prædicta concluſio, primo ex facto, nam multi ſunt in Eccleſia Ordines & Religiones, in quibus habetur huiuſmodi ſtatutum, & in primis illud dicuntur habere Monachi Ordinis S. Benedicti, & etiam Ciſtercienſes D. Bernardi, ſimiliter & Carthuſienſes, prout refert Gerſon 2. tomo, tract. 5. de ſtatu Carthuſ. & alphabeto 25. litera f. quinvero & Pater Frater Ferdinandus de Caſtillo Prædicatorum Ordinis, lib. 3. Chronicæ B. Dominici, ca. 46. refert, quod Albertus Magnus cum eſſet ſuæ Religionis Prouincialis, ſimile in ea fecit ſtatutum de repetendis confeſſionibus ad finem anni, & de confitendo proprio Prælato omnia peccata mortalia, quamuis non eſſent reſeruata, à quibus aliàs per hebdomadas ſiue per menſes à proprijs confeſſarijs Religioſis directe fuerant abſoluti. Simile etiam ſtatutum refert Enriquez loco ſupracitato, haberi in Religione Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorũ, qui quidem omnes ad id obligari arbitratur, ſi eiuſmodi ſtatutum factum fuerit cum ipſorum ſubditorum expreſſo conſenſu, vt dictum eſt. Secundo probari poteſt eadem concluſio ratione, nam cum Religiones nihil ſint omnino aliud, quam ſcholæ quædam virtutis & perfectionis, certum eſt quod multa imponi poſſunt Regularibus & Religioſis onera, & præcepta de rebus difficilioribus, quæ alias ſint de conſilio reſpectu aliorum, poſſuntq; & ſolẽt Regulares prædicti in his, & in alijs ſimilibus rebus, renuntiare iuri ſuæ libertatis, cum totali abnegatione ſui ipſorum. Nam quo pacto per vota paupertatis & caſtitatis renuntiant omnibus bonis

temporalibus,propriæque ſuæ voluntati, carnalibusque delicijs aliàs licitis, eadem prorſus ratione,renuntiare etiam poſſunt iuri quod habere poterant, de non repetendis iterum in confeſſione peccatis mortalibus ſemel confeſſis, obligarique per ſtatutum ad eadem in fine anni,quantumuis legitime confeſſa & abſoluta, Prælatis ſupradictis confitenda & repetenda. Quod & hac ratione poteſt confirmari,& fit tertia & noua ratio,nam cum Confeſſores annuales, ſeu quibus Religioſi confitentur per annum(etiam eiuſdem Ordinis)non ex ſe ſuper ipſos habeant iuriſdictionem ſed tantum modo delegatã ab eiſdem Prælatis,quid obſtatquo minus ipſam ſibi poſſint tribuere, hac lege,pacto, & conditione, vt peccata ſemel eiſdem confeſſa, in fine anni iterum Prælatis ſupradictis confiteri teneantur? Etenim ſi ipſi ex ſe iuriſdictionem non habent,niſi delegatam(vt dictum eſt)& Prælati ad nutum poſſunt illam ab illis amouere,reſtringere, limitare,ſiue ampliare, quid obſtat quominus ob eandem rationem,prædictum ſtatutum poſſint cõdere & ſtatuere? Quibus & accedit quod cum Prælati (vt infra dicemus) facultatem & poteſtatem habeant caſus ſibi reſeruandi, concedere etiam(vt videtur)perinde poſſunt confeſſarijs delegatis iuriſdictionem prædictam ſub hoc onere & pacto,ſiue lege pactionali,vt á peccatis abſoluti, teneantur etiam ſubditi eadem peccata in fin anni prædictis Prælatis repetere,vt & tenetur quis dum aliquis eſt caſus reſeruatus, & ab ipſo indirecte abſoluitur. Certum eſt enim quod tenetur eiuſmodi poſtea comparere coram Prælato,iterumque confiteri eidem,aut ſaltim ab eo petere, vt ipſum abſoluat à prædicto caſu reſeruato. Hæc ſunt fortiſſima quæque argumenta,quæpro hac parte faciunt. Et aduertit ſupradictus Enriquez,quod ſi eiuſmodi ſtatutum fiat in Capitulo Generali,vt dicatur fieri cum Religioſorum ſiue Regularium conſenſu, ſatis eſt quod eiuſmodi conſenſus præſtetur à Prælatis,ius ſuffragij habentibus in eodem Capitulo nomine omnium,nec requiritur ſingulorum ſubditorum præſentium aut futurorum expreſſus cõſenſus, præſertim poſtquam à Papa fuerit confirmatum. Sic enim inquit, leges Concilij generalis à Papa confirmati,dum à Patribus eiuſdem Concilij nomine omnium acceptantur,omnes obligant, abſque illorum expreſſo conſenſu. Quod confirmat Nauarr. in dicto *capit. placuit,de pœnitentia,diſt.6. num.* 118. afferens ad id ſufficere conſenſum tacitũ vel implicitum,nec neceſſario requiri explicitum ſiue expreſſum,quia(inquit) qui Ordinem aliquem profitetur,tacite videtur velle ſe ſubijcere omnibus eiuſdem Ordinis & Religionis ſtatutis, & conſequenter tacite ſaltim videtur cõſentire ſtatũto, quo aſtringũtur eiuſdẽ Religionis alumni,ad eadẽ mortalia peccata bis,ſeu ſemel & iterum confitẽda,primo Confeſſario,poſtea vero Prælato. Et addu cit exemplum de eo, qui ſe Ordine ſacro initiare permittit,nam tacite obligatur ad ſeruandam caſtitatem, ſiue illud appellemus votum tacitum cum quibuſdam, ſiue vero legis obligationem ex illo conſenſu tacito reſultantem cum aliis, iuxta varias,quæ hac de re verſantur opiniones, relatas per Gloſſam,in *capit. de illo,diſt.*32: ergo illud omnino idem dicendum eſt in propoſito,de eo qui profitetur Religionem, in qua ſimile habetur ſtatutum.

Nota valde, pro conſenſu neceſſario ad faciendum in Capitulo aliquod ſtatutũ.

Nota quod qui ſacris initiatur, quãuis id ipſum nõ exprimat, facto ſuo obligatur ad ſeruandã caſtitatem.

Secunda Concluſio.

Etiã licite poteſt fieri ſtatutũ, quo Religioſi obligẽtur ad confitenda peccata venialia, ratione adimplendi ſtatuti.

NOn ſolum eſt licitum fierique poteſt ſtatutũ, ex expreſſo aut tacito Regularium ſiue Religioſorum conſenſu,quo obligentur ad eadem peccata mortalia bis confitenda,ſemelque confeſſa & abſoluta iterum in fine anni proprio Prælato confitenda,verumetiam & quo obligentur ad confitẽda peccata venialia,ratione adimplendi eiuſmodi ſtatuti ſiue præcepti,etiamſi ipſa non ſint neceſſaria,ſed libera ſacramenti Pœnitentiæ & Confeſſionis materia. Hanc concluſionem tenet expreſſe ſupradictus Enriquez,lib.1.de ſacramento Pœnitentiæ,cap.4.num.10.& lib.2.cap.16.& 17. à num. 1.cum ſequentibus, à qua ſententia non videtur diſcedere Nauarr. in dicto *capit. placuit,de pœnitentia, diſt.* in ſolutione ad quintum argumentum, nume. 121. & 122. quamuis eidem non multum expreſſe adhæreat. Sed quidquid de hoc ſit,pro hac concluſione faciunt omnes rationes & argumenta adducta ad probandam ſupradictam concluſionem. Sed dicit ſupradictus Enriquez loco ſupracitato, multũ differre obligationem repetendi peccata mortalia ſemel cõfeſſa ratione ſtatuti alicuius,ab eaqua peccator ex iure diuino tenetur cõfiteri omnia peccata mortalia,quia(inquit) ab eo præcepto diuino, quãuis cõtritus eſſet,nõ poteſt vlla diſpenſatione, aut commutatione à Papa liberari,& qui ob impedimentum aliquod fuit indirecte abſolutus per inferiorem ab aliquo caſu reſeruato,ceſſante eodem impedimento tenetur quærere directam abſolutionem, aut certe in mortis articulo illum caſum iterum confiteri,vt tunc directe abſoluatur: at vero qui ex ſolo ſtatuto & voto implicito ſeu pacto tenetur eadem peccata Prælato repetere,ſatis eſt ſi facta commutatione,illa dicat eidem extra confeſſionem,ad eum modum,quo qui directe in mortis articulo eſt abſolutus à reſeruatis habentibus annexam excommunicationem, ſatis eſt vt ſine cõfeſſione ſe præſentet Prælato & Superiori & peccata ſua manifeſtet,quia cum in mortis articulo directe fuerit à ſuis culpis abſolutus, non tenetur ea iterum ſubijcere aut confiteri Confeſſario, vt abſoluatur. Sic inquit, qui voto ſe aſtringit ad repetendas confeſſiones legitimas, ſeu legitime factas,aut ad confitenda venialia, poteſt facta commutatione, liberari à confeſſione eorum, ſiquidem non ſunt materia neceſſaria ſacramenti Pœnitentiæ.

Addit Enriquez ſupradictus, vbi ſupra, quod Prædicta omnia intelligenda ſunt, loquendo de poſsibili,ad hunc ſenſum, quod in rigore loquendo,fieri poſſet,licitumque eſſet eiuſmodi ſtatutũ, at de facto(inquit)non videtur ſtatuta prædicta ſi quæ facta ſunt in aliquibus Religionibus,obligare ipſarum alumnos ſub peccato mortali,ad repetenda eadem peccata Prælato,à quibus directe fuerũt abſoluti,nec etiam ad confitenda venialia. Et ratio eſt,quia ſi directe quiſpiam à proprio Generali ſeu á Papa fuiſſet abſolutus abſque eo onere,certum eſt quod teneretur repetere confeſsionẽ prædictam,in fine anni Prælato Monaſterij, ſed qui in

arti-

articulo mortis aut virtute alicuius priuilegij, directe abſoluitur à priuato Sacerdote vice Chriſti, non minus manet liber, quam ſi à Papa ſeu á proprio generali Prælato abſolueretur, cum quilibet Confeſſarius in his non reſeruatis, ſit ſupremus Iudex vice Chriſti: bene ergo ſequitur, quod præfata ſtatuta dictarum Religionum, non obligant ſuos alumnos de facto, ad confitendum iterum peccata mortalia Prælatis, à quibus fuerunt directe abſoluti, aut venialia ſub mortali. Nec inquit, dictis obſtant earundem Religionum priuilegia, quibus habent à diuerſis ſummis Pontificibus, vt Religioſi teneantur dicta ſtatuta ſeruare, nam interpretanda ſunt, mensque eorum limitanda eſt ad hunc ſenſum, quod ſicuti ſeculares tenentur ſemel in anno confiteri proprio Parrocho, ea nempe tantum peccata, de quibus non fuerunt per aliquem alium Sacerdotem legitime atque directe abſoluti, ita etiá & Regulares conſimilia peccata Prælatis prædictis teneantur confiteri, & ad id abillis compelli poſſint, non vero de alijs. Hæc ſupradictus Enriquez vbiſupra, & ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima.

Tertia Concluſio.

Modo de facto (vt dicitur) nullum eſt in aliqua Religione ſtatutũ obligans ſub mortali adite ſũ confitenda peccata ſemel cõfeſſa, neque abſoluta venialia, neque mortalia etiã ratione alicuius adimplendi ſtatuti.

MOdo de facto (vt dicitur) nullum eſt in aliquá Religione ſtatutum obligans ſub mortali repetere peccata mortalia, ſemel confeſſa & abſoluta iterum Prælatis, nec venialia neceſſario confiteri etiam ratione adimplendi alicuius ſtatuti ſiue præcepti. Hanc concluſionem tenet Enriquez loco ſupracitato libr. 2. de ſacramento Pœnitentiæ, cap. 17. nu. 5. quia inquit prædicta conſuetudo Prælatis confitendi, prout fatétur Prælati Ordinis Ciſtercienſis & aliorum Ordinum, iam diſſueuit & omnino ceſſauit, & Prælati ipſi detrectant ſuorum ſubditorũ confeſſiones audire, ne dum poſtea reos puniunt, haberi poſſint ſuſpecti de violato ſigillo ſacramenti Pœnitentiæ. Et quamuis in aliquibus Religionibus, etiam modo vigeat eiuſmodi ſtatutum, non (inquit) eſt credendum, quod obliget ſub mortali, ſed tantum ſub veniali, aut forſan ſolummodo erit de conſilio: quod maxime verum habet in illis Religionibus, quarum Conſtitutiones expreſſe habent, per eas non obligari quempiam Religioſorum ad mortale. Sed quidquid de hoc ſit, prædictus Nauarr. in dicto *cap. placuit*, non bene videtur ſentire de eiuſmodi ſtatutis, dicitque eiuſmodi leges eſſe duriſſimas & rigidiſſimas, & ò vtinam non plus ſatis, meritoque abolendas & è medio tollendas, vtpote quæ hac noſtra ætate, magis nocere poſsint quam prodeſſe, propter innumera, quę ex eiſdem ſequuntur inconuenientia, potius ſilentio obuoluenda, quam dicenda. Et de Prælatis qui nimium ſunt ſoliciti, pro audiẽdis ſuorum ſubditorũ confeſsionibus, & non de facili concedũt eiſdem ſuam auctoritatem, vt ab alijs poſsint abſoluit, male & praue ſatis ſentit dictus Nauarro, dicitque illos peccare: ad quod propoſitum mira quædam adducit verba D. Thom. in quarto ſententiarum, diſtinct. 17. quæſt. 3. artic. 5. quæſtiuncula 4. ad ſextum, vbi poſt alia in hæc ſequentia protumpit verba: *Peccauit Sacerdos, ſi non ſit facilis ad præbendã licentiam confitendi alteri, quia multi ſunt adeo infirmi, quod potius ſine confeſsione morerentur, quam tali Sacerdoti confiteantur.* Et ſubdit, *vnde illi Prælati, qui nimis ſunt ſoliciti, vt conſcientias ſubditorum per confeſsiones ſciant, multis laqueum damnationis inijciunt, & conſequẽter ſibi ipſis.* Hactenus D. Thomas.

Nota valde, quid ſentiat Nau. de eiuſmodi ſtatutis & de Prælatis nimiũ ſatagẽtibus ſcire ſuorũ ſubditorũ ſcelera & culpas.

Aduerte hæc notanda verba D. Thomæ

Ad argumenta in contrarium adducta, in initio Articuli, de mente ſupradicti Nauarri reſpondetur.

Ad primum concedendo quempiam poſſe ſe voto obligare ad id quod argumentum prætendit, in de tamen non infertur, quod lege humana aut ſtatuto ad idem poſſit aſtringi, ſine ſuo proprio conſenſu, & eſt ſimile de caſtitate, nam ad caſtitatem & virginitatem ſeruandam, poteſt quis voto ſe obligare, non tamen ad id humana lege aſtringi, quia vt inquit Diuus Ambroſius, & habetur in *capite. integras, 30. quæſtione. 1. res magis voti eſt, quam præcepti.*

Ad ſecundum reſpondetur, negando quod qui ſemel intra annũ ſua peccata Sacerdoti ſubdelegato legitime fuerit confeſſus, ab eiſdemque abſolutus, teneatur eadem poſtmodum proprio Parrocho confiteri, ratione adimplendi præcepti Eccleſiaſtici, nec vlla alia ratione. Nec Extrauagans ibidem adducta, ad hoc propoſitum quidquam facit, nec aliud dicit aut probat, quam Capitulum omnis vtriuſque ſexus, nẽpe quod tenetur omnis vtriuſque ſexus fidelis, ſemel in anno proprio Sacerdoti cõfiteri. Proprio, inquam, Parrocho, ſeu alij, qui de ipſius aut Superioris licentia, poteſtatem habeat & facultatem abſoluendi à peccatis. Videatur Nauarr. loco ſupracitato, nume. 117, nec aliud vult aut probat Extrauagans. *inter cunctas*, ſed tantum contendit id vtile eſſe, & eadem de re per Fratres debere fideles cunctos admoneri, tamquam quid vtile, non tamen tanquam quid neceſſarium.

Ad tertium de ſtatuto Ordinis Ciſtercienſis, aliarumque Religionum, quod eadem de re habetur, iam dictum eſt in Concluſionibus ſupradictis, & ipſarum probationibus & adnotationibus, quid ſit dicendum & tenendum. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Vtrum expediat interdum, à Religioſis fieri generalem omnium peccatorum ſuorum confeſsionem, ſemel aut bis in anno, ſeu in vita, ad idque obligari poſsint ſtatuto, in aliquibus Religionibus?

HAnc quæſtionem, latiſſime tractat ſupradictus Enriquez lib. 12. de ſacramento Pœnitentiæ, cap. 16. ad quod propoſitum multa dicit, ex quibus quæ veriora & probabiliora viſa fuerunt, reſoluentur breuiter per ſequentes concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Confeſsiones generales omnium peccatorũ interdũ fieri expedientiſsimũ eſt, quãdo de aliarum cõfeſsionũ integritate & validitate aliquis remanet ſcrupulus.

CONfeſſiones omnium peccatorum generales, quandoque fieri expedientiſſimum eſt, & maxime vbi aliquis remanet ſcrupulus de aliquibus peccatis minus bene confeſſis, aut de integritate & validitate præteritarum confeſſionum. Hæc cõcluſio receptiſſima eſt apud omnes, & eſt antiqua conſuetudo multarum, quin vero & fere omnium Religionum. In quarum ingreſſu ſtatim poſt aſſumptionem habitus, conſulere aut præcipi ſæpe conſueuit nouitijs & de nouo conuerſis, vt confeſſionem quandam generalem faciant ſuorum omniũ peccatorum, quæ exiſtentes in ſeculo commiſerunt, propter prædictum ſcrupulum vitandum, & ad pacandas & quietandas ipſorum conſcientias, vtque peccata ſua omnia præterita confiteantur, maiori cum animi deuotione & præparatione, cũ ſuis Magiſtris, viris doctis & expertis, & in hiſce rebus nimium exercitatis, qui cognoſcere valeãt omnes omnium peccatorum ſpecies & circunſtantias, & ipſorum grauitatem, & in quibus rebus cõuerſi ipſi teneantur ad faciendas aliquas reſtitutiones, ſiue ſatisfactiones, ſi quippiam in omni anteacta ſua vita meminerint ſe debere proximis, quos forſan verbo aut facto offenderunt. Cum hoc tamẽ ſtat, quod multorum ſit grauiſſimorum Doctorum opinio, non eſſe expediens autvtile, huiuſmodi generales confeſſiones iterum atque iterum multiplicare, dum omnia ſua peccata integre, & cum debita animi præparatione & diſpoſitione, Confeſſori alicui idoneo, docto & in hiſce rebus ſatis verſato & exercitato, ſemel fuerint confeſſa, propter inconuenientia innumera, quæ exinde multoties ſolent exoriri. De quibus inconuenientibus videndus eſt latiſſime Pater Frater Bartholomæus de Medina, in ſua inſtructione Confeſſorum, lib. 1. cap. 12 vbi hac de re agit, quin vero & Pater Frater Ludouicus Granatenſis Ordinis Dominicani, vir vndequaque perfectiſſimus, nec minus ſpiritualis, quã doctus & eruditus, in ſuo Memoriali, vulgari ſermone conſcripto, tractatu ſecundo, cap. ſecundo, vbi eadem de re agens, pœnitentes conſulit vt ſemel in vita ſuorum omnium peccatorum cum debita animi præparatione, confeſſionem generalem faciant, iuxta modum & formam ab eo ibidem illis præſcriptam, non tamẽ dicit illam pluries eſſe iterandam, nam id, inquit, ſine neceſſitate facere, & abſque vrgenti cauſa, non multis inconuenientibus caret. At in caſu quo idipſum facere expediret, maiorem difficultatem habet etiam in Religionibus, an ad ſubeundum huiuſmodi onus, poſſint earum profeſſores & alumni, ſub pœna peccati mortalis, ſtatuto aut lege aliqua obligari, & an eiuſmodi ſtatutum eſſet licitum & laudabile? De quo ſit ſecunda Concluſio.

An expediat, ſemel & iterũ generales confeſsiones multiplicare?

Secunda Concluſio.

Quid ſit ſentiẽdum de ſtatutis, quibus Religioſi aſtringuntur,

QVamuis damnare non audeam ſtatuta, quæ haberi dicuntur in certis quibuſdam Religionibus, per Sedem Apoſtolicam (vt dicitur) approbata, quibus earum alumni & profeſſores aſtringuntur & obligantur, vt in fine anni repetant ſuis Prælatis omnia peccata mortalia, quamuis nõ ſint reſeruata aut forſan venialia, à quibus per hebdomadas ſiue per menſes ſingulos, ab ordinarijs confeſſarijs etiam directe fuerunt abſoluti, non tamẽ verebor dicere, quod eiuſmodi ſtatuta his noſtris temporibus, non innumeris inconuenientibus careant, quibus occaſionaliter multis ſacrilegijs paratur via, ac proinde potius reuocanda quam practicanda. De huiuſmodi ſtatutis videndus eſt Enriquez, lib. 2, de ſacramento Pœnitentiæ, capit. 16. num. 1. & 2. cum ſequentibus, vbi plura ad hoc propoſitum dicit. Et tandem num. 6. & 7. multis demõſtrat, qualiter non peccant, qui in eiuſmodi generalibus confeſsionibus aliqua reticent peccata. Quod ſi hoc facere poſſunt, quid obſecro prodeſt, eiuſmodi ſtatuta & confeſsiones generales fieri, & ad eas faciendas cum tot inconuenientibus obligari? Nolo hac de re amplius quidquam dicere, aut immorari, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, ſolũ modo dico, quod conſulatur hac de re Nauarr. vir omni virtute, ſcientia & doctrina magna præſtantiſsimus, nec minus ſpiritualis quam doctus, in *ca. placuit, de pœnitentia, diſt. 6. num. 119.* vbi ſentit huiuſmodi ſtatuta & ſimilia eſſe penitus abroganda, & reuocanda, quæ de iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ad repetẽdas in fine anni ſuis Prælatis, peccata ſemel iã confeſſa & abſoluta.

Nota valde.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Religioſi itinerantes, poſsint quibuſcumque Confeſſarijs, Religioſis ſiue ſecularibus confiteri?

Prima Concluſio.

Religioſi itinerantes, de licentia ſuorum Prælatorum, ſed nõ aliter bene poſſunt quibuſcumq; Confeſſarijs, Religioſis, ſiue ſecularib⁹ confiteri.

SVpradicti Religioſi itinerantes, de licentia ſuorum Prælatorum, ſed non aliter, bene poſſunt quibuſcumque Confeſſarijs, Religioſis ſiue ſecularibus cõfiteri. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & habetur expreſſa in *cap. ſi quis, de pœniten. & remiſſ. in 6.* & ratio eius in promptu eſt, nam cum abſoluere à peccatis (vt pluries iam dictum eſt) actus ſit iuriſdictionis, exerceri non poteſt in non ſubditum ſiue in alienas oues, abſque ſuorum Paſtorũ & Prælatorum licentia & aſſenſu, abſolutioque aliter facta, eſt ipſo iure irrita & nulla ob defectum iuriſdictionis, de quo nulli dubium. Nec etiam eſſe poteſt dubium, quod Religioſi ſupradicti itinerantes, cõfiteri non poſsint alijs Religioſis eiuſdem Ordinis ſiue Religionis, niſi à ſuis Prælatis licentiam & facultatem habuerint, ad audiendas eorundem Fratrum confeſsiones. Licet enim ante Conciliũ Tridentinum, Sacerdotes ſeculares eligere poſſent in Confeſſorem quemlibet ſimplicem Sacerdotẽ, quod modo iam non poſſunt poſt dictum Concilium Tridentinum, ſeſsione 23. capi. 15. niſi ille talis Sacerdos, ſiue ſit ſecularis ſiue Regularis, ad id per Epiſcopum fuerit approbatus & idoneus reputatus, attamen quantum attinet ad Regulares & Religioſos, nec ante dictum Concilium Tridentinum, nec poſt, Religioſi eligere poterant aut poſſunt in Confeſſorem ſimplicem Sacerdotem, etiam Reli-

Religioſum eiuſdem Ordinis, niſi ad id à ſuis proprijs Prælatis fuerit approbatus, quæquidem conſuetudo ſemper viguit in omnibus bene ordinatis Religionibus, & vt credo viget hodie in cunctis Ordinibus, à qua nullatenus eſt recedendum.

Ad ſupradictos igitur Religioſos itinerantes reuertendo, dico quod dicta concluſio intelligenda eſt de Religioſis ſubditis, non vero de Prælaris, nã Prælati etiam inferiores vt ſunt Guardiani & Priores, ſine ſuorum Superiorum licentia, poſſunt ſibi eligere Confeſſorem, beneficio iuris communis, per *cap. ſi pro dilatione, de pœniten. & remiſſ.* quod hoc illis concedit (quidquid nonnulli dicant) de quo videatur Emanuel Rodericus 1. tom. quæſtionum Regular. quæſt. 20. art. 28. Sed loquendo de ſubditis & infimioribus, dico quod ſemper in cunctis Religionibus fuit in conſuetudine poſitũ, vt incipientes aliquod iter, prius á proprijs ſuis Prælatis facultatem expoſtularent, vt occurrente ſibi neceſſitate oblataque occaſione, Confeſſorem poſſent eligere, quam licentiam facillime ac libenter Prælati ipſi præſtant eiſdem, id quod & iure optimo facere poſſunt, cum ſit actus iuriſdictionis, propriasque oues, cui voluerint paſtori alias idoneo, poſſint committere. Sed Fratres Ordinis Prædicatorum, ad id habent ſpeciale priuilegium, conceſſum per Sixtum IIII. quod habetur in Monumentis Ordinis 1. impr. fol. 45. & 2. fol. 129. conc. 288. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio ordinaria quoad Fratres, §. 39. quod poſſint concedere Fratribus ſuis, vt dum itinerauerint, vel fuerint extra ſuos Cõuentus dumtaxat, valeant confiteri quibuſcumque Sacerdotibus Regularibus, ſeu ſecularibus, & quod ſimiliter id facere poſſint ipſi Prælati.* Hoc idem conceſſit Leo X. vt habetur in Supplemento fol. 94. conc. 301. & refertur in eodẽ Compendio vbi ſupra, §. 23. *nempe quod Fratres Prædicatores & alij Fratres, quando ſunt extra Conuentum & non poſſunt habere copiam Sacerdotis, quia non habent proprium Confeſſorem, poſſint confiteri peccata ſua alteri Religioſo alterius Ordinis, vel Presbytero ſeculari, dummodo hoc fiat ſine fraude & ditant Prælato ſuo.* Quæ quidem vtraque conceſſio, intelligenda eſt de Sacerdotibus Regularibus, ſiue ſecularibus alias idoneis, & approbatis à proprijs ipſorum Prælatis, ad hunc ſenſum, quod ſi Sacerdos fuerit Regularis, per proprium Prælatum ad audiendas ſaltem aliorum Religioſorum confeſſiones, ſit approbatus & expoſitus, ſi vero ſecularis, ſimiliter per proprium ſuum Epiſcopum ſiue Prælatum ad id muneris etiam ſit expoſitus & approbatus. Sed difficultas eſt, an ſat ſit quod Sacerdotes Regulares prædicti, per proprios Prælatos ad audiendas aliorum Religioſorũ confeſſiones, ſint expoſiti & approbati, an vero requiratur vlterius, quod ſint approbati per Epiſcopum diœceſanum? Quod eſt dicere an Religioſi itinerantes licentiam habentes à proprijs Prælatis, ad eligendum quemcumque voluerint Confeſſorem Regularem extra Ordinem, eligere poſſint eum qui tantum eſt approbatus à proprio Prælato pro audiendis confeſſionibus Religioſorum, non tamen ab Epiſcopo pro audiendis confeſſionibus ſecularium? Cui difficultati breuiter reſpondeo, & dico quod poſſunt eligere in Confeſſorem, eũ qui Confeſſor fuerit aliorum Religioſorum, quamuis ipſe non ſit Confeſſor ſecularium. Huius reſolutionis ratio eſt, nam Prælatorum licentia intelligenda eſt, regularique debet ſecundum ius commune & ex iure communi Religioſi non aſtringuntur, cõfiteri Confeſſarijs duntaxat per Epiſcopũ approbatis, id enim Conc. Trident. loco ſupracitato, tantum limitauit ad audiendas confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum. Quæ quidem exceptio, vt videtur, firmat Regulam in contrarium, & per illa verba datur intelligi, quod Religioſi àproprijs Prælatis duntaxat approbati, poſſunt alias aliorũ audire confeſſiones, ſecluſa quacumque Epiſcoporum approbatione. Sed aduerto, quod quamuis de iure ſupradicta vera ſint, nos tamen Minores Fratres ſpecialem habemus prohibitionem & inhibitionem à Clemente IIII. & à Bonifacio VIII. ne aliquis (excepto neceſſitatis vrgente articulo) alijs quam noſtri Ordinis Sacerdotibus ſecundum noſtram Regulam, noſtrique Ordinis ſtatuta, peccata noſtra confiteri poſſimus, vt habetur in Monumentis noſtri Ordinis 1. impr. fol. 58. & 2. fol. 142. conc. 337. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio ordinaria quoad Fratres, §. 5.* vbi & dicitur, quod idem habetur, quoad Fratres Carmelitanos in eiſdem Monumentis 2. impr. fol. 18 con. 475. & quoad Fratres Prædicatores 2. impr. fol. 238. conc. 536. Qua conceſſione fruuntur, perfruique poſſunt omnes etiã Religiones priuilegium habentes communicationis, & ſecundum ipſam ſine ſpeciali ſuorum Prælatorum licentia confiteri non poteſt quiſpiam Religioſus, niſi Religioſo ſui proprij Ordinis. Sed an eiuſmodi licentia debeat eſſe expreſſa, an vero ſufficiat præſumpta, valde controuertitur inter Doctores. Quidam enim dicunt non ſufficere præſumptam, ſed neceſſario requiri expreſſam, id quod & colligi videtur ex Concilij Lateranenſis diffinitione, vbi habetur, quod ad hoc vt aliquis confiteatur cum eo qui ſecundum ius & conſuetudinem toleratam, non eſt ſuus legitimus Confeſſor (quia nempe ſuper eum non habet iuriſdictionem) neceſſarium eſt quod priuſquam ipſi confiteatur, licentiam ad id á ſuo proprio Prælato obtineat. Sed contraria ſententia eſt probabilior, nempe quod ſufficit licentia præſumpta, quam tenere videtur Syluester, *verbo. Confeſſor, 1. num. 6. in octauo dicto, ibi, ſi Sacerdos in fine.* Videatur hac de re Pater Corduba ſuper noſtram Regulam, capit. 7. quæſt. 3. in primo puncto in fine. Sed maior eſt difficultas, an Prælati ſupradicti, licentiam & facultatem poſſint facere ſibi ſubditis, vt abſoluantur virtute generalis conceſſionis à peccatis reſeruatis, idque à quocumq; Sacerdote Confeſſore Regulari ſiue ſeculari? Cui difficultati reſpondeo per ſequentem Concluſionem,

Difficultas.

Nota pro Religioſis itinerãtibus, qualiter & quibus poſſint cõfiteri.

Secunda Concluſio.

IN Generali conceſſione facta Religioſis à Prælatis, vt poſſint eligere quem voluerint Confeſſorem, non comprehenditur abſolutio à peccatis reſeruatis, nec eiuſmodi facultas abſoluendi à reſeruatis, poteſt aut debet committi Confeſſario ſeculari. Hæc concluſio, quoad primã partem colligitur, ex *ca. fin. de procuratoribus*, vbi habetur, quod in conceſſione generali, non veniunt ea, quæ ſi ſpecialiter peterentur, non eſſent concedenda. Idem habe-

In generali cõceſſione facta ſubditis a prælatis, vt poſſint eligere cõfeſſorẽ, nõ conceditur facultas, vt abſoluãtur á reſeruatis, neque hoc committi debet alicui Confeſſori ſeculari.

habetur in *cap. ſi opus, de pœnit. & remiſſ.* Qua de re videatur Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 261. vbi inquit, quod Epiſcopus etiam concedendo ſuos caſus ſibi reſeruatos, non videtur concedere abſolutionem à cenſuris reſeruatis, cum à diuerſis non fiat illatio. Videatur etiam hac de re Emanuel Rodericus 1. tomo, quæſtionum Regularium, quæſt. 2. art. 27. Quoad ſecundam vero partem, eſt expreſſa ſententia ſupradicti Patris Corduba, ſuper Regulam noſtram Minorum Fratrum, capi. 7. quæſt. 3. vbi dicit literis Apoſtolicis eſſe cautum, vt in noſtro Ordine Minorum, abſolutio à reſeruatis Confeſſarijs extra Ordinem non committatur, & quod ita ordinauit Bonifacius VIII. prout continetur in cap. 7. ordinationum generalium Barchinonenſ. Nec etiam vllo modo credendum eſt, quod quiſpiam ſanæ mentis Prælatus, ſic indiſcriminatim ſuam auctoritatem concedat alicui ſibi ſubdito, vt abſoluatur à caſibus reſeruatis, præſertim Clericis ſecularibus, nec id vnquam fuit conſuetudine poſitum. Et certe conſuetudo hac in re multum præualet, vimque legis habet, eo præſertim cũ ſit de rebus honeſtis & neceſſarijs honeſtati & decori Religionis. Non enim conuenit peccata grauia, alijs extra Ordinem propalare aut reuelare. Sed præterea id eſſe videtur expreſſe contra noſtrã Regulam, vbi habetur loquendo de dictis caſibus reſeruatis, quod quando Fratrum quiſpiam in aliquem eorum incideꝛit, Miniſtri ſi Presbyteri ſunt cum miſericordia iniungant illis pœnitentiam, ſi vero Presbyteri nõ ſunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis. Vbi notãda ſunt valde hæc vltima verba, *per alios Sacerdotes Ordinis*, ex quibus colligitur, quod abſolutio à reſeruatis ſecundum Regulam fieri non poſſit aut debeat, niſi per Confeſſores noſtri Ordinis, non vero per Confeſſores ſeculares. Videatur Corduba, vbi ſupra. Nec prædictis obſtat, quod dicti Fratres itinerantes ſint Sacerdotes, neceſſarioque propter vitandum ſcandalum debeant celebrare, & per conſequens ante celebrationem confeſsionem omnium ſuorum peccatorum præmittere, iuxta Concilium Tridentinũ ſeſſ. 13. capit. 7. ac proinde debere præſumi in dicta generali conceſsione, intelligendam eſſe facultatem abſoluendi à quibuſcumque reſeruatis, vt ne contra Concilij præſcriptum, Religioſus indigne accedat ad celebrandum & communicandum. Nã dico, quod ſi eiuſmodi Religioſus extra Monaſterium ſe inuenerit, ſine expreſſa & ſpeciali licentia ſui Prælati, vt abſoluatur à caſibus reſeruatis, & ſine ſcandalo non poteſt non celebrare, in tali caſu (ſi adeo vrgens ſit neceſsitas) bene poteſt accedere ad celebrationem, non præmiſſa confeſsione, nam exiſtimandum de illo eſt, ac ſi non haberet copiam Confeſſoris, ſatisque illi eſt, vt procuret habere contritionem. Nam dictum Concilium, licet diffiniat ante celebrationem & ſacram communionem, præmittendam eſſe ſacramentalem confeſsionem, addit tamen conditionem, modo non deſit illi copia Confeſſoris. Et ſubdit, quod ſi neceſsitate vrgente Sacerdos abſque præuia confeſsione celebrauerit, poſt celebrationem quamprimum confiteatur. Iuſte ergo dicitur quod in dicto caſu, Religioſo prædicto deeſt copia Confeſſoris, neque in iuſte à Superioribus eſt illi talis facultas ad id denegata, ne peccata adeo grauia reuelentur extra Religionem.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Confeſſores per Prælatos Regulares deputati, abſoluere poſsint Fratres noſtri Ordinis, in aliquibus caſibus plenariè ab omnibus peccatis, excommunicationibus, pœnis, & cenſuris?

DE auctoritate & poteſtate, quam habent prædicti Regulares in communi, ad abſoluendum ſibi ſubditos ab omnibus peccatis, vtcumque grandibus, & à pœnis atque cenſuris, iam ſupra diximus multa, quæſtione nona, articulo decimo, agendo de poteſtate Generalis Miniſtri. In iſto autem Articulo, tantummodo agemus de auctoritate & facultate, quam habent Confeſſores Regulares, per ſupradictos Prælatos deputati, ad abſoluendum Fratres ſuos, ſemel in vita & iterum in articulo mortis plenarie, concedendique eiſdem indulgentiam plenariam, & remiſsionem omnium ſuorum peccatorũ, de quo ſit Concluſio.

Concluſio.

CONfeſſores Regulares noſtri ſacri Ordinis per Prælatos deputati, ſemel in vita & iterum in morte, facultatem habent abſoluendi plenarie Fratres noſtros, concedendique illis indulgentiã plenariam, & remiſsionem omnium ſuorum peccatorum. Hæc concluſio non aliter poteſt aut debet probari, quam adducendo ſpecialia priuilegia, quibus hoc expreſſe continetur. Et omiſsis multis alijs, quæ longum eſſet nimis velle in præſentiarũ recenſere, de quibus plena ſunt noſtri Ordinis Monumenta, & referuntur in Compendio priuilegiorum, *verbo, abſolutio ordinaria & extraordinaria, quoad Fratres*, per plures paragraphos, Sixtus Quartus, *conceſsit omnibus Fratribus Minoribus de Obſeruantia, præſentibus & futuris, tam profeſsis, quam nouitijs (qui tamen propoſitum habeant profitendi) necnon Sororibus Sanctæ Claræ & Tertiarijs vtriuſque ſexus, & Famulis, & Seruitoribus prædictorum omnium, vt quilibet eorum poſsit ſemel eligere Confeſſorem de eiuſmodi Obſeruantia, qui audita eius confeſsione, pœnitentiam ſalutarem iniungendo, abſoluat eos ab omnibus criminibus, exceſsibus & cenſuris Eccleſiaſticis, & diſpenſet cum eis in omnibus irregularitatibus, ſi quas forte contraxerint (homicidio voluntario, & mutilatione membri ſemper exceptis) & eis remiſsionem generalem, & plenariam omnium peccatorũ impartiri valeat, & quod idem poſsit in mortis articulo.* Habetur in Monumentis Ordinis 1. impr. fol. 64. & 2. fol. 68. conceſſ. 131. & in Supplem. fol. 96. conc. 341. & aduertit Collector in Compendio, *verbo, abſolutio extraordinaria quoad Fratres.* §. 5. quod licet hic Sixtus Quartus non excipiat irregularitatem ex bigamia prouenientem, debes

Cõfeſſores Regulares per Prælatos deputati, facultatem habent ſpecialẽ, vt ſemel in vita & iterũ in morte, Fratres noſtros plenarie poſsint abſoluere, eiſq; indulgentiã plenariam concedere.

debet tamen pro excepta ſemper haberi, qui eſt grauior reliquis ad diſpenſandum, & quia in alia conceſsione infrapoſita, *verbo, diſpenſatio*, §. 2. illam expreſſe excipit. Aduertit etiam, quod á caſibus reſeruatis Miniſtris, non poteſt quis per prædictam conceſsionem ſiue per aliam, ſine ſua licentia abſolui, & minus a cenſuris auctoritate Apoſtolica poſtea latis & reſeruatis. Hæc ſupradictus Collector, vbi ſupra. Et ſtatim in ſequenti §. 6. refert ſimilem aliam conceſsionem ſiue priuilegium eiuſdē Sixti Quarti, factum omnibus & ſingulis Prædicatorum & Minorum Ordinū profeſſoribus, qui tunc erant & pro tempore perpetuo erunt, qua conceſſit, *vt Confeſſor idoneus eorundem Ordinum, quem quilibet pro ſe de ſui Superioris licentia duxerit eligendum, eorundem confeſsione diligenter audita, pro commiſsis per eos exceſsibus & peccatis, ſemel in vita in forma confeſsionali per ipſum edita & in mortis articulo plenariam abſolutionē & peccatorum huiuſmodi remiſsionem impendere valeat, etiam ſi ante factā eorundem Ordinum profeſsionem eos decedere contigerit.* Habetur in Monumentis Ordinis 1. impr. fol. 65. & 2. fol. 148. conceſſ. 3ſo. & habetur in Compēdio vbi ſupra. Et aduertit ſupradictus Collector, quod iſtud intelligitur ſub forma confeſſionalis per ipſum edita, in quo reſeruantur certi caſus cuiuſdam Bullæ eiuſdem Sixti, quæ incipit: *Et ſi Dominici gregis*, & habentur in Summa, in eodē Compendio, *verbo, excommunicatio, notabili ſecundo.* Sed pro dicto articulo mortis habetur alia conceſſio Eugenij Quarti. *Qua conceſsit omnibus Fratribus Minoribus, ac etiam Nouitijs in Religione perſeuerare volentibus, quod poſsint eligere Confeſſorem idoneum, qui auctoritate Apoſtolica abſoluat eos in articulo mortis, ab omnibus peccatis & cenſuris Eccleſiaſticis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſiue ex alia quacumque cauſa proueniētibus, & plenariam omnium peccatorum indulgentiam largiatur, quam indulgentiam prædicti Fratres conſequantur, etiam ſi prædictum Confeſſorem eligere non potuerint, ſeu obliti fuerint, dummodo moriantur in ſtatu gratiæ.* Habetur in Monumentis Ordinis 1. impr. fol. 61. & 2. fol. 64. conc. 77. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio extraordinaria, quoad Fratres*, §. ſecundo, vbi etiam §. quarto, habetur aliud ſimile priuilegium eiuſdem Eugenij Quarti, vbi iterum concedit ipſum, addens, *quod ſi in illo reputato mortis articulo, dicti Fratres non deceſſerint, ſemper indulgentia prædicta, reſeruari intelligatur ad verum mortis articulum.* Habetur in Monumento Ordinis 1. impr. fol. 62. & 2. fol. 65. conce. 86. Sed adiecit ſupradictus Pōtifex, quod ne (quod abſit) propter huiuſmodi gratiam Fratres reddantur procliniores ad illicita in poſterum committenda, volebat, eratque ſuæ intentionis, quod ſi ex confidentia huiuſmodi aliqua forſan committant, ad talia prædicta indulgentia nullatenus ſuffragetur. Apposuitque præterea certam quandam conditionē, vt potiri poſsint prædicto priuilegio Fratres, quod ſinguli eorum, qui ſufficientis fuerint litteraturæ, per vnum annum à tempore quo conceſsione huiuſmodi gaudere voluerint, ſingulis ſeptimanis legitimo impedimento ceſſante, ſemel ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litanijs recitent, ſiue legant, alij vero non ſufficienter literati, aliasoratio nes teneantur dicere, iuxta ſuorum Confeſſorum arbitrium, prout animarum ſuarum ſaluti viderint expedire. Quod ſi forſan impedimento detenti, in dictis anno & ſepti manis, orationes prædictas cō mode dicere non potuerint, vel ex inaduertentia, aut obliuione omiſerint, ex tunc ina ia Septimana ſequentis anni, ſupplere teneantur. Circa quam conceſsionem aduertit Collector, quod eam poſtea Pius II. extendit ad totam familiam, de quo habetur tranſumptum licet non impreſſum, & ait, quod iſta conceſsione communiter non vtuntur Fratres, quia nolunt laborare in dicendis Septem Pſalmis, & quia credunt, quod quidquid in ea continetur, eſt ſibi alias ſine tali onere conceſſum. Habet tamen (inquit) dictum priuilegium vnum ſingulare, nempe quod indulgentia plenaria de dicto mortis articulo, ſemper intelligatur reſeruata pro vero articulo, quod eſt magni effectus & nullibi in noſtris priuilegijs reperitur conceſſum. Et etenim ſi huiuſmodi verba non apponerentur, dicta indulgentia non reſeruaretur, ad verum mortis articulum, cum in præſumpto ſuum iam fuerit ſortita effectum, prout contra Gerſonem tenet Corduba in ſuo quæſt. magno de indulgent. quæſtio. 38. & Nauarr. in Summa capit. 26. num. 31. Sed hoc ipſum de reſeruatione dictæ indulgentiæ pro vero mortis articulo, conceſsit Benedictus XIII. Monachis S. Benedicti de Obſeruantia, prout refertur in Cōpendio, *verbo, abſolutio extraordinaria, quoad Fratres*, §. 11. *vbi cōceſsit prædictis Monachis, pro articulo mortis Plenariam indulgentiam ſeu abſolutionem, & quod ſi infirmarentur & crederentur morituri (puta quia viderentur agonizare) & abſoluti plenarie iterum conualeſcerent, quod iterum in mortis articulo valerent abſolui.* Eandem indulgentiam pro dicto mortis articulo, conceſsit Innocent. VIII. Monachis Congregationis Calſinenſis Ordinis S. Benedicti, prout refertur in libro ſuorum priuilegiorum, & conſtitutionum eiuſdem Congregationis fol. 47. §. 1. & fol. 48. §. 2. addens, *quod Confeſſor ab eiſdem electus, in dicto mortis articulo, plenarie poſsit eoſdem abſoluere ab omnibus caſibus nullo excepto, cum omnimoda auctoritate, ac ſi in 1. lo caſu eſſet ſummus Pontifex, & eadem auctoritate eiſdem indulgentiam plenariam concederet.* Quæ quidem conceſsio magna eſt, plurimique æſtimanda, propter dicta verba ibidem apposita, *ac ſi in illo caſu eſſet ſummus Pontifex*: & quia in dicta conceſsione committitur dicta auctoritas cuilibet Confeſſori, abſque eo quod reſtringatur ad Confeſſorem proprij Ordinis, quod non reperitur in alijs. Quapropter virtute ipſius poſſunt Fratres in dicto articulo mortis, plenarie abſolui á quocumque Confeſſore etiam ſeculari, dummodo ſit approbatus ab Ordinario.

Non eſt ſilentio prætereunda quædam alia conceſsio Nicolai V. quæ refertur in Compendio Ordinis Diui Hieronymi, tit. indulgentia Plenaria, §. 7. *qua conceſsit, quod cum aliquis Fratrum in dementiam incurrerit, ſiue in lethargiam, vel amiſerit expreſsionem loquelæ, propter infirmitatem vel alias, antequam abſoluatur & illi fiat plenaria remiſsio, vel quia non fuit copia Confeſſoris, cum talis caſus ſeu ſimilis euenerit in dicto mortis articulo, quicumque Presbyteri ſeculares vel Regulares eū valeant abſoluere, & huiuſmodi omnium peccatorum ſuorum plenariam remiſsionem, auctoritate Apoſtolica poſsint & valeant illis impendere. Quod ſi talis infirmus ſuperuixerit, nihilominus dicta plenaria remiſsio, quotiesſibi facta fuerit, perinde valeat, ac ſi de eiuſmodi infirmitate decederet.* Hæc conceſsio magna eſt, plurisque æſtimanda.

Nota pro abſolutione, & indulgētia prædicta, reſeruāda pro vero mortis articulo.

Nota valde, pro his qui ex cōfidentia præ dictorū priuilegiorū peccāt

da. Quæ breuiter atque reſolutiue de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum abſolutus virtute dictorum priuilegiorum in mortis articulo, ſi non decedat, teneatur peccata reſeruata, iterum ſuo Superiori confiteri?

Quiſnam ſit, dicij; debeat mortis articulus?

AGna eſt lis & controuerſia inter Doctores, circa determinationem huius difficultatis, quiſnam ſit ac dici debeat mortis articulus? Quidam enim dicunt, quod ille dunta xat dicitur mortis articulus, in quo quiſpiam conſtitutus mortem non euadit: ſed vera opinio & reſolutio eſt, quod dici debet mortis articulus ille, in quo quiſpiam conſtitutus probabiliter timetur de ipſius vita, ſeu dubitatur eius mors à Medicis, ſeu ab alijs viris cordatis, etiamſi poſtea mortem euadat & conualeſcat, vt colligitur ex *cap. eos, de ſentent. excommun, in 6. & ex capi. quod de eis, eod. tit.* quod & tenet Abbas in *cap. paſtoralis, §. præterea, de offi. Ordinarij. num.* 3. & Bald. num. 4. & Nauarr. in Manuali, cap. 2. n. 8. Quæ de re videatur Cano, de pœnitent. 5. par. & Soto in 4. ſententiarum, diſt. 18. q. 4. art. 4. & Couarr. in *cap. alma mater. 2. part.* §. 11 *n.* 8. & Emanuel Rodericus 1. tomo quæſtionũ Regularium, quæſt. 62. artic. 7. Quo præmiſſo atque præſuppoſito, quæritur in præſentiarum. An abſolutus à peccatis & à cenſuris in mortis articulo, virtute ſupradictorum priuilegiorum, ſi non decedat, teneatur peccata reſeruata iterum ſuo Superiori confiteri? Cui difficultati reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Peccata in mortis articulo ſemel cõfeſſa, & virtute priuilegiorũ abſoluta, etiã ſi fint reſeruata, nõ tenetur quiſpiã ea iterũ Superiori confiteri.

PEccata virtute ſupradictorum priuilegiorum, in mortis articulo ſemel confeſſa & abſoluta, etiamſi fint reſeruata, non tenetur quiſpiam iterũ ſuo Superiori confiteri. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum. Et de ea videndus eſt Magiſter Soto in d. 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 4. ar. 4. in ſolutione ſecundi argum. vbi dicit hanc eſſe mentem & ſententiam D. Thom. quin vero ait, quod abſolutus in mortis articulo à ſimplici Sacerdote, abſoluitur ſubinde ab Eccleſiæ præcepto confitendi pro toto illo anno, & quod nõ tenetur iterum proprio Sacerdoti confiteri, ſed certiorem ſolummodo ipſum facere ſe fuiſſe confeſſum & abſolutũ. Et idẽ eſſe dicit D. Thom. de abſolutione ab excommunicatione, nam quacumque excommunicatione quiſpiam detineatur, ſi in mortis articulo ab ipſa abſoluitur, non tenetur ad Iudicem excommunicantẽ recurrere, vt iterum eum abſoluat, ſed ſatis eſt ſatisfacere debito, pro quo lata eſt excõmunicatio. Poſt quæ dicta verba, mouet ſupradictus Soto quãdam dubitationem, An ſcilicet prædictus abſolutus in mortis articulo ea conditione, vt reſtituat, ſi ſatisfacere noluerit, in eandem incidat excommunicationem? Et videtur (inquit) quod non in ipſam reincidat, poſtquam abſolutio ſimpliciter ei facta fuit, & D. Thom. non meminit de dicto relapſu. Sed vera reſolutio eſt quod reincidit, de quo extat expreſſum decretum Bonifacij VIII. in *capit. eos qui, de ſentent. excommunicat.* quo iubet, vt huiuſmodi per ſimplices Sacerdotes abſoluti in mortis articulo, ſi periculum euaſerint, cum primum potuerint ſe Iudici repræſentent ſatisfacturi, prout iuſtitia ſuadet, ne cenſuram eludant Eccleſiaſticã, quod ſi non fecerint, ipſo iure in eandem excommunicationis ſententiam reincidant. Sed hoc eſt ſpeciale in iſto caſu, quia remanet obligatio ſatisfaciendi parti. Attamen qui eiuſmodi obligationis vinculo non tenetur, poſtquam ſemel virtute dictorum priuilegiorum, legitime in articulo mortis fuerit abſolutus, minime tenetur iterum, ſe ſuo Prælato ſiue Superiori exhibere vt iterum eum abſoluat, poſtquam ſemel fuit ab eo abſolutus, qui pleno iure poterat illum abſoluere, & abſolutio illi præſtita fuit valida, nam ſemel extincta, nõ poteſt amplius reuiuiſcere.

Difficultas. Qualiter ſit abſolutio plenaria in articulo mortis faciẽda?

Sed modo inſurgit difficultas circa ordinem ſeruandum in dicta plenaria abſolutione facienda in articulo mortis. Circa quod breuiter dico tria, primum quod ipſa abſolutio neceſſario à Confeſſore facienda eſt, & in ipſa prædicta indulgentia plenaria concedenda. Etenim ſi non conceſſerit ei illam quamuis facultatem habeat & poteſtatẽ ad ipſum, non eam lucrabitur infirmus. Hoc tenet expreſſe Collector in Compendio, *verbo, indulgentia, in fine materiæ, in ſecundo notabili*, addens quod Fratres Minores & alij Mendicantes, potentes concedere in ſuis concionibus, ſuis auditoribus tot annos ſiue dies indulgentiæ, ſi non ipſas concedunt, non illas auditores ipſi lucrabuntur. Secundo dico, quod dicta indulgentia plenaria peccatorum omnium, nõ debet concedi antequam infirmus probabiliter videatur eſſe in extremis, ſed eo temporis momento, quo moraliter loquendo credatur ipſum iam non amplius mortaliter ad minus peccaturũ. Etenim ſi ante dictum tempus concedatur, poterit caſus contingere, quo mortaliter peccet, & poſtea dicta indulgentia non ei profit ad remiſſionem pœnæ, eiuſmodi peccato correſpondentis, & alia indulgentia ſiue ſatisfactione indigebit, quam forte in tam breui temporis momento, non ei poterit applicari, ſicque eiuſmodi pœnã in Purgatorio luet. At non in hoc Confeſſores prædicti, adeo eſſe debent circunſpecti, vt etiam expectent quod infirmi ipſi moriantur repente, & non poſſit illis dicta indulgentia concedi. Tertio & vltimo dico, quod quamuis forma ſeruanda in ſupradicta abſolutione & conceſſione indulgentiæ, communiter habeatur in confeſſionalibus, adducaturque à Summiſtis, quia tamen ſæpe Confeſſores ignari, multa ſolent inutilia & impertinentia adijcere, libuit in præſentiarum ipſam ponere & paucis explicare. Et præmiſſo quod pœnitens fuerit iam confeſſus, & petat vt à Confeſſore ſeu ab alio abſoluatur in virtute ſuorum priuilegiorum, ſecundum Summorum Pontificum intentionem, Sacerdos debet ſic dicere: *Auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, & auctoritate in hac parte mihi commiſſa & tibi conceſſa, ego te abſoluo, primo ab omni ſententia excommunicationis maioris, vel minoris, ſuſpen-*

Nota valde pro Prædicatoribus.

Difficultas. An abſolutus in mortis articulo ab excõmunicatione, ea conditione vt reſtituat, ſi id nõ faciat iterũ in excõmunicationẽ incidat?

De forma ſeruãda in abſolutione faciẽda in articulo mortis.

ſuſpenſionis & interdicti, ſi quam aut ſi quas contraxiſti, & diſpenſo tecum in omni irregularitate, vel irregularitatibus quomodolibet contractis, in quantum poſſum & valeo, & reſtituo te ſacramentis Eccleſiæ & vnitati fidelium. Item & eadem auctoritate te abſoluo ab omnibus peccatis tuis (in caſu quo ea fuerit confeſſus, & non prius abſolutus) *& concedo tibi indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium tuorum peccatorum, ſecundum Summorum Pontificum priuilegia. Quod ſi forte hac vice non moriaris, reſeruo tibi auctoritate prædicta iſtam indulgentiam pro vero mortis articulo, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti Amen.* Et hæc pro iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IX.

Vtrum præter dictas conceſsiones & indulgentias, ſint aliquæ aliæ, quibus Fratres per annũ per ſuos Prælatos, aut per Confeſſores ab eiſdem deputatos, plenarie poſsint abſolui?

Prima Concluſio.

Omnes Fratres noſtri Ordin. & aliorũ priuilegiũ habentium communicationis quatuor diebus in anno plenarie poſſunt abſolui.

OMnes Fratres noſtri ſacri ordinis Minorum, & communiter & generaliter loquendo, omnes Religioſi priuilegium habentes communicationis, quatuor diebus in anno quibus maluerint, ab omnibus ſuis peccatis & cenſuris plenarie poſſunt abſolui. Hæc cõcluſio eſt certa, in virtũte priuilegij & conceſsionis, quam fecit Leo X. Monialibus S. Claræ, quæ habetur in Supplemento fol. 93. conc. 290. & refertur à Collectore priuilegiorum, *verbo, abſolutio extraordinaria, quoad Fratres*, §. 7. in cuius fine inquit ſupradictus Collector, *quod placuit Sanctitati ſuæ, de benignitate Apoſtolicæ pietatis, concedere facultatem prædictarum Monialium Confeſſoribus, de licentia ſuorum Prælatorum eaſdem audientibus, quod ea plenitudine eas abſoluant & illi ſtatui innocentiæ reſtituant, cui Sanctitas ſua faceret, ſi ipſamet in confeſsione peccata auſcultaret, & quod poſt hoc eadem auctoritate Apoſtolica omnibus & ſingulis ſanctam benedictionem impartiantur nomine ſanctitatis ſuæ.* Hæc quidem conceſsio magna eſt, pluriſque æſtimanda ipſaque fruuntur omnes Fratres Minores, & quicumque alij Religioſi priuilegium habentes communicationis, vt amplius dicemus infra, cum hac de re agemus in propria materia. Formam vero ſeruandam in dicta abſolutione & largitione Papalis benedictionis, ponit dictus Collector vbi ſupra §. 10. & eſt quæ ſequitur: *Auctoritate tibi conceſſa & mihi commiſſa, ego te abſoluo, &c. & ſic plenarie illi ſtatui innocentiæ te reſtituo, quomodo Sanctitas Domini noſtri Papæ N. faceret, ſi in confeſsione tua peccata auſcultaret. Et eadem auctoritate Apoſtolica tibi impartior ſanctam benedictionem Papalem, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti Amen.*

De pluribus alijs diebus, quib⁹ Fratres plenarie poſſunt abſolui.

Secunda Concluſio

PRæter quatuor dies ſupradictos, poſſunt Fratres plenarie etiam abſolui, in omnibus diebus Domini Sabaoth, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis omniumque Sanctorum, & Apoſtolorum Petri & Pauli, ac S. Franciſci, & S. Claræ, & per totam maiorem hebdomadam. Hæc etiã conceſſio eſt ſupradicti Leonis X. facta eiſdem Monialibus S. Claræ, & ancillis B. Mariæ Virginis, ſub cura Minorũ Fratrum de Obſeruantia exiſtentibus, & habetur in Supplemento fol. 42. conc. 133. & f. 43. conc. 137. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 8. & 9. qua etiã conceſsione fruuntur, perfruique poſſunt omnes ſupradicti poſiti in præcedenti concluſione. Formã etiam ſeruandam in dictis abſolutionibus, ponit ſupradictus Collector loco ſupra citato, quæ eſt eadem cum præcedenti, & nihil continet de nouo, niſi ſolummodo dicere: Auctoritate tibi conceſſa, & mihi commiſſa, ego te abſoluo plenarie ab omnibus peccatis tuis, in quantum prædicta auctoritas ſe extendere poteſt, in nomine Patris, &c.

Tertia Concluſio.

Infeſto præterea S. Catherinæ, poſſunt etiã Fratres plenarie abſolui.

IDem Leo X. conceſsit omnibus Fratribus Minoribus Regularis Obſeruantiæ, quod ſemel in quolibet anno, vltra alias indulgentias, quas à Sede Apoſtolica habent, plenarie poſsint abſolui & indulgentiam plenariam conſequi, in feſto S. Catherinæ Virginis & Martyris. Habetur hæc conceſsio in Supplemento fol. 94. conce. 299. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 10. qua etiam perfruuntur propter eandem rationem & cauſam, omnes Moniales S. Claræ, & ancillę Conceptionis B. Virginis, & ſimiliter omnes Religioſi priuilegium habentes communicationis. Forma autem ſeruanda in dicta abſolutione, ponitur à ſupradicto Collectore vbiſupra, & eſt tenoris ſequentis: *Auctoritate tibi conceſſa & mihi commiſſa, ego te abſoluo plenarie ab omnibus peccatis tuis, in quantum huiuſmodi auctoritas ſe extendere poteſt, & concedo tibi indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, in nomine Patris, &c.* Circa dictas indulgentias nihil ſeſe dicendum offert, præterquam quod omnibus abſolutionibus, quibus poſſunt abſolui Fratres Minores, in die Beatiſsimi Patris noſtri Franciſci & S. Claræ, poſſunt vti & frui Fratres Prædicatores in die S. Dominici & S. Catherinæ de Senis, ſimiliter & Auguſtinienſes, in die S. Auguſtini & S. Monicæ, & idem eſt dicendũ de alijs aliarum Religionum Patronis, & Feſtis præcipuis.

Forma ſeruãda in hac abſolutione.

Nota pro Fratribus Dominicanis & Auguſtinianis.

ARTICVLVS X.

Vtrum Religioſi prædicti, vti & frui poſsint, abſolutionibus plenarijs ſupradictis, abſque ſuorum Superiorum licentia?

HAnc quæſtionem atque difficultatem tangit priuilegiorũ Collector, in Compendio, *verbo, abſolutio extraordinaria, quoad Fratres*, §. 10. & dicit, quod nonnulli Fratres decipiũtur, credendo quod poſſunt vti ſupradictis priuilegijs & gratijs, abſque ſuorũ Superiorũ licen-

licentia. Sed in contrarium eſt veritas, de qua & ſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Religioſi non poſſũt frui ſupradictis indulgẽtijs, plenarijsq; abſolutionibus, abſq; ſuorum Superiorum licentia.

REligioſi non poſſunt frui ſupradictis abſolutionibus plenarijs, & indulgentijs conceſsis à Leone X. abſque ſuorum Superiorum licentia. Hanc concluſionem tenet ſupradictus Collector vbi ſupra, & probat eam ex tenore dictarum conceſsionum. Nam in omnibus ipſis (vltima duntaxat excepta) ſemper appoſitum eſt à Summo Pontifice, quod ſolum poſſunt prædicti Fratres ſiue Moniales, ſic plenarie abſolui à Prælatis ſuis, vel à Cõfeſſoribus per eos deputatis, de eorũdem licentia. Et addit, quod ad omnem circa hoc ambiguitatem tollendam, ſcilicet quod abſque licentia Superiorum, & non quoruncumque, ſed Prouincialium, non poteſt quis præfatis abſolutionibus plenarijs gaudere, quoad caſus reſeruatos, notanda eſt, ac multum menti commendanda, quædam clauſula poſita in tabula Congregationis generalis Burdegalenſis, quæ eſt tenoris ſequentis, *Vt Fratribus iuxta regulæ puritatem, maior recipiendi ſacramentum Pœnitẽtiæ tribuatur occaſio, Reuerendiſsimus Pater Miniſter generalis, tam quoad Fratres, quam quoad Moniales, reuocat omnes gratias, facultates, confeſsionalia, & indulgentias, & quaslibet literas, ſub quacumque verborum forma, etiam à Sede Apoſtolica conceſſas, ſiue vigore Bullæ Cruciatæ, vel fabricæ Sancti Petri de Vrbe, aut quorumlibet Confraternitatum, pro quo ſunt in præiudicium caſuum Miniſtris reſeruatorum, declarando eſſe contra Sanctiſsimi Domini Papæ voluntatem, tam Fratres, quam Sorores, vti præfatis gratijs quoad confeſsiones faciendas de caſibus prædictis contra inſtituta ordinis, abſque licentia præfati Reuerendiſsimi Miniſtri Generalis, aut Prouincialium Miniſtrorum, & quouis modo ſit etiam irritum & inane, quidquid alias fuerit attentatum, & hoc vigore cuiuſdam breuis præmiſſorum declaratorij, ab Alexandro Papa olim conceſsi, & breuis ſpecialis Leonis Decimi, Reuerendiſsimo Patri Miniſtro generali miſsi, & in hoc Capitulo publicati.* Circa prædictam opinionem Collectoris, dicit Pater Corduba in additionibus ad Compendium, eodem *verbo, abſolutio extraordinaria, quoad Fratres*, §. 9. quod quantum attinet ad lucrandum indulgentias, & ſimiliter quoad abſolutiones à cenſuris, ſecundum quod conceditur in ipſis priuilegijs, bene poſſunt vti Fratres, ſaltem in foro conſcientiæ, præfatis conceſsionibus, ſine licentia ſuorum Prælatorum, non autem quoad abſolutionem à caſibus reſeruatis, Prouincialibus in Ordine Minorum, quia ſic declarauit Reuerendiſſimus Pater Frater Franciſcus de Angelis Miniſter olim Generalis, in quodam Capitulo Prouinciali Prouinciæ Caſtellæ, Toleti celebrato anno Domini 1524. præſente ipſo Patre Corduba, dicens, quod ſic erant intelligendæ conceſsiones præfatæ, non vero aliter.

Nota valde pro abſolutione á caſibus reſeruatis virtute ſupradictorũ priuilegiorũ quæ fieri nõ poteſt, abſq; licentia Superiorum.

Et hæc de iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XI.

Vtrum per dicta priuilegia, poſsint etiã Fratres abſolui ab irregularitatibus, ſeu potius cum eis in irregularitatibus diſpenſari?

Prima Concluſio.

Qualiter Fratres plenarie poſsint abſolui ab omnibus culpis & peccatis, virtute ſupradictorũ priuilegiorũ, in quatuor prædictis plenarijs abſolutionibus.

VIrtute primæ conceſsionis Leonis X. factæ pro quatuor plenarijs abſolutionibus prædictis, probabiliſsimum eſt, quod poſſint Fratres abſolui, non ſolum ab omnibus peccatis, verumetiam à quibuſcumq; cenſuris. Probatur hæc concluſio, per illa verba in dicta conceſsione expreſſe contenta, quibus dicitur, quod poſſint abſolui ea plenitudine & illi ſtatui innocentiæ reſtitui, quo Sanctitas ſua faceret, ſi ipſemet in confeſsione peccata auſcultaret. Quę certe verba magnam habent emphaſim & efficaciã in tantum vt dicant quidam, quod virtute dictarũ abſolutionum Religioſi contriti & debite confeſſi, non ſolum liberantur ob omni culpa, verumetiã & ab omni pœna, vtcumque pro peccatis debita, ac denique ab omni eo, à quo ipſe Summus Pontifex de plenitudine ſuæ poteſtatis eos poſſet liberare. Hoc enim ſonant verba prædicta, & ſignificat ſtatus innocentiæ, cui vt præmittitur, auctoritate Apoſtolica, per prædictas abſolutiones Fratres reſtituuntur. Videatur hac de re Emanuel Rodericus 1. tom. qq. Reg. q. 62. art. 12.

Secunda Concluſio.

In alijs autẽ feſtiuitatibus nõ ita plenarie abſolutio fieri poteſt, niſi in feſto S. Catherinæ.

VIrtute alterius ſeu aliarum conceſsionum eiuſdem Leonis X. pro alijs feſtiuitatibus (præter feſtiuitatem S. Catherinæ Virginis & Martyris) nõ eſt ita certum, quod Fratres ita plenariam indulgẽtiam ſuorum peccatorum conſequantur, quin aliquid pœnæ luendũ, per propriꝰ actus aut in Purgatorio remaneat. Ad hoc dicendum moueor, etiã propter verba in eiſdem conceſsionibus appoſita, quibus dicitur vt imponatur ipſis ſalutaris pœnitentia. Quæ certe verba aperte innuunt, indulgẽtiam quidem ſibi plenariam concedi omnium peccatorum, non tamen ita plenariam, quin aliquid pœnæ hic ſibi per proprios actus luendum, aut in Purgatorio remaneat. Dixi autem, præter abſolutionem, quæ ſemel quolibet in anno exhibẽda eſt in feſto S. Catherinæ, nã in dicta indulgentia plenaria & in ipſius conceſsione, nihil tale expreſſum reperitur, & ſic credi ac præſumi poteſt, quod nõ eadem ſit ratio de ea & de ſupradictis.

Tertia Concluſio.

In ſupradictis feſtiuitatibus nõ poſſunt Fratres diſpẽſari in irregularitatib⁹, virtute dictorũ priuilegiorum.

LOquendo de abſolutione ſiue diſpẽſatione irregularitatum crediderim, quod in prædictis feſtiuitatibus, virtute prædictarũ conceſsionũ, non poſſunt Fratres in irregularitatibus diſpenſari. Huius concluſionis ratio eſt, nam quamuis habeatur ibidem

ibidem, quod à peccatis plenarie poſſint abſolui, nulla tamen fit ibi mentio de abſolutione, ſiue diſpenſatione ab irregularitatibus & cenſuris, vt patere poteſt intuenti. Et præterea, quia quamuis ibi dem diceretur, quod poſſent abſolui virtute earũ conceſſionum à quibuſcumque cenſuris, multorũ grauiſſimorum Doctorum fert opinio, quod cenſurarum nomine, non comprehenduntur irregularitates, etiam contractæ ratione alicuius peccati ſeu culpæ, ac proinde per huiuſmodi priuilegia & conceſſiones, quin vero & per quaſcumq; Bullas Cruciatæ, non poſſe ſuper eiſdem diſpenſari, cum irregularitas non ſit cenſura, prout expreſſe tenet Soto lib. 5. de iuſtitia & iure, quæſt. 1. art. 4. & Nauarro in ſuo Manuali cap. 27. num. 191. cum ſequentibus, & Enriquez lib. 7. de indulgent. cap. 13. num. 6 & Sahagun, in *cap. at ſi Clerici, §. adulterijs, de iudicijs*, & Emanuel Rodericus tomo ſecundo quæſtionum Regularium, quæſtione 62. articulo 12. Videatur ibidem.

Circa abſolutionẽ ab irregularitatibus nota quod irregularitas nõ eſt cenſura, ſed pœna.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ſint aliqua priuilegia, per quæ Fratres Confeſſores diſpenſare poſſint, cum alijs Fratribus in irregularitatibus?

Nota circa materiã abſolutionis ab irregularitatibus ſeu potius diſpenſationis in eiſdem.

IAm ſupra quæſt. 8. diximus multa circa materiam diſpenſationis in irregularitatibus, per quatuordecim continuos Articulos, agẽdo de auctoritate & poteſtate generalis Miniſtri, ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis, in omnibus irregularitatibus quacumque ex cauſa prouenientibus (tribus duntaxat exceptis nempe homicidio voluntario, bigamia & membri mutilatione) & quod ibidem de generali Miniſtro eſt dictum, intelligendum ſubinde eſt, etiam de Miniſtris Prouincialibus, alijsque Prælatis ordinarijs qui quidem in hiſce rebus iure ordinario & ſpeciali ex noſtris priuilegijs, idem omnino poſſunt, in quibus non ſunt prohibiti. Sed quia in priuilegijs ibidem allatis, tantummodo fit ſermo & mentio de Prælatis, non vero de ſubditis, videndum reſtabat, eſſet ne aliquod priuilegium, quo ſaltem in aliquo caſu, idipſum facere poſſent Confeſſores ſubditi? de quo agendum eſt in præſenti Articulo. Vt igitur propoſitæ difficultati ſatisfaciam, ſequentẽ ſtatuo Concluſionem.

Cõfeſſores ſubditi, per ſuos Prælatos ad audiẽdas Fratrũ confeſſiones deputati, ſemel in vita poſſunt cũ eiſdem in omnibus irregularitatibus (tribus exceptis) diſpenſare.

Concluſio.

COnfeſſores ſubditi, per ſuos Prælatos ad audiendas Fratrum confeſſiones deputati, ſemel in vita cum eiſdem diſpenſare poſſunt in omnibus irregularitatibus, tribus ſupradictis duntaxat exceptis. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam adducendo priuilegium, quo eiuſmodi facultas ſibi conceditur, & habetur in Monament. Ordinis 1. impreſsion. fol. 61. & 2. fol. 64. conceſsione 85. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio extraordinaria, quoad Fratres*, §. 3. vbi dicitur, quod Eugenius IIII. conceſſit *Fratribus Minoribus Obſeruantiæ Prouinciarum Regni Caſtellæ, quatenus ſinguli Prælati dicti Ordinis, quocumque nomine cenſeantur, & Confeſſores per ipſos Prælatos deputati, vel pro tempore deputandi, ſingulorum Conuentuum, locorum, domorum & Eremitariorum huiuſmodi, poſsint ſemel tantum abſoluere, omnes & ſingulos Fratres profeſſos, Conuerſos atque Nouitios habentes propoſitum profitendi, necnon perpetuo donatos, oblatos præſentes & futuros, ipſorum Conuentuum, domorum, locorum & Eremitoriorum eiuſmodi, ab omnibus & ſingulis ſuis peccatis, exceſsibus & delictis, etiam quantumcumque enormibus, & à quacumque ſimonia, in Curia, vel alias vbicumque ante & poſt ingreſſum Religionis commiſſa, necnon à quibuſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti, alijsque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, Apoſtolica vel Sedis Apoſtolicæ Legatorum, Delegatorum, vel Subdelegatorum, ordinaria vel alia quauis auctoritate, etiam per Synodales aut Prouinciales, aut Generalium Conciliorum conſtitutiones, & quoſcumque proceſſus Apoſtolicos, & quaſcumque Extrauagantes, vel inxia ipſius Ordinis Regularia tuſtituta, quomodolibet promulgatis, in genere vel in ſpecie, ſi quas incurrerint ante & poſt ingreſſum Religionis, etiamſi talia ſint propter quæ Apoſtolica Sedes, expreſſe & ſpecialiter ſit merito conſulenda, necnon cũ ſingulis ſupradictis, ſuper quibuſcumque irregularitatibus & inhabilitatibus quouis modo contractis, in omnibus & ſingulis; etiam Sedi prædictæ ſpecialiter & expreſſe reſeruatis (bigamiæ, homicidij voluntarij, mutilationis membri, caſsibus duntaxat exceptis) ſemel ſimiliter diſpenſare, ac eos habilitare, vt non promoti ad ſacros omnes Ordines, & Miſſarum celebrationem promoueri poſsint, & ipſi promoti in eiſdem miniſtrare valeant. Et quod ad quaſcumque dignitates adminiſtrationes, & officia dicti Ordinis (etiamſi curam animarum habeant) recipi, illisque præfici & aſſumi, Apoſtolica auctoritate valeant & poſsint. Et voluit, quod ſi prædictas cenſuras, vel earum aliquam ignoranter vel inaduerenter incurrere contigerit, á talibus Prælati & Confeſſores ſupradicti, quoties opus fuerit & opportunum, abſoluere ac ſuper irregularitate vel irregularitatibus, ex talibus cenſuris poſtea celebrando vel prædicando, vel diuinis ſe immiſcendo vel alias contracta, vel contractis quoties opus fuerit, vt ſimiliter diſpenſare auctoritate prædicta valeant miſericorditer de gratia ſpeciali conceſsit.* Hæc vbi ſupra, quæ quidem conceſſio magna eſt. Circa quam ſunt aliqua aduertenda. Et primo, quod Eugenius Quartus videtur ſibi aliqualiter contraire, concedendo in principio generaliter, quod Confeſſores prædicti, diſpenſare poſſint in quibuſcumque irregularitatibus, & inhabilitatibus quoquomodo contractis, & dicendo poſtea in fine, quod diſpenſare poſſint in irregularitatibus ortis propter cenſuras ignoranter vel inaduertenter incurſas. Sed huius difficultatis vera reſolutio eſt, quod in primis irregularitatibus (exceptis tribus illis ibidem poſitis) temel tantum in vita diſpenſare poſſunt, in alijs vero incurſis propter ignorantiam ſeu inaduertentiam, non ſemel, ſed quoties opus fuerit.

Notandacirca conceſsionem prædictam.

Secundo eſt aduertendum, quod licet Eugenius IIII. fecerit ſupradictam conceſſionem, Fratribus Minoribus de Obſeruantia, Prouinciarum Regni Caſtellæ, poſtea tamen Pius II. eam extendit ad totam noſtram familiam Ciſmontanam, de quo habetur tranſumptum licet non impreſſum, vt aduertit Collector loco ſupra citato, §. 4. in fin. ſed ait,

quod voluit ſupradictus Eugenius, quod ad gaudendum conceſſione prædicta, dicantur ſemel à Fratribus ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, ſingulis ſeptimanis vnius anni, prout ibidem latius dicitur quæ eſt cauſa, ob quam Fratres communiter non vtuntur ea, quia nolunt laborare in dicendis ſeptem Pſalmis prædictis, & quia credunt quod quid quid in ea continetur, eſt alias nobis ſine tali onere conceſſum. Sed iam hodie huiuſmodi onus ſublatum eſt per participationem alterius conceſſionis, factæ per eundem Eugenium, Confeſſoribus deputatis vel deputandis in Monaſterio S. Mariæ de Guadalupe, vt habetur in Compendio ordinis D. Hieron. qua ipſis conceſſit illud ipſum, quod antea conceſſerat Confeſſoribus ordinis Minorum ad literam, prout habetur in conceſſione prædicta & ibi non appoſuit onus dicendi ſupradictos Pſalmos & Litanias. Licet enim eiuſmodi priuilegium fuerit particulare & ſpecialiter conceſſum pro Cõfeſſoribus S. Mariæ de Guadalupe & pro Fratribus eiuſdem Monaſterij, poſtea tamen per Pium IIII. & Pium V. deriuatum fuit ad omnia Monaſteria eiuſdem Ordinis, ſicque cum iam ſit priuilegium totius Ord. eo vti & frui poſſunt omnes alij Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis. Alia ſunt priuilegia conceſſa noſtro ſacro Ordini & Confeſſoribus ipſius, ad diſpenſandum cũ Fratribus, in omnibus irregularitatibus ſi quas forte contraxerint (exceptis ſupradictis tribus) & maxime in articulo mortis, quale eſt illud Sixti IIII. quod habetur in Mon. Ord. 1. imp. f. 64. & 2 fo. 68. con. 131. & in Sup. fo. 96. conc 341. & refertur in Comp. *ver. abſolutio extraord. quoad Fratres*, §. 5 ſed habet ſuas limitationes, vt patet ibidem. Sed per cõmunicationem frui poſſumus ampliſſimo quodam priuilegio, cõceſſo Ord. S. Hieron. in Hiſpania, quo quilibet Mendicantium, ſemel in vita diſpenſari poteſt in foro conſcientiæ, à Confeſſario per Superiorem deputato, ſuper irregularitate, quacumq; occaſione contracta. Habetur in lib. priuil. di. Ord. tit. 12. f. 36. & refertur à Collectore Comp. Societ. Ieſu, titu. diſpenſatio, §. 6. Circa quam conceſſionẽ eſt difficultas, An virtute ipſius diſpenſare poſſit in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario? & apparet quod nõ, quia per Conc. Trid. ſeſ. 12, de refor. c. 7. videtur ſublata eiuſmodi facultas, etiam Epiſcopis, ſed Emanuel Rode. 1. qq. Reg. q. 62. arti. 13. tenet contrarium, & quidem nimis probabiliter, dicẽdo quod in foro conſcientiæ, poſſumus nos vti dicto priuilegio, cum & in eodem foro cõſcientiæ, noſtra priuilegia etiam cõtraria prædicto Concilio Trid. ſint reualidata per Pium V. Hactenus de iſto Articulo ac de tota Quæſtione.

QVAESTIO XXXIIII.

De Prælatis Regularibus, quantum attinet ad poteſtatem & facultatem reſeruandi ſibi caſus & abſoluendi ab eis, in ſexdecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum Prælati Regulares facultatẽ habeant reſeruandi ſibi caſus?

Quidnã ſit caſus reſeruatus

ERro huius Articuli intelligentia, & vt paremus viam ad ea, quæ in ſubſequentibus ſunt dicenda, oportet breuiter præmittere aliqua, ſeu potius in memoriam reducere. Et dico primo, quod *caſus*, iuxta Calepinũ & omnes communiter Doctores, dicitur à *cadendo*, quod nomen generaliter & vniuerſaliter ſumptum ſignificat omnem inopinatum euentum, alicuius ruinæ, in quam miſer quiſpiam à fœliciori aliquo ſtatu decidit, at in propoſito vſurpatur pro graui aliquo crimine, cuius abſolutio Superiori reſeruatur, qui ſi fuerit Papa, dicitur caſus Papalis, ſi vero Epiſcopus Epiſcopalis. Apud Regulares autem caſus reſeruati, communiter dicuntur Prouincialium, nam generales vt plurimum, nullos ſibi ſpeciales reſeruãt caſus, Sed adnotare oportet, quod non dicitur aliquis caſus reſeruatus, ex eo ſolũmodo quod nõ quilibet Sacerdos eundem poſſit abſoluere, ſi ſuper pœnitentẽ ordinariã aut delegatam non habuerit iuriſdictionem, hoc enim cõmune & generale eſt omnibus peccatis & maxime mortalibus, vt luculenter oſtẽdimus in primo Arc. præce. Quæſt. vbi diximus, quod nullus Sacerdos ſiue Cõfeſſor, abſoluere poteſt non ſibi ſubditũ, & eum, in quem ordinariam aut ſaltem delegatã non habuerit iuriſdictionem. Licet enim (vt ibidem etiam diximus) Sacerdotes omnes atque Presbyteri in ſua ordinatione virtualem, ſeu habitualem facultatẽ & poteſtatem accipiant abſoluendi à peccatis, vt habetur in Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. & poteſtas ſupra corpus Chriſti myſticũ (quod eſt Eccleſia) deriuetur à poteſtate ſupra corpus Chriſti verũ, quæ eſt character Sacerdotalis, attamẽ ad hoc vt huiuſmodi poteſtatẽ exerceãt, per modũ actus ſecũdi, vt à Theologis dicitur, neceſſum eſt vt à Superiore proprias oues habẽte & poteſtatẽ ſuper eas, detur & tribuatur prius ſibi actualis iuriſdictio. Nõ igitur dicitur aliquis caſus reſeruatus, ob ſolã rationẽ prædictã, ſed quia ſublata eſt dicta iuriſdictio & poteſtas, abſoluẽdi ab aliquo caſu, ſeu ab aliquibus caſibus, etiã his qui ordinariam aut delegatã alias abſoluendi habebant poteſtatẽ & iuriſdictionẽ. Nã delegatio eſt volũtaria, & ideo ſicut poſſet omnino

non

non fieri, ita etiam poteſt ex parte fieri circa aliquas cauſas, & ex parte non circa alias, quæ proinde manebunt reſeruatæ; cum ille, cui delegatur iuriſdictio, ex ſe non habeat ius ad illas, ſed ab alio libere id ſibi concedatur, vnde fit, quod maior & minor poſſit dari voluntarie iuriſdictio. Hoc in de legatis Iudicibus & Confeſſoribus, nullam habet difficultatem, maiorem illam habere videtur in ordinarijs, ſed in vtriſque verum eſt quod dicitur, vt amplius patebit in ſequenti Concluſione. Ex ſupradictis conſtat, quod caſus reſeruatus eſt & dicitur ille, cuius abſolutio prohibita eſt iure humano non ſolum cuilibet Presbytero, qui iure diuino eo omnibus peccatis poterat abſoluere, iuxta illud Ioann. 20. *Quæcumque ſolueritis, &c.* verumetiam & Sacerdoti alias expoſito & approbato, qui ab aliis peccatis abſoluere poteſt. Hoc præmiſſo & præſuppoſito, ſit Concluſio.

Vera & propria diffinitio caſus reſeruati.

Concluſio.

CErtiſſimum atque conſtitutiſſimum eſt, quod Prælati Regulares, Epiſcopalē vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, poteſtatem & facultatem habent reſeruandi ſibi caſus. Hæc concluſio tenenda eſt tam quam de fide, cum fere aut ſaltem à rationis paritate, determinata ſit in Concilio Tridentino, ſeſſion. 14. capi. 7. vbi habetur de Epiſcopis idipſum ſibi licere, in propria cuiuſque diœceſi, & in canone 11. anathemantizantur, qui contrarium auſi fuerint aſſerere. Et rationem reddens ſupradictum Concilium eiuſmodi reſeruationis caſuum, inquit, ſanctiſſimis Patribus, magno pere ad Chriſtiani populi diſciplinam, ſemper viſum fuiſſe pertinere, vt atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſoluerentur, vt ſcilicet fideles ab eiuſmodi peccatis magis continerentur, ſaltem propter difficultatem obtinendi abſolutionē, & vt à proprijs paſtoribus ſiue Prælatis, melius corrigerentur & ad emendam iuuarentur. Hac ratione Papa, ſummusque Eccleſiæ Pontifex, pro ſuprema ſua auctoritate & poteſtate, aliquorum criminum grauiores cauſas, ſuo ſemper peculiari iudicio reſeruare conſueuit, alias vero iuri communi, ſeu Epiſcopis & ordinarijs Prælatis committere, qui etiam ratione prædicta, peculiares alias ſibi ipſis reſeruant, de quibus nihil liber in præſentiarum dicere, cum facile videri poſſint in Summiſtis. Solummodo dico ex eodem Concilio loco ſupracitato, hanc caſuum reſeruationem conſonam eſſe diuino iuri, & Sacræ Scripturæ auctoritati, & non tantum in externa politia, verumetiam & coram ipſo Deo vim habere. Sed tamen inquit Concilium pie admodum in Eccleſia ſemper cuſtoditū fuiſſe, vt ne hac ipſa occaſione aliquis periret, in mortis articulo quod nulla ſit alicuius peccati reſeruatio, quin vero in eo omnes Sacerdotes pœnitentes quoſlibet à quibuſuis peccatis & cenſuris poſſent abſoluere, extra quem articulum præcipitur ibidem, quod dicti Sacerdotes, cum in caſibus reſeruatis nihil poſſint, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos ſuos Iudices accedant, pro beneficio abſolutionis. Hæc Concilij vbi ſupra. Ad prædictos autē Prælatos Regulares reuertendo, cum Miniſtri Generales & Prouinciales (vt ſæpe ſæpius dictum eſt, & habetur in iure) iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem habeant, definiatque Concilij, hæreticum eſſe negare Epiſcopos poſſe ſibi caſus reſeruare, in foro interiori & in exteriori, idipſum conſequenter ſaltem à paritate vel ſimilitudine rationis, dicendum videtur de ſupradictis Prælatis. Atque ita in noſtris generalibus Conſtitutionibus, *cap. 6. §. de caſibus reſeruatis*, iubetur, *vt ſi quis cōtra ius auſus fuerit affirmare, & correctus palinodiam recantare noluerit, tamquam errans, & ſubuerſor puniatur, carceribusque mancipetur.* In fine huius Articuli aduerto, Prælatos prædictos, non ſolum communi iure vti ſupradicta reſeruatione, verumetiam ex ſpeciali & particulari priuilegio, quod in idipſum omnes fere Religiones habent, aut directe ſibi conceſſo, aut quo potiuntur & perfruuntur, per generale priuilegium communicationis. Sed nos Minores Fratres, habemus vnum Alexandri Quarti, quod habetur in Monument. Ordin. 2. impte. fol. 56. & in Supplem. fol. 3. conc. 2. & refertur in Compendio, *verbo, abſolutio ordinar. 2. quoad Fratres, §. 17.* quo declarauit & decreuit, *quod Generales & Prouinciales, ac Guardiani noſtri Ordinis, reſeruare ſibi poſſent caſus de occultis intra Religioſos, & quod abſoluentes à talibus poſt huiſmodi reſeruationem, nullam faciant abſolutionem & incidant in pœnam abſoluentium à caſibus non conceſſis.* Circa quam conceſſionem aduertit priuilegiorū Collector ibi ſupra in Compendio, quod præfata declaratio, ſeu decretum prædictum quoad Guardianos, non in ſuo permanet vigore, quia in Capitulo generali Aſſiſij celebrato, anno Domini 1526. ſequens ſtatutum auctoritate Apoſtolica fuit factū: *Ordinatur & mandatur auctoritate Apoſtolica, & totius Capituli generalis, quod nullus Guardianus poſſit ſibi aliquē caſum reſeruare, ſed ſolus Miniſter Prouincialis id poterit.* Quæ quidem conſtitutio ſiue ſtatutum, merito factum fuit, eſtque in ſe communi nimis conforme, nam cum Guardiani ſupradicti iuriſdictionem non haberent Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem, ſed inferiorem, correſpondentē Curatorum ſiue Parrochorum auctoritati, haud quaquam expediebat, vt ipſi etiam ſibi caſus reſeruarent. ſicut nec Parrochi, & Curati ipſos reſeruare poſſunt, ne res tanti ponderis & momenti, poſita eſſet in cuiuſuis voluntate. Sed de hoc latius dicemus ſtatim, hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

Certiſſimum eſt, quod Prælati Regulares Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalē iuriſdictionem habētes, auctoritatē & poteſtatem habent reſeruandi ſibi caſus.

Nota quod caſuū reſeruatio non ſolum in externa politia, verūetiā & corā Deo, vim habet.

In art. mortis nullus eſt caſus reſeruat⁹.

Nota quod Prælati Regulares, nō ſolū exdiuino iure verūetiam ex ſpeciali priuilegio caſus ſibi poſſunt reſeruare.

Soli Generales & Prouinciales reſeruare ſibi poſſunt caſus, non vero Guardiani.

ARTICVLVS II.

Vtrum Prælati Regulares, pro libito poſſint ſibi caſus reſeruare?

HAnc quæſtionem mouet Soto in quarto ſententiarum, diſtinctio. 18. quæſtione ſecunda articulo quinto, in ſolutione ad ſecundum argumentum, quæſtiuncula quadam inciden ti. Cui & breuiter ſubdiſtinctione reſpondet, & vt nos idem etiam faciamus, & cum maiori diſtinctione & claritate procedamus, ſequētes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si Confeſſores ſint delegati & nõ ordinarij, bene poſſunt Prælati, ab ipſis quoſcumque voluerint caſus reſeruare

SI Confeſſor ſit delegatus à Superiore, & qui nõ per ſe habet abſoluendi ordinariam poteſtatẽ, bene poſſunt Superiores Prælati, quos voluerint, caſus ſibi reſeruare. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, de qua videatur ſupradictus Soto, vbi ſup. & Suar. 4. tom. ſuper 3. par. D. Tho. diſpu. 28. ſect. 4. vbi ad hoc propoſitũ dicit plura eaque notatu digniſſima. Et ratio eius in promptu eſt, nam cum caſus reſeruatio (vt præmiſſum eſt) nihil ſit aliud quã ablatio, ſeu non conceſſio iuriſdictionis, ad abſoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia cõcedatur, & dictus Confeſſor, vt etiam præmiſſum eſt, per ſe ordinariam non habeat abſoluendi iuriſdictionem ſiue poteſtatem, quid obſtat quominus Superior pro libito, illam ſibi poſſit ampliare, reſtringere & limitare? Hac enim ratione Epiſcopi illam poſſunt limitare pro libito ſi voluerint, & eis expedire videbitur, Sacerdotibus qui non ſunt Parrochi, & ſimiliter Religionum Prælati ſuis etiam Sacerdotibus, cum nullam ipſi iuriſdictionem habeant, niſi illam quam á Superiore ſuſcipiunt, quã proinde Superior ipſe pro libito poteſt illis taxare & limitare.

Secunda Concluſio

Si Cõfeſſores ſunt parrochi aut ordinarij non pro libito Superiores, ab eiſdem caſus ſibi poſſunt reſeruare.

SI vero Confeſſor poteſtatem habet ordinariã, vt ſunt Parrochi ſeu Parrochiarum Curati, nõ pro libito ſed ex cauſa, poſſunt Epiſcopi illis iuriſdictionem limitare. Hæc concluſio eſt ſuprad. Soto, loco ſupraci. cuius & rationem reddit, quia ipſi ſunt ordinarij, quiproinde niſi impediantur ab omnibus poſſunt peccatis abſoluere, quam ordinariã poteſtatem cum non habeant ab Epiſcopis, ſed à iure diuino, non poſſunt ipſi Epiſcopi, illos ſua poteſtate priuare ſiue fraudare, niſi ex cauſa, & niſi communi bono idipſum viderint expedire, & idẽ dicendum eſt de Prælatis Regularibus, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus. Et addit Soto, quod tantus eſſe poſſit reſeruationis abuſus, vt Parrochi ipſi non tenerentur eiſdem parere, quinvero ipſis inconſultis ab illis etiam reſeruatis poſſent abſoluere, eo præſertim, quia nimiæ reſeruationes ſunt in magnum grauamen populi. Vnde inquit, magna prudentia adhibẽda eſt, & conſilium, ſuper huiuſmodi minutioribus caſibus reſeruatis, ne ſine cauſa inferiores inobedientes iudicentur. Quæ etiam doctrina eſt maxime notanda, & valde memoriæ commendanda, ab omnibus Religionum Prælatis. Sed tamen rationabili exiſtente cauſa, certiſſimum eſt poſſe Superiores Prælatos, reſpectu inferiorum, ſpeciales ſibi caſus reſeruare, etiam reſpectu eorum qui ordinariã habent iuriſdictionem. Quam doctrinam late proſequitur Suarez Societatis Ieſu, tom. 4. in tertiam partem D. Thom. diſputatione 29. ſect. 1. concluſ. 2 aſſerens, quod quamuis in poteſtate ordinis, omnes Sacerdotes ſint æquales, at in poteſtate iuriſdictionis ſunt valde inæquales, ac ideo etiam inter ipſos ordinarios paſtores eſt ſubordinatio in vtroque foro, prout ad bonum regimen Eccleſiæ viſum fuerit expedire. Qua (inquit) ratione, ſummus Pontifex reſeruat ſibi, ſemperque reſeruare conſueuit, ſpeciales caſus, reſpectu Epiſcoporum & quorumcumque Ordinariorum Prælatorum, & ſimiliter Epiſcopi reſpectu Parrochorum. Et idẽ eſt dicendum de Prælatis Regularibus ſuperioribus, reſpectu Guardianorum. Quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota quantũ ſit cauendum à reſeruatione caſuum, in rebus minimis, ſeu minutioribus.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus interni ſiue interiores, qui ſola cogitatione ſeu voluntate cõſummantur, poſſint à Superioribus & Prælatis Regularibus reſeruari, an vero ſolummodo actus externi & exteriores?

VT huius quæſtionis veritas plenius eluceſcat, volo difficultatem hanc hincinde diſcutere. Et videtur quod actus interni ſiue interiores, non poſſint à Superioribus & Prælatis reſeruari. Ratio eſt, nam vt dicitur, de occultis non iudicat Eccleſia, neque directe circa prædictos actus interiores habet iuriſdictionem, nec aliquid circa actus mere internos, per ſe poteſt præcipere, aut propter huiuſmodi peccata cenſuras aliquas poteſt imponere: ergo nec illa reſeruare. Prædictis omnibus accedit Eccleſiæ conſuetudo, quæ iamdiu ſemper obſeruauit, vt eiuſmodi peccata non reſeruẽtur: ergo, &c. Sed his nihilominus non obſtantibus loquendo de potentia abſoluta, in contrariũ eſt veritas. Procuius reſolutione ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

De poteſtate abſoluta loquẽdo, certiſſimum eſt poſſe Eccleſiam, etiam interiores actus reſeruare.

LOquendo de poteſtate abſoluta, certiſſimum eſt poſſe Eccleſiam, ac ſubinde Epiſcopos & Prælatos Regulares, interiores actus ſibi reſeruare. Hanc ſententiam & concluſionẽ tenet expreſſe Magiſt. Sot. in 4. ſenten. diſt. 18. q. 2. ar. 5. in ſolu. ad 2. arg. & eſt deſumpta ex Caie. 2. 2. q. 11. art. 3. & in Summa, tit. *hæreſis, & tit. bona Canon.* & idem Soto lib. 10. de iuſt. q. 5. art. 5. & Caſtro de iuſta hæretic. lib. 2. cap. 18. & de lege pœna. lib. 2. cap. 15. Nauar. de ſimonia, num. 20. & 21. & Couarr. in Reg. peccatum 2. par. in principio. Eandem tenet etiam Ledeſma 2. par. ſui quarti, q. 8. art. 2. dub. 10. & Suar. 4. tomo in 3. par. D. Tho. diſp. 28. ſect. 3. & ratio concluſionis eſt, nam omnis iuriſdictio in hoc foro, communicatur inferioribus per ſuperiores Paſtores, tam ad abſoluendum ab externis, quam ab internis culpis: ergo circa vtraſque poſſent ſi vellent, illam iuriſdictionem limitare, atq; ita peccata etiã interna ſibi reſeruare. Secũdo probatur concluſio nam licet Eccleſia in foro interiori nihil poſſit, circa prædicta peccata, ac ideo nec ſpecialiter illa prohibere aut punire valeat, tamẽ in hoc etiã foro, iuriſdictionẽ habet, vt de eis iudiciũ ferat, & ipſe peccator tenetur iure diuino ea deferre ad iudicium, & in eo eſſe accuſator ſui ipſius, & teſtis contra ſe ip-

ſe ipſum, quod cum ita ſit, quid obſtat quominus poſſit Eccleſia iudicium de prædictis peccatis etiã internis, deſignatis iudicibus committere, cũ hoc non ſit iuriſdictionem in actus interiores exercere ſed illam non alteri conferre? Cum enim omnis Ecclesiaſtica iuriſdictio, vt de ſe patet, originaliter deriuetur à Chriſti Vicario, certum eſt quod ſi ipſe abſolute diceret, nolo vt quiſpiam facultatem & poteſtatem habeat abſoluendi eum, qui etiam mente, in aliquod grauiſſimum hoc, vel illud, aut hæreſis crimen inciderit, quod talis reſeruatio teneret & de hoc nulli dubium. Sed nihilominus, quamuis id ſit verum, de potentia abſoluta loquendo, non tamen poſitum eſt in praxi, vnde ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

De facto loquendo, Eccl. actus interiores nũquã ſibi cõſueuit reſeruare, neq; id Superiores & Prælati debent facere.

LOquendo de facto, numquam Eccleſia reſeruare cõſueuit interiores actus, nec prædicta peccata interna, & Epiſcopi, Prælati & Superiores, nullo id pacto debent facere. Hæc concl. eſt ſupradicti Sot. loco ſupracit. vbi inquit, quod non bene eſſet factum eiuſmodi interna peccata reſeruare, tum quia peccata cordis ſunt frequentiſſima, tum etiam quia occultiſſima, ita vt vix homo ſecũ poſſit diſcernere, conſenſerit ne, an non? Intolerabile que eſſet onus, cum eiuſmodi ſcrupulis ad Papam ſemper recurrere. Quapropter inquit opinio quorundam Canoniſtarum, aſſerentium hæreſim mentalem eſſe Summo Pontifici reſeruatam, ac excommunicationi ſubiectam, non, inquit, eſt vera, neque probabilis. Idem tenet ſuprad. Sua. ſed cum aliquali moderatione, & conſtare id dicit ex Summorum Pontificũ & Eccleſiæ vniuerſalis voluntate, hanc interiorum actuum non eſſe materiam capacem reſeruationis, in quo firmiter eſt ſtandum. Videatur etiam hac de re Simancas, de cath. inſtit. ca. 42. vbi ad hoc propoſitum plura dicit, oſtendens quando & in quibus caſibus, Eccleſia iudicet de occultis & actibus interioribus, in quibus vero non.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum omnia & ſola peccata mortalia reſeruari poſſint, an vero tantũmodo illa, quæ annexam ſibi habent ſententiam aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, ſiue irregularitatis?

CIrca hanc difficultatem, Duran. in 4. ſentent. diſt. 17. quæſt. 15. in ea eſt ſententia & opinione, vt dicat Romanam Eccleſiam non habere conſuetudinem, reſeruandi ſibi niſi cẽſuras excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti ſiue irregularitatis, non autẽ culpas quantumcumque graues, niſi ratione alicuius cenſuræ. Qua ratione eſſe abuſum dicit Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, reſeruantium ſibi abſolutionem peccatorum, non habentium cenſuras annexas, in quo, inquit, malefaciunt Eccleſiæ Romanæ non ſe conformando. Et addit, quod ſecundum Romanum morem, nulla eſt neceſſitas confitendi duobus, nempe Superiori reſeruanti caſum, & inferiori ordinario ſeu delegato, nam (inquit) ſatis eſt à Superiore extra confeſſionem à cenſuris abſolui, & poſtea inferiori ordinario aut delegato omnia peccata integre confiteri. Hanc ſententiam & opinionem Durandi refert Soto in 4. ſententiarum, diſt. 18. quæſt. 2. artic. 5. in ſolutione ad ſecundum argumentum, illamque vituperat, ac ſatis condemnat, & dicit morem vniuerſalis Eccleſiæ eſſe cõtra ipſam. Quapropter pro reſolutione propoſitæ difficultatis, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Prælati & Superiores reſeruare ſibi poſſunt peccata, etiãſi nullam habeant cẽſuram annexã.

CErtiſſimum eſt, tam Summum Pontificem, quã Epiſcopos, & cæteros Paſtores, & Eccleſiæ Prælatos ordinarios, reſeruare ſibi poſſe, non tantum cenſuras, verumetiam & culpas, etiamſi nullam habeant cenſuram annexam. Hanc concluſionem tenet expreſſe Soto loco ſupracit. & Suar. 4. tom. in 3. par. D. Thom. diſp. 28. ſect. 2. quam & probat multis rationibus & argumentis, ſed præſertim ex Cõcilio Trid. vbi fere id expreſſe dicitur, aut ſaltim inſinuatur & ſatis colligitur, ex ſeſſ. 14 cap. 7. in illis verbis, *præſertim quoad illa, quibus annexa eſt excommunicationis cenſura.* Vbi ſupponere videtur quod idipſum fieri poſſit, etiam quoad alia. Id quod & probatur ex Extrau. *inter cunctas, de priuileg.* vbi enumerãtur aliqui caſus reſeruati, in quibus nulla eſt annexa cenſura. Et Soto loco ſupracit. ad hoc propoſitum refert aliquos ſacros Canones, idipſum innuentes, ſiue dicentes, nempe *capit. latorem, 33. q. 2.* vbi memoriæ proditum eſt, Ratholdum Argentoratenſem Epiſcopum, parricidium quendam Nicolao Summo Põtifici remiſiſſe, vt ab ipſo abſolueretur, licet nulla illic excommunicatio interueniret. Et in *cap. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſio. lib. 6.* ſancitur, quod dum Epiſcopus facultatem alicui conceſſerit eligendi Confeſſorem, electus ab illo poſſit eũ á peccatis abſoluere, exceptis caſibus ab Epiſcopo reſeruatis, de quibus, inquit, nullam poteſtatẽ habet electus. Quinvero & decreto Sixti IIII. in Extrau. *Etſi Dominici*, excommunicantur illi, qui abſoluunt à caſibus Romano Pontifici reſeruatis: & præter iura ſupradicta, eſt etiam ad probandam eãdem Concluſionem ratio appoſitiſſima, quæ meo quidem iudicio conuincit, nam iuriſdictio neceſſaria ad abſoluendum à culpa & à peccatis, cõmunicatur per Rom. Pont. Epiſcopis & cæteris Eccleſiæ Prælatis, etiã circa ea peccata, quæ nullã habent annexam cenſuram: ergo hæc poteſtas bene poteſt limitari & reſtringi, & cõſequenter reſeruari caſus quoad culpã, independenter à quacumq; cenſura.

Secunda Concluſio.

De facto loquẽdo, non reſeruãtur, niſi peccata annexã habentia cenſuram, ſaltem à Papa.

DE facto tamen loquendo certum eſt, aut ſaltẽ magis probabile, quod Summus Pontifex nõ reſeruat nec reſeruare conſueuit ſibi aliqua peccata, quæ non ſimul habeant cenſuram annexam. Hanc concluſionem tenet ſuprad. Suar. loco ſupra cita. concl. 2. vbi eam multis iuribus & rationibus comprobat, & exemplis illuſtrat atque declarat, &eã

& eam tenet etiam expreſſe Enriquez lib.3. de ſacramento Pœnit.cap.14. num.1. allegando pro ſe innumeros auctores eiuſdem opinionis, quos referre in præſentiarum omitto breuitatis gratia. Sed dicere non præteribo, quod inter alios tenet eam Nauarr. in ſuo Manuali, capit.27. num.254. vbi dicit eam eſſe ſententiã D. Antonini, ex qua infert quod in Bulla, quæ concedit facultatem abſoluendi à caſibus Papalibus, proinde videtur concedi abſoluẽdi à cenſuris Papæ reſeruatis. Et ſupradictus Enriquez loco ſupracitato, ad idem dicit, quod abſolutus per Papam ſeu per illius commiſſionẽ, aut per Iubileum ab ea excommunicatione, quam Papa ſibi reſeruauit, poteſt ſubinde à culpis non reſeruatis abſolui per Confeſſarios inferiores.

Tertia Concluſio.

Epiſcopi & alij ſuperiores Prælati, Papa inferiores, multoties reſeruant ſibi peccata nõ habentia annexam cenſurã.

DE facto etiam loquendo certum eſt quod Epiſcopi interdum reſeruant, reſeruareque ſemper conſueuerunt aliqua peccata, quæ alias nullã habent annexam ſententiam excommunicationis, id quod & faciunt multoties Prælati & Superiores omnium Religionum. Hanc ſententiam & concluſionem tenet Suarez ſupradicto loco ſupracitato, in ſecunda concluſione, & Enriquez vbi ſupra num.2. allegando ad id quamplurimos Doctores, ſed inter alios Nauarr. vbi ſupra, eodem num. 254. & pro hac cõcluſione facit dictũ Conciliũ Tridentinũ, ſeſſ.14. cap.7. in ſupradictis verbis, *præſertim quoad illa, quibus annexa eſt excommunicationis cenſura*, vbi ſpecialiter loquitur de Epiſcopis, & eadem eſt ratio de cunctis Prælatis Regularibus, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habẽtibus. Tandem conſtat idipſum ex communi vſu & conſuetudine dictorum Epiſcoporum & Prælatorum, quo fit, vt dubitare non liceat, quin hoc licite & valide fieri poſſit. Faciunt etiam ad hoc omnia iura quæ adducta ſunt ad confirmandam ſupra dictam primam concluſionem.

Quarta Concluſio.

Peccata venialia cũ ſint cõfeſſionis & ſacramẽti pœnitentiæ materia voluntaria & nõ neceſſaria, nunquam reſeruantur, aut reſeruari poſſunt.

SI fiat ſermo de peccatis venialibus, quamuis ſimpliciter & abſolute loquendo, à Prælatis & Superioribus poſſint reſeruari, quantum ad hoc, vt non poſſint ſacramentaliter abſolui aut remitti, niſi à tali vel tali miniſtro: quod perinde eſt ac ſi diceretur, quod non poſſit ex confeſſione eorum peccatorum, confici ſacramentum pœnitentiæ, niſi coram tali vel tali Iudice, non tamen poſſunt reſeruari, vt maneat obligatio ea confitendi Superiori reſeruanti, cum ſint materia voluntaria & nõ neceſſaria. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Suarez, loco ſupracitato, ſect.3. vbi & eam probat multis rationibus, ſed præcipue ex eo, quia ſimpliciter & abſolute loquendo, nulla eſt obligatio cõfitendi prædicta peccata venialia, poſſuntque multis alijs modis tolli, ſine vllo ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, nec in hoc poteſt tota Eccleſia aliquid præcipere, mutare aut impedire. Eſt enim, inquit, magnum diſcrimen, inter peccata mortalia & venialia. Ex quo vlterius infert, quod reſeruatio eorundem peccatorum venialium, eſſet fere inutilis, ideoque numquam Eccleſiæ vſu recepta, nam licet reſeruarentur, poſſent à pœnitente in cõfeſſione ſine culpa taceri, & etiamſi dicerentur & Confeſſor nollet ab illis ipſum abſoluere, poterit nihilominus à pœnitente cogi, vt eum ab alijs abſoluat, quod ſatis erit illi, cum non maneat ei obligatio talia peccata venialia iterum confitendi. Merito igitur, talium reſeruatio non eſt in vſu. Quibus omnibus addo quod eſſet improportionata pœna cum culpa cuiuſcumque peccati venialis vtcũque grauis, & certum eſt quod reſeruatio introducta fuit (vt ex ſupradictis conſtat) propter delictorum grauitatem. Addit ſupradictus Suarez, quod doctrina prædicta, locum etiam habet in peccatis mortalibus ſemel confeſſis, quæ quidem ſimpliciter reſeruari non poſſunt, quantum ad hoc vt pœnitens maneat ſub obligatione illa iterum confitẽdi, ex ſuppoſitione quod abſolute ac per ſe fuerint iam remiſſa, qua quidem ratione inutilis eſſet, & in fructuoſa eiuſmodi reſeruatio, vt per abſolutionẽ Sacerdotis, ſacramentaliter iterum remittantur. Nam poſtquam peccatum etiam reſeruatum, per abſolutionem per ſe & abſolute, ſemel eſt iam remiſſum & ablatum, non manet amplius reſeruatũ, ſed neque reſeruari poteſt. Quæ doctrina eſt valde notanda & memoriæ commendanda.

Nota valde pro caſuũ reſeruatione.

Quinta Concluſio.

De iure cõmuni & regulariter loquẽdo in Eccleſia ſolapeccata mortalia reſeruari cõſueuerũt illa vel maxime quæ annexam habent cenſuram.

DE iure communi atque de facto, & regulariter loquendo, ſola peccata mortalia reſeruantur, reſeruarique in Eccleſia conſueuerunt, ſiue illa annexam habeant aliquam cenſuram ſiue non, ſed maxime quæ annexam habent talem cenſurã. Hæc concluſio conſtat ſatis ex ſupradictis, & de ea videndus eſt Suarez loco ſupracitato, ſect.3. num.4. & Enriquez num.3. vbi aduertunt huiuſmodi reſeruationes fieri non debere, niſi cum cauſa legitima, & propter inſtantem neceſſitatem, & in Eccleſiæ ædificationem, non vero in deſtructionem, quę de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Quinam ſint de facto caſus Papæ & Sũmo Pontifici reſeruati, & maxime in Bulla Cœnæ?

Prima Concluſio.

Caſus & cauſa magis, & principaliter Papæ reſeruatæ, ſunt cõtentæ in Bulla Cœnæ Domini, & vt plurimũ ſunt 17

CAſus & cauſæ magis ſeu principaliter Papæ & ſummo Pontifici reſeruatæ, ſunt quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini, & vt plurimum ſunt, num.17. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum & Summiſtarum reſolutio, agendo de excommunicationibus ſupradictæ Bullæ Cœnæ Domini. Quarum prima eſt in hæreticos quocumque nomine nuncupentur, & cuiuſcumque ſectæ exiſtant, & in credentes, receptatores, fautores, & generaliter defenſores quoslibet eorundẽ, ac ipſorum libros ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſcienter quomodolibet legentes aut tenentes impri-

imprimentes ſeu quomodolibet defendentes, ex quauis cauſa, publice vel occulte, quo vis ingenio vel colore. Secunda in ſchiſmaticos, & eos qui in animarũ ſuarum periculũ, à Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, obedientia ſe pertinaciter ſubtrahere, ſeu quomodolibet recedere præſumpſerint. Tertia in appellantes ad futurum Concilium, vel ad id conſilium, auxilium vel fauorem dantes. Quarta in omnes piratas, & latrunculos maritimos, qui nauigantes prædari, mutilare, interficere ac rebus, & bonis ſuis ſpoliare præſumunt, & in omnes receptatores eorum, ac eis auxilium ſcienter dantes vel fauorem. Quinta in accipiẽtes naufragiorũ bona. Sexta in imponentes noua pedagia. Septima in falſarios. Octaua in deferentes arma Turcis. Nona in impedientes neceſſaria Romã adducentes. Decima in male tractantes, venientes & recedentes à Curia. Vndecima in male tractantes Romipetas. Duodecima in iniurios Cardinalibus. Decimatertia in impedientes curſus cauſarum Curiæ. Decimaquarta in vſurpantes fructus. Decimaquinta in laicos cognoſcentes de criminibus Clericorum. Decimaſexta in occupantes bona Sedis Apoſtolicæ. Decimaſeptima in male abſoluentes à dictis cenſuris Bullæ, quæ vltima (vt dicitur) nõ eſt Papæ reſeruata. Hæ ſunt excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini, quarum abſolutio Summo Pontifici reſeruatur in fine eiuſdem. Quarum omnium explicationes & declarationes, qui latiſſimè videri voluerit, interim dum in lucem prodit noſter liber & tertius tomus, qui eſt de delictorum omnium pœnis, conſulat Sylueſt. verbo, *excommunicatio*, 7. per totam, & Nauarr. in ſuo Manuali, cap. 27. num. 54. vſque ad num. 73. & omnes communiter Summiſtas, ſed nunc nouiſſime Suarez, 5. tomo in 3. part. D. Thom. diſput. 41. per plures ſectiones. Dixi quod ſupradictæ cenſuræ ſunt magis ac principaliter Papæ & Summo Pontifici reſeruatæ, quia conceſſa abſolutione ab alijs excommunicationibus eidem reſeruatis, non cenſetur conceſſa abſolutio à ſupradictis excommunicationibus contentis in dicta Bulla Cœnæ Domini, niſi de eis ſpecialis & expreſſa mentio fiat.

Secunda Concluſio.

Præter ſupradictos caſus, & excommunicationes cõtentas in dicta Bulla Cœnæ Domini, ſunt & aliæ Papæ & Summo Pontifici reſeruatæ, quæ continentur in corpore iuris communis, quæ vt fertur ſunt numero 31.

PRæter ſupradictos caſus, & excommunicationes contentas in dicta Bulla Cœnæ Domini, ſunt & aliæ Papæ & Summo Pontifici reſeruatæ, quæ continentur in corpore iuris communis, quæ vt fertur ſunt numer. 31. Hæc Concluſio eſt etiam communis omnium Doctorum reſolutio. Sunt autem illæ, quæ ſequuntur. Prima in Canonum tranſgreſſores. Secunda in percuſſorem Clerici. Tertia eſt ea, quæ lata eſt à delegato Papæ, elapſo iam anno ſibi conceſſo ad exequendam ſuam ſententiam diffinitiuam. Quarta in falſarios. Quinta lata ab Epiſcopo in habentes Bullas falſas. Sexta in Clericos admittentes excommunicatos à Papa. Septima in incendiarios poſt denuntiationem. Octaua in ſacrilegos infringentes Eccleſias. Nona in male eligentes Senatorem Romanum. Decima in Clericos ſoluẽtes tallias. Vndecima in inſequentes Cardinales. Duodecima in vexantes excommunicantiũ cognatos. Decima tertia in Inquiſitores male procedentes. Decima quarta in Religioſos abſque facultate adminiſtrantes certa Sacramenta. Decima quinta in percuſſores Epiſcoporum. Decimaſexta in facientes eligere ſepulturas. Decimaſeptima in eos qui cogunt celebrare in locis interdictis. Decimaoctaua in abſoluentes per confeſſionalia Sixti Quarti. Decimanona in exenterantes mortuos. Vigeſima in dantes ſeu recipientes aliquid ob ingreſſum Religionis. Vigeſimaprima in committentes ſimoniam, in ordine vel beneficio. Vigeſimaſecunda in eos, qui ab vno Ordine Mendicantium, tranſeunt ad alium. Vigeſima tertia in eos, qui largiuntur aut recipiunt aliquid, aut promittũt in Romana Curia ad obtinendam iuſtitiam ſeu promerẽdam gratiam alicuius rei. Vigeſimaquarta in eos qui aſſerunt, hoc aut illud de Conceptione Virginis Mariæ. Vigeſimaquinta in delegatos, qui male auctorant alienationes Eccleſiaſticas. Vigeſimaſexta in ſeptem genera perſonarum, violantium Monaſteria. Vigeſimaſeptima in peregrinantes in Hieruſalem, abſque licentia & facultate Papæ. Vigeſimaoctaua in appellantes à Papa ad futurum Concilium. Vigeſimanona in Cardinales, qui ſecreta manifeſtant. Trigeſima in prædicantes miracula falſa. Trigeſimaprima in Cardinales Sede vacante, ſimoniam committentes. De quarum explicatione & declaratione, qui plura videre voluerit, conſulat Sylueſt. loco ſupracitato, & Nauarr. etiã in ſupracitato loco, à num. 75. vſque ad nume. 111. Conſulat etiam omnes communiter Summiſtas, ſed præſertim videat Suarez, 5. tomo ex his quos edidit, in 3. par. D. Thom. diſput. 22. per plures ſectiones. Sed prædictus Nauarr. loco ſupracitato num. 112. ponit alias excommunicationes, partim Papæ partim Epiſcopis, partim verò neutris reſeruatas. De quibus in præſentiarum dicere ſuperſedeo, quia de eis mentio fiet in ſequenti Articulo.

ARTICVLVS VI.

Quinam ſint caſus, de iure vel de Conſuetudine, Epiſcopis reſeruati?

PRO intelligentia huius Articuli præmitto, quod tribus modis fieri ſolet reſeruatio Epiſcopis aliquorum caſuũ. Primo ex iure communi, ſecundo ex conſuetudine generali aut quaſi generali, tertio ex aliquo Statuto ipſorum ſpeciali. De quibus omnibus dicemus per ordinem in ſequentibus Concluſionibus.

Prima Concluſio.

In iure communi, aliquæ reperiuntur excommunicationes, partim Papæ partim Epiſcopis reſeruatæ, quæ communiter eſſe dicuntur numero tres aut quinque.

IN iure communi aliquæ reperiuntur excommunicationes, partim Papæ partim verò Epiſcopis reſeruatæ, quæ communiter eſſe dicuntur, numero tres, ab alijs verò dicuntur eſſe quinque. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Nauarr. in ſuo Man. cap. 27. num. 112. Et prima eſt excommunicatio incurſa ob leuem percuſſionẽ Clerici vel Monachi, de qua in cap. *peruenit, de ſententi. excommunicat.* Secũda quam fert Epiſcopus per ſuum ſtatutum, reſeruando ſibi abſolutionem, argumento deducto, ex.

cap. *nuper*, eodem titulo. Tertia eſt excommunicatio Papalis, cuius abſolutio ob aliquam iuſtam cauſam ſiue impedimentum cõceditur inferiori, quia illam debet dare Epiſcopus, & non eius inferior ſecundum Innocent. communiter receptum, in cap. 1. & cap. *Monachi, de ſententia excommunicat.* quia quæ diſpenſatio vel abſolutio reſeruata Papæ, priuilegio iuris conceditur inferiori, concedi videtur Epiſcopo, & non alij eius inferiori, iuxta eundem Innocent. in capit. 2. *de eo qui furt. ord. ſuſcepit*, probatum per Panorm. ibi, & in dicto cap. *Monachi*, qua etiam ratione ſupradicta prima excommunicatio cenſetur Epiſcopo reſeruata. Quarta, quæ partim eſt Epiſcopalis partim non, excommunicat eum, qui ſcienter participat cum excommunicato in crimine, ob quod eſt excommunicatus, cum reſeruatione abſolutionis ei cui eſſet reſeruata eiuſmodi abſolutio excommunicati, per dictum capit. *nuper*, & cap. *ſi concubinæ, de ſententia excommunication.* Quinta partim etiam Epiſcopalis, & partim non, excommunicat eum, qui ob periculum mortis vel aliud iuſtum impedimentum, abſolutus ab eo qui aliter non potuiſſet, recuperata valetudine & iublato impedimento, quamcito commode poteſt, non ſe præſentat Superiori, à quo debet abſolui, quo obediat eius mandatis, per cap. *eos, de ſententia excommunicat.* in 6. & etiam eum qui abſolutus à Sede Apoſtolica aut ab eius Nuntijs, præcipientibus vt ſe præſentet ordinario ſeu alijs iudicibus, quò eorum exequatur iuſſa & mandata, vel quo ſatisfaciat læſis & his, ob quos fuit excommunicatus, non facit illud quamcito commode poteſt. De dictis excommunicationibus, ipſarumque explicationibus, atque declarationibus videatur ſuprad. Nauarr. dicto cap. 27. num. 112. & 113.

Secunda Concluſio.

Præter dictas excommunicationes totidẽ tres, aut quicunque caſus de iure cõmuni dicuntur Epiſcopis reſeruati abſq; excommunicatione.

PRæter ſupradictas excommunicationes, totidẽ tres aut quinque caſus, de iure communi dicuntur Epiſcopis reſeruati, abſque excommunicatione. Hæc Concluſio eſt expreſſa Enriquez, lib. 3. de Sacramento Pœnitent. cap. 14. num. 4. vbi eã multis auctoritatibus comprobat, dictoſque caſus enumerat, quorum primus eſt, peccatum percuſſionis Clerici, cui annexa eſt irregularitatis pœna, nec ſola reſeruatur irregularitas, ſed ipſum peccatum à quo tamen reus abſolui poteſt ante irregularitatis diſpenſationem. Secunda peccatum, ob quod olim imponebatur ſolemnis pœnitentia, quæ tamen hodie non eſt in vſu. Tertia in incendiarios domus, frugum aut aliorum ex propoſito, & in eũ, qui in dictum incendium dat conſilium vel auxilium, quo moraliter loquendo iniuſte influit in ipſum. Quarto blaſphemia, quæ olim reſeruabatur ratione ſolemnis pœnitentiæ, ſed in iure non reſeruat, niſi ſit publica & pro foro exteriori. Quinto diſpenſatio in voto, vel iuramento, quæ ſolis Epiſcopis reſeruatur. Sed hoc propriè & in rigore loquendo, non pertinet ad caſum reſeruatum. His addit Nauarr. ſextum nempe abſolutionem excommunicationis maioris, per cap. 1. *de pœnitent. & remiſ.* in 6. ſed hic non eſt propriè caſus reſeruatus quia non eſt peccatum, ſed illius pœna. Si quis de dictis caſibus, communi iure Epiſcopis reſeruatis plura videre voluerit, conſulat ſupradictum Enriquez, loco ſupracitato, & Nauarr. in Manuali, c. 27. à num. 256. vſque ad num. 257. incluſiue. Conſulat etiam ſupradictum Suarez, tomo. 4. in 3. par. D. Thom. diſp. 28. ſect. 3. in cõcluſione, num. 6. Videatur inſuper, Extrauag. ſuper Cathedram, *de ſepulturis*, vbi omnes iſti caſus enumerantur, &c.

Tertia Concluſio.

De conſuetudine generali vel quaſi generali, quatuor etiam caſus Epiſcopis reſeruantur.

DE conſuetudine generali vel quaſi generali, quatuor etiam caſus Epiſcopis reſeruantur, quos refert Gloſſa, in Extrauag. *inter cunctas, de priui leg.* Hæc Concluſio eſt Nauarr. loco ſupracitato. num. 258. cum ſequentibus, quorum primus eſt homicidium voluntarium, aut realis membri abſciſſio. Secundus peccatum falſitatis, nempe fallandi ſcripturas, vel dandi teſtimonium falſum aut tacẽdi verum coram iudice. Tertius violatio libertatis, aut immunitatis Eccleſiaſticæ. Quartus peccatum retinendi bona aliena incerta. Quos caſus explicat dictus Nauarr. & Enriquez vbi ſupra, num. 5. vbi plures caſus ponit & enumerat, inuoluendo aliquos ex ſupradictis, reſeruatis de iure communi, cum reſeruatis ex dicta generali conſuetudine, videatur ibidem.

Quarta Concluſio.

De conſuetudine ſpeciali, multi etiam alij caſus ſolent Epiſcopis reſeruari.

DE conſuetudine ſpeciali, & per ſpecialia ſtatuta, & Conſtitutiones aliquorum Epiſcopatuũ, alij etiam caſus interdum Epiſcopis reſeruantur, de quibus non poteſt certa tradi regula, cum dependeant ex facto, nam vnaquæque Prouincia in ſuo ſenſu abundat, iuxta cap. *vtilem*, diſtinct. 76. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Nauarr. loco vbi ſupra, n. 259. in fin. idemque dicunt ſupradicti Enriquez & Suarez, quapropter in his non immoror, nec ipſi voluerunt immorari. Et hæc de iſto Articulo, breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VII.

Quinam ſint caſus, qui communiter Prælatis Regularibus reſeruantur?

Nota quinã ſint caſus, quos Clemens VIII. ſtatuit communiter eſſe reſeruatos, ſeu quos communiter poſſint reſeruari, non vero alij.

PRO intelligentia huius Articuli adnotare oportet, quod olim Religionum Prælati, plus nimio erant prolixi ac rigidi in reſeruandis ſibi caſibus. Quapropter Clemens VIII. anno Domini 1593. Conſtitutionem quandam fecit pro cunctis Regularibus, vbi per publicum decretum, infraſcriptos dumtaxat caſus reſeruandos fore præſcripſit. Primus maleficia, incantationes & ſortilegia. Secundus apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo ſiue verò retento, quando eo vſque peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij ſeu Conuentus fiat tranſgreſſio. Tertius, nocturna ac furtiua à Monaſterio ſeu Conuentu egreſſio, etiam facta non animo apoſtatandi. Quartus, proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Quintus, lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus. Sextus, occiſio

aut

aut vulneratio, ſeu grauis alicuius perſonæ percuſſio. Septimus malitioſum impedimentum aut retardatio, ſeu apertio literarum directarum à Superioribus ad inferiores, vel è contra. Octauus iuramentum falſum, in iudicio Regulari ſeu legitimo. Nonus auxilium ſeu conſilium, aut procuratio ad aborſum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu nõ ſubſequuto. Decimus falſificatio manus, ſeu ſigilli officialium Monaſterij aut Conuentus. Vndecimus furtum de rebus Monaſterij ſeu Conuentus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale: hoc fuit à Pontifice declaratũ debere etiam intelligi de rebus particularibus, & ad particularem vſum alicuius Fratris conceſſis. Circa quam Clementis VIII. Conſtitutionem eſt aduertendum, quod non ibi ſtatuitur à Summo Põtifice, vt omnes ij caſus ſint ſemper in Religionibus reſeruati, ſed tantum permittit, vt Superiores Religionis hos ſibi caſus poſſint reſeruare, aut omnes aut aliquos eorum, prout ſubditorum vtilitati prudenter in Domino iudicauerint expedire. Prohibet autem Summus Pontifex, vt Superiores Regularium, præter dicta peccata alia ſibi reſeruent, quod intelligendum eſt propria auctoritate, Addit enim ſtatim, quod ſi aliquod aliud præterea peccatum graue, pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate, reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura diſcuſſione & conſenſu. Ex quibus verbis ſatis colligitur, non relinqui poteſtatem Religionũ Superioribus, vt pro aliqua particulari Domo, caſum aliquem reſeruent, ſed tantum pro tota Religione, ſeu pro tota aliqua Prouincia, & nec tunc conceditur dicta poteſtas Generali aut Prouinciali Miniſtro per ſe, ſed cum conſenſu Generalis aut Prouincialis Capituli, per quod videtur moderata & limitata facultas Alexand. VI. conceſſa nobis Fratribus Minoribus, de qua mentionem feci ſupra in art. 1. qua Generales, & Prouinciales perſe, ſibi caſus poterãt reſeruare, quin verò & Guardiani, quod neutri iam poſſunt facere (vt dixi) niſi in Generalibus aut Prouincialibus Capitulis, & cum conſenſu Patrum Vocalium, ibi pro electione facienda conuenientium. In dictis tamen Capitulis, poterunt alij caſus reſeruari, etiam eiuſdem materiæ caſuum ſupradictorum, vt putà in materia lapſus carnis, reſeruari poſſunt etiam tactus impudici, ea tamen lege, vt in ſupradictis caſibus Clementis VIII. firmiter ſemper ſit ſtandum in nullo mutatis, quia id voluit & ſtatuit Pontifex. Et cum ſingulæ Religiones peculiaria quædam ſibi habeãt ſtatuta, ſingulares etiam caſus ſemper ibidem cõſueuerunt reſeruari, de quibus longum eſſet nimis & difficile in præſentiarum particulariter & ſpecialiter dicere, dicamus duntaxat oportet qui reſeruati ſunt, reſeruarique iubẽtur in noſtro ſacro Minorum Ordine. De quibus ſit Concluſio.

Quinã ſint caſus, communiter in noſtro ſacro Ordine Minorum reſeruati.

Concluſio.

IN noſtro ſacro Minorum Ordine, nullus Frater inferior Prouinciali Miniſtro, niſi ex ſpeciali Generalis vel Prouincialis Miniſtri licentia, poteſt aliquem Fratrẽ abſoluere, à peccato in obedientiæ contumacis, proprietariæ rerum detentionis, lapſus carnis, furti rei notabilis, ſeu frequenter iterati, iniectionis manus violentę, falſi teſtimonij in iudicio facti, compoſitionis vel proiectionis, aut publicationis libelli famoſi, falſificationis ſigilli, cuiuſcunque perſonæ notabilis, & falſi criminis in infamiam cuiuſcunque. Hæc Concluſio habetur expreſſa in noſtris Conſtitutionibus Generalibus Toletan. cap. 6. §. de caſibus reſeruatis. Vbi etiam dicitur, quod nullus Confeſſor poſſit abſoluere à tactibus impudicis & enormibus, niſi qui licẽtiam habet abſoluendi de lapſu carnis, & quod de ſolicitantibus ex certa ſcientia ad peccatum carnis, idem iudicium habeatur. De explicatione atque enumeratione ſupradictorum caſuum videatur latiſſime Cordubain explicatione, quam fecit ſuper noſtram Regulam, cap. 7. quæſ. 4. vbi addit aliquos alios caſus, qui communiter conſueuerunt in noſtro ſacro Ordine reſeruari. Sed cum in dictis Cõſtitutionibus Generalibus vltimo factis, ſupradicti duntaxat habeantur, & per dictas Conſtitutiones omnes alij præcedentes reuocentur, in eis firmiter eſt ſtandum. Videantur hac de re Emmanuel Rodericus, tomo 1. quæſtionum Regul. quæſt. 20. art. 1. & 2. cum ſequentibus, & Suarez, 4. tom. in 3. part. D. Thom. diſput. 28. ſect. 3. num. 11. vbi hac de re latiſſime agit, & in fine mouet quãdam difficultatem, an Rectores, Abbates, Priores, ſiue Guardiani, poſſint aliquid præcipere, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, eiuſdem abſolutionem ſibi reſeruando ſpecialiter, quod ſapit naturam cuiuſdam caſus reſeruati? Cui difficultati hinc inde diſcuſſæ, affirmatiue reſpondet, propter rationes ibi factas, quas breuitatis cauſa in præſentiarum referre omitto, videantur ibidem.

ARTICVLVS VIII.

Quinam facultatem habeant, abſoluendi à caſibus reſeruatis, Prælatis Regularibus?

Prima Concluſio.

A caſibus reſeruatis, in toto Ordine, abſoluit Generalis Miniſter, & in proprijs prouincijs Prouinciales, & eorum auctoritatem habẽtes, non verò alij.

A Caſibus reſeruatis in toto Ordine, abſoluere poſſunt Miniſtri Generales, ſed in proprijs Prouincijs Prouinciales, & qui eorum habuerint auctoritatem & poteſtatem (reſpectiue.) Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta, quo circa, qui auctoritatem & poteſtatem habuerit à Generali Miniſtro, abſoluendi à caſibus reſeruatis actiue & paſſiue, non ſolum ipſe poterit abſolui paſſiue à quolibet Sacerdote totius Ordinis, auctoritatem habẽte ad audiendum Fratrum Confeſſiones, verum etiam & actiue poterit abſoluere quemlibet eiuſdem Ordinis Fratrem, cum omnes ſint eiuſdem ſubditi. Idem dico de habente prædictam auctoritatem & poteſtatem, à Commiſſario Generali in ſua familia (reſpectiue) & propter eandem rationem & cauſam, & de habente illam à Prouinciali Miniſtro, reſpectu ſuæ Prouinciæ. Solum eſt difficultas,

cultas, circa hospites ad diuersas Prouincias euntes seu redeuntes, quando incidunt in aliquem casum reseruatum ex supradictis, à quo possint absolui? De quo fit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

Hospites absolui possunt á casibus reseruatis, áquocunque Fratre Confessore, ad id ipsum auctoritatem habente.

FRatres cuiuslibet Prouinciæ, auctoritatem & potestatem habentes ad absoluendum à casibus reseruatis, absoluere possunt Fratres hospites, ad eásdem Prouincias declinantes, & in aliquem casum reseruatum incidentes. Hæc Conclusio est certa & manifesta, multumque notanda, quoniam contrarium dicendum videbatur de iure communi, nam iuxta ius commune, in capit. *si Episcopus, de pœnitent. & remiss.* in 6. nulla consuetudine potest introduci, vt sine sui Superioris licentia, quispiam sibi possit Confessorem eligere, & cum Prouincialis dignitas, Episcopali dignitati comparetur, & ipsa Prouincia peculiari cuipiam Episcopatui, sicut non potest quispiam vnius Episcopatus, confiteri cum alio Sacerdote alterius Episcopatus, etiam approbato de materia peccati mortalis, nisi habeat licentiam specialem sui Episcopi, aut nisi sit aliquod speciale priuilegium in contrarium cõcessum, pariter dicendum videbatur de iure communi, quod Fratres de vna Prouincia, confiteri minime poterant cum Sacerdotibus alterius Prouinciæ, etiamsi sint vnius & eiusdem Ordinis, sine speciali suorum Prælatorum licentia, aut nisi in contrarium speciale aliquod haberetur priuilegium. Sed nos Minores Fratres, speciale in id habemus priuilegiũ, Clementis IIII. quod habetur in Monumentis nostri Ordinis, & refertur in Compendio, verbo, *absolutio ordinaria quoad Fratres*, §. 7. & illud etiam habent Fratres Prædicatores, prout habetur in supradictis Monumentis, & Carmelitæ. Et præterea supradicti Fratres Prædicatores, habent in id aliud quoddam speciale priuilegium Gregorij XI. quod habetur in dictis Monumentis, & refertur in dicto Compendio, vbi supra. §. 30. quibus in locis: *Facultas datur Superioribus, & Confessoribus per eosdem deputatis, qua absoluere possint Fratres sui Ordinis (respective) interdum ad eos declinantes & absolutione siue dispensatione indigentes.* Et sic in nostris Constitutionibus Generalibus Barchinonesi antiquis, cap. 6. ex decreto Bonifacij VIII. habetur, quod omnes nostri Ordinis Sacerdotes, approbati à suis Superioribus ad audiendas Fratrum confessiones, sunt idonei Confessores pro omnibus Fratribus eiusdem Ordinis. Quo supposito, cum etiam, vt supponitur, supradicti auctoritatem & potestatem habeant, absoluẽdi à casibus reseruatis alios Fratres, bene sequitur quod eandem auctoritatem & potestatem, exercere poterunt in hospites. Verum est tamen, quod in aliquibus Prouincijs & inter Fratres maxime recollectos, adhuc extat laudabilis consuetudo, quod hospites confitendi licentiam petant à Prælatis, siue casum habeant reseruatum siue non, sed hoc non ita positum est in praxi, nec præcise necessarium est, maximè quando hospites sunt Prælati, vt dicit Corduba in additionibus ad Compendium, verbo, *accedere ad Monasteria Monialium*, in fine, quæ de isto articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Prælati Regulares debeant esse faciles, an verò difficiles, in præstanda & concedenda sua auctoritate & potestate, pro absoluendis Fratribus à casibus reseruatis?

Conclusio.

Prælati Regulares, non esse debent difficiles, rigidi, sine rigorosi, in cõcedenda sua autoritate, ad absoluendos Fratres, à casibus reseruatis.

REgulares Prælati, non esse debent difficiles, rigidi & rigorosi, quin verò benigni & faciles, in præbenda & concedenda licentia siue sua auctoritate, pro absoluẽdis Fratribus à casibus reseruatis. Probatur primo hæc Conclusio ex innumeris periculis & inconuenientibus, quæ ex contrario facto possunt exoriri, vt patet intuenti, constabitque amplius ex infra dicendis. Sed probatur præterea & expressius Conclusio ex quadam constitutione Pij V. in quadam sua Bulla, quæ incipit: *Romani Pontificis circunspecta benignitas*, vbi prohibens ne Fratres Ordinis Prædicatorum possint eligere Confessorem, & absolui à peccatis reseruatis virtute Bullæ Cruciatæ, sine suorum Prælatorum licentia, addit, *eisdem tamen Prælatis in vsu huiusmodi potestatis, cum sibi subditis benignos & faciles se exhibeant præcipimus.* Vbi & notandum venit valde, verbum, *præcipimus*, quod cum præceptum importet, sitque in materia graui mortaliter videntur peccare Prælati & Superiores, in hisce rebus se exhibentes difficiles & rigorosos, & nõ potius benignos & faciles, & sine causa negantes supradictam auctoritatem, & maxime si intelligant quod ex negatione eiusdem, suorum subditorum animæ graue aliquod patientur dispendium. Sed aduerto, quod non in alio extremo ita esse debent faciles, & remissi, & salutis animarum suorum subditorum parum soliciti, vt prædictam auctoritatem de facili committãt cuilibet, absque delectu & discrimine. Pro quo facit statutum quoddam nostri Ordinis Minorum, factum in Conuentu Palenzuelæ, qui nunc est Prouinciæ Conceptionis, tunc autem erat Prouinciæ Castellæ, in Capitulo Generali celebrato, anno Domini 1470. vbi inter alia statutum est: *Vt Prælati non leuiter, sed aliquibus Fratribus maturis & discretis, committant casus sibi reseruatos, eosdem quibus commiserint, sufficiendo fidelibus consilijs, prout secundum Deum saluti animarum viderint expedire.* Habetur in memoriali Ordinis, in electione noui Vicarij Generalis. Et certe contrarium facere, esset omninò contrauenire intentioni, quam semper Ecclesia habuit, in supradictorum casuum reseruatione. Erit etiam conuertere auctoritatem quam acceperunt in ædificationem, in excidium & destructionem totalem totius Religionis. Videatur hac de re Magister Soto, in 4. Sententiarum, dist. 18. quæst. 2. art. 3. in solutione ad secundum argumentum, vbi ad hoc propositum (inquit) quod Prælati in prædicta facultate & auctoritate concedenda, non esse debent faciles,

Qualiter se habere debeant Prælati, in cõcedẽda sua auctoritate ad absoluendum à casibus reseruatis.

Nota valde ex Magist. Soto.

ciles, nec nimium difficiles, ſicque communi bono debent proſpicere, vt confeſſionis Religionem non grauiſſimam reddant. Ad quod conſulit illis, vt perſonis circunſpectis & doctis, cum expoſtulatū à ſe fuerit, ſupradictos ſuos caſus facile committant, quod eſt multum notandum ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Religioſus pœnitens, cuius magni refert, non reuelare in confeßione ſacramentali, ſua peccata reſeruata Superiori, propter maximum periculum, quod exinde ex tali reuelatione reſultare poſſe timet, nolente ipſo Superiore concedere ſibi licẽtiam & auctoritatem, vt cum alio confiteatur, propter euitandum ſcandalum, cum ſola contritione licite poßit celebrare?

Concluſio.

In caſu prædicto, ſupradict⁹ Religioſus licite celebrare poteſt, contrendo de peccatis abſque confeſsione.

IN caſu prædicto, ſupradictus Religioſus licite celebrare poteſt. Hãc ſententiam & Concluſionem, tenet expreſſe Victoria in ſua Summa de Confeſſione. Et eſt fere omnium Doctorum Theologorum & Iuriſperitorum communis reſolutio. Et fundatur in hac ratione, nam in tali caſu, exiſtimandum eſt de illo, ac ſi nullo modo haberet copiam Cõfeſſoris. Sed intelligenda eſt Concluſio, cum duplici limitatione. Prima eſt quod non adſit alius Confeſſor cui confiteri poſſit, ſaltim peccata non reſeruata, nam ſi eſſet præſens alius Confeſſor, teneretur eidem de alijs peccatis mortalibus confiteri, ante quam ad communicandum ſiue celebrandum acceedat, iuxta præſcriptum Concilij Tridentini, Seſſ. 13 cap. 7. Qui quidem Confeſſor, directe abſoluet eum à peccatis mortalibus, indirecte verò à reſeruatis, ratione quorum ſolummodo non habet copiam Confeſſoris, & iudicatur ac ſi omninò eſſet abſens à ſuo Superiore. Quod etiam intelligendũ eſt, quando talia peccata reſeruata, non habent annexam excommunicationem, etenim ſi annexam habeant excommunicationem, minime poterit etiam à non reſeruatis abſolui, quia nullus poteſt abſolui à quocumque peccato, niſi prius abſoluatur ab excommunicatione, cum extra Eccleſiam non ſit ſalus, & à dicta excommunicatione, ſi (vt ſupponitur) eſt reſeruata, inferior minime poteſt abſoluere. Verum eſt tamen, quod inſtante maxima neceſſitate, communicandi aut celebrandi, ad vitandum magnum aliquod ſcandalum, ſiue periculum, poterit eiuſmodi Religioſus, contritione præuia communicare aut celebrare, prout expreſſe tenet Sot. in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. §. *hoc autem dubium*, & Couar. in cap. *alma Mater*. 1. par. §. 4 num. 11. & Medina in Summa, 1. lib. cap. 11. §. 1. Ledeſma in 2. part. 4. quæſt. 25. art. 1. circa finem, Caſtro lib. 2. de legẽ pœnali, cap. vltimo. Iuxta quam doctrinã intelligendus eſt, & gloſſandus idem Sot. in diſt. 4. diſt. 12. quæſt. 5. art. 4. §. quartus caſus, vbi dicit, quod in nullo caſu nec ad euitandum ſcandalum, licitum eſt excommunicato celebrare, quod intelligi deber, quando ſcandalum fuerit paruum, non tamen ſi fuerit magnum aut maximum, indeque aliquod magnum timeatur periculum. Et ratio eſt nam præceptum de non ſcandalizando proximũ, eſt diuinum & naturale, ac proinde fortius & præualet, præcepto non communicandi aut celebrandi cum excommunicatione, etiam cum debita preparatione & contritione, quod tantum eſt humanum. Quæ doctrina eſt valde notanda, propter quã Ledeſma loco ſupracitato, & Sylueſt. verbo, *Euchariſtia*. 2. quæſt. 7. §. *quantum verò* (inquiunt) quod licitum eſt pœnitenti excommunicato, ad Euchariſtiam accedere cum debita contritione, quandocũque Prælatus non vult ſibi concedere ſuam auctoritatem, ad caſus reſeruatos, & non accedat maximam timet ſibi infamiam inde poſſe prouenire. Quod & hac ratione etiam probatur, nam etiam præſente Parrocho, ſiue Confeſſore qui eum legitime abſoluere poſſet, ſi ex confeſſione timeret magnum ſibi periculum imminere, celebrare aut communicare poſſet: ergo idem eſt dicendum in propoſito caſu.

Secunda limitatio eſt, quod dictum ſcandalum ſiue periculum ſit magnum, ob cuius defectum dico quod propter ſcandalum paruum, nec ratione verecundiæ aut alicuius malæ famæ, quam apud ſuũ Prælatum & Superiorem, ex reuelatione alicuius peccati reſeruati poſſet incurrere, non quiſpiam poterit ſine præuia confeſſione & abſolutione celebrare, nec illud erit cauſa ſufficiens vt Religioſus ſeu alius quiſpiam, ad communionem ſeu celebrationem cum ſola cõtritione poſſit accedere. Hoc multum aduertit Soto locis ſupracitatis; dicitque valde eſſe memoriæ commendandum, vt non propter quamcumque cauſam, audeat quiſpiam ad communionem ſiue celebrationem, ſine ſacramentali confeſſione & abſolutione accedere. Ex quo infero, quod nulli occulto excommunicato, licitum erit celebrare ad implendum Eccleſiæ præceptum, aut aliquod aliud præceptum aut obligationem ſuo muneri & officio annexam, quãdo ex commiſſione horum præceptorum, nullum graue ſequitur ſcandalum, nec magna timetur infamia. Nam in his caſibus, nec lex diuina nec humana, permittit quempiam excommunicatum ſeu cũ peccato mortali, ante præuiam confeſſionem & ſacramentalem abſolutionem, celebrare aut communicare. Ex ſuppoſitione tamen (vt dictum eſt) quod ſcandalum ſit magnum, aut magna aliqua timeatur infamia, ſi Prælatus non vult ſuam concedere auctoritatem, & pœnitens ſcit probabiliter quod ſi illi confiteatur, impediet ſibi aliqua magna bona ſpiritualia aut temporalia, quæ conſequi ſperat, ſeu quod in electione aliqua non ſibi præſtabit ſuffragium, in his omnibus caſibus & ſimilibus, communis eſt omnium Doctorum ſententia, quod poterit cum prædictis caſibus reſeruatis, quin

Nota quod nõ propter quamcumque cauſam, ſine confeſsione etiã cum contritione, licet ad celebrandum ſiue ad communionem accedere.

quin verò & excommunicatus (ſi alias adſit contritio) communicare aut celebrare. Quod in tantum verum eſt vt dicat Nauarr. cap. 27. nume. 239. quod in huiuſmodi caſibus etiam irregularis, ad euitandum ſimile ſcandalum ſiue periculum poterit celebrare, & quod Religioſus excõmunicatus celebrando cum excommunicatione reſeruata, ad cuius abſolutionem ſibi auctoritas à Superiore eſt denegata, ſi hoc facit neceſſitate compulſus, non potens aliter ſcandalum euitare, aut alia pericula effugere, minime incurrit irregularitatẽ, quam incurrunt excommunicati cum excommunicatione celebrantes, cum iſte talis minime peccet celebrando, quod eſt multum notandum.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm denegata à Superiore auctoritate iniuſtè, & in caſu quo Religioſus quiſpiam copiam Confeſſoris habet, ſed non qui auctoritatem habeat abſoluendi eum à reſeruatis, teneatur eidem integre omnia ſua peccata confiteri, reſeruata & non reſeruata, an verò ſolummodo non reſeruata?

ET ratio dubitandi eſt, nam in tali caſu videtur, quod non teneatur illi integre confiteri, ſed ſolũmodo peccata nõ reſeruata, reſeruata autẽ minime, poſtquã (vt ſupponitur) prædictus Confeſſor, nõ auctoritatẽ habet illa abſoluendi, vnde & apparet otioſum ſiue ſuperfluum, quin verò vanum & iniurioſum, illa ſibi propalare ac dicere. Sed his nihilominus nõ obſtantibus, in contrarium eſt veritas. De qua ſit Concluſio.

Concluſio.

In omnibus occaſionibus, in quibus Religioſus caſus habens reſeruatos, inferiori poteſt confiteri, etiam nõ habenti poteſtatem abſoluẽdi ipſum à dictis caſibus, tenetur eidem inferiori, omnia ſua peccata integre confiteri, reſeruata & non reſeruata.

IN omnibus occaſionibus, in quibus Religioſus habens caſus reſeruatos, inferiori poteſt confiteri, etiam non habenti poteſtatem abſoluendi ipſum à dictis caſibus, tenetur eidem inferiori omnia ſua peccata integre cõfiteri, reſeruata, & nõ reſeruata. Hanc ſententiã & Concluſionẽ tenet expreſſe Soto, in 4. ſentent. diſt. 18. quæſt. 2. ar. 5. quam eſſe dicit D. Thom. & eandem tenet Caiet. verbo, *confeſſio*, concluſ. 10. & Ledeſma, 2. part. 4. quæſt. 8. art. 1. dub. 4. & ratio Concluſionis eſt in promptu, nam pœnitens diuino iure, tenetur integram facere cõfeſſionem in quantum fieri poterit, ac proinde ſi non id faciat, abſque iuſta & legitima cauſa peccabit mortaliter. Neque obſtat quod in dicto caſu, Confeſſor inferior (vt ſupponitur) pœnitentem nõ poteſt à peccatis reſeruatis abſoluere, & quod poſtea auctoritatem habenti teneatur iterum confiteri reſeruata, nam hoc per accidens eſt, per ſe autem eſt, quod teneatur peccata ſua omnia, confeſſario integre confiteri, etiam non habenti ad eorum remiſſionem auctoritatem directe, nam habet illam indirectam. Sed eſt difficultas, an dictus pœnitens abſolutus à Confeſſore inferiori, directè à mortalibus non reſeruatis, indirectè autem à reſeruatis, quando poſtea ſuperior ſeu alius ipſius auctoritatem habens, eundem abſoluit directè à reſeruatis, recipiat vnum Sacramentum tantum, an verò plura? Hanc difficultatem tangit Sot. in d. 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. in 2. dubio, cui reſpondens dicit, quod forſan eſt potius quæſtio, magis de nomine quam de re. Nam in primis certum eſt, quod per abſolutionem primi abſoluentis, ſiue ſit inferior ſiue ſuperior, confertur ſacramentalis gratia, & quod ſecunda confeſſio & abſolutio, eſſe videtur quaſi prioris perfectio: qua ratione dici poteſt quod ſit vnicum tantum Sacramentum, & ſuſtineri quod per ſecundum Sacramentum, non augetur ſacramentalis gratia, quia prior data fuit in virtute ambarum abſolutionum. Attamen ſiue ſit vnum ſiue duo Sacramenta, multum verò ſimilius eſt, quod per ſecundam abſolutionem augetur gratia qua quidem ratione ſi forſan pœnitens in priori confeſſione non erat ſatis contritus, quia non habebat ſufficiens propoſitum vt gratiam reciperet, & in poſteriori legitimè fuerit attritus, tunc procul dubio illam recipiet. Hæc prædictus Soto. Sed in fine huius articuli aduerto, vt & aduertit Ledeſma vbi ſupra, dubio 3. propoſitione 3. & Nauar. cap. 16. num. 14. quod in caſu quo Religioſus pœnitens, ſolummodo haberet reſeruata, & reuelaret illa Confeſſario inferiori, ſi nulla haberet alia, abſolutio foret nulla ex defectu iuriſdictionis. Et idem dico in caſu, quo ſimplex Sacerdos, in abſentia alterius Confeſſoris, abſolueret aliquem Religioſum indirectè à reſeruatis, directè autem à ſolis venialibus, licet enim huiuſmodi iuriſdictionẽ habeat directam, ad abſoluendum à venialibus, intelligendum id eſt, quando ſolummodo ibi venialia confitentur, aut mortalia iam ſemel confeſſa, non autem quando illi venialia, ſimul cum mortalibus (cuiuſmodi ſunt reſeruata) ſacramentaliter reuelantur, quod eſt multum notandum & memoriæ commendandum. *Nota valde.*

Difficultas.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Superior ſiue Prælatus, teneatur audire omnia peccata eius, qui habet aliqua reſeruata, vt integre ſubditus à reſeruatis & non reſeruatis abſoluat, in caſu, quo pœnitens velit eidẽ confiteri?

HOC dubium mouet etiam Soto vbi ſupra. Et pro ratione dubitãdi, videtur quod ſic, cum integritas confeſſionis (vt diximus) ſit de iure diuino, & confeſſio non ſit diuidenda, ſine magna & vrgenti neceſſitate, cum igitur ſuperior in tali caſu facere poſſit vt non diuidatur, videtur quod ad id iure poſſit compelli, eo præſertim cum peccatum reſeruatur, confitendum iterum Confeſſori inferiori, ad quem ipſum vult remittere, à quo grauamine

uamine & moleſtia, par eſt vt velit ipſum liberare, maxime cum ſit Dei miniſter, quem ipſe debet imitari, in hoc vt omnia audiat, quo vt ipſum ſimul ab omnibus peccatis abſoluat. Quibus omnibus accedit, quia ſi ex quacumque cauſa, Papa aut Epiſcopus ſiue Prælatus Regularis, ſubditi ſui poſſet confeſſionem diuidere, pari modo & eadem fere ratione, Parrochi id ipſum ſibi vellent arrogare aliqua peccata ſuorum Parrochianorum audiendo & abſoluendo, pro alijs verò ad alios delegatos remittendo, quod nemo audebit dicere, nec videtur eſſe verum.

Variæ hac de re, Doctorum opiniones.

Circa hanc difficultatem, refert Soto diuerſas Doctorum opiniones, Adriani, Durandi & Caietani, ſtatuentium diuerſos abſoluendi modos & formas à caſibus reſeruatis, ſed Nauarr. in cap. *Sacerdos. §. quantus, de pœnitent.* diſt. 5. num. 12. dicit quod Superior audire poteſt peccata tantum reſeruata, & ab eis pœnitentem abſoluere, & remittere ipſum ad Confeſſorem inferiorem, vt ille auditis eius peccatis non reſeruatis, eundem de illis Sacramentaliter abſoluat, & conſequenter dicit, quod prædictus pœnitens duo recipit Sacramenta, vnũ à Superiore abſoluente à reſeruatis, alterum verò ab inferiori abſoluente à non reſeruatis, & quod Superiores & Prælati, iure optimo facere poſſunt prædictam diuiſionem, ſicut illam faciunt Papæ Pœnitentiarij. Sed nihilominus contraria ſententia videtur eſſe verior atque tenenda. De qua ſit Concluſio.

Concluſio.

Superiores & Prælati, prædictam confeſſionis diuiſionem, nullo modo poſſunt facere, ſed in to tũ pœnitẽtes abſoluere, aut ſuam auctoritatem ad id, alijs committere.

SVperiores & Prælati, prædictam confeſſionis diuiſionem, nullo modo poſſunt aut debent facere, ſed vel ſibi ſubditos pœnitentes, integre omnia ſua peccata debent audire, & ab eiſdem illos abſoluere, aut ſuam auctoritatem & poteſtatem alteri Confeſſario inferiori committere, qui ipſos plenarie & ſimul, ab omnibus ſuis peccatis, reſeruatis & non reſeruatis abſoluat. Hæc Concluſio eſt Magiſtri Victoria, in ſua Summa de Confeſſione, & eandem tenet Ledeſma, 2. parte 4. quæſtione 8. artic. 2. dubio 3. concluſione 5. & fundatur hæc ſententia in hac efficaciſſima ratione, quia integritas confeſſionis eſt de iure diuino, in quo prædicti Superiores & Prælati minime poſſunt diſpenſare, præſertim nulla exiſtente iuſta & legitima cauſa ſiue neceſſitate, & cum in dicto caſu ſibi ſubditos ad Confeſſores poſſint remittere, cum auctoritate & facultate vt ipſos integre audiant, ac plenarie abſoluant, non eſt cur confeſſionem dimidiatam eſſe velint. Eo vel maxime, quia ſi expediat interdũ ſcire peccata, quæ ipſi commiſerunt reſeruata, id optime facere poſſunt extra confeſſionem, remittendo eos ad inferiorem pro abſolutione, dummodo ſigillum confeſſionis obſeruent, quod & ipſi tenentur facere neceſſariò. Nec Pœnitentiarij Papæ, confeſſionem diuidunt (vt dicunt Doctores cõtrariæ opinionis) ſed tantum abſoluunt pœnitentes, à cenſuris Papæ reſeruatis, non potentes implicati maximis negotijs, neque pœnitentium integras audire confeſſiones. Sublatis autem cenſuris, iam peccata non remanent Papæ reſeruata, nã Papa (vt dictum eſt) ſolummodo reſeruat, reſeruaque conſueuit cenſuras, quibus ſublatis peccata à quolibet Confeſſore poſſunt abſolui.

Nota valde.

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm confeſsio reſeruatorum facta Superiori, aut ipſius auctoritatem habenti, ſine debita contritione ſeu diſpoſitione, ſaltim valeat, vt poſtea pœnitens cuicumque alij Confeſſori approbato cui voluerit, ea poſsit cõfiteri?

Hac de re sũt duo opiniones.

HAC de re ſunt duæ opiniones. Prima opinio dicit, quod quandocunque Religioſus pœnitens fuit ſacramentaliter abſolutus à caſibus reſeruatis, per Superiorem aut ipſius auctoritatem ſiue poteſtatẽ habentem, nulla exiſtẽte abſolutione propter defectum contritionis, attritionis ſeu debitæ diſpoſitionis, ſufficit prædicta abſolutio quantum ad ablationem reſeruationis, nec tenetur prædictus pœnitens amplius dicta peccata reſeruata confiteri Prælato, ſiue ipſius auctoritatem habenti, nam ſufficit ea confiteri cuicunque legitimo Confeſſori. Hanc ſententiam & opinionem tenet Caietanus, in Summa, verbo, *caſus reſeruatus*, vbi dicit, quod reſeruatio prior tollitur, nam ſufficit peccatum reſeruatum, eſſe cognitum & reuelatum Prælato, ſeu alteri ipſius auctoritatem habenti, vt ceſſet eius reſeruatio. Eandem opinionem tenet Sylueſt. verbo, *confeſsio*, 1. quæſt. 19. & eſt communis fere omnium Doctorum, affirmantium idem omninò eſſe dicendum, quandocumque pœnitens aliquod peccatum mortale malitioſe tacuit, dũmodo omnia peccata reſeruata reuelauerit, & id ipſum dicunt, quando pœnitẽs tempore Iubilei aut Bullę, concedentis abſolutionem à reſeruatis, propter ipſius culpam & propter aliquam cauſam & rationem ex ſupradictis, aut quia peccatum aliquod mortale tacuit, inualide fuit abſolutus, omnia tamen peccata mortalia reſeruata confitẽdo. In quo caſu (inquiunt) quod finito tempore dicti Iubilei aut Bullæ, illa confeſſio ſiue abſolutio inualida, hunc operabitur effectum, vt reſeruatio prædictorum peccatorum reſeruatorum tollatur.

Prima opinio Caietani.

Nota valde.

Secunda opinio aliorum.

Sed alij grauiſſimi Doctores contrarium omninò dicunt, iuntque in ea opinione & ſententia vt credant, quod abſolutio à cenſura facta in virtute alicuius Iubilei aut Bullæ, eſt nulla in caſu, quo propter aliquam pœnitentis indiſpoſitionem cõfeſſio ipſa reddatur nulla, quia (inquiunt) Bulla ſiue Iubileum conceditur in ordine ad abſolutionẽ peccatorum, quo fit vt nulla exiſtente peccatorũ abſolutione, nulla etiam ſit cenſurarum abſolutio. Quin verò dicunt, peccabit mortaliter Confeſſarius, qui virtute dicti Iubilei aut Bullæ, pœnitentem ſine debita diſpoſitione à cenſuris abſolueret, quod non contingeret in Superiore ab eiſdem abſoluente ſubditum aliàs in diſpoſitum, cũ poteſtatẽ ipſe habeat abſoluẽdi cum nulla præuia diſpo-

diſpoſitione, quin verò vt dicitur in materia de excommunicatione, ipſum etiam inuitum poſſet abſoluere. Hæ ſunt opiniones, quæ hac de re verſantur, pro quarum concordia & reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quidoperetur abſolutio, facta ab excommunicatione & reſeruatis, quando pœnitens propter indiſpoſitionem, non fuit conſequutus effectum abſolutionis.

SI peccata reſeruata annexam habeant cenſurã aliquam excommunicationis, confeſſione exiſtente inualida propter pœnitentis indiſpoſitionem, abſolutio facta hunc operabitur effectum, vt ipſorum reſeruatio tollatur, poſſitque poſtmodũ pœnitens, alij, cui voluerit legitimo Cõfeſſori ea dem confiteri, ab eiſdemque abſolui, & hoc ſiue abſolutio prima facta ſit virtute alicuius Bullę aut Iubilei, ſiue verò facta ſit à Superiore vel illius auctoritatem habente. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta, & in hoc ſenſu verum dicunt Doctores primæ opinionis, & ratio eſt, quia cẽſurarum ablatio, quocumque modo etiam extra ſacramẽtalem confeſſionem fieri poteſt, nec dependet ab abſolutione peccatorum cum ſemper ipſam præcedat, & abſolutio à cenſuris facta in dicto caſu, ſi non valet vt abſolutio ſacramentalis, propter pœnitentis indiſpoſitionem, valebit tamen ſaltem vt abſolutio extra confeſſionem, ad cuius validitatem non requiritur tanta diſpoſitio, quinverò nec vlla diſpoſitio, cum vt dictum eſt, à Superiore conferri poſſit etiam in inuitum. Pro quo facit iuris Regula, quæ habetur in cap. *vnico, de deſponſatione impub.* in 6. vbi ad ſimile propoſitum ſequentia habentur verba, *ſi non valet quod ago vt ago, valet vt valere poteſt.*

Secunda Concluſio.

Quidoperetur prædicta abſolutio in dicto caſu, quoad peccata reſeruata, non habentia annexam cenſurã excommunicationis.

SI peccata reſeruata nullam habeant annexam cenſuram excommunicationis, ipſorum confeſſione & abſolutione exiſtente inualida, propter quãcumq; cauſam ſiue propter pœnitentis indiſpoſitionem, non deſinunt eſſe reſeruata nec abſolui poſſunt poſtmodum, niſi à Superiore vel ipſius auctoritatem habente ad reſeruatorum abſolutionem, quod etiam intelligendum eſt, ſiue abſolutio prima facta ſit à Superiore ſeu ab ipſius auctoritatem habente, aut verò virtute alicuius Bullæ ſiue Iubilei. Huius Concluſionis ratio eſt, nam prædicta abſolutio fuit collata ad peccatorum abſolutionem, nec in ipſis peccatis fuit aliquod annexũ, quod tolli poſſet præter ipſa peccata, ſed ipſa peccata (vt ſupponitur) non fuerunt ſublata propter pœnitentis indiſpoſitionem: ergo remanent. Si ergo remanent & antea erant reſeruata, ſequitur quod nec poſtea abſolui poſſunt, niſi à Superiore aut ipſius auctoritatem habente. Supradicta omnia confirmantur, quia nec Superiores, nec Bullæ ſiue Iubileum, concedunt aut concedere intendunt, peccatorum reſeruatorum abſolutionem, niſi verè pœnitentibus verèque diſpoſitis, vt ſæpiſſime in eiſdem dicitur, cum igitur vt ſupponitur in præſenti caſu, pœnitens non ſit verè pœnitens nec ſufficienter diſpoſitus, manifeſtè ſequitur, quod non conſequitur prædictam abſolutionem, qua non conſequuta, vlterius ſequitur quod peccata ipſa reſeruata remanent, ſicut antea erant.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrùm Guardiani, quibus Prouinciales committunt ſuos caſus, ſuamque auctoritatem, per eandem poſsint ipſi abſolui, illamq; in hunc effectum committere & delegare alijs?

PRO huius Articuli intelligentia, libet in memoriam reducere, id quod iam ſupra in Superioribus diximus, eſſe nempe conſuetudine poſitum, in noſtro ſacro Minorum Ordine, quod Guardiani in Conuentibus ſibi ſubiectis, auctoritatem habeant Prouincialium Miniſtrorum in foro conſcientiæ, ad abſoluendum ſibi ſubditos à caſibus reſeruatis, eandemque in eorum abſentia habent ſui Vicarij ſiue Præſidentes Conuentuum, vt diximus in proprijs quęſtionibus, quas fecimus de officijs prædictorum Guardianorum ſeu Vicariorum. Iterum præmitto, quod prædicti Guardiani, quamuis (vt etiam ſupra diximus) beneficio iuris communis poſſint ſibi eligere Confeſſores, per c. fin. *de pœnitent. & remiſſ.* non tamen poſſunt eligere Confeſſores, qui ipſos poſſint abſoluere, à caſibus reſeruatis Miniſtris Prouincialibus, ſine ſua ipſorum licentia & auctoritate, nam in ſupradicto Capitulo ſiue Decretali, nihil decernitur tale. His igitur ſic præmiſſis, quæritur nunc, an per auctoritatem communem & generalem, quam Guardiani habent abſoluendi ſibi ſubditos, poſſint & ipſi abſolui, illamque in hunc effectum committere & ſubdelegare alijs Fratribus? Pro quarum reſolutione difficultatum, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Guardiani habentes auctoritatem, abſoluendi ſibi ſubditos à caſibus reſeruatis per eandem poſſunt & ipſi abſolui per Confeſſorem ab eiſdem electum in hunc effectum.

GVardiani habentes auctoritatem abſoluendi ſibi ſubditos à caſibus reſeruatis, per eandem poſſunt & ipſi abſolui per Confeſſorem ab eiſdem electum in hunc effectum. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta, & fundatur in doctrina quam ſupra quæſt. 31. art. 5. tradidimus, reſoluentes, quod Prælati Regulares, auctoritatem & poteſtatem habentes ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis, poſſunt etiam ſecum diſpenſare, fruique gratijs & priuilegijs, quibus alij vtuntur, cum non eſſe debeant peioris ſiue deterioris conditionis, iuxta doctrinam traditam à Caiet. 1. 2. quæſt. 96. art. 5. in fin. vltimi dubij, & in hoc nulla eſt difficultas. Sed difficultas eſt, circa conceſsionem ſeu communicationem prędictæ ſuæ auctoritatis & poteſtatis ad abſoluendũ alios, qualiter conferri poſsit? De quo ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Guardiani habentes auctoritatẽ, abſoluẽdi

GVardiani non poſſunt ſubdelegare, ſeu committere alijs ſuam auctoritatem & poteſtatẽ ad abſoluẽdum ſibi ſubditos à caſibus reſeruatis,

vt

di ſibi ſubditos à caſibus reſeruatis, nõ illampoſſunt ad ſemper a lijs committere, ſed tãtum in occurrentibus caſibus, niſi ſint Commiſſarij ſuorum Prælatorum.

vt dicitur ad ſemper & pro ſemper, ſed tantum in occurrentibus caſibus, niſi quando ſunt Commiſſarij ſuarum Prouinciarum, cum plenitudine poteſtatis. Hæc Concluſio ponitur à Collectore priuilegiorum in Compendio, verbo, *abſolutio ordinaria quoad Fratres.* §. 40. in tertio dubio, cuius rationem reddit, quia delegatus ab inferiori à Principe, ſecundum iura ſubdelegare non poteſt, niſi ſit delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, vel niſi hoc ſibi ſpecialiter concedatur, ſecundum Ioannẽ Andreã in capit. *is cui, de offitio delegati*, in 6. Sed Nauarro in Manuali, capit. 27. numero 45. loquendo de excommunicatione videtur ab hac ſententia diſcedere, dicendo quod qui poſſunt abſoluere ab excommunicatione virtute iurisdictionis delegatæ à Principe, aut conceſſæ in priuilegium perpetuum, ratione ſuæ dignitatis aut officij, aut virtute alterius ordinariæ poteſtatis, poſſunt id ipſum committere alijs, iuxta Gloſſam receptam, in cap. fin. *de offic. ordin.* quæ conciliat illud Capitulum cum capi. fin. §. fin. *de offic. delegati*, vbi habetur contrarium, dicens illud procedere, in illis quibus ſolum ſimplex miniſterium abſolutionis conceditur, ſine alia iuriſdictione. Et cõſequẽter ait ad hoc prædictus Nauarro, quod ſimplex miniſterium abſoluendi delegari poteſt, etiam à delegato ordinarij, & à ſubdelegato delegati Papæ, quamuis non poſſint ipſi delegare ſuas iuriſdictiones, ratione quarum id ſibi competit, nec etiam aliquem articulum iuriſdictionalem, per cap. *ſuper quæſionum.* §. *quem vero, de offic. delegati*, cum ſequentibus, & ea quæ ibi notat Felinus numero quarto, & 19. Sed quidquid de hoc ſit, ad tollendam eiuſmodi æquiuocationem, dicam ego in præſentiarum, quod in noſtro ſacro Ordine, communiter obſeruatur in praxi. De quo ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota in quo caſu delegatus poteſt ſubdelegare, in quo vero non.

Tertia Concluſio.

Guardiani noſtri ordinis in dicto caſu, nõ videntur habere niſi tantum miniſterium, nec poſſunt alteri ſub delegare ſuã auctoritatem vt prædictum eſt, niſi ſint Commiſſarij ſuarum Prouinciarum.

IN noſtro ſacro Minorum Ordine, Guardiani nõ poſſunt ſuam auctoritatem ſubdelegare, quia in dicto caſu non habent ſeu habere videntur, niſi ſolummodo nudum miniſterium, reſpectu abſolutionis ſubditorum ſuorum à reſeruatis, & ſic niſi ſint Commiſſarij ſuarum Prouinciarum cum plenitudine poteſtatis, non poſſunt committere alteri ſuam auctoritatem, niſi pro vno aut altero caſu. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta, & obſeruatur in communi praxi, de qua videatur Pater Corduba in explicatione noſtræ Regulæ, capit. 7. quæſt. 2. & in adnotationibus ad Compendium, verbo, *abſolutio ordinaria, quoad Fratres.* §. *ibi quoad tertium dubium.* Vbi ad hoc propoſitum dicit plura quã maxime natatu digna, & hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS XV.

Vtrum Regulares ſiue Religioſi, accipere poſſint Bullas Cruciatas, generaliter omnibus Chriſtianis conceſſas, in partibus, quibus publicantur, eiſq; vti quoad omnia ibidem contenta, & maxime quoad facultatem eligẽdi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis?

HAnc difficultatem, tangit priuilegiorum Collector in Compendio, verbo, *Cruciata*, §. 5. & latius Corduba in explicatione noſtræ Regulæ, cap. 7. quæſt. 3. & in adnotationibus ad dictum Compendium, eodem verbo, *Cruciata*, §. 5. & nunc nouiſſime eandem difficultatem mouet Emmanuel Rodericus, in explicatione dictæ Bullæ Cruciatæ. §. 9. nume. 22. & in quæſt. Regul. 1. tom. quæſt 21. art. 10. de quorum omnium reſolutione, quod verius atque tenendũ videbitur, explicabitur per ſequentes Concluſiones.

Religioſi ſiue Regulares, de ſuorum Prælatorum licentia, bene poſſunt ſumere Bulla Cruciatæ, ad vtendũ priuilegijs ibidem contentis, quæ ſtatui regulari non fuerint contraria.

Prima Concluſio.

CErtiſſimum eſt, quod de ſuorũ Prælatorum licẽtia, Religioſi & Regulares, Bullas Cruciatas ſumere poſſunt, eiſque vti quantum ad plures effectus ibidem contentos, vt pote frui gratijs & indulgentijs & multis priuilegijs illis conceſſis, dũmodo non ſint ſtatui Regulari contraria. Hanc Cõcluſionem eſſe verã, conſtat ex eiuſdem Bullæ cõtextu, dicitur enim ibi, *quod Monaſteria Religioſorum, virorum ac mulierũ etiam Mendicantium, quæ quorũlibet decẽ perſonarũ reſpectu, ſuis expenſis ad debellandum cõtra infideles, militẽ vnum conſtituerint, indulgentiam plenariã lucrentur.* Quod infra ſublimitans extendit non ſolum ad eos qui dictum militem cõſtituerint, verũ etiam & ad illos, qui cum aliàs id efficere non poſſint, pro ſua poſſibilitate contributionem alibuam fecerint. Quibus verbis clarè & manifeſtè datur intelligi, à mente Sũmorum Pontificum ſupra dictas Bullas concedentium non fuiſſe alienũ, quod de ſuorum Prælatorum licentia, Religioſi & Regulares ipſas accipiant & indulgentias ibidem contentas lucrentur, vtanturque & fruãtur omnibus alijs priuilegijs ibidem conceſſis, quæ ſtatui Regulari non fuerint contraria. Sed intelligendũ ideſt, vt diximus in Concluſione, dũmodo id fiat de ſuorum Prælatorum licentia, cum non ſit veroſimile tut præſumendum, de eorũdẽ ſummorũ Pontificũ intentione quod voluerint ipſi Regularẽ obſeruãtiã diſſipare & deſtruere, ſubditoſq; eximere à vera ſuorũ Prælatorũ obedientia. Quod & indicio eſſe poteſt, nã cũ anno Domini 1564. in Bulla conceſſa à Pio Quarto, habeteur quod poſſent Religioſi, etiam ſine ſuorum Prælatorum licentia ipſam accipere, adeò id abſonum omnibus viſum eſt, vt ſequẽti anno eiuſmodi clauſula omninò fuerit è di-

ctis Bullis ſublata, quod & obſeruatur vſque hodie. Nam de re nihil ibidem omnino dicitur, ſed relinquitur diſpoſitioni iuris cõmunis, iuxta quod ſubditi à Prælatis prædictam debent licẽtiam exposulare, ipſamque illi faciliter dare, pro re adeò ſancta, vtili atque honeſta, ex ſuppoſitione quod nihil inde eueniat quod ſtatui Regulari contrarietur. Verum eſt tamen quod non deſunt qui dicãt, non eſſe ad iõn ceſſariam dictorum Prælatorum licentiam, ad deſumendas prædictas Bullas, pro viſitandis altaribus & lucrandis indulgẽtijs, & alijs quæ ſtatui regulari minime contrariantur. Quod & fundare conantur, ſuper doctrina D. Thom. 2. 2. quæſt. 104. art. 5. & in additionibus ad 3. part. quæſ. 27. art. 3. & in Epiſtola ad Romanos, cap. 13. vbi dicitur, quod ſubditi non tenentur in omnibus obedire ſuis Prælatis, ſed tantum in his, quæ ſpectant aut ordinari poſſunt ad obſeruãtiam Regularem. Quo facto ſuæ ſatisfaciunt obedientiæ, & obligationi, ſi tamen (inquit) in alijs obediunt aut obedire voluerint, id erit via perfectionis, non vero præciſæ obligationis. Quam doctrinam ſequitur Nauarr. in ſuo Manual. cap. 23. num. 38. Sed nihilominus multo melius eſt, quod prædicta licentia petatur, quam & ipſi Prælati faciliter tenentur præſtare. Nec circa hoc timendum eſt periculum, vt aliqualiter fiat contra votum paupertatis, etiam ſtrictiſſimæ noſtri ſacri Ordinis Minorum, qua prohibitum eſt recurſum habere ad pecunias, niſi pro rebus neceſſarijs, nam dico quod ad id neceſſaria & ſufficientiſſima cauſa eſt ſumere prædictas Bullas, ad lucrandas indulgentias (quidquid dicat priuilegiorum Collector) quem in hoc carpit atque reprehendit & merito, ſupradictus Corduba loco ſupracitato. Sed ſi qui huius rei habuerint aliquem ſcrupulum, poterunt confugere ad quandã conceſſionem, quam fecit olim Paulus III. quodam viuæ vocis oraculo, cuius meminit dictus Corduba in adnotationibus ad Compendium, verbo, *Cruciata*. §. 5. & eam refert Emman. Rodericus 1. tomo qq. Regul. q. 22. art. 16. Qui quidem conceſsiſſe dicitur cuidam grauiſſimo P. fratri Antonio Ortiz, *Quod vt ne Fratres Minores quæ recipiũt pecunias pro Bullis lucrandis, poſſint lucrari omnes gratias ſpirituales, & corporales, ſeu tẽporales, quæ de cætero cõcedũtur in omnibus Bullis Cruciatarũ quarũcunque, & comedere ouа & lacticinia in diebꝰ ieiunij, excepto quod non poſſint abſolui à caſibus reſeruatis, dũmodo loco pecuniarũ, quæ debent dari pro ipſis Cruciatis lucrandis, Sacerdotes dicãt duas Miſſas, Clerici autem Pſalmos Pœnitentiales, laici verò ducentos Pater noſter cum totidem Aue Maria, pro intentione pro qua conceditur ipſa Bulla, & quod ſi faciendo lucrari poſſent talẽ Bullam Cruciatam & eã gaudere omninò, ac ſi darent ſummam pecuniarum, quæ in ipſa Bulla taxatur.* Hanc conceſſionem originaliter habent noſtri Fratres Minores in Conuentu del Abrojo, ſubſcriptam manu & ſigno grauiſſimi atq; Religioſiſſimi Patris fratris Garcia del Caſtillo.

Nota hoc vale, pro petenda licentia a Prælatis, ad ſumendã Bullã Cruciatæ.

Ampliſſima conceſsio, qua vtendo, vt cumque excuſari poteſt a Religioſis Bullã Cruciatæ.

Secunda Concluſio.

Religioſi ſine expreſſa ſuorum Prælatorum licentia,

REgulares non poſſunt ſumere Bullam Cruciatam ad eligendum per eam Confeſſorem, nec ad hoc vt abſoluantur à caſibus reſeruatis, ſine habita expreſſa ad id ſuorum Prælatorum licentia.

Hæc Concluſio conſtat in primis, ex multis prohibitionibus, quæ ea de re habentur expreſſe à diuerſis ſũmis Pontificibus, à Sixto IIII. Innocentio VIII. Alexand. VI. Iulio II. Leone X. Pio V. Greg. XIII. & nunc nouiſſime à Clemente VIII. Et quia res eſt tanti momenti, vt non in ipſa errare contingat, aut ignorãtiã affectare quiſpiã poſſit, ſupradictas omnes prohibitiones libet ad vnguem in præſentiarum referre. Dico igitur, quod Sixtus Quartus, qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1471. Pontificatus ſui anno 3. *Ordinauit quod Fratres Minores Regularis Obſeruantiæ, non poſſent abſolui à caſibus reſeruatis Miniſtris, niſi de licentia Generalis aut eorundem Miniſtrorum, ſeu Vicariorum Prouincialium, non obſtantibus litteris eiuſdem Sixti, ſub quacunque verborum forma, eiſdem Fratribus conceſsis.* Habetur in Monumẽtis noſtri Ordinis 1. impreſ. fo. 54. & 2. fo. 50. conceſ. §. & refertur in Compendio, verbo, *abſolutio ordinaria quoad Fratres.* §. 15. Hoc idem conceſſiſſe dicitur idem Sixtus. IIII. pro Ordine D. Hieronym. anno Domini 1482. prout refertur in Compendio eiuſdẽ Ordinis, titul. *Confeſsionale.* Sed poſtea Innocentius VIII. qui ſequutus fuit prædictum Sixtum, anno Domini 1489. Pontificatus ſui anno 1. *id ipſum declarauit, & ſtatuit nos Minores Fratres, non poſſe nec debere eligere Confeſſores nec à caſibus reſeruatis abſolui, virtute Bullæ Cruciatæ, quam ipſe dederat in Hiſpania, niſi de conſenſu & beneplacito ſuorum Prælatorum Prouincialium ſeu Generalium, & quod quæcunque alia abſolutio facta quoad Fratres, irrita eſſet & inanis.* Habetur in ſupradictis Monumentis noſtri Ordinis, 1. impreſ. folio 56. & 2. fol. 52. conceſsion. 59. & refertur in Compendio vbi ſupra. §. 16. & verbo, *Cruciata.* §. 2. Sed poſtmodum Alexander VI. qui præfuit Eccleſiæ poſt dictum Innocent. anno Domini 1492. conceſſit hoc ipſum Fratribus Ordinis Ciſtercien. prout habetur in ipſorum Compendio, verbo, *Cruciata* §. 1. & 4. vbi dicitur: *Non eſſe ſuæ mentis, propter Bullas Cruciatas aut Iubileum, aut alias ſimiles conceſsiones, ſub quacunque derogatione aut tenore etiam cum clauſula quacunque prohibitionis ſublatã, atque etiam viuæ vocis oraculo, Pœnitentiarij Sancti Petri, aut quibuſcunque alijs hactenus factis vel faciendis, velle derogare indultis & conceſsionibus dicti Ordinis.* Hoc ipſum poſtea conceſſit Iulius III. Fratribus Prædicatoribus, anno Domini 1509. dum eſſet Cajetanus Generalis Miniſter eiuſdem Ordinis. Sed tandem poſt ipſum Leo X. qui præfuit Eccleſiæ circa annum 1513. hac de re duplicẽ prohibitionem fecit, prima habetur in Supplement. fol. 60. conceſ. 178. & refertur in Compendio, verbo, *abſolutio ordinaria quoad Fratres.* §. 21. vbi ſtatuit, *prohibuit & declarauit, quòd nullus Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ, poſsit accipere Bullas Cruciatas, ſeu alias indulgentias generales, conceſſas aut concedendas, aut poſsit vti gratijs ibidem contentis, vt pote contra Regularis Ordinis inſtituta, confeſsari quibuſcumque Sacerdotibus & abſolui à caſibus reſeruatis, & in diebus ieiuniorum manducare lacticinia, & facere alia, quæ non decent Religioſos tã altæ & ſtrictæ profeſsionis, niſi ſolũ ob aliquam neceſsitatẽ particularẽ, pro qua dictæ Obſeruantiæ auctoritas non eſſet conceſſa, & tunc examinata huiuſmodi neceſsitate a Generali vel Prouincialibus Miniſtris, aut Cuſtodijs & de eorum expreſſa licentia in ſcriptis habita, non obſtantibus Bullis, etiamſi in eis expreſſe inhibeatur*

Præla-

Prælatis ſub cenſuris, ne ſubditos ſuos à talium Bullarum acceptione prohibeant, & ſubditis libera facultas eas accipiendi tribuatur, non obſtantibus cæteris in contrarium facientibus quibuſcunque, refertur etiam in dicto Cõpendio, verbo, *Cruciata.* §. 2. Secunda prohibitio, habetur in dicto Supplemento, fol. 48. conceſ. 144. & refertur in Compendio, verbo: *Abſolutio ordinaria quoad Fratres,* §. 22. *qua prohibuit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne Fratres prædicti aut moniales ſanctæ Claræ ſeu tertiæ Regulæ, vtantur vllo modo gratijs, libertatibus & immunitatibus Bullarũ Cruciatarum, feudalium rum conſimilium, quouis quæſito colore, contra obedientiam Ordinis & abſque ſpeciali ſuorum Prælatorum licentia.* Refertur etiam in dicto Compendio, verbo, *Cruciata.* §. 5. Poſtmodum verò ſubſequẽtibus temporibus, Pius Quintus, anno Domini 1571. hoc ipſum prohibuit, pro Fratribus ſui Ordinis Prædicatorum, vt refert Paraſellus in Compendio fol. 117. quem ſequutus Gregorius XIII. hoc idem ſtatuit & declarauit pro Religioſis Societatis Ieſu, vt refertur in ipſorum Compendio, titulo *abſolutio.* §. 11. nempe: *Non eſſe nec fore vnquam mentis ſuæ aut Sedis Apoſtolicæ, vt perſonæ dictæ Societatis, abſque expreſſa ſui Superioris licentia, vtãtur facultatibus, quæ in Iubileis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus aut alijs quibuſcunq; Apoſtolicis indultis, communitatibus, aut priuatis perſonis aut pijs locis, quomodocumque aliter hucuſque conceſſa ſunt, aut in poſterum concederentur, etiamſi in illis expreſſe indulgeatur, vt omnes Regulares etiam Mendicantes, eiuſmodi facultatibus vti poſſint.* Et tandem vltimo Clemens Octauo, anno Domini 1599. Pontificatus ſui anno octauo. *Decreuit & ſtatuit, conceſſionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, minime habere locum, in Fratribus & Sororibus ſiue Monialibus Ordinis Excalceatorum Beatæ Mariæ de Monte-Carmelo, ac aliorum quorumcunque Ordinum & Congregationum, cuiuſuis inſtituti Mendicantium & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet habitantium, ſed eſſe ſuæ intentionis quod idem Fratres & Sorores ſiue Moniales, quantum attinet ad Sacramentum Pœnitentiæ ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, id quod Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo declarauit. Eiſdem tamen Prælatis præcepit ac ſtrictè mandauit, vt in vſu eiuſmodi poteſtatis, ſe cum ſubditis ſuis benignos & faciles exhibeant.* Hæc libuit in medium adducere, vt ex tam longa diuerſorum Summorum Pontificum ſerie, liquidum atque perſpicuum fiat cuilibet intuenti qualiter intentionis prædictorum Pontificum nunquam extiterit, quod quantùm ad effectum eligendi Confeſſorem & abſoluendi à caſibus reſeruatis, Religioſi & Regulares poſſent ſumere Bullas Cruciatas, abſque expreſſa Prælatorum ſuorum licentia. Nec de ipſis aliud vllo erat modo præſumendum, cum ex contrario facto ſperari ſeu potius timeri certo poſſet, totale excidium & deſtructio Religionum cunctarum, propter occaſionem, quæ per dictas Bullas & earundem vſum, cunctis Religioſis daretur. recedendi à ſua debita perfectione, & regulari obſeruantia. Fuiſſet enim quaſi habenas laxare, relaxationibus innumeris, quæ euenire inde poſſent, eneruareturque totaliter Regularis diſciplina, concederetur peccandi libertas, ac deniq; multorum eſſet incentiuum malorum, quod de Summis Pontificibus, rectaque ſuorum munerum adminiſtratione, haudquaquam credi ſiue ſperari vllo modo poſſet. Videatur hac de re ſupradictus pater Corduba locis ſupracitatis, vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima, enumerando innumera inconuenientia, quæ neceſſario ſequerentur ipſa docente experientia, ſi per dictas Bullas Cruciatas, Religioſi & Regulares eximerentur, à debita ſuorum Prælatorum obedientia, quantum ad hoc vt ſine ipſorum conſenſu & licentia, poſſent ipſi ſibi Confeſſores eligere, & à quibuſcumque peccatis reſeruatis abſolui. Quæ tanta eſſe credit, vt aſſerere audeat quod non id poſſent facere Summi Pontifices tuta conſcientia ſi ea de re recte eſſent informati, & abſque maximo conſcientiæ ſcrupulo, cum non acceperint poteſtatem in deſtructionem, ſed potius in ædificationem Eccleſiæ, cunctarumque Religionum. Sed præterea loquendo de facto, probat euidentiſſime prædictus Corduba loco ſupra citato, quod in nullis generalibus conceſſionibus comprehendantur aut comprehendi intelligi debeant Regulares & Religioſi, & maxime quando id quod conceditur, vergit in iniuriam, damnum ſiue grauamen prædictarum Religionum niſi exprimatur. Nam clauſulæ (inquit) generales interpretari debent & limitari, ſecundum ius diuinum & humanum, nec extendi debent ad ea, quæ quis non eſſet vere, ſimiliter conceſſurus in ſpecie, ſi conſtaret ei omninò de cauſa, & de alijs inconuenientibus, maxime in materia odioſa, & quæ aliqualiter militat contra ius commune, qualis eſt in propoſito. Quo fit vt dato quamuis non conceſſo, quod Summus Pontifex vellet & intenderet, quod Religioſi & Regulares acciperent dictas Bullas Cruciatas, adhuc non eſſet credendum velle, quod per ipſas aut virtute ipſarum, Confeſſorem quemcunque, poſſent eligere, ſeu à peccatis reſeruatis abſolui, niſi id expreſſe & ſpecialiter exprimeret. Ad quod probandum, adducit, capit. *quod tranſlationem, de offic. delegati,* vbi habetur, *quod in exorbitantibus & prohibitis, non fit extenſio de vno caſu ad alium, etiam per maioritatem rationis.* Facit & capit. *cum nos, de his quæ fiunt à maior. par. cap.* & capit. 1. *de conſtitutionibus.* in 6. & Gloſſa in capit. *cum non doleat, de electio.* eodem lib. 6. & Clement. *dudum.* §. *pen. de ſepult.* Et eſt communis Iuris Conſultorum doctrina, quod conuentio vel pactum iuratum, non tollitur per clauſulã generalem, non obſtantibus quibuſcũque. Ex quibus ſequitur, quod quamuis Pontifex diceret expreſſe, quod poſſent Fratres accipere Bullas Cruciatas, & per ipſas abſolui, non id eſſet intelligendum de caſibus reſeruatis, cum id expreſſe ſit prohibitum, niſi expreſſe & ſpecialiter exprimeretur. Nec obſtat dicere, quod omnia ſupradicta priuilegia & prohibitiones ſublatæ ſunt, per Bullas, quæ de nouo indies promulgantur, per quas omnia illis contraria tolluntur, & ſuſpenduntur, nam hoc non habet locum nec eſt verum, loquendo de priuilegijs Religionibus conceſſis ad earundem conſeruationem. Quin verò illæ expreſſæ ibidem excipiuntur, per illa verba, *exceptis, quæ conceſſa ſunt Superioribus Ordinum Mendicantium, quoad eorum Fratres.* Nam quamuis dicant quidam, quod dicta clauſula

Nota quod in nulla conceſſione, aut priuilegio generali, continentur & comprehenduntur religioſi, quãdo id quod conceditur, vergit in damnũ & in iniuriã Religionis, niſi ſic primatur.

Nota valde, quod in exorbitantibus & prohibitis, nõ ſit extenſio de vno ad alium caſum, etiam per maioritatem rationis.

ſula exceptiua, referri tantum debeat ad indulgẽtias Religionum, ad hunc ſenſum, quod intendat Summus Pontifex per eam, quod indulgentiæ Fratribus Mendicantibus conceſſæ, minime per dictã Bullam ſuſpendantur, non verò ad alia priuilegia non eligendi Confeſſorem, aut abſoluendi à caſibus reſeruatis, ſine expreſſa ſuorum Prælatorum licentia, certius tamen eſt, quod ad vtrumque refertur. Nam dicta clauſula, ponitur in fine Bullæ, per quam ſuſpenduntur omnia alia priuilegia & indulta, & cum excipiantur conceſſa Superioribus Ordinum Mendicantium quoad eorum Fratres liquidum profecto fit, quod in ſuo remanent vigore priuilegia conceſſa dictis Superioribus de non eligendo Confeſſorem, nec abſoluendis à caſibus reſeruatis ſubditis, abſque expreſſa ſuorum Prælatorum licentia. Tritum eſt enim in iure, quod clauſula poſita in fine cuiuſlibet Bullæ ſiue priuilegij, refertur ad omnia præcedentia, iuxta l. *tali ſcripturæ. ff. de leg. 1. & l. ſi peperit. §. filiæ. ff. de lib. & poſthum.* quod etiam tradit Bart. ibidem, & multi alij Iuriſperiti. Quin verò & Abb. in cap. *ſecundo requiris num. 10. de appell.* inquit quod clauſula poſita in fine cuiuſlibet diſpoſitionis ſemper refertur ad omnia præcedẽtia, etiamſi contineant diuerſa. Nec dictis obſtat quod nonnulli dicunt, nempe quod ad accipiendas ſupradictas Bullas, vtendumque ipſis, etiam quoad prædictos duos effectus, eligendi Confeſſorem & abſoluendi à peccatis reſeruatis, ſufficit tacitus Prælatorum conſenſus, qui illud fieri vident & tacent. Vident enim ſuos ſubditos, diebus ieiunij extra Quadrageſimam, ipſarum Bullarum virtute veſci ouis & lacticinijs & nemo illos reprehendit aut propterea redarguunt de peccato, etiamſi illud ſit contra omnes ſupradictas prohibitiones: qua ratione placet quibuſdam eſſe neceſſarium quod Bullæ & conceſſiones aliarum reuocatoriæ, notificarentur eiſdem quo obligare illos poſſint, & quod antequam hoc fiat nullo modo obligant. Nam reſpondetur quod hac de re & circa prædictos duos effectus, eligendi Cõfeſſorem & abſoluendi à caſibus reſeruatis, nullus vnquam fuit aut eſſe potuit tacitus Prælatorum conſenſus, cum in contrarium per tot & tantos annos à Summis Pontificibus, in dictorum Prælatorum omniumque Religionum fauorem, tanta fuerint exhibita priuilegia, quibus id ipſum cunctis ſubditis ſtricte adeò prohibetur, id vt nullo modo fieret ſine expreſſa ipſorum Prælatorum licentia & conſenſu, quibus prohibitionibus exiſtentibus, nullo modo dici poteſt, quod eſſet in id tacitus eorundem Prælatorum conſenſus, non enim eſſe poteſt tacitus conſenſus, vbi alias habetur prohibitio expreſſa. Vnde dicendum eſt, quod hac de re nullus vnquam fuit aut eſſe potuit tacitus Prælatorum conſenſus, ſed ſubditorum relaxatio nimia in cauſa fuit, quod ab aliquibus (quamuis falſo & abſque vllo fundamento) eiuſmodi conſenſus præſumeretur, nec neceſſarium eſt, quod ſupradicta priuilegia id ſtatuentia & declarantia, ad modum legum ſubditis eiuſdẽ notificentur, ſeu quod dicitur autentice promulgentur, non inquam, neceſſaria eſt prædictorum priuilegiorum, admodum legum ſolemnis promulgatio, nam ipſa non ſunt leges ſed ſtatuta & decreta nec verò abſolutè priuilegia ſed priuilegia declaratoria, quod Religioſi, cõtra obedientiam ſuorum Prælatorum, & cõtra expreſſam voluntatem ſummorũ Pontificũ, non vti poſſunt eiuſmodi priuilegijs ſiue Bullis Cruciatæ, quantum ad prædictos duos effectus, ſcilicet eligendi Confeſſorem & abſoluendi à caſibus reſeruatis. Nec valet dicere, quod Prælati vident ſuos Religioſos ſubditos, virtute dictarum Bullarum, ieiunij diebus extra Quadrageſimam veſci ouis ac lacticinijs & tacent: ex quo proinde conſentire videntur, in alijs etiam ipſarum Bullarum effectibus, nam eſt multum diſparatio, & bene ſtat vt in vno caſu cõſentiant, in alio verò diſſentiant. Cuius non conſenſus ſiue diſſenſus, euidentiſſimum & manifeſtiſſimum inditium eſt, ſupradicta expreſſa prohibitio, cum qua (vt dixi) nullo modo ſe compatitur tacitus conſenſus. Concludendo igitur dico, quod licet Religioſi & Regulares, de ſuorum Prælatorum licentia, licite poſſint ſumere Bullas Cruciatæ (vt diximus in prima Concluſione) & ipſarum virtute vti gratijs & priuilegijs ibidem contentis, & nullo modo contrariantibus ſtatui Regulari ſeu à Prælatis nunquam expreſſe prohibitis, non tamen poſſunt vti & frui ſupradictis Bullis, quantum ad prædictos duos effectus, eligendi Confeſſorem & abſoluendi à caſibus reſeruatis, de quibus tot ac tantę ſunt Summorum Pontificum expreſſę prohibitiones ſine expreſſa & ſpeciali ad id ſuorum Prælatorum licentia. Concedo tamen, quod ipſi poterunt ſi voluerint eam illis præſtare, an verò id facere indiſtincte omnibus expediat, cum re vera ſit idem omninò ac ſuam auctoritatem & poteſtatem cunctis concedere, vt à caſibus reſeruatis poſſint abſolui? Aliorum eſto iudicium. Quin verò aſſeueranter dico, id nullo modo expedire vt fiat abſq; perſonarum delectu & diſcrimine ſicut nec expedit, vt omnes ſubditi indiſcriminatim, ſupradictorum Prælatorum auctoritatem & poteſtatem habeant, ſed illi dumtaxat, quibus ſuffragantibus merits ſcientia, diſcretione, experientia, ac maturitate, animarum ſaluti & communi Religionum bono, Prælati ipſi vt committantur illis, ſecundum Deum viderint expedire. Hac de re plura alia poſſem dicere, ſed breuitatis gratia facio miſſa: dicta ſufficiant.

Nota quod clauſula poſita in fine cuiuſlibet Priuilegij ſiue Bullæ, reducitur ad omnia ibidem præcedẽtia, etiãſi ſint diuerſa.

Vera reſolutio omnium ſupradictorũ

Nota quod nõ eſſe poteſt tacitus conſenſus reſpectu illius cuius alias eſt prohibitio expreſſa

ARTICVLVS XVI.

Vtrũm Religionum Nouitij, incidant in caſus in eiſdem Religionibus reſeruatos, ab eiſque ſine Prælatorum licentia non poſſint abſolui?

AC de re multa ac fere inutilia & à propoſito aliena dicunt Doctores, aſſeuerantibus quibuſdã, quod Religionum Nouitij antequam profiteantur ſeruare ſub præcepto tenentur conſtitutiones Regulares, & aſtringuuntur caſibus

caſibus in eiſdē ſolis Prælatis reſeruatis, & quod ſine eorumdem expreſſa licentia ſicuti & cæteri profeſſi,ab eiſdem non poſſunt abſolui. Qua de re Corduba in ſuo Quæſtionario magno, lib.1.quæſ. 30.duas refert contrarias opiniones. Sed his omnibus breuitatis gratia omiſſis, propoſitæ difficultati,breuiter & reſolutiue reſpondeo, per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Religionum Nouitij antequā profiteātur,non incidunt in caſus ibidem reſeruatos,quapropter ab illis peccatis, per quemcunque idoneum Confeſſorem poterunt abſolui.

RElegionum Nouitij antequam profiteantur; nullo modo incidunt in caſus ibidem reſeruatos,quapropter ab illis peccatis ſine ſuorum Prælatorum licentia, à ſuo ordinario Confeſſore poſſunt abſolui. Hæc Concluſio meo quidem videri, eſt multum iuri conſona, nam antequam prædicti Nouitij probationis ſuæ annum expleant, profeſſionemque emittant,nullo modo dici poteſt quod ſint verè & propriè Religioſi: ergo non poſſunt vt alij Religioſi ligari cenſuris, & conſtringi caſibus in eiſdem Religionibus reſeruatis. Pro quo facit, cap. *Religioſos,de ſententia excommun.* lib.6.& id quod dicunt cōmuniter Doctores,ſed præſertim Ioann. Andr,& Gloſſ. in capi. *beneficio de Regular.* in 6.Nec dictis obſtat id quod dicunt Doctores contrariæ opinionis, nempe quod bene ſtat, vt dicti Nouitij non ſint verè & propriè Religioſi, niſi tantum reuocabiliter,& quaſi in via ad Religionem, ſeu ad profeſſionem ſtatus Religioſi, & quod ex alia parte aſtringantur Regularibus ſtatutis, ac ſubdantur Prælatorum Regularium iuriſdictioni,ad eum modum quo & ſeculares, qui habent pro Curato Prælatum aliquem alicuius Religionis, cui licet nō ſubdantur& aſtringratur vt Religioſi,ſubduntur tamen & aſtringuntur,vt tali Prælato Curato; nam reſpondetur, quod hæc inſtantia nihil valet nec exemplum eſt ad propoſitum, quamuis enim ſeculares diœceſani alicuius Prælati Religioſorum illi ſint ſubditi, non tamen proinde obligantur ad ſtatuta Religioſorum,nec ſibi ſunt reſeruati caſus,qui pro Religioſis reſeruantur. Vnde ad noſtrum propoſitum dico quod ſupradicti&Nouitij, ſubduntur quidem Prælatis Regularibus, ſed tamen vt Nouitij, non vero vt profeſſi; vt Nouitij obligantur ad Religionis aſperitates,& ad procurandam ex decentia & ex congruentia ſuæ Religionis perfectionem, non vero ſub pœna peccati mortalis,aut ſub aliqua lege obligante ad culpam ſed ſolummodo ad pœnam ſeu ad expulſionem à Religione.Ea propter etiamſi Nouitius quiſpiam ſit inobediens aut incontinens, non propterea incidit in caſum reſeruatum & de huiuſmodi peccatis,ſi publice deliquerint,publice etiam poterunt puniri pœnis debitis atbitrio Prælatorum,ſi verò occulte & ſecrete, abſolui poterunt per illos Sacerdotes & Confeſſores, per quos ſi in ſeculo remanſiſſent poſſent abſolui. Vt enim habetur in cap.*ad Apoſtolicam,de Reguloribus*, & in cap. *Monaſterijs*.19.quæſt.3. Nouitij ingrediuntur Religiones, non vt ſtatim ipſas profiteantur ſeu eorundem ſtatutis obligentur,ſed ad hoc vt probent & experimentum faciant de illis & an earum mores & ſtatuta illis placeant,probenturq; ad inuicem à Monaſterio. Et hæc de iſto Articulo ac de tota quæſtione dicta ſufficiant.

Nota quod nō nitij,non indiuntur Relī gionem vt illam ſtatim profiteantur, ſed vt probent, & vt ipſius experimētū faciant.

QVAESTIO XXXV.

De excommunicatione,& facultate quam Prælati Regulares habent, excommunicandi & abſoluendi ſibi ſubditos,in viginti quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit excommunicatio?

AB hac materia breuiter me expediam,cum ſit cōmunis & peruia, & non Regularium ſiue Religioſorum tantum propria, & quia quæ hac de re cognitu, & ſcitu ſunt neceſſaria, communiter traduntur à Summiſtis.Non tamen dicere præteribo, ea quæ preciſe viſa fuerint neceſſaria, nec vllo modo excuſari poſſunt, vt huius rei præ manibus aliqualis habeatur notitia. Vnde propoſito Articulo, breuiter & reſolutiue reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

Quid ſit excō municatio in communi ſumpta, & prout ſub ſe cōprehendit maiorem & minorem.

EXcommunicatio in communi ſumpta,& prout ſub ſe comprehendit, maiorem & minorem, eſt Eccleſiaſtica quædam cenſura, priuans hominem aut communione Sacramentorum tantum, aut Sacramentorum & hominum ſimul & communium Eccleſiæ ſuffragiorum. Hæc excommunicationis diffinitio eſt omnium Doctorum communis,& de ea videndus eſt Sylueſt.verbo, *excommun.* 1.num.1. & Soto in 4. ſent. diſt. 22.quæſt.1.art.1. & Nauarr.in manuali, cap.27.num.1. Suarez 5.tomo in 3.part. D. Thom. diſput. 8. ſect.1.numer.1. cum ſequentibus,Sayrus,lib.1.ſui theſau. c.4.nu. 10. Pro cuius intelligentia præmitto ex eiſdem, quod hoc nomen *cenſura*, ſignificat dignitatem cenſoris,ſeu potius eiuſdem coerctionem ſiue correctionem, in qua poſterioti ſignificatione ſumitur in præſenti.At nō pro quacūque correctione, ſed

pro illa qua vtitur Eccleſia, ad corrigendos rebelles & contumaces, quæ eſt vnus ex effectibus poteſtatis clauium, quas Chriſtus Dominus contulit eidem. Quæ quidem cenſura, vt habetur in c. *quærenti, de verbor. ſignif.* eſt triplex, nempe, excommunicatio, ſuſpenſio & interdictum, de quibus in præſentiarum ſumus per ordinem dicturi, de quibus videatur latiſſime Suar. tom. 5. in 3. part. D. Thom. diſputat. 1. cum ſeqq. per plures ſectiones. Eſt igitur excommunicatio ſupradicta, *Correctio ſiue cenſura, qua homo priuatur communicatione, aut Sacramentorũ tantum, aut Sacramentorum & hominum ſimul, communibuſque ſuffragijs.* Vnde excommunicari nihil eſt omninò aliud, quam extra communionem fieri, & vt inquit Soto loco ſupracitato, in noſtra primitiua Eccleſia, excommunicationis nomen, à ſacræ cõmunionis priuatione ortum & originem duxit.

Nota quod fidelium olim correctio, incipiebat a priuatione ſacræ communionis indeque ortũ duxit, excommunicatio.

Pro eo quod fidelium peccantium correctio, à prædicta cenſura incipiebat olim, & qui manifeſtum aliquod peccatum committebat, primum communione ſacra, & participatione paſſiua Sacramentorum priuabatur, qui proprius eſt effectus minoris excommunicationis. Poſtmodum verò ſi relabebatur, aut ſi peccatum aliquantulum erat grauius, ſiue delinquens erat contumax & pertinax, trina canonica monitione præmiſſa, plectebatur priuatione cõmunionis, non ſolum ſacræ Euchariſtiæ paſſiua, verum etiam actiua & paſſiua omnium Sacramẽtorum & à fidelium cætu repellebatur, & priuabatur inſuper cõmunibus ſuffragijs & orationibus, qui eſt proprius effectus excommunicationis maioris. Qui ſic excommunicatus dicebatur anathema olim, diciturque hodie quod nomen idem pollet atque ſignificat quod ſuſpenſum ſiue ſemotum & à ſacra Eccleſiæ communione ſeparatum, vt cõſtat ex cap. *certum.* 24. q. 3. Eſt ergo anathema idem prorſus quod excommunicatio maior, præterquã quod anathema per ſe, maiorem incutit ſeu incutere videtur terrorem. Quod iſte excommunicandi mos, obſeruat' fuerit in Eccleſia ſacra olim, multis probat ſupradictus Soto loco præallegato, cõſtatque expreſſe ex cap. *de Presbyterorum.* 17. quæſt. 4. vbi habetur, *vt prius Fratres delinquentes, à ſacra communione priuentur, deinde ſi obſtinati fuerint, ab Eccleſiæ compage ſub anathematis interdictione reſecentur.* Idem habetur in cap. *nemo Epiſcoporum,* 11. quæſt. 3. vbi dicitur, *vt nemo Epiſcoporum, ſine certa & manifeſta peccati cauſa, quempiam priuet communione Eccleſiaſtica (hoc eſt Euchariſtia)* Et additur: *ſub anathemate autem, ſine conſcientia Archiepiſcopi aut Epiſcoporum, nullam præſumat ponere, niſi vbi Canonica docet auctoritas.* Cuius quidem rei rationem reddens textus addit: *quia anathema, eſt æterna mortis dãnatio, & non niſi pro mortali crimine debet imponi.* Facit etiam ad hoc cap. *Engeltrudam,* 3. quæſt. 4. vbi Papa Ioannes aſſerit, *percuſsiſſe ſe prædictam Engeltrudam, non ſolum excommunicatione, quæ à fraterna ſocietate ſeparat,* quo nomine ſecundũ Gloſſam ibidem, intelligitur excommunicatio minor, *verum etiã & anathemate, quod ab ipſo corpore quod eſt Eccleſia recedit* (per quod ſecundum eandem Gloſſam, intelligitur excommunicatio maior) de quibus omnibus in particulari, plura ſtatim ſumus dicturi, in propriis articulis, qui hac de re à nobis ſtruendi ſunt. Solum pro nunc oportet aduertere, vt huic vltimam imponamus manum, quod excõmunicatio minor, multum differt à peccato mortali, & alia eſt ipſius eſſentia & diffinitio, quidquid alij dicant cum Gabriele in quarto ſententiarum, diſtinct. 18. quæſt. 2. diffinitionem excommunicationis minoris, in cortice tantummodo conſiderantes & non ſecundum rem, & aſſerentes atque dicẽtes excommunicationem minorem, eſſe nudam ſeparationem à cõmunione Euchariſtiæ, ac proinde per quodcumque peccatum mortale incurri excommunicationem minorẽ eo quod per ipſum homo fit indignus Euchariſtia, & reliquis Sacramentis percipiendis. Sed re vera hoc non eſt huiuſce rei penetrare medullam, nam excommunicatio minor vt ſtatim dicemus, eſt Eccleſiaſtica cẽſura, qua homo à participatione paſſiua Sacramentorum priuatur & ſeparatur, nec ſolum ſignificat aut ſonat indignitatem quamcunque accedendi ad Eccleſiaſtica Sacramenta & præſertim ad Euchariſtiam, ſed illam, quæ fit per Eccleſiaſticam cenſuram. Vnde longe alia, atque diuerſa eſt ratio ipſius, à ratione peccati mortalis. Qua de re videatur Magiſt. Soto loco ſupracitato, & Suarez, & Sayrus, locis etiam ſuperius citatis, quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota quodex cõmunicatio minor, multũ differt a peccato mortali.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit excommunicatio?

DE multiplicibus excommunicationis ſpeciebus ſiue differentijs, diuiſionibus & ſubdiuiſionibus dicturi, quo breuiter & reſolutiue procedamus, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

OMnis in vniuerſum excommunicatio, in communi & in generali ſumpta eſt duplex, quædam maior, alia verò minor. Hæc Concluſio communis eſt omnium Doctorum reſolutio. De qua videndus eſt Sylueſt. verbo, *excommunicatio,* 1. nume. 1. cum ſequentibus, & Soto in 4. ſent. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. Nauarr. in ſuo Manual. cap. 27. num. 1. Suar. 5. tom. in 3. par. D. Thom. diſp. 8. ſect. 20. par. 3. per totam, Sayrus lib. 1. cap. 4. num. 18. excommunicatio maior eſt Eccleſiaſtica cenſura priuans hominem, participatione tam actiua quam paſſiua Sacramentorum & hominum, prout amplius ſtatim dicemus. Minor verò, eſt cenſura eundem priuans Sacramentorum ſolummodo participatione paſſiua, iuxta c. *ſi celebrat, de Cler. excommuni. mini.* Hac de re ſpecialiter videatur Nauarr. vbi ſupra.

Omnis in vniuerſum excõmunicatio, eſt duplex, quædã maior alia vero minor.

Secunda Concluſio.

EXcommunicationum, alia eſt generalis & vniuerſalis, alia verò ſpecialis & particularis. Hæc Concluſio eſt etiam communis omnium Doctorũ, & conſtat, ex cap. *à nobis, el primero de ſentent. excommunicat.* & ex cap. *ſtatuimus, cap. conſtitutionem,* eodẽ tit. lib. 6. Generalis rurſus excommunicatio eſt duplex, quædam lata à iure, alia verò lata ab homine. Lata à iure eſt illa, qua generaliter Canon, conſtitutio ſiue ſtatutum, excommunicat cum vel eos,

Excommunicationũ, alia eſt generalis, & vniuerſalis, alia vero ſpecialis & particularis.

Excommunicatio generalis, quæ dã eſt lata a iure ſine a Canone, alia vero lata ab homine. Nota differentiam, quæ verſatur, inter excommunicationem latam a iure, & latã ab homine

eos, qui hoc aut illud fecerint, aut non fecerint, per cap. 2. *de conſtit.* lib. 6. & Clement. 1. §. *verum, de hæreticis.* Lata verò ab homine eſt, quam iudex generaliter fert, ſimiliter in eum vel eos, qui hoc aut illud fecerint vel non fecerint. Inter quas duas excommunicationes, vt inquit Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 2. & num. 40. & 41. latiſſimum verſatur diſcrimen, nam lata ab homine, moritur mortuo homine, aut ablato ab officio qui eam tulit, iuxta Gloſſam ſolemnem, in dicto cap. *à nobis, el primero,* quam Hoſtienſis, Panormit. & Felin. & omnes cõmuniter Doctores ſequuntur, & idem tradit D. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 7. §. pro quo etiam facit textus in l. fin. ff. *de pœnis.* Moritur, in quam quoad eos qui eam non incurrerunt, antequam ille moreretur aut priuaretur, ſecundum Panorm. & communem ibidem, at verò lata à iure, minime moritur, vt diffinitur in ca. fin. *de officio legati.* Ex quo poteſt colligi, quid dicendum ſit, de excommunicationibus & alijs cenſuris, latis in mandatis Viſitationum, quæ non ſunt ſtatuta, ſed mandata generalia aut ſpecialia priuatorum hominum. De quibus omnibus videãtur omnes Doctores ſuperius citati, ſed maximè Suarez diſput. 3. ſect. 1. per totam, & Sayrus vbi ſupra nu. 18. & 19.

Tertia Concluſio.

Excommunicationũ, alia eſt iuſta, alia vero iniuſta.

DIuiditur etiam excommunicatio, in communi & generaliter ſumpta, in iuſtam & in iuſtam. Hæc Concluſio eſt etiam generalis & communis reſolutio, & habetur ex Gloſſa *in ſumma*, 11. quæſt. 3. Excommunicatio iuſta eſt, quam fert is qui poteſt & propter id quod poteſt, & quomodo debet. Quæ quidem vt inquit Nauarr. loco ſupracitato. num. 2. nihil operatur quoad Eccleſiam triumphãtem & quoad Deum, ſed tantummodo quoad militantem, iuxta gloſ. *ſingularem*, in cap. *quodcunque*, 24. quæſt. 1. Quamuis & hoc aliqua modificatione, ſiue explicatione indigeat, vt dicemus ſtatim. Iniuſta verò eſt, quam fert is qui non poteſt, ſeu aliter aut ob aliud quam debet. Videatur Nauarr. vbi ſupra, num. 3. & Suarez, 5. tomo diſput. 4. ſect. 1. cũ ſequentibus, & Sayrus vbi ſupra num. 20.

Quarta Concluſio.

Subdiuiditur adhuc excommunicatio iniuſta, in iniuſtam validam & iniuſtam inualidam.

SVbdiuiditur etiam excommunicatio iniuſta, in iniuſtam validam & iniuſtam inualidam. Pro cuius Concluſionis intelligentia, oportet præmittere, quod ſicut in alijs ſententijs, quædam ſunt quæ licet, iniuſtæ ſint, valent tamen regulariter (ſaltem quantum ad forum exterius) & earum virtute in eo tanta fit executio ac ſi eſſent iuſtæ, per ca. *cum inter, de re iudic. & l. res iudicata, ff. de regul. iuris*, aliæ vero quæ ſic ſunt iniuſtæ, quod etiam ſunt nullæ & irritæ, nihilq; omnino valent, *iuxta l. prolatam*, C. *de ſententijs.* Sic etiam & in excommunicationis ſententia, aliqua reperitur, quæ quamuis interdũ iniuſta ſit, valet tamen regulariter, & virtute ipſius tanta fit executio ac ſi eſſet valida, & de tali excõmunicatione intelligendus eſt D. Greg. in cap. 1. 11. q. 3. quando dixit, quod ſententia paſtoris, ſiue iuſta ſiue iniuſta eſt timenda. Sed tamen alia eſt excommunicatio non ſolum iniuſta verum etiam nulla, prorſuſque inualida, quæ & nihil operatur omninò aliud in foro interiori atq; in exteriori, præterquam obligare excommunicatum ad ſeruandam eam, quouſque populus ſibi perſuadeat aut perſuadere debeat, ſuæ nullitatis cauſam ad euitandum ſcandalum. Qua de re videatur Nauarr. in Man. cap. 27. n. 3. & in ca. *cum contingat, de reſcriptis*, & in cap. *pœn. de ſentent. excommunicat.* Et prætermiſſa excommunicationis ſententia iniuſta & nulla, dicamus oportet nunc, quænam ſit ſententia excommunicationis iniuſta valida, & quotupliciter id contingere poſſit? Pro cuius reſolutione dico, quod ſententia excommunicationis iniuſta valida, diuiditur in eam, quę eſt iniuſta ob defectũ rectitudinis animi iudicis, aut formæ, quæ non eſt eſſentialis, & in iniuſtam exdefectu cauſæ iuſtæ, ad excommunicandum: quæ excommunicationes multum quidem inter ſe differunt, quamuis vtraque valeat. Nam prima tantum ligat quantum iuſta, in foro interiori & exteriori, ſecunda verò parum plus nihilo niſi in foro exteriori, quia non adimit communionem, quæ eſt omninò interior, nec ſuffragia generalia, quæ Eccleſia eiuſque miniſtri faciunt, quatenus ſunt tales. Qua ratione Caietan. in tractatu 10. q. 2. agens de effectu prædictæ excommunicationis, dicit eiuſmodi excommunicationem iniuſtam, non eſſe propriè excommunicationem, ſicut neque homo mortuus eſt propriè homo. Sed Nauarr. loco ſupracitato, & in cap. *pœn. de ſentent. excommun.* non omninò approbat eiuſmodi doctrinam: quia inquit, verè & propriè eſt excommunicatio, & eidem conuenit tota excommunicationis diffinitio, cum ſeparet à communione ſacramentorum & hominum quantum ad forum exterius & etiam quoad interius vbi ſcitur illum eſſe excommunicatum & ignoratur eius iniuſticia quantum ad effectum peccandi, niſi euitent eum, qui euitare tenentur. Et quamuis ſupradicta excõmunicatio, nõ efficiat omnia, quæ facit excommunicatio iuſta, facit tamen aliqua propter, quæ vere (inquit) & propriè poteſt & debet appellari excõmunicatio. Atque ita communis Doctorum tenet ſententia, in cap. 1. 11. quæſt. 3. quod prædicta excõmunicatio, ſententiaque Paſtoris (etiamſi iniuſta) eſt timenda, valetque & ligat, & multum differt ab ea, quæ eſt omninò nulla. Sed de hoc latior infra futurus eſt ſermo, quando agemus in particulari, vtrum ſupradicta excommunicatio iniuſta, aliquem operetur effectum. Videatur Nauarr. vbi ſupra, & Suarez etiam vbi ſupra ſect. 6. & 7. per totam, & Sayrus etiam vbi ſupra num. 20.

Quæ ſit ſententia excommunicationis iniuſta & valida, quæ verò inualida omnino.

ARTICVLVS III.

De excommunicatione maiori in particulari, & ijs quæ ad ipſam ſpectant.

Prima Concluſio.

Quid ſit excõmunicatio maior, & ipſius propria & vera diffinitio.

EXcommunicatio maior eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua priuatur homo, nõ ſolum actiua verũ etiam & paſſiua participatione Sacramentorũ & hominum, communibuſq; ſuffragijs & orationibus. Hæc Concluſ. eſt cõmunis omniũ DD. reſolutio, de qua & videã-

est Nauarri in Manuali cap.27.num.1.& 17.Vbi aduertit de mente D.Thom.in expositione Symboli, explicans illa verba, *Sanctorum communionem*. Quod triplex est Ecclesiæ sanctæ communio, prima omninò interior charitatis & gratiæ, qua efficimur corporis Christi mystici membra, à qua quidem communione solummodo per peccatum mortale separamur, iuxta cap. *resuscitatus, de pœnitent.* dist.1. cum duobus seqq. De hac charitatis & gratiæ cõmunicatione, videatur Soto in 4.sent.distin.22.q.1.art.1.in probatione Conclusionis, & Suarez 5. tomo disputat.9.sectio.3.num.5. & Sayrus lib.2. sui thesau.cap.1.num.2. Secunda cõmunio est omninò exterior, qua inter nos inuicẽ alij cum alijs communicamus, comedendo, bibendo, colloquendo, &c. De qua dicemus statim. Tertia verò est media siue mixta, quæ est Sacramentorum & suffragiorum generalium siue communiũ, quæ fieri præcepit Ecclesia. Dicit itaque supradictus Nauarro quod excommunicatio maior prædicta ijs omnibus priuat, sed esse notandum quod non tollit primam communionem, sine communicationem proprie, quin verò supponit eam iam esse per mortale peccatum sublatam, atque ita operatur primum in homine, non quidem exclusionem à gratia Dei, sed declarationem exclusionis gratiæ, iam prius factæ per supradictum peccatum mortale. Secundo verò excommunicatio supradicta, excludit siue priuat excommunicatum à sacramẽtis Ecclesiæ actiue & passiue, ita quod excõmunicatus nec potest ipsa dare, nec verò recipere, iuxta cap. *Engeltrudã*, 3.quæs.4. Tertiò priuat dicta excommunicatio maior, suffragijs generalibus & communibus Ecclesiæ, adeò vt Ecclesia, in nulla re excommunicato intendat per illa subuenire, quod quammaximum est damnum, ob quam causam, inquit Nauarr. consuetum esse dicere quod excommunicatus possidetur à Diabolo, vt habetur in cap. *audi*, & cap. *omnis*, 11.quæst.3. Diabolumque ipso vti, sicut mulio vtitur iumento suo, vt dicit Glossa, in dicto cap. *audi*, quod intelligendum est de excommunicato non verè contrito, secus est autem de illo qui iam est verè contritus, procuratque pro viribus absolutionem, argumento de ducto, ex cap. *dixi*, & capit. *magna*, *de pœnit.* dist.1. Eiusmodi enim coram Deo iam est in statu gratiæ, & fruitur communione prima & tertia ex supradictis, quamuis non secunda. Idem dicit prædictus Nauarr. de excommunicato absque iusta causa, & de illo qui nõ potuit soluere ad præstitutũ tẽpus, intra quod iussus fuit solui sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Ij enim omnes non sunt excõmunicati quoad Deũ, quia forsan non peccauerunt mortaliter, quãuis sint excõmunicati quoad homines, secundũ Caiet.to.1.tit.19.& Nauar.in Man.c.27.n.8. & Sot.vbi supra, art.2, cõclus.4. vbi plures adducit casus, in quibus excõmunicatio non tenet, neque ligat excõmunicatum. Quartò excludit & priuat supradicta excõmunicatio maior, à diuinis officijs, & precibus simul cum alijs faciendis vel audiendis, per c. *quod in te, de pœnit. & remiss.* quãuis bene possit excommunicatus orare solus, Deumq; precari etiam in Ecclesia, licet alij etiã precentur seiũcti & separati ab eo, iuxta Innoc. cõmuniter receptũ, in ca. *nuper de sent.excommun.* Tandẽ quinto & vltimo, excludit & priuat supradicta excõmunicatio maior, omnibus contentis in illo versiculo, adducto à Glos. in c. *statuimus, de sent.excommun.* li.6. nempe, *os, orare, vale, communio, mensa negatur*. Quem quidẽ versiculum infra sumus explicaturi, vbi de ijs omnibus amplio rem faciemus mentionem. Videatur Nauar. vbi supra, Soto in 4.sentent.d.22.q.1.art.1.& Suarez d.5.tomo in 3.part.D.Thom.disp.9.cum sequentib. & Sayrus li.2.sui thesaur.cap.1.cum seqq.

Quotuplex sit fidelium communio.

Quibus rebus priuet maior excommunicatio.

Secunda Conclusio.

NEmo potest aut debet excommunicari excommunicatione maiori, nisi propter peccatũ mortale siue ob inobedientiam & contumaciã mortalem, qua perstitit in peccato mortali præterito, aut in futura inobedientia, non comparendi siue non obediendi iusto iudicis præcepto, facto cũ sufficienti causa & debita præcedente mora & interuallo. Hæc Conclusio est etiam communis omniũ Doctorum resolutio, & de ea specialiter videndus est supradictus Nauarr. in dicto Man. cap. 27. num.9. & Suarez vbi agit de censuris in communi disp.4.per plures section. Sayrus lib.1.sui thesau. cap.9.à nu.3.cum seqq. sed præsertim n.4. Pro qua facit, cap. *nullus*, & cap. *nemo*, 11.q.3. & cap. *de Iudæis* cap. *á nobis, el primo*, & cap. *sacro, de sententia excommu.* & cap. *Romana* §. *cauẽant*, eod. tit. lib.6. Ex quo consequenter colligitur, quod nemo incurrit pœnam excommunicationis maioris, impositam à canone siue ab homine, in generali neque in particulari, nisi peccando mortaliter, quæ est regula quammaxime consolatoria, quam tradidit Paluda. in 4. d.18. q.1.art.2. & Nauarr. loco supracit. & in cap. *inter verba*, 11.q.3.num.480. applicando eam multis casibus, sed præcipuè pro parua aut minima furãtibus. Videatur etiam hac de re Sot. vbi supra, ar.2.concluf.1.& 2. vbi hoc argumentũ latissime prosequitur, ostendens multis & magnis rationibus, qualiter sententia excommmunicationis maioris, ferri nõ possit aut debeat, nisi pro peccato mortali, siue inobedientia & contumacia mortali, quod est idẽ. Vnde hæc sit regula generalis, quod in omnibus casibus in quibus quis non peccat mortaliter, non parendo Prælati præcepto propter aliquã causam, non etiam incurrit sententiam supradictæ excommunicationis maioris, quãuis de facto in ipsum feratur. Qua de re Nauar. vbi supra, n.19. quamplures ponit & refert casus, in quibus propter rationes particulares ibidem contentas, multi quoad Deum non sunt excommunicati, pro eo quod aut parere non potuerunt ad præstitutum tempus, vel quia in eo ob quod sunt excõmunicati, nõ ipsi peccauerunt mortaliter, quãuis in foro exteriori sint excommunicati, & quoad homines, quod est valde notandum & memoriæ commendandũ. De quo etiam videatur Soto vbi supra, d.22.quæs.1.art.2. concl.3.& 4.

Nemo potest aut debet excommunicari excommunicatione maiori, nisi pro peccato mortali, siue contumacia, & inobedientia mortali.

Tertia Conclusio.

OB nullam culpam præteritã, ferri potest excõmunicatio maior, nisi trina canonica monitione præmissa. Hæc Concl. habetur expressa, in cap. *sacro, de sent.excommu.* vbi prohibetur Prælatis cunctis, ne aliquẽ excõmunicationis sententia feriãt, nisi competenti admonitione præmissa, & ex causa mani-

Ob nullã culpam præteritam, excõmunicatio maior ferri potest, nisi trina canonica monitione præmissa.

manifeſta & rationabili. Debentque præterea ſupradictæ monitiones fieri, cum intervallo ſaltem duorum dierum inter vnam & aliam monitionem, aut faciendo vnam monitionem pro tribus, concedendo ſex dies pro illis, quando non eſt periculū in mora. Qua de re videatur Suar. diſp. 3. ſect. 8. & 9. agendo de cenſuris in communi per plures ſect. & ſuprad. Nauarr. vbi ſupra, num. 11. vbi & hoc probat ex *cap. conſtitutus, de ſentent. excommunicat. lib. 6. ad iuncto d. cap. ſacro*, & inquit quod quando tale periculum interuenerit, poteſt ſupradictum tempus diminui quantum oportuerit, ſed non plus ſiue amplius. Quod adeo eſſe verum dicit, quod excommunicatio eſſet omnino nulla, ſi Prælatus aliquis iuberet aliquid circa præterita, niſi præuia aliqua ſaltem monitione & cum cauſæ cognitione & clauſula iuſtificatiua, hoc eſt aſſignando terminum ad allegandas cauſas, ſi quas habuerit reus, contra mãdatum eiuſmodi, ob quas non poſſit aut debeat parere, iuxta Innocen. in *cap. propoſuit, de conceſſione præbend. col. 2. & in cap. 1. eodem tit. lib. 6.* Videatur etiam hac de re latiſsime Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. artic. 2. conclu. 4. vbi circa hoc multum carpit Caietan. contrarium ſentientem, ipſumque multis iuribus & rationibus impugnat. Videatur etiam Suar. 5. tomo in tertiam partem D. Thom. diſpu. 3. ſed ſpecialiter ſectione 12. per totam, á quibus omnibus breuitatis gratia ego in præſentiarum ſuperſedeo.

Quarta Concluſio.

Quando excõmunicatio eſt à iure ſeu á canone, non eſt opus ſupradicta trina monitione.

QVando excommunicatio fertur à canone, ſiue ſtatuto in futurũ, hoc pacto, vt qui illud, aut illud fecerit, ſit ipſo facto excommunicatus, ſeu quod hoc aut illud non fiat, ſub excommunicationis pœna, & adiungitur latæ ſententiæ, non requiritur præcedens trina canonica admonitio. Hęc concluſio eſt etiam omnium communis, & de eavidendus eſt Suarez vbi ſupra, ſect. 1. num. 6. cum ſequentibus, & diſp. 3. ſect. 8. nume. 1. cum ſequentibus, & Sayrus lib. 1. ſui theſauri cap. 7. nume. 13. etiam cum ſequentibus, & ſupradictus Nauarr. vbi ſupra num. 10. & in *cap. cum contingat, de reſcriptis, in quinta cauſa nullitatis*, & Innocent. in *cap. ſacro, de ſentent. excommunicat. in principio*, & Soto vbi ſupra, art. 2. concl. 3. vbi huius rei pulchram rationem reddit dicens, quod cum obedientia non ſit niſi reſpectu præcepti Superioris, qui vicem gerit Eccleſiæ, ſit vt niſi admonitio præceſſerit, nemo eſſe cenſeatur rebellis Eccleſiæ; at vero dum admonitio ſit à iure non requiritur alia admonitio, quam ipſum ius ſiue præceptum ipſum iuris, neque opus eſt, vt ea bina aut trina ſit, nam admonitio iuris ſolemnis eſt, & vna valet pro tribus. Quo fit, vt qui contra ſtatutum canonem ſiue legem, & admonitionem iuris, in aliquod peccatum incidit, ſeu quidpiam in contrarium facit, vbi appoſita eſt prædicta excommunicationis ſententia latæ ſententiæ, ſiue ipſo facto, ſtatim eo ipſo excommunicationem incurrit. Talis eſt excommunicatio appoſita in *cap. ſi quis ſuadente diabolo. 17. q. 4. & in cap. à nobis, el 1. de ſentent. excommunicat. & cap. 2. de conſtitut, lib. 6.* Hoc autẽ fuiſſe conſtitutum, quam maxime fuit rationi conſonum, & vt in excommunicationibus quæ fiunt ab homine, trina prius admonitio requireretur, quãuis non in his quæ fiunt á canone ſiue à iure, propter rationes ſuperius dictas, & propter maturitatem iudicij, quæ ante excommunicationem quam plurimum eſt neceſſaria, cum ſit maxima pœna, qua maior in Eccleſia excogitari non poteſt. Vnde per trinam prius admonitionem explorare oportet, an inobedientia & contumacia ſubditi tanta ſit vt id mereatur, fueritque dignus vt eiuſmodi mucrone confodiatur. Videatur hac de re ſupradictus Soto loco quo ſupra, vbi ad hoc propoſitum dicit plura eaque notatu digniſſima, & de pœnis quas incurrunt huiuſmodi admonitiones prætermittentes, de quibus etiam aliquid nos dicemus infra. Videatur præterea Suar. diſput. 3. ſect. 3. vbi etiam adducit varios modos, quibus dicta excommunicatio latæ ſententiæ apponi ſolet in iure, id quod & facit Sairus lib. 1. ſui theſau. cap. 11.

Nota rationẽ & cauſam, ob quam admonitio non præ requiritur, in excommunicationibus latis á iure, vel ſtatuto, requiritur autem in latis ab homine.

Quinta Concluſio.

Multi ſunt cá ſus, in quibus excommunicatio maior non incurritur, ſeu potiꝰ excommunicatus ab ea excuſatur.

MVlti ſunt caſus in quibus excommunicatio maior etiam lata cum ſupradictis binis, ſeu trinis admonitionibus non incurritur, ſeu potius excommunicatus, ab ea excuſatur. Hæc concluſio eſt Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 14. cum ſequentibus, & Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. conclu. 4. in fine, vbi hac de re plures caſus ponunt ſupradicti Auctores, quorum eſt primus, quando in excõmunicatione generali lata à iure, ſeu particulariter ab homine, aliquid præcipitur, quod quiſpiam facere non poſſit nec poteſt parere, ſine iuſta de cauſa ad id non tenetur, vt ſi quis non poteſt reſtituere vel denunciare furtum, aut iuſta de cauſa ab eo excuſatur, modo adhibeatur remedium, quod commode poteſt adhiberi, vt ceſſante neceſſitate ſiue cauſa ſatisfiat. Huius reſolutionis ratio eſt, quia vt habetur in iure & ratio ipſa naturalis dictat, ad impoſſibile nemo obligatur, quare ſi excõmunicatus eſt occultus, abſque ſcrupulo poteſt diuinis intereſſe, cauenda eſt tamẽ omnis fraus in ſupradictis: videatur Soto vbi ſupra. Secundus caſus eſt, ſi excommunicatio contineat manifeſtum aut intolerabilem errorem, vt ſi feratur pro re minima, aut pro re alias notabili, quæ tamen in tali caſu ſit parua, in tali caſu non incurritur. Qua de re exemplum ſatis notabile tradit Soto vbi ſupra, dicendo, quod quamuis percuſſores Clericorum ſint excommunicati, & qui in Eccleſia fundunt humanum ſanguinem, nihilominus tamen ſi pueri Clerici in Eccleſia rixãtes mutuo ſe pugno percuſſerint, & ſanguinem forſan è naribus emiſerint, ſeu ex capite, in parua tamen quantitate, inquit ſupradictus Soto, quod nulla imponantur excommunicationis cenſura. Tertius caſus eſt, quando excommunicatio fertur ſub conditione, nam in tali caſu certum eſt, quod non ligat ante impletam conditionem, per *cap. præterea, el 2. de appellat.* Neque etiam excommunicatio appoſita, ſub hac forma, ſi quis non ſoluat ad præſcriptum terminum, ligat aut erit quiſpiam excommunicatus, ipſo prorogato ante quam excõmunicatio incurratur. In quo conueniunt omnes Doctores communiter, quamuis ſit differentia inter ipſos, à quo fieri debeat eiuſmodi prorogatio. Nauarro vbi ſupra, num. 15. dicit hoc eſſe intelligẽdum, quando tempus prorogatum fuit ex cõſenſu

iudicis, ſecus tamen alias. Ad quod ſuum propoſitum probandum adducit Sylueſter, *verbo, excommunicatio 2. notab. 1. caſu 13.* nam inquit, licet excommunicatio lata ad petitionem partis, antequam incurratur tolli poſſit de conſenſu eiuſdem partis, non tamen ſuſpendi neque differri, nec ita mutari vt ſemel ſublata iterum incurratur, niſi id fiat à Iudice, nam hoc eſt iuriſdictionis, quam pars non poteſt tribuere, iuxta *leg. priuatorum, C. de iuriſd. omnium Iudicum.* Quartus caſus in quo non incurritur excommunicatio eſt, quando excuſat ignorantia facti probabilis, ab excommunicatione, ſecundum omnes, & etiam iuris illius quo fertur excommunicatio, propter opus aliquod alias de ſe licitum quod quiſpiam ignorabat, neque tenebatur ſcire eſſe prohibitum. Hoc tenet expreſſe Nauarr. loco ſupracit. num. 19. & idem dicit de ignorantia eius, qui facit opus de ſe illicitum, cui adiuncta eſt excommunicatio, per ſtatutum alicuius inferioris Papa quod ipſe quidem ignorabat, niſi ignorantia ſit craſſa aut ſupina, per *cap. 2. 9. vltim. de conſtitut. lib. 6.* ſecus eſt tamen ſi excommunicatio eſſet poſita lege Papæ, vt eſt percuſſio Clerici, argumento dict. *cap. 2. per locum à ſpeciali.* Sed alijs contrarium videtur verius cum Sylueſt. *verbo, excommunicatio 2. nota. 3. & verbo, excommunicatio, vlt. quæſt. 3.* quia (in quiũt) eadẽ omnino ratio in vtroque caſu inuenitur, vtraque enim eſt ignorantia iuris humani, nullumque aliud in hoc eſt diſcrimen, niſi quod ignorantia pœnarum legum Papæ non præſumitur, nec tam facile probari poteſt quoad forum exterius, atque pœnæ ſtatutorum ordinariorum. Videatur hac de re ſupradictus Nauarr. vbi ſupra, & in cap. 23. num. 41 & in *cap. fraternitas. 12. quæſt. 2.* vbi hac de re latiſſime agit. Videatur etiam Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. concl. 4. in 4. caſu, vbi circa hoc propoſitum de ignorantia iuris, ponit diſputationem longiſſimam, quam propterea in præſentiarum ſciens & prudens omitto, dicere tamen non prætermittam, quod excommunicatio nulla ligat, ſi qui eam tulit intentionem non habuit ligandi, aut qui eam petijt, intentionem non habuit vt ligetur quiſpiam, quia excommunicatio totum ſuum robur habet à voluntate excommunicantis, vel illius qui eam petiuit, de quo videatur Nauarrus vbi ſupra, numero 11. in fin.

Sexta Concluſio.

Ad ferendam excõmunicationem, nulla ſunt expreſſa determinata verba in iure

AD ferendam ſupradictam excommunicationẽ maiorem, nulla ſunt expreſſa & determinata verba in iure. Hanc concluſionem tenet expreſſe Nauarr. loco ſupracitato in Manuali, capi. 27. num. 12. vnde fit quod cum nulla ſit præſcripta in iure, excommunicationis ſubſtantialis forma, qualitercumque poni poteſt, nihilque refert, an Iudex ſiue Prælatus dicat, excommunico te, aut ſeparo te à fidelium communione vel quidpiam ſimile, modo proferat aliqua verba, quibus declaret ſuam intẽtionem & voluntatem excommunicandi aliquem ſeu aliquos de præſenti. Quod quidem non fit quãdo ponuntur in canone aliqua verba, quæ ſolummodo comminationem denotant, vt ſi Iudex ſiue Prælatus iubeant aliquid fieri vel non fieri, tantũmodo ſub excommunicationis pœna, non additis illis verbis, *latæ ſententiæ*, nam non propterea erit ſtatim quiſpiam excommunicatus, quia dicta verba non ſignificant actualem voluntatem excõmunicandi ipſo facto, ſed ſolummodo comminationẽ excommunicandi aliquem ſi non paruerit, iuxta gloſſam celebrem, in *cap. 1. de ſagitta*, cui eſt alia etiam ſimilis in *cap. 2. de matr. contrah.* Videatur hac de re Suar. 5. tomo, diſp. 3. ſect. 2. per tot. & diſp. 18. ſection. 4. etiam per tot. & Saytus lib. 1. cap. 11. á numer. 1. cum ſequentibus, & hac circa iſtum Articulum dicta ſufficiant, nam reliqua quæ ſuperſunt dicentur poſtmodum in ſubſequentibus. Dicamus nunc aliquid de excõmunicatione minori, de qua ſit quartus Articulus.

ARTICVLVS IIII.

De his quæ pertinent ad excommunicationem minorem in ſpeciali.

OMnia ad totum hunc Articulum ſpectant reſoluentur breuiter, atque reſolutiue, per omnes has ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quid ſit excõmunicatio minor, & quinã ipſius effectus

EXcommunicatio minor (vt ſupra dictum eſt) eſt cenſura Eccleſiaſtica, priuans hominem cõmunicatione ſolummodo paſſiua ſacramentorũ. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis reſolutio. De qua videndum eſt *capi. ſi celebrat, de Clerico excommunicato miniſtrante*, & Sylueſter, *verbo, excommunicat. 4. num. 1. cum ſequentibus*, & Sot. in 4. diſti. 22. quæſt. 1 art. 1. Suar. 5. dicto tom. in tertiam partem D. Thomæ, diſp. 8. ſect. 1. 2. & 3. latiſsime, & Sayr. lib. 2. cap. 22. à num. 1. cum ſequentibus. De qua dicta excommunicationi minori loquendo, inquit Nauarr. in Manuali, capi. 27. nume. 1. quod quamuis in iure diſpoſitiones pœnales, in dubio ſemper intelligantur atque intelligi debeant de minori pœna, per *cap. in pœnis, de reg. iur. lib. 6.* attamen cum iudex excommunicat aliquem ſimpliciter & ſine expreſſione maioris, vel minoris excommunicationis, ſemper intelligitur de maiori, per *cap. penult. de ſentent. excommunicat.* Dicitur autem prædicta excõmunicatio minor, vt inquit Sot. in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. non pro eo quod contemnenda ſit, aut nocumentum paruum inferat, ſiue propter paruitatẽ obiecti, ſed per comparationẽ ad maiorem, & quia excommunicatio maior, minorem prædictam in ſe includit & aliquid aliud addit, & etiam quia propter minora peccata incurritur. Ex ſupradicta excommunicationis minoris diffinitione colligitur, quod qui ipſam incurrit quamuis non poſſit eligi, poteſt tamen eligere & ſua iuriſdictione vti perſupradictum *cap. ſi celebrat, de Clerico excommunicato miniſtrante.* Poteſt etiam actiue miniſtrare ſacramenta dummodo aliis & dando ipſe non recipiat. Vnde qui Miſſam dicit ad communicandum alios, & Epiſcopus celebrans ad dandos ordines, non peccant qua parte dant ſacramenta, ſed peccant qua ratione ea ſumũt, qui eſt verus intellectus prædicti celebris *cap. ſi celebrat.* Qui ſit vt excõmunicatus prædicta

Qui ſint priuati excõmunicatione minori, qui bus autẽ non.

dicta excommunicatione minori, poſsit abſoluere non ſolum à peccatis, verumetiam ab excommunicatione maiori vel minori, argumẽto, *cap. duobus de ſentent. excommunicat. & dicti cap. ſi celebrat.* Item & miniſtrare ſiue dare ſacramentum Euchariſtiæ infirmis ſine Miſſæ celebratione, quidquid alijdicãt: neque peccat qui ſic eſt excommunicatus, audiendo Miſſam, nec ſumendo pacem, quæ in ipſa datur, per *cap. is cui, de ſentent. excommunicat. libr. 6.* De quibus omnibus videatur Nauarr. vbi ſupra, & Sot. in 4. ſententiarum. diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. in principio, & Suarez vbi ſupra, & diſput. 24. ſectione 2. per totam, & Sayrus vbi ſupra, libro ſecundo, capit. 22. per totum.

Secunda Concluſio.

Quãuis excõmunicatio minor, ferri poſsit per ſententiã iudi. nunquã tamẽ fertur, neque incurritur, niſi in caſibus in iure expreſsis

QVamuis ſupradicta excommunicatio minor, ferri poſſit per ſententiam iudicis, cõmuniter tamen & regulariter loquendo, nõ fertur niſi in caſibus qui à iure ſunt determinati & expreſſi. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Nauarr. vbi ſupra, num. 25. vbi & refert Innocentium in *cap. 1. de ſentent. excommunica.* ponentem octo caſus, in quibus prædicta excõmunicatio minor de iure incurrebatur olim, quod & facit Suarez vbi ſupra, diſp. 24. ſect. 3. à num. 1. cum ſequentibus, & Sayrus, lib. 2. cap. 23. num. 4. Sed tamen quia hodie vnum ſolũ videmus in vſu, eſſe dicique ſolet in alijs numquã fuiſſe veram excommunicationem minorem, ideo illos in præſentiarum referre conſulto prætermitto. Caſus autem per quem hodie incurritur prædicta excommunicatio minor, eſt participatio cum excommunicato excommunicatione maiori in caſibus prohibitis. Dixi, excommunicatione maiori, nam ob participationem cum excommunicato ex communicatione minori non incurritur, neque ipſa tranſit in tertiam perſonam, iuxta gloſſam communiter receptam, in *cap. excellentiſsimus, 11. quæſt. 3.* Sed de hoc ſtatim dicemus amplius. Qua de re vide Sotum in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. & quæſtion. 2. articulo 3. & Doctores omnes ſupracitatos in locis prædictis.

Tertia Concluſio.

Quis poſsit ab excõmunicatione minori abſoluere.

A Supradicta excommunicatione minori, quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſoluere, dummodo ipſe ſit expoſitus & approbatus per Ordinarium, etiamſi non ipſe ſit Parrochus. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Nauarr. loco ſupracitato numer. 25. & 39. & dicit eam eſſe Caietani, qui ait, quod ſicut prædictus ſimplex Sacerdos abſoluere poteſt à venialibus non habentem mortalia, ita etiam poteſt abſoluere à ſupradicta excommunicatione minori. Qua de re videndus eſt etiam prædictus Nauarr. in *cap. placuit, de pœnitent. diſt. 6. nume. 25.* & Sot. vbi ſupra diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. concl. 1. vbi huius rei pulchram reddit rationem, & Sayrus locis ſupracitatis. In calce huius articuli libuit aduertere, quod ſicut ſupradictum eſt, poſt incurſam dictam minorem excommunicationem, qui ea innodatus eſt antequam abſoluatur, nullum ſacramẽtum poteſt recipere, non pro eo quod ipſa æquetur peccato mortali (vt dixerunt Panormit. & alij in *cap. ſi celebrat, de Clerico excommunicato miniſtrante*) ſiquidem in multis ipſum excedit, & in multis exceditur ab illo, ſed propter rationem dictam in prima concluſione. An vero ſi de facto ipſum quiſpiã recipiat ſacramentum teneat, controuertitur inter Doctores Scholaſticos quammaxime. De qua quæſtione & controuerſia, videatur Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. arti. 1. in quodam incidenti dubio circa finem, nam breuitas cui tantopere ſtudemus, non fert in hiſce omnibus rebus immorari, hæc de iſto Articulo in ſumma dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

An licitum ſit communicare cum excommunicato, excommunicatione maiori?

Concluſio.

Nõ eſt licitũ communicare cũ excõmunicato excõmunicatione maiori, niſi in certis quibuſdã caſibus.

NOn eſt licitum communicare cum excommunicato excommunicatione maiori, niſi in certis quibuſdam caſibus, & qui contrarium facit, regulariter loquẽdo incurrit excommunicationem minorem. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarr. in Manuali, capi. 27. num. 26. & eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua & videndus eſt Soto in 4. diſt. 22. quæſtion. 1. art. 4. vbi hac de re latiſſime agit, & Suarez in dicto 5. tomo, diſp. 9. cum ſequentibus, per plures diſputationes & ſectiones, quod etiã facit Sayrus libro ſecundo ſui theſauri, à cap. 1. cum ſequẽtibus, & probatur expreſſe ex *cap. nuper, & capi. cum voluntate, in principio, & §. 1. de ſentent. excommunicat.* Caſus autem in quibus cum eiſdem communicare eſt licitum, duobus verſiculis comprehenduntur à gloſſa, in *cap. cum deſideres, de ſentent. excommunicat.* & ſunt ij qui ſequuntur.

Vtile lex humile, res ignorata neceſſe,
Hæc quinque faciunt, anathema ne poſsit obeſſe.

Quos quidem caſus, prædictis particulis comprehenſos breuiter explicare oportet. Per primam particulam *vtile* excluditur à prædicta prohibitione, qui participat cum excommunicato excommunicatione maiori, ad ipſius animæ vtilitatem, prædicando, vel admonendo quod illi conuenit, quãuis interponat etiam nonnulla aliqua verba, vt facilius atque commodius eundem perſuadeat, per *cap. reſponſo, & cap. cum voluntate, de ſentent. excommun.* & etiam ſi idipſum faciat, ad vtilitatem ſuam propriam temporalem præſertim ſibi debitam, vt petendo ab eo debitum, in iudicio ſeu extra illud, per *cap. intelleximus, de iudicijs.* Vnde nõ incurritur prædicta excommunicatio minor, per hoc quod quis petat conſilium ſpirituale, pro ſe aut pro alijs ab aliquo excommunicato excommunicatione maiori, neque etiam ſi ſit temporale valde neceſſarium, quando non occurrit aliquis ſimilis à quo petatur. Per illam autem particulam, *lex*, excluditur à prædicta excommunicatione minori vxor excommunicati, quæ tractando & conuerſando cum eo, nullam excommunicationem incurrit, nam lex coniugij ad

gij ad communicandum cum eo illam obligat. Per illam vero particulam, *humile*, excluduntur filij, quos excommunicatus ſecum habet, & ſimiliter ſerui & famuli, vrbani & ruſticani, qui ante excõmunicationem erant illi ſubiecti, qui omnes bene poſſunt eidem ſeruire vt tenentur, per *cap. quoniam multos, 14. quæſt. 3.* abſque excommunicationis periculo, niſi eorum conſilio, fauore ſeu auxilio ipſe in ſua contumacia perſeueret, per dictum *capi. quoniam, & cap. inter alia, cap. ſi vere, de ſentent. excommuni.* Diximus autem hoc eſſe intelligendum de illis, qui ante excommunicationem eidem erant ſubiecti, nam qui poſt incurſam excommunicationem, idipſum ſcientes cœperunt cum eo viuere, non excuſantur ab ea. Per verbum autem *res ignorata*, excluditur à ſupradicta prohibitione & excommunicatione minori, ignorans, per dictum *cap. quoniam* quando ignorantia eſt facti ſecundum omnes, & etiam quando eſt iuris dubij, per notata à Doctoribus, in *cap. ignorantia, de reg. iur. lib. 6. & §. notandum, 5. q. 4.* Dicitur autem iuſta ignorantia eius, qui ignorat aliquem excommunicatum eſſe denuntiatum, per Extrauagan. *ad euitanda*, de qua ſtatim dicemus. Verum eſt tamen, quod qui audiuit à fide dignis illum ſiue illam eſſe denũtiatam, tenetur ipſum eui tare, argumento *cap. illud, de Clerico excommun. miniſ.* ſed qui dubitat non ad id tenetur, præſertim in prę ſentia aliorum, quia iniuriam inferret eidem, vt tenet Ioann. Maior, in 4. diſt. 18. quæſt. 2. Per illam vltimam particulam, *neceſſe*, excipitur à prohibitione & excommunicatione prædicta, is qui participat cum excommunicato, propter magnam neceſſitatem, propriam, vel ipſius excommunicati, vt quia alter alterius indiget eleemoſyna, quam ab alijs commode habere non poteſt, per dictum *ca. quoniã*. Qua de re videatur Sot. vbi ſupra, concl. 5. vbi omnes ſupradictos caſus quam latiſſime enumerat & explicat, quod & facit etiam Suarez, 5. tom. diſpu. 15. per totam, & Sayrus, lib. 2. ca. 14. per totum. Ex quibus omnibus colligitur, quod particularia, & ſpecialia quædam priuilegia, quæ in aliquibus Religionibus habentur, conceſſa à quibuſdam Sũmis Pontificibus, quo eorum alumni & profeſſores, eũtes ſeu exiſtentes in terris & partibus infidelium, licite ibidem cum excommunicatis poſſint cõmunicare, in his, quæ ad ſalutem animarum ſuarum pertinent, ſeu quod quando per ipſorum terras trãſire contigerit, neceſſaria vitæ ab eis poſſint depoſcere, de quibus extant priuilegia Gregorij IX. Clementis IIII. nobis Fratribus Minoribus conceſſa, & habentur in Monument. noſtri Ordinis 1. impreſs. fol. 20. & 2. fol. 22. conc. 3. & iterum 1. impreſsione fol. 56. & 2. fol. 140. conc. 317. & referuntur in Compendio, *verbo, excommunicatio*, §. 1. & 2. hæc in quam priuilegia, revera continent ius commune, & parũ vel nihil deſeruiunt, niſi ad pacandos & quietandos ſcrupuloſorum animos, idemque dico de alia conceſſione Eugenij IIII. quæ habetur in Supplemento fol. 93. conc. 26. qua conceſſit, quod ſi noſtro tẽpore contigerit (quod abſit) in Eccleſia eſſe ſchiſma, poſſint Minores Fratres participare cum ſchiſmaticis, neque teneantur ijdem à ſuis locis recedere. Hæc in quam conceſſio, ſicuti & præcedens, vere etiam continet ius commune, nam ſecundũ ipſum, propter magnam neceſſitatem (vt ſupradictum eſt) licitum eſt cum excommunicatis, & etiã cum ſchiſmaticis communicare. Vnde fideles Catholici, qui modo in Gallia & Germania, earumq; Prouincijs, in externo conuictu cum manifeſtis hęreticis communicant, in nullam profecto incidunt excommunicationis pœnã, excuſanturque à peccato, propter neceſſitatem præciſam prædictam, neque enim tenentur ſua Regna ac Prouincias deſerere. Et idipſum poſſunt facere, etiam propter conſuetudinem, quæ vt dicitur optima eſt legum interpres, quæ quidem conſuetudo, cum ſciatur & toleretur à ſummis Pontificibus, qui propter ipſorum multitudiné non audent, aut non volunt procedere contra eos, excuſat ſupradictos fideles & Catholicos, ab omni culpa & excommunicationis pœna, vt expreſſe tenet Nauarr. in Manuali, capit. 27. num, 35. & 55.

Secunda Concluſio.

In quinque caſibus, prohibitum eſt, fidelibus, cõmunicare cũ excõmunicatis.

IN quinque caſibus prohibitum eſt, fidelibus cõmunicare cum excommunicatis. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndi ſunt omnes Doctores ſupracitati, ſed maxime Suarez quam latiſſime, cõprehenduntur- que ſupradicti caſus ſequenti verſiculo.

Os, orare, vale, communio, menſa, negatur.

De quibus caſibus videnda eſt Gloſſa, in *cap. ſtatuimus, de ſentent. excommunicat.* Per illam particulam, *os*, intelligitur & prohibetur participatio cum prędictis excommunicatis, colloquendo, oſculando, amplexando, recipiendo, mittendo, vel dando literas, per *cap. cum excommunicato, & ſequentibus, 11. q. 3.* Per illam vero *orare*, prohibetur partici patio cum eiſdem, in ſacrificijs, diuinisque officijs, communibuſque precibus, in Eccleſia vel extra eam, iuxta Innocentium, in *cap. nuper, de ſentent. excommunica. & cap. quod in te, de pœnitent. & remiſsion.* Quamuis oratione priuata, & quæ non fit totius Eccleſiæ nomine, licitum ſit pro ſupradictis excommunicatis orare, vt late proſequuntur ſupradicti Nauar. & Soti, locis ſupracitatis. Per illam vero particulam *vale*, prohibentur mutuæ ſalutationes, quæ fiunt colloquendo, ſeu literas mittendo aut recipiendo, & aſſurgendo, caput diſcooperiendo, &c. quamuis licitum ſit dicere eiſdem, *Deus te conuertat*, vel quidpiam ſimile, argumento *l. non omnis, ff. ſi certum petatur, & l. in agris, ff. de acquir. rerum dominio.* Per illam autem partem, *communio*, prohibetur participatio, quæ habetur ſimul cum eis, operando, exercendo aut faciendo aliquid, ſeu habitando in eadem domo. Per vlti. vero particulam, *menſa*, intelligitur etiam ipſa menſa, quolibet modo prohibita cũ eiſdem ſimul comedendo in eadem domo, quamuis domus ſit aliena, ſecundum Sanctum Antoninum 3. part. tit. 24. cap. 2. & Innocent. in dicto *capi. nuper.* De quibus omnibus videatur amplior tractatio fuſiorque ſermo, apud Nauarrum & Sotum ſupradictis locis præallegatis, & Suarez 5. tom. diſput. 15. ſect. 1. per totam, & Sayrus libro ſecundo ſui theſauri in præludio, & à capite decimo cum ſequentibus, nam vt dixi, breuitas cui tãtopere ſtudemus non ſinit nos in hiſce rebus amplius immorari. Non tamen dicere prætermittam cum Magiſtro Soto, quod in his omnibus, ita quin vero & magis peccant

cant ipſi excommunicati, tractando & communicando cum alijs, quam alij viciſſim tractando & cõmunicando cum eiſdem, cum vtrique ſint inobedientes Eccleſiæ, cæteriſque paribus prædictorum excommunicatorum maius & grauius ſit peccatũ cum etiam ipſi inid omnino cauſam dederint. Sed intelligenda eſt prædicta concluſio, iuxta ſenſum in prima iam concluſione explicatum, & niſi in caſibus ibidem exceptis. Pro quorum omnium pleniori intelligentia eſt ſummopere notandũ, quod ad pacandas & quietandas multorum ſcrupuloſorum conſcientias, & ad euitanda multa ſcandala, mala atque pericula, quæ ex contrario facto poterant euenire, in Concilio Conſtantienſi conſtituta eſt quædam Extrauagans, quæ incipit, *Ad euitanda*, relatam per D. Antoninum 3. part. tit. 25. cap. 2. qua decretum & ſtatutum fuit, *vt nullos teneamur euitare excommunicatos, niſi ſint excommunicati à altero duorũ modorum, nempe vel nominatim, vel quia ſunt, aut fuerunt manifeſte percuſſores Clericorum. & hoc adeo notorie quod nulla poſsit tergiuerſatione celari.* Circa explicationem atque declarationem Extrauagantis prædictæ, videatur prædictus Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 35. & Sot. in 4. ſententiarum, diſt. 1. quæſt. 5. ar. 6. loquendo de Miniſtris præciſis circa adminiſtrationem ſacramentorum, & diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. agẽdo de communicatione prohibita in rebus corporalibus & externis, cum prædictis excommunicatis, & Suarez, diſpu. 9 ſect. 2. vbi dicit plura, eaque notatu digniſſima, & Emanuel Rodericus ſecundo tomo quæſtionum Regularium, quæſt. 61. art. 2. late explicat, quando dicta Clerici percuſſio, dici debeat notoria, quando vero non, videatur ibidem, nam etiam ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaq; notatu digniſſima, in quibus propter temporis anguſtiam, haud quaquam immorari licet.

Nota circa Extrauag. ad euitanda.

Tertia Concluſio.

Cõmunicare cum excõmunicatis excõmunicatione maiori, quãuis loquendo regulariter tũ ſit peccatũ veniale, in aliquibus tamen caſibus erit mortale.

QVamuis communicare, & participare cum excommunicatis excommunicatione maiori (etiam extra caſus ſupradictos) communiter & regulariter loquendo, non ſit culpa pluſquam venialis, in aliquibus tamẽ caſibus eſt mortalis. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarri vbi ſupra, à num. 28. vſque ad 35. & Magiſtri Soti vbi ſupra concl. 2. vbi & refert opinionem quorundam aſſerentium ſemper in vniuerſum peccatum eſſe mortale, extra caſus exceptos ſeu in caſibus prohibitis, communicare cum prædictis excommunicatis, pro eo quod ſit contra præceptum Eccleſiæ. Sed contrariæ ipſe adhæret ſententiæ & opinioni, quam & dicit eſſe D. Thom. in 4. ſententiarum, diſt. 18. quæſt. 2 art 4. cui omnes conſentiunt Theologi & Iuriſconſulti, recentiores & ſapientiores, qui vnanimiter tenent quod communicare cum excommunicatis, nõ ſemper eſt peccatum mortale, ſed id æſtimari debet ex quantitate materiæ, ſit ne grauis, an vero leuis? Caſus autem in quibus dicta communicatio & participatio eſt mortalis (ſecundum Nauarrum vbi ſupra) reducuntur ad ſex. Primus eſt participatio in Sacramentis vel diuinis officijs. Secundus participatio nimis frequens. Tertius participatio facta in contemptum clauium. Quartus facta contra ſpeciale præceptum Iudicis. Quintus facta cum excõmunicato à Papa, cum participibus. Sextus participatio in peccato mortali. Quorum omnium rationem ſpecialitatis eſſe dicit, quia quælibet illarum participatio eſt principaliter prohibita, vel coniuncta cũ aliqua malitia mortali. Prima enim (inquit) eſt mortalis; quia communio ſacramentorum & diuinorum officiorum eſt principaliter vetita. Secunda vero etiam eſt mortalis, quia intelligitur de frequentia, quæ habet coniunctam malitiam mortalem, animandi excommunicatum ad delinquendum, contra *l. conueniri. ff de pact. dicta. & cap. ex parte, de conſuetudine.* Tertia quia habet etiam coniunctam malitiam mortalem, & inobedientiam, contra *cap. 13. epiſt. D. Pauli, ad Roman. & cap. ſolitæ de maio & obedien.* Quis autem dicatur cõtemnere, tradit prædictus Nauarr. in dicto Manuali, cap. 23. numer. 46. Quarta eſt etiam mortalis, quia eſt duplex inobedientia, nempe iuris & iudicis, per dictum *capi. fin. de maior. & obedien.* Quinta eadem ratione qua quarta, quin vero & potiori, cum ſit excommunicatio lata a Papa cum participibus, qualem (inquit Nauarrus) excommunicationem ſolus Papa ferre poteſt, vt amplius dicit, nume. 36. & tandem ſexta eſt mortalis, quia miſcetur ei malitia mortalis eiuſdem peccati. Qua de re videatur Soto vbi ſupra, cõcluſione 3. vbi ſex caſus ſupradictos ad quatuor tãtum reducit, ipſos que explicat, ea qua ſolet eminentia, quod & ſimiliter facit Suarez, diſp. 9. ſupra dicta cum ſequentibus, per plures diſputationes, & Sayrus libro ſecundo ſui theſauri, à capite primo cum ſequentibus. Et hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota caſus in quibus cũ excõmunicatis cõmunicare peccatum eſt mortale.

ARTICVLVS VI.

Vtrum metus mortis excuſet à peccato, communicando cum excommunicato, excommunicatione maiori?

Anc quæſtionem mouet, & quam latiſſime tractat Soto in 4. diſti. 22. quæſt. 1. art. 4. dubio vltimo, referens hac de re plurium Doctorum opiniones, nimis perplexas & controuerſas, circa poteſtatem Eccleſiæ ad faciendas & ponendas leges, obligantes ad peccatum mortale, & an Eccleſia ipſa intentionẽ habeat ſub tali culpa ſibi ſubditos obligare, ad nõ communicandum cum ſupradictis excommunicatis. & dato quod ea fuerit eiuſdem intentio, an excuſet à tali culpa & peccato mortis metus? Sed quia materia hæc longiſſima eſt, & quamplures in ſe continet incidentes difficultates, & de ea plura diximus ſupra in quæſtione de legibus in communi quæ eſt 25. in ordine, ſed maxime artic. 14. 15. & 16. ab ipſa in præſentiarum breuiter me expediam & pro propoſitæ difficultatis reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Qui mortis timore alloquitur excõmunicatum.

QVi timore mortis, excommunicatum alloquitur, participatq; cum eo etiã in diuinis officijs,

catũ, nõ peccat, neq; in communionẽ incurrit, modo id non fiat in contẽptum fidei.

cijs, non peccat neque incurrit excommunicationem, modo non participet in peccato mortali, neque cum negatione ſaltim tacita Catholicæ fidei. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarr. in ſuo Manuali capit. 27. numer. 36. & dicit eam eſſe Innocentij, in *capit. ſi iure, de ſentent. excommunicat.* & Maior. in 4. diſtinct. 18. quæſt. 4. & Sylueſtri, *verbo, excommunicatio* 5. *q.* 4. & eandem tenet Soto loco ſupracitato, & Suarez 5. tomo, diſp. 4. ſect. 3. num. 12. & Sayrus, libro 1. ſui theſauri, cap. 18. num. 42. Eſſet autem cõmunicatio, quæ reſultaret in contemptum fidei, ſi quis communicaret cum aliquo excommunicato, propter metum mortis incuſſum in vilipendium eiuſdem excommunicationis, ſiue facultatis excommunicandi, in quo quidẽ caſu (inquit ſupradictus Nauarrus) quod oportet potius mori, & tenetur quiſpiam magis vitam contemnere, quam ſic communicare cum tali excommunicato, nam magis tenetur defendere articulum fidei de auctoritate & poteſtate Eccleſiæ, circa ferendam excommunicationem & illius valorem, quam vitam ipſam corporalem, per *cap. Presbyteros, diſt. 5. & cap. ita ne, 32. q.* 5. Et hoc modo, inquit, limitandum eſt, quod communiter dicunt Doctores, in *capit. in ſacris, de his quæ vi*, de quo etiam videatur prædictus Nauarrus, in *cap. ſicut, de conſecratione, diſt. 1.* & Ioann. Maior. & Sylueſter, & Soto vbi ſupra. In calce huius Articuli libuit aduertere, quod qui ſemel eſt excommunicatus, & vt talis denuntiatus, ſemper debet vitari quouſque conſtiterit de abſolutione, per Gloſſam, in *cap. propoſuit, de Clerico excommu. miniſtrante*, niſi ſit perſona tantæ auctoritatis, vt affirmãti ſibi ſe eſſe abſolutam, poſſit & debeat credi probabiliter. Videatur hac de re Angelus, *verbo, excommunicatio*, 8. §. 16. & Nauarr. vbi ſupra, num. 36.

ARTICVLVS IIII.

Quinam ſit effectus excommunicationis, & pœnæ in quas incidunt excommunicati?

QVæ ad totum hunc Articulum ſpectant reſoluentur breuiter, atque reſolutiue, per omnes has ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quibus rebus priuantur qui ſunt excõmunicati, & qui nã ſunt excõmunicationis effectus.

PRæter illa quinque ſupradicta, quibus artic. 3. concl. 1. diximus, excommunicatos excommunicatione maiori priuari, ſunt etiam & quædam alia ſibi prohibita, de quibus dicemus per ordinem. Hæc concluſio non aliter poteſt aut debet probari, quam adducendo & afferendo excommunicationis effectus, & ea quibus dicta excommunicatio maior priuat, & ſunt quæ ſequuntur. Primo actu & exercitio cuiuſcumque ordinis ſacri, & facit irregularem quemcumque vtentẽ aliquo actu ordini ſuo peculiari, per *cap. ſi celebrat, de Cler. excommun. miniſtrante.* Secundo priuat collatione cuiuſcumq; beneficij Eccleſiaſtici, & facit ipſam adeo nullam, vt non conualeſcat per abſolutionem, niſi renouetur, per *cap. bonæ, ee ætate & qualitate, & capit. poſtulaſti, cum Gloſſa & ei adnotatis, de Cler. excommun. miniſtrante* & conſequenter tenetur illud relinquere & reſtituere fructus ad id vſque tempus perceptos. Tertio priuat, facultate eligendi actiua & paſſiua, per *ca. conſtitutus, el* 1. *de appella.* Quarto ſuſpendit ab officio & beneficio, per *cap. paſtoralis, §. verum, eod. tit.* quãquam ſi habet officium publicũ, valebit quod per illud fecerit ratione eius, quouſque toleratur per *cap. ad probandum, de re iudicata*, Quinto exuit, ſiue eximit ſubditos ab onere ſeruiendi, ratione fidelitatis aut ſubiectionis iuriſdictionalis, quamdiu fuerit excommunicatus, per *cap. penult. & vlti. 15. quæſt. 6.* Item ſexto annullat reſcripta obtenta à ſummo Pontifice, præterquam ſuper articulo eiuſdem excommunicationis, per *cap. 1. de reſcriptis, lib. 6.* Hac de re quod de more fit, eſt vt detur abſolutio ad effectum illorum conſequendum, ſi non inſorduerit per annum, per *ca. ita quorundam, de Iudæis.* Super quod capitulum, videnda eſt repetitio ſolẽnis ſupradicti Doctoris Nauarri, vbi in Gloſſa vltima, num. 16. ponit tenorem regulæ Cancellariæ de eiuſmodi inſordeſcentibus. Septimo repellit à iudicio, vt non poſſit eſſe actor neque procurator actoris nec rei, poteſt tamen eſſe reus ad ſe defendendum, per *cap. intelleximus, de iudicijs*, vt tenet cõmunis opinio, & etiam conſtitui procurator, vt abſolutus procurare poſſit, vt tenet Nauarr. in *ca. poſt ceſſionem, de probationibus*, poſt Decium contra communem. Octauo priuat à ſepultura loci ſacri, per *cap. ſacris, de ſepulturis*, Nono facit, vt perſeuerans in excommunicatione per vnum annum in cauſa criminali, videatur crimen confiteri, per *cap. rurſus, & cap. quicumque, 11. quæſt. 3.* quinvero Gloſſa finalis, in *ca. 1. de iudicijs*, tenet quod priuari debet ſuis beneficijs, ſed Nau. dicit hoc nõ eſſe verum, id quod & latiſſime probat ibidem. Sed nunc nouiſſime per Concilium Tridentinum, ſeſſ. 25. cap. 3. de reformatione, in excommunicatione inſordeſcens & perſeuerans per annum, de hæreſi habetur ſuſpectus. Decimo, excommunicatio ſecundum aliquos, excommunicatum facit infamem, ſi ea eſt manifeſta, per *cap. infames, 6. q.* 1. ſed hoc limitatur ab alijs, vt ſolum procedat in excommunicato ob cauſam afferentem infamiam iuris, ſeu ob contumaciã in cauſa infamiã afferente. Tandem vndecimo & vltimo excommunicatio, obligat excommunicatum per aliquod tempus manentem in ea, ad ſoluendam pœnam conſtitutam in aliquibus Epiſcopatibus, & etiam per ſeculares leges, antequam abſoluatur. Qua de re videatur Angelus, *verbo, excommunicatio vltim.* §. 13. & de ſupradictis omnibus Naua. in Manuali, cap. 27. à numer. 21. vſque 24. & Soto in 4. diſt. 22. quæſtione prima, articulo quarto, concluſione ſecunda, & Suarez quinto tomo, à diſputatione nona, vſque ad decimã ſeptimã, per plures ſectiones, & Sayrus libro ſecundo ſui theſauri, à ca. 1. cum ſequentibus latiſſime.

Secunda Concluſio.

Omnes actus excõmunicati etiã denuntiati, regulariter valẽt, quãuis ipſe peccet mortaliter.

QVamuis ſupradicta omnia vera ſint, omnes tamen actus excommunicati etiam denuntiati, regulariter valent atque alteriusnõ excõmunicati, quamuis in agendo ipſos (ſi fuerint ex ſupradictis

dictis) peccet mortaliter. Hæc cõcluſio eſt expreſſa ſupradicti Nauarr. vbi ſupra, nume. 36. in reſponſione ad ſextum, cuius reddit rationem, nam excõmunicatus propter excommunicationem, non deſinit eſſe verus homo nec liber, aut perdit ſeu amittit poteſtatem naturalem, atque ita poteſt contrahere regulariter, ſicut & quilibet alius, quamuis in contrahendo & recipiendo prædictum ſacramentum in eo ſtatu, peccet mortaliter. Poteſt præterea facere omnia ea, quæ iuri naturali gentium ſiue ciuili nituntur, argumento *cap. ius naturale, & ibi Ius gentium, 1. diſt. & l. 1. §. ius naturale, & lex hoſtilis, ff. de iuſtitia & iure*, & conſequenter poteſt teſtari, ſecundum communem contra gloſſam in *cap. decernimus, de ſent. excommunicat. lib. 6.* quod præſertim procedit, verumque habet in actibus quos lex humana non poteſt annullare, quales ſunt actus ſacramentales. Vnde Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, collata excommunicato, vel ab excommunicato, valent ſecundum omnes, & matrimonium, per *cap. ſignificauit, de eo qui duxit in matrimoniũ*. Non autẽ valent regulariter, actus pertinentes ad poteſtatẽ & iuriſdictionem eccleſiaſticam humanam, per quam ipſi annullantur, annullarique poſſunt, quales ſunt præſentatio ad beneficia, electio, poſtulatio, confirmatio, inſtitutio, collatio, prouiſio, & nominatio, per *cap. ſi celebrat, cap. poſtulaſti, de Clerico excommunicato miniſtrante*. De quibus omnibus videantur latiſſime Magiſter Suarez, & Sayrus, locis ſupra citatis.

ARTICVLVS VIII.

Quinam poſſint aut non poſſint excõmunicare?

IN præſenti Articulo agendum eſt de cauſa efficienti excommunicationis, de qua ſit prima concluſio, in ordine ſolito.

Prima Concluſio.

Qui poſſunt excommunicare, ſunt Papa Archiepiſcopi, & Epiſcopi, alij q; Prælati.

CAuſa efficiens excommunicationis, eſſe poſſunt Summus Põtifex, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alij Prælati, etiamſi ſint Epiſcopis minores qui Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem habent iuriſdictionem, quales ſunt in Religionibus, Generalis & Prouincialis, quales etiam ſunt multi Abbates, Præpoſiti & Priores aliquarum Eccleſiarũ Collegiatarum, Regularium vel ſecularium, etiã ſi non ſint conſecrati, neque benedicti, modo ſint confirmati & prouiſi, nam hi omnes excommunicare poſſunt ſibi ſubditos de iure communi. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarr. in ſuo Manuali, cap. 27. num. 5. & probat eam, per *cap. tranſmiſſam, tap. ſuffragandis, de electione, & cap. cum ab Eccleſiarum, de offic. ordinarij*, & idem dicit eſſe intelligendum de alijs, qui conſuetudine præſcripta, iuriſdictionem ſibi compararunt, per *cap. duo ſimul, de officio ordinarij, & cap. cum contingat, de foro competenti*. Et aduertit conſulto poſuiſſe ſe particulam illam, *Eccleſiarum Collegiatarum*, nam alij qui vocantur Abbates & Priores in multis regionibus, eo quod ſunt Rectores Eccleſiarum, habentium ſub ſe multos beneficiatos, non viuentes collegialiter, non poſſunt excommunicare iure communi, quia nullam ab eo habẽt iuriſdictionem fori exterioris, ſecundum notata, in *cap. licet canon*, & Gloſſam, *in capit. Nauclerus, verbo, Collegiatis, de electione, lib. 6.* & Panormitanum in *cap. nobis, de iure patronatus*.

Capitulum etiam Sede vacante, excommunicare poteſt, per *cap. cum olim, de ſententia & obedientia*. Item & Legatus Summi Pontificis, per *cap. de his, 12. diſt.* & etiam delegati omnium prædictorum excõmunicare poſſunt eos, in quos delegatam habent iuriſdictionem, per *cap. 8. & 9. de officio deleg.* Ex quibus omnibus ſequitur, quod Parrochi Eccleſiarũ ſimplicium Parrochialium, excommunicare non poſſunt ſuos Parrochianos, iure communi neque ſpeciali, quia facultas excommunicandi non oritur ab Ordine, imo eſt pars quædam iuriſdictionis fori exterioris, iuxta Gloſſam receptam, in dicto *cap. tranſmiſſam*, quam ipſi non habent. Poſſunt tamen eam habere ex conſuetudine præſcripta, argumento dicti *cap. duo ſimul, & cap. cum contingat*, & tunc tantam iuriſdictionem habebunt, quantam conſuetudo dederit neque ampliorem. Videatur hac de re Soto in 4. ſententiarum, diſt. 22. quæſt. 2. art. 1. per totum, & Syluester, *verbo, excommunicatio, 1. num. 5.* & Suarez, quinto tomo, diſput. 2. ſectio. 2. num. 1. & diſp. 18. ſect. 1. num. 1. & Sayrus, lib. 1. cap. 5. latiſſime.

Secunda Concluſio.

Epiſcopi excommunicare non poſſunt extra ſuã territoriũ, etiã ſibi ſubditos.

EPiſcopi excommunicare non poſſunt extra ſuũ Epiſcopatum, etiam ſibi ſubditos. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Nauarr. vbi ſupra, nume. 6. quam & probat, per *cap. Epiſcopum, 11. q. 3.* & dicit eam eſſe veram, etiamſi Epiſcopus vi fuiſſet expulſus, niſi in loco viciniori ſui Epiſcopatui, iuxta Clementinam 1. *de foro competenti*, aut niſi de conſenſu Epiſcopi, vbi manent, atque domicilium habent, aut in re adeo manifeſta, quæ non requirat cauſæ cognitionem, argumento *capi. cum ſit, 5. fin. de appell.* Cuius rei ratio eſt, nam ad excommunicandum requiritur locus, in quo ſedeant pro tribunali, quem ipſi extra ſuum territorium non habent. Hac de re videatur *cap. nouit, de officio deleg.* cum Gloſſa, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima, & allegantur plura iura, ſed præcipue *cap. fin. de conſtitut. lib. 6.* Videatur Nauarr. vbi ſupra, & Soto etiam loco præallegato, & Sayrus, & Suarez locis ſupra citatis.

Tertia Concluſio.

Etiam Prælati Regulares excommunicare non poſſunt niſi in ſuis locis, & territorijs reſpectiue.

PRælati Regulares, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionẽ habentes, quales in Religionibus exemptis, ſunt Generales & Prouinciales, de iure communi & ex ſuis priuilegijs particularibus, poſſunt ſibi ſubditos excommunicare, ſed non niſi in ſuis locis ſiue territorijs. Pro huius cõcluſionis intelligentia præmitto, quod Emanuel Rodericus 2. tomo quæſtionum Regularium, quæſtion. 59. art. 1. hac de re agens, conſtituit huiuſmodi differentiam inter Epiſcopos & ſupradictos Prælatos

latos Regulares, dicens, quod Episcopi (vt in præcedenti conclusione est dictum) excommunicare non possunt sibi subditos extra suum territorium, nisi in casibus ibidem exceptis, id quod est de iure communi: at verò Prælati Regulares prædicti, inquit, iurisdictionem habent sine territorio, ac proinde in alieno territorio, illàpossunt exercere, & sibi subditos excommunicare, vt de iudice arbitro habetur in iure, in *l. si cum ædes, §. si arbiter, ff. de arbitris*, nam ex quo ipsis in alterius territorio iurisdictio conceditur, etiam consequenter & eiusdem iurisdictionis vsus, concedi videtur argumento multorum iurium, *l. ad legatum, & l. ad rem mobilem, ff. de procur. & leg. cui iurisdictio, ff. de iurisd. omnium iud.* Sed hæc doctrina & sententia, non mihi satis placet, quin vero crediderim supradictos Prælatos Regulares, intra limites suarum Religionum, propriũ habere territorium. Et vt loquamur de Prouincialibus Ministris, qui limitatam habent iurisdictionem, intra proprias Prouincias, negare quis potest quod Prouincialis Minister, verbi gratia, Prouinciæ D. Iacobi proprium habeat territorium, quod est ipsa Prouincia sic denominata? Idemque dico de Ministro Prouinciali Prouinciæ Bethicæ, & cuiuscumque alterius, in quibus sunt illi subditi & subiecti omnes earum Prouinciarum Conuentus, & tamquam in proprio territorio resident, vnde neque extra ipsum excommunicare quempiã possunt, sicut neque Episcopi. Neque obstat quod à Manuele Roderico prædicto in contrarium adducitur, nempe quod omnia loca, vbi Conuentus prædictarum Prouinciarum sunt constructi, sunt Episcoporum territorium, respectiue, non vero dictorum Prouincialium, vt constat, ex *cap. cum Episcopus de offic. ordin. lib. 6.* nam bene stat & optime se compatitur, quod Ecclesiæ alicuius Prouinciæ, & loca ibidem non exempta, subdantur prædictis Episcopis & sint ipsorum proprium territorium, Monasteria autem ibidem exempta, ex priuilegijs & auctoritate summorum Pontificum, sint etiam territorium supradictorum Ministrorum Prouincialium. Non etiam quidquam valet ratio alia, quæ adducitur ab eodem Roderico de præcedentia in supradictis locis etiam exemptis, quando supradicti Episcopi & Prouinciales, quin vero & Generales Ministri simul conueniant in processionibus seu alijs, quo quidem casu Episcopi præcedere debent, nã id non obstat supradictis, cum revera Episcopi ipsi sint vere in suo territorio, quamuis in Monasterio alias exempto, cum sit (vt supponitur) eiusmodi Monasterium constructum in tali loco, nec de iure communi construi & ædificare potuerit sine licentia & consensu prædictorum Episcoporũ, qua quidem ratione iure optimo præcedere debent, non solum ob dictam rationem, sed multis alijs titulis, vnde supradicta ratio, non etiam valet quidquam. Qua de causa supradicto dicendi modo prætermisso, circa præsentem conclusionem resolutiue dico, quod supradicti Ministri Generales & Prouinciales, de iure communi & ex speciali, excommunicare quidem possunt sibi subditos, sed non nisi in suis proprijs territorijs, eo modo quo & Episcopi, nisi in casibus superius exceptis, id quod est de iure communi per iura in præcedenti conclusione allegata. Neque hac in re vllam prorsus inuenio differentiam inter prædictos Prælatos Regulares & Episcopos. Non etiam prædictis obstat, quod dicit Ioann. Andreas, in *cap. cum contingat, de foro competenti*, & Geminianus, in *cap. vt animarum, de constit.* vbi dicunt Prælatos Episcopis inferiores non habere territorium, nam hoc limitandum est, nisi ipsi sint exempti simul cum suis subditis, de quo videndus est Syluester, *verbo, excommunicatio 3. nume. 15. & verbo, excommunicatio, 1. num. 6. in fine*, vbi & absolute dicit citans Hostiensem, quod nec Episcopi excommunicare possunt, extra suam diœcesim, neq; alij Prælati extra suæ iurisdictionis territorium, quod valde facit pro hac opinione, quæ est tenenda, & communiter obseruatur in praxi.

Quarta Conclusio.

Multiiure prohibentur excõmunicare, & quinam sint illi?

MVlti etiam iure prohibentur excommunicare, de quibus in hac conclusione dicemus per ordinem. Primo, mulieres excommunicare nõ possunt, argumento *cap. noua, de pœnitent. & remissione.* Qua de re plura diximus in 1. tomo agendo de Abbatissis siue Præpositis Monialium. Secũdo nec laici, sine priuilegio Apostolico quempiã possunt excommunicare, per *cap. præter, adiuncta Glossa, verbo, dubitabis, 32. dist.* Tertio neque quispiam se ipsum excõmunicare potest, iuxta *l. qui iurisdictioni, ff. de iurisd. omnium iudicum.* Quapropter Episcopus, qui generaliter excommunicat quemcumque, qui furatus fuerit aliquid, aut furabitur, luserit aut ludet, licet ipse idipsum faciat aut fecerit, non erit excommunicatus, secundum Hostiensem in summa, *de sententia excommunicatio. §. quis valeat*, & S. Thom. in 4. dist. 18, quæst. 2. ad secundum, & Ioann. Andream, in regula, *cui licet, de regulis iuris, li. 6.* communiter receptos. Sed tamen si Episcopus esset solummodo denuntiator, excommunicationis summi Pontificis, aliquid prohibentis fieri aut non fieri, comprehendet excommunicatio etiam ipsum, secundum communem omnium mentem. Quarto neque consuetudo sola absque sententia, & absque constitutione aliqua, quempiam valet excommunicare, nisi sit legitime præscripta aut approbata à summo Põtifice, aut ab alio Prælato quantum ad suos subditos, quia tunc vim haberet statuti, secundum Angelum, *verbo, excommunicatio, 1. §. 6.* Quinto neque excommunicatus potest excommunicare, quamuis sit occultus, secundum Glossam, & *cap. audiuimus, 24 q. 1.* verius tamen est, quod si non est denuntiatus potest excommunicare, & valet excommunicatio ab eo lata, secundum Panormitanum, in *capi. ab excõmunicato, nume. 5. de rescriptis, & capit. cum dilecti, de dolo & contumacia, sub fine*, & Felinum in *cap. ad probandum col. 3. de re iudicata.* De quibus omnibus videatur Nauarr. in suo Manuali, cap. 27. num. 6. & 7. & in *capit. dilectas, el 2. de præbendis*, in responsione ad argumenta contraria, vbi idipsum probat per Extrauagantem, *ad euitanda*, & idem tenet Soto, in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. in vltimo dubio. Et aduerto vt dicit Nauarr. in Manuali vbi supra, numer. 8. quod qui sciens aut scire debens, se non posse alium excommunicare, de facto illum excommunicat, mortaliter peccat, propter iniuriam quã illi irrogat, & quia alterius vsurpat iurisdictionem, quod est mortale, secundum S. Thomam secunda secundæ, quæst. 60. art. 6.

quibus

quibus de rebus videatur Syluester, *verbo, excommunicatio*, 1. num. 5. & 6. lapissime, & Suarez 5. tomo disp. 2. sect. 3. & disp. 18. sect. 1. & Sayrus, lib. 1. cap. 5. à num. 1. cum sequentibus.

ARTICVLVS IX.

Vtrum excommunicatio ferri possit diebus feriatis, & an sit necessario ferenda in scriptis?

Prima Conclusio.

Excõmunicatio regulariter loquendo ferri nõ debet diebus feriatis, nisi in casibus infra dicendis.

Excommunicatio regulariter loquendo, ferri non potest diebus feriatis. Huius conclusionis ratio est, nam cum excommunicatio (vt supra diximus) ferri non possit aut debeat, nisi causa cognita & præuia sententia & iustificatione causæ, vt habetur in *capi. sacro, de sentent. excommunicat. lib. 6. & capit. nemo, 2. quæst. 1.* diebus autem feriatis eiusmodi causæ, non etiam debeant aut possint cognosci, vt definitum habetur in iure, in *l. actus, de ferijs, & in cap. fin. eodem titu.* inde est quod excommunicatio diebus feriatis ferri non possit. Verum est tamen, quod si eiusmodi diebus feratur, valebit excommunicationis sententia, vt tenet Abbas, in *cap. fin. de ferijs, num. 13.* & omnes communiter Doctores. Qua eadem ratione valebit excommunicationis censura, etiam diebus festiuis, lata contra eum, qui in Ecclesia eodem tẽpore, dum diuina celebrantur obstrepit, & admonitus non quieuit, argumento deducto ex *ca. veniens, de sentent excommunicat.* Cuius & præterea ratio est nam cum eiusmodi contumacia sit notoria, causæ cognitione non indiget. Vnde Prælati Regulares supradictis diebus feriatis, excommunicare possunt suos subditos rebelles & contumaces, quia ipsi non procedunt cum strepitu & figura iudicij, sed simpliciter & de plano vt notũ est. Possunt etiã ferre siue proponere excommunicationem generalem, contra aliquos prohibitum aliquid facientes, & generaliter ferri potest excommunicatio diebus feriatis, in omnibus casibus in quibus nulla causæ cognitio requiritur, nec nimium diuinus cultus impeditur, & etiam noctu excommunicationes ferri possunt ipso facto, licet aliæ sententiæ, noctu latæ sint nullæ, sed in censuris dicendum videtur contrarium, vt tenet Federicus de Senis, cons. 2. num. 3. versu, item si quis quocumque die, & Vgol. de censuris Ecclesiast. Tabula 1. ca. 27. §. 2 Videatur etiam hac de re Emanuel Rod. in suis qq. Reg. to. 2. q. 59. ar. 2. & Suar. 5. tom. disp. 18. sect. 3. & Sayr. lib. 1. suæ thesau. ca. 14. num. 7. 8. & 9.

Excõmunicatio etiã noctu ferri potest, licet aliæ sententiæ noctulatæ sint nullæ.

Secunda Conclusio.

Excõmunicatio regulariter loquendo, ferẽda est in scriptis & qui sine scriptura

EXcommunicatio regulariter loquendo ferenda est in scriptis, & qui sine Canonica monitione præmissa, vel solo verbo & sine aliqua scriptura excommunicat (nisi iusta de causa id omittat) mortaliter peccat, quamuis excommunicatio valeat. Hæc conclusio est omnium DD. communis, & de ea specialiter videndus est Nauarr. *in* suo Manuali cap. 27. num. 8. vbi & dicit, quod huiusmodi excommunicans solo verbo, & sine scriptura publica aut priuata (vt dictum est) manet suspensus per vnum mẽsem ab ingressu Ecclesiæ & à diuinis officijs, per *cap. sacro, de sentent. excommun. & c. 1. eod. tit. lib. 6.* intra quem si celebrauerit aliquod officium diuinum, alicui ordini peculiariter addictum, efficitur irregularis, per dictum *c. 1. de sentent. excommun. lib. 6.* Dicit tamen, quod huiusmodi pœna non afficit Episcopos, quia ibi nõ fit eorum particularis mentio, quod est necesse, vt & ipsi suspensionem incurrant, per *capi. quia periculosum, eod. tit. & lib.* Item neque comprehendit prædicta pœna Religiosorũ Prælatos, quando est periculum in mora, aut quando Constitutiones alicuius Ordinis præscribunt aliam formam. Quoad primum facit, *cap. constitutionem sub fine, de sentent. excommun. lib. 6.* quoad secundum vero de Constitutionibus (inquit) esse necessarium, quod huiusmodi Constitutiones sint confirmatæ à Summo Põtifice, nam alias non possunt derogare iuri communi, per *cap. quod super his, de maiorit. & obed.* Sed quid, si quis Prælatus Regularis propter ignorantiam iuris, sine scripto excommunicet, peccabit ne? Gabr. in 4. dist. 18. q. 2. can. 7. inquit, quod non, sed suprad. Nauar. loco supracitato dicit, quod ignorantia prædicta, nisi esset multum iusta, non excusaret eiusmodi, per *cap. ignorantia, de reg. iur. lib. 6.* præsertim quia Religiosorum Prælati, in hisce rebus cautius se debent habere, & cũ maiori iustificatione excommunicare, quam alij, propter maiorem charitatem quã habere debent erga Fratres suos, argumento eorũ, quæ notat Panor. in *cap. causam quæ, de iudic.* Sed ad euitanda eiusmodi inconuenientia, Leo X. concessit *quod Prælati Ordinis Minorum Regularis obseruantiæ, cum aliquem Fratrem propter apostasiam, vel aliam causam excõmunicant, in capitulo Fratrum vel in communitate, non teneantur proferre sententiam excommunicationis in scriptis prout sub pœna suspensionis præcipitur proferentibus in iure*, ita habetur in Suppl. Ordinis, fol. 93. conce. 41. & refertur in Compendio, *verbo, absolutio ordinaria*, §. 26 & refert illud Gab. in 4. d. 18. q. 2. & Syluest. *verbo excommunicatio* 1. §. 14. & Panor. *in capi. cum speciali, de appell.* Aduertendum tamen est, quod in nostris Cõstitutionibus generalibus Toletanis, præcipitur, *vt nullus nostræ Religionis Prælatus, proferat excommunicationis sententiam, per modum ordinationis vel statuti ad præcauenda delicta, vt est prohibitus ingressus in cellas siue in aliquas secularium domos & id genus alia nisi in scriptis & quod excommunicatio aliter lata, præsenti constitutione nulla esse decernitur atque declaratur.* Habetur in cap. 6. quod est de correct. delinq. tit. *de pœn. excommun.* Circa quam ordinationem est aduertendum, quod nõ intelligitur neque habet locum, in excommunicatione lata à Prælatis, per modum præcepti, vt quando Prælati præcipiunt aliquibus Fratribus in particulari, vt non certas domos ingrediantur, seu quod quando vadunt extra Ciuitatem ad prædicandum, non transeant per mediam ciuitatem, & alia similia, & hoc tantum & non plus voluit dicere Leo Decimus, non enim ipse concessit vniuersaliter, vt Prælati non teneantur sententiam excommunicationis in scriptis proferre, sed tantum illam, quæ per modũ præcepti fulminatur, contra

excõmunicat mortaliter peccat, licet excõmunicatio valeat.

Pœna excommunicantis si ne scripto quæ nã fit, & an locum habeat etiam in Episcopis.

Episcopi suspendi nõ possunt de iure, nisi de eis specialis mentio fiat.

Nota priuilegiũ, quod habent Regulares ad excommunicandum incerdũ sibi subditos sine scripto.

Nota pro excõmunicationibus, quæ ponũntur in nostro sacro Ordine per modũ statuti, qualiter sint ponẽdæ.

aliquem Fratrem in particulari, vt conſtat ex ipſius verbis, ibi, *cum aliquem Fratrem excommunicati, &c.* nam excommunicationem, quæ eſt per modum ſtatuti & ordinationis, ſemper tenentur iuxta terminos iuris & ſupradictæ Conſtitutionis Toletanæ, in ſcriptis proferre. Erit autem illa excommunicatio per modum ſtatuti, quæ apponitur omnibus alicuius Prouinciæ, ſiue Conuentus aut communitatis Cõuentualibus Fratribus permanenter, & nõ ad certum tempus, etenim ſi ad certum tempus apponatur, per modum præcepti eſſe cenſebitur. Ad cuius generalis conſtitutionis obſeruantiam maiorem, in ordinationibus particularibus noſtræ S. Prouinciæ D. Iacobi, habetur, *quod vt Superiorum præcepta & mandata ſtrictius obſeruentur, & ne quis eorum ignorantiam præſumat, quoties cum aliquid per obedientiam ſiue vero per excommunicationem fuerit præceptum, eiuſmodi mandatum apponatur ad refectorij portas interius ſubſcriptum, & Superioris nomine, cuius fuerit mandatum, ſiue præceptum, quodque aliter factum in conſcientia non obliget, & modo ſit poſitum ibi communitati permanenter, & per modum ſtatuti & ordinationis, abſque vlla temporis limitatione, attamen cum huiuſmodi præceptum alicui Religioſo in particulari fuerit impoſitum ſtatim obligat, quãuis in ſcriptis non feratur, & idem intelligendum eſt, quando fuerit impoſitum toti communitati per modum præcepti, non vero ſtatuti, & per aliquod certum & determinatum tempus.* Circa quam Conſtitutionem notanda ſunt valde verba illa; *in conſcientia ſeu foro conſcientiæ*, nam in foro exteriori obedientia appoſita à Prælatis, ſine vllo ſcripto valet, ita vt ipſam transgrediens ab eiſdem puniri poſſit, quod eſt valde notandum.

Nota quod excõmunicatio lata, nõ ſeruata ſubſtãtiali forma eſt nulla.

In calce huius Articuli libuit aduertere (vt amplius infra dicemus) quod excõmunicatio eſt nulla, quandocumque Prælatus illam fert, non ſeruata neceſſaria iuris forma, quæ requirit monitionẽ aliquam iuris ſiue iudicis, vt ſi poſt eam quiſpiam fuerit inobediens & contumax, & Eccleſiam non audierit, excommunicari poſſit & haberi ſicut ethnicus & publicanus, vt habetur Matt. 18. quæ quidem forma ibi tradita eſt à Chriſto Domino. At vero aliæ ſolemnitates iuris, ſi perperam & ſine cauſa omittantur, vt quod prædicta admonitio ſit trina, quod ſupradicta excommunicatio, non diebus feriatis, aut niſi in ſcriptis feratur, &c. quamuis cõtrarium facientes peccent, punirique poſſint & debeant, non tamen ipſarum defectus excommunicationis ſententiam annullat, vt tenet communis opinio. De qua ſpecialiter videndus eſt Soto, in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. in quodam incidenti dubio, & Couarruuias, in *cap. alma Mater*, 1. par. §. 9. num. 7. & Nauarrus in ſuo Manuali, capi. 27. numer. 8. Suarez 5. tomo, diſputat. 3. ſection. 13. à numero primo cum ſequentibus, & Sayrus, lib. 1. ſui theſauri, capit. 13. numero primo cum ſequentibus. Et hæc de iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant.

ARTICVLVS X.

Vtrum Monaſteria, Collegia ſiue Communitates, poſſint excommunicari?

POſtquam in præcedentibus Articulis egimus de cauſa efficiente excõmunicationis, & poſt conſiderationem illorum, qui excommunicare poſſunt aut non poſſunt, congruenti ſequitur ordine, per tractatio etiã eorum, qui poſſunt aut non poſſunt excommunicari. Qua de re latiſſime agit Sylueſter, *verbo, excommunicatio*, 1. numer. 7. cum ſequentibus, & Suarez, 5. tomo, diſputatio. 5. ſectione 1. & diſputation. 18. ſectione 2. & Sayrus, libr. 1. capit. 8. per totum, & Soto in 4. diſtinctione 22. quæſtio. 2. articu. 2. Nauarrus in ſuo Manuali, capit. 27. numer. 13. vbi ſupradicti omnes in ſumma ſiue in ſubſtantia dicunt, quod excommunicari non poteſt, niſi homo baptizatus, mortalis, adultus, Superiorem habens. Ex quo proinde ſequitur quod Papa, aut diabolus ſiue infideles excommunicari non poſſunt, neque vero locuſta & id generis alia, quamuis poſſint adiurari, vtẽdo cõtra ea aqua benedicta, & aliquibus precibus & adiurationibus ſanctis, fundatis in diuina miſericordia & bonitate, verbiſque ſanctiſſimis, ad id ex Eccleſiæ Catholicæ inſtitutione conſtitutis. Quibus omnibus prætermiſſis, nam hæc ſpeculatiua & Scholaſtica potius ſunt, quam practica ſiue moralia, ad propoſitam difficultatem reuertendo, pro illius reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota quinam ſint qui excõmunicari nõ poſſunt.

Concluſio.

SEntentia excommunicationis, ferri & pronunciari non poteſt, in Monaſteria, Vniuerſitates, ſiue Collegia. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soti, loco ſupracitato, concluſione ſecunda, quam eſſe dicit Diui Thomæ, & communem omnium Doctorum, cuius & rationem reddit, nam vt pluries dictum eſt, nemo poteſt excommunicari, niſi propter peccatum inobedientiæ, ſiue contumaciæ: peccare autem eſt actus perſonalis & non vniuerſitatis, nam vniuerſitas non peccat, niſi quia ſinguli peccant: ergo excommunicationis ſententia, ferri non poteſt, niſi in ſingulos Monaſterij, Vniuerſitatis ſiue Collegij inobedientes, ſiue contumaces. Dicit tamen ſupradictus Soto, eſſe aliquos in ea ſententia vt credant, quod licet talis excommunicationis ſententia, in Communitatem ferri non poſſit, lata nihilominus teneat: ſed nihilominus ipſe contrariũ aſſerit eſſe tenendum, nam eſſet periculum quod aliquis ibidem citra culpam excommunicaretur. Et roganti, quid ſi ſententia excõmunicationis ferretur, vt nemo de Collegio exiret, eligeret ſeu eligeretur, aut quidpiam ageret, quid in tali caſu eſſet faciendũ? Reſpondet ibidẽ, quod quicũq; eidem non pareret eam incurreret, ſi eſſet per viam ſtatuti ipſo facto poſita, attamẽ ſi eſſet monitoria, non poſſet poſtmodum proferri ſenten-

Monaſteria & cõmunitates ſiue Collegia, excõmunicari nõ poſſunt.

ſententia tamquam in contumacem in totum Collegium, quouſque ſinguli audirentur, an haberent cauſam legitimam excuſandi ſe à peccato. Aduertendum eſt tamen, quod quamuis Monaſterium, Vniuerſitas, ſiue Collegium excommunicari non poſſint, poſſunt attamen interdici, neque valet cõſequentia, poſſunt interdici: ergo & poſſunt excõmunicari: nam interdictum non ſemper ponitur pro culpa eorum qui interdicuntur, ſed in odium illius, qui in Vrbe eſt excommunicatus, at excommunicatio ſemper ponitur pro culpa, inobedientia & contumacia illius, qui excommunicatur. Hinc fit, vt interdicti ſi non ſint in culpa, quæ excommunicationi ſubiecta eſt, licet arceantur ab audiendis ſacris, non tamen priuantur Eccleſiæ ſuffragijs, quod eſt valde notandum & memoriæ cõmendandum. De quibus omnibus videatur Suarez, quinto tomo, diſputatione 5. ſectione 2. nume. 29. & diſputatione 10. ſectione 2. numer. 2. & Sayrus, libr. 1. capit. 8. à numer. 15. cum ſequentibus. In calce huius Articuli eſt etiam notandum, quod excommunicatus vnica excommunicatione, & eius cenſuris innodatus, poteſt iterum atque iterum excommunicari, non ſolum propter nouum crimen, ſed etiam propter idem aggrauando cenſuras ad maiorem eiuſdem terrorem & confuſionem, neq; abſolutus ab vna excommunicatione, cenſetur ſtatim abſolutus ab alijs, vt latiusinfra dicemus. Quæ de re videatur Soto loco ſupracitato, concluſion. tertia, & Nauarrus in ſuo Manuali, capite 27. numero 26. Et hæc pro iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant.

Nota quod Monaſterium communitas, ſiue Collegium, quamuis excommunicari non poſſint, poſſunt tamẽ interdici.

Nota quod excommunicatus vnica excommunicatione, poteſt iterum excommunicari alia, & abſolutus ab vna non perinde cenſetur abſolutus ab alia.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Religioſi ſiue Regulares excommunicari poſſint, ab Ordinarijs Prælatis?

Prima Concluſio.

Locorũ Ordinarij excommunicare non poſſunt, Religioſos ſiue Regulares exẽptos.

LOcorum Ordinarij, excommunicare non poſſunt Religioſos ſiue Regulares exemptos. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam adducendo & referendo ad hoc indulta, & conceſſa eſſe Religioſis, varia & diuerſa priuilegia. Atque in primis, Martinus Quintus pro maiori Fratrum quiete: *Conceſsit nobis Fratribus Minoribus, quod Ordinarij & Prælati alij, ſiue quæuis alia perſona, generaliter vel ſpecialiter, aut communiter aut diuiſim, non poſsint quauis auctoritate, excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias, in nos promulgare.* Habetur in Monumentis Ordinis 2. impreſſione, conceſſ. 681. & in Supplemento, folio. 80. conceſſ. 240. & refertur in Compendio, *verbo, excommunicatio*, §. 1. & 2. & idipſum conceſſum eſſe dicitur ſub nomine Eugenij Quarti, & refertur in Compendio. Clemens etiam Quartus *Conceſsit eiſdem Fratribus Minoribus, ne ab aliquo Legato (niſi de Latere Sedis Apoſtolicæ miſſo) vel delegato aut ſubdelegato, & auctoritate literarum prædictæ Sedis, poſsint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, niſi ipſæ literæ plenam & expreſſam, de ordine præfato & indulto huiuſmodi facerent mentionem.* Habetur in ſupradictis Monumentis 1. impreſſione, fol. 29. & 2. fol. 26. conceſſ. 25. & in Supplemento, fol. 3. conceſſione prima, & refertur in Compendio, *verbo, excommunicatio*, §. 3. Sed præterea facit ad hoc propoſitum, id quod etiam conceſſiſſe dicitur Sixtus Quartus: *Qui ſtatuit ne locorum Diœceſani ſeu Ordinarij, vel alij quicumque, in perſonas aut loca Fratrum Minorum, contra priuilegium exemptionis, ſibi quancumque iuriſdictionem aut Superioritatem vẽdicare præſumant, ac diſtricte inhibuit, ne quiſquam abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali conceſsione & auctoritate, in perſonas domos & loca dicti Ordinis Minorum (vtpote prorſus exemptas) aliquas cenſuras vel ſententias, ſpecialiter vel generaliter promulgare audeat.* Habetur in ſupradictis Monumentis 1. impreſſione, fol. 60. & 2. fol. 44 conceſſione 347. & refertur in Compendio, *verbo, exẽptio*, §. 23. & in ſequenti §. 24. dicitur quod hoc ipſum conceſsit copioſiſsime idem Sixtus Quartus Fratribus Carmelitanis pleniſsimam ipſis tribuẽdo exemptionem; & dicens in ſuma: *Quod nullus Ordinarius ſeu Legatus, quauis auctoritate vtens, quamcumque ſuperioritatem ſuperiprædictos Fratres ſiue verdicare præſumat, neque aliquis abſque ſpeciali commiſsione Sedis Apoſtolicæ, faciente mentionem de verbo ad verbum de huiuſmodi indulto valeat pronunciare ſiue promulgare aliquas ſententias excommunicationis ſeu alias cenſuras ſuper eoſdem, & voluit quod proceſſus facti contra Fratres præfatos, pro infectis habeantur, etiam ſi eorum exemptio (vtpote notoria) non fuerit allegata.* Habetur etiam in prædictis Monumentis. 1. impreſ. fol. 94. & 2. fol. 183. conceſ. 444. & refertur in comp. vbi ſupra. Circa quæ prædicta priuilegia eſt notandum, quod ſi aliquis Ordinarius per cenſuras, contra Religioſos & perſonas Regulares, habentes eiuſmodi priuilegia, ſeu eorum communicationem procedat, apponendo excommunicationem, ſuſpenſionem, ſiue interdictum, in Eccleſia aliqua Regulari, quãuis ipſe ignoret exemptionis priuilegium, cenſura ab eo collata eſt ipſo iure nulla, & ſine effectu, & in nullo foro ſeruanda, vt tradit Couar. in cap. *alma mater*, 1. *part.* §. 7. *num.* 5. & Corduba, lib. 3. ſui quæſtionarij magni, quæſt. 43. & Emmanuel Rodericus, 2. tom. quæſtionum Regularium, quæſt. 59. art. 5. cuius rationem reddit, nam Religioſorum exemptio, iam omni populo etiam Ordinarijs notoria, vt habetur in iure, in cap. *ex parte el ſecundo de priuileg.* quod maxime verum habet in Fratribus mendicantibus, quorum ab Ordinarijs exemptio, ita eſt publica & notoria, vt neque teneantur ipſi eandem allegare. Sed hac de re loquendo Ricardus, in 4. diſt. 18. dicit quod Ordinarius non poteſt excommunicare Regulares, ſi ante ſententiam allegauerint in ſuam defenſionem exemptionis priuilegium, ſintq; parati ipſum oſtendere: ſi vero illud non allegauerint inquit quod adhuc excõmunicatio non valet, ſi priuilegiũ ipſum eſt iam publicatum, ſi vero non ſit publicatum, etiam excommunicatio non valet, ſi ſit notum Iudici, argumento cuiuſdam Decretalis in capit. *ſi duobus, de appellationib. iuncta Gloſſa.* Si autem priuilegium

Nota quod excõmunicatio lata ab Epiſcopis, in Religioſos notorie exemptos, eſt ipſo iure nulla.

Nota qualiter ſe habere debeant, Regulares exempti, in offenſione ſuæ exemptionis.

non est Iudici notum, nec priuilegiatus fuit in longo libertatis tenore, tunc dicit quod sententia tenet, argumento supradictæ Decretalis, quod intelligit Syluester, *verbo, exceptio, numer. 9.* esse verum, nisi in priuilegio esset clausula irritans, quia tunc nó valeret sententia. Si vero priuilegiatus alleget priuilegium, non publicatum, neque Iudici notum nec fuit in longo libertatis tenore, & Iudici petẽti priuilegium sibi ostendi, non vult illud ostendere, neque clausulam continentem suam libertatem, in tali (inquit) casu, tenebit excommunicatio si de facto feratur contra eum, iuxta quandam aliã Decretalem, in *capit. cum persona, de priuilegijs, libro sexto*, neque per ostensionem priuilegij postmodũ factam, censebitur excommunicatio nulla, vel reuocanda, quin vero suum sortietur effectum. Quod est maxime notandum & multum memoriæ commendandum.

Secunda Conclusio.

Religiosi & Regulares excommunicari non possunt, nisi nominatim exprimãtur.

REligiosi & Regulares, excommunicari non possunt, nisi nominatim exprimantur. Hæc cõclusio probatur ex priuilegio & concessione Nicolai Quinti, cuius fit mentio in Compendio Societatis Iesu, *titulo, excommunicatio, §. 3.* qui quidem Põtifex, vt dicitur, *voluit Fratres ligari aliqua censura excommunicationis, suspensionis aut interdicti iuris vel hominis, nisi eorum nominatim mentio fiat.* Neque sufficit, quod dicatur in sententia generaliter, vt perinde valeat ac si essent expresie nominati, nam contrarium est omnino declaratum & determinatum, & habetur hæc Summi Pontificis declaratio, in Ceremoniali seu Pontificali Romano in Bibliotheca Vaticana, vt refertur in dicto Compendio. Quod quidem priuilegium est quammaxime notandum, nam iuxta ipsum si aliquæ modo Paulinæ ab aliquo Legato (etiam á Latere) contra Fratres publicarentur, excommunicationis pœnam continentes, minime censuræ ibidem appositæ Religiosos prædictos comprehendet (iuxta superius dicta) nisi de eisdem in eis specialis & expressa mentio fiat.

Tertia Conclusio.

Milites & personæ Ordinum Militariũ D. Iacobi Calatrauæ, Alcãtaræ, & S. Ioãnis, excommunicari etiã non possunt ab Ordinarijs, neque interdici.

MIlites & personæ Ordinum Militarium, Diui Iacobi, Alcantaræ & Calatrauæ, & Sancti Ioannis Baptistæ, non etiam possunt ab Ordinarijs excommunicari aut interdici. Hæc conclusio satis constat ex innumeris prædictarum Religionum priuilegijs, quæ & propterea in præsentiarum referre, breuitatis causa omitto. Solummodo dico breuiter, quod quancũq; ob causam excommunicatio feratur, contra priuilegiatum seu habentem exemptionis priuilegium, ipsa erit omnino nulla, cum deficiat in tali casu Ordinario prædicto contra exemptos iurisdictio, ad quem pertinet potestas ligandi & apponendi censuras, & vt habetur in iure, sententia lata à non suo Iudice nulla est. Sed aduerto quod quamuis supradicti milites professi Ordinum Militarium, ab Ordinarijs excommunicari non possint, vt singulares personæ, si tamen ipsi induant personam publicam, seu habeant officia publica, vt si sint Correctores ciuitatum, &

Nota quod quãuis Milites Ord. Militariũ, excommunicari nõ possint, vt singulares personæ, benetamẽ si personã cõmunem induãt vt si sunt Ciuitatũ Correctores, & similia officia habeant.

delinquant in aliquo, seu Episcoporum iurisdictionem perturbent, iuxta tenorem sacrorum Canonum, vt si Clericos & Presbyteros in carcerem conijciant, in tali casu & similibus, locorum Ordinarij, bene possunt procedere contra eos, vt contra personas publicas, declarando illos esse excommunicatos à Canone, & interdicendo ipsos, & apponendo cessationem á diuinis propter eorum delicta & insulta, & etiam poterunt ipsos excommunicare, casu quo ratione delicti ab eisdem commissi, nulla in iure habeatur excommunicatio, nam priuilegia ipsis concessa, ne scilicet excommunicari possint siue interdici, intelligi debent de illis, vt sunt Milites & singulares personæ, professæ dictorum Ordinum Militarium, non autem vt sunt personæ publicæ, Rectores siue Correctores & Magistratus, sic enim deficeret in eis gladius Ecclesiasticus, & Episcoporum muero, pro huiusmodi casibus, in Ecclesia constitutus, nec possent Ordinarij ab eorum vexationibus se liberare, quod minime est credendum voluisse, siue intendisse Summos Pontifices, cõcedentes prædicta priuilegia. Quod probatur à simili, ex definitione Celestini Tertij, idipsum decernentis & respondentis, in alio simili casu, in quadam Decretali, quæ incipit: *Cum capella, de priuilegio*, quod quidem est valde notandum & multum memoriæ commendandum. Hactenus de isto Articulo.

ARTICVLVS XII.

Quænam de nouo statuerit, & determinauerit Tridentinum Concilium, circa ferendam excommunicationis sententiam?

Prima Conclusio.

Excõmunicatio non est ferenda, sine magna causa.

VAmuis excommunicationis gladius, neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, ad populos continendos in officio valde salutaris, sobrie tamen magnaque circunspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius quam salutem parare. Hæc conclusio atque determinatio est expressa supradicti Concilij Tridentini, sess. 25. cap. 3. de reformat. vbi argumentũ prædictum etiam prosequendo dicitur: *Quod excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem relationis (vt aiunt) aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur, & tunc non alias quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat, neque ad eas concedendas, cuiusuis secularis etiam Magistratus auctoritate adducatur, sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum, quando ipsi pro re, loco, persona, aut tempore, eas decernendas esse iudicauerint.* Ad cuius quidem Decreti obseruantiam majorem in nostris Constitutionibus generalibus Tolet. ca. 6. de conc. delinq. §. *de pœn. excõmunicat.* dicuntur plura, sed inter alia, quod cũ præ dictum Conc. dicat, excommunicationes latas ad

finem

finem reuelationis, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus, à ſolis Epiſcopis loci imponi debere: *Præcipitur vt Guardiani, cum non habeant iuriſdictionem Epiſcopalem, excommunicare non poſſint in tribus ſupradictis caſibus, videlicet ad finem reuelationis in iudicio, & pro deperditis aut proſubtractis rebus, nam in his tribus caſibus, ad maiores noſtræ Religionis Prælatos ſolum, iuriſdictionem Epiſcopalem habentes, pertinet excommunicationem inferre.* Hæc vbi ſupra. Additur tamen quod non propterea liceat cuicumque Fratri, Guardianorum excommunicationem contemnere, aut non formidare, ſub prætextu, quod contenta in hac conſtitutione non ſint obſeruata, cum non ad ſubditos, ſed ad Prælatos hæc cognitio pertineat, & ſpectet. Habentur in prædictis Conſtitutionibus, vbi ſupra.

Noſti inquib⁹ caſibus Guardiani nō poſſunt excōmunicare.

Secunda Concluſio

In cauſis iudicialibus, ſi executio realis vel perſonalis fieri poteſt, abſtinendum eſt á cenſuris.

IN cauſis iudicialibus, omnibus mandatur Eccleſiaſticis iudicibus, cuiuſcumque dignitatis exiſtant, vt quandocumque executio realis vel perſonalis in qualibet parte iudicij, propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, ſe abſtineant, tam in procedendo, quam in definiendo, à cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu interdicto. Hæc concluſio habetur etiam expreſſa in dicto Concilio Tridentino vbi ſupra, ſed additur: *Quod liceat eis ſi expedire videbitur, in cauſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcumque etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi exiſtentibus, eo ipſo quo exactæ fuerint, aſſignetur, ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem per ſuos proprios aut alienos executores faciendam, ſiue etiam per priuationem beneficiorum, aliaque iuris remedia procedere, & cauſas definire. Quod ſi executio realis vel perſonalis aduerſus reos hac ratione fieri non poterit, ſitque erga Iudicem contumacia, tunc eos etiã anathematis mucrone, arbitrio ſuo præter alias pœnas ferire poterunt.* Hæc Concilium Tridentinum prædictum vbi ſupra.

Tertia Concluſio.

In cauſis quocumque criminalibus, etiã abſtinendũ eſt á cenſuris, quãdo executio realis aut perſonalis fieri poteſt.

IN cauſis quoque criminalibus, vbi executio realis vel perſonalis, vt ſupra fieri poterit, à cenſuris eſt etiam abſtinendum. Habetur hæc concluſio in Concilio Tridentino vbi ſupra, ſed additur ibidem, *quod ſi dictæ exequutioni facile locus eſſe non poſſit, tunc licebit iudici ſpirituali gladio in delinquentes vti, ſi tamen delicti qualitas, præcedente ſaltem binamonitione, etiam per edictum id poſtulet.* Dicitur etiam ibi, *quod nefas ſit ſeculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Iudici, ne quem excommunicet aut mandare vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti decreto non ſint obſeruata, cum non ad ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticos iudices hæc cognitio pertineat.*

Quæ omnia ſunt quammaxime notanda, atque multum memoriæ commendanda.

Quarta Concluſio.

Inſordeſcens in excōmunicatione per annum, habetur ſuſpectus de fide.

ORdinatur vlterius in Concilio Tridentino prædicto, vt quicumque excommunicatus, poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad ſacra & fidelium communionem, ac familiaritatem non recipiatur, ſed ſi obdurato animo, cenſuris annexus, in illis per annum iuſorduerit, contra eum etiam tamquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit. Hæc Concilium Tridentinum vbi ſupra. Ex quibus omnibus eliciuntur tria præcipue notanda. Primo quod ſolus Epiſcopus aut Epiſcopalem iuriſdictionem habens, ferre poteſt excommunicationes generales in caſibus ſupradictis. Secundo, quod in cauſis ciuilibus nullus iudex debet vti excommunicatione, niſi in ſubſidium aliorum iuris remediorum, neque in criminalibus, niſi cum exequutio perſonalis vel realis valde fuerit difficilis. Tertio quod inſordeſcens in excommunicatione per annum, habeatur de hæreſi ſuſpectus. Et hæc de iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant.

Notanda ſpecialiter circa ſupradicta.

ARTICVLVS XIII.

In quibus caſibus excommunicationis ſententia, cenſetur non ſolum iniuſta, verumetiam nulla, & an dicta excommunicatio nulla, aliquem operetur effectum?

HAc de re latiſſime agit Sot. in 4. d. 22. q. 1. ar. 3. & Nauarr. in ſuo Man. cap. 27. nu. 4. De quorum omnium reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Excōmunicationis ſententia in quinque caſibus eſt nō ſolum iniuſta verumetiã & nulla.

EXcommunicationis ſententia, non ſolum eſt iniuſta verumetiam nulla in multis caſibus, qui tamen omnes ad quinque reducuntur. Primus eſt ex parte ipſius excommunicantis, quãdo is qui excommunicat, non eſt iudex excōmunicati, per *cap. nullus, de parr.* aut non eſt toleratus, qualis eſt excōmunicatus, ſuſpenſus à iuriſdictione aut interdictus, & vt talis denuntiatus, vel ſi eſt iudex delegatus & exceſſit fines ſui mandati, per *cap. vltimum de reſtitut. ſpoliat.* Secundus eſt ex parte eiuſdem excommunicationis, quando excommunicatio fertur contra tenorem priuilegiorum, per *ca. quanto, de priuil. & c. 1. §. ex parte, de conceſſ. præbend. li. 6.* Tertius ex parte excōmunicati, vt quando fertur excōmunicatio poſt appellationes legitimas, per *cap. tuas, de ſentent. excommunicat. & ca. cum contingat, de offic. deleg. & c. ad præſentiam, de appell.* Quartus, quando excōmunicatio continet intolerabilem errorem, qualẽ habet illa quæ datur contra aliquẽ, eo quod fecit aliquid recte, vtputa quia dedit eleemoſynas pauperi, aut quia nō fecit aliquid illicitũ ſeu impoſſibi-

le, vel quia fecit aliquid, quod alias erat de se licitum, vt si iudex Eccleſiaſticus, in odium priuilegiorum quæ habent Mendicantes, vt omnes ſibi poſſint confiteri, excommunicaret eos, qui accederent ad Euchariſtiam neque eſſent proprio Parrocho, ſiue Sacerdoti parrochiali confeſſi, per *capit. venerabilibus, paragrapho final. de ſententia excommunicationis, libro ſexto, & capite qui præeſt, vndecima quæſtione tertia.* Quintus, quando excommunicator, excommunicat eos qui participant cum excommunicato à ſe, non nominando eos expreſſe trina monitione præuia, cum interuallo aliquot dierum, per *capit. præſenti. capit. ſtatuimus, & capit. conſtitutiones, de ſententia excommunicationis, libro ſexto.* Procuius caſus intelligentia notandum eſt, quod in prædictis capitulis præcipitur, quod participantes cũ excommunicatis, non excommunicentur excommunicatione maiori, ante præuiam canonicam monitionem, & quod excommunicatio aliter lata non teneat. Circa quod dicit ſapientiſſimus Magiſter Soto vbi ſupra, concluſione tertia, in quarto caſu, quod eiuſmodi excommunicatio in participantes ferri non poteſt aut debet, niſi explicentur ſub proprijs & certis nominibus illi excommunicati cum quibus participatio prohibetur. Etenim (inquit) ſi iudex ſic diceret, præcipimus ſub cenſura aut ſententia excommunicationis maioris, vt nemo communicet cum excommunicatis huius Ciuitatis, eiuſmodi ſententia eſſet nulla, quamuis exprimeret ac diceret, cum illis qui ſunt nominatim excommunicati, aut manifeſti percuſſores Clericorum, quos alias ipſi tenerentur vitare; eſſet enim hoc confuſionem parere, & laqueos timoratis conſcientijs injicere, ſiue obtendere. Sed forma cenſuræ excommunicationis maioris, de participantibus, debet eſſe talis ac poni ſub hac forma, vt ſcilicet, nemo participet cum Petro aut Paulo excommunicato, aut ſaltem iudex nominare debet eos de officio, ſeu de alia qualitate manifeſta, vt dicendo, quod nemo participet cum Prætore. Quod in tantum credit eſſe verum, vt dicat quod ſi diceret, nemo participet cum omnibus miniſtris iuſtitiæ, adhuc eiuſmodi ſententia, videretur eſſe illicita & nulla, quia vix noti eſſe poſſunt omnes iuſtitiæ miniſtri. Secus autem eſſet ſi diceret cum Senatoribus aut Scribis, caſu quo eorum numerus eſſet certus, idemque notiſſimus. Ac præterea (inquit) vt talis ſententia ſit legitima, debet ipſam præcedere canonica admonitio, aliter vero eſſet nulla, vt ſancitur in ſupradicto *capite, ſtatuimus, de ſententia excommunicationis.* Cui quidem doctrinæ conſentit etiam ſapientiſſimus Doctor Nauarrus in ſuo Manuali, vbi ſupra, numero quarto, vbi addit, prædicta omnia intelligenda eſſe, cum excommunicato à ſe, hoc eſt ab eodem iudice, qui ſententiam excommunicationis tulit, nam ſecus inquit eſſet, in excommunicatione lata contra participantes cum excommunicatis ab alio, pro quo citat Petrum in *capite peruenit, el ſegundo, de appellationibus*, qui dixit eſſe id ſingulare dictum, quod colligitur ex ſupradicto *capite præſenti, verbo à ſe.* Neque obſtat (inquit) quod prædicta capitula conſuetudine eſſe derogata videntur, cum de more non dentur literæ contra participantem nominatim, tum quia id in Luſitania paſſim fit, tum etiam quia in terris, in quibus id non faciunt iudices, ſubditi etiam non ſeruant eorum præcepta, & vt illi ſunt in poſſeſſione ferendi literas contra participantes, ſine ſolemnitate prædictorum iurium, ita iſti ſunt in poſſeſſione non parendi illis, & non habendi ſe pro excommunicatis excommunicatione maiori, ad effectum ſe abſtinendi à diuinis, & obtinendi abſolutionem à tali excommunicatione maiori, quapropter, inquit, per id non eſſe videtur derogatum prædictis capitulis, argumento eorum, quæ notantur in *capite finali de conſuetudine.* Neque etiam obſtat, inquit prædictus Doctor Nauarrus, quod ſequeretur literas illas ſuperuacaneas eſſe: quia poteſt dici, quod profunt ad effectum perueniendi ad interdictum & brachium ſeculare, iuxta *capit. primũ cum ei adnotatis, de officio ordinarij.* Non etiam obſtat, quod in aliquot Regionibus eſt conſuetudo dandi denuntiatoriam contra eos, qui non ſunt confeſſi ante Paſcha, excommunicando vicinos participantes cum eis, & quod illa excommunicatio cenſetur valida, & ligare vicinos prædictos, cum eiſdem participantes, nam illa non datur cõtra participantes cum excommunicatis ab ipſo denunciante, ſed cum excommunicatis à conſtitutione Synodali, quo caſu denuncians non excommunicat, ſed tantum declarat, iuxta *legẽ hæredes palam, paragrapho ſed ſi notam, ff. de teſtamentis.* Hæc omnia ſunt valde notanda & multum memoriæ commendanda. In ſupradictis tantum caſibus, excommunicationis ſententia eſt non ſolum iniuſta, verum etiam nulla. Sed an hæc aliquem operetur effectum per ſequentem Concluſionem reſpondetur, atque declaratur.

Nota quod participantes cũ excommunicatis debẽt excõmunicari nominatim, alias excommunicatio nihil operabitur.

Qualis eſſe debeat forma excõmunicationis, cõtra participantes.

Secunda Concluſio.

Quẽ operetur effectũ, ſentẽtia excommunicationis, quæ eſt iniuſta & nulla.

SEntentia quæ aliquo prædictorum modorum fuerit iniuſta & nulla, non alium operabitur effectum in foro interiori neque in exteriori, quã quod obligat excommunicatum ad ſeruandam eam, quoad populus ſibi perſuadeat, aut perſuadere debeat nullitatis cauſas, ad euitandum ſcandalum. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Doctoris Nauarri vbi ſupra numero tertio in fine, vbi & probat eam ex dictis à ſe, in *capite cum contingat, de reſcriptis, & in capite penultimo, de ſententia excommunicationis.* Eandem ſententiam tenet ſapientiſſimus Magiſter Soto vbi ſupra, explicando concluſionem ſecundam, vbi inquit, quod ſententia excommunicationis, quæ aliquo prædictorum modorum eſt nulla, non habet cauſam vt timeatur, neque de illa loquitur Diuus Gregorius, quando dixit, quod ſententia paſtoris, ſiue iuſta ſiue iniuſta eſt timenda. Quod & ex ipſius verbis colligi poteſt, poſtquam dicit, paſtoris ſententiam eſſe timendam, quo quidem dicto iam præſupponit, quod ſententia debet eſſe paſtoris & legitimi iudicis, & à contrario ſenſu, quod illa, quæ non fuerit paſtoris, ac iudicis legitimi, timenda non eſt, & præterea ſententia debet eſſe, non continens intolerabilem errorem, aut alia, de quibus ſupra, nam quæ talis eſt, non poteſt, aut debet dici ſententia, loquen

loquendo proprie & in rigore. De quibus omnibus, videatur Suarez in quinto tomo, diſputatione 4. ſectio. 5. á numero 1. cum ſequentibus, & diſputatione decima octaua, ſectione tertia, à numero etiam primo cum ſequentibus, & Sayrus, libro primo, capite decimo ſexto á numero primo, & ſequentibus latiſſime. Et hæc pro iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant, progrediamur ad aliud, & ſit decimus quartus.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrum ſententia excommunicationis iniuſtæ, quæ tamen non eſt omnino nulla, ſed valida, aliquem ſemper operetur effectum?

ERo huius Articuli intelligentia, & pleniori reſolutione, oportet aduertere ſeu potius in memoriã reducere, id quod iam diximus ſupra art. 2. huius Quæſt. Cõcluſ. 4. nempe, quod excommunicatio iniuſta ſed valida, diuiditur in eam quæ eſt iniuſta ob defectum rectitudinis animi iudicis, aut formæ quæ non eſt eſſentialis, & in iniuſtam ob defectum cauſæ iuſtæ ad excommunicandum, quæ quidem multum inter ſe differunt, ac de illis magna eſt lis & controuerſia inter Doctores, ad inueſtigandum quemnam operentur effectum? Cui quidem difficultati vt breuiter, & reſolutiue ſatisfaciã ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Excõmunicationis ſententia iniuſta, ex defectu rectitudinis animi iudicis, ſuũ ſemper ſortitur effectum.

EXcommunicationis ſententia, quæ nullo alio polluitur vitio quam corrupta intentione iudicis, qui non ſana mente, ſed ex ira vel odio ſententiam profert, valida eſt ſuumque ſemper ſortitur effectum, quamuis ipſe iudex quoad Deum ſit iniquus atque iniuſtus, & mortale peccatum committat. Hæc concluſio eſt Magiſtri Soto in quarto diſtinctione vigeſima ſecunda, quæſtione prima, articulo tertio, concluſione prima, & eandem tenet Nauarrus in ſuo Manuali, capite vigeſimo ſeptimo, numero tertio & probatur hac ratione, nam corruptio mentis iudicis, vbi alias æquitas iuſtitiæ ſeruatur, non tollit æquitatem iuſtitiæ à ſententia, neque facit quod peccatum proferentis eam, ira vel odio, pretio aut prece, ſeu intentione quacumque iniqua nocendi, iuſtitiam eiuſdem vitiet. Hoc eſt certiſſimum atque conſtitutiſſimum. Sed tamen quia ſecundo modo prædicta ſententia eſſe poteſt iniuſta, ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa non fuit iuſta, vel quia iuris ordo fuit in eadem prætermiſſus, de his omnibus dicamus oportet per ordinem, ſit modo ſecunda concluſio, in ordine ſolito.

Secunda Concluſio.

Sententiæ excõmunicationis iniuſtæ nõ defectũ formæ quæ nõ eſt eſſentialis, ſuã etiam ſemper ſortitur effectum.

SEntentia excommunicationis iniuſtæ, ob defectum formæ, quæ non eſt eſſentialis, ſuum etiam ſemper operatur effectum. Pro huius Concluſionis intelligentia, oportet in memoriam reducere id quod diximus ſupra nempe quod quamuis defectus formæ quæ eſt eſſentialis ſententiam quamlibet annullet, & faciat ipſam nullum prorſus habere effectum, at vero defectus formæ, quæ non eſt eſſentialis, quamuis faciat eam eſſe iniuſtam, & quod peccet qui eam tulit, cum tamen id non tam pertineat ad eſſentiam rei, quam ad ſolemnitatem iuris, non ita eandem vitiat, vt reddat illam omnino nullam, & priuet eam ſuo proprio effectu. Et vt hæc quę dicuntur clariora fiant, pono exemplum in illa iuris ſolemnitate, qua dicitur vt excommunicationem quamlibet trina admonitio præcedat, aut vna cum legitimis interuallis, quæ valeat pro tribus, *iuxta cap. ſacro, de ſent. excommunicatio.* & in illa vt eiuſmodi ſententia nõ proferatur niſi in ſcriptis, *iuxta cap. medicinalis, eodem tit. li. 6.* dico igitur quod in his caſibus & ſimilibus, vbi ordo iuris prætermittitur qui non eſt eſſentialis, ſed ſolummodo ſpectat ad ſolemnitatem eiuſdem iuris excommunicatio lata quamuis aliàs iniuſta valida eſt, ſuumque ſortitur effectum, & idẽ eſt dicendum, quotieſcumque aliquis error fuerit repertus in cauſa, non ita magnus vt ſententiam omnino annullet. Hæc Concluſio ſic explicata, eſt Magiſt. Soto vbi ſupra concl. 2. vbi inquit, quod qui ſic & abſque eiuſmodi iuſtitia in prædictis caſibus fuerit excommunicatus, humiliter debet obedire, cuius quidem obedientia cedet ei in meritum, debet etiam abſolutionem ab excommunicante & à Superiore, petere quod ſi facere contemneret, peccaret proculdubio mortaliter, ſi nihil duceret in excommunicatione manere, & ſi eſſet Clericus & celebraret maneret irregularis, cuius rationem reddit quia prædicta excommunicatio quamuis iniuſta, non tamen eſt omnino nulla, cum non contineat intolerabilem errorem. Vnde fit quod quamuis quis ſuorum aduocatorum conſilio, iudicet cauſam, propter quam excommunicatur, eſſe iniuſtam, debet nihilominus illam timere, quia eo non obſtante prædictum operatur effectũ, priuãdi orationibus & ſuffragijs Eccleſiæ: de ea intelligenda ſunt verba D. Gregorij, quæ referuntur *in cap. 1. 11. q. 4.* quando dixit quod *ſententia paſtoris, ſiue iuſta ſiue iniuſta eſt timenda.* Hoc itaque eſt certum & verum. Sed quod maiorem difficultatem habet eſt, quidnam ſit dicendum circa excommunicationis ſententiam, iuſtam quidem ex parte excommunicantis, eiuſdem excommunicationis in ſe, quia nempe iuſte & ſecundum formam iuris data eſt, iniuſtam vero ex parte ipſius excommunicati, vt cum quis pro falſo crimine defertur, in iudicium & reus criminis idoneis etiam teſtibus comprobatur, ac demum de facto excõmunicatur? Quæritur an eiuſmodi ſententia fundata in falſa præſumptione ſiue informatione cum iudex illam ſecundum allegata & probata cõtra eiuſmodi innocentem pronunciat, totũ ſuum ſortiatur effectum; ita vt talis excommu-

nicatus, nõ ſolum in foro exteriori à ſacris debeat abſtinere, verumetiam & in interiori, communibus ſuffragijs & orationibus Eccleſiæ ſit priuatus? Hæc eſt grandis difficultas, de qua magna eſt lis & controuerſia inter Scholaſticos Doctores, refertque Magiſter Soto, loco ſupracitato hac de re multiplices opiniones. Quidam enim tenent, quamcunque excommunicationis ſententiam, dummodo à legitimo proferatur Iudice, & errorem intolerabilem non contineat, ſuum ſemper habere effectum, etiam quantum ad ſuffragiorum priuationẽ.

Nota Doctorũ opiniones de hac re diuerſas.

Alij vero è contrario dicunt, quod quamuis huiuſmodi excommunicatus, in foro exteriori ſe debeat habere pro tali, propter rationes ſupradictas agendo de excommunicatione omnino nulla, attamen in foro interiori, non priuatur orationibus Eccleſiæ, neque communibus ſuffragijs. Quæ quidẽ ſententia, quia benignior eſt & ſufficientibus rationibus comprobatur, magis placet & arridet. Vnde pro ea ſequentem ſtatuo concluſionem.

Tertia Concluſio.

Sententia fundata in falſa præſumptione, & quãdo reus eſt omnino innocens, in foro interiori nullũ operatur effectum.

QVi certus eſt ſe eſſe innocentem, neque deliquiſſe in ea re, qua reus eſſe comprobatur quamuis legitime à iudice, ſecundum allegata & probata excommunicetur, in rei tamen veritate non erit excommunicatus, nec ſuffragijs & orationibus Eccleſiæ communibus priuatus. Hanc concluſionem tenet ex parte ſupradictus Magiſter Soto, vbi ſupra concl. 4. & dicit eam eſſe Caietani ſecunda ſecundæ, quæſt. 70. artic. 4. ad 2. & Adrian. in quodlibeto quæſt. 6. quam & multis, & fortiſſimis rationibus comprobat, conſtituendo & aſſignando differentiam & diſcrimen, quod verſatur inter excommunicationem iniuſtam per ſe & ſimpliciter, & excommunicationem iniuſtam per accidens, & dicendo quod excommunicatio eſt iniuſta per ſe, quando eſt iniuſta totaliter ex parte cauſæ, & quãdo ad eam ferendam nulla omnino interfuit æqua & iuſta cauſa, ſed vel iniqua aut ſolummodo præſumpta, vt quando innocens iniuſte damnatur, vt contingit in propoſito caſu. Iniuſta vero per accidens eſt, quæ proceſſit ex corrupto Iudicis affectu aut ex odio vel ira, aut iuris prætermiſſo ordine, qui non eſt eſſentialis & ſubſtantialis. Inter quas duas excommunicationes, hanc eſſe dicit differentiam, quod illa quæ eſt iniuſta per ſe, idem eſt ac ſi eſſet omnino nulla, nullũq; operatur effectũ in foro interiori, nec priuat cõmunibus ſuffragijs Eccleſiæ, at vero illa quæ eſt iniuſta per accidens, cũ nõ ſit ſimpliciter iniuſta ſemper ligat, ſuũq; operatur effectũ. Et præter innumeras alias rationes, quas ibi ad hanc concluſionem comprobandã, adducit prædictus Magiſter Soto, eſt appoſitiſſima, quam adducit de mente D. Thom. 2. 2. quæſt. 60. ar. 1. vbi definiens iudicium, dicit quod eſt determinatio iuſti: nam iniuſti (inquit) non eſt iudicium, & vbi non eſt æqua lex iuſti non eſt lex, qua quidem ratione & iniquæ leges in genere, & ſimpliciter & abſolute loquendo non ſunt leges. Ex hoc colligit ſupradictus Soto, quod ſupradicta excommunicatio, quæ totaliter eſt iniuſta ex parte cauſæ, abſolute & ſimpliciter non eſt excommunicatio, atque adeo quantum eſt ex natura ſui, nec ligat nec ſeruanda eſt.

Quod ſi in cõtrarium adducatur dictum Diui Gregorij, quando dixit, quod ſententia paſtoris, iuſta vel iniuſta eſt timenda, reſpondet eiuſmodi dictũ eſſe intelligendum, quando talis ſententia non cõtinet intolerabilem errorem, ſed eſt aliquale dubium & ambiguitas; an ſit iuſta vel iniuſta. Nam qui certus eſt ſe eſſe innocentem (vt in caſu propoſito) non habet cauſam timendi prædictam excommunicationis ſententiam, cum revera ſit omnino nulla. Sed nihilominus (inquit) ratione ſcandali in foro exteriori eidẽ obtẽperãdũ eſt, nec ſolũ ratione ſcãdali, verũctiã ratione obediẽtiæ, quæ debetur Prælato in foro exteriori, poteſt enim tũc eũ eijcere ab Eccleſia, cui ſi reſiſteret proculdubio peccaret mortaliter. Sed tamen ſi peregre proficiſceretur, vbi non poſſet venire in notitiam iudicis, neque eorum qui audierunt excommunicationis ſententiam, poteſt (inquit) ſe tuto gerere tamquã nõ excõmunicatũ. Et idem ipſum, dicit Soto, fere eſt dicendum de ſententia alias iniuſta, quæ non contineat intolerabilem errorem. Etenim ſi revera iudex nullam habuit iuſtam cauſam excommunicandi nulla eſt, & in rei veritate eiuſmodi ſententia, neque ligat in conſcientia, neque priuat cõmunibus Eccleſiæ ſuffragijs. Sed quia non incumbit priuato homini iudicare, an ſententia contra ipſum lata iuſta ſit necne, parendum eſt ei, donec procuretur iuris remedium. Hæc ſupradictus Soto, quæ & mihi videntur ſatis iuri conſona & notatu digniſſima, de quibus omnibus videatur latiſſime Suarez quinto tomo, diſputatione quarta, ſectione ſeptima per totam, & Sayrus libro primo ſui theſauri, capite 16. & 17. vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, quæ breuitatis cauſa ſciens & prudens in præſentiarum dicere omitto. Hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS XV.

Quænam ſint excommunicationes Papales, & ſolummodo Summo Pontifici reſeruatæ

IN quæſtione præcedenti, Art. 5. agendo de caſibus Papæ ac ſummo Pontifici reſeruatis, diximus quod in iure nulli reperiũtur caſus ſummo Pontifici reſeruati, qui non etiam habeãt annexam ſententiam excommunicationis. Qua propter difficultati ibidem propoſitæ, vtcumque cupientes ſatisfacere, egimus de excommunicationibus eidem reſeruatis, quas & diximus, in duplici eſſe differentia, quædam enim continentur in Bulla, quæ communiter dicitur Cœnæ Domini; aliæ vero in corpore iuris communis, & tam iſtæ quam illæ, per ordinem appoſitæ fuerunt ibidem. Sed ne locus iſte intermiſſus aut forte oblitus videatur, ſupradictorum omnium, quæ dicta ſunt in ſupradicto Articulo, in Summa, & in Compendio breuem libuit hic facere mentionem, quod fiet per ſequentes Concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini ſunt numero 17.

EXcommunicationes Papæ ac Summo Pontifici reſeruatæ, quæ communiter circunferuntur in Bulla Cœnæ Domini, ſunt numero decem & ſeptem, quæ referuntur ad vnguem in ſupradicto articulo 5. quæſtionis præcedentis, in prima Concluſione.

Secunda Concluſio.

Excommunicationes iuris cõmunis, Sũmo Pontif. reſeruatæ, ſunt numero 31.

EXcommunicationes Summo Pontifici reſeruatæ, contentæ in corpore iuris communis, ſunt etiam numero 31. Quę etiam referuntur ad vnguẽ vbi ſupra Concluſ. ſecunda, vbi etiam latiſſimam fecimus mẽtionem, de auctoribus & locis, vbi omnes eiuſmodi excommunicationes explicantur & declarantur, & qualiter veniãt intelligendæ. Quę de iſto articulo breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS XVI.

Quænam ſint excommunicationes, partim Papæ partim verò Epiſcopis reſeruatæ?

DE hac etiam difficultate latiſſime egimus in dicta præcedenti Quæſt. Artic. ſexto Concluſ. 1. ſed vt hic etiam aliquid dicatur, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Excommunicationes partim Papæ, partim Epiſcopis reſeruatæ, ſũt tres, & ſecundum aliquos quinque.

EXcommunicationes partim Papæ, partim verò Epiſcopis reſeruatæ, ſunt tres, aut quinque ſecundum aliquos. Hæc Concluſio habetur expreſſa loco citato, vbi ad vnguem ponuntur & referuntur excommunicationes prædictæ, & aliqua ipſarum declaratio. Hactenus de iſto Articulo.

ARTICVLVS XVII.

Quænam ſint excommunicationes iuris communis, nulli reſeruatæ?

Concluſio.

Excommunicationes iuris communis, nemini reſeruatæ ſunt n. 67.

EXcommunicationes iuris communis nemini reſeruatę, ſunt num. 67. Hæc Concluſio eſt expreſſa Nauar. in ſuo Manuali, c. 27. vbi ipſas enumerat, exponit & declarat doctiſſime, à num. 123. vſque ad 151. excluſiue. Quas cum facile eſſet in præſentiarum referre, ſciens & prudens breuitatis gratia prætermitto, cum non ſit in votis aliorum membranas, vt dicitur hinc inde tranſcribere, & quia communiter excommunicationes prædictæ, tam quæ Papæ ſunt reſeruatæ, quam aliæ, ponuntur & referũtur à Summiſtis in hac materia de excommunicatione. Qua de re & ſpecialiter videdus eſt Sylueſt. verbo, *excommunicatio*, 6. 7. 8. & 9. per plures numeros, & Sot. & Nauarr. vbi ſupra, & Suarez, 5. tomo diſp. 21. 22. & 23. per plures ſectiones, & Sayrus, li. 3. ſui theſauri per totum, vbi ad hoc propoſitum dicuntur omnia, quæ poſſunt deſiderari. Hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XVIII.

Quænam ſint in iure Canonico excommunicationes, in quas Religioſi incidunt ipſo facto?

Prima Concluſio.

Multæ reperiuntur in iure canonico excommunicationes, ipſo facto latæ cõtra Religioſos, ſed ſpecialiter mẽdicantes.

MVltæ in iure Canonico, reperiũtur excommunicationis ſententiæ, ſpecialiter latę pro Fratribus Mendicantibus, quas incurrunt ipſo facto. Hæc Concluſio non aliter poteſt aut debet probari, quam adducendo & referendo ipſas, quod fiet per ordinem.

1 Cõtra exeũtes à clauſtris ad audiendas leges vel phyſicam.

1 In primis Honorius III. protulit excommunicationis ſententiam in Religioſos de Clauſtris ad audiendum leges vel phyſicam exeuntes, & infra duos menſes ad Clauſtrum non redeuntes. Quam ſententiam vel pœnam voluit ipſo facto incurrere, ac diſtricte præcepit, tam à Dioceſanis & Capitulis ipſorum, quam à cæteris Epiſcopis in quorum Dioœcẽſibus huiuſmodi ſtudent, vt tales excommunicati publicè nuncientur. Habetur in ca. *ſuper ſpecula. extra, ne Clerici vel Monachi.*

2 Cõtra dimittentes habitũ & accedentes ad ſtudia, ſine Superiorum licentia.

2 Bonifacius VIII. vt periculoſa Religioſis vagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibuit, ne de cætero aliquis quamcunque Religionem tacite vel expreſſe profeſſus, in ſcholis veſ alibi, temere habitum Religionis ſuæ dimittat, nec accedat ad quæuis ſtudia litterarum, niſi à ſuo Prælato, cum conſilio ſui Conuentus vel maioris partis eiuſdem, ſibi eundi ad ſtudium licentia primitus ſit conceſſa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis ſententiam voluit incurrere ipſo facto, Doctores quoque ſiue Magiſtros, qui Religioſos habitu ſuo dimiſſo, leges vel phyſicam audientes, ſcienter docere aut in ſcholis ſuis præſumpſerint retinere, ſimiliter eo ipſo ſunt ſententiæ vinculo innodati. Habetur in cap. *vt periculoſa, ne Clerici, vel Monachi*, lib. 6.

3 Cõtra vſurpantes decimas.

3 Clemens V. in Concilio Vienenſi, protulit excommunicationis ſententiam, contra Religioſos ſimplices ſeu ſubditos, non habentes aliquam adminiſtrationem vel beneficium, qui decimas Eccleſijs debitas vſurpare præſumunt, niſi poſt requiſitionem deſiſtant à præmiſſis infra menſem, & damnificatis Eccleſijs emendam infra duos menſes faciant. Habetur in Clement. *Religioſi, de decimis, & primit.*

4 Cõtra inducentes, ad vouendũ vel in rãdum, vt in eorum Eccleſijs eligane ſe pulturas.

4 Idem Clemens temerarios violatores, illius conſtitutionis, quæ Religioſis & Clericis ſeculatibus prohibet, ne aliquos ad vouendum, vel fide interpoſita ſeu aliàs promittendum inducunt, vt ſepulturas apud eorum Eccleſias eligant, vel iam electam vlterius non mutent, ſententiam excommunicationis (pœna in dicta cõſtitutione contẽta

in ſuo perdurante robore) incurrere voluint ipſo facto, ab alio quàm à Sede Apoſtolica, præterquam in mortis articulo nullatenus abſoluendos, nullis priuilegijs aut ſtatutis, cuiuſcumque tenoris exiſtant, in contrarium ſuper his valituris. Habetur *in Clem. cupientes, de pœnis.* Hæc conſtitutio de qua hic fit mentio, eſt etiam Bonifacij VIII. & habetur *in cap. animarum periculis de ſepult. lib. 6.*

5 Contra accedentes ad Curias, ſine ſuorum Prælatorum licentia.

5 Idem Clemens prohibuit, ne Monachi aut Regulares Canonici, adminiſtrationem aliquam non habentes, ad Curias Principum abſque ſpeciali Prælatorum ſuorum licentia ſe conferant quòd ſi vt damnum aliquod inferant ſuis Prælatis, aut Monaſterio ſe conferre præſumpſerit, excommunicationis ſententiam, eos incurrere voluit ipſo facto. Habetur *in Clement. ne in agro, de ſtatu Monachorum.*

6 Cõtra arma tenẽtes intra ſepta Monaſterij, ſine ſuorum Prælatorum licentia.

6 Idem Clemens, Monachos intra ſepta Monaſterij, ſine Abbatum ſuorum licentia arma tenentes, excommunicationis ſententiæ ipſo facto decreuit ſubiacere. Habetur *in Clem. ne in agro, §. præterea, de ſtatu Monachor.*

7 Cõtra adminiſtrantes Sacramenta Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis, & Matrimonij, ſine licentia Parrochorum.

7 Idem Clemens ſtatuit, quod Religioſi qui Clericis aut laicis, ſacramentum Extremæ Vnctionis vel Euchariſtiæ miniſtrare, vel Matrimonium ſolemnizare, non habita ſuper his parochialis presbyteri licentia, aut quemquam excommunicatum à canone (præterquam in caſibus à iure expreſsis) vel per priuilegia Sedis Apoſtolicæ conceſsis eiſdem, vel à ſententijs per ſtatuta Prouincialia aut Synodalia promulgatis, ſeu ſi à culpa & pœna abſoluere quemcumque præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, à Sede Apoſtolica dumtaxat abſoluendi. Habetur *in Clement. Religioſi, de priuil.*

8 Cõtra retrahentes à decimarũ ſolutionibus, in concionibus, vel alibi.

8 Idem Clemens, Religioſos qui aliqua, vi audientes à decimarum Eccleſijs debitarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis vel alibi proferre præſumunt, excommunicationis ſubiacere ſententiæ decreuit ipſo facto. Habetur *in Clement. cupientes, de pœnis.*

9 Contra conſulentes, vt decimæ nõ ſoluantur, vel nõ id præcipientes cõfeſſionibus ſuis pœnitentibus.

9 Idem Clemẽs ſtatuit, quod Religioſi qui ſcienter, poſtpoſuerint confitentibus conſcientiam facere, de ſoluendis decimis Eccleſijs debitis, ab officio prædicationis tandiu maneant ipſo facto ſuſpenſi, donec confitentibus ipſis (ſi hoc ipſum eis dicendi commode facultatem habuerint) conſciẽtiam fecerint, excommunicationis incurſuri ſententiam ipſo facto, ſi prædicare præſumpſerint, prædicta negligentia (vt præmittitur) non purgata. Ad Religioſos tamen Monaſteriorum, vel Eccleſiarum decimas percipientes, noluit hoc extendi. Habetur *in dicta Clemen. cupientes, de pœnis.*

10 Contra nõ ſeruantes indictia, & ceſſationes á diuinis.

10 Idem Clemens circa interdictorum obſeruãtiam generalium, auctoritate Sedis Apoſt. aut locorum Ordinariorum poſitorum, diſtricte præcipiendo mandauit, quatenus Religioſi quicumque, tam exempti quam non exempti, cuiuſcumque ordinis & conditionis exiſtant, cum primum Cathedralem, vel matricem ſeu parochialem loci Eccleſiam, illa viderint aut ſciuerint obſeruare, non obſtantibus quibuſcumque appellationibus, ante etiam ad eamdem Sedem vel alium ſeu alios interiectis, & alijs obiectionibus quibuſcumque, abſque dolo & fraude cum moderatione *capituli alma mater*, inuiolabiter ea obſeruent: alioquin non ſeruantes, excommunicationis ſententiæ voluit ſubiacere; quod etiam in interdictis & in ceſſationibus à diuinis, indictis per Prouincialium Conciliorum ſtatuta, vel ipſorum auctoritate voluit obſeruari. In ceſſationibus verò generalibus à diuinis, Ciuitatum, Terrarum & aliorum locorũ, quas aliquando ex conſuetudine vel aliàs, Capitula, Collegia vel Conuentus ſecularium aut Regularium Eccleſiarum ſibi vendicant, idem voluit intelligi. Habetur *in Clem. ex frequentibus, de ſent. excommun.*

11 Cõtra Mendicantes tranſeuntes ad Ordines Monachales (Carthuſia excepta.)

11 Martinus V. ſtatuit, vt nullus ex profeſſoribus alicuius ex Ordinibus Mendicantium quorumcumque, in aliquem Monaſticum Ordinem, tam S. Benedicti quam Ciſtercienſis, Camadulenſis, Vallis Vmbroſæ, Canonicorum Regularium, S. Auguſt. vel aliorum Monaſticorum Ordinum (Carthuſienſum dumtaxat excepto) poſsit aut debeat per quemcumque recipi vel admitti, virtute alicuius indulti, abſque Sedis Apoſt. licentia ſpeciali, ſub excommunicatione latæ ſententiæ pœna incurrenda Papæ reſeruata, quam tam recipientes quam recepti ipſo facto incurrant, & ſecus facta non teneant ipſo iure. Habetur in Extrauag. quæ incipit, *Viam ambitioſa.*

12 Cõtra alienantes Eccleſiaſt. bona, vel recipientes ea.

12 Paulus II. protulit ſententiam excommunicationis, in eos qui bona Eccleſiaſtica quęcumque alienant, vel pactum per quod ipſorum dominium transfertur faciunt, etiam in illos, qui ipſa alienata recipiunt, ipſaſque alienationes nullius voluit eſſe momenti. Habetur *in Extrau. ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis.*

13 Cõtra Fratres, & Sorores Tertijs Tertiarias matrimoniũ contrahentes, pnſt profeſsionem emiſſam

13 Sixtus IIII. ſtatuit, quod excõmunicationem incurrant ipſo facto, Fratres & Sorores Tertij Ordinis, qui collegialiter viuentes, poſt factam profeſsionem & emiſsionem trium votorum eſſentialium, ſolemniter in manibus ſui Miniſtri vel Miniſtræ, matrimonium contrahunt, ſeu ante contractum conſumant, aut Religionem ipſam dimittunt ad ſecularem vitam euntes, & tale matrimonium eſt nullũ, nec poſſunt abſolui niſi habitu reaſſumpto, ſuam profeſsionem collegialiter viuentes obſeruent, & à ſuis Superioribus abſolui meruerint. Habetur in Extrauag. quæ incipit, *Ad Chriſti Vicarij præſidentis.*

14 Contra admittentes Tertiarios vel Tertiarias, ad cõmunicationem priuilegiorum, niſi geſtauerint habitum & profeſsionẽ emiſerint.

14 Idem Sixtus ſtatuit, quod excommunicationem incurrant, Fratres Minores & Prædicatores, recipientes ſiue admittentes, ad priuilegia & immunitates Ordinum ſuorum, quoſcumque laicos vtriuſque ſexus prætextu Tertij Ordinis, ſeu alterius modi, niſi geſtauerint habitum prædicti Tertij Ordinis ſolitum, & profeſsionem emiſerint ſolitam, & in aliqua domo ſeu Congregatione dicto rum Fratrum vel Sororum, vitam duxerint in cõmuni, non obſtantibus quibuſcũque litteris Apoſtolicis, habetur in Bulla, quæ incipit, *detestanda nõ nullorum ambitio.* Supradictæ omnes excommunicationes referuntur à Collectore priuilegiorum in Cõpendio, verbo, *excommunicatio*, in fine, quarum explicatio & declaratio inuenietur apud Nauarro, in ſuo Manuali capit. 27. inter explicationes aliarum excommunicationum, quæ ſunt de iure communi, aut Papæ & Summo Pontifici reſeruatæ, extra Bullam Cœnæ Domini, à numero 75. vſque

ad

ad 151. excluſiue, quærantur ibidem.

Secunda Concluſio.

De alijs excõmunicationibus, latis contra Religioſos in Conc. Trid. alijſq; Sũm. Pontificũ conſtitutionibus

PRæter excommunicationes ſupradictas, contẽtas in iure Canonico atque communi, ipſo facto latas contra Religioſos, ſunt aliæ appoſitæ in Concilio Trident. & in aliquibus Extrauagantibus, & Conſtitutionibus Pontificalibus impreſſis fide dignis, & ſunt quæ ſequuntur.

15 Contra recipientes aliquid à Nouitijs, dumſunt in probatione

15 In primis excommunicantur in Concilio Tridentino Religioſi & Religioſæ, qui recipiunt aliquid à Nouitijs, dum ſunt in probatione, vel à parentibus propinquis & curatoribus ſuis, excepto victu atque veſtitu. Habetur in ſupradicto Concilio, Seſſio. 25. *de reg.* cap. 16.

16 Contra introducentes mulieres in Monaſter. virorum.

16 Item Pius V. & Gregorius XIII. appoſuerunt excommunicationem ipſo facto ac Summo Pontifici reſeruatam, contra Prælatos & Religioſos, introducentes & admittentes mulieres in Monaſteria virorum, prout continentur in proprijs Extrauagantib. quarum prima, quæ eſt Pij V. incipit *Regularium perſonarum*, altera verò, quæ eſt Greg. XIII. incipit, *vbi gratia & indulta.*

17 Contra introducentes, vel admittentes viros in Monaſt. Monialium.

17 Item ſupradictus Gregorius XIII. appoſuit excommunicationis ſententiam, contra Prælatos & Prælatas, Religioſos & Religioſas, introducentes & admittentes, viros aut mulieres, intra Monaſteria Monialium quarumcumque, prout continetur in ſua Bulla, quæ incipit, *vbi gratia & indulta.*

18 Contra Moniales exeuntes á ſuis Monaſter. niſi in tribuscaſibus exceptis.

18 Item ſupradictus Pius V. appoſuit etiam excõmunicationis ſententiam ipſo facto, contra omnes Abbatiſſas & Moniales, exeuntes à ſuis Monaſterijs, quacumque de cauſa (etiam infirmitatis) excepta magni incendij, vel ægritudinis lepræ vel epidimiæ, probatæ litteris Superioris & Epiſcopi, prout conſtat ex ipſius Extrau. ſiue Motu proprio, qui incipit, *Decori & honeſtati.*

Supradictæ excommunicationes, impoſitæ ipſo facto contra Religioſos, explicantur & declarantur ſemper à nobis in hoc Manuali, dum ſeſe obtulit occaſio, libuit tamen ſic eas breuiter & in Cõpendio in præſentiarum apponere, vt præ manibus à Religioſis omnibus habeantur, faciliuſque memoriæ commendentur.

ARTICVLVS XIX.

Quinam poſſint, à ſupradictis omnibus excommunicationibus abſoluere?

Prima Concluſio.

Ab excommunicatione minori, quilibet Sacerdos iuriſdictionem habens abſoluendi ab alijs peccatis, poteſt abſoluere

BExcommunicatione minori, quilibet Sacerdos Parrochialis, iuriſdictionem habens abſoluẽdi à peccatis mortalibus, poteſt abſoluere. Hæc Concluſio iam appoſita fuit ſupra in Artic. 4. ſed libuit hic etiã iterum eadnem tranſcribere, vt omnia habeantur per ordinem. Et tenet illam expreſſe Magiſt. Soto in 4. ſententiar. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 3. 1. Concl. & Nauarr. in ſuo Manual. cap. 27. numero 25. & numero 39. vbi & probat eam ex cap. *nuper, de ſentent. excommunicat.* & id ipſum tenet in eodem Manual. cap. 4. numero 1. & in cap. *placuit, de pœnitent.* diſt. 6. à num. 25.

Secunda Concluſio.

Ab excommunicatione maiori, lata ab homine, ſiue indice, ſolus ipſe poteſt abſoluere, aut ſucceſſor, Superior ſiue delegatus.

ABexcommunicatione maiori lata ab homine ſiue à iudice, ipſe ſolus poteſt abſoluere, aut ſucceſſor, Superior ſiue delegatus. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Soto loco ſupracitato, concluſ. 2. & Nauarro in ſuo Manuali, cap. 27. num. 40. & probat eam ex cap. *paſtoralis. §. præterea, de officio delegati*, poteſtque alijs multis iuribus comprobari, quæ & breuitatis gratia omitto, cum ad eamdẽ probandam, ſuperque ſatis ſit, commune ac vulgare dictum, nempe *quod ius eſt ligare, eiuſdem etiam eſt abſoluere.* Quod intelligendum eſt de poteſtate ordinaria, nam alias bene poteſt aliqua excommunicationis ſententia, eſſe lata à iudice inferiori, & nihilominus quodipſius abſolutio ſit Papæ reſeruata, vt eſt illa de incendiarijs, quæ habetur in ca. *tua nos, de ſentent. excommunicat.* in qua vt bene notat Caietan. verbo, *excommunicatio*, capit. 22. Summus Pontifex non illic fert excommunicationis ſentẽtiam in incẽdiarios, ſed inquit, quod ſi fuerint per Eccleſiæ ſententiam, nempe ab Epiſcopo, ſeu ab alio ad id auctoritatem habente excommunicati & publicati, non poſſunt ab eiſdem abſolui poſt denunciationem, ſed debent remitti ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio, vt iuſtam illi cautionem præſtent, ſicuti & Clericorum percuſſores. Præterea delegatus Papæ, qui excommunicare poteſt intra vnũ annũ, poſt ſentẽtiã diffiniti uam, & eo tranſacto, ab eadem non poteſt abſoluere, iuxta cap. *quærenti, de officio delegati*, vbi hoc tenet ſinguläriter Panormitan. qui & dicit id etiam eſſe intelligendum de quolibet alio delegato, facultatem tantum habente exequendi ſuam ſentẽtiam. Item & iudex excommunicans, qui poſtea excommunicatur & ipſe excommunicatione maiori, abſoluere non poteſt à ſua priori excommunicatione, ſi eſt denunciatus, per capit *audimus* 24. q. 1. Item & excommunicatio, quæ pronunciata eſt ab inferiori, ſed poſtmodum confirmata eſt à Papa ex certa ſcientia, abſolui nõ poteſt ab eo, qui eam tulit, ſecundum Ioannem Andream communiter receptum, in cap. *ex frequentibus, de inſtit.* Videatur hac de re Nauarro & Soto vbi ſupra. Solummodo aduerto, quod ſi excommunicatio lata fuerit ab homine generaliter, ab ipſa poteſt abſoluere, etiã quicumque poteſt ab excommunicatione lata à iure, de qua ſtatim dicemus, vt late probat ſupradictus Nauarr. vbi ſupra, num. 44. citando ad id plures DD. in ca. *graue de præbendis*, vbi etiam ipſe hoc expreſſe tenet.

Tertia Concluſio.

Ab excommunicatione maiori lata à iure & nulli reſeruata, quilibet Prælatus abſoluere poteſt ſibi ſubditum.

ABexcommunicatione maiori lata à iure & nulli reſeruata, abſoluere poteſt quilibet Prælatus ſibi ſubditum, cuiuſcumque generis illa ſit, ſiue ſit lata & appoſita per Concilium, aut ſpecialiter per quemcumque Summum Pontificem. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Soto vbi ſupra concluſ. 3. & Nauar. etiam vbi ſupra num. 39. & probat eam ex cap. *nuper, de ſentent. excommunic.* & inquit,

quod

quod per proprium Prælatum intelligitur, non ſolum Papa aut Epiſcopus, & Capitulum Sede vacante, verum etiam quicumque alius Prælatus exemptus Eccleſiæ cuiuſcumque, Regularis ſiue ſecularis, ex his qui habere dicuntur iuriſdictionem, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem, ſecundum gloſſam communiter receptam in Clement. 1. *de rebus Eccleſ. non alien.* & etiam quilibet alius Prælatus non exemptus, iuriſdictionem habens in foro exteriori, & etiam Parrochus & ſimplex Sacerdos, qui abſoluere poteſt à peccatis mortalibus. Quã opinionem dicit eſſe communem ſententiam Innocent. & Hoſtienſ. in dicto cap. *nuper*, & omnium Theologorum in 4. diſt. 18. & etiam Summiſtarum, quos late citat Sylueſt. verbo, *excommunic.* 1. *notab.* 2. Et probat Concluſ. prædictam Soto ratione manifeſta. Nam excommunicatio eſt cenſura, quæ à iure imponitur ratione peccati, & etiam incurritur ratione illius: ergo quantum eſt ex ratione & natura ipſius excommunicationis, quicũque auctoritatem & iuriſdictionem habet, abſoluendi ab peccato illo, cuius ratione incurritur, habet etiam illam abſoluendi ab excommunicatione, ſalutari pœnitentia impoſita, cum vt ſupponitur nulli ſit reſeruata, nam iure diuino nihil eſt reſeruatum, niſi reſeruetur de nouo, nempe à Papa ſeu Epiſcopo aut ab alio Prælato. Et confirmatur, nam ſi excommunicatio quælibet, propterea quod lata eſt à iure, Concilio ſiue à Papa, eidem ſtatim eſſet reſeruata, non opus eſſet, vt ipſi in quibuſdã excommunicationibus dicerent & exprimerent, quarum abſolutiones nobiſmetipſis reſeruamus, ſeu quod pro beneficio abſolutionis ad Sedem Apoſtolicam recurratur: cum igitur per huiuſmodi clauſulas, Summus Pontifex excommunicationes aliquas reſeruare ſibi conſueſcat, manifeſtiſſimum ſignum eſt, quod vbi id non facit, iure diuino atq; humano ordinario, excommunicationis cuiuſcumque latæ à iure, abſque reſeruatione abſolutio ad proprium Prælatum pertineat, proprij autem Prælati nomine, intelligendi ſunt omnes ſupradicti vt iam dixi.

Quarta Concluſio.

Ab excommunicatione Papæ ſiue Epiſcopis vel Prælatis Regularibus reſeruatis ipſi dumtaxat poſſunt abſoluere, nõ verò alij, niſi ex priuilegio aut ſpeciali commiſſione.

AB excommunicationibus, Papæ ſeu Epiſcopis aut Prælatis Regularibus ſpecialiter reſeruatis, ipſi dumtaxat poſſunt abſoluere, non verò alij, niſi ex priuilegio aut ſpeciali, ſiue particulari commiſſione. Hæc Concluſio compertiſſima eſt apud omnes, atque ita in excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini in fine, appoſita eſt ſpecialis pœna, contra abſoluentes à cenſuris, & excommunicationibus ibidem appoſitis, id quod & fieri conſueuit in alijs excommunicationibus. Sed quamuis hoc non fiat, eiuſmodi excommunicationis reſeruatæ abſolutio, ſine auctoritate & facultate facta non tenet. Nam erit ſicuti ſententia lata à non ſuo iudice, quæ nulla eſt. Certumque eſt in iure, quod ſi excommunicatio eſt reſeruata, ſecluſo priuilegio is, cui reſeruatur ab eadem debet abſoluere, non verò alius omninò. De quibus omnibus ad hanc materiam ſpectantibus, videantur Suarez 5. tomo diſput. 7. ſect. 2. cum ſequentibus agendo de cenſuris in communi, & diſput. 19. agendo de excommunicatione, & Sayrus lib. 2. ſui theſauri, cap. 19. 20. & 21.

Quinta Concluſio.

Multa erant olim priuilegia ad abſoluendum ab excõmunicationibus etiam Pãpæ & Epiſcopis reſeruatis ſed iam hæc reuocata & moderata ſũt per Clement. VIII.

MVlta erant olim priuilegia ſpecialia, quibus Religioſi & Regulares & maxime Mendicantes, & quicumque priuilegium habentes communicationis, abſoluere poterant non ſolum Fratres ſibi ſubditos, verum etiam & ſeculares quoſcumque, ab excommunicationibus Summo Pontifici, & Epiſcopis reſeruatis, ſed iam hæc reuocata & moderata ſunt per Clement. VIII. Circa hanc Cõcluſionem nihil de nouo occurrit dicendum, nam de ea & ijs, quæ ad eiuſdem materiam ſpectant, longiſſimum fecimus ſermonem ſup. quæſt. 7. art. 2. 3. & 4. agendo de auctoritate & poteſtate Generalis Miniſtri, ad abſoluendum ſibi ſubditos ab hæreſis occulto crimine, & quæſt. 9. art. 10 agendo etiam de auctoritate & poteſtate ipſius, ad abſoluẽdum eoſdem à caſibus ſpecialiter Summo Pontif. reſeruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini, niſi vt prædictum eſt, fuiſſent hæc poſtmodum per Clement. VIII. reuocata & moderata. Et ab interdicto & ceſſatione à diuinis, quæſt. 33. art. 7. agẽdo in communi, de auctoritate Prælatorum ad abſoluendum ſibi ſubditos, à quibuſcumque peccatis, excommunicationibus, pœnis & cenſuris, & in præcedent. tomo. quæſt. 46. per plures Articul. latiſſime egimus de eiuſmodi priuilegijs, quæ prædicti Regulares & Religioſi habebant olim, ad abſoluendum ſeculares quoſcunque, ab omnibus caſibus, excommunicationibus & cenſuris Summo Pontifici, & Epiſcopis reſeruatis, vbi poterunt ſupradicta omnia videri latiſſimè, quæ de illo Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XX.

Quænam ſint neceſſariò obſeruanda, in abſolutione ab excũmunicatione maiori facta virtute priuilegiorum ſeu aliter?

Prima Concluſio.

Si excommunicatio fuerit lata ab homine, & qui excommunicat non eſt Sacerdos, nõ poteſt ipſe excommunicatũ ſacramentaliter abſoluere, bene tamen extra ſacramentali ter, etiam in foro conſcientiæ & nõ ſolũ in exteriori.

SI excommunicatio lata fuerit ab homine, & qui excommunicat non eſt Sacerdos, non poteſt ipſe excommunicatum ſacramentaliter abſoluere, bene tamen extra ſacramentũ etiam in foro conſcientiæ, & non ſolum in foro exteriori. Hanc Concluſionẽ tenet expreſſe Nauarr. in ſuo Manual. cap. 27. num. 41. cuius quidem prima pars de ſe eſt clara & manifeſta, certiſſimum etenim eſt, quod qui ſacro Sacerdotali ordine non eſt inſignitus, nec proinde claues Eccleſiæ habet, neque facultatem ligandi, & abſoluendi in Pœnitentiæ Sacramento, neminẽ poteſt ſacramentaliter abſoluere. At verò ſecunda pars, nempe quod extra Sacramentum Prælatus ſiue iudex qui non eſt Sacerdos, à ſe excommunicatum poſſit abſoluere, etiam in foro conſcientiæ & non ſolum in foro exteriori, quamuis prima ſola tonſura ſit initiatus, probatur à prædi. Nauar.

ex auctoritate & ſententia D. Thom. in 4. ſenten. diſt. 18. art. 4. & S. Antonin. 3. part. titul. 14. capi. 77. & ex Summa Tabien. verbo, *abſolutio, de excommuni.* & dicit quod contrarium tenentes, intelligendi, & interpretandi ſunt, de abſolutione excommunicationis, coniuncta cum peccatorum abſolutione. Nam de abſolutione ab excommunicatione ſola, etiamſi iudex non ſit plus quam prima tonſura initiatus, abſoluere (inquit) poteſt etiam quoad conſcientiæ forum. Addit tamen, fore commodius vt id ipſum alicui committat presbytero, quamuis vt ibidem dicit, non hoc etiam aliquo inconuenienti vacet. Nam multi ignorantes quærere omittunt á ſuis Parrochis abſolutionem, exiſtimãtes remiſſionem prætatam iudicis, fuiſſe verè abſolutionẽ. Et præterea quia pauci ſunt, qui probare poſſint ſuam abſolutionem ab excommunicatione, factã à Parrocho per prædictam commiſſionem, cum ille excommunicatum abſoluat ſecreto, & ſine Notario & teſtibus. Ad quæ vitanda inconuenientia, tradit ibidem prædictus Nauarr. regulam ſeruandam in abſolutionis forma, vt conſtare iure poſſit poſtmodum, de abſolutione prædicta in foro exteriori.

Secunda Concluſio.

Qui iuriſdictionem habet delegatam á Principe, vel ratione alicuius priuilegij perpetui, ſeu officij aut ſuæ dignitatis ad abſoluendum bene ipſam delegare poteſt.

QVicumque poſſunt ab excommunicatione abſoluere, virtute delegatæ ſibi iuriſdictionis à Principe, aut conceſſæ in priuilegium perpetuum, aut ratione alicuius dignitatis ſeu officij, aut alterius cuiuſcumque ordinariæ poteſtatis, bene poſſunt hoc ipſum alijs committere, & ſubdelegare. Hanc etiam Concluſ. tenet expreſſe ſuprad. Nauarr. vbi ſupra num. 41. & probat eam ex gloſſ. communiter recepta, in cap. fin. *de offic. ordin.* quæ conciliat prædictum capitulum cum ca. fin. §. fin. *de offic. deleg.* dicens illud procedere in illis, quibus ſolummodo, ſimplex miniſterium abſolutionis cõceditur, ſine alia quacumque iuriſdictione, ſecus tamen eſt in propoſito. Vnde reſolutiue dicit prædictus Nauarr. quod ſimplex miniſterium abſoluẽdi ab excommunicatione, delegari poteſt etiam à delegato Ordinarij, & à ſubdelegato delegati Papæ, quamuis ipſi non poſſint delegare ſuas iuriſdictiones, quarum ratione id ipſum ſibi competit, neque etiam aliquem articulum iuriſdictionalem, per cap. *ſuper quibus.* §. *quem verò, cum ſequentibus, de offic. deleg.* vbi hoc omnes tenent communiter Doctores.

Excommunicatus á iure vel ab homine, qui ob morbum grauem ſeu ob aliud iuſtũ impedimentum ſine auctoritate abſoluitur, ceſſante eiuſmodi impedimento, tenetur ſe Prælato ſtatim præſentare.

Tertia Concluſio.

EXcommunicati à iure vel ab homine, qui ob grauem morbum ſeu ob aliud iuſtum impedimentum faciunt ſe abſoluere ab eo, qui ſine illo nequaquam poſſet, quam citius poterunt commode, & ceſſante impedimento prædicto, tenentur ſe præſentare coram eis, qui iure ipſos poterant abſoluere, alioquin in eamdem recident excommunicationem. Hæc Concluſ. habetur expreſſa in ca. *eos, de ſent. excommunicat.* lib. 6. & de ea videndus eſt Nauarr. vbi ſupra nume. 46. vbi dicit id ipſum eſſe intelligendum de illis, quos abſoluunt Legati Sedis Apoſtolicæ, cum onere ſe præſentandi ſuis Ordinarijs, aut quibuslibet alijs ad ſuſcipiẽdam pœnitentiam, ſeu debite ſatisfaciendum ei, quem iniuria aliqua affecerunt. Sed non (inquit) tenentur regulariter ſe præſentare perſonaliter, ſed ſat eſt ad id mittere idoneum procuratorem, ſecundum Caietan. in Summa verbo, *excommunicatio*, capit. 69. Ad quem autem ſpectet determinare tempus, intra quod abſolutus ab excommunicatione ſe debeat coram Prælato præſentare, ſaltem quoad forum conſcientiæ, per temporis anguſtias non vacat in præſentiarũ dicere, Caieta. inquit, quod ad ipſum abſolutum, alij verò quod ad Prælatum prędictum, ego autem dico quod horum vtrumque ſuſtineri valet.

Quarta Concluſio.

Omnia iura, quæ dicunt, ſatisfactionẽ debere præcedere abſolutionem, intelligenda ſunt; dummodo id commode fieri poſsit, alias ſufficit præſtare cautionem

OMnia iura & priuilegia, quæ iubẽt ante abſolutionem ſatisfactionem eſſe faciendam, intelligenda ſunt ea lege, vt excommunicatus congrue ac commode id ipſum poſſit ſatisfacere, alias enim ſi non poteſt, ſatis erit quod præſtet cautionem. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in gloſ. penult. Clement. 1. §. *verum, de hæreticis*, vbi & hoc tenent communiter omnes Doctores quamuis non deſint qui aſſerant, ſatisfactionem realiter debere præcedere, quotieſcumque pœnitens abſoluitur virtute alicuius priuilegij hoc ipſum præcipientis, nec ſufficere quod ipſe alleget, ſe non poſſe realiter ſatisfacere. Sed contrarium tenetur communiter, & nouiſſime tenent hanc ſententiã Medina in ſua Summa 2. part. §. 12. & Ledeſma in 2. part. ſui quarti, quæſt. 16. art. 1. dub. vltim. & Emmanuel Roderi cus in explicatione ſuæ Bullæ §. 9. num. 52. & 53. & ſupradictus Nauarr. conſtanter tenet prædictam cautionem ſufficere in Manual. cap. 27. num. 47. dicitque eam ſuo iudicio ſufficiẽtem eſſe, ſi fiat cum aliquo pignore aut fidei iuſſore, ſi eiuſmodi præſtari poteſt, ſin minus inquit, ſat erit quod præſtet cautionem, ſaltem iuratoriam, ſiquidem ad impoſſibile nemo tenetur, iuxta l. *impoſſibilium. ff. de reg. iuris.* Quin verò addit, quod ille qui poteſt ſatisfacere, ſed non commode, niſi notabiliter vilius vẽdendo bona ſua. ſi eiuſmodi ſatisfactio differri poteſt abſque aliquo magno damno alieno, non tenetur ad aliud, quam ad dandam prædictam ſufficientem cautionem, de eo quod ſatisfaciet primo quoque tempore potuerit, quod idem tenet multiſq; rationibus comprobat, in dicto Manual. capit. 17. numero 56. & 57.

Nota quomodo cautio ſit præſtanda ante abſolutionẽ excommunicationis.

ARTICVLVS XXI.

Vtrùm abſolutio ab excommunicatione, virtute Bullæ Cruciatæ, ſeu aliorum priuilegiorum, extra ſacramentum fieri poſsit?

RAtio dubitandi eſt: nam communiter in prædicta Bulla alijſque priuilegijs, apponi ſolet clauſula, *vt abſolutio fiat in foro conſcientiæ tantum*, ſeu aliter dicendo, *quod fiat auditis eorum confeſsionibus*, propter quæ dicunt quidã DD. quod neque Prælati, neque Confeſſores per

per dictam Bullam ſeu aliqua alia priuilegia, quẽpiam poſſunt abſoluere extra ſacramentum ab aliqua excommunicatione. Hanc ſententiam & opinionem tenet Nauarr. in Manual. cap. 26. nume. 31. & Corduba in Summa, quæſt. 19. & Suarez, 5. tom. diſp. 7. ſect. 5. num. 35. cum ſequentibus. Sed contraria ſententia eſt verior & tedenda, de qua ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Abſolutio ab excommunicatione, per Bullam Cruciatæ ſiue per priuilegia, extra ſacramentũ fieri poteſt.

ABſolutio ab excommunicatione per Bullam Cruciatæ, ſiue per alia priuilegia etiam extra Sacramentum fieri poteſt. Hanc Concluſionem tenet expreſſe, Enriquez lib. 3. de indulgentijs, cap. 3. littera R. & eam dicit tenuiſſe olim quamplures grauiſſimos & doctiſſimos Patres Dominicanę Familiæ, Victoriam, Peñam, atque Medinam, & inſuper inquit quod quidam olim Commiſſarius generalis Bullæ Cruciatæ ea de re conſultus hoc ipſum explicauit & declarauit, circa illa verba in eadem contenta, *in foro conſcientiæ tantum*. Quæ quidem verba non obſtant, neque ex eis inferre licet noſtræ Concluſ. contrarium, etenim ſi Summus Pontif. vellet per dicta verba, quod in foro ſacramentali tantum ſiue in Sacramento ſolum Pœnitentiæ, prædicta fieret excommunicationis abſolutio, non contentus dicere, *in foro conſcientiæ tantum*, adderet & diceret in foro pœnitentiali tantum. Quo quidem dicendi modo vſus eſt olim Pius V. in quodam Iubileo ab ipſo conceſſo, anno Domini 1568. 5. kalend. Nouemb. Pontificatus ſui anno 3. vbi poſtquam conceſſit Confeſſoribus approbatis ab Ordinarijs, auctoritatem abſoluendi per dictũ Iubileum à quacumque cenſura, apposuit ſequentem clauſulam, *declarantes in ſuper, tam præſentes quã alias quaſcũque, ſuper conceſſione ſimiliũ vel diſſimiliũ indulgentiarũ, à nobis & prædeceſſoribus noſtris hactenus emanatas, vel in futurũ quomodolibet emanaturas litteras, Chriſti fidelibus ipſis niſi ad earũ effectum in foro conſcientiæ & pœnitentiali conſequendum dumtaxat, non autem in foro fori aut contentioſo niſi ſatisfecerint, nullatenus ſuffragari.* Hæc ſupra dictus Pius Quintus, per quæ verba ſatis dedit intelligi, quod abſolutio tunc facienda virtute prędicti Iubilei facienda erat non ſolum in foro conſcientiæ, verum etiam & in foro pœnitentiali, hoc eſt in Sacramento Pœnitentiæ, ſimul cũ aliorum peccatorum abſolutione. At dicendo Pontifices ſummi quod per aliquam Bullam ſine priuilegia, abſoluatur quiſpiam ab aliqua cenſura in foro conſcientiæ tantum, non id inſinuare volunt, ſed ſolummodo quod dicta abſolutio (ſiue in Sacramento ſiue extra ſacramentum facta) ſuffragabitur eidem in foro conſcientiæ tantum, non autẽ in foro exteriori, niſi fiat prius parti ſatisfactio. Ita quod eiuſmodi verba non ſignificant, quod abſolutio præſtari debeat in foro ſacramentali tantum, ſed quod abſolutio virtute prædictæ Bullæ ſiue priuilegij facta tantum deſeruit pro foro conſcientiæ, nõ autẽ pro foro exteriori, niſi fiat ſatisfactio, & hoc eſt tenendum vniuerſaliter, quotieſcumq; in aliqua Bulla ſiue priuilegio, apponuntur eiuſmudi verba. Neque dictis obſtat, quod in eiſdem apponantur illa alia verba, quæ apponi etiam conſueuerunt, *auditis eorum Confeſſionibus*, ex quibus colligi videtur, quod fieri non poteſt abſolutio virtute eorum, niſi prius pœnitentes peccata ſua confiteantur, ſimulque abſoluantur à peccatis & à cẽſuris, nam ibidem Summi Pontifices nihil tale intendunt dicere, ſed ſolum facultatem facere vt Confeſſores poſſint abſoluere pœnitentes, & à peccatis & à cenſuris: quod quidem intelligendũ eſt reſpectiue & ſecundum terminos iuridicos ac diſpoſitionem iuris, ita vt abſolutio à peccatis fiat in Sacramento Pœnitentiæ vt iura diſponunt, abſolutio verò à cenſuris, fiat etiam extra ſacramentum prædictum, ſi placuerit & expediens viſum fuerit, & in hoc conueniunt fere communiter omnes Summiſtæ, Armilla, verbo, *excommunicatio*. §. 20. & Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 5. & Ledeſma 2. p. ſui quarti, quæſt. 19. art. 9. & alij multi.

Difficultas. Quid ſignificet abſolutio in foro conſcientiæ?

Sed ne interim iſſus iſte videatur locus, libet vlterius inueſtigare quid importetur, veniatque intelligendum, per abſolutionem ab excommunicatione ſeu ab alijs cenſuris in foro conſcientiæ? & ad quid ſic abſoluti ſolummodo obligentur, obligatique remaneant? Cui difficultati breuiter & reſolutiue reſpondeo, quod abſoluere quempiam virtute alicuius Bullæ ſiue priuilegij in foro conſcientiæ, nihil eſt aliud quam exercere poteſtatem, in tali Bulla ſiue priuilegio conceſſam, in ſalutem animæ illius qui abſoluitur, ita vt abſolutio valeat tantum coram Deo, non autem coram Eccleſia, vt tradit Couarruu. in cap. *alma mater*, 1. p. §. 1. num. 6. Et quamuis abſolutio prædicta fiat in publico & videntibus multis, non propterea eſſe deſinit in foro conſcientiæ, cum fiat ſine ſtrepitu & figura iudicij, neque per eam tollatur ius tertij, ſed tantum hunc operatur effectum, quod anima illa alias excommunicationis, & cenſurarum vinculis illigata, remaneat abſoluta coram Deo. Sed poteſt nihilominus offenſus petere à ſic abſoluto in iudicio ſuum intereſſe, & damnum quod alias fuerit paſſus, nam prædictæ abſolutiones (vt diximus) in foro conſcientiæ tantum factæ, ius tertij nullo modo tollunt. Sed dices qualiter in foro exteriori, ſic abſolutus ab excõmunicatione ſe debet habere? Reſpondeo quod ſe debet omninò habere, ac ſi iniuſte in foro exteriori fuiſſet excõmunicatus de quo latiſſime agit ſupradictus Couar. in dicto c. *alma mater*. 1 par. §. 9. num. 7. & Soto in 4. di. 22. quæſt. 1. art. 3. & Nauarr. in cap. 27. num. 3. & n. 38. agendo de excommunicatione iniuſta, & nos etiam aliquid diximus ſupra, ſed vt etiam modo aliquid afferamus, dico quod quamuis ſi celebret publice, & cum ſcandalo in foro interiori non remanebit irregularis, ſiquidem iam eſt ab excommunicatione liberatus & abſolutus, nec publicitas facti & multorum ſcandalum, cauſa ſunt iuridica, ratione cuius eiuſmodi irregularis efficiatur. Nam irregularitas non contrahitur, niſi propter cauſas in iure expreſſas. Erit tamen irregularis in foro exteriori, & pro tali reputabitur, & dijudicabitur, ſtando in rigore iuris, ſecundum tamen æquitatẽ, & benignitatem ſi iudici conſtet ipſum iam fuiſſe abſolutum, non debet illum, vt irregularem reputare, neque vt talem tractare & condemnare, maxime ſi ſine magno ſcandalo celebrauit, vt tradit Nauarr. in ſuo Manual. cap. 27. num. 43. Ac deniq; ſicuti excommunicatio iniuſta & inualida, parum

Difficultas. Qualiter abſolutus in foro conſcientiæ tũ tum, ſe debet habere?

plus

plus nihilo operatur, nec nocet nisi in foro exterio ri, quia non adimit communionem interiorem, nec suffragia generalia, quæ Ecclesia & ministri ipsius faciunt, ita excommunicatus, & absolutus in foro conscientiæ, nisi in foro exteriori, non reputatur pro excommunicato, quia non adimitur sibi communio, quæ ei omninò interdicitur, neque prædictis suffragijs priuatur.

De differẽtia quæ versatur inter absolutionem in foro conscientiæ & absolutionem in foro pœnitentiali.

In calce huius articuli libuit etiam aduertere, aliud esse priuilegium concessum in foro conscientiæ tantum, aliud verò in foro pœnitentiæ siue pœnitentiali, nam primum quod est absolutio in foro conscientiæ tantum, fieri potest, & à Sacerdotibus & à non Sacerdotibus, vt dictum est, & si fiat à Sacerdotibus, fieri potest in Sacramento & extra sacramenta: at verò secundum, nẽ pe absolutio in foro pœnitentiæ siue pœnitentiali, fieri non potest, nisi à solis Sacerdotibus, neque extra Sacramentum, vt late tradit Sylvest. verbo, *absolutio*. 1. §. 1. & Nauarr. vbi supra, cap. 27. numer. 41. quo fit vt si in priuilegio dicatur, quod absolutio fiat in foro pœnitentiæ siue pœnitentiali, fieri nullo modo possit, nisi à Sacerdotibus Confessoribus, non verò ab his qui non sunt Sacerdotes, quę pro isto Articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS XXII.

Vtrùm per aliqua priuilegia, absolui possint nominatim a iudice excommunicati, saltim in foro conscietiæ?

CIrca hanc difficultatem, sunt variæ, & diuersæ Doctorum opiniones, Collector Compendij priuilegiorum Mendicantium, tenet quod Confessores Mendicantes virtute suorum priuilegiorum, non possunt absoluere nominatim à iudicibus excommunicatos in foro conscientiæ, multoque minus in foro exteriori. Cuius opinionis fundamentum est, nam alias perturbaretur omnis Ecclesiasticus ordo, & etiam ordo iuris, & bonum Reipublicæ, quod in foro exteriori prætenditur, omninò detrimentum pateretur. Et præterea quia inquit Mendicantium priuilegia, cum sint cõcessiones Ordinarijs ipsis præiudiciales & odiosæ, potius sunt restringendæ, quam ampliandæ, iuxtá ea, quæ notantur in iure, in cap. *porro*, *de priuileg.* & cap. *quæ à iure*, *de regul. iuris*, lib. 6. Eamdem opinionem tenet Collector priuilegiorum Societatis Iesu, tit. *absolutio ordinaria*, *quoad seculares*.

Sed alij Doctores nouissimi sequuti Couarruu. in cap. *alma mater*, 1. part. §. 11. num. 16. dicunt quod virtute supradictorum priuilegiorum, nominatim excommunicati absolui possunt in foro conscientiæ, satisfacta prius parte, non tamen in foro exterioti (etiam satisfacta parte) nisi iudex excommunicans prius consentiat. Hanc sententiam & opinionem tenet Ioannes Gutierrez, in suis quæstionibus Canonicis, cap. 5. iuxta finem, sed non desunt alij qui dicant, quod satisfact a parte in vtroque foro possunt absolui, quæ sententia probabilis est propter auctoritatem maximam supradictorum auctorum, & fortissimas, quas pro se habet rationes. De qua sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

Probabile est quod nominatim excommunicati, satisfacta prius parte, per Bullã Cruciatæ, & priuilegia absolui possunt in foro interiori & exteriori.

PRobabile est, & si non aliud obstet sustineri potest, quod nominatim excommunicati, per Bullam Cruciatæ in partibus, quibus viget, siue per priuilegia, satisfacta prius parte possunt absolui, non solum in foro conscientiæ, verum etiam in exteriori. Hanc sententiam & opinionem tenent in primis Medina, in sua institutione Confessorum, 2. p. ca. 12. & Ledesma, 2. part. sui 4. quæst. 16. art. 1. dubio vltimo, & Nauarr. lib. 9. Consiliorum. titul. de sentent. excommunicat. consil. 47. num. 4. & 5. Et probatur in primis à simili, ex præallegato Iubileo Pij V. concesso anno 1568. quintodecimo Kalendas Nouembris, Pontificatus sui anno 3 cuius supra fecimus mentionem, art. 10. in conclusione, vbi post alia sequentia ponuntur verba in fine, *nisi ad earum effectum in foro conscientiæ & pœnitentiali consequendum dumtaxat, non autem in foro fori aut contentioso (nisi satisfecerint) nullatenus suffragari.* Vbi notanda sunt valde verba illa, *nisi satisfecerint*, ex quibus à contrario sensu manifestè colligitur, voluisse prędictum Pium V. per dictum Iubileum, excommunicatos etiam nominatim (si satisfeciissent) in vtroq; foro posse absolui. Idemque videtur dicendum de Bulla Cruciatæ, aliisque quibuscumque priuilegijs. Quod & confirmari potest etiam ex Concilio Tridentino, Session. 25. *de reformatione*, capit. 12. vbi dicitur atque mandatur, *quod nominatim excommunicati, ex quo fraudant decimas, vel impediunt vt ne soluantur, donec parti satisfaciant non absoluantur.* Vbi notanda veniunt verba illa, *donec parti satisfaciant*, quibus satis innuitur, quod prędmissa satisfactione partis, secundum idem Concilium prædicti nominatim excommunicati, bene possunt absolui. Quod vt dixi constantissime tenet supradictus Nauarro vbi supra, asserens, quod virtute Bullæ Cruciatę & per consequens virtute priuilegiorum Apostolicorum quorumcumque, id ipsum concedentium satisfacta prius parte, Confessores non solum in foro interiori, verum etiam & in exteriori, pœnitentes possunt absoluere, ab excommunicatione quacumque lata ab homine. Et idem esse dicendũ videtur non satisfacta prius realiter parte, propter inopiam, vel impotẽtiam, seu ab aliam causam præstita tamen cautione legitima de satisfaciendo, de qua diximus supra in art. 2. concl. 4. Videantur quæ hac de re etiam dicuntur, 1. tomo quæst. 46. ar. 6. & in alio tomo 3. in ordine, qui erit de pœnis delictorum, quæst. 6. art. 16. Sed ait prædictus Nauarro, quod vt ipsi excommunicati, non possint euitentur per iudicẽ, non sufficit eos habere schedulam Confessoris, qua dicatur ipsos esse absolutos, sed necessarij (inquit) sunt duo testes, quibus probetur pœnitentem parti satisfeciisse, & ab excommunicatione absolutum fuisse, prout notatur in iure. Nam non sufficit dictum Confessoris, contra id, quod in foro exteriori, aduersus excommunicatum sic absolutum potest opponi, si non adsint alij testes qui de hoc ipso testificentur: sicut allegando

gando Concilium Tarraconenſe & Conciliũ Narbonenſe cum alijs affirmat Salzedo in ſua practica criminali, cap. 109. Vnde vt Schedula prædicta Confeſſoris ab ipſo obſignata, in foro exteriori fidem faciat, neceſſum eſt vt tradatur ipſa pœnitenti coram Notario & teſtibus, & quod Notarius ſubſcribat eam rogatus à Confeſſore ſeu ab alio corã prædictis teſtibus, vt contentum in ea in foro exteriori recipiatur & admittatur. Hæc tradit ſupradictus Nauarro, & Salzedo vbi ſupra. Et ad argumenta in contrarium ſiue rationes dubitandi, reſpondetur, quod non in eo peruertitur aut perturbatur iuris Eccleſiaſtici ordo, neque Reipublicæ bonum aliquod patitur detrimentum, cum in eo iudicibus ipſis ſatisfacta prius parte, aut cautione præſtita (ad ſenſum ſupradictum) nulla prorſus iniuria, poſtquam & ipſi tulerunt excõmunicationẽ prædictã ad inſtãtiã eiuſdem partis, qua ſatisfacta & contenta, videntur & ipſi etiã eſſe cõtenti & ſatisfacti, de eadem abſolutione legitimè alias à Confeſſoribus facta. Ex quo patet qualiter nullum ſibi infertur præiudicium ſiue iniuria. Et addo quod quamuis exinde aliquod præiudicium eiidem inferretur, bene poteſt Papa cum paruo alterius præiudicio, in fauorem animarum, & alicuius cauſæ piæ, quæcumque priuilegia concedere, iuxta ea, quæ notantur in iure, in l. *quoties, C. de prec. Imper. offerẽ.* hactenus de iſto articulo.

Nota quod Papa in fauorem animarũ, & alicuius cauſæ piæ, bene poteſt quæcũque priuilegia concedere, cũ aliquo paruo alicuius tertij præiudicio.

ARTICVLVS XXIII.

Vtrùm nominatim excommunicatus, ad petitionem partis, abſolutuſq; ex conſenſu ipſius, aut concedente ipſa parte prorogationem vſque ad certum tempus, finito tali tempore, reincidat in excommunicationem prædictam, etiamſi non fuerit à iudice iterum excommunicatus?

Circa hanc difficultatem, ſunt variæ & diuerſæ Doctorum iuris Conſultorum opiniones, nam Abbas, in ca. *præterea, de appellat.* quẽ ſequitur Decius ibidem, num. 4. Felinus, in cap. *de cauſis*, num. 2. *de offic. delegat.* tenẽt quod abſoluti ab excommunicatione nominatim, facta ad ſupplicationem alicuius partis, ipſa parte concedente prorogationem, vſque ad certum tempus, eo finito non reincidũt in excommunicationem prædictam, niſi à iudice iterum fuerint nominatim excommunicati, quod & probare contendunt multis rationibus. Sed cõtraria eſt aliorum ſententia & opinio, & verior, pro qua ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Nominatim excõmunicati & abſoluti ex conſenſu partis vſq; ad certum terminum, ro elapſo ſtatim reincidunt.

NOminatim excommunicati, & abſoluti ad inſtantiam & ſupplicationem partis, ipſa parte concedẽte prorogationem termini, finito tali termino ſtatim ipſo iure reincidunt in eãdem excommunicationem, etiam ſi iudex non eos iterum excommunicet, & etiamſi prædicta prorogatio facta fuerit à iudice ſuis fuerit facta. Hanc ſententiam tenet Hoſtienſis in dicto cap. *præterea de appellat.* & eſt cõmunis Canoniſtarum, & Legiſtarum, de qua videndus eſt Couarruuias, in cap. *quamuis pactum*, 1. part. in princ. numer. 5. Et probatur hac efficaciſſima ratione, nam ſupradicta excommunicatio lata à iudice nominatim, facta eſt ad inſtantiam, & ad ſupplicationem partis, & prorogata etiam de conſenſu ipſius ad certum vſque terminum: ergo finito tali termino, optime & neque incongrue colligi poteſt, quod ſit etiam intentio eiuſdem iudicis, vt ſtatim ac nullo alio præuio incurratur ipſa, & ſic cenſendum eſt de tali excommunicatione, ac ſi rurſus ab ipſo iudice fuiſſet lata & conceſſa, ipſique iterum nominatim excommunicati, quæ de iſto Articulo breuiter dixiſſe ſufficiat. Videatur hac de re Nauarr. in ſuo Manual. capit. 27. numero 15.

ARTICVLVS XXIIII.

Vtrùm virtute Bullæ Cruciatæ ſeu aliquorum priuilegiorum, abſolui poſſint manifeſti percuſſores Clericorum?

Haec difficultas nõ ita magna eſt: apponitur tamen, vt incidenter dicantur alia, quæ ſunt maxima animaduerſione digna. Pro cuius pleniori intelligentia ſuppono, quod percuſſio Clericorum, vna eſt de excommunicationibus Papæ ac Summo Pontifici reſeruatis, quæ habetur in cap. *ſi quis ſuadente diabolo*, 17. quæſt. 4. vbi ſequentia ponuntur verba, *ſi quis ſuadente diabolo, huius ſacrilegij reatum incurrit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere (niſi mortis vrgente periculo) donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat.* Quod quidem Capitulum doctiſſime, & latiſſime explicat Nauarr. in ſuo Manual. ca. 27. à num. 76. vſque ad num. 91. incluſiue, dicens omnia, quæ ad ipſius explicationem pertinent. Quoſnam comprehendat, & quid intelligatur per manus violentas, ſeu quænam percuſſio dicatur violenta? quis Clerici vel Monachi nomine, ſit intelligendus & reliqua, quæ ad hoc propoſitum à quouis deſiderari poſſunt. Sed ſpecialiter, num. 87. inquit, quod quamuis dicta excommunicatio, de iure communi Papæ ac Summo Pontifici ſit reſeruata; in aliquibus tamen caſibus & propter nonnullas cauſas, ipſius abſolutio etiam de iure communi, committitur Epiſcopis, ad quod propoſitum citat *cap. quoniam, de vita & honeſtate Clericorum*, vbi habetur, *quod Clerici ſimul in Collegio conuiuentes, abſolui poſſunt per Epiſcopum, à percuſſione leui vel mediocri, non vero enormi.* Et ſimiliter Religioſi, idipſum facere poſſunt, perca. *Monachi, de ſententia excõmunicationis.*

Nota quod de iure communi Clericorũ ſeu Monachorum violenta percuſſio, Sum. Pontif. eſt reſeruata.

Nota quod in aliquibus, clericorum ſiue Monachorum abſolutio committitur Epiſcopo.

Facit

facit,& cap. *Canonica*, vbi habetur de vtriſque, *quod Monachi & Canonici Regulares, quocunque modo ſe percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi, ſed ſecundum diſcretionem & prouidentiam ſui Abbatis, diſciplinæ ſubdantur.* Et additur, *quod ſi Abbatis diſcretio ad eorum correctionem non ſufficiat, prouidentia eſt Diœceſani Epiſcopi adhibenda, niſi exceſſus difficilis fuerit & enormis, propter quem merito ad Eccleſiam Romanam ſit habendus recurſus.* Verba ſunt Honor. III. in dicto cap. *Canonica*, in quibus ipſe refert ſe ad illud quod habetur in prædicto c. *Monachi*, vbi ſimilia habetur omnino verba. Ex quibus omnibus iuribus clare colligitur, quid propoſito Articulo ſecundum ſupradicta iura ſit reſpondendum, & conformiter ad ea ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Prima Concluſio.

Si clerici aut Monachi percuſſio non ſit enormis etiã de iure cõmuni, per Epiſcopum & Prælatum Ordinarium poteſt abſolui.

NOn ſolum de iure ſpeciali, virtute Bullæ Cruciatæ, ſeu aliorum priuilegiorum, manifeſti Clericorum percuſſores per ſuos Prælatos poſſunt abſolui, verum etiam & de iure communi per Epiſcopos & Prælatos ipſos, dummodo percuſſio ſupradicta non ſit enormis. Hæc Concluſio iam ſatis conſtat ex ſupradictis, & quia conſtitutiſſimum eſt in iure, quod Epiſcopi ab excommunicatione incurſa ob leuem percuſſionem Clerici, ſibi ſubditos poſſunt abſoluere, eademque eſt omninò ratio de Prælatis Regularibus, Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habẽtibus, reſpectu ſuorum ſubditorum. Sed pro Religioſis ſpecialiter facit cap. *Religioſo, de ſententia excommunicationis*, in 6. vbi Bonifacius Octauus, pro abſolutione Religioſorum à dicta excommunicatione, ſequentia verba ponit, *Religioſus, qui manus violentas in Clericum ſecularem iniecit (ne hoc prætextu materiam habeat euagandi) poterit ab Epiſcopo in eo caſu abſolutionis beneficium exhiberi, quo ſeculari Clerico poſſeſſi aliũ Clericum percuſſiſſet.* Super quæ verba adnotare libet, quod quamuis in dicto Capitulo, non fiat expreſſe mentio, niſi de percuſſione Clerici facta à Religioſo, quo caſu dicit ibi Pontifex, quod ipſius abſolutio fiat ab Epiſcopo, dummodo læſio non ſit enormis, ne hoc prætextu Religioſi materiam habeant euagandi, idem omninò eadem ratione videtur dicendum, de leui percuſſione Religioſorũ in inuicem. nempe quod id fieri poſſit, per propriũ eorumdem Prælatum, cuius iuriſdictio Epiſcopali fuerit ſimilis ſiue æqualis, ne etiam materiam habeant euagandi. Etenim ſi Religioſi in dicto caſu, abſolui etiam non poſſent à ſuis proprijs Prælatis magna & ingentia exinde ſequerentur inconuenientia atque incommoda, cumque ob nimiam & aſſiduam familiaritatem, & conuerſationem, quam inter ſe ſe communiter habent Religioſi prædicti, quæ vt dicitur vt plurimum parere ſolet contemptum frequẽtius in dictum peccatum percuſſionis, & excommunicationem prædictam incidũt & ſæpe ſæpius, quin verò ſæpiſſime, oporteret eos extra Monaſterium euagari, vt præſentarentur conſpectui Romani Pontificis, & ab eodem abſoluerentur, quod quidem non conſonum eſſet rationi, dicendumque proinde eſt, quod virtute prædicti cap. *Religioſo*, à dicta excommunicatione, de iure etiam communi, per proprios Prælatos poſſunt abſolui. Quamuis autem hoc ita ſit, vt tamen non in has redigeremur anguſtias, multi iam Summi Pontifices ad id ſpecialia priuilegia Religioſis cõceſſerunt, quæ habentur in Monumentis noſtri Ordinis, 1. impreſ. fol. 104. conceſ. 219. & referũtur in Compendio verbo, *abſolutio* ordinaria quoad fratres. §. 1. atque in primis habetur priuilegium Innocentij IIII. *Quo conceſſit Generali & Prouincialibus Miniſtris, vt eos qui ex Fratribus ſuis pro iniectione manuũ in ſe ipſos, incurrerint in excommunicationis vinculum, aut in id ante ſuſceptum habitum inciderunt, vel alias ſunt excommunicati valeant abſoluere, niſi adeò graues & enormes ſint exceſſus, quod merito ſint ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi.* Præterea Clemens IIII. (vt pluries dictum eſt iam ſupra) ad id ampliſſimã fecit conceſſionem, quæ habetur in eiſdem Monum. 1. impreſ. fo. 17. & 2. f. 0140. cõceſ. 318. & 319. & refertur in Cõpendio verbo, vbi ſupra. §. 7. *qua conceſſit omnibus Prælatis noſtri Ordinis Minorũ, vt generaliter poſſint abſoluere ſibi ſubditos, à quacumque cenſura ſine excommun.* De qua conceſſione, videantur ea, quæ dicta ſunt ſupra, q. 7. art. 2. 3. & 4. & q. 9 art. 10. & q. 33. art. 7. Solũ ſupereſt inueſtigare an prædicta priuilegia profint & deſeruiant ſolũmodo quando prædicti Religioſi mutuo intra Clauſtrum ſe percuſſerint, an verò etiam quando ſunt extra Clauſtrũ? Et ratio dubitandi eſt, nam in c. *Monachi, de ſent. excommu.* quo conceditur facultas vt Regulares à ſuis Prælatis vel ab Epiſcopis poſſint abſolui, tantũ habetur, vt id fiat quando intra Clauſtrũ mutuo ſe percuſſerint, & priuilegia explicari debent iuxta terminos iuris cõmunis. Sed nihilominus certum eſt, id ipſum eſſe intelligendum & dicendum, etiamſi Religioſi prædicti mutuo extra Clauſtrum ſe percuſſerint, nam priuilegia ſupradicta hac de re nullam prorſus faciunt mentionẽ, ſed ampliſſimã cõceſſionem faciunt, non reſtringendo abſolutionẽ, vt fiat quando delinquunt in Clauſtro, aut extra Clauſtrũ, & quamuis in Decretali prædicta habeãtur ſupradicta verba, non per id reſtringere aut limitare voluit Summus Pontifex, quod ſi Religioſi prædicti extra Clauſtrum ſe percuſſerint, à Prælatis ſeu Epiſcopis abſolui non poſſint, ſed dixit id quod crebrius & frequẽtius cõtingere ſolet, prout aduertit & notat Panor. in c. *cum illorũ, de ſent. excõmunic.* allegãs in id aliqua iura, ex quibus ſatis colligitur, Prælatos Regulares poſſe abſoluere ſibi ſubditos, etiam extra Clauſtrum ſe mutuo percutientes, quale eſt, cap. *Canonita*, eodem titulo.

Nota pro abſolutione Religioſorũ, manus violentas inijcientium in ſe inuicem ſiue in aliquẽ Clericum.

Difficultas. An per dicta iura, & priuilegia, Religioſi poſſint abſolui, non ſolum quãdo ſe percutiunt intra Clauſtrum verum etiam ſi extra Clauſtrum id fiat?

Aduertendũ eſt, quod ſi ſuperior aliquis ſubditum ſuum percuſſerit, poteſt & ipſe ſecundũ ſupradicta priuilegia abſolui à quolibet ſubdito, in Cõfeſſorem à ſe electo, & ſi ſubditus, & Prælatus mutuo ſe percuſſerint, & in Conuentu non ſit alius qui eos poſſit abſoluere, in tali caſu eſt etiã grauiſſimorũ DD. opinio, quod ſe inuicẽ poſſunt abſoluere. Licet enim ſecundum ius cõmune, excommunicatus excommunicatione maiori (qualis eſt percuſſor Clerici) non poſſit alium ſimili excommunicatione excommunicatum abſoluere, prout habetur in ſacris Canonibus & maxime in ca. *audiuimus*, 24. q. 1. in caſu tamen prædicto neceſſitatis, vbi non eſt alius Frater, qui prædictos poſſit abſoluere, ne ipſi cogantur Confeſſorem extra Ordinẽ quærere, probabiliſſimum eſt, quod ipſi ſe inuicem

poſſunt abſoluere, quia neceſſitas non habet legē. Hoc tenet ſpecialiter Ioannes Fabianus, verbo, *abſolutio.* 2. §. 6. probatque illud à maiori, quia inquit, ſi excommunicatus excommunicatione maiori, in caſu neceſſitatis à peccatis poteſt abſoluere, vt tenet communis opinio, multo ergo melius, & à fortiori, poterit & ab excommunicatione. Sed vt fiat liquidum, qualiter eiuſmodi abſolutio ſit facienda ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Nota formam ſeruandam, in abſolutione ab excommunicatione quando fuerit publica.

Secunda Concluſio.

Si excommunicatio, propter percuſſionem Clerici vel Monachi eſt ſecreta, abſolutio etiam in ſecreto eſt facienda, ſin vero aliter ſeruāda eſt in ris forma.

SI excommunicatio propter percuſſionem Clerici ſiue Monachi, fuerit occulta & ſecreta, eiuſdem etiam abſolutio in occulto & ſecreto eſt facienda, & ſine iuris ſolemnitate, ſin verò fuerit publica, ſeruanda eſt forma iure communi tradita. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta, & colligitur, ex cap. *à nobis, el ſegundo, de ſentent. excommunic.* & ex traditis à Diuo Antonino, 3. part. tit. 24. cap. 77. Qua de re videatur Nauarr. in ſuo Manuali, ca. 26. num. 18. & 19. vbi & tradit modum & formam, in eiuſmodi abſolutione publica ſeruandam, vt ſcilicet excommunicatus humeros nudatus, cum Pſalmo *Miſerere mei Deus*, ſeu alio pœnitentiali abſoluatur & virga, fune aut flagello cędatur, & poſt Gloria Patri, & kyrie eleyſon, & Pater noſter, eſt verſiculo, *Saluum fac, &c.* abſoluatur, dicendo orationem conſuetam. Sed in fine aduertit, ſolemnitatem huiuſmodi, non eſſe ſemper ſeruandam, propterea quod nos Fratres Mendicantes, priuilegiū ad hoc ſpeciale habemus, vt audiendo confeſſiones, & abſoluendo aliquos in foro conſcientiæ excommunicatos, non teneamur ſeruare formam, quæ communiter obſeruatur in publicis abſolutionibus, quod priuilegium eſt Leonis X. & habetur in Supplemento fol. 59. conceſ. 174. & refertur in Compendio, verbo, *abſolutio, quoad Fratres.* 1. §. 18. & quamuis Pontifex ibi loquatur expreſſe de abſolutionibus ab excommunicatione factis ſiue faciendis ſecularibus, non verò fiat ſermo de Fratribus, nihilominus tamen quando excommunicatio prædicta eſt occulta & ſecreta, non incongruè hoc ipſum cum eiſdem poteſt obſeruari, id quod etiam communiter habetur in praxi. Secus eſt tamen, quando percuſſio & abſolutio prædicta eſt publica, & in publico facienda, tunc enim iuris forma omninò atque ad vnguem ſeruatur. De quo videantur generales noſtræ Conſtitutiones, capit. ſexto, de correctione delinquentium. Et hæc de iſto Articulo, atque tota Quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO XXXVI.

De ſuſpenſione, & ijs quæ ad materiam ſuſpenſionis ſpectant, in ſexdecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit ſuſpenſio?

PRo huius Articuli ac ſequentium intelligentia, præmitto quod ſuſpenſio dupliciter accipitur, vno modo large cōmuniter & generaliter, & vt ſic accepta, eſt prohibitio vſus officij, ſiue facultatis alicuius, quidquid illud ſit, de quo multiplici ſuſpenſionis genere, videnda eſt Gloſſa ſolennis, in Clement. *Cupientes de pœnis*, verbo, *ſuſpenſio, & in rubrica, de ſentent. excommun.* & in cap. *ſi aduerſus, de hæreticis*, & Gloſſa in cap. *ad reponendam, de offic. ord.* In quo quidem ſenſu, appellatio etiam dicitur ſuſpendi, per cap. *venientes, de iure iurando*, & petitoriū ſimiliter ſuſpenditur per poſſeſſorium, per c. *Paſtoralis, el primero de cauſa poſſeſſ.* Qua de re videatur Nauar. in ſuo Man. c. 27. n. 151. Sed ſecundo modo ſumitur ſuſpenſio proprie ſtrictè & in rigore, & vt ſic ſupponit ſpecialiter, pro quadā ſpecie Eccleſiaſticæ cēſuræ, cuius fit mentio, in c. *quærenti, de verborum ſignifica.* in qua etiā ſignificatione accepta, licet etiam ſit lis & controuerſia inter Doctores quidnam ſit, & quis eius effectus, ſed nihilominus pro nunc breuitati ſtudendo, pro reſolutione huius difficultatis, ſequentem ſtatuo Concluſ.

Concluſio.

Quidnam ſit ſuſpenſio proprie dicta, in rigore & ſtricte ſumpta.

SVſpenſio proprie ſtrictè & in rigore ſumpta, eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua alicui perſonæ Eccleſiaſticæ, prohibetur exercitium ſui officij, aut beneficij Eccleſiaſtici, in totum vel in partem, in certū tempus, aut in perpetuum ſeu quoad partem, idq; ob ſuam culpam. Hæc ſuſpenſionis definitio, adducitur à doctiſſimo Doctore Nauarr. vbi ſupra, qui etiam ipſam explicat & declarat per omnes ipſius particulas, & inquit quod apponitur ibi particula *cenſura*, pro genere ſiue loco generis, nam omnis ſuſpenſio eſt cenſura, non verò è contra, iuxta dictum cap. *quærenti, de verborum ſignificatione.* Et ad ſignificandum etiam quod ipſa non poteſt ferri, niſi ab habente iuriſdictionem Eccleſiaſticam exteriorem, ad quam ſolam pertinet ferre cenſuras, arg. cap. *dudum, el ſegundo, de electione.* Apponuntur præterea ſequentes particulæ, *qua prohibetur perſonæ Eccleſiaſticæ, exercitium ſui officij ſiue beneficij Eccleſiaſtici*, ad excludendas prohibitiones aliorū exercitiorū, ſeu factas alijs perſonis prophanis ſeu Eccleſiaſticis, ſed alio reſpectu quā quia ſunt perſonæ Eccleſiaſticę. Additur etiā in prędicta definitione, *quod id ſit in totum vel in partem, in certum tēpus vel in perpetuū, in perpetuū ſed quoad partē*, nā prohibitio totius exercitij, officij vel beneficij in perpetum eſt depoſi-

poſitio vel priuatio ipſius, non verò ſuſpenſio, iuxta Cardinalem in Clementina 1. §. *cæterum de priuileg.* num. 6. & Panorm. in cap. *at ſi Clerici, de iudicijs*, nume. 7. & Bonifac. in Clementina *Cupientes, de pœnitent.* num. 43. tandem vltimo apponitur ibi, vltima particula, *ob ſuum culpam*, nam licet ſuſpenſio ob qualemcumque culpam mortalem ferri poſſit ſecundum Aretin. in cap. *cum non ab homine, de iud.* imò verò ob venialem, ſecundum Caietan. in Summa verbo, *ſuſpenſio*, non tamen poni poteſt abſque vlla propria culpa, cuius ipſa ſit pœna, argum. ca. 2. *de conſtitutionibus*, nam quæ ponitur ob ſenectutem, lepram vel debilitatem ſeu ob aliã cauſam, iuxta cap. *ſua nos*, & cap. *de Rectoribus*, & cap. fin. *de Cler. ægrotante*, & capit. 2. eodem titulo, libr. 6. licet poſſit dici generaliter ſuſpenſio, non tamen eſt propriè ſtrictè cenſura, de qua loquimur. Videatur hac de re Suarez, tomo 5. in 3. part. D. Thom. diſp. 25. ſect. 1.

Ex prædicta ſuſpenſionis definitione, ſequũtur plura eaque notatu digniſſima. Primum, quod prohibitio ſiue ſuſpenſio Confeſſarij à celebrando, nõ eſt propria ſuſpenſio, quia non eſt facta ab habente iuriſdictionem, quæ eſt vera ratio ob quam contraueniens illi non fit irregularis, ſecundũ Gloſſ. receptam, in cap. *is qui, de ſententia excom.* lib. 6. poſt Specul. tit. de diſpen. §. 10. num. 32. Secundò ſequitur ex dicta diffinitione, quod quidquid fere omnes incogitanter dicant, licet prohibitio qua mortali peccato infectus, celebrare prahibetur, dicatur generaliter ſuſpenſio, quia per ipſam impeditur Sacerdos ne ſacrum faciat donec abſoluatur abillo, per cap. fin. *de cohabitatione Cleri.* & cap. fin. *de Cler. excõmun.* non tamen eſt ſuſpẽſio ſtrictè accepta, tum quia ſuſpenſio non eſt peccatum ſed eius pœna iuxta omnes, tum etiam, quia peccatũ mortale, antiquiuseſt omnibus iuribus Canonicis quorum inſtitutum eſt ſuſpenſio, & tandẽ vltimo, quia peccatum mortale, priuat vſu non ſolum actiuorum etiam & paſſiuo Sacramentorum, non in quantum eſt vſus poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſed in quantum ſunt quędam res ſacrę, quę ab indignis miniſtris contrectari non debent, at ſuſpenſio priuat illis ſub alia ratione, de qua ſtatim dicemus, præterquam quod peccatũ mortale non eſt cenſura, qualis eſſe debet ſuſpenſio propriè dicta. Tertiò infertur ex adducta diffinitione, quod neq; excommunicatio maior nec minor eſt ſuſpẽſio, tum quia eſt ſpecies diuerſa cenſuræ, tum etiam quia ipſa non vetat exercitium quatenus tale eſt, ſed quatenus eſt ſpecies cõmunicationis humanæ ſiue Chriſtianæ. Quartò ſequitur, quod quãuis quodlibet peccatum mortale, & etiam excommunicatio minor, generaliter loquendo ſuſpendat à perceptione Sacramentorum, in hoc ſenſu quod percipiẽdo ipſa peccetur mortaliter, non tamen propterea incurritur irregularitas, quia non contrauenitur ſuſpẽſioni prout ſpecies cenſuræ propriè dictæ, ſed ſolummodo prout eſt prohibitio reſultans ex natura illorum. Quintò infertur, quod neque irregularitas nec depoſitio verbalis, nec degradatio realis eſt ſuſpenſio, licet Innocent. in cap. fin. *de exceſſ. Prælat.* & multi alij eas ſuſpenſiones appellent, quod licet ſit verum, capiendo verbum ſuſpenſionis generaliter, non tamen ſtrictè proprie & in rigore, vt in poſito, tum quia ipſa non ſunt cenſuræ, iuxta cap. *quærenti, de verborum ſignificatione*, tũ etiam quia ſunt priuationes vel inhabilitationes, quæ priuant officio, & inhabilem faciunt hominẽ omninò, ad obtinendum vel exercendum aliquem Ordinem, at verò ſuſpenſio propriè dicta, ſolũ eſt impedimentum exercitij, officij vel beneficij Eccleſiaſtici, iuxta mentem Panor. in dicto capit. *at ſi Clerici, de iudicijs*, num. 7. Videatur hac de re Sylu. verbo, *degradatio*, num. 1. & Suarez, 5. tomo in 3. par. diſp. 30. ſect. 1. Sexto & vltimo infertur ex allata ſuſpenſionis diffinitione, quod nec propriè eſt ſuſpenſio de qua in præſentiarum loquimur, vlla ſuſpenſio laici, neque ſuſpenſio officij aduocandi, etiam in foro Eccleſiaſtico, quia non eſt propriè officium Eccleſiaſticum, nec ſuſpenſio facultatis dandi aliquos gradus, conceſſæ per Regem ſiue Imperatorẽ, quidquid dicat & ſentiat ſupradicta Gloſ. in dicta Clement. *Capientes, de pœnit.* Videatur hac de re Nauarr. vbi ſupra, à num. 51. vſque ad 54. excluſiue. Videatur etiam Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. & Sylueſt. verbo, *ſuſpenſio*, num. 1. & Suarez, 5. tom. in 3. part. D. Thom. diſp. 25. ſect. 1. Et hæc de iſto articulo, dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit ſuſpenſio propriè dicta, ſiue in rigore ſumpta?

MAriæ à Doctoribus traduntur ſuſpenſionis differentiæ, diuiſiones atque ſubdiuiſiones, ſed quæ reuera conueniunt ipſi vt generaliter ſumptæ, non verò propriè, ſtrictè & in rigore. Quibus omnibus breuitatis gratia prætermiſſis, ne in longum noſtra protrahatur oratio, propoſitæ difficultati, breuiter & reſolutiuè reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Omnis in vniuerſum ſuſpẽſio, proprie & ſtrictè ſumpta eſt triplex quædam ob officio tantum, quædam à beneficio tantũ, alia verò ab officio & beneficio ſimul.

COnſiderando ſuſpenſionem quantum ad affectum, & quantum ad rem à qua ſuſpendit, omnis in vniuerſum ſuſpenſio propriè, dicto ſtrictè & in rigore ſumpta eſt triplex, quædam ab officio tantum, quædam à beneficio tantum, alia verò ab officio & beneficio ſimul. Et præterea aliquando fit in totum, aliquando verò ſecundum partem, quandoque ab omni officio & exercitio Ordinum, aliquando autem ab vno Ordine tantum, & etiam fit interdum, non ab Ordine ſed ab alio, vt putà ab ingreſſu Eccleſiæ vel à prædicationis actu & huiuſmodi, de quibus omnibus habentur exempla in Gloſſa in Clementina *cupientes, de pœnit.* Hæc Cõcluſio communis eſt Doctorum omnium reſolutio, & de ea videndus eſt Nauarr. in ſuo Manual. c. 27. n. 154. & Sylu. ver. *ſuſpenſio*, nu. 1. tractat hoc ipſum, & Sua. 5. to. in 3. p. D. Thom. diſp. 25. ſect. 2. vbi & latiſſime explicat, quidnam ſit ſuſpendi quẽpiam ab officio tantum, quid verò à beneficio tantum, quid autem ab officio & beneficio ſimul, de quibus omnibus nos etiam infra aliquid dicemus,

agendo de ſuſpenſionis effectibus. Sed aduerto, quod prædicta ſuſpenſionis diuiſio, deſumpta eſt (vt dixi) ab eiuſdem effectibus, attendendo & cõſiderando ea, quibus priuat ſeu priuare poteſt. Sed conſiderari etiam poteſt, habito reſpectu ad ſuſpẽdentem, & etiam quantum attinet ad ipſius durationem. Qua de re ponuntur aliæ ipſius diuiſiones de quibus omnibus dicemus per ordinem: in ſequentibus Concluſionibus,

Secunda Concluſio.

Si conſideretur ſuſpenſio habito reſpectu ad ſuſpendẽtem, omnis in vniuerſum ſuſpenſio eſt duplex, quædam lata à iure, alia verò ab homine.

SI conſideretur ſuſpenſio habito reſpectu ad ſuſpendentem, omnis in vniuerſum ſuſpenſio eſt duplex, quædam lata à iure, alia verò lata ab homine. Hæc etiam Concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & de ea videndus eſt Nauar. vbi ſupra, & Sylueſt. & Suarez locis ſupracitatis, quæ quidem diuiſio communis eſt omni cenſuræ de qua pro nunc nil ſpeciale dicendum occurrit. Solummodo aduerto id quod iam ſupra diximus, quod ſuſpenſio à celebrando, quæ interdum in foro interiori & pœnitentiæ à Confeſſario præcipitur, non eſt propriè ſuſpenſio, quia nec eſt cenſura (de qua in præſentiarum loquimur) nec eſt talis vt ſi quis cõtra illam agat, irregularitatem ſeu pœnam aliquam Eccleſiaſticam incutrat, vt probe notat Ioan. Andr. in cap. *is qui, de ſentent. excommunicationis*, libr. 6. & Gloſſ. ibidem, verbo, *in iure*, & Nauarr. in ſuo Manual. cap. 27. num. 151. & Suar. loco ſupracitato, num. 4.

Tertia Concluſio.

Si conſideretur ſuſpenſio quãtum attinet ad durationem, omnis in vniuerſum ſuſpenſio eſt, vel perpetua, vel temporalis.

SI conſideretur ſuſpenſio quãtum attinet ad durationem, omnis in vniuerſum ſuſpenſio, vel eſt perpetua & ſimplex, vel temporalis & determinata, ad certum & limitatum tempus. Hæc Cõcluſio eſt etiam ſupradictorum omnium, circa quã nihil de nouo dicendum occurrit, præterquam quod in ſuſpenſione, ſummopere aduertere & conſiderare oportet, ad verba, quæ in eadem ponuntur, nam cum ſuſpenſio ſit pœnalis & odioſa, potius reſtringenda, & limitanda eſt, quam extendenda & amplianda, prout probe aduertit & notat, traditque latiſſime ſupradictus Suarez loco ſupra citato, diſp. 25. ſect. 2. num. 3. & Medina in ſua Summa, ſiue inſtit. Confeſſorum. 1. part. cap. 10. §. 8. vbi huius rei plura adducit exempla, ſed hæc ſic in cõmune pro huius rei aliquali noticia breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Quinam ſint ſuſpenſionis effectus?

Prima Concluſio.

Suſpẽſio, quæ ſimpliciter eſt ab officio, priuat hominẽ vſu omnis Ordinis & iuriſdictionis ſpiritualis, ac cuiuſuis muneris Eccleſiaſtici, cuius perſona ipſa, quæ priuatur eſt capax.

VSpenſio, quæ ſimpliciter eſt ab Ordine ſiue ab officio, priuat hominẽ vſu omnis Ordinis & iuriſdictionis ſpiritualis, ac cuiuſuis muneris Eccleſiaſtici, cuius perſona ipſa, quæ priuatur eſt capax. Hæc Concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio de qua ſpecialiter videndus eſt Nauar. loco ſupra citato, cap. 27. num. 160. cum ſequentibus, & Sylu. verbo, *ſuſpenſio*, num. 1. & Suarez vbi ſupra, diſpu. 26. ſect. 1. vbi hac de re agit latiſſimè, & Medina etiam loco ſupracitato. Pro cuius pleniori intelligentia dico, quod ſuſpenſio quamuis ſit lata ab officio ſimpliciter, non tamen priuat hominem ipſomet officio, à quo ſuſpendit illum, nec tollit ipſam poteſtatem quaſi radicaliter, ſed tantum impedit vſum ipſius (id quod & nomen ipſum ſuſpenſionis ſonat) non enim ſignificat ablationem aut deſtitutionem officij, ſed tantum ipſius veluti detentionem. Et patet à ſimili de ſuſpenſione à beneficio, quæ quidem non aufert à ſuſpenſio beneficium ipſum in totum, ſed tantummodo remouet vſum & exercitium ipſius. Ita quod dicere poſſumus, quod per dictam ſuſpenſionem remanet quidem ſpiritualis iuriſdictio quaſi in habitu, non tamen in actu, quod eſt dicere quod tollit iuriſdictionis exercitium, non tamen officium ſiue dignitatem cui annexa eſt talis iuriſdictio. Licet enim Epiſcopus ſuſpendatur, vt non poſſit Ordines conferre, non tamen priuatur Epiſcopatu, ſimiliter & Sacerdos licet ſuſpendatur ab Ordine, & ab ipſius exercitio & vſu, non tamen priuatur Ordine ipſo, quia nec priuatur charactere (vt tenendum eſt de fide) nec perpetuo excluditur ab eo munere, quo per Eccleſiam ſuſpenditur, quin verò de ratione ipſius ſuſpenſionis eſt (aut ſaltim eſſe videtur) vt nõ includat perpetuitatem poſitiuam, ſic enim eſſet omninò idem ac depoſitio ſimpliciter. Quando ergo in concluſione dicitur, quod ſuſpenſio ab officio ſimpliciter, priuat hominem omni vſu Ordinis & iuriſdictionis ſpiritualis, & cuiuſuis muneris Eccleſiaſtici in quantum eiuſmodi perſona eſt capax intelligendum eſt, quod priuatur omnium ſupradictorum vſu, exercitio & actu, non tamen habitu ſeu officio & dignitate ſimpliciter & abſolutè. Priuatur tamen ſupradictis omnibus in totum, nec ſolum ſecundum partem, ſi ipſa ſuſpenſio eſt ſimpliciter, quidquid alij dicant ſequentes Gloſſam, in cap. *audiuimus*, 24. quæſt. 1. quæ ait quod per hæc verba *ſuſpenſionis ab officio*, ſolummodo deſignatur ſuſpenſio ab Ordine, non verò à iuriſdictione ſeu ab aliqua alia Eccleſiaſtica adminiſtratione. Sed contrarium eſt verius & quod communiter tenetur, de quo videatur Panorm. in cap. *cum dilectus, de conſuetud.* & cap. *ſi celebrat, de Clerico excommunicato*. vbi inquit quod ſuſpẽſus ab Ordine ſeu ab officio ſimpliciter, eſt proinde quaſi per conſequentiam ſuſpenſus ab omnibus fundatis ſuper tali Ordine vel officio. De quibus omnibus videatur latiſſimè Suarez loco ſupra citato, diſput. 26. ſect. 1. & Sylueſt. vbi ſupra, quæſt. 5. num. 5.

ritualis, & tuiuſuis muneris Eccleſiaſtici, quibus perſona ipſa priuari poteſt. Nota q̃ ſuſpenſio ab officio, nõ priuat hominem officio ſuo, neque eum amouet radicaliter, ſed tantum vſum & exercitium ipſius.

Secunda Concluſio.

Suſpẽſio, quæ eſt ab officio ſimpliciter, extenditur & protrahitur, ad omnem locum.

SVpradicta ſuſpenſio, quæ eſt ab officio ſimpliciter extenditur, atque protrahitur ad omnem locum, ita vt eiuſmodi ſuſpenſus ſimpliciter ab officio, & abſque aliqua loci determinatione, vniuerſaliter & pro omni loco ſit ſuſpenſus. Hæc Concluſio (vt credo) eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & patet à ſimili de excommunicatione, nam ſituti excommunicatus in

vno

vno loco, quouſque abſoluatur excommunicatus cenſetur vbique ita ſimiliter & ſuſpenſus ſi ſuſpenſio fiat ſimpliciter. Pro hac Concluſione videatur Gloſſa, in cap. *Paſtoralis. §. verum*, verbo, *ſubtrahuntur, de appellat.* vbi dicit, quod prædicta cenſura non reſpicit vnum tantum locum, ſed ſimpliciter omnem locum. Videatur etiam Abbas ibidē, numero 20. & Decius numero 9. Nec dictis obſtat, cap. 2. *de conſtitutionibus*, lib. 6. vbi dicitur quod qui limitatam habet iuriſdictiodem, extra ipſam nihil poteſt operari, nam intelligendum id eſt directè, & per communem legem ſiue ſtatutum, non poſſe quempiam aliquid operari extra ſuum territoriū, de quo fit ſermo in dicto cap. 2. & in leg. 2. *de iuriſdict. omnium iudic.* vbi habetur, *quod extra territorium ius dicenti, non paretur impune.* Attamen per particularia præcepta, quæ immediatè aliquas reſpiciunt perſonas, bene poteſt quiſpiam, præcipiendo aut iudicando intra ſuum territorium, aliquam pœnā conſtituere, quam ſubditus teneatur adimplere etiam extra ipſum & vbicumque vagetur, ſicut eſt commune & vniuerſale, in materia de cenſuris, patetque expreſſe de excommunicatione. quæ in proprio poſita territorio, quaſi inſeparabiliter inhæret & quocumque defertur, quouſque excommunicatus abſoluitur, & idem dicitur de depoſitione, in cap. *ſi quis Preſbyter*, 7. quæſt. 1.

Nota valde.

Tertia Concluſio.

Suſpēſio, quæ eſt ab officio ſimpliciter, ſemper durat quouſque auferatur, ab auctoritatem & poteſtatem habente.

SVpradicta ſuſpenſio, quæ eſt ab officio ſimpliciter, & ponitur ſiue profertur abſque aliqua limitatione & determinatione temporis, ſemper durat, donec auferatur ab auctoritatem & poteſtatem habente. Hæc Concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio. De qua & videndus eſt Innocentius, in capit. *cum bone, de ætate & qualita. ordinandorum*, & capit. *ad hæc, de appellationibus*, & ca. *ex literis, de conſtitut.* & Gloſſa in capit. *ſi autem*, eodem titulo. Quibus in locis quamuis, vt apparet fiat ſermo de ſuſpenſione lata per ſententiam hominis, eſt tamen eadem (vt videtur) omninò ratio de lata à iure, quamuis raro iſto modo deferatur.

Pro quorum omnium intelligētia (vt diximus) ſummopere aduertendum eſt ad tenorem poſitæ ſuſpenſionis, & verba quibus apponitur, ſi dicatur vſque ad noſtrum beneplacitum, ſeu vſque ad hoc quod hoc aut illud fiat, aut ſi apponatur forſan, vſque ad certum & determinatum tempus, nam tunc eo finito, per ſe definit atque expirat ipſa ſuſpenſio, quæ omnia ſunt maximè notanda & memoriæ commendanda. Et circa hoc videndum eſt quod latiſſimè tractat & dicit ſupradictus Pater Suarez loco ſupracitato, diſputatione 26. ſectione 1. à num. 13. cum ſequentibus, vbi ponit varias & diuerſas ſuſpenſionis formas, quibus eiuſdem ſententia apponi ſolet, & luculenter explicat quid vnicuique conueniat. In calce huius Cōcluſionis libuit aduertere, id quod dicit Gloſſa, in cap. *ſane, el ſecundo, de officio delegati*, & cap. 2. eodem titulo, quod plus extenditur ſuſpenſio ab officio ſimpliciter, quam à Sacerdotali officio; & ratio eſt nam officium ſimpliciter, latius patet quam officiū ſeu miniſterium Sacerdotale, vt de ſe conſtat.

Quarta Concluſio.

Suſpenſus ab officio, nō ſimpliciter & abſolutè, ſed à quibuſdam actibus, non eſt proinde ſuſpenſus ab alijs eiſdem non annexis.

SVſpenſus ab officio non ſimpliciter & abſolutè, ſed à quibuſdam dumtaxat actibus, non eſt proinde ſuſpenſus ab alijs eiſdem non annexis. Hæc Concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & eſt quammaximè aduertenda atque conſideranda, poſtquam, vt diximus, ſuſpēſio multipliciter imponi ſoleat. Qua quidem ratione Diuus Thomas, in additionibus ad tertiam partem, quæſtione 22. articulo tertio, & in quarto, diſtinct. 18. quæſtio. ſecunda. articulo ſecundo, dixit ſuſpenſionem, aliquam eſſe integram & totalem, aliam verò partialem, & quamdam priuare ab Ordine non verò à iuriſdictione, aliam verò à iuriſdictione, & non ab Ordine, nonnullam verò autem ab vtroque, quæ tamen omnes ſunt ſuſpenſiones ab officio, ſed duæ primæ ſunt partiales, tertia verò & vltima integra atque totalis. Quorum omnium adducuntur varia exempla à Gloſſa, in ſupradicta Clementina, *capientes, de pœnis*, atque in iure reperire licebit aliqua loca & capita, quibus interdum Epiſcopi ſuſpenduntur tantum à conſecratione alterius Epiſcopi, vt in capit. primo, *de tranſlatione Epiſcoporum*, & in capit. *pronida, de electione*, lib. ſexto, aliquando verò, à collatione Presbyterij vel Diaconatus, vt in capit. *literas, de tempor. ordinand.* quandoque autem à collatione Ordinum ſimpliciter, vt in cap. penultimo *de ſimonia*, & capit. *dilectus, de tempor. ordina.* & cap. *eos qui*, eodem titulo, in ſexto & interdum à collatione ſolius primæ Tonſuræ, vt in cap. *nullus, de tempor. ordina.* in ſexto. Similiter & inferiores Clerici ſi Sacerdotes ſunt, ſuſpenduntur interdum ab officio Sacerdotali abſolutè, vt in capit. *ſane, el ſecundo de officio delegati*, & cap. ſecundo eodem titulo, in 6. aliquando verò ſolum à celebratione Miſſæ, quādoque autem ſolummodo à munere audiendi cōfeſſiones, &c. Et eodem modo fieri contingit in ſuſpenſione, quæ eſt à iuriſdictione, nam in Clementina ſecunda, *de ætate & qualitate*, delinquens priuatur voce in Capitulo, quæ ad iuriſdictionem reuocatur, aliquando verò ſuſpenſio fertur tantū à collatione beneficiorum, vt in capit. *grauc nimis, de præbend.* & cap. vnico, *Sede vacante*, in 6. & ſic de alijs actibus. Item & aliquando contingit, ſuſpendi quempiam ſimul ab vſu partiali iuriſdictionis & ordinis, vt in dicto capitulo ſecundo, *de tranſlatione Epiſcoporum*, ibi, *à conſecratione & confirmatione Epiſcopi*: ex quibus duobus, conſecratio eſt actus Ordinis, confirmatio verò iuriſdictionis. Quæ omnia oportet ſummopere aduertere, nam ex his omninò pendet vera reſolutio omnium, quæ ad materiam prædictæ ſuſpenſionis ſpectant. De quibus omnibus in particulari, videatur Suarez loco ſupracitato, diſputatione 26. ſectione quarta, nume. primo, cum ſequentibus. Et vt præmanibus aliqua habeantur exempla, libuit in præſentiarum referre, quæ ad hoc propoſitum adducit Sylueſter verbo, *ſuſpenſio*, quæſtione quinta, numero 5. vbi de his agens inquit, quod ſi Epiſcopus ſuſpendatur ab Ordine Epiſcopali, ſolummodo eſt ſuſpenſus ab his, quæ ſunt illius Ordinis, non autem ab his, quæ ſunt iuriſdictionis. Et ſi ſuſpenſio fiat

Nota varios ſuſpenſionis effectus, qui reperiuntur in iure.

tantum à Pontificalibus, tantum cenſetur ſuſpenſus ab his ſolum, quæ dependent à dicto Ordine Pontificali, non verò ab alijs. Vnde in tali caſu, exercere optime poterit iuriſdictionalia, quæ ſeparata ſunt ab his, quæ ſunt Ordinis Pontificalis, iuxta cap. *tranſmiſſa, de electione*, neque ex eo efficietur irregularis.

Difficultas. An Epiſcopatus ſit Ordo?

Sed ſi celebret in Pontificalibus, eſt inter Doctores differentia, an efficiatur irregularis? Quidam enim dicunt quod ſic, quia ſunt in ea opinione, quam ſequuntur omnes communiter Canoniſtæ, aſſerentes, quod Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus ab alijs. Sed alij diuerſa procedunt via, & dicunt quod in tali caſu Epiſcopus celebrando in Pontificalibus, non efficitur irregularis, tum quia Epiſcopatus non eſt Ordo vnuoce cum alijs, ideſt in ordine ad corpus Chriſti verum, tum etiam quia Pontificalia non ſunt de ſubſtantia celebrationis, nec debemus quempiam irregularem iudicare, niſi inueniatur expreſſum, *argumento deducto ex §. pœnæ, de pœnitent. diſtinctione prima*. Circa quam differentiam videatur Panormitanus, in cap. *cum dilectus, de conſuetudine*, & Syluеſter vbi ſupra, nam ego in præſentiarum hac de re nihil volo diffinire, requirebat enim maiorem indaginem atque diſputationem. Syluеſtro hoc vltimum magis arridet, vbi etiam agendo de ſuſpenſione aliorum inferiorum, inquit quod ſi ſuſpenſio ſit ab Ordine ſimpliciter, ſuſpenſus eiuſmodi eſt à quolibet Ordine, & per quamdam conſequentiam (vt ſupra diximus de mente Panormitani) ab omnibus fundatis ſuper tali Ordine, & ab omni iuriſdictione ſpirituali & ſimilibus, de quibus diximus ſupra. Si verò ſuſpenſio ſit tantum ab Ordine Subdiaconi ſiue Subdiaconatus, intelligendum eſt quod etiam eſt ab omnibus Ordinibus ſuperioribus ſuſpenſus, quamuis non à contrario, ſi quiſpiam ſit ſuſpenſus ab Ordine Superiori, vt putà Sacerdotali vel Epiſcopali, non proinde ſequitur, quod ſit ab inferioribus, quin verò ſic ſuſpenſus poterit exercere officia Ordinum inferiorum, per cap. *ſignificauit, de corp. vitia.* Similiter ſi fiat ſuſpenſio à collatione Ordinum ſimpliciter, intelligendum eſt quod eſt ſuſpenſus per eam á collatione cuiuſlibet Ordinis, ſed tamē ſi ſit tantum à collatione Ordinis inferioris, de ea intelligenda eſt ſuſpenſio & decollatione etiam Ordinum ſuperiorum, quamuis non è contrario, ſecundum Hoſtienſem, & omnes communiter Doctores, in cap. *dilectus filius, de temp. ordin*. Videātur quæ hac de re dicit latiſſime Nauarro in ſuo Manuali, cap. 27. num. 160. & 161. vbi inquit hac de re regulam tradens generalem, quod ſuſpenſus à iuriſdictione, non eſt ſuſpenſus ab Ordine, qui eſt diuerſus ab ea, per cap. *aqua de conſec. Eccleſ. & Altaris*, & cap. *tranſmiſſa de elect.* & multa alia tradit, quæ illic licebit videre, poſt quæ dicit quod ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ ſolummodo, poteſt excommunicare & abſoluere, quia non priuatur niſi ſupradicto ingreſſu Eccleſiæ tantum, & quia adhuc retinet vſum ſuæ iuriſdictionis, per cap. *ſacro, de ſententia excommunicationis*. Quæ omnia multum ſunt notanda & memoriæ commendanda.

Nota quod irregularis, nemo cenſetur, niſi habeatur expreſſum.

Quinta Concluſio.

Suſpēſio, quæ eſtà beneficio ſimpliciter & abſolutè, priuat hominem dominio, & poſſeſſione beneficij, ita & non poteſt vti iure quod habebat percipiēdi fructus illius.

SVſpenſio, quæ eſt à beneficio ſimpliciter & abſolutè, priuat hominem dominio, & poſſeſſione ſui beneficij, ita quod non poteſt vti iure quod habebat percipiendi fructus ſupradicti beneficij, & non amplius aliquo alio priuatur. Pro huius Concluſionis intelligentia præmittere oportet, quod in beneficijs duo licet reperire, quorum eſt alterum functio ſpiritualis aliqua, ad quam vt plurimum beneficium obligare ſolet, & pertinet ad Eccleſiaſticum officium (nam officium Eccleſiaſticum nihil eſt aliud, quam poteſtas quædam ſpiritualis, ad exercendum aliquem actum ſiue Ordinis ſiue iuriſdictionis, aut alicuius adminiſtrationis Eccleſiaſticæ) alterum verò quod in beneficijs reperitur eſt temporale emolumentum, ad quod ſuſcipiendum beneficium ipſum ex ſe confert ius quodammodo perpetuum, nam beneficiū etiam nihil eſt aliud, quam ius ad perpetuo percipiendos Eccleſiaſticos fructus ſiue prouentus, ob aliquem ſpiritualem titulum. Et dubitari ſolet, an prædicta ſuſpenſio, quæ eſt à beneficio ſimpliciter vtroque priuet, an verò altero tantum? Et ratio dubitandi eſt ex vna parte, quia ex illis duobus veluti permixtim, integratur ſupradictum beneficium, ex altera verò parte videtur quod non, nam alias ſuſpenſio, quæ eſſet à beneficio ſimpliciter, eſſet etiam ſuſpenſio & ab officio ſimul. Dicimus ergo in noſtra Concluſione, quod ſuſpenſio ſupradicta ſolummodo priuat hominem hoc ſecundo, nempe dominio & poſſeſſione beneficij, & iure quod alias habebat quiſpiam percipiendi aliquos Eccleſiaſticos fructus ratione alicuius beneficij, non tamē officio ſeu obligatione prædicta, quę annexa eſt ipſi beneficio: ita quod tenetur inſeruire beneficio, quāuis non eius poſſit percipere fructus. Et quod hoc ſit dicēdum, ex eo probatur pleniſſime, nā cōmuniter in iure beneficiū condiſtinguitur contra officiū, & quaſi diſtinctè proponuntur pœnæ, ſuſpēdi quempiam ab officio & ſuſpēdi eumdē ſeu alterū à beneficio, aut ab vtroq; ſimul. Et certū eſt quod pœnæ in iure ſunt reſtringendę & limitandæ, non verò ampliādæ, cum earum materia ſit odioſa. Qua de re videatur latiſſime Suarez, quinto tomo, in tertia parte diſputatio. 27. ſect. prima numero primo, cum ſequentibus, vbi hac de re agit latiſſime. Neque dictis obſtat, quod non videtur eſſe rationi conſonum, vt quiſpiam inſeruiat beneficio ſeu potius teneatur illi inſeruire, & ſit ſimul priuatus poſſeſſione, dominio atque iure percipiendi ipſius fructus: nam reſpondetur imò verò id eſſe quammaximè conueniens & rationi multum conforme, in pœnam commiſſi delicti, pro quo quiſpiam ſuſpenditur, quod illi inſeruiat & ad explendum ſuum officium maneat obligatus, ſimulque exiſtat priuatus iure percipiendi fructus beneficij ſupradicti. Quamuis enim (vt dicitur) beneficium detur propter officiū atque ex vna parte videatur neminem poſſe obligari ad officium, niſi qui fruitur beneficio, ex alia tamen parte, æquiſſimum atque iuſtiſſimum eſt, vt culpa ipſa, pro qua quiſpiam ſuſpenditur, eiuſmodi inter alia plectatur pœna, quod

Nota & ſuſpenſus à beneficio, tenetur illi inſeruire quamuis non percipiat ipſius fructus.

ab

ab officio ſuſpenſus, eidemque inſeruiens & inſeruire deobligatus, ipſius nullatenus percipiat fructus, ſitque priuatus iure illos percipiendi. Non enim (vt dixi) per ſuſpenſionem priuatur quis beneficio prædicto quaſi radicaliter aut amittit ipſum, quin verò beneficium manet penes illum ſolummodoque priuatur iure percipiendi fructus, remanente tamen antiqua obligatione. Qua de re videatur Suarez loco ſupracitato, num. 4, cum ſequentibus, vbi & ad hoc propoſitum affert congruentiſſimas & appoſitiſſimas rationes, quæ videri poſſunt ibidem.

Sexta Concluſio.

Suſpenſio, quæ eſt à beneficio ſimpliciter & ponitur abſq; alia qua ſpeciali limitatione extenditur ad omnem locũ.

SVpradicta ſuſpenſio, quæ eſt à beneficio ſimpliciter, & ponitur abſque aliqua ſpeciali loci determinatione, extenditur etiam ad omnem locũ, eo modo quo ſupradictum eſt de ſuſpenſione, quæ eſt ab officio ſimpliciter. Hanc Concluſionem tenet ſupradictus Suarez, loco ſupracitato, num. 17. cum ſequentibus, vbi & probat eam multiplicibus rationibus, ſed maxime quia prædicta ſuſpenſio & eiuſmodi loquutio indifferens, æquiualet propoſitioni vniuerſali. Quod ſemper eſt intelligendum, niſi aliunde ex materia vel ex cauſa de qua agitur, conſtet ſermonem eſſe de aliquo ſeu aliquibus beneficijs in particulari talis vel talis Eccleſiæ, iuxta cap. *ſi compromiſſarius, de elect.* lib. 6. ita quod quando quiſpiam ſuſpenditur à beneficio ſimpliciter, niſi aliud dicatur & exprimatur, intelligendum eſt ab omni beneficio, vbicumque illud ſit, & vbicumque illud poſſideatur. Quidam prædictam Concluſionem limitant, vt intelligatur quando ſuſpenſio fit à Papa, ſecus tamen quando fit à particulari quopiam Epiſcopo, & reddunt rationem differentiæ, atque diuerſitatis, à quorum ego tractatione breuitati ſtudens conſulto abſtineo, videatur Suarez vbi ſupra.

Septima Concluſio.

Suſpenſa, quæ eſt a beneficio ſimpliciter & ponitur abſq; ſẽparis determinatione ſẽper durat quouſq; tollatur

SVpradicta etiam ſuſpenſio, quæ eſt à beneficio ſimpliciter, ſi etiam feratur abſque vlla determinatione temporis, ſemper atque continue durat, priuatque hominem ſic ſuſpenſum, fructibus beneficij aut forſan beneficiorum, quæ tempore quo lata eſt, obtinebat ſiue poſſidebat, quouſque per Superiorem tollatur, ſeu per alium in id auctoritatem habentem. Hæc etiam Concluſio eſt ſupradicti Suarez vbi ſupra, num. 23. cum ſequentibus, vbi & probat eam multis rationibus, ſed inter ipſas videtur præcipua, quia verba indiffinite prolata (vt dixi) vim habent propoſitionis vniuerſalis, quo fit, vt quando abſolutè & ſimpliciter, & abſque vlla temporis determinatione fertur ſuſpenſio, ſenſus eſſe videatur, quod voluntas, & intentio eam inferentis, ſit vt ſemper duret, donec per poteſtatem habentem auferatur, id quod & expreſſe tenet Abbas, in cap. *ex litteris, de conſtitut.* num. 10. quem omnes cõmuniter Doctores ſequũtur. Videatur hac de re prædictus Suarez vbi ſupra, vbi & quaſdam mouet incidentes difficultates, an ſcilicet per ſuſpenſionem ſupradictam, priuetur quis fructibus beneficij habiti tempore ſuſpenſionis, an verò etiam fructibus beneficij nondum habiti? & an ſic priuatus ſiue ſuſpenſus, de nouo poſſit aliquod obtinere ſeu acquirere beneficium, & quibus fructibus priuetur, quibus etiam actionibus? quas omnes difficultates docte & erudite ſatis reſoluit pro ſuo more; à quorum omnium ego tractatione conſulto etiam abſtineo, nã breuitas, cui tantopere ſtudeo nihil aliud permittit, videantur ibidem. In calce tamen huius articuli aduertere libuit, id quod & ſupra diximus agendo de ſuſpenſione, quæ eſt non ab officio ſimpliciter, & in totum, ſed ex parte & cum ſpeciali aliqua limitatione & determinatione, quod ſi ſupradicta ſuſpenſio fuerit à beneficio non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſolummodo ex parte & cum dicta limitatione, ſpecificatione & reſtrictione, habebit effectum eo modo quo fuerit appoſita & non amplius, nam pœnæ in iure, vt pluries dictum eſt, potius ſunt reſtringendæ, & limitandæ quam ampliandæ. Et de partiali effectu ſuſpenſionis à beneficio ſupradictæ qui plura videre voluerit, conſulat ſupradictum Suarez loco ſupracitato, diſp. 27. ſect. 2. à num. 1. cum ſequentibus, vbi & in fine dicit, qualiter beneficiarius prædictus, ſic priuatus atque ſuſpenſus ſit nihilominus alendus fructibus ſui beneficij, id quod tenet Panormit. cum cõmuni, in cap. *Paſtoralis. §. verum, de appellat.* nec ſit priuatus cenſendus, quoad ea, quæ dantur etiam diuinis officijs non intereſſentibus, niſi ſuſpenſio ſit tam diuturna, vt tacite vel expreſſe vim priuationis habeat, ſeu habere videatur, id quod etiam tenet Nauarr. in ſuo Man. cap. 27. num. 160. Et hæc de iſto Articulo breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS IIII.

Quiſnam poſsit ſuſpendere, ſeu ſuſpenſionis cenſuram apponere?

Prima Concluſio.

Qui excõmunicare poſſunt regulariter ſ. quando, poſſunt etiã ſuſpendere.

OMmuniter & regulariter loquẽdo, omnes & ſoli illi qui poſſunt excommunicare, poſſunt etiã ſuſpendere. Hæc Concluſio eſt omnium Doctorum communis, & eã tenet Sylueſt. verbo, *ſuſpenſio.* q. 2. & Nauarr. in ſuo Man. cap. 27. n. 159. & Suar. 5. to. in 3. p. D. Tho. diſp. 28. ſect. 1. num. 2. & latius diſp. 2. agendo de cenſuris in communi, ſect. 2. per totã & eſt communis omnium Summiſtarum, verb. *ſuſpenſio*, cuius & ratio in promptu eſt, nam vna & eadem eſt poteſtas iuriſdictionis, ad ponendas Eccleſiaſticas cenſuras communiter dictas, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, de quibus habetur in cap. *qui renti, de verb. ſig.* Licet enim per Eccleſiã eiuſmodi iuriſdictio, reſtringi & limitari poſſet quatũ ad hunc actum, non verò quantũ ad illum, regulariter tamen non fit nec fieri debet cum omnes cenſuræ ſupradictæ ad eumdẽ finem ſint ordinatæ, ſeque mutuo iuuent & adiuuare debeant, ad frenandam & reprimendam rebellium contumaciam. Vnde communiter & regulariter loquendo, quicumque poteſtatem habet ad excommunicandũ, habet etiam eam ad ſuſpendendũ

& è conuerſo. Eademque eſt ratio de interdicto, vt expreſſe tenet Sylueſt. loco ſupracitato, vbi etiam dicit, quod laicus nec mulier, cum non ipſi excommunicare poſſint, niſi ex commiſſione ſpeciali Papæ, iuxta §. *verum*, in glo ſ. diſt. 32. nec etiam poſſunt ſuſpendere. Poteſt tamen ſecundum Innocentium, Abbatiſſa ſuſpendere à beneficio Clericos Eccleſiarum ſibi ſubditarum, ſi hoc ex conſuetudine habet, non tamen ab officio, vt tenet ſupradictus Sylu. loco ſupracitato, & Suarez loco etiã ſupracitato, num. 30. vbi & ad hoc propoſitum explicat doctiſſime, ca. *dilecta, de maior. & obedient.* quo affirmari videtur Abbatiſſam quandam ſuſpenſionis ſententiam tuliſſe, & inquit, non eam valide tuliſſe, neque verè ſententiam ſuſpenſionis fuiſſe, ſed aliud præcepti genus, qua ratione Pontifex præcipit ibidem cuidam Abbati, vt per cenſuras compellat quoſdam, dictæ Abbatiſſæ obedire in his, quæ iuſte præcipiebat.

Secunda Concluſio.

Sicut excommunicatio, quædam eſt à iure, alia verò ab homine immediatè ita etiam & ſuſpenſio.

SIcut excommunicatio, quædam eſt à iure, alia verò ab homine immediatè, ita etiam & ſuſpẽſio. Quod eſt dicere, quod prædicta cenſura apponi poteſt, & à iure & ab homine immediatè, de quibus omnibus in particulari inferius eſt dicendum. Solum ſupereſt in calce huius Articuli inueſtigare & quærere, an Epiſcopi ſine Capitulo Clericos poſſint ſuſpendere? & videtur quod non, ex cap. penult. 15. quæſt. 7. vbi dicitur, quod ſi contrarium fiat, ſuſpẽſio ſit irrita. Et præterea in ca. 1. *de exceſſ. Prælat.* mandauit, Alex. III. quibuſdã Epiſcopis, ne ſine iudicio Capituli Presbyteros attentarent ſuſpendere, ſeu illorum Eccleſiam interdicere. Sed contrarium tenetur & communiter obſeruatur in praxi, neque eiuſmodi ſolemnitas vllo vnquam tempore fuit recepta, imò verò contraria conſuetudine præſcriptum fuit contra illam, iuxta cap. 3. *de conſuetudin.* lib. 6. Vnde Epiſcopi hodie libere vtuntur iure ſuo, & abſoluta iuriſdictione ſuſpendendi, ſicut & excommunicandi Clericos, quod & facere poſſe tenet Panormit. & omnes Doctores communiter, de quo videatur Suarez vbi ſupra, num. 4. Et hæc de iſto articulo breuiter dixiſſe ſufficiat, procedamus ad alia.

ARTICVLVS V.

Quinam ſunt, qui poſſunt ſuſpendi?

Difficultas. An ſuſpenſio ſit ſolummodo Clericorũ, an verò etiam laici poſſint ſuſpendi.

POſtquam in præcedenti Articulo, breuiter & reſolutiuè diximus, quinam ſint qui poſſunt ſuſpẽdere actiue, ſeu ſuſpenſionis cenſuram apponere, rectus ac debitus exigit ordo, vt vice verſa quæramus, quinam ſunt qui poſſunt ſuſpendi paſſiue, ſeu quibus ſuſpenſionis cenſura poſſit apponi. Quod & ſpecialiter in controuerſiam adducitur, vt ſciamus an ſuſpenſionis cenſura, ſit peculiaris Clericorum, an verò etiam laici poſſint ſuſpendi? Et poſtmodum dicemus de peculiaribus perſonis, in quibuſdam dignitatibus conſtitutis, qui etiam videntur non poſſe ſuſpendi, ſaltim per ſententiam generaliter latam, & niſi de illis ſpecialis mentio fiat. Et quidem, quod laici etiam poſſint ſuſpendi, colligi videtur prima facie ex Extrauaganti, *vnica, de cenſibus*, quæ habetur inter communes, vbi ſequentia verba habentur poſt alia: *Alioquin ex tunc accipiens ſi Clericus fuerit, tamdiu ab officio & beneficio ſit eo ipſo ſuſpenſus, ſi verò laicus tamdiu ingreſſum Eccleſiæ ſibi nouerit interdictum á communione Euchariſtiæ, ipſo facto nouerit ſe ſuſpenſum, donec, &c.* Ecce qualiter laicus in prædicto loco ſuſpenditur, id quod & fieri poſſe rationi videtur conforme, cum ſuſpenſio interdum non tantum priuet vſu officij vel ordinis, aut beneficij iam obtenti & recepti, verum etiam obtinendi & recipiendi nouum ordinem, nouum officium ſiue beneficium, ex quo colligi videtur quod horum reſpectu, bene poterit laicis apponi ſuſpenſio, qua ſuſpendantur, impediantur, & priuentur, vt ne ordinentur, aut aliquod officium Eccleſiaſticum ſiue beneficium cõſequantur & recipiant, quæ quidem eſt pœna, nec vt videtur parua ſed maxima. Propter hoc argumentum, nonnulli in ea ſunt opinione & ſententia vt credant laicos, etiam poſſe ſuſpendi. Huius opinionis videtur eſſe Abbas, qui ait eſſe ſuſpenſionis genus quoddam, à participatione Sacramentorum paſſiua, quæ laicis eſt communis. Id ipſum ſentire videtur Armilla in ſua Summa, verbo, *ſuſpenſio*, num. 17. vbi inquit, omnem illum poſſe ſuſpendi, qui & poteſt excommunicari. Sed nihilominus cõtrarium eſt tenendum, & dicendum, pro quo ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Argumẽtum ad probãdum quod etiã laici poſſint ſuſpendi.

Prima Concluſio.

Quamuis omnes Chriſtiani poſſint excommunicari, ſolæ tamen Eccleſiaſticæ perſonæ, poſſunt ſuſpendi.

QVamuis omnes Chriſtiani poſſint excommunicari, ſolæ tamẽ perſonæ Eccleſiaſticæ poſſunt ſuſpendi. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Nauarr. in ſuo Manuali, cap. 27. num. 159. vbi & probat eam, per diffinitionem ſuſpenſionis ſuperius poſitam, qua diximus eſſe cenſuram, qua alicui perſonæ Eccleſiaſticæ prohibetur vſus ſiue exercitiũ ſui officij, vel beneficij Eccleſiaſtici, in totum vel in partem, &c. Eamdem ſententiam tenet Sylueſ. verbo, *ſuſpenſio*, num. 1. & Angelus eodem verbo, *in princ.* & Caietan. ſimiliter. In qua conueniunt atque conſentiunt omnes communiter Canoniſtæ cum glo ſ. in cap. *quicumque*, verbo, *miniſt. de ſent. excommunic.* in 6. & Innocentius in cap. vlt. *de exceſſ. Prælat.* & Abb. in cap. *dura de crimine falſi.* nume. 10. qui omnes dicunt, ſuſpenſionis cenſuram propriã eſſe Clericorum. Qua de re videatur etiam Suar. tomo 5. in 3. part. D. Tho. diſput. 25. in princ. & diſp. 28. ſect. 2. num. 1. vbi & dicit poſſe probari, ſupradictam Concluſionem, inductione facta ex omnibus locis iuris Canonici, in quibus ſupradicta cenſura fertur, ſiue ferenda præcipitur, vbi dumtaxat ad Clericos ſolos dirigitur. Vnde illa ſuſpenſio, quæ apponitur in Extrauag. *vnica.* Ioann. XXII. *de ſenten. excommun.* pro impedimento vtendi certo temporali munere, neque eſt pœna ſpiritualis nec cenſura de qua loquimur, nec propria Clericorum, ſed alterius generis, vocatur autem ſuſpenſio lato vocabulo & generali nomine. Sed an omnes in vniuerſum Clerici poſſint ſuſpendi & maxime Epiſcopi, explicabitur per ſequentem Concluſionem.

Secunda

Secunda Concluſio

Omnes Eccleſiaſticæ perſonæ (excepto Rom. Pōt.) ſicut poſſunt excommunicari ſic etiam & poſſunt ſuſpēdi.

OMnes perſonæ Eccleſiaſticæ (excepto Romano Pōtifice) ſicut poſſunt excommunicari, ſic etiam poſſunt ſuſpendi. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & de ea ſpecialiter videndus eſt Suarez vbiſupra, ſect. 2. nume. 4. vbi & eiuſdem rationem reddens inquit, quod ſolus Romanus Pontifex eſt incapax prædictæ cenſuræ, quia ipſe ſolus in terris non habet ſeu recognoſcit Superiorem à quo ſuſpendi poſſit. Reliqui autem omnes etiam Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi, cum Superiorem habeant prædictum Romanum Pontificem, per ipſum ſuſpendi poſſunt, nam ordo & dignitas ipſorum, magna cum ſit, non reddit illos incapaces prædictæ pœnæ ſeu potius medicinæ, nec facit illos ab omni humana ſubiectione liberos. Hoc itaque generaliter atque vniuerſaliter verum eſt, quod quilibet habens Superiorem habentem Eccleſiaſticam iuriſdictionem, poteſt ab illo ſuſpendi, aut iure ordinario, aut vero ex priuilegio. Sed Cardinales à ſolo Papa, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ab illo & à Concilio, ſibique ſubditi ab illis, & omnes exempti à ſuis proprijs Prælatis. Sed aduerto quod Epiſcopi non poſſunt ſuſpendi per ſententiam latam generaliter, & niſi de illis fiat ſpecialis mentio, licet ſecus ſit de excommunicatione, per *capit. quia periculoſum, de ſentent. excommunicatio. lib. 6.* Qua de re videndus eſt Nauarr. vbi ſupra, num. 160. & 161. & Suarez vbiſupra ſect. 2. num. 1. vbi & dicit hanc vnam eſſe differentiam inter alias multas, quæ verſatur inter excommunicationem & ſuſpenſionem, quod etiam aduertit Gloſſa, in dicto *cap. quia periculoſum.* Demptis & excluſis prædictis Epiſcopis, eorumque Superioribus, vt etiam dicitur in dicto *cap. quia periculoſum*, reliqui omnes inferiores Clerici, ſuſpendi poſſunt per generalem ſententiam, nam ſuſpenſio ſicut & alia quælibet cenſura, per clauſulam generalem poteſt apponi & ferri, qua poſita omnes in illa comprehenduntur, qui non ſunt ſpecialiter exempti.

Nota quod Epiſcopi nō poſſunt ſuſpēdi, per ſentētiā latā generaliter, & niſi de illis ſpecialis mētio fiat, ſecus vero excō municari.

Difficultas, Quid dicendū ſit de Epiſcopis electis & confirmatis, nō tamen conſecratis?

Sed dubitari ſolet, an prædictum Epiſcoporum priuilegium, poſitum in dicto *cap. quia periculoſum*, intelligendum ſit, & intelligi debeat, etiam de Epiſcopis electis & confirmatis, ſed nondum conſecratis? Quam difficultatem mouet ſupradictus Suar. loco ſupracitato, num. 7. & propoſitis aliquibus dubitandi rationibus, tandem reſoluit, quod fauet etiam ipſis prædictum priuilegium, propter rationes, quas ibi adducit, & quia ſecundum ius, odia reſtringi, fauores vero conuenit ampliari.

Difficultas. An ſuſpēſione lata generali ter in omnes Clericos comprehendātur etiā Religioſi

Mouet etiam ibidem prædictus Suarez, nume. 8 aliam difficultatem, An ſcilicet in ſuſpenſione generali lata in omnes Clericos, abſque delectu & differentia comprehendantur etiam Regulares, ſiue Religioſi Clerici, & alij Clerici ſeculares? Cui etiam difficultati, propoſitis hinc inde rationibus dubitandi, reſolutiue reſpondens, inquit, quod ſub dicta clauſula, niſi aliud exprimatur, ſeu addatur, ex quo colligi & inferri poſſit, ipſam tantummodo ad Clericos ſeculares pertinere, comprehenduntur etiam Religioſi, ſiue Clerici Regulares, quemadmodum & alij ſeculares. Quæ quidem ſententia, propter rationes ibidem adductas, ſatis placet multumque videtur probabilis.

Tertia Concluſio.

Monaſteria, Collegia, & cōmunitates q uānis excōmunicari non poſſint, bene tamen ſuſpendi.

QVamuis Monaſteria, Collegia & Communitates, excommunicari non poſſint, vt dictū eſt, agendo de excommunicatione, poſſunt tamen ſuſpendi. Hanc concluſionem tenet expreſſe ſupra dictus Suarez, loco ſupracitato ſect. 2. numer. 1. & ſect. 3. à num. 1. cum ſequentibus, quam & probat rationibus & exemplis. Rationibus quidem, quia ex parte Cōmunitatis nulla eſt repugnantia, quominus ſuſpēſionis cenſura affici & plecti poſſit, cū & Capitulum & quælibet Congregatio humana, eſſe poſſit capax culpæ, ſicut & eſt capax officij, ſeu Eccleſiaſtici beneficij; ex quo proinde ſequitur, quod & ſit capax priuationis ſe uſuſpenſionis à dicto officio, ſiue beneficio. Nec eſt eadē ratio de excommunicatione, nam dicta ſuſpenſionis pœna, nō eſt ita ſpiritualis ac pœna excōmunicationis, nec priuat internis bonis, ſeu Eccleſiaſticis auxilijs, quæ ad interiorē animæ ſalutem ordinantur, quod facit ſupradicta excommunicatio. Quapropter in eiuſmodi ſuſpenſionis pœna, non imminet illud animarum periculum, quod in excommunicatione propter quod prohibitum eſt vt ne excommunicatio in communitatem feratur, nec ita videtur abſurdum, quod innocentes aliquando ſuſpenſione ligentur, ac indecens videtur, vt ipſi feriantur & puniantur excommunicatione. Videatur præterea ſupradictus Suar. diſputat. 4. ſect. 2. vbi agit de cenſuris in communi, num. 1. cum ſequentibus. Sed & ad hoc etiam in iure innumera reperiuntur exempla, quibus Capitula & Communitates ſuſpendūtur quandoque ab actu collationis beneficiorum, ita habetur in *cap. vnico, ne Sede vacante, in 6.* vbi collatio Capitulo conueniebat. Item & in *cap Romana & in cap. ſi ſententia, de ſentent. excommunicat. in 6.* Hoc idem habetur & in Concilio Tridentino, ſeſſio. 24. cap. 16. vbi ſuſpenditur Capitulum, quod Sede vacante non conſtituit Oeconomum. Quorum alia exempla multa adducit ſupradictus Suarez loco ſupracitato, & nimis docte explicat & declarat, qualiter veniant intelligenda, & an prædicta ſuſpenſio in Capitulum generaliter lata, omnes etiā particulares perſonas comprehendat, à quibus omnibus ipſorumque tractatione abſtinere compellor, quia non aliud patitur temporis angultia, & breuitas cui tantopere ſtudeo. Solummodo aduerto in calce huius Articuli, quod quando in prædicta cōcluſione eſt dictum, Monaſteria, Collegia, atq; Cōmunitates poſſe ſuſpendi, intelligendum id eſt, de Collegijs, ſiue Communitatibus Eccleſiaſticis ſiue Clericorum, tam Religioſarum perſonarum, quam Eccleſiaſticarum, nam vt pluries diximus, eiuſmodi duntaxat ſunt capaces cenſuræ prædictæ ſuſpenſionis; de quo videatur ſupradictus Suarez, vbi ſupra nu. 9. & quæ nos diximus ſupra, Quæſtione 35. Articulo 10.

ARTICVLVS VI.

An ſuſpenſio ferri non poſsit, niſi propter culpam, & an neceſſario ipſa eſſe debeat mortalis?

CIrca hanc difficultatem variæ ſunt Doctorum ſententiæ & opiniones. Quidam enim dicunt, poſſe contrahi prædictam cẽſuram, abſque vlla prorſus culpa, & fundantur, in *capit. 1. de ordin. ab Epiſcopo qui renuntiat Epiſcopatui*, vbi qui ignoranter & ſine culpa, ordinatur ab eiuſmodi Epiſcopo ſuſpenditur, vt videtur, ob illius culpam. Facit & ad hoc *cap. vel non eſt opus, de tempor. ordinan.* vbi puer ordinatus in ætate tredecim annorum, ſuſpenditur ab executione officij Diaconi, vſque ad ætatem legitimam, vt ibidem dicitur in iniuriam ordinantis propter quæ loca & aliquas alias rationes, nonnulli Doctores tenent, ſuſpenſionis ſententiam in curri poſſe atque imponi ſine culpa. Quam opinionem & ſententiam tenere videtur D. Thomas in 4 diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncula 2. ad ſecundum & Syluester, *verbo, ſuſpenſio, nu.* 4. vbi ait, ſuſpenſionem aliquando imponi poſſe, ex cauſa ſine culpa, vt patet (inquit) ex practica currenti. Idem tenent omnes communiter Canoniſtæ. Vnde Abbas in *ca. ſi celebr. de Clerico excommunicato miniſtrante, numero* 4. ait ſuſpenſionem quandam ferri propter delictum; aliam vero propter defectum: aliam autem propter infamiam, quorum omnium adducit exempla.

Sed alij ſunt Doctores, tenentes quod ſit culpa neceſſaria ad ſuſpenſionem, & inquiunt ſufficere, quod ipſa ſit venialis, nec neceſſario requiritur, quod ſit mortalis. Hanc ſententiam & opinionem tenet Caietanus in Summa, *verbo ſuſpenſio*, vbi ait, ſuſpenſionem incurri poſſe ex ſolo peccato veniali, quod & probat, quia eſt minor pœna, quam excommunicatio minor (cum hæc priuet maximis & valde neceſſarijs bonis nempe ſacramentis) ſed excommunicatio minor, incurritur propter ſolum peccatum veniale: ergo & ſuſpenſio. Idem tenet Armilla, *verbo, ſuſpenſio in principio.* à quibus nec diſſentire videtur Nauarrus in ſuo Manuali, capite 27. num. 151. & num. 159. & num. 165. Sed nihilominus in contrarium eſt veritas, pro cuius reſolutione ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Suſpẽſionis cẽſura, nullo modo imponi poteſt, ſine propria culpa eius qui ſuſpẽditur

SVſpenſionis cenſura, nullatenus ferri poteſt, ſi ne culpa propria eius qui ſuſpenditur, ſiue illa ſit mortalis ſiue vero venialis, nam de hoc pro nũc nihil dico, quia in ſequenti cõcluſione dicetur ſtatim. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauar. loco ſupra citato, num. 151. & Caietani in Summa, *verbo, ſuſpẽſio.* Idem tenuit Aretinus ſecundum ſupradictum Nauarrum in *cap. cum non ab homine, de iudicijs*, & probatur ratione, nam prædicta ſuſpenſio (vt ſæpe dictum eſt) eſt cenſura, quæ & proprijſſime habet rationem pœnæ, ſed pœna imponi nullo modo poteſt ſine culpa, imo vero intrinſece eſt contra rationẽ pœnæ, quod imponatur vbi nulla præceſſit culpa, iuxta *cap. 2. de conſtitut.* vbi habetur, rem quæ culpa caret, non conuenire in damnum vocari, & in *capit. 2. de his quæ fiunt à maiori parte Capituli*, dicitur, quod peccata ſuos auctores tenere debent, nec pẽna eſt vlterius protrahenda, quamuis delictum fuerit in excedente repertum: ergo nulla exiſtente culpa, imponi non poteſt prædicta ſuſpenſionis cẽſura & pœna. Videatur hac de re Suarez in dicto 5. tomo, in tertiam partem Diui Thomæ, diſputat. 28. ſect. 4. à num. 1. cum ſequentibus, & latius agendo de cenſuris in communi, diſput. 4. ſect. 1. 2. 3. & 4. per totas.

Secunda Concluſio.

Ad ſuſpẽſionẽ ponendam culpa debet eſſe mortalis, neque ſufficit quod ſit venialis.

NOn ſufficit venialis, quin vero neceſſario requiritur quod ſit mortalis culpa, ad hoc vt ferri & imponi poſſit prædicta ſuſpenſionis cenſura. Hæc concluſio vt refert Nauarruseſt Aretini in *cap. cum non ab homine, de iudicijs*, & eam tenere videtur Soto in 4. diſtinct. 22. quæſt. 3. art. 1. conclu. 2. & nouiſſime tenet illam Suarez vbi ſupra diſputa. 28. ſect. 4 num. 6. & 7. vbi & dicit eſſe hoc tempore cõmuniter receptam, nam ſuſpenſio, vt modo eſt in vſu Eccleſiæ, grauior & acerbior pœna atque cenſura eſt, quam vt pro ſola veniali culpa, ſecundum æquitatem & Eccleſiaſticam pietatem imponi poſſit & debeat. Conſulatur etiam diſputat. 4. ſect. 4. per totam, & videatur Sayrus libr. 4. ſui theſauri, cap. 1. num. 19. & 20.

Vnde ad argumenta in contrarium adducta reſpondeo ad *cap. 1. de ordina. ab Epiſcopo qui renun. Epiſcopatui*, dico quod ibi, ſuſpenſio non accipitur proprie & ſtricte, & prout eſt cenſura, quæ vt plurimum fertur ob contumaciam, ſed late pro prohibitione vtendi aliqua facultate ob aliquam cauſam, in quo ſenſu non ſemper requiritur culpa eius qui ſuſpenditur, ſed cauſa legitima vt ſuſpendatur. Et nõ aliud conuincit ſupradictum *c. vel non eſt compos, de tempor. ordinandor.* nam ibi ante legitimam ætatẽ ordinatus, non fuit ſuſpenſus propter culpam propriam, ſed in iniuriam ordinantis, & in confuſionẽ ipſius, & vt euidenter conſtaret quantum ille Epiſcopus errauerat, ordinando eum, qui defectum patiebatur ætatis, & hoc eſt & non amplius, quod ex prædictis capitulis colligi poteſt. Qua de re videatur ſupradictus Suarez, loco ſupracitato, numero 2. cum ſequentibus. Et hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VII.

Quænam ſint in ſuſpenſione ſeruanda, & qualiter ſuſpenſionis cenſura ſit ponenda?

Suſpenſio pro nullo actu vel crimine incurritur ipſo facto, niſi id in iure vel ſententiæ expreſſe habeatur.

Prima Concluſio.

SVſpenſio pro nullo actu vel crimine, incurritur ipſo facto, niſi id ſit expreſſum in iure, aut exprimatur à Iudice Eccleſiaſtico à quo imponitur. Hæc cõcluſio

cluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & generaliter verum habet in omnibus cenſuris, quæ vt diximus ſupra agendo de excommunicatione, nullatenus ipſo facto incurruntur, niſi id in iure ſit expreſſum, aut expreſſe & ſpecialiter exprimatur ab homine, qui eandem ponit. Qua de re videatur Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 159. & Suarez loco ſupracitato, diſputatione 28. ſectione 5. num. 1.

Secunda Concluſio.

In omni ſuſpenſione quæ ponitur ob tumaciã, neceſſum eſt, vt admonitio præcedat.

IN omni ſuſpenſione, quæ propter contumaciã imponitur, ad hoc vt incurratur neceſſum eſt vt ipſam admonitio præcedat, eo modo quo ſupradictum eſt agendo de excommunicatione. Circa hanc concluſionem videantur quæ diximus ſupra quæſt. 35. ar. 3. conc. 2. & 3. Nam nihil amplius dicendum occurrit. Videatur etiam hac de re Suarez loco ſupracitato num. 2. & Nauarr. loco ſupracitato, num. 159. vbi dicit hoc habere locum in ſuſpenſione, quæ ponitur ob contumaciam, non autem in illa, quæ eſt pœna, ſeu ponitur in pœnam, iuxta Innocent. in *cap. fin. de exceſſibus Prælatorum*, & Panormitanũ cum communi, in *cap. reprehenſibilis, de appellat.* Videatur etiam Syluester, *verbo, ſuſpenſio, numer. 4.*

Tertia Concluſio.

Ad ponendã ſuſpenſionẽ, nulla ſunt in iure determinata verba.

AD ponendam ſuſpenſionem, nulla ſunt in iure determinata verba, quin vero ſuſpẽſio ferri & imponi poteſt, quibuſcũque verbis idipſum ſignificantibus. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & de ea videndus eſt Nauarr. cap. 27. num. 161. & Suarez loco ſupracitato, num. 3. qui omnes conueniunt in hoc, quod ſuſpenſionis nulla eſt in iure præſcripta ſubſtantialis forma ſuæ impoſitionis, ſiue abſolutionis. Videantur hac de re quæ dixi ſupra, dicta quæſt. 35. art. 3. conclu. 6.

Quarta Concluſio.

Suſpenſionis ſententia, neceſſario ferenda eſt in ſcriptis.

SVſpenſionis ſententia, neceſſario ferenda eſt in ſcriptis. Hæc concluſio eſt etiam communis Doctorum reſolutio, ſicut ſupra etiam diximus, agendo de ſententia excommunicationis, per cap. 1. eodem titu. lib. 6. Qua de re videantur quæ dicta ſunt ſupra, quæſt. 35. art. 9. conclu. 1. & 2. & Nauarrus vbi ſupra, capit. 27. numer. 159. & Suarez etiam vbi ſupra, numero tertio, & Syluester, *verbo, ſuſpenſio, numero quarto.*

Quinta Concluſio.

Si ſuſpenſionis ſententia feratur poſt legitimã appellationẽ, nulla eſt atque inualida.

SI ſuſpenſionis ſententia feratur poſt legitimã appellationem eſt nulla & inualida. Hæc concluſio eſt etiam communis reſolutio. de qua videndã ſunt quæ diximus in prædicta quæſt. 35. loco iã pluries citato, & quæ dicit Nauarrus loco etiam ſupracitato, num. 159. in 2. dicto. vbi probat hoc ipſum à ſimili de excommunicatione lata poſt legitimam appellationem, quæ eſt nulla & inualida, & inquit, quod ſicut appellatio non ſuſpendit excõmunicationem præcedentem, ſic nec ſuſpenſionẽ. Quod probat ex Dominico cum communi, in *cap. 1 §. & hæc, de ſentent. excommunicat. libr. 6.* & ex *capit. ad hæc quoniam, de appellat.* & *ex cap. is cui, §. fin. de ſentent. excommunicat. lib. 6.* Qua de re videantur quæ dicit Suarez loco ſupracitato, num. 3. allegando Abbatem, in *cap. 2. de Clerico excommunicato miniſtrante*, nu. 2. & *in cap. ſæpe, de appellat. nume. 18.* qui hoc limitat, vt tantum verum habeat, loquendo de illa ſuſpenſione, quæ propijſſime eſt cenſura, & fertur pro cõtumacia, nam illa (inquit) quæ eſt pure pœna, imponi etiam poteſt poſt appellationem, ſicut & aliæ pœnæ. A qua tamen ſententia prædictus Suarez recedit, & inquit quod abſque diſtinctione intelligenda eſt noſtra concluſio de quacumque ſuſpenſione, nam in iure ſuſpenſionis nomen indifferenter ponitur, & ſignificat eam, quæ eſt pro contumacia, & quæ fertur pro aliquo commiſſo delicto, & quia ratio, ob quam ſuſpenſio non ſuſpenditur per ſequentem appellationem, eadem eſt vtrobique, quia nempe ſuſpenſionis ſententia ſicut & excommunicationis, trahit ſecum ſuam executionem, iuxta *cap. paſtoralis, §. verum, de appellat.* quod tam verum eſt in ſuſpenſione, quæ eſt pure pœna & fertur pro aliquo commiſſo delicto, quam in ea, quæ fertur pro contumacia.

Sexta Concluſio.

Quamuis ſuſpenſionis denuntiatio, neceſſaria non ſit in ſuſpẽſo ad hoc vt ipſa in eo omnes ſuos operetur effectus, eſt tamẽ neceſſaria quoad alios, ad hoc, vt ipſum vitare teneantur.

QVamuis ſuſpenſionis denunciatio, neceſſaria non ſit quoad ipſum ſuſpenſum, ad hoc vt in eo omnes ipſa ſuos operetur effectus, neceſſaria tamen eſt quoad alios, vt ipſi teneantur eumdem vitare. Hæc concluſio, vt credo, eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & pro ea facere videtur Extrauagans, *ad euitanda*, de qua diximus ſupra agendo de excommunicatione, cuius etiam latiſſimam mentionem facit Nauarr. in ſuo Manuali, cã. 27. nu. 35. Et num. 165. inquit, quod ſicut tenemur vitare excommunicatum in omnibus, quæ ab ipſo ponuntur in eodem cap. num. 26. ita etiam & tenemur vitare ſuſpenſum, in eo à quo fuerit ſuſpenſus, & inquit, quod non vitando eum in diuinis officijs, & in actibus deputatis ſuis ordinibus, peccamus mortaliter ſi eſt denunciatus, alias non, per dictam Extrauagantem, *ad euitandam*, & per alia, quæ idem ipſe dicit in capite primo, §. *laboret, de pœnitentia, deſtinctione ſexta.* De quibus omnibus videatur ſupradictus Suarez loco ſupracitato, diſputatione vigeſima octaua, ſectione quinta, numero quarto cum ſequentibus. Et hæc de iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant, progrediamur ad aliud, & ſit octauus Articulus in ordine ſolito.

ART.

ARTICVLVS VIII.

Quænam ſit differentia inter Suſpenſionem prout eſt pœna, & eandem prout eſt cenſura?

FAnc difficultatem mouet Suarez, 5. tomo in tertiam partem D. Thomæ, diſputat. 25. ſect. 1. & 2. & dicit quod multi nullam agnoſcunt differentiam, inter ſuſpenſionem prout eſt pœna, & eandem prout eſt cenſura, quia (inquiunt) in iure ſimpliciter & abſolute omnis ſuſpenſio nuncupatur & appellatur cẽſura, in *cap. quærenti, de verborum ſignificat.* vbi Pontifex Innocentius Tertius, doctrinaliter procedens ac propoſitæ difficultati reſpondens, inquit, *cenſuræ nomine intelligendam eſſe ſententiam, non ſolum interdicti, verumetiam ſuſpenſionis, & excommunicationis.* Sub quo ſuſpenſionis membro, comprehendi docent quancumque ſuſpenſionem, & eam quæ eſt pœna, & eam quæ communiter appellatur & nuncupatur cenſura. Sed nihilominus, ſupradictus Suarez dicit, quod quantum ad rem pertinet, duo ſunt ſuſpenſionum genera, altera quæ eſt pœna, altera vero cenſura, quæ & alio nomine dici poſſunt ſuſpenſio vindicatiua, & ſuſpenſio medicinalis, inter quas hanc ſolam & vltimam, nempe medicinalem, credit proprie & in rigore nuncupandam eſſe cenſuram. Vtque ipſas explicet & declaret, inquit quod quotieſcumque ſuſpenſio imponitur, ſolum vt aliquod puniatur delictum, & non vt à contumacia recedatur, habet nomen ſolius pœnæ, nec tunc rationem habet, aut habere poteſt cenſuræ. Quam conſiderationem latiſſime proſequitur diſputatione quarta, ſectione quinta, à nume. 10 cum ſequentibus, vbi agit de cenſuris in communi, vtriuſque adducens exempla, & dicit quod ſuſpenſionis vſus per modum pœnæ, non vero per modum cenſuræ, frequentiſſimus eſt in iure, ſed maxime in *cap. iam literis, de teſtibus, cap. cum incunctis, §. vltimo, de electione, lib. 6. & Clementina 1. §. penult. de hæreticis, & in Clement. 2. de pœnis,* traduntque id Doctores Canoniſtæ in ſupradictis locis, & Innocent. in *cap. 1. de exceſſibus Prælatorum, num. 3.* & Abbas, in *cap. reprehenſibilis, num. 3. & cap. ſupe, nume. 16. de appellat.* De illa vero ſuſpenſione quæ eſt per modum cenſuræ, non eſt cur aliqua afferamus exempla, cum ipſa in iure ſint frequentiſſima, quod tunc ſemper fit, quando apponitur prædicta ſuſpenſionis pœna donec hoc aut illud fiat, & ſemper propter contumaciam & rebelliõnem, donec eiuſmodi ſuſpenſus reſipiſcat, quam ob cauſam eiuſmodi ſuſpendendi modus, nuncupatur medicinalis, eademque ſuſpenſio medicina. Et quamuis in loquendi modo, non omnes communiter conueniant Doctores quia tamen ſententia ſupradicti Suarez ſatis placet & arridet, pro ipſius explicatione & propoſitæ difficultatis reſolutione, ſequẽtem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Suſpẽſio quæ eſt pœna & prout eſt vindicatiua, multum differt à ſuſpẽſione quæ eſt medicinalis & cẽ ſura.

SVſpenſio quæ eſt pœna & prout eſt vindicatiua, multum differt à ſuſpenſione quæ eſt cenſura, & in quantum eſt medicinalis. Hanc concluſionem tenet ſupradictus Suarez loco ſupracitato ſect. 1. numer. 3. & inter ipſas triplicem conſtituit differentiam. Prima, quod illa ſuſpenſio quæ eſt pœna & non cenſura, imponitur ad certum tempus, quæ vero eſt cenſura non habet, ſed neque habere poteſt præfixum terminum. Quorum priorem partem probat ex omnibus ſupradictis iuribus, ex *cap. 1. de ſentent. excommunicat. lib. 6. & cap. 2. de temporibus ordinand. etiam in 6.* & ratione, quia cum ſupradicta ſuſpenſio ſit pœna, eſſe debet proportionata culpæ, & quo maior fuerit culpa, diuturnior eſſe debet & pœna, ac proinde pro ratione culpæ, ipſa ſuſpẽſio habebit præfixum terminum. In quo etiã vt idem inquit, differt à depoſitione quæ eſt veluti quædam ſuſpẽſio perpetua, & abſque vlla prorſus ſpe reſtitutionis, quod quidem ex ſe non habet dicta ſuſpenſio vt eſt pœna, nam pro ratione culpæ vendicat ſibi certum & determinatum tẽpus, & cum tantum reſpiciat culpam præteritam, non vero reſipiſcentiam in futurum, non repugnat ſibi, vt huiuſmodi terminus ſit determinatus atque præfixus. Et in hoc differt à ſuſpenſione, prout eſt cenſura, quæ quidem vt talis eſt, non habet, ſed neque habere poteſt præfixum atque determinatum terminũ (vt ſupra diximus) quod erat id, quod remanebat probandum. Et probatur hac, vt videtur, euidenti ratione, nam cum eiuſmodi ſuſpenſio quæ eſt cenſura, feratur præcipue atque vt plurimum, ad reprimendam contumaciam, & ad hoc, vt per ipſam recedat homo ab aliqua culpa, non poteſt alium habere terminum, quam receſſum ab ipſa, duratque quouſque recedatur ab ea, & non amplius.

Secunda differentia eſt, quod ſuſpenſio quæ eſt tantum pœna, non requirit monitionem præuiam, cum feratur propter culpam præteritam, etiamſi, vt quidam aiunt, non habeat tractum ſucceſſiuum; at vero ſuſpenſio, quæ eſt cenſura, ſemper requirit monitionem præuiam, ſaltem illa quæ includitur in hac conditione, *ſi hoc feceris aut non feceris, aut niſi ſatisfeceris*, vt communiter ferri conſueuit ſupradicta ſuſpenſio quæ eſt cenſura.

Tertia & vltima differentia ſuſpenſionis prædictæ ſtat in hoc, quod ſuſpenſio quæ eſt pura pœna & ad certum vſque tempus apponitur, eo elapſo per ſe ceſſat ſine vlla alia abſolutione, nam cauſa non operatur vltra ſibi præfixum terminum, neq; prohibitio facta ad certum tempus, obligat extra illud. Sicut enim qui relegatus eſt ad certum tempus, eo elapſo libere poteſt ad patriam redire, quia iam ſatisfecit pœnæ ſibi impoſitæ, ita etiam & qui ſuſpenſus eſt ad certum tempus, eo elapſo abſque vlla alia abſolutione poteſt munus ſuum & officium exercere, vt tenent omnes communiter Doctores, in Clementina 1. *de decimis, verbo, donec, & in cap. ſacro, de ſententia excommunicationis, verbo, per menſem.* At vero quando ſuſpenſio eſt vere & proprie cenſura, vt tollatur neceſſaria eſt abſolutio, vt traditur à ſupradicta gloſſa, & expreſſius à gloſſa in

capit.

cap.ſi quorundam,de ſolut. Qua de re aliquid nos dicemus infra,& videatur Suarez vbiſupra,& diſputat.26.ſect.1.num.14.

ARTICVLVS IX.

De differentia,quæ verſatur inter excommunicationem minorem & ſuſpenſionem, & quænam harum ſit grauior pœna?

Prima Concluſio.

Suſpẽſio quæ eſt cẽſura,in multis differt ab excõmunicatione minori.

Vſpenſio prout eſt cenſura, in multis differt ab excommunicatione minori. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio,& de ea videndus eſt Nauarrus in ſuo Manuali,cap.27.numer.151.& 152. vbi diffinitionem ſuſpenſionis conſtituit. Et Suarez,diſputat.25.ſect.1.num.4.vbi inter alia dicit excommunicationem minorem à ſuſpenſione differre,in eo quod excommunicatio minor, priuat ſolummodo participatione & ſuſceptione paſſiua ſacramentorum,at vero ſuſpenſio non conſiſtit ſolum in priuatione paſſiua, verumetiam & ad alias functiones ſe extendit,de quibus diximus ſupra;priuat enim interdum officio, interdum vero beneficio,ſeu vtroque ſimul. Vnde Abbas in *capit. vlt.de Clerico excommunicato miniſtrante*, conſtituens vnam ſuſpenſionemiminorem,alteram vero maiorem;prioremque dicens eſſe eam,quæ priuat ſolũmodo participatione & ſuſceptione paſſiua ſacramentorum,maiorem vero quæ priuat actiua& paſſiua,proculdubio confundit, inuoluereque videtur,ſuſpenſionem cum excommunicatione,nam ſi recte omnia inſpiciantur,quæreperiuntur in iure, nullum eſt cenſuræ ſeu ſuſpenſionis genus,quod talem operetur effectum,diſtinctum ab excommunicatione minori,ſicque confundit ſupradictas cẽſuras appellans ſuſpenſionem excommunicationẽ minorem,& vtitur prædictis vocibus præter communem morem, quod eſt quaminaxime notandũ, & memoriæ commendandum.

Secunda Concluſio

Quælibet ſuſpenſio, grauior eſt pœna quam excommunicatio minor.

QVælibet ſuſpenſio (loquendo ſecundum communem Eccleſiæ vſum)grauior eſt pœna quam ſit excommunicatio minor. Hæc concluſio conſtituitur contra Caietanum in Summa, *verbo, ſuſpenſio*,vbi dicit excommunicationem minorem grauiorem eſſe pœnam,quam ſuſpenſionem, cuius & rationem reddit,quia priuat(inquit)vſu maiorum bonorum,nempe ſpiritualium, qualia ſunt Sacramenta,& ipſorum vſu paſſiuo, qui eſt nobis quammaxime neceſſarius, quod quidem non ſemper facit ſuſpenſio.Sed quamuis id ita ſit, contrarium tamen cõmuniter tenetur ab omnibus. Qua de re videndus eſt ſpecialiter Suarez loco ſupracitato, vbi dicit, ſecundum communem Eccleſiæ vſum,contrarium omnino ſibi videri,& quod ſuſpenſio grauior eſt pœna, quam excommunicatio maior,& ex communi vſu Eccleſiæ pro grauioribus criminibus imponi ſolet, vt enim ſupra diximus,art.6.concl.2.excommunicatio minor,propter peccatum veniale,vt plurimum incurritur, at vero ſuſpenſio ad hoc,vt imponatur iuſte,non ſufficit quod culpa ſit venialis,quinvero requiritur, quod ſit mortalis.Et quamuis excõmunicatio minor,vt dictum eſt,priuet vſu paſſiuo Sacramentorum,qui nobis quammaxime eſt neceſſarius, ſuſpenſio vero ſolummodo actiuo,qui non eſt ita neceſſarius,neque videtur ita eſſe vtilis ex opere operato,eſt tamen valde vtilis ex opere operantis, poſtquam requirit ſanctitatem in miniſtro operante,tantam nec minorem,quanta requiritur in ſuſcipiente ipſa Sacramenta. Ac denique excommunicatio minor (iuxta communem Eccleſiæ vſum, & regulariter loquendo) facilius tollitur, quam ſuſpenſio,& nunquam reſeruatur, quod tamen in ſuſpenſione frequenter contingit. Reliquæ rationes differentiæ, ſiue maioritatis & grauitatis huius pœnæ,videantur apud dictum Suarez loco ſupra citato.

ARTICVLVS X.

De differentia, quæ verſatur inter excommunicationem maiorem & ſuſpenſionem,& quænam harum ſit grauior pœna?

Concluſio.

Excõmunicatio maior & ſuſpenſio differũt in tribus.

Xcommunicatio maior & ſuſpenſio, differunt præcipue in tribus. Primo differunt, in eo quod ſe habent ſicut includens & incluſum, ſeu tamquam pars & totum, vel tamquam magis & minus prohibẽs. Quod eſt dicere,quod excõmunicatio maior operatur quidquid ſuſpenſio,& multo plura atq; maiora. Quod tenet D. Thomas,in additione ad tertiam partem,quæſt.22.arti.3. Nam priuat omni Eccleſiaſtica functione,tam pertinente ad officiũ, quam ad beneficium Eccleſiaſticum,nec ſolummodo illa ſicuti ſuſpenſio, ſed multis alijs modis, & multis commodis ſpiritualibus & temporalibus, quæ facile colligi poſſunt, reducendo ad memoriam ea,quæ ſuperius ſunt dicta, de excommunicatione maiori & prædicta ſuſpenſione. Secundo differunt,quia illoſmet effectus quos habet excõmunicatio maior,nempe priuationis Eccleſiaſticarum functionum(de quibus diximus ſupra)habet & prædicta ſuſpenſio, licet ſub alia & diuerſa ratione. Nam excommunicatio maior priuat omnibus illis actibus,vt participant rationem communicationis,at ſuſpenſio priuat eiſdem, non vt participant rationem communicationis formaliter, ſed quatenus ſunt vſus alicuius poteſtatis Eccleſiaſticæ,& ratione officij ſiue beneficij, alicui conuenientis, quæ eſt quaſi formalis ratio obiectiua prædictæ cenſuræ,in qua fundantur aliæ differentiæ quaſi materiales,vt verbi gratia quod excommunicatio maior priuet Eccleſiæ ſuffragijs, non vero ſuſpenſio,quod aduertit D. Thomas in additione

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

tione ad tertiam partem quæſtione ſupradicta 22. art. 5. ad 2. De qua differentia videatur Nauarr. in ſuo Manuali, cap. 27. nume. 152. & Suarez in ſupradicto quinto tomo, in tertiam partem, diſputat. 25. ſect. 1. nume. 6. in fine. Tertia & vltima differentia eſt, quia (vt iam diximus) prædicta ſuſpenſio, eſt propria cenſura Clericorum, non ſic autem excõmunicatio maior, quæ communior eſt, & laicos etiam comprehendit, de quibus accidentalibus differentijs nihil amplius libet in præſentiarum dicere, cum prædicta ſuperque ſatis ſufficiant.

ARTICVLVS XI.

In quo differat ſiue conueniat ſupradicta ſuſpenſio cum depoſitione verbali, quæ eſt via ad degradationem?

Prima Concluſio.

Suſpenſio cõueniti cũ depoſitione verbali in quatuor.

SVſpenſio in quatuor præcipue rebus, conuenit cum depoſitione verbali. Primo conueniunt in hoc, quod vtraque eſt pœna Eccleſiaſtica, vt de ſe patet, vnde & vtrique communia ſunt, ea omnia quæ ſupra diximus eſſe de ratione Eccleſiaſticæ pœnæ, nempe quod ille ſolus illam poteſt imponere, qui iuriſdictionem habet Eccleſiaſticam, & auctoritate Eccleſiaſtica pollet, ac ſubinde, quod nonniſi propter proportionatam culpam imponatur. Et quamuis prædicta depoſitionis pœna, rationem cẽ ſuræ non habeat, propter rationes ſupradictas, nihilominus tamen conuenit cum dicta ſuſpenſione quæ eſt cenſura, & etiam prout eſt pœna, in omnibus prædictis. Secundo conueniunt, quia etiam depoſitio ſicuti & ſuſpenſio, priuat omnibus functionibus Eccleſiaſticis, de quibus ſupradiximus, quod ſunt proprij ſuſpenſionis effectus. Tertio conueniunt in hoc, quod vtraque eſt pœna propria Clericorum, non vero laicorum, propter rationes etiã ſuperius dictas, quod & colligitur expreſſe, ex *ca. qui ſemel, diſt. 50. & capit. 2. de pœnis, in 6.* & ex alijs à me breuitatis cauſa omiſſis. Qua de re videatur Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 151, vbi citat Panormit. Cardin. & alios idem tenentes, ſed præcipue Decium, in *cap. at ſi Clerici, de iudicijs, nume. 5.* Videatur etiam hac de re Salzedo in practica Bernardi Diaz de Lugo, cap. 153. & Suarez loco ſupracitato diſputat. 30. ſect. 1. num. 2. vbi aſſerit depoſitionem prædictam, extendi etiam ad Religioſos, quamuis Clerici non ſint, quatenus ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, quod etiam ſupradiximus de ſuſpenſione, quo fit vt hac ratione Abbatiſſæ ſuſpendi & deponi poſſunt & ſolent. Quarto & vltimo conueniũt in eo, quod ſicuti ſuſpenſio eſſe poteſt vel ab officio tantum, vel à beneficio tantũ, ſeu ab vtroque ſimul, ita etiam & verbalis prædicta depoſitio quibus & addere poſſumus, quod alia eſt à iure, alia vero ab homine, eo modo quo etiam diximus ſupra de ſuſpenſione. Circa hoc videantur Nauarrus & Suarez locis ſupracitatis, & Sylueſter, *verbo, depoſitio, ſiue degradatio.*

Secunda Concluſio.

Suſpẽſio differt à verbali depoſitione in tribus.

SVſpenſio ſupradicta, differt àverbali depoſitione in tribus. Primo differunt, nam quamuis vtraque eſſe poſſit à beneficio, ſuſpenſio tamen non priuat beneficio ipſo in totum ſiue radicaliter (vt ſupra diximus) ſed ſolũmodo ipſius fructibus aut iure percipiendi fructus illius; at vero depoſitio priuat beneficio ipſo in totum, quod & ſignificat nomen ipſum depoſitionis ex proprietate ſermonis. Qua quidem ratione Abbas, indiſtincte depoſitionem prædictam, interdum vocat depoſitionẽ, interdum vero beneficij priuationem. Ex quo naſcitur vlterius ſecunda differentia, & ea eſt quod depoſitio ex vi ſermonis, eſſe videtur perpetua, non vero ſuſpenſio, ſaltim illa quæ eſt pœna, vt ſupra diximus, neque etiam illa quæ eſt cenſura, ſed durat ſolummodo quouſque recedat contumacia, & pœnitentia ſiue reſipiſcentia adſit. Tertio differunt in hoc, quod quamuis ſuſpenſio & depoſitio eſſe poſſint ab officio & ab ordine, atque etiã à iuriſdictione, iuxta *cap. 2. de pœnis, in 6.* aliter tamẽ & aliter, nam depoſitio prædicta cum eſt à iuriſdictione, priuat non tantum vſu (vt ſic loquamur) iuriſdictionis, verumetiam & ipſo munere & iuriſdictione ipſa, in quo differt à ſuſpenſione, quæ vt ſupradiximus, tãtum modo priuat vſu iuriſdictionis. Quæ vero depoſitio eſt ab ordine, quamuis conueniat cum ſuſpenſione, in hoc quod non priuat Ordine ipſo, neque enim poteſt cum imprimatur per characterem indelebilem, quem proinde tota Eccleſia auferre non poteſt, quamuis etiam conueniat cum ſuſpenſione in eo, quod omnes actus Ordinis, ſeu pertinentes ad Ordinem, depoſiti atque ſuſpenſi ſint validi, quando non requirunt iuriſdictionem (vt excludamus ſacramentalem abſolutionem) ita quod Sacerdos depoſitus ſicuti & ſuſpenſus, ſi conſecrare attentet vere conſecrat, id ſi faciat legitima intentione, & legitima vtatur materia & debita forma, quamuis id faciendo peccet grauiter atque mortaliter, poſtquam retinet eandem Ordinis poteſtatem, à qua ex diuina inſtitutione, adſint cætera neceſſaria, ſi omnes illius actus ſuam habent efficaciam & valorem, & præterea quamuis depoſitio prædicta cõueniat cum ſuſpenſione, in eo quod neutra per ſe, ſiue ex vi ſua, priuat priuilegio Clericali, niſi hoc expreſſe & ſpecialiter adiungatur in pœnam, vt notat Abbas, in *cap. ſi Clerici, §. de adulterijs, de indic. num. 2.* colligitur que ex eodem textu, vbi dicitur Clericum depoſitum non eſſe tradendum Iudici ſeculari, quia videlicet perſona depoſiti non amittit priuilegium fori, niſi ſpecialiter priuetur illo propter nouum delictum, vel per contumaciam, ita vt perueniatur ad degradationẽ, quamuis inquam depoſitio prædicta & ſuſpenſio in omnibus ſupradictis conueniant, nihilominus tamen depoſitio & ſuſpenſio ab Ordine diuerſæ ſunt pœnæ, diſtinctasq; habẽt rationes formales, quibus ad inuicem diſtinguuntur, & hæ ſunt quod depoſitio ab Ordine ex ſua ſignificatione, ſignificat priuationem perpetuam, & irremiſſibilem, at ſuſpenſio minime. Qua de re videantur latiſſime Abbas, in *cap. veritatis, de dolo & contumacia, num. 13.* & Syluester, *verbo, degradatio, nu.*

1. &

1.& Nauarr.in Manuali,cap.27 nume.151.& Suar. loco ſupracitato,numer.10.11.& 12. vbi & conſtituit diuerſos modos & formas, ponendi ſeu inferendi ſupradictas pœnas,& declarat quænam ſint cuilibet ipſarum propriæ,& alias mouet quæſtiones &difficultates circa materiam depoſitionis ſupradictæ,atque degradationis,à quorum omnium tractatione conſulto abſtineo, propter temporis angustiam,& vt breuitati ſtudeam, & quia Deo dante poſtea de his omnibus dicturi ſumus,in alio tomo tertio in ordine,dum agemus de pœnis omnium delictorum,faueat Deus ipſe votis, vt quę cœpta ſunt deſideratam accipiant perfectionem ad vtilitatem publicam, ad eiuſdemque honorem.

ARTICVLVS XII.

In quibus caſibus à iure incurratur ſuſpenſio?

IAm ſupra diximus qualiter ſuſpenſio vt communiter ſumpta ſit duplex, alia lata à iure, alia vero ab homine,necnon & explicauimus, quænam ſint neceſſario obſeruanda in eiuſdem poſitione. Superest vt dicamus modo,quæ ſint ſuſpenſiones latę à iure.Qua de re videnda eſt gloſſa magna & ſingularis, in Clementina *cupientes,de pœnis*, & Angelus, *verbo,ſuſpenſio,à num.2.* vbi omnes iuris ſuſpenſiones in ordinem redigit, quod & Syluester ſimiliter fecit in eodem verbo,quæſt.6.& Nauarr.in ſuo Manuali,cap.27.à nume.154.cum ſequentibus. Et omiſſis nonnullis raro aut nunquam contingentibus,& alijs quæ modo non ſunt in vſu,pro propoſiti Articuli reſolutione,ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Suſpẽſiones, quæ reperiũtur in iure & ſunt in vſu ad 16.capita reducuntur.

SVſpenſiones quæ reperiuntur in iure & ſunt in vſu,ad 16.capita reducuntur. Primo ſuſpenduntur Presbyteri,Diaconi,& Subdiaconi,qui fuerint fornicarij notorij,donec pœniteant.Habetur in *cap.nullus,& in cap.præter,diſt.32.& in cap.ſuſcitantibus,15.quæſtione ſexta,& in cap.ſi qui ſunt,diſtinct.81*, De qua ſuſpenſione videatur Nauarrus vbi ſupra vbi inquit,quod ſicut ipſo iure incurritur ſuſpenſio prædicta per notoriam fornicationem,ita & ipſo iure tollitur per pœnitentiam, iuxta Gloſſam receptam in dicto *capit.ſi qui ſunt*. Qua etiam de re videatur prædictus Nauarrus in eodem Manuali, cap.25.num.77.vbi addit & dicit,quod fornicarius vtens Ordine ſuo ante pœnitentiam fit irregularis pro eo quod infringit prædictam ſuſpenſionis cenſuram. Secundo ſuſpenduntur per triennium à beneficijs Clerici eligentes in Epiſcopum eum, qui non eſt legitimus,vel legitima ætate, ſcientia & moribus præditus.Habetur in *cap.cum incuntis,§.fin.de electione.* Quæ quidem ſuſpenſio, comprehendit etiam eos,qui eligunt Epiſcopum prædictum tanquam compromiſſarij,per *cap.ſi compromiſſarius,eodem tit.lib.6.* Tertio ſuſpenduntur, qui ſine legitima facultate vel ætate,vel extra legitimum tempus,aliquem Ordinem ſacrum præſumpſerint accipere.Habetur in Extrauaganti,*cum ex ſacrorum*,quæ eſt Pij II. & facit irregularem Ordine ipſo vtentem,quamuis id fiat ob ignorantiam Extrauagantis prædictæ,quamuis,per *cap.licet non eſt compos,de tempor.ordinandorum*,quod non ſuſpendit,ſed ſuſpendi iubet,oppoſitum dixerunt multi, ſequentes Gloſſam in *Clement.generalem, de ætate, & qualitate, & in cap,non eſt compos,de temporibus ordinandorum.* Qua de re videatur Nauarr.loco ſupra citato,num.155.vbi plura dicit ad hoc propoſitum, eaque notatu digniſſima,faciendo vim, & explicando verbum illud,*præſumpſerunt*,quod ſignificat dolum,per quod videtur non comprehendere (ſaltem quoad forum conſcientiæ)eum qui bona fide, & ſimplicitate animi ordinatus eſt, exiſtimans ſe eſſe legitimum, vt latius dixit idem ipſe in repetitione *capituli accepta,de reſtitut.ſpoliator.oppoſitio.8.* num.32.Quarto ſuſpenduntur Clerici, qui prouocant ad duellum,vel eiuſmodi prouocationem acceptant, ſeu cum aliquo in arenam deſcendunt. Habetur in *cap.1.de Clerico pugnante in duello*, & tradit illud Syluester,*verbo,ſuſpenſio,quæſt.6.ſupradicta* quamuis Nauarr.etiam vbi ſupra,nume.156.dicat hoc non eſſe verum,quia textus in dicto cap.1.ſolummodo dicit eiuſmodi Clericos fore deponendos,non vero depoſitos de facto. Quinto ſuſpenduntur per vnum menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, excommunicantes aliquē, abſque monitione præmiſſa,vt habetur in *cap.ſacro,de ſententia excommun.* quæ quidem admonitio qualis eſſe debeat, diximus ſupra,quæſt.35.art.3.& 9. & hac de re videndus eſt Nauarr.in ſuo Manuali,cap.27 nume.10.& 11. Sexto ſuſpenduntur etiam ab ingreſſu Eccleſiæ diuiniſque officijs illi,qui excommunicant,interdicunt aut ſuſpendunt aliquem, ſolo verbo & ſine ſcripto,aut non expreſſa cauſa,& qui nō dant copiam cenſurarum prædictarum requiſiti, vt habetur in *cap.1.de ſententia excommunicationis, libro 6.* Septimo,ſuſpenduntur à quocumque officio & beneficio,Capitula & perſonæ ſingulares,quæ vacāte ſede Epiſcopali vel Collegiata, vſurpant ſibi aliqua bona ex his quæ reliquit vita functus, aut collecta fuerunt tempore vacationis, vt habetur in *cap.ſæpe,de elect.lib.6.* quod etiam ſuſpenſio habeat locū in redditibus ſigilli,& in quolibet alio emolumento,per Clementinā *Statutum,de electio.* Octauo ſuſpenduntur Epiſcopi & Superiores eorum ab ingreſſu Eccleſiæ, & inferiores ab officijs & beneficijs, qui vſurpant aliquid ex redditibus, dignitatum & Eccleſiarum vacantium,& illis ſubditarum,quos reliquerunt mortui vel collecti fuerunt durante vacatione,niſi ad id habeant ſpeciale priuilegium,vel conſuetudinem præſcriptam, vt habetur in *cap.præſenti,de officio ordin.libro ſexto.* No no ſuſpenditur per vnum annum ab officio, conſeruator Sedis Apoſtolicæ,qui ſcienter cognoſcit de cauſis quæ non ſunt notoriæ,vt habetur in *cap. finali,de officio delegati,libro ſexto*,quod eſt intelligēdum de his conſeruatorijs,quæ conceduntur ſine clauſula, quod poſſit eiuſmodi conſeruator cognoſcere etiam de alijs.Cum qua quidem clauſula ante Concilium Tridentinum,multæ concedebātur Conſeruatoriæ,per ipſum tamē ſtatutum fuit,

vt in

vt in his reſtrictior eſſet vſus, vt habetur ſeſſ. 14. c. 5. Decimo ſuſpenditur etiam per annum vnum, Iudex Eccleſiaſticus, qui contra ius, & contra ſuã conſcientiam aggrauat aliquam partẽ gratia, vel ſordibus, vt habetur in *cap 1. de re iudicata, lib. 6.* ſed vt inquit Nauarr. vbi ſupra, num. 157. quinque debent concurrere neceſſario ad hoc, vt eiuſmodi ſuſpenſio incurratur? Primo, quod talis Iudex non ſit Epiſcopus, per Gloſſam, *verbo, ordinarius*, & argumento deducto, ex *cap. quam periculoſum, de ſenten. excommunicat. lib. 6.* Secundo quod aggrauet aliquẽ contra iuſtitiam. Tertio, quod idipſum faciat etiã contra conſcientiam. Quarto, quod ſit Iudex, nam non ſatis eſt quod ſit merus executor. Quinto & vltimo, quod id fiat pretio, amore, timore, vel odio, vt ex eadem Gloſſa communiter recepta colligitur. Vndecimo ſuſpẽduntur ab ingreſſu Eccleſiæ quouſque ſatisfaciant hi, qui admittũt ad diuina officia aut ad ſacramenta vel Eccleſiaſticam ſepulturam, excommunicatos aut interdictos publicos, vt habetur in *capit. Epiſcoporum, de priuilegijs, lib. 6.* Sed Nauarrus in Manuali, cap. 25. nume. 94. & cap. 27. num. 157. inquit hoc non habere locum niſi contra exemptos, iuxta cõmunem contra Gloſſam eiuſdem capituli. Duodecimo ſuſpenduntur hi, qui admittunt aliquem ad profeſſionem, ante finitum probationis annum in aliquo Ordine Mẽdicantium, vt habetur in *cap. non ſolum, & cap. conſſi tationem, de regular. lib. 6.* Tertiodecimo ſuſpenduntur per ſex menſes Clerici beneficiarij qui geſtant veſtes partitas, vel coloribus diſtinctas, & ſacro Ordine initiati, qui non ſunt beneficiarij, & minoribus inſigniti, qui cum prima tonſura geſtant huiuſmodi veſtes, inhabiles efficiuntur ad beneficia in idem tempus, vt habetur in Clementina 2. *de vita & honeſtate clericorum*, non tamen incurrunt illã inquit Nauarrus, vbi ſupra, qui obcelebrationem nuptiarũ, vel doctoratus, aut alicuius rei alterius ſimilis, vel aliqua iuſta cauſa idipſum faciunt, iuxta Cardin. in dicta Clementina, quæſt. 3. Quartodecimo ſuſpenditur quilibet Religioſus, qui habens adminiſtrationem, alienat aliquam rem ad ipſam pertinentem, etiam ſolum modo præbendo illam alicui ad vitam abſque neceſſitate & vtilitate, & abſque facultate ſui Capituli, ſi illud habet, vel ſui Prælati ſi Capitulum non habet, vt habetur in Clemẽtina *de rebus Eccleſiæ non alienandis.* Sed inquit Nauarrus loco ſupracitato, num. 157. quod non incurrunt eam, qui ad modicum tempus locant aliquos fructus per finem eiuſdem Clementinæ, licet incurrant aliam excommunicationem Extrauagantis 2. *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, de qua videndus eſt idem Nauarr. in eodem cap 27. numer. 149. Quintodecimo ſuſpenduntur Papaliter, qui ſacris initiantur ſine patrimonio, cum pacto non petendi ab Epiſcopo victum, vel qui ordinatur ad præſentationem alicuius beneficij, cum pacto nihil petendi de eo, vt habetur in *capi. penult. de ſimonia.* Circa quam ſuſpenſionem videndus eſt Naua. vbi ſupra, nu. 150. vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima. Tandem decimoſexto & vltimo, ſuſpenduntur Epiſcopi ordinantes abſque titulo, Clericum Religioſum, Ordinis, in quo ſolum ſit votum temporale Religionis, quia is quoad hoc reputatur quaſi ſecularis, vt habetur in quadam Conſtitutione Pij V. quæ circunfertur in Conſtitutione Pontificali, fol 207. Supradictas ſuſpenſiones ponit Doctor Nauarr. vbi ſupra, ſed Syluester loco ſupracitato, *verbo, ſuſpenſio, quæſt. 6.* extendit eas ad quadraginta, quas ſciens & prudens nolui ad vnguem in præſentiarum referre, propter nimiam ipſarum prolixitatem, & quia eã tum plures iam non ſunt in vſu. De quibus omnibus videatur etiam latiſſime Suarez, 5. tomo, in tertiam partem D. Thomæ, diſputat. 31. ſect. 1. 2. & 3. cum ſequentibus, vbi & ad hoc propoſitum inuenire licebit omnia, quæ poſſunt deſiderari, ſed dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XIII.

In quas pœnas incidant violantes ſuſpenſiones prædictas, antequam abſoluantur ab eis, ſeu ſuper ipſis cum eiſdem diſpenſetur?

Prima Concluſio.

Omnis qui violat ſuſpẽſionem proprie & ſtricte acceptam mortaliter peccat.

OMnis qui violat ſuſpenſionem, proprie & ſtricte acceptam, pro vna trium cenſurarum Eccleſiaſticarum ſpecie, peccat mortaliter, ſiue illa ſit ab officio ſiue vero à beneficio. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt Syluester, *verbo, ſuſpenſio, quæſtione quinta*, & Nauarrus in ſuo Manuali, capit. 27. numer. 163. & Suarez, 5. tomo, in tertiam partem Diui Thomæ, diſputatione 26. ſectione ſecunda, numero primo. Et probatur concluſio prædicta hac ſpeciali ratione, nã cum ſuſpenſis prædictis, per ſuſpenſionem prohibitum ſit agere ſeu exercere aliquid, quod ſpectet ad ſuum munus & officium Eccleſiaſticum ſiue beneficium, ſitque eiuſmodi prohibitio ex genere ſuo de re graui, liquidum profecto ſit, quod talis violatio, ſiue transgreſſio præcepti Eccleſiaſtici, ex genere etiam ſuo eſt peccatum mortale. Quod & exinde confirmatur, nam & propter hanc cauſam, communicatio in ſacramentis cum excommunicato, ex genere ſuo eſt etiam peccatum mortale, quia nempe materia illa eſt grauis, à qua prædictus excommunicatus per cenſuram Eccleſiaſticam eſt etiam ſuſpenſus. Facit & ad hoc *capit. 2. de maioritate & obedientia, & cap. . de ſententia excommunicationis, libro ſexto, & capit. 1. de re iudicata, eodem libro, & cap. ſacris, de his quæ vi*, & per argumentum à fortiori, *cap. vltimum, de Clerico excommunicato miniſtrante.* Sed quod id procedat, non ſolum in ſuſpenſione quæ eſt ab officio, verumetiam in illa, quæ eſt à beneficio, probat latiſſime prædictus Suarez loco ſupracitato, diſputat. 27. ſect. 1. numer. 7. vbi inquit, quod is qui cum ſuſpenſus ſit à beneficio, fructus beneficij vſurpat, mortaliter peccat, & tenetur ad eorum reſtitutionem, abſque aliqua Iudicis ſententia, quod eſt multum notandum.

(?)

Secunda

Secunda Concluſio

Omnis qui violat ſuſpenſionē propriè dictā, exercendo aliquē actū Ordinis, præter hoc, quod peccat mortaliter incurrit irregularitatem.

QVicumque violat ſuſpenſionem propriè dictā exercendo actum peculiarem alicuius Ordinis maioris ſiue minoris, præter hoc quod mortaliter peccat, incurrit irregularitatem. Hæc etiā concluſio eſt communis omnium DD. reſolutio, & probatur expreſſe, ex *capi. 1. de ſentent. excommunicat. lib. 6. & cap. 1. de re iud. eodem lib. & cap. ſi quis Epiſcopus in Concilio, & cap. ſi quis Epiſcopus damnatus, 11. quæſt. 3.* Quibus in locis habetur, ſuſpenſum à iure ſiue ab homine, miniſtrante in aliquo Ordine irregularitatem incurrere. Qua de re videatur Syluester, & Nauarr. locis ſupracitatis, & Suarez, loco etiam ſupra citato, diſputat. 26. ſect. 2. num. 3. cum ſequentibus, vbi hac de re latiſſime agit, probans multis rationibus, prædictam irregularitatē incurri in omni ſuſpenſione, tam à iure quam ab homine, ſi ante abſolutionem exerceatur aliquis actus alicuius Ordinis maioris vel minoris. Quod & ſimiliter proſequitur Nauarrus ponens nonnullas aduertentias. Quarum eſt prima, quod ſi quiſpiam exerceret aliquem actum, qui non ſit peculiaris alicuius Ordinis, etiāſi ſit Eccleſiaſticus & ad diuina officia pertinens, qualiseſt pſallere in choro cum alijs, defunctorum reſponſa canere vel litanias, baptizare ſine ſolemnitate, vt & laicus facere poſſet, & id generis alia, quæ non ſunt peculiariter alicui Ordini deputata, non incurreret irregularitatem prædictam. Et addit illa eſſe ac dici ſpecialiter alicui Ordini deputata, quorum faciendorum ſpecialis poteſtas traditur in ordinatione, vt in Sacerdotio, ſiue Presbyterio, poteſtas conſecrandi & baptizandi ſolemniter, & dicendi collectas in choro. In Diaconatu autem, poteſtas canendi ſolemniter Euangelium. In Subdiaconatu vero canendi ſolemniter epiſtolā, in Acolythatu ferēdi cereos, &c. Quo fit vt pſallere in choro, eo modo quo dictum eſt, non faciat quempiam irregularem, quia ille actus non eſt peculiaris alicui Ordini, nam licet peculiaris eſſe videatur Pſalmiſtatui ſiue primæ tonſuræ, illa tamen non eſt verus ordo. Secundo inquit Nauarro, eſſe neceſſarium ad hoc, vt prædicta irregularitas incurratur, quod eiuſmodi actus exerceatur ſolemniter, nam ſi id fiat aliter, & quis cantet epiſtolam non ſolemniter, ſed vt tamquam laicus non incurrit prædictam irregularitatem. Tertio dicit illam incurrere, non Epiſcopum celebrantem in apparatu Pontificali, quia inquit, ideſt actus peculiaris ordinis Epiſcopalis, quem ipſe credit eſſe verum ordinem diſtinctum ab alijs, ſignificaſſeque illud Concilium Tridentinum, ſeſſ. 23. cap. 4. vt latius ipſe proſequitur in ſuo Manuali, cap. 22. nu. 17 agens de ſacramento Ordinis. Quarto dicit, quod ſuſpenſus à perceptione ſacramentorum, quamuis mortaliter peccet in percipiendo ea, non tamē eſt irregularis, per *cap. ſi celebrat, de Clerico excommunicato miniſtrante*, & quia perceptio eorum non eſt officium diuinum, neque opus alicui Ordini ſpecialiter deſtinatum. Quod etiam dicendum eſt de ſuſpenſo ab eorum collatione, dando illa non tamquam ad ſuum Ordinem pertinentia, ſed vt alius quilibet laicus, non (inquit) incurrit eam, iuxta Oſtienſem in *cap. 1. de ſentent. excommunicat.* Quinto dicit, quod Sacerdos tantum, ſuſpenſus ab officijs Sacerdotalibus, adminiſtrando in Ordine inferiori, non peccat, neque efficitur irregularis. Addit ſexto, quod licet ſuſpenſus ab officio prædicandi, celebrando non peccet, nec fiat irregularis, ſecundū Panormitanum, & communem, in dicta Clementina, *Cupientes, de pœnis*, concionando tamen peccat & efficitur irregularis, ſecundum opinionem, quā ſequitur ipſe Nauarrus, quod latius proſequitur, in capite 25. numero 141. vbi tenet quod actus prædicandi eſt diuina lege vel humana, aut ſaltim cōſuetudine, actus peculiariter deputatus Ordini Diaconatus. Quia licet ex inſtitutione diuina, ſit ſoli Sacerdotio peculiaris, iuxta *capitulum, adijcimus 16. quæſtione 1.* lege tamen humana & conſuetudine iam videtur eſſe Ordini Diaconatus deputatus, vt tenet expreſſe Caietanus 3. part. quæſtion. 64. arti. 6. & ſecunda ſecundæ, quæſtion. 187. articul. 1. quod dicit eſſe verum ſaltim quando quis ſolemniter, vtens officio ſuo, & tamquam Sacerdos prædicat. Quæ quidem omnia ſunt valde notanda, vt præmanibus habeātur, quando quis irregularitatem incurrat, dum ſuſpenſus exercet aliquem actum, alicui ordini maiori, vel minori deputatum. Nam ſicuti violans ſuſpenſionem, exercendo ſolemniter aliquem actum deputatum alicui Ordini maiori incurrit illam, ſic etiam & minori, ſecundum Innocentium, & omnes Doctores communiter, de quo videatur prædictus Nauarrus, vbi ſupra, capit. 27. numero 163.

Tertia Concluſio.

Suſpēſus ab officio, quāuis mortaliter peccet exercendo actus qui ſoli° ſunt iuriſdictionis, non tamen efficitur irregularis.

SVſpenſus ab officio, quamuis mortaliter peccet, exercendo actus, qui ſunt ſoliusiuriſdictionis, non tamen incurrit irregularitatis pœnam, neque vllam habet ſpecialiter ipſo iure impoſitam, ſed arbitrio Iudicis puniri debet. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & de ea videndus eſt Panormitanus in *cap. cum dilectus, de conſuetudine, & capi. ſi celebrat, de Clerico excommunicato miniſtrante*, & Syluester, *verbo, ſuſpenſio, quæſt. 5. num. 5.* vbi de mente eiuſdem Panormitani, inquit, quod cum ſuſpenſio aliquando ſit à iure, vt conſtat ex caſibus ſuprà adductis, aliquando vero ab homine, & harum quædam ſuſpendat, ab eo quod non pertinet ad alicuius Ordinis actum, quædam vero ab eo quod proprie eſt actus alicuius Ordinis, vtputa à celebratione, ab officio diuino, ab Ordine, & huiuſmodi contra faciens in primo caſu, quamuis peccet, non tamen efficitur irregularis, ſed alio modo puniri debet, capitulum autem *1. de ſenten. & re iud. lib. 6. & cap. 1. de ſentent. excommun. eod. lib.* quæ oppoſitum videntur dicere, loquuntur inquit, atque intelligenda ſunt, quando exercetur aliquid deputatum alicui certo Ordini, vt notatur in *cap. cum dilectus, de conſuetudin. & cap. ſi celebrat, de Clerico excommunicato miniſtrante, & in Clement. cupientes, de pœnis.* hactenus Sylueſt. Idemque omnino tenet Nauar. vbi ſupra, num. 163. in 7. dicto, vbi inquit, quod ſuſpenſus ab officio peccat, ſed non incurrit irregularitatem, eligendo & acceptando electionem de ſe factam, per *cap. cum dilectus, de conſuetudin.* iuncta Gloſſa, neque excommunicando & conferendo beneficia, per *cap. quia diuerſitatem, de conceſſ. præbend.* Quod

etiam tenet Suarez vbi ſupra, diſputat. 26. ſect. 2. num. 3. cum ſequentibus, ſed maxime num. 6. vbi inquit, quod nulla omnino inuenitur cenſura in iure poſita pro vſu ſolius iuriſdictionis, qui non includat actum Ordinis, ac propterea quod propter huiuſmodi actum nõ incurritur irregularitas, iuxta generalia principia, poſita in materia de irregularitate & cenſuris. Idem tenet ſect. 4. nu. 19. vbi proſequitur hoc argumentum latiſſime, & diſput. 27. ſect. 1. num. 8. dicit hoc idem eſſe intelligendũ, de eo qui ſuſpenſus eſt à beneficio, & violat cenſuram prædictam, vſurpando fructus eiuſmodi beneficij, videatur ibidem. De quo ſuſpenſo à beneficio, Nauarr. vbi ſupra, cap. 27. numer. 163. in 7. dicto inquit, quod non peccat eligendo, ſi ius eligendi non competit ſibi ratione eiuſdem beneficij, ad quod probandum allegat, *capit. cum incuñctis, §. fin. de electione.* Qua de re videatur ſupradictus Suarez, vbi ſupra per totam ſectionem, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura eaque notatu digniſſima, à quibus omnibus breuitatis cauſa abſtineo.

Quarta Concluſio.

Suſpẽſus à diuinis, quãuis nõ perinde ſuſpẽſus ſit ab ingreſſu Eccleſiæ, prohibet tamẽ eſt officia diuina ſoleñiter celebrare

QVi ſuſpenſus eſt à diuinis, quamuis non proinde ſuſpenſus videatur ab ingreſſu Eccleſiæ, prohibitus tamen eſt exercere ſolemniter diuina officia, ſeu ſpectantia ad ſacros Ordines, & contrarium faciens efficitur irregularis. Hæc concluſio quoad eius primam partem, eſt cõtra Gloſſ. in Clement. *cupientes, de pœnitent. verbo, ſuſpenſio,* vbi enumerando ſuſpenſionis ſpecies, pro vna & eadem & ſub eodem membro conſtituit ſuſpenſionẽ ab ingreſſu Eccleſiæ, & à diuinis, quaſi ſupradicta duo ſint vna duntaxat pœna ſolo nomine differẽtia, nihilque ſit aliud ſuſpendi à diuinis, quam ſuſpendi ab ingreſſu Eccleſiæ. Huius poſitionis ſiue opinionis fundamentum eſt decretalis quædam Innocentij IIII. in Conci. Lugdunenſi, quæ habetur, in *cap. 1. de ſentent. excommunicat. lib. 6.* vbi Iudices excommunicantes, ſuſpendentes vel interdictũ ponentes, verbo & non ſcripto, ſuſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ, ſimulque à diuinis officijs, quaſi in nuendo has duas pœnas ſolo nomine differre, & vnam atque eandem rem eſſe, ſecundum ſubſtantiam. Quod & videtur etiam rationi conſonum, nã certum eſt quod ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ, non prohibet omne introitum in Eccleſiam, ſed eum tantum, qui eſt ad celebrãdum diuina officia. Pro hac opinione videtur etiam eſſe textus expreſſus Bonifacij VIII. & habetur in *cap is cui, de ſentent. excommunicat. lib. 6.* vbi ſequentia verba habentur. *Is cui Eccleſiæ ingreſſus eſt interdictus, per conſequens cenſetur ſibi ipſa diuinorum celebratio interdicta, irregularisque efficitur, ſi contra interdictum huiuſmodi, in ea diuinis ſe ingerant, in ſuo agendi officio ſicut prius.* Ex quibus verbis colligi profecto videtur, quod hæc vtraq; cenſura ſit vna & eadem, nihilque ſit aliud ſuſpẽſio ab ingreſſu Eccleſiæ, quam ſuſpenſio à diuinis, & prohibitio quædam celebrandi diuina officia in Eccleſia tantum. Sed quamuis hæc opinio Gloſſæ, ſua non careat probabilitate, communis tamẽ DD. ſententia cõtrarium tenet omnino, dicitque huiuſmodi pœnas ſiue cenſuras, ſecundum rem atque ſubſtantiam eſſe diſtinctas, & quod ſuſpenſio à diuinis, non ſolum prohibet diuina celebrare in Eccleſia, verumetiam extra ipſam. Vnde reſolutiue dico, quod quamuis non omnis qui ſuſpenſus eſt à diuinis, cenſeatur proinde ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, adhuc tamẽ ſunt diſtinctę prædictæ pœnæ & cenſuræ, & per ſuſpenſionem à diuinis, intelligitur prohibitio celebrandi diuina officia, & omnia ſpectãtia ad Eccleſiaſticos Ordines, de quibus diximus ſupra in ſecunda concluſione; & cũ eiſdem limitationibus. Quæ quidem reſolutio colligitur expreſſe ex *cap. ſi quis Epiſcopus. 11. q. 3. & ca. 1. de ſentent. excommunication. lib. 6.* Poteſt tamen ſuſpenſus à diuinis ſua confiteri peccata, communicare, horas Canonicas ſeorſum dicere, ſacris aſſiſtere, cantare in choro, baptizare ſine ſolemnitate priuatam menſam benedicere, quia hæc & ſimilia non deputantur alicui Ordini ſeu officio Eccleſiaſtico ſpeciali, à iure cõſtitutione ſiue cõſuetudine, quin vero ad hæc quilibet Chriſtianus poteſtatẽ habet. At vero vſus ſolẽnis etiã Acolythorũ, ad deferendos cereos, Subdiaconorũ, Diaconorum, Preſbyterorum, & Hebdomadariorum, & Cantorum in officio diuino, prohibitus eſt per ſuſpenſionem prædictam à diuinis, pro eo quod vſus omniũ prædictorum, iure, conſtitutione ſiue cõſuetudine, deputatus eſt alicui certo Ordini ſeu officio ſpeciali, & contrarium faciens efficitur irregularis. Cætera vero quamuis ſint diuina, & de rebus diuinis tractent, non tamen proprie loquendo cenſentur eſſe officia diuina, vt latius diximus ſupra conclu. 2. de mente Nauarri.

Quænã ſint cẽſura, vel prohibita per ſuſpenſionem à diuinis.

Difficultas Virũlã ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ, & à diuinis ſit vnũ & idem.

Aduertendum eſt tamen, quod ad incurrendam irregularitatem prædictam, neceſſum eſt, vt quis exerceat ſupradicta officia, eo modo quo & prius non habito reſpectu ad ſuſpenſionẽ ipſam, per verba illa, *ſicut prius*, poſita in dicto *cap. 1. de ſentent. excõmunicat. lib. 6* nam ſi quis v. g. ingerat ſe rebus diuinis etiam proprie ſumptis & ad officium diuinum & Eccleſiaſticos Ordines ſpectantibus, non tamẽ id faciat ex officio quod habebat prius, vt ſi qui nõ eſt Acolythus, Subdiaconus aut Diaconus, deferat cereos, aut Epiſtolam ſiue Euangelium ſolemniter dicat, quamuis incurrat aliam irregularitatem alterius ſpeciei, pro eo quod exercet ſolemniter officium & ordinem, quem non habet, non tamen incurrit irregularitatem prædictam, illãtam in dicto capi. contra tranſgreſſores cenſuræ prædictæ, ſuſpenſionis à diuinis, vt probe notat Nauarr. in ſuo Man. cap. 27. num. 163. Cui etiam & ego addo, quod ſi Religioſus quiſpiam, ſeu aliquis alius faciat officium Acolythi, deferendo cereos, aut Subdiaconi, dicendo Epiſtolam, non quidem ſolemniter, ſed vt quilibet alius laicus, quamuis ingerat ſe rebus diuinis proprie ſumptis, cum tamen non ea faciat ſolemniter neque ex officio quod antea habebat, nõ incurrit pœnam irregularitatis prædictam, poſitã in dicto cap. contra tranſgreſſores ſuſpenſionis à diuinis, nec vllam aliam irregularitatem, quod oportet multum notare, atque memoriæ cõmendare.

Quidnã requiratur, ad hoc, vt quiſpiã efficiatur irregularis, exercendo diuina?

ART-

ARTICVLVS XIIII.

Vtrum omnia geſta à ſuſpenſis, ſeu ſuſpenſionis cenſura innodatis ſint valida?

Concluſio.

Omnes actus ſuſpēſi qui nō requirūt iuriſdictionem validi ſunt, ſed eſt antē de ijs qui iuriſdictionē requirunt.

OMnes actus Ordinis, qui efficiuntur à ſuſpenſis, & ad ſuum valorē non requirunt iuriſdictionem, validi ſunt, at vero qui ex ſe iuriſdictionem requirunt, per ſe loquendo, ſunt inualidi, cum eiuſmodi ſuſpenſi, iuriſdictione prædicta ſint priuati. Hæc concluſio eſt communis omnium DD. reſolutio, & ipſius eſt eadem ratio ac de innodatis cenſura excōmunicationis maioris. Qua de re latiſſime agunt DD. in materia de excommunicatione, & in materia de ſacramentis in genere, ſed præſertim de ſacram. Baptiſmi, inter diſputandum, vtrum Baptiſmus collatus ab hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, & ſuſpenſis ſit validus? de quo ſpecialiter videndus eſt Soto in 4. ſenten. diſt. 1. q. 5. art. 5. & 6. per totos, & Sylueſter, *verbo, Baptiſmus, 3. q. 3. num 5.* & Nauarr. in Manuali, cap. 22. num. 7. ſed præſertim & ſpecialiter Suar. 5. tom. in 3. par. D. Thom. diſpu. 11. ſect. 2. numer. 1. cum ſeqq. vbi hanc quæſtionem tractat in communi de omnibus ſacramentis, ſed in ſpeciali tractat hoc ipſum diſputa. 26. ſect. 2. nu. 2. agendo de prædicta ſuſpenſione, vbi & conſtituit concluſionem prædictam, cuius & rationem reddens, probat eam quoad ipſius primam partē, nam Eccleſia non poteſt per cenſuras ſuas impedire valorem & efficaciam ſupradictorum actuum, ſi fiant à miniſtro habente veram poteſtatem Ordinis, cū vera & legitima intentione, atque in debita materia & ſub legitima forma, vt de ſe conſtat. Quoad ſecundam vero partem probat idipſum, nam ſi eiuſmodi actus vt ſupponitur, ſunt tales, qui ex ſe poſtulent iuriſdictionem, cum eiuſmodi ſuſpenſi omni actuali iuriſdictione priuati ſint, vt conſtat ex ſupradictis, liquidum profecto fit, quod per ſe loquendo prorſus ſunt inualidi, cū effecti fuerint à non habente iuriſdictionem. Ex quo colligitur, quod ſacramentalis abſolutio facta ab excommunicatis ſiue ſuſpenſis, nullius ſit prorſus valoris, cum ſit actus iuriſdictionis, qua ipſi ſunt priuati. Sed intelligendum hoc eſt de excommunicatis & ſuſpenſis publicis & manifeſtis, non autem de eiſdem in ſuo publico miniſterio, ſeu officio ab Eccleſia toleratis, nam in hiscertum eſt quod eorum acta valent, quia Eccleſia ſupplet eiuſmodi defectum propter commune bonum, & de eiſdem intelligitur Extrauagans, *ad euitanda*. De qua videndus eſt ſpecialiter Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 35. & Suar. in ſuprad. 5. tom. diſputat. 11. ſectio. 1. & 2. per totas, & diſputat. 26. ſection. 2. numero 2.

(?)

ARTICVLVS XV.

In quas pœnas incidant, participantes cum ſuſpenſis in diuinis?

Concluſio.

Suſpēſum ſicut & excommunicatū tenemur vitare ſub mortali in diuinis officijs, & alijs actib⁹ ſuo Ordini deputatis.

CErtiſſimum eſt, quod ſicuti tenemur vitare excommunicatum, ſic etiam & ſuſpenſum, in eo à quo ſuſpenſus eſt, & quod non vitando eum in diuinis officijs, & in actibus ſuis Ordinibus deputatis, eſt peccatum mortale. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, & de ea videndus eſt Nauarr. in ſuo Manua. ca. 27. num. 163. in 9. dicto, vbi & dicit intelligendam eam eſſe, ſi eiuſmodi ſuſpenſus eſt denuntiatus, aliàs vero nō per Extrauagant. iampluries relatam, *ad euitanda*, de qua agit idem ipſe in eodem capi. num. 35. & in *cap. 1, §. laboret, de pœnitēn. diſt. 6.* Videatur etiam hac de re Suar. vbi ſupra, diſt. 26. ſect. 2. num. 7. vbi & aduertit quod ſuſpenſio ſupradicta, non priuat per ſe communicatione ciuili aliorum, ſicut excommunicatio maior, quinvero inquit in hoc præcipue differunt ſupradictæ duæ cenſuræ, vt docent omnes communiter auctores, neque vllum eſt ius, in quo eiuſmodi effectus ſuſpenſioni tribuatur. Quapropter cōmunis confabulatio, aliæque actiones vſuales communicationis hominum, humanique contractus & actiones forenſes, tam in agendo, quam in ſe defendendo aut etiam teſtificando, non prohibentur per ſuſpenſionem prædictam per ſe loquendo, licet prohibeantur per excommunicationem maiorem, neque quidquam tale reperitur in iure, vt tenent Innocentius & Abbas, & omnes cōmuniter Doctores, in *capi intelleximus, de iudic. & in cap. venerab. de ſentent excommunicat.* ſed ſolummodo illa participatio prohibetur cum ſuſpenſis, quæ eſt communicatio vel cooperatio cum eiſdem in delicto vel malo vſu officij, à quo ſuſpenſi ſunt. Hæc enim per ſe & intrinſece ſunt mala, ac proinde prohibita. Nec pro tali delicto vlla eſt in iure impoſita pœna aut cenſura, his qui communicant cum ſuſpenſis, nec incurritur propterea excommunicatio minor, ſicut incurritur à participantibus, ſeu communicantibus cum excommunicato excōmunicatione maiori. Videatur ſupradictus Suarez vbi ſupra numer. 8.

Non tenemur vitare ſuſpenſum, in ciuili cōmunicatione, humanisq; contractibus.

Ob cōmunicationem cū ſuſpenſo in reb⁹ ciuilibus, humanisq; cōtractibus non incurritur excōmunicatio minor.

ARTICVLVS XVI.

Quinam poſsint à ſupradicta ſuſpenſione abſoluere?

Prima Concluſio.

Suſpēſio lata ad certum tempus, eo elapſo ipſo iure tollitur abſq; vlla prorſus abſolutione, ſiue diſpenſatione.

SVſpenſio lata ad certum tempus, eo elapſo ipſo iure tollitur, abſque vlla prorſus abſolutione ſiue diſpenſatione. Hæc concluſio eſt communis om-

nium Doctorum reſolutio, & de ea videndus eſt ſpecialiter Nauarr. in ſuo Man. cap. 27. nu. 161. in 6. dicto, vbi dicit hoc habere locũ in omni ſuſpenſione, lata tam à iure quam ab homine, quæ certo tempore aut facto aut omiſſione facti alicuius terminatur, nam tollitur lapſo tempore vel adueniente termino ipſo abſque vlla abſolutione, quod probat ex gloſſ. in Clement. 1. *de decimis, verbo, donec*, cõmuniter recepta, & putata pro ſingulari à Panor. in *cap. 1. de iud. notab. 6.* & idem tenet prædictus Panorm. in *cap. fin. de matrim. contracto contra interd. eccle. num. 4. & in cap. ad aures, de ſimonia, nume. 3.* vbi & pro hac ſententia citat Ioann. Andream & Innocẽ. in *cap. cum bonæ, de ætat. & qualitat.* Idem omnino tenet Sylu. *verbo, ſuſpenſio, q. 8.* in 1. dicto, vbi inquit, quod ſi ſuſpenſio imponitur à iure vel ab homine in hũc modum, *donec ſatisfeceris vel pœnitueris*, facta ſatisfactione vel pœnitẽtia, relaxatur ipſo facto. Ad quod probandum citat Panor. in *cap. cum tu, de vſur. & in cap. non eſt, de ſponſal.* Videatur etiam hac de re Suarez in 5. tom. in 3. par. D. Thom. diſp. 29. ſect. 1. nu. 1. vbi dicit hanc eſſe communem ſententiã, & pro ea adducit aliqua alia capita, *cap. ſacro, de ſentent. excommunicat. verbo. per menſem, & d. Clemen. 1. de decimis verbo, donec*, & citat Innocentium, Abbatẽ & alios, in *cap. cum bonæ, de ætat. & qualit.* & D. Antoninum 3. par. tit. 28. cap. 4, circa finem, & Naua. Angel. Sylueſt. Armil. & omnes communiter Summiſtas, *verbo, ſuſpenſio*. Cuius & appoſitiſſimam reddit rationẽ nam cum prædicta ſuſpenſio vim habeat ex inſtitutione Eccleſiæ, & ipſius prohibitione, & prohibitio ad certum & determinatum tempus fuerit facta, ipſo elapſo per ſe ceſſat ſuſpenſio ipſa, quia non operatur vltra voluntatem prohibentis. Et cum ipſe definierit & declarauerit ſuam voluntatem ad tempus ibidem expreſſum poſtea permiſſum eſſe cenſetur idipſum, per *l. Imperator, ff. de poſtul.* Vnde inquit, fit, vt qui ſic ſuſpenſus erat, poſſit deinceps ſuo fungi officio, & frui fructibus ſui beneficij, abſque alia facultate vel declaratione Superioris, nam ablato impedimento, per ſe ipſam res ad ſuum priſtinum reducitur ſtatum, & vnuſquiſque qui impeditus non eſt iure ſuo poteſt vti. Quod videtur eſſe dicendum atque tenendum, tã in foro interiori, quam in exteriori, quamuis de foro exteriori loquendo, aliqualem habeat difficultatem, tunc præſertim quando prædicta ſuſpenſio lata eſt ab homine, nam propter ipſius ſatisfactionem neceſſaria eſſe videtur ſaltem aliqua declaratio. Sed tamen inquit, ſi hoc ipſe iudex ſiue Prælatus in ſua ſententia non expreſſit, ſat erit vt cum oportuerit conſter illum ſuæ ſententiæ paruiſſe, ac dictis obtemperaſſe. Videatur Suar. vbi ſup. & Sayrus in ſuo theſ. 1. tom. lib. 4. cap. 17. nu. 1. & 2. & Couarr. in *c. alma mater, 1. p. §. 11. n. 5.* vbi & plures alios citat auctores pro hac opinione.

Secunda Concluſio.

Suſpenſio quocumq; modo lata tolli poteſt per diſpẽſationẽ ſuperioris.

CErtiſſimum eſt quod ſiue ſuſpenſio ſit ad certum tempus, vel etiam in perpetuum, vtcumque lata per diſpenſationem Superioris tolli poteſt, nondum termino elapſo & etiamſi illum non habeat. Hanc concluſionem tenet expreſſe ſupradictus Suarez, vbi ſupra, num. 13. & ipſam dicit eſſe communem ſententiam, & probat eam, quia (inquit) deſignatio & determinatio temporis pro quo ſuſpenſio fertur, hoc ſolummodo operatur, vt ejuſmodi pœna tanto tempore duret, ſi nulla cauſa ſuperior impediens ſeu illam auferens intercedat; ſed ſuo veluti ordinario curſui relinquatur, non tamen facit vt talis pœna pro eo tempore irremiſſibilis ſit, neque à Superiore auferat poteſtatem diſpenſandi aut abſoluendi ſibi ſubditum à tali pœna. Et idem propter eandem rationem dicit eſſe tenendum, etiamſi prædicta ſuſpenſio appoſita ſit perpetua, nam adhuc non eſt irremiſſibilis. In quo ſuſpenſio differt à depoſitione verbali & degradatione, de quibus diximus ſupra, & hoc etiam eſt intelligendum & dicendum de ſuſpenſione lata ſimpliciter, propter aliquod delictum commiſſum, abſque vlla adiecta conditione, vel temporis determinatione, vt late probat Suarez ſupradictus loco ſupracitato, num. 14. dicens illam etiam poſſe tolli per abſolutionem. Solum ſupereſt nunc quærere atque inueſtigare, quiſnam ſit qui hoc facere poteſt, in quo ſtat tota huius rei difficultas. Et oportet procedere cum magna diſtinctione, diſtinguendo inter ſuſpenſionem latam à iure & latam ab homine, & ſimiliter inter ſuſpenſionem latam in puram pœnam alicuius commiſſi delicti propter contumaciam, & hoc loquendo de poteſtate ordinaria, & etiam de delegata, ſeu ex priuilegio, de quibus omnibus dicemus per ordinem, in ſequentibus concluſionibus, ſit tertia Concluſio in ordine ſolito.

Tertia Concluſio.

Suſpẽſio lata ab homine, in pœnã alicuius delicti, ab eoſolo tolli poteſt, vel à Superiore.

SVſpenſio lata ab homine in puram pœnam alicuius delicti, ſiue illa ſit temporalis ſiue vero perpetua, certiſſimum eſt quod ab eo ſolo tolli poteſt, qui eam poſuit, ſeu à Superiore. Hæc concluſio communis eſt omnium DD. ſententia, in *ca. tam literis, de teſtibus*, & colligitur, argumento deducto ex *ca. Paſtoralis, §. præterea, de offic. ord.* & probat eam efficaciter Panor. in *c. 2. de ſolution.* quem ſequuntur Aretin. & Felin. & alij contra gloſſ. in Clemẽ. 1. *de hæreticis, §. fin. verbo, excom. & c. cupientes, §. cæterũ verbo, ſuſpenſus, de elect. lib. 6.* De qua concluſione videndi ſunt omnes cõmuniter Summiſtæ, *verb. ſuſpenſio*, & Nauarrus in Manuali capite vigeſimo ſeptimo, numero. 162. & Suarez quinto tomo, in tertiam partem Diui Thomæ, diſputatione vigeſima nona, ſectione ſecunda, numero decimo quarto, in fine.

Quarta Concluſio.

Suſpẽſio lata à iure in puram pœnã alicuius delicti, ante elapſum tẽpus tantũ ab authore canonis ſeu iuris dimitti poteſt.

SVſpenſio etiam lata á iure in puram pœnam alicuius delicti, ſiue illa ſit temporalis, ſiue vero perpetua, ante elapſum tempus, tantum ab Auctore Canonis dimitti poteſt. Hæc concluſio eſt etiam communior ſententia, & reſolutio, quam tenent omnes ſupradicti locis ſupracitatis, & probat eam efficaciſſime ſupradictus Pater Suarez, vbi ſupra, numero decimo quinto, ex ſupradicta Gloſſa, in *capite cupientes, paragrapho cæterum verbo*,

verbo, ſuſpenſor, de elect. lib. 6. & ex Abbate in *capi. tam literis, de teſtib. num. 4. & d. cap. 2. de ſolutionib.* & ibi Felin. & alij. Et probatur præterea ex eo, quod huiuſmodi ſuſpenſio ſic impoſita, durante eadem Superioris voluntate perpetua eſt atque ſtabilis, quo fit vt ante elapſum tempus, per illum ſolum dimitti poſſit, non vero per inferiorem. Quod & confirmatur præterea, nam ſi ſuſpenſio fertur cum determinatione vt ſit perpetua, iam ipſum perpetuitatis nomen declarat, quod voluit ipſius lator eam eſſe immutabilem, ſicut & ipſum ius, quo eam tulit, & in virtute viſus eſt ibidem includiſſe reſeruationem vt à nemine tolli poſſet, niſi tantum ab eo, qui idem ius potuit condere ſeu ipſum auferre. Si vero lata ſit ad certum & determinatum tempus, etiam per huiuſmodi deſignationem, & determinationem, inſinuare voluit auctor eiuſdem iuris ſuã fuiſſe voluntatem, vt ante illud tempus non auferatur, & virtualiter etiam illam ſibi reſeruauit, vt pro illo tempore non abſoluatur, ſed neque ab ſolui poſſit ab inferiori. Hæc concluſio certiſſima eſt, quidquid alij dicant, nam certe ſi eiuſmodi ſuſpenſionis pœna, ante elapſum terminum ab ordinario Epiſcopo tolli poſſet, facile contemneretur, ſicque delicta non prodignitate punirentur, quod nullo modo eſt dicendum. Quam rationem adeo efficacem ſupradictus Suarez exiſtimat, vt credat neque ipſum Summum Pont. Auctorem Canonũ, facilitet ab eiuſmodi ſuſpenſionibus poſſe abſoluere, aut id licite facere abſque iuſta & rationabili cauſa, ſicut dictum eſt ſupra, agendo de diſpenſatione in legibus à ſe latis, quia eadem eſt vtriuſque ratio, & quia id facere, quammaxime expedit bono communi. Videatur hac de re Sylu. *verbo, ſuſpenſio, quæſt.* 8. in 3. dicto, & Enriquez lib. 13. de excommun. & ſuſpen. cap. 35. & Sayrus de cenſuris 1. tom. lib. 4. capi. 17. num. 10. Sed contra hanc concluſionem arguunt nonnulli, argumento deſumpto, ex *cap. nup. de ſenten. excommun.* vbi habetur quod quando Auctor Canonis, non ſibi reſeruat abſolutionem alicuius cenſuræ, videtur perinde eam cõcedere paſtori ordinario inferiori. Et adducunt exemplum de excommunicatione maiori ad tempus lata, quæ ante illud tempus expletum, per Epiſcopum ordinarium auferri poteſt, idé inquiũt eſſe dicendum de ſuſpenſione prædicta, & quod eadem eſt vtriuſque ratio. A tractatione huius difficultatis, quæ maxima eſt conſulto abſtineo, nam longam requirit diſputationem, de qua videatur Couarr. in ſuo 4 decret. 2 part. cap. 6. in principio num. 16. vbi hac de re latiſſime agit, & negat eandem eſſe rationem de excommunicatione & ſuſpenſione (id quod & negandum eſt) quamuis ipſe rationem differentiæ non conſtituat, ſed aſſignat illam doctiſſime ſuprad. Suar. de mente Panor. loco ſupracit. nu 16 videatur etiam ibidem, & ſect. 2. nume. 2. cum ſeqq latiſſime, nam in his breuitas cui tantopere ſtudemus, non nos ſinit amplius immorari. Solum ſupereſt nunc difficultas, & nec parua quidem ſed magna, quid ſit dicendũ de illa ſuſpenſionis cẽſura, lata à iure pro aliquo delicto prę terito, ſed indefinite, & ſine vlla temporis determinatione, neque cum determinatione perpetuitatis, ſed abſolute? qua de re eſt magna controuerſia inter DD. an ſequatur conditionem puræ pęnæ an vero potius cenſuræ? De qua difficultate ſupra dictus Suar. num. 18. duas refert iuriſconſultorum opiniones, dicentibus quibuſdam, ſuſpenſionem prædictam ſequi naturam puratum pœnarum, & quod à prædicta cenſura non poſſunt Epiſcopi abſoluere, niſi poſitiue ſibi concedatur; neq ue eſſe ſatis vt nõ reſeruetur, quia ipſa eſt perpetua, aut ſaltim talis eſſe videtur ex intentione ferentis, nam ideo illam abſolute & ſine vlla conditione, aut reſtrictione poſuit, & quia eiuſmodi pœna intelligitur ferri ſecundũ ius, & in iure pœna indiffinite lata cenſetur eſſe perpetua, per *l. ſeruus, C. de pœnis.* Et notat gloſſ. in *ca. ſi autem, de cohabitat. cleric. & mulier.* & Fel. in *c. ex literis, de conſtitut. n. 11*, Affirmantibus vero alijs, quod huiuſmodi ſuſpenſio ſic propoſita, ſequitur cõditionem cenſurarum, poſſitque tolli ab Epiſcopis, eo ipſo quod non reſeruatur. Qua pro nunc prætermiſſa controuerſia, quod verius atque tenendum videbitur, explicabitur per ſeq. concl.

Difficultas. Quid ſit dicẽ dũ de ſuſpenſionis pœna, ſeu cẽſura lata indefinite?

Quinta Concluſio.

Suſpẽſio lata à iure indefinitè & ſine tẽporis determinatione, ſinũ reſeruatur, per Epiſcopũ tolli poteſt.

SVſpenſio lata à iure, indiffinite & ſine temporis determinatione, neque cum determinatione perpetuitatis, tolli poteſt per Epiſcopum, eo ipſo quod non reſeruatur. Hanc concl. tenet gloſſ. in Clement. §. *verum, de hæret. verbo, excomm.* vbi diſtinguit inter ſuſpenſionem latam ad certum tempus & indefinite, & de priore dicit ſequi naturã, & cõditionem pœnarum, de poſteriori vero cenſurarũ poſſeque proinde ab Epiſcopo tolli, eo ipſo quod non reſeruatur. Quam etiam ſententiam ſequutus eſt Panor. in *cap. quam ſit, de except. Prælat. in fin.* & Innocen. in *c. 2. de ſolut.* & eam ſequitur Couarr. vbi ſup. & Suar. etiam vbi ſup. num. 19. Cuius rationẽ reddit, quia eiuſmodi ſuſpenſio ſic indefinite lata pro aliquo commiſſo delicto, regulariter ferri videtur pro contumacia, argumento d. ducto ex *cap. ex literis, de conſtitut.* ac proinde non cenſetur perpetua, vt colligitur ex illo *cap. ex literis*, ſed poterit diſpenſatione tolli, ſi perſona ſufficienter diſponatur, & Eccleſiæ ſatisfaciat, & ſequitur Regulam *cap. nuper, de ſenten. excommun.* Quod autem prædicta ſuſpenſio ſic lata, ferri videatur pro contumacia, probat latiſſime Suar. loco ſupracit. qui de mente Couarr. vbi ſupr. ponit Regulam, quod omnis ſuſpenſio indefinite lata, cẽſetur reſtricta ad tempus pro quo durat contumacia, cui fauet *capi. ex literis.* Videatur Suarez vbi ſupra, qui & de mente Panormit. dicit, quod in ſuſpenſionibus & cenſuris, quã do forma verborum fuerit dubia, ſemper præſumẽ dum eſt latas eſſe pro contumacia, quia in pœnis benignior interpretatio eſt adhibenda: benignior eſt autem illa pœna, quæ eſt medicinalis, quam ea quæ eſt vindicatiua cæteris paribus, vt de ſe conſtat. Ex quo vlterius infert, quod cum illa ſuſpenſionis forma ſit indifferens, ſi aliunde non conſtiterit legiſlatorem aliud voluiſſe, præſumendum eſt ſemper, conceſſiſſe illius pœnæ relaxationem Prælatis ordinarijs, quando illam non ſibi reſeruauit, iuxta conditionem cuiuſcumque pœnæ medicinalis, de quibus dicemus infra. Videatur Suarez vbi ſupra, & Sayrus etiam vbi ſupra, numero 14. 15. 16. & 17.

Sexta Concluſio.

Quãuis Epiſcopi regulariter nõpoſſint abſoluere, á ſuſpẽſionib⁹ poſitis in purã pœnã, tã à iure, quã ab homine, poſſunt tamẽ in eiſdẽ diſpẽſare, ſi poſitæ ſint ob adulteriũ, ſeu pro alijs criminibus adulterio minoribus.

QVamuis Epiſcopi non poſſint abſoluere regulariter, à ſuſpenſionibus poſitis in puram pœnam alicuius commiſſi delicti, tam à iure, quam ab homine poſſunt tamen in eiſdem diſpenſare, ſi fuerint poſitæ ob adulterium ſeu in aliis delictis adulterio minoribus. Hanc concluſionem tenet expreſſe Panor. in dicto *c. tam literis, de teſtibus, & in cap. 2. de ſolutionibus.* Qua de re videndus eſt Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 162. in medio, & Suarez vbi ſupra diſp. 29. ſect. 1. num. 21. vbi agit de delictis in quibus de iure poſſunt Epiſcopi diſpenſare, & inquit, quod ſi in ipſis poſſunt diſpenſare, multo melius atque à fortiori, & in pœnis pro eiſdem poſitis, quia non requiritur maior iuriſdictio advnum quam ad aliud. Quænam vero ſint eiuſmodi delicta ſeu caſus, in quibus de iure poſſunt Epiſcopi diſpenſare, tractat latiſſime ſupradictus Panor. in *ca. at ſi clerici, §. de adulterijs, de iudicijs*, de quo videatur Gloſſa in *cap. in quibuſdam, de pœnis*, & DD. ibidẽ, & Innocen. in *cap. dilectus, de temp. ordinand.* & Dec. in *d. §. de adulterijs num. 8.* Videatur etiam hac de re Sayr. vbi ſupra, num. 18. & 19. cum ſequẽt. Et addo quod ex ſpeciali Conc. Trident. conceſſ. ſeſſ. 24. capit. 6. de reformat. habent Epiſcopi iam de iure cõmuni, quod diſpenſare poſſint in omnibus ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, dũmodo fuerint occultæ & nullo modo deductæ ad forum contentioſum. Qua conceſſione etiam fruuntur omnes Prælati Regulares habentes iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem, vt iam multoties ſupradictum eſt, & præter hoc habentur ad id plura priuilegia, quæ poſita ſunt ſupra q. 9. art. 10. agendo de poteſtate prædictorum Prælatorum Regularium.

Nota pro diſpenſatione in omnibus ſuſpenſionibus occultis.

Septima Concluſio.

Ab omnibus ſuſpenſionib⁹ poſitis ob contumaciã, ipſa recedẽte Epiſcopi & Prælati ordinarij, poſſunt abſoluere.

AB omnibus ſuſpenſionibus poſitis ob contumaciam, recedente ipſa Epiſcopi & Prælati ordinarij etiam poſſunt abſoluere. Pro huius concluſionis intelligentia præmitto, quod durante cõtumacia, nullo modo dari debet ſuſpenſionis abſolutio, eſſet enim & contra rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vergeretque in magnum detrimentũ boni communis, qua de re videatur Suar. ſupradictus loco ſupracitato à num. 2. cum ſequentibus. Sed recedente contumacia, congruaque exhibita ſatisfactione, dicit quod magna eſt inter DD. controuerſia, an in tali caſu aliqua abſolutio ſit neceſſaria? dicunt enim quidam, quod non, ſed quod ipſo facto & iure, qui ob eam cauſam erant ſuſpenſi, cenſentur abſoluti, & quod æquiparatur eiuſmodi ſuſpenſio illi, quæ lata eſt ad certum tempus, quo elapſo ceſſat, abſque vlla prorſus abſolutione. Alij vero omnino contrarium tenent, & dicũt poſt prædictam ſatisfactionem & receſſum à contumacia, neceſſariam eſſe abſolutionem. Quam cõtrouerſiam latiſſime diſcutit ſupradictus Suarez, vbi ſupra, & Sayrus de cenſuris Eccleſiaſticis, lib. 4. capi. 17. nume. 3. Sed ea prætermiſſa, & ſuppoſito quod hæc ſententia magis placet, quod neceſſaria eſt abſolutio, dico vt in concluſione eſt dictũ, quod eam Epiſcopi, & alij Prælati ordinarij, ſibi ſubditis dare poſſunt, ſi ea eſt à iure & nulli reſeruata. Hanc ſententiam multis probat ſupradictus Sayrus loco ſupracit. num. 12. Quam etiam ſententiam tenet Suar. vbi ſupr. num. 15. & concludendo dicit, quod in ſuſpenſione, quæ eſt ab homine, abſolutio iure ordinario ab eo tantum dari poteſt, qui eam tulit, vel à Superiore, in ea autem, quæ eſt à iure, ſi ſit reſeruata à prædicto Auctore tantum iuris, ſeu etiam à Superiore: ſi autem non ſit reſeruata, inquit, quod dari poterit á prædicto Epiſcopo, ſeu Prælato ordinario. Quam dicit eſſe communem ſententiam, quæ licet ex iure non euidenter probetur, habet tamen nihilominus magnum fundamentum in eo, & communi conſenſu recepta eſt ac practice certiſſima, quia in hiſce rebus (vt dicitur) ſola conſuetudo interdum dat iuriſdictionẽ. Sed vt huic articulo ac toti quæſtioni vltimam imponamus manum, ſupereſt dicamus, quonampacto eiuſmodi ſuſpenſionis abſolutio ſit facienda? de quo ſit octaua concluſio.

Octaua Concluſio.

Ad ſuſpẽſionẽ tollendam nulla ſunt in iure determinata verba.

AD tollendam ſuſpenſionem, ſeu ſuſpenſionis cenſuram, nulla ſunt in iure determinata verba, neque vlla præſcripta ſubſtantialis forma, ſed quibuſlibet verbis id ſignificantibus fieri poteſt. Hæc concluſio eſt communis omnium DD. reſolutio, & de ea ſpecialiter videndus eſt Nauar. in Manuali cap. 27. num. 161. in 6. dicto, & Suar. diſpu. 29. ſect. 3. art. 1. cum ſeq. vbi & ponunt conſuetã prædictæ abſolutionis formam, quæ eſſe ſolet poſt alia: *Ego te abſoluo ab omni vinculo ſuſpenſionis, in quam incurriſti*, ob talem vel talem cauſam, *& reſtituo te priſtinæ executioni.* Et ſi fuerit dubia aut ſub dubio, dicendum eſt ſic: *ſi teneris aliquo vinculo ſuſpenſionis, á quo te poſſim abſoluere, ego te abſoluo.* Videantur DD. ſupradicti, & Sylu. *verbo, abſolutio 6. nu. 2.* & aduertit ſupradictus Nauarr. in eiuſmodi abſolutione, neceſſarium eſſe iusiurandum, vt in abſolutione excommunicationis, iuxta *cap. ſuper eo, & cap. venerabili, de ſententia excommunicat.* De quo etiam agit Couarr. vbi ſupra num. 3. & Sayrus etiam vbi ſupra numero 29. cum ſequentibus.

QVAEST

QVAESTIO XXXVII.

De interdicto, & ijs quæ ad materiam interdicti ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit interdictum?

CIrca hanc interdicti materiam, videndus eſt in primis Sylu. *verbo, interdictū* latiſſime per plures quæſtiones & Articulos, & Sot. in 4. ſent. d. 22. q. 3. ar. 1. Couarr. *c. alma mater*, 2. p. §. 1. nu. 2. cum ſeqq. D. Antoni. 3. par. tit. 26. Nauarr. in Man. ca. 27. à num. 164. cum ſeq. Suar. 5. tom. in 3. par. D. Thom. diſpu. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. vbi latiſſime per plures etiam ſectiones ſiue quæſt. hac de re agit doctiſſime, expendens omnia, quæ ad prædicti interdicti materiam ſpectant, Sayr. etiam 1. to. lib. 5. ca. 1. cū ſeq. Vt autem ipſe pro meo more breuitati ſtudeā omiſſis varijs ſupradicti nominis acceptionibus, deſcriptionibus, ſiue definitionibus, deſumendo tā tummodo quod ad noſtrum attinet propoſitum, huic art. reſpondeo per ſequentem Concluſionē.

Concluſio.

Interdictū Eccleſiaſtica cēſura, qua prohibentur diuina officia, nonnullaq; Eccleſiæ ſacramēta, atq; Eccleſiaſtica ſepultura.

INterdictum acceptum pro vna trium cenſurarum Eccleſiaſticarum, eſt cenſura Eccleſiaſtica qua prohibentur diuina officia, nonnullaq; Eccleſiæ ſacramenta & Eccleſiaſtica ſepultura actiue & paſſiue, niſi in certis quibuſdam caſibus. Hæc diffinitio eſt communis omnium DD. reſolutio, de qua videndum eſt *c. noueſt vobis de ſponſa. & c. quod in te, de pœnitent. & remiſſ.* & eam tradit expreſſe Nauar. loco ſuprac. vbi & ipſam explicat per omnes ſuas particulas, dicendo quod ibi *cenſura Eccleſiaſtica*, ponitur pro genere, reliqua vero pro differentia, & per hanc particulam, *cenſura*, interdictum diſtinguitur à ceſſatione à diuinis, de qua in *ca. irrefragabilis, de offic. ord. & in cap. quamuis, eod. titu. lib. 6.* quæ quidē quamuis ſit pœna, non tamen eſt cenſura Eccleſiaſtica, contra Pan. in *ca. dilectus, de appell. n. 18.* nec eſt aliud, quam ipſa ceſſatio diuinorū officiorum. Dicit præterea Nau. quod reliqua in præd. diffinitione adducta, ponuntur ad differentiam inter interdictū ex vna parte, & excommunicationem & ſuſpenſionem ex altera. Quæ tres cenſuræ ſeu cenſurarū ſpecies, differunt atque conueniunt inter ſe.

Ceſſatio à diuinis, non eſt cenſura Eccleſiaſtica.

In quibus conueniant excō municatio, ſuſpēſio, & interdictū.

Conueniunt inquit in nouem, contra Calderi. tra. de Eccl. interd. memb. 1. col. 2. communiter receptum. Primo in hoc, quod illarum quælibet eſt cenſura Eccleſiaſtica, per *c. quærenti, de verb. ſignific.* Secundo quod quælibet etiam ferri debet inſcriptis & cum cauſa ibidem expreſſa, per *ca. 1. de ſentent. excommu. lib. 6.* Tertio, quod nullam earum ſuſpendit appellatio ſubſequuta, & ipſarum quamlibet appellatio præcedens annullat, per *ca. is cui, §. fin. eod. tit. & lib. & c. ad hæc quoniam, de appell.* Quarto, quod quamlibet ipſarum, admonitio debet præcedere, per *ca. reprehenſibilis, de appell.* cum fertur ob contumaciam, non tamen quando in pœnam, per *ca. 2. de ſent. lib. 6. & c. quamquam, de cenſibus eod. lib.* Quinto, quod ipſarum quælibet eſt nulla, cū fertur ſine canonica monitione, ab excōmunicatore contra participantes cum excōmunicatis à ſe, per *c. ſtatutum, de ſentent. excommun. lib. 6.* Sexto, quod quælibet ipſarum impedit & priuat à diuinis, excepta illa ſuſpēſione, quæ non fit ab eis, per *c. paſtoralis, §. verum, de appella. & c. is cui, de ſentent. excommun. lib. 6.* Septimo, quod in abſolutione omnium prædictarum cenſurarum iuratur, per *c. venerabili, & c. ex tenore, de ſent. excom.* Octauo, quod nulla earum ferri poteſt ab ordinario contra receptos à Papa in ſpeciales filios ſuos, per *c. 1. de verbo. ſignif. lib. 6.* Nono, quod quælibet earum eſt à ſuperiore ſeruanda, per *ca. cū ab Eccleſiarum, de offic. ord.* imo vero á ferente ipſam quouſque eam tollat, contra Calder. loco ſupracit. In dictis nouem ſupradictæ cenſuræ conueniunt. Differunt autem in ſeptem præcipue. Primo, quia excōmunicatio directe priuat cōmunicatione, quatenus eſt cōmunicatio humana, ſuſpenſio vero directe priuat vſu facultatis Eccleſiaſticæ, interdictū autem ſacramentis diuinisque officijs directe. Et dictum eſt directe, nam indirecte & per conſequēs tiam ſupradicta omnia priuant etiam omnibus cōſequentibus ad illa, quæ ſunt directe prohibita. Secundo differunt, quia excōmunicatio ſecundū aliquos non poteſt ſuſpendi, aliæ vero ſic, per *c. ad hæc quoniam, de appell.* quamuis alij cum Decio idē eſſe dicant de excōmunicatione. Tertio differunt in hoc, quod Epiſcopus non incurrit ſuſpenſionem, nec interdictum latum à iure, niſi exprimatur in eo, per *c. quia periculoſum, de ſent. excommu. lib. 6.* excō municationem vero ſic, vt ibidem aduertit gloſſa. Quarto, differunt, quia Vniuerſitas non poteſt excommunicari, per *c. Romana, §. in vniuerſitatē, de ſent. excom. lib. 6.* Suſpendi autem & interdici poteſt Vniuerſitas prædicta, per *c. fin. de ſent. eo. tit. & lib.* Quinto differunt in hoc, quod excommunicati nunquā admittuntur ad diuina officia, alij vero interdum ſic, per *cap. fin. de ſent. excom. eod. lib.* Sexto differunt, quia excōmunicatio & ſuſpenſio, nō feruntur, niſi ob culpam propriā, & excōmunicatio maior ob mortalē, minor autē & ſuſpenſio ſaltim ob venialem, interdictum vero etiam ob alienam, per dictum *capi. ſi ſent.* Septimo differunt in eo, quod abſolutio excōmunicationis ſemper requirit aliqua verba, ſuſpenſionis vero & interdicti non ſemper vtputa quando feruntur ad certum tempus, ſeu quouſque aliquid fiat, nam ſufficit vt fiat, iuxta gloſſam ſingularem, in *Clement 1. de decimis, verbo, do nec.* Qua de re videatur Nauarr. vbi ſupra, & in *c. 1. de iudicijs, notab. 6.* & Sylueſter, Soto. & Suarez vbi ſup. ſed maxime Sot. qui concl. 1. euidētiſſime probat, fuiſſe in Eccleſia ſummopere neceſſariam, ſuprad. interdicti cēſurā, pro Eccleſiæ gubernaculo,

In quibus differant excōmunicatio ſuſpenſio, & interdictū.

pro his qui obſtinato ſunt animo, & pro quibus excõmunicatio non ſufficit, cũ ſit tã grandis pœna, qua Eccleſia non habet maiorẽ, vt ipſi in ſua obſtinatione nõ inſordeſcerent. Præterea decens fuit, vt Eccleſia per interdictũ ſupradictũ ſentum mœroris & triſtitiæ quẽ habet repræſentaret & quaſi totum populum indignatione commoueret aduerſus eum qui eiuſdem eſt cauſa, ipſumque ſuſpenderet etiam à iure quod habet audiendi ſacra, vt vel ſic prædicta populi indignatione commotus & ſacrorum ſilentio perterritus & ſtupefactus, reſipiſcat & Eccleſiæ ſanctæ obediat, quod multum eſt notandum ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit interdictum?

Prima Concluſio.

Interdictũ generaliter loquẽdo eſt triplex, quoddã locale, aliud perſonale, quoddã vero locale & perſonale ſimul.

GEneraliter loquendo interdictum eſt triplex, aliud locale tantum, aliud perſonale tantum, quoddam locale & perſonale ſimul. Hæc cõcluſio eſt communis omnium DD. reſolutio, de qua videndus eſt ſpecialiter Sylueſter, *verbo, interdictum 1. nam. 6. cum ſequentibus*, & Soto in 4. diſt. 22. q. 3. art. 1. concl. 1. Nauarrus in ſuo Manuali, cap. 27. á num. 166. cum ſeq. Suarez 5. tomo in tertiam partem D. Thomæ, diſputat. 32. ſect. 3. per totam. Sayrus dicto 1. tom. lib. 5. cap. 1. num. 10. Sed ſupradicti Soto & Suarez dicunt non fuiſſe neceſſum, ſupradictum interdictũ in tria membra diuidere, cum tertium diuiſionis membrum, non ſit ab alijs diſtinctum, ſed veluti ex vtroque commixtum, quod quamuis ita ſit, cõmunis nihilominus ſententia tenet, quod interdictum, de quo ſupra, in communi & in generali ſumptum, eſt triplex vt dictũ eſt. Quo ſuppoſito, oportet quodlibet horum in particulari definire. Interdictum loci ſiue locale tantum eſt, quod tantũ reſpicit locum, quod tunc fit quando interdicitur ciuitas aliqua, ne illic diuina audiantur officia, & additur illa particula tantum, nam tunc populus præter perſonas illas, quæ cauſam interdicto dederũt extra dictam ciuitatem & ſuburbia illa poteſt audire, nam ciuitatis nomine, etiam ſuburbia intelliguntur, per *cap. ſi ciuitas, de ſentent. excommunicatio. lib. 6.* propter rationem ſuperius dictam, vlteriuſque inferius dicendam. Interdictum perſonale tantum eſt, quod reſpicit tantum perſonam, & quo interdicitur populus, aut aliqua eius particularis perſona, nam etiam populus citra propriam culpã poteſt interdici in odium excommunicati, præſertim ſi ſit rector vel Princeps, vt conſtat ex *capi. minor, 17. quæſt. 4.* vbi D. Auguſtinus propter delictum cuiuſdam Bonifacij, interdixit eum ſacris, & totã eius domum atque familiam. Quin vero interdici poteſt populus ſine Clero & Clerus ſine populo, & tunc perſonæ interdictæ, nullibi neque in illo neque in alio loco, ſacra aut diuina officia poſſunt audire. Quæ omnia habentur in *capit. ſi ſententia, de ſentent. excommunicat. lib. 6.* Ex quo fit, vt interdicto loco, non cenſeatur interdictus populus, niſi hoc ſolummodo ne in illo loco ſacra & diuina audiat, neque è conuerſo interdicto populo, cenſetur interdictus locus, quare excluſo populo, in præſentia aliquorum peregrinorum, poterunt illic etiam ſoleminiter ſacra & diuina celebrari, de quæ vide Sayrum vbi ſupra ca. 1. nu. 1. cum ſequentibus. Interdictum autem locale & perſonale ſimul vtrũque comprehendit, nempe locum & perſonas ſimul, cuius DD. reddunt exemplum in interdicto, quod appellant ambulatorium, illud nempe, quo interdicitur aliqua perſona & ſimul locus vbi ipſa fuerit, & quandiu ibi fuerit, aut pro certo & determinato tempore, quouſque ab aliqua inobedientia ſiue contumacia receſſerit. Sub qua forma latũ eſt interdictum in *capit. dilectis filijs de appellat. & in cap. non eſt vobis de ſponſal.* de quo quatenus eſt locale, iudicandum eſt vt de interdicto locali tantum, quatenus vero perſonale, vt de perſonali tantum, argumento, *leg. qua de tota, ff. de rei vendicat. & cap. paſtoralis, §. item cum totum, de offic. deleg.* de quibus omnibus videantur Nauar. & Sua. locis citatis, & Sayrus vbi ſupra à num. 10. 11. & 12.

Quid ſit interdictũ locale?

Quid ſit interdictum perſonale.

Nota quod interdicto loco non cenſetur interdictus populus, neque cõtra.

Quid ſit interdictũ locale, & perſonale ſimul.

Secunda Concluſio.

Interdictum aliud eſt generale, aliud vero particulare.

VTrumque autem prædictorum interdictorum iterum poteſt ſubdiuidi, in generale & in particulare. Hæc concluſio eſt etiam omnium DD. cõmunis reſolutio, & ſunt qui diuidant ſupradicta in tria membra, ſcilicet generale, ſpeciale, & etiã particulare, ſed hoc facere non eſt neceſſe, prout aduertit Soto loco citato, cum ſint idem. Generale loci interdictum eſt, quando interdicitur totũ Regnũ aut tota Ciuitas, ſeu totũ aliquod Caſtrum iuxta Dom. in *cap. præſenti, de ſentent. excommunicatio. lib. 6.* quod & pro eo generale nũcupatur, quia nulla excipitur Eccleſia, iuxta *ca. cum in partibus, de verbor. ſignificat.* Eſt autem interdictum locale, ſpeciale ſiue particulare, quando aliqua Eccleſia ſiue Eccleſiæ Ciuitatis vel Caſtri interdicuntur, non vero omnes, & tunc interdicta Eccleſia, interdicuntur omnes etiam eius Capellæ, vt conſtat, ex dicto *cap. ſi Ciuitas, de ſentent. excommunicat. lib. 6.* non tamen cenſetur interdictus Clerus eiuſdem Eccleſiæ ſiue Eccleſiarum, nam alibi poterunt celebrare. Videatur hac de re Nauarr. vbi ſupra num. 163. latiſſime, & Sayrus num. 13. 14. & 15. Pari modo & eadem ratione, interdictum perſonale dicitur generale, quando propter peccatum alicuius Regis, interdicitur populus totius Regni, aut propter delictum alicuius Domini, totus populus alicuius Ciuitatis, Caſtri, ſiue Oppidi; ſpeciale autem, quãdo interdicitur aliqua perſona, ſiue perſonæ alicuius Ciuitatis, Caſtri, ſiue Oppidi, nam & imponi poteſt propter ſpecialia peccata aliquarum perſonarum, quæ nominatim interdicuntur, de quibus omnibus innumeras faciunt diuiſiones Iuriſperiti Doctores, iuxta ſpecialia Capitula, quæ circa hoc reperiuntur in iure, & diuerſos caſus multiplicãt, quos in ſpeciali referre, cui ſtudemus tantopere, breuitas non permittit, videantur apud ſupradictum Suarez vbi ſupra, & Sayrum nume. 15. & 16. Solum aduerto ex Magiſtro Soto loco ſupracitato, quod eiuſmodi interdicti pœna minor eſt, quã pœna excommunicationis maioris, nam minor pœna, eſt arceri tantum à ſacris audiendis, quam priuari ſuffragijs Eccleſiæ, & conuictu fidelium.

Quid ſit interdictũ generale, quid vero ſpeciale locale.

Quid ſit interdictũ perſonale, generale, vel ſpeciale, & particulare.

lium. Quocirca Romanus Pontifex, Epiſcopus ſæpiſſime, prius præcipit ſub comminatione vt arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, quam ſub comminatione excommunicationis latæ ſententiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum interdicto Clero, cenſeantur interdicti Religioſi, & omnes Eccleſiaſticæ perſonæ & maxime exẽpti?

Prima opinio HAc de re eſt duplex opinio. Prima eſt quam refert & ſequitur Couarr. in cap. *Alma mater* par. 2. §. 1. num. 8. & eam dicit eſſe communem ſententiam, nempe quod interdicto Clero intelligũtur interdicti, & generaliter comprehenduntur omnes Religioſi & Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ gaudent priuilegio Clericali non ſolum profeſſi, verum etiam nouitij, & conuerſi vtriuſque ſexus, etiam fœminæ, de qua opinione videatur etiam Sayr. lib. 5. de interdicto cap. 4. num. 29. Secunda ſententia eſt, quam tenet Sylu. *verbo interdictum 2. num. 17. & verbo Clericus 1. num. 1.* quam etiam tenẽt nonnulli iuriſperiti, quos ipſe citat ibidem, qui quidem dicunt, quòd in odioſis Cleritorum nomine, non veniunt intelligendi Religioſi, etiamſi id intelligatur in fauorabilibus. Quod & confirmant ex eo quod ſi interdicantur Religioſi, non propterea interdicti cenſentur Clerici ſeculares, etſi etiam ſint lato modo Religioſi, vt notatur *in rubrica de Regularibus*, ergo neque à contrario, interdicto Clero interdicti intelligendi ſunt Religioſi. Circa quam difficultatem magna eſt diuerſitas ſententiarum, vt videre eſt apud ſupradictum Sayrum & certe Nauarr. in Man. cap. 17. num. 167. inclinare videtur in hoc quod interdictum Cleri, includat Religioſos, & Conuerſos & conuerſas, Nouitios & Nouitias, pro quo adducit Dominicũ in dict. cap. *ſi ſententia, de exceſſibus Prælatorũ*; & Calderinum de interdicto, num. 2. ſed tamen Suarez 5. tom. in 3. part. D. Thom. diſput. 32. ſect. 2. num. 17. hac de re agens dubius eſt, & fere neſcit quo ſe vertat, quia inquit de hoc non habemus in iure ſpecialem declarationem, quo fit, vt nihil poſsit conſtanter dici, nam proculdubio Cleri vox capax eſt vtriuſque ſignificationis, & interdum ſumitur pro ſolo clero ſeculari, interdum autem pro toto Eccleſiaſtico cœtu. Quapropter dicit quod ad huius rei verum ſenſum intelligendum, attendendæ ſunt circunſtantiæ ſententiæ interdicti prædicti, ipſiuſque materia & vbi res fuerit dubia, ſequenda eſt generalis regula, vt ſcilicet, pœna ſeu ſententia interdicti pœnalis, mitiori modo exponatur & interpretetur. Hæc prædictus Suarez. Sed nihilominus ex prædictis duabus ſententijs, prima videtur iuri & communi praxi conformior, de qua proinde ſequentem ſtatuo concluſionem.

Secunda opinio.

Concluſio.

Interdicto clero ſimpliciter & abſolute, etiam intelligũntur interdicti Religioſi, & quæcumque Eccleſiaſticæ perſonæ

INterdicto clero ſimpliciter & abſolute, etiam Religioſi exempti & omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, cenſentur interdici. Hanc concluſionem multis probat ſupradictus Couarr. & Suarez locis ſupracitatis, & ad eam tenendam, præter auctoritatem Dominici & Calderini quos refert Nauar. vbi ſupra, eſſe videtur efficaciſsimum argumentum, deſumptum ex ſupradicto cap. *ſi ſententia*, vbi tota communitas oppidi ſiue ciuitatis, in duas partes diuiditur & condiſtinguitur, nempe in populum & clerum: ergo ſub altera iſtarum neceſſum eſt, vt comprehendantur Religioſi: ſed non comprehenduntur ſub populo, quia hoc minus eſſet fauorabile ipſis Religioſis & interdicto populo intelligerentur interdicti Religioſi ipſi, quod dici non poteſt vt recte probat Sylu. vbi ſupra. nu. 9. ergo comprehenduntur ſub Clero, nam quod ſub neutra parte includantur & cõprehendantur, non videtur dicendũ cũ ſit à iure atque à ratione alienũ. Tandem tenet hanc ſententiam & opinionem D. Ant. 3. part. tit. 26. cap. 3. & multi alij Doct. quos refert Sayr. ſupradictus, videãtur ibidem num. 29. Quæ pro iſto articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Quinam poſsint interdicere, ſeu vicẽuerſa interdici?

Concluſio.

Communiter & regulariter loquendo, quicũque poſſunt excõmunicare, & ſuſpẽdere, poſſunt etiam interdicere, & qui etiam poſſunt excõmunicari, ac ſuſpendi, poſſunt interdici.

COmmuniter & regulariter loquendo, omnes qui poſſunt excõmunicare & ſuſpendere, poſſunt & interdicere & vice verſa, qui poſſunt excõmunicari, & ſuſpendi, etiã poſſunt interdici. Hanc concluſionem tenet expreſſe Nauarr. vbi ſupra. num. 168. & de ea videndus eſt Sylueſt. *verbo interdictum 3.* quæſt. 2, num. 2. & Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 3. artic. 1. concl. 2. vbi inquit, quod omnes Prælati Eccleſiarum Cathedraliũ & Collegiatarum, nempe Epiſcopi & Abbates, qui præſunt Eccleſijs Collegiatis, ibidemque iuriſdictionem habẽt, poſſunt interdicere, tam perſonas quam loca in quibus ordinariam habent iuriſdictionem, vt notatur in iure in cap. *cum inter, de conſuetudine*, & cap. *cum Eccleſiarũ de off. ord.* præterea Conciliũ Generale poteſt interdicere & Capitulum ſede vacante, licet quoad Capitulum etiam ſede vacante, multi teneant cõtrarium, de quibus videndus eſt Suarez 5. tom. in 3. part. diſput. 36. ſect. 1. num. 5. Minores autem Prælati, qui excommunicare poſſunt, vt Prælati Religionum, eadem ratione interdicere poſſunt ſibi ſubditos, ab audiendis diuinis, eoſdem cohibendo, vt colligitur ex dicto cap. *cum ab Eccleſiarũ*. & quia hoc minus eſt, quam excommunicare: interdicere autem Eccleſiam vel locum Prælatos Regulares prædictos, non eſt in conſuetudine poſitum, niſi habeant iuriſdictionem in aliquod oppidum ſiue caſtrum. Videatur hac de re Suarez 5. tom. in 3. diſp. 36. de cauſis interdicti, ſect. 1. & 2. per totas, vbi conſequenter ad ſupradicta dicit, quod interdictum in genere eſt duplex, aliud à iure, aliud vero ab homine, eo modo quo diximus de excommunicatione & ſuſpenſione, vbi etiam latiſsime agit & declarat quinam ſint illi, qui poſſunt interdici. Sed Nau. loco ſupracitato inquit, quod Vniuerſitas, quæ non poteſt excommunicari per cap. *Romana. §. in vniuerſitatem de ſent. excomm. lib.*

6. & locus qui non poteſt ſuſpendi, iuxta ea, quæ ſupradicta ſunt, poſſunt tamen interdici per cap. *ſi ciuitas* cap *ſi in cauſa de ſent. excomm.* lib.6. & addit, quod quamuis aliud ſit populus, ſeu Vniuerſitas, aliud verò perſonæ eiuſdem particulares, argum. cap. *denique*, 7. quæſt. 1. & l. *proponebatur. ff. de iudic.* interdicto tamen populo, cenſentur interdicti & omnes perſonæ particulares ipſius, ſontes & inſontes, per dictũ cap. *ſi ſententia*, vbi id ipſum affirmant omnes Doctores communiter, quia vt ſupra diximus, ſine propria culpa bene quiſpiam interdici poteſt propter culpam alterius, licet non excõmunicari, aut ſuſpendi. Quæ tamen debeat eſſe eiuſmodi culpa, ob quam apponi poſſit interdictũ, dicetur ſtatim in articulo ſequenti. De prædictis omnibus videatur Sayrus lib.5. de interdicto, cap. 4. latiſſimè, & cap. 10. num. 1. cum ſequentibus etiã latiſſimè.

ARTICVLVS V.

Quænam cauſa ſit neceſſaria & ſufficiat, ad ponendum interdictum?

Concluſio.

Ad ponẽdum interdictũ neceſſaria eſt cauſa, eaque grauiſſima & condigna delicto.

AD ponendum interdictum neceſſaria eſt cauſa, & nec modica, ſed multum grauis requiritur, quin verò & grauiſſima, & quod ea cõdigna ſit delicto. Hanc ſententiã tenẽt omnes Doctores communiter, de qua videndus eſt in primis Sylueſt. verbo, *interdictum*, quæſt. 5. nume. 5. & Soto in 4. diſt. 22. q. 3. art. 1. concluſ. 3. & Nauarr. cap. 27. numero. 188. & Suarez latiſſimè in ſupradicto 5. tom. diſp. 36. ſect. 3. per totam, vbi & ad hoc propoſitum reperiet licebit multa, eaque notatu digniſſima. Pro quo ſupradictus Sylueſt. allegat. capit. *cum medicinalis, de ſent. excommun.* lib.6. & cap. *quæſiui, de his quæ fiunt á maiore par. c.* Vbi Innocent. & Oſtien. dicunt interdicti ſententiam, non eſſe ferendam propter culpam particularis perſonæ, ſed totius Vniuerſitatis, vel niſi ſit Dominus loci, per cap. *non eſt vobis, de ſponſ.* & cap. *ſane, de offic. deleg.* Et prædictus Syluveſt. vbi ſupra addit, quod nullus locus poteſt interdici, auctoritate ord. vel deleg. pro debito pecuniarum & cuiuſuis pecuniæ quantitate & quod aliàs non tenet, niſi fiat de Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali & expreſſa. Quod itidem tenet Nauar. vbi ſupra per Extrauag. *prouide, de ſentent. excomm.* quod tamen Archidiaconus limitat de interdicto generali, & dicit poni poſſe ſpeciale pro ſupradicta cauſa, quod & tenet Calderinus vbi ſupra tract. de interdicto memb. 1. colum. 4. & Dominicus in capit. *præſent. de ſentent. excommunicat.* lib. 6. ſed in hoc ſupradictus Syluveſt. inquit ſtandum eſſe conſuetudini. Videatur Soto vbi ſupra, quo loco grauiter reprehendit iudices ſiue Prælatos, ponentes frequẽter interdicta, abſque iuſta eaq; grauiſſima cauſa, in graue omnium fidelium damnum, & non modicam Eccleſiaſticarum cenſurarum iniuriam. Videatur etiam Sayrus, lib.5. cap. 11. num. 1. cum ſequentibus latiſſimè.

ARTICVLVS VI.

Quænam forma ſit ſeruanda, in poſitione interdicti?

Prima Concluſio.

Ad poſitionẽ interdicti, nulla ſunt in iure determinata verba, ſed quibuſcumq; imponi poteſt

AD poſitionẽ interdicti, nulla ſunt in iure determinata verba, quin verò quibuſcumque verbis, ſufficienter explicantibus mentem & intẽtionem latoris imponi poteſt. Hæc Concluſio eſt communis reſolutio de qua & videndus eſt Syluueſter, verbo, interdictũ quæſt. 7. & Soto in 4. ſententiarum diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. & Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 164 & Suarez, diſp. 36. ſect. 4. num. 1. & diſp. 3. ſect. 2. agendo de cenſuris in communi, & de forma ſeruanda in ponendis cenſuris eiuſmodi. Quibus in locis inquit, quod duplex reperitur forma in prædictis, alia eſſentialis & ſubſtantialis, quæ ſunt ſupradicta verba, quibus continetur mens, intentio & voluntas latoris, alia verò accidentalis, & quæ ad ſolemnitatem accidentalem ſpectat, de qua dicemus ſtatim. Et de prima inquit, quod quamuis ſupradicta verba ſint neceſſaria, quo eiuſmodi voluntas exprimatur, vt conſtat ex cap. *ſacro*, & cap. *á nobis el primero, de ſentent. excommunicat.* & cap. 1. eodem titulo, in 6. & cap. vltimo. *de inſtitutionibus, etiam*, in 6. non tamen expreſſe habetur diffinitum in iure, quibuſnam verbis eiuſmodi ſententia interdicti ſeu aliarum cenſuratum ſit ponenda: quin verò vt poteſt iudex quibuſcumque verbis, mentem & intentionem ſuam ſignificantibus, vt dictum eſt, nulla habita ratione ſiue reſpectu ad nomina, ſiue verba, quibus hoc ipſum fit: nam ſæpiſſime verba impropriantur in iure, & ponitur verbum, *interdico*, pro eo quod eſt *ſuſpendo*, & è contra, in quo conueniũt omnes communiter Doctores. Verum eſt tamen quod prædictus Soto vbi ſupra, concluſione 3. inquit, quod interdictum prædictum ſoler communiter ſub hac forma poni. *Huiuſmodi populum ſiue locum interdicto ſupponimus.* Ad quod allegat, cap. *cum in partibus, de verborum ſignificatione*, & cap. *ſane el ſegundo, de offic. delega.* Sed loquendo de forma accidẽtali, ſeu pertinente ad accidentalem cenſurarum prædictarum ſolemnitatem, aduertit ſupradictus Suarez vbi ſupra, quod hæc eſt in triplici differentia, quædam enim antecedit, quædam comitatur, alia verò ſubſequitur, cẽſuras ſupradictas, de quibus omnibus dicendum eſt breuiter in præſentiarum per ordinem, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio

Ad interdicti ſolemnitatẽ, neceſſum eſt quod præcedat admonitio.

AD interdicti ſolemnitatem neceſſum eſt, vt ipſum præcedat admonitio, eo modo quo ſupra dictum eſt, de excommunicatione & ſuſpenſione. Hæc Concluſio habetur expreſſa in cap. *reprehenſibilis de appellat.* & vt ſupradiximus, intelligenda eſt cum fertur ob contumaciam, non autem quando fertur in pœnam, per cap. 2. *de conſtitut.* lib. 6. & ca. *quamquam de cenſibus*, eodem lib. Circa quam Concluſio-

cluſionem nihil de nouo occurrit dicendum, præter ea, quæ dicta ſunt ſupra, quæſt. 35. art. 3. concl. 3. agendo de excommunicatione, & quæſt. 36. art. 7. agendo de ſuſpenſione. Qua de re videatur latiſſimè ſupradictus Suarez vbi ſupra, diſp. 36. ſect. 4. num. 10. & latius diſp. 3. ſect. 2. cum ſequentibus, vbi diſertiſſime tractat. quęnam & qualis eſſe debeat eiuſmodi admonitio & quando ſpectet ipſa ad ſolemnitatem accidentalem, quando verò ſit ſubſtantialis, vbi inuenire licebit omnia, quæ ad hoc propoſitum poſſunt deſiderari. Videatur etiã Sayrus, lib. 5. cap. 11. num. 24.

Tertia Concluſio.

Ad interdicti etiam ſolemnitatem ſpectat, vt ipſius ſententia feratur in ſcriptis.

AD ſolemnitatem etiam accidentalem interdicti prædicti ſpectat, vt ipſius ſententia non feratur, niſi in ſcriptis & cum cauſa ibidem expreſſa. Hæc Concluſio habetur etiam expreſſa in capit. 1. *de ſentent. excommun.* lib. 6. & de ea nihil etiam de nouo occurrit dicendum, præter ea, quæ diximus ſupra, quæſt. 35. art. 9. concluſ. 2. agendo de excommunicatione, & quæſt. 36. art. 7. concluſ. 4. agendo de ſuſpenſione. Qua etiam de re præter Doctores ibidem citatos, videatur ſupradictus Suarez diſp. 36. ſect. 4. num. 3. & latius diſp. 3. ſect. 13. ar. 1. cum ſequentibus. Vbi hac de re latiſſimè agit, tractando de cenſuris in communi, & hæc eſt ſecunda ſolemnitas, quæ comitari habet omnes cenſuras prædictas. Videatur etiam ſupradictus Sayrus vbi ſupra numero 25.

Quarta Concluſio.

Ad ſolemnitatem etiam interdicti ſpectat, vt ipſum denunciatio ſubſequatur.

AD ſolemnitatem etiam interdicti prædicti ſpectat, vt ipſum denunciatio ſubſequatur. Hæc Concluſio eſt etiam communis omnium Doctorũ reſolut. quod quidem neceſſum eſt ad hoc vt ſupra dicta interdicti cenſura, liget perſonam contra quam fertur, ſeu alias perſonas, quæ interdictum vitare tenentur. Qua quidem de re nihil etiam de nouo occurrit dicendum, præter ea, quæ dicta ſunt ſupra agendo de excommunicatione & ſuſpenſione, & obligatione qua cuncti tenentur euitandi eiuſmodi excõmunicatos & ſuſpenſos, eademque omninò ratio currit de interdictis, modo omnes ſupradicti ſint denunciati iuxta Extrauag. *ad euitanda*, quæ intelligenda eſt de omnibus cenſuris ſupradictis. Qua de re videatur ſupradictus Suarez diſp. 37. ſect. 2. per totam & diſp. 3. ſect. 14 etiam per totam, agendo de cenſuris in communi, & Sayrus loco ſupracitato numero 32. latiſſimè.

ARTICVLVS VII.

Quænam ſint interdicta poſita à iure?

IAM ex ſupradictis conſtat, quod interdictum, cum ſicuti dictum eſt ſit Eccleſiaſtica quædam cenſura, eo modo, quo dictum eſt ſupra de excommunicatione & ſuſpenſione in communi ſumptum, aliud eſt à iure, aliud verò ad homine. Quæ interdicta ferun-

Nonnulla reperiuntur in iure interdicta ipſo facto poſita

tur ab hominibus cum particularia & contingentia ſint, ponanturque quotidie, in dies non cadunt ſub ſcientia. Solum ſupereſt vt paucis explicemus atque referamus, quæ reperiuntur in iure, quod fiet per ſequentem Concluſionem.

Concluſio.

NOnnulla in iure reperiuntur interdicta, ipſo facto poſita. Hæc Concluſio non aliter poteſt aut debet probari, quam adducendo & afferendo ipſa. Atque in primis ciuitas vbi Papa moritur, eo ipſo interdicto ſubijcitur, ſi non illico ad electionẽ ſucceſſoris procedatur, ſeruatis iuris cõditionibus vt habetur in cap. *vbi periculum, de electione*, lib. 6. Præterea fertur ipſo facto generale interdictum contra Vniuerſitatem, quæ ſolui facit portoria illicita Clericis, vt habetur in cap. *ceuſam, quæ de cenſibus*, lib. 6. & eadem eſt ratio de alijs pedagijs & tributis. Item & fertur generale interdictum, contra eam Vniuerſitatem, quæ facit vt capiatur, percutiatur ſeu in exilium mittatur ſuus Epiſcopus, per Clementinã 1. *de pœnitent.* Item & contra eam cuius Dominus impedit ingreſſum aut negotia Nuntij Apoſtolici, per Extrauag. *ſuper gentes, de conſuetudine*. Plura alia in iure ſunt interdicta, generalia & particularia atque perſonalia, quæ ponuntur à Sylueſt. verbo, *interdictum*, 4. num. 1. cum ſequentibus, & referuntur etiam latiſſimè à Suarez, diſp. 37. ſect. 1. & à Sayro, lib. 5. cap. 12. num. 1. cum ſequentibus, à quibus omnibus breuitatis gratia abſtineo, vt ne nimium tomus iſte creſcat. De quibus etiam videatur Nauarro in ſuo Manual. cap. 27. num. 169. vbi in fine aduertit, quod in omnibus caſibus, in quibus à iure fertur interdictum generale locale ob delictum Populi, in eiſdem etiam fertur generale perſonale contra eundem populum, quamuis non ita ſit quando fertur ob delictũ ſolius hominis, ſi nõ exprimatur expreſſe ibidem, per c. *ſi ſententia, de ſentent. excommunic.* lib. 6. quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota quod quotieſcunq; fertur generale interdictũ locale à iure, ob delictũ populi, fertur etiam perſonale locale, in eumdem populum, quamuis nõ ita ſit, quãdo fertur ob delictum perſonale alicuius hominis, niſi exprimatur.

ARTICVLVS VIII.

Quinam ſint interdicti effectus, ſeu quæ ſint interdicti tempore prohibita?

Prima Concluſio.

Interdicti tempore, trina eſt prohibitio, in tereſſendi diuinis officijs, & ſuſcipiendi certa quædam Sacramẽta, & ſepeliẽdi in Eccleſiaſtica ſepultura.

MVltiplices ſunt interdicti effectus ſed in communi & in generali loquendo, trina fit prohibitio in interdictis intereſſendi diuinis officijs & ſuſcipiendi certa Eccleſiaſtica ſacramenta, & ſepeliendi in Eccleſiaſtica ſepultura. Hæc Concluſio habetur expreſſa in capit. *non eſt, de ſponſalibus*; & in capit. fin. *de exceſſibus prælat.* & in cap. *quod in te de pœnit. & remiſ.* & cap. *reſponſo, de ſentent. excommunicat.* capit. *quoniam*, & cap. fin. eodem titulo lib. 6. ſatiſque cõſtat ex ſupra adducta interdicti definitione, poſita in art. 1. Circa quam Concluſionem conſulendus eſt Sylueſt. verbo, *interdictum*, 5. num. 1. cum ſequẽtibus, & Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. concluſ. 4. &

& Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 171. Suar. 1. tom. in 3. part. D. Thom. disp. 33. sect. 1. per totam latissimè, & disp. 34. sect. 1. 2. & 3. per totam etiam latissimè, Sayrus lib. 5. cap. 5 6. 7. 8. & 9. per omnes numeros. Pro cuius pleniori intelligentia, adnotare oportet ex supradicto Soto, quod interdictum antiquitus nihil fere differebat à cessatione à diuinis, nam interdicti tempore cum sacris interesse non liceret, Clerici ab eis celebrandis omninò abstinebant, vt colligitur, ex cap. *non est vobis, de sponsalibus* & cap. *quod in te de pœnit. & remiss.* & tantum semel celebrabant in Hebdomada & celebrari permittebatur, Sacramenti conficiendi causa, vt constat. ex cap. *permittimus de sentent. excommunicat.* Permittebatur etiam iure antiquo interdicti tempore baptism. & Sacramentum Pœnitentiæ, & viaticum pro morientibus, per supradictum cap. *non est vobis de sponsal.* non verò pro alijs, & confirmatio in fiõte, vt constat, ex cap. *responso, de sentent. excommunic.* At verò Bonifac. VIII. in cap. *alma Mater*, eodem titulo referens prædictum antiquũ morem, & quod olim interdicti tempore nulla diuina celebrabantur officia, & subdens quod ex districtione huiusmodi statutorum, minuebatur & decrescebat populi deuotio, pullulabantque hæreses & infinita insurgebant animarum pericula, & Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis sine ipsarum culpa debita subtrahebantur obsequia, concessit & statuit, vt prædicti interdicti tẽpore, siue ab homine siue à iure prolati, possent homines non solum in articulo mortis & morientes vt antea, verũ etiã sani quotiescũque vellent, Sacramentũ Pœnitentiæ suscipere, dummodo non essent excommunicati. (hi enim præterquam in articulo mortis, ad eiusmodi Sacramentum non admittuntur) & nisi essent illi qui & eidem interdicto causam dederunt. Concessit præterea, vt exclusis interdictis & excommunicatis, quotidie in Ecclesijs diuina officia submissa voce, ianuis clausis & non pulsatis campanis celebrarentur, insuper vt in quatuor anni festis, nempe in die Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ, in omnibus Ecclesijs pulsatis campanis, apertisque ianuis officia diuina alta voce atque solemniter fierent, hæc in dicto capit. Quibus exceptis, omnia alia in suo antiquo vigore manere voluit, sicque de iure communi loquendo interdicti effectus (vt dictum est in prædicta Conclusione) sunt supradicta trina prohibitio, interessendi diuinis Officijs, & percipiendi certa quædam Sacramenta (nempe omnia præter ea, quæ supra diximus) & sepeliendi in Ecclesiastica sepultura. Vt autem hæc plenius & expressius habeantur, facileque constare possit, quid omnium supradictorum trium veniat intelligendum nomine, & quid omninò sit prohibitum aut non prohibitum, libuit hoc ipsum amplius explicare, per sequentes Conclusiones, sit ergo secunda Conclusio.

Nota quandã erant olim permissa interdicti tempore.

Quæ sint reformata atq; stabilita per ca. almamater interdicti tempore.

Secunda Conclusio.

Quid intelligatur, diuinorũ Officiorũ nomine.

Diuinorum Officiorum nomine, quæ interdicti tempore esse dicuntur prohibita, intelligenda sunt ea omnia, quæ in Missali siue Breuiario Romano ponuntur, tamquam spectantia & pertinentia ad Officium Diuinum. Hanc Conclusionem tenet Angelus, verbo, *interdictum*, num. 4. & 5. & Nauarr. in suo Manual. capit. 27. num. 172. quamuis ibidem aliqualiter reprehẽdat Angelum prædictum, quasi male diffinierit Diuinum Officium, dicens ea omnia esse diuina Officia, quæ in prædictis Missali & Breuiario continentur. Sed addita illa particula, tamquam spectantia ad Diuinum Officium, omnis prorsus aufertur supradictæ reprehensionis occasio & causa, & hoc est quod Angelus intendit dicere ibidem. Sed vt hoc adhuc specialius dicamus dico quod Diuinorum Officiorum nomine, intelligenda sunt omnia, quæ pertinent ad sacros Ordines & ipsorum vsum, diuinorumque Sacramentorum, necnõ & Sacramentalium, & ad horas Canonicas, quapropter regulariter loquẽdo, per supradicta prohibentur tempore interdicti, omnia exercitia specialiter deputata alicui Ordini maiori, siue minori, vt deferendi vrceolos Acolyto, dicendi Epistolam solemniter & cum manipulo Subdiacono, Euangelium Diacono, Missam Presbytero, & agendi Officium Hebdomadarij quando peragitur Matutinum, aut dicuntur aliæ horæ Canonicæ. Et idem est iudicium de officio seu exercitio ordinandi in Episcopo, nam supradicta omnia exercitia, dicuntur Officia diuina. Vnde etiam dico, quod interdicti tempore, nemo debet aut potest audire Missam, nisi Clerici etiam primæ Tonsuræ, dummodo non sint coniugati, hi enim vt habetur in cap. *Ioannes, de Cleric. coniung.* omnia priuilegia Clericalia amittunt præter duo, vt decreuit Bonifa. VIII. in cap. *vnico*, eodem titulo, lib. 6. Nam si deferunt tonsuram, gaudent priuilegio Canonis, *si quis suadẽte diabolo*, 17. quæst. 4. & neque coram iudice seculari debent conueniri. Sed priuilegium audiendi sacra tempore interdicti perdunt, neque immerito eum iam non sint ministri Altaris neque Ecclesiæ. Possunt tamen audire prædicta Sacra, quicumque per Pontificis diplomata sunt priuilegiati, & qui eiusmodi priuilegium habẽt, familiam suam & qui eos comitantur, in Ecclesiam possunt secum introducere, per concessionem supradicti Bonifacij, in cap. *licet nobis, de priuileg.* lib. 6. nisi ipsi vel interdicto causam dederint, aut in fraudem hanc ob causam, in eamdem familiam fuerint assumpti, per cap. vltimũ *de verborum significatione* eodem lib. 6. Quæ omnia qualiter debeant practicari & intelligi, difertissime tradit supradictus Nauarr. loco prælegato, num. 180. & 181. & Sylvest. verbo, *interdictio*, 5. quæst. 1. in 4. dicto, ad quæ lectorem remitto. Aduerto tamen, quod quamuis supradicta omnia tempore interdicti sint prohibita de iure communi antiquo, de speciali verò nouo prædicti Bonif. VIII. posito in cap. *alma Mater*, ea omnia sunt concessa sicut prius, dummodo fiant cum moderatione posita ibidem, nempe *ianuis clausis, submissa voce, non pulsatis campanis, & exclusis excommunicatis & interdictis*, per cap. fin. §. *adijcimus, de sententia excommunicationis*, lib. 6. expulsis etiam non habentibus priuilegium, iuris communis aut specialis, iuxta Glossam dict. §. *adijcimus, verbo interdictis.* Dicitque Nauar. loco vbi supra, num. 173. quod hoc est intelligendum, de loco generaliter interdicto, non tamen inquit, habet locum in interdicto specialiter, iuxta Glosã recep tam, in dicto cap. fin. verbo, *Ecclesia*, quod est valde notanda

Nota quod supradicta omnia intelligenda sunt de loco generaliter interdicto, nõ verò speciali ter.

notandum atque memoriæ commendandum. Reliqua autem ad Diuinum Officium ſpectantia, vel non ſpectantia, quæ prædicti interdicti tempore facere licet vel non licet, videātur latiſſimè apud prædictum Nauarr. vbi ſupra à nume. 174. cum ſequentibus, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima; & ſimiliter apud Sylueſ. verbo *interdictum*, 5. à num. 1. cum ſequentibus ſimiliter, & apud Suarez 5. tom. in 3. par. D. Thom. diſ. 33. ſect. 1. & diſp. 34. ſect. etiā 1. 2. & 3. & apud Sayrum, lib. 5. cap. 5. cum ſequentibus per plures numeros, vbi & ad hoc propoſitum reperire licebit omnia, quæ deſiderari poſſunt.

Tertia Concluſio.

Illa ſola Sacramēta, quæ aut priuilegiū exprimit, aut tacite permittit ſunt permiſſa in loco interdicto, interdicti tempore.

ILla ſola Sacramenta, quæ aut priuilegium expri mit aut tacite permittit, ſunt permiſſa in loco interdicto ſeu interdicti tempore, ſiue interdictū ſit generale, ſiue verò ſpeciale & particulare. Et hic eſt ſecundus interdicti effectus ſiue ſecunda facta prohibitio. Hæc Concluſio eſt etiam certa & manifeſta, & eam tenet expreſſe Nauarr. loco ſupracitato, nume. 178. & ponit exemplum in Sacramento Baptiſmi pro paruulis. per cap. *non eſt, de ſponſalibus, & etiam pro adultis*, per cap. *quoniam, de ſententia excommunicat.* lib. 6. quod eſſe dicit extendendum etiam ad ſacramentalia, qualia ſunt Catechiſmus & Exorciſmus, & Vnctio olei & Chriſma, ſiquidem in Baptiſmo iubentur hæc fieri, per cap. *accepiſti, de conſecrat.* diſt. 4. Ponit etiam exemplum in Sacramento Confirmationis, per cap. *reſponſo, de ſententia excommunicat.* & in conſecratione Chriſmatis, quæ eſt ad id & ad Baptiſmum neceſſaria, per dictū cap. *quoniam*, & eadem ratione in conſecratione Olei Baptizandorum. Ponit etiam exemplum in Sacramento Pœnitentiæ pro infirmis, per dictū cap. *non eſt, de ſponſ.* & etiam pro ſanis, per d. cap. fin. *de ſentent. excommunicat.* lib. 6. qui non fuerint excommunicati neque interdicti, ſeu ipſi interdicto eidem ſua culpa cauſam dederint, vel fauorem, auxilium ſiue conſilium præſtiterint, ſeu delicto ob quod poſitum fuit. Hi enim nequaquā ſunt ad Pœnitentiæ Sacramentum admittendi, niſi prius ſatisfaciant ſi poſſunt, ſin minus idoneam præbeant cautionem iurando ſe operam daturos fideliter, vt ſatisfiat per ſe aut per alios, per dictū cap. fin. §. *illis, de ſentent. excommunicat.* lib. 6. Ponit etiam exemplum in Euchariſtia, ſiue Viatico recipiendo, per dictū cap. *quod in te, de pœn. & remiſſ.* ſolummodo in articulo mortis, & per gloſſ. dicti c. fin. *communiter receptam*, ſicque ſeclufo priuilegio ſecundum ius commune, non poteſt dari ſanis quā uis ſint Clerici & Religioſi, licet ſecundum ius commune antiquum, poſſent dictum Sacramentū ſumere, quando celebrabatur ſemel in Hebdomada ad renouandum ipſum, vt ſupra diximus, per c. *permittimus, de ſentent. excommunicat.* Ponit tandem exemplum in Sacramento Matrimonij, per gloſſ. dicti cap. fin. *de ſentent. excommunicat.* lib. 6. quod & fieri poteſt etiam inter interdictos perſonaliter & ſpecialiter, iuxta Calderi. tract. de interdicto, mēb. 16. col. 21. quamuis non ſit conferenda ipſis nuptialis benedictio. Solūmodo duo Sacramenta ſunt hominibus interdicti tempore abſolutè prohibita, nempe Sacramentum Ordinis, & Sacramētum Extremæ Vnctionis, vt notant Doctores communiter in c. *reſponſo de ſent. excommu.* & pro ſacramēto Extremæ vnctionis facit ſpecialiter, cap. *quod in te de pœnit. & remiſſ.* vbi id expreſſe habetur. Nā quamuis Clerici & Religioſi ſint priuilegiati quoad ſepulturam, non tamen quoad Extremam vnctionē, ſecundum ius commune. An vero id habeatur ſecundum aliqua priuilegia, dicetur inferius. Longiorem ſupradicta omnia requirebant tractationem, ſed temporis anguſtia, librique capacitas exigua, non id permittit. Videatur hac de re Sylueſt. latiſſime, verb. *interdictum* 5. num. 5. & Suar. vbi ſupra, diſp. 33. ſect. 1. Sayr. dict. lib. 5. cap. 7. num. 1. cum ſequentibus, vbi hęc omnia diſſertiſſime tractant, inquirendo de omnibus Sacramentis in particulari, vbi poterūt videri. Solum aduerto quod ab hac generali regula, poſita in prædicta Concluſione, ſemper intelliguntur excepti, quicumque Religioſi aut forſan Clerici vel etiam ſeculares, ratione alicuius Bullæ, priuilegij ſiue conceſſionis ſibi factæ, aliquod habuerint ſpeciale priuilegiū, quod videre oportebit, eiuſdemque tenorem attendere & ad vnguem obſeruare.

Quinta Concluſio.

Interdicti tempore, non conceditur Eccleſiaſtica ſepultura, niſi tantummodo Clericis.

TErtius effectus ſeu tertia prohibitio tempore interdicti facta, eſt vt defuncti gaudere non poſſint Eccleſiaſtica ſepultura, præter Clericos. Hæc Concluſio habetur expreſſa, in cap. *quod in te, de pœnit. & remiſſ.* & quāuis illic addatur quod Clerici ſepeliantur, ſine ſolemnitate, & cum ſilentio, iām verò hodie (vt ait Sylu. verb. *interdictum*, 5. n. 10.) conceditur vt Miſſa & funeris officiū celebretur, celebrariq; poſſit cum moderatione ſupradicti c. *alma Mater.* Videatur hac de re Sot. vbi ſupra, con cl. 4. in fine, & Nau. etiam vbi ſupra, n. 176. & Suar. diſp. 35. ſect. 1. 2. & 3. per totas, Sayr. lib. 5. c. 8. n. 1. cum ſequentib. vbi & ad hoc propoſitū dicuntur plura, eaque notatu digniſſima. Et in diſputatione eadem ſect. 4. tract. ſupradictus Suar. an Eccleſiæ ingreſſus ſit prohibitus ex vi interdicti, an vero conſtituat aliam differentem interdicti ſpeciem? vbi latiſſime explicat quem habeat effectum interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & circa hoc & pulſationem campanarum, dicit plura ſupradictus Sayr. cap. 9. per totum, à quorum tractatione ipſe inpræſentiarum conſulto ſuperſedeo, propter tēporis anguſtiam, & quia de his aliquid etiam dictum eſt ſupra, dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IX.

In quam pœnam incidant ſeu quodnā ſit peccatum, violare prædictum interdictum?

Prima Concluſio.

Violatio interdicti in ſupra dictis caſibus eſt peccatum mortale.

CErtiſſimum eſt, quod violare interdictum in aliquo ex tribus ſupradictis caſibus nempe in materia diuinorum Officiorum, aut Sacramentorū, & in eo quod eſt ſine licentia ſeu priuilegio, ſepe-

ſepeliri in Eccleſiaſtica ſepultura, eſt peccatū mortale. Hæc Concluſio (vt credo) communis eſt omnium Doctorum reſolutio, quæ vel maximè locū habet in Clericis & Religioſis, nam de laicis (vt ſtatim dicemus) aliqualis eſt difficultas. Sed loquendo de Clericis, ſupradictam Concluſionem tenet expreſſe Soto in 4. ſentent. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. vbi & dicit, quod præterquam quod violantes interdictum peccant mortaliter, fiunt etiam irregulares, ſiue (vt verbis iuris vtamur) ineligibiles & impoſtulabiles, ita quod neque eligere valent neque eligi aut poſtulari, ſuntque ipſo facto ſuſpenſi ab officio & beneficio. Quantum ad primam partem, nempe quod violando interdictum, Clerici peccent mortaliter, quamuis Caietan. in Summa, verbo, *interdictum*, hoc abſolutè renuat cōcedere, probat tamen illud prædictus Sot. vt videtur efficaciſſime & euidentiſſime, ex eo quod mandatum interdicti imponitur proprie & præcipuè Clericis, ſecundum ius antiquum vt non celebrent abſolutè, ſecundum autem ius nouum, vt non celebrent, niſi cum moderatione poſita, in dicto capit. *alma Mater*, ſcilicet excluſo populo ianuiſque clauſis, &c. cum autem ſit eiuſmodi præceptum de re graui, fieri videtur conſequēs, quod illud violantes peccent grauiter & mortaliter. Quod & confirmatur, ex pœnis, quæ violantibus interdictū prædictum decernuntur in iure, vt irregularitas & aliæ, quatam graui cenſura in iure non plectuntur, niſi mortaliter delinquentes. Quæ de re videatur latiſſimè Suarez, loco ſupracitato, diſp. 33. ſect. 2. & 3. & diſp. 34. ſect. 4. per totam, & diſp. 35. ſect. 1. num. 18. vbi ad hoc propoſitum multa eaque notatu digniſſima licebit reperire. Videatur etiam Sayrus, lib. 5. cap. 14. per omnes numeros latiſſimè, & Nauarr. in ſuo Manual. num. 27. n. 187. in 19. dicto, vbi extendendo hoc etiam ad Monachos & Moniales qui nullum Ordinem habēt, inquit, quod peccant mortaliter, faciendo interdicti tempore officia Clericis prohibita. Sed quod ſupradicti Clerici interdictum violantes, incurrant irregularitatem, fiantque ineligibiles & impoſtulabiles, probat ſupradictus Soto, loco ſuperius allegato, Suarez & Nauarr. ex cap. *ſi qui*, & ca. *is cui, de ſentent. excommunicat.* lib. 6. & ex ca. *cum æterni tribunal, de ſentenc. & de re iud.* eodem lib. & cap. 1. *de poſtulat. Prælat.* & quod ſint ſuſpenſi ab officio & beneficio, probant ex ca. *tanta, de exceſſ. Prælat.* quin verò ſunt expoliandi beneficijs, vt conſtat, ex ca. *poſtulaſtis, de Cler. excommunic.* & ſi ſit Religioſus & ſciat matricem Eccleſiam ſeruare interdictum neque ipſum obſeruet, eſt excommunicatus, per Clement. *ex frequentibus. de ſentent. excommun.* ſed eſt notandum, quod ſupradicti Clerici dupliciter poſſunt violare interdictum. Primo dum ipſi ſunt interdicti, tunc enim nullibi (vt dictum eſt) ſacrorū Ordinum officia poſſunt exercere, & ſi ſic decedāt interdicti, carent Eccleſiaſtica ſepultura, vt habetur in d. cap. *is cui*. Secundò, ſi locus ſit interdictus, licet ipſi Clerici non ſint interdicti, exercendo tamen Ordines in eodem loco, violant interdictum. *Nota valde.* Et ſunt quammaxime notanda, verba capitulorū irregularitatem decernentium, quia non loquuntur niſi de Clericis qui ſunt in ſacris, & celebrant ſeu officia diuinorum Ordinum exequuntur. Quare Moniales & Religioſi qui non ſunt in ſacris, prædictum interdictum violantes, licet mortaliter peccent (vt dictum eſt) non tamen fiunt irregulares, ita vt non poſſint ad ſacros Ordines promoueri. Sunt tamen acriter puniendi, & recludendi in aliquod arctius Monaſterium, quo ibidem intruſi pœnitentiam agant, vt dicunt omnes Doctores ſupracitati, per cap. *poſtulaſtis. §. quæ ſi iuſſis, de Clerico. excommunic. miniſt.* Nam & Moniales & Religioſi nō Clerici, in hoc caſu Clericorū nomine intelliguntur, vt pote quibus cōpetit diuina Officia ſolemniter facere, vt cenſeātur violatores interdicti, prædicti quantum ad effectum peccandi mortaliter, licet non quantum ad effectum incurrendi irregularitatem. Quapropter ſimplex etiam Clericus primæ Tonſuræ, imò qui minoribus Ordinibus ſunt initiati (vt tenet Syueſt. verbo *interdictum*. 5. num. 6. cum Theologis, contra quoſdam Canoniſtas) quamuis ſolemniter in Eccleſia canant, & ſua munera exerceant deferendo cereos, aut legendo ſeu alia agendo, quæ ſunt ſui muneris, non tamen fiūt irregulares, vt nō poſſint ad maiores Ordines promoueri, quia prima Tonſura & Minores Ordines, ſecundum magis probabilem opinionem, nō ſunt Ordines ſacri, ſed diſpoſitiones ad illos, qua etiā ratione matrimonium non eſt etiam eiuſmodi interdictum. Hoc etiam tenet expreſſe Soto vbi ſupra, qui & addit, quod quamuis Presbyteri, interdicti tempore in Eccleſia aliqua munera exerceāt, quæ non ſunt propria ſacrorum Ordinum, ſed poſſunt etiam per laicos exerceri, vt reſponſoria canere & Pſalmos dicere, non ideò fiūt irregulares, vt cum Panormit. tradit Syueſt. vbi ſupra. Sit ergo hæc generalis regula, quod illi tantum Clerici irregularitatem incurrunt, qui in ſacris conſtituti exerceant aliquod officium quod ſit alicui Ordini annexum, vt Officium Subdiaconi, & aliorum ordinum ſuperiorum. Quin verò addo, quod quamuis Subdiaconus ſine apparatu epiſtolam dicat, nō efficietur irregularis, nam epiſtolam dicere illo pacto, etiam ſeculari permittitur, ſecus eſſet autem ſi cum apparatu & tamquam Subdiaconus eam diceret.

Nota valde.

Quinam Clerici irregularitatem incurrant violando interdictū.

Solum ſupereſt nunc difficultas. In quam pœnā incidant laici, interdictum prædictum vllo modo violantes, vel ſe ingerentes ad audiendum ſacrū ſeu ad alia diuina officia, quod eſt grande dubium. Vtrùm ij etiā peccent mortaliter? Quæ de re eſt duplex Doctorum opinio, quidam enim dicunt, quod talia facientes non peccant mortaliter, nam interdicti violatio eſt pœna propria Clericorum, non verò laicorum. Hanc ſententiam & opinionem tenet Caietan. verbo, *interdicti violatio*, cui etiam & ſubſcribere videtur Nauarr. in ſuo Manuali. capit. 27. num. 187. & Soto in 4. ſent. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. conclu. 6. ſecundum quam ſententiam laici, ſi ſine dolo aut violentia vel cooperatione, cum Clericis ſeſe ingerant ad audiendum ſacrum, vel diuina officia, non peccant ſaltim mortaliter. Sed contraria opinio & ſententia videtur verior, pro qua ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Difficultas. In quam pœnā incidant laici interdictū violantes?

Prima opinio

Secunda opinio.

(.?.)

Secunda

Probabiliſſimum eſt quod etiam laici interdictũ violantes, peccãt mortaliter, quamuis non ipſi incurrãt irregularitatem.

Secunda Concluſio.

MVlto probabilius eſt & veritati & rationi magis conforme, quod etiam laici interdictum prædicto modo violantes peccant mortaliter, quamuis nonipſi incurrant irregularitatem. Hanc ſententiam tenere videtur Sylu. verb. *interdictum*, 6. quæſt. 7. vbi citat Innocẽt. & Archidiac. idem tenentes quod & probant ex eo, quia faciũt contra obedientiam Eccleſiaſticam, per cap. *ſi qui.* diſt. 81. & dicunt eiuſmodi eſſe per Iudicem Eccleſiaſticum puniendos, pœna arbitraria, per Clem. *grauis, de ſentent. excomm.* Dicit tamen prædictus Sylueſt. id ipſum habere locum quammaxime, quando id faciunt ex contemptu, quod non contingit niſi in quatuor caſibus, poſitis in Clem. 1. *de ſepulturis*, & in ſupradicta Clem. *grauis, de ſent. excom.* quos etiam caſus ponit & refert ipſe, verb. *excommunicator* 7. *excommunic.* 7. & verb. *excommunicatio*, 9. *excomm.* 35. De qua controuerſia videndus eſt ſpecialiter & latiſſime ſupradictus Suar. vbi ſupra diſp. 34. ſect. 5. per totam, & Sayr. dict. lib. 5. cap. 14. num. 1. cum ſequentibus, vbi meo quidem videri reperire licebit omnia, quæ ad hoc propoſitũ poſſunt deſiderari, à quorum ampliori tractatione, conſulto ſuperſedeo breuitati ſtudens.

ARTICVLVS X.

De ſuſpenſione interdicti, & quibus competat ipſum ſuſpendere?

Prima Concluſio.

Interdictum nõ ſuſpenditur per appellationem, factam poſt latã ſententiã eiuſdẽ interdicti.

ERtiſſimum eſt, quod interdictum non poteſt ſuſpendi, per appellationeminterpoſitam, poſt latam ſententiam eiuſdem interdicti. Hæc Concluſio habetur expreſſa in cap. *is cui, de ſent. excomm.* lib. 6. vbi in hoc, interdictum excommunicationi æquiparatur. Idẽ habetur in cap. *ad hæc quamuis, de appell.* vbi hoc ipſum abſolute dicitur de quolibet interdicto. Circa quam Concluſionem, nihil de nouo occurrit dicendum, præter ea quæ dicta ſunt ſupra, agendo de excõmunicatione & ſuſpenſione. Nã horũ omniũ eadẽ eſt ratio, idemq; iudicium, nẽpe quod ipſorum ſententia, per appellationẽ poſtpoſitã non ſuſpenditur. De quibus videatur Nau. in Man. cap 27. n. 165. & Suar. diſp. 38. ſect. 3. num. 5. & diſ. 3. ſect. 15. num. 17. latiſſime, & Sayr. cap. 13. num. 30.

Interdictũ generale, tam locale quam perſonale, & interdictum particulare locale, ſuſpẽdi poteſt ad tẽpus vel ſimpliciter, ab eo qui illud poſuit.

Secunda Concluſio.

CErtiſſimum etiam eſt, quod interdictum generale, tam locale quã perſonale, & interdictũ particulare locale, ſuſpendi poteſt ad tempus vel ſimpliciter, ab eo, qui illud tulit, & etiam quoad aliquem effectum particularem. Hæc concluſio eſt communis omnium Canoniſt. in dic. cap. *ad hæc quamuis, de appellat.* quam ſententiam refert & ſequitur Couar. in cap. *alma Mater*, 2. p. §. 2. num. 4. cõra Abbatem & Dec. quos ibidem refert, quam quã Abbas fateatur hãc etiã ſententiã in praxi ſeruari poſſe. Videatur hac de re ſuprad. Suar. diſ. 38. ſect. 3. num. 5. in vltimo dubio, vbi plures alios refert Auctores, ſed maxime Sylueſt. verb. *interdictum*, 3. quæſt. 8. qui & ad id citat Innoc. & Hoſtienſ. Idem tenet Angelus, verb *interdictum*, 8. num. 3. qui etiã pro eadem ſententia plures alios refert Autores, & quædam iura, nempe cap. *ad hæc*, el 3. *de appellat.* & cap. *directe*, cap. *præterea*, eod. tit. & facit ad id. capit. *dilectis.* eodem tit. in illis verbis, *cuius effectum ad tempus duximus ſuſpendendum.* Videatur etiã Sayr. lib. 5. capit. 13. num. 27. eſt igitur certiſſima ſupradicta Concluſio, propter tantorum Doctorum auctoritatem, & quia quamuis hoc in iure non ſpecialiter concedatur, nullo tamen iure id fieri prohibetur. Cumque tota interdicti ſententia & effectus prædictæ cenſuræ, pendeat ex voluntate ferentis, liquidum profecto fit, quod ſicut poteſt ſeruando ea, quæ ſunt de iure, interdictum prædictũ ſimpliciter auferre, multo ergo melius id ipſum faciendo, ex cauſa poterit illud ſuſpendere. Sed aduertendum eſt (vt diximus in Concl.) quòd hæc interdicti ſuſpenſio, fieri non poteſt niſi ab eo qui illud tulit, nam inferior in hoc non poteſt, cũ non habeat iuriſdictionem, neque ab illo pẽdeat effectus ſententiæ interdicti, ſeu voluntatis Superioris. Ex quo inferunt Silu. & alij, Epiſcopũ non poſſe ſuſpendere interdictum poſitum à Summo Pontifice, quod inquit ſupradictus Suar. verũ eſſe de interdicto reſeruato, nam ſi ſermo fiat de interdicto abſque reſeruatione, credit poſſe ſuſpendi ab Epiſcopo ex legitima cauſa, ex conceſſione & remiſſione facta illi à iure, ad relaxandum eiuſmodi interdictum, de quo dicemus in ſequenti Articulo. Supradicta omnia intelligenda ſunt, de interdicto generali locali atque perſonali, & etiã de particulari locali. Maior tamẽ eſt difficultas, de interdicto particulari perſonali, & poſito contra aliquam particularem perſonam, ſiue perſonarum genus, quæ & eidem cauſam præſtiterunt, an poſſit ſuſpendi? Et Sylu. vbi ſupra tenet quod non poteſt eiuſmodi interdictum ſuſpendi, niſi per ſolũ ſummum Pontificem, nam ille ſolus (inquit) in hoc diſpenſare poteſt, cum ſit iuris humani. Quinuero addit, quod ſi adhuc duret culpa, pro qua poſitum eſt eiuſmodi interdictum, non poteſt iure ſummus Pontifex in eo diſpẽſare, vt ſuſpendatur, ſaltim quoad celebrationẽ, licet poſſit quoad alia. Sed nihilominus contraria ſententia eſt communior, pro qua ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Tertia Concluſio.

Etiã interdictum particulare & perſonale poteſt ſuſpẽdi ab eo, qui illud tulit.

ETiam interdictum particulare perſonale, ſuſpendi poteſt ab eo qui illud tulit. Hãc Concluſionem, nouiſſime tenet ſupradictus Suar. loco ſupracitato. diſp. 38. ſect. 3. nu. 8. & adducit pro hac ſententia. Nau. in Man. c. 27. num. 165. vbi hoc idẽ dixit de excõmunicatione, quod à fortiori (inquit) tenendum eſt de interdicto, vt expreſſe docet Couarr. loco ſupracitato. Et ratio huius in promptu eſt, nam eadem prorſus videtur eſſe ratio, de interdicto prædicto & de alijs ſupradictis quoad eorum ſuſpenſionem, cum id nullo iure reperiatur prohibitum, & alioquin veluti ex natura rei, effe-

effectus ſententiæ interdicti prædicti, pendeat ex voluntate ferentis. Quare inquit, dictus Suarez nulla ad hoc requiritur iuris diſpenſatio, quæ ſummo Pontifici reſeruata ſit. Videatur etiam hac de re Sayr. lib. 5. cap. 13. num. 28. vbi de hoc agit latiſſime. Aduerto tamen, quod non hic agimus de priuilegio perpetuo celebrandi, aut participandi diuina tẽpore interdicti, quod ſolus ſummus Pontifex concedere poteſt, ſed agimus de ſuſpenſione alicuius effectus interdicti prædicti, qui omnino pendet vt prædictum eſt, à voluntate ferentis. Quo circa inquit, Suar. loco vbi ſupra, non ſolum poteſt interdictum prædictum ſuſpẽdi, poſtquam ipſe interdictus à contumacia receſſit (tunc enim potius eſt auferendum quam ſuſpendendum) verum etiam & ipſa durãte, nam ſæpe ſæpius poſſunt occurrere plures rationabiles cauſæ, ad prædictã ſuſpenſionem faciendam, vt de ſe patet. Nec ſolũ modo poteſt eiuſmodi interdictũ ſuſpendi quoad alios effectus, verum etiam quoad Miſſæ celebrationem, non quod per hoc ſibi concedatur, vt celebret ſine peccato qui alias eſt in peccato, ſed vt ſuſpenſio talis interdicti tantum efficiat, quod nõ celebret per Eccleſiam ſpecialiter interdictus & prohibitus, quo fiet vt licet celebrando peccet, nõ tamen efficiatur irregularis, ſiquidem non celebrat aliqua cenſura Eccleſiaſtica irretitus, neque agit contra aliquam cenſuram Eccleſiaſticam. Quinuero & caſus poterit contingere, vt fortaſſe non peccet, ſi coram Deo ſit ipſe bene diſpoſitus & ab iniquitate receſſerit, quamuis quoad Eccleſiam non potuerit plene ſatisfacere. Hæc omnia ſunt valde notanda, ac multum memoriæ commendanda.

Quarta Concluſio.

Interdictũ ipſo iure ſuſpẽditur, in 4. feſtiuitatibus, poſitis in c. alma Mater.

INterdictum ipſo iure ſuſpenditur, in quatuor feſtiuitatibus, nempe Natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, quibus diebus pulſatis campanis, apertiſque ianuis, alta & ſonora voce, officia diuina poſſunt fieri ſolemniter. Hæc Concluſio habetur expreſſa in ſupradicto cap. *alma Mater, de ſent excomm.* lib. 6. ſed intelligenda eſt de interdicto generali, loci, prout ibidem dicitur, nam particulare non ſuſpenditur, vt tenent omnes Doctores communiter. De quo videndus eſt Nauarr. in Man. cap. 27. num. 173. Couar. in dict. cap. *alma Mater*, 2. part. §. 4. num. 1. & Sayr. lib. 5. capit. 3. num. 1. Sic autem intellecta concluſio, eſt vera & certa, & omnium Doctorum communis reſolutio, quamuis nonnulla ſit differentia inter eos, circa explicandum modum quo ſupradicta debent fieri. Nam Sot. in 4. diſtinc. 22. quæſt. 3. artic. 1. concl. 4. inquit, quod illa quatuor feſta ſolemnia, incipiunt à primis Veſperis, ſed feſtum Paſchatis à Miſſa Vigiliæ, ſaltim ab initio Gloriæ quando pulſantur campanæ, finiuntur tamen in vltimo completorio vltimi diei Paſchatis, ſeu feſti Aſſumptionis. Quæ quidem doctrina non multum placet Suar. nam de his agens, diſput. 34. ſect. 1. num. 37. & diſput. eadem ſect. 1. num. 18. circa eiuſmodi computationem, & quando incipiant aut finiantur ſupradicti dies, & an tres primæ feſtiuitates Paſchales, ſint ſingulæ vnius diei tantum, an vero plurium, longe alia præcedit via, & tenere videtur contra Sotum, quod & facit Sayr. lib. 5. capit. 13. num. 4. ad quam ſuam ſententiam probandam plura adducit, quæ à me iam pluries dictæ breuitatis gratia, conſulto omittuntur, & credo quod ſententia Soti ſit magis probabilis, & quæ communiter obſeruetur in praxi, ſaltim eſt magis pia, cui & aſſentit ſeu aſſentire videtur Nau. in ſuo Man. num. 182. vbi tantummodo excipit octauas prædictorum Feſtorum. Ex quo innuere videtur, quod ſuſpenſio interdicti in ſupradictis tribus Paſchalibus diebus, ſit non per vnicum diem tantum, ſed per tres continuos dies feſtiuos & ſolemnes, qui communiter Paſchales nuncupantur. Hanc ſententiam & opinionem, tenet etiam Viuald. in ſuo candelabro, de interdicto, num. 237. cum ſequentibus. Et addit ſupradictus Nauarr. quod idem omnino intelligendũ eſt de feſto Corporis Chriſti & tota ipſius octaua, per Extrauag. Martin. V. & Eugen. IIII. quæ legiſlent infra octauam eiuſdem feſti, & de die Conceptionis Virginis Mariæ etiam cum ſua octaua per ſpeciale priuilegium ad idem conceſſum, per Sixtum IIII. de quo agit prædictus Nauarr. in repetitione cap. *quando, de conſecrat.* diſt. 1. cap. 10. num. 86. in quibus omnibus diebus fieri poſſunt ſacra & omnia diuina officia, abſque aliqua modificatione, ſed cum magna ſolemnitate, apertiſque ianuis & pulſatis campanis, & alta atque ſonora voce, admiſſis interdictis, excluſis tamen excõmunicatis, ita vt ij, quorum culpa eiuſmodi interdictum poſitum fuit, non accedant ad altare. Et hæc de dicta ſuſpenſione interdicti ſufficiant, reliqua videantur apud Syl. verb. *interdictum*, 5. num. 1. cũ ſequentibus, & apud Nau. Sot. Sua. & Sayr. locis ſuprac.

ARTICVLVS IX.

De relaxatione Interdicti, & à quo Interdictum poßit tolli ſeu relaxari?

SVpoſito quod interdictum nunquã eſt aut eſſe debet perpetuum, quæritur, quiſnam illud poſſit tollere ſiue relaxare? Quæ ad hunc Articulum ſpectant, explicabũtur breuiter per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Si interdictũ ſit poſitũ pro certo & determinato tempore, coelipſo nulla eſt neceſſaria eiuſdẽ abſolutio aut relaxatio.

SI Interdictum ſit poſitum, ſiue latum vt pura pœna, & pro certo finito & determinato tempore (quale eſt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem) tunc nulla eſt neceſſaria eiuſdem abſolutio aut relaxatio, ſed elapſo tempore ipſo facto ceſſat interdictum, eo modo quo ſupradictũ eſt de ſuſpenſione. Hæc Concluſio ſatis manet probata, ex his, quæ ſupra agentes de ſuſpenſione diximus, quæſt. 36. art. 16. & eam tenet expreſſe Sylu. verb. *interdictum*. 3. quæſt. 9. afferens pro ſe Panorm. in cap. *non eſt vobis, de ſponſal.* quod eſt verum, ſiue interdictum fuerit à iure ſiue vero ab homine. Idem etiam intelligendum eſt, de qualibet ſuſpenſione. Et ratio eius in prõptu eſt, quia lex aut

aut ſententia, non operatur plus quam eius verba ſignificent: ex quo fit conſequens, quod ſi verba limitantur ad certum tempus, pro illo tantum durabit interdictum, & non pro aliquo vlteriori, & conſequenter eo elapſo, non erit neceſſaria pro futuro tempore ipſius abſolutio aut relaxatio; nã vbi interdictum non eſt, neque abſolutio neceſſaria erit. Vnde dico, quod eſt diſpar ratio de abſolutione interdicti, ante elapſum tempus pro quo ipſum latum eſt, & de ablatione ipſius poſt tẽpus tranſactum: nam in primo caſu, auferri non poteſt abſque relaxatione poteſtatem habentis, ob contrariam rationem; quia nẽpe pro toto illo tẽpore lex ſiue ſentẽtia lata eſt, ſemperq; ſuum operatur effectum, cum verba ipſa id præferant & ad ipſum ſint efficacia, vtque impediatur eiuſmodi effectus, neceſſaria eſt contraria voluntas poteſtatem habentis, qui eiuſmodi interdictum relaxet; at vero in ſecundo caſu, nihil tale eſt neceſſarium, nam interdicti ſententia, non plus operatur, quam eius verba ſignificent, cũque tempus pro quo interdictum fuit poſitum iam ſit expletum atque tranſactum ſiue elapſum, ipſo facto interdictum ceſſat, abſque eo quod neceſſaria ſit aliqua abſolutio, ſiue relaxatio. Videatur hac de re Sayr. 1. tom. ſui theſauri, lib. 5. cap. 15. num. 2.

Secunda Concluſio.

*Quando interdictum nõ eſt poſitũ pro certo & determinato tẽpore, ſed indiffinite abſque vlla adiecta conditione, quæ pendeat ex voluntate eius qui interdicitur, & eſt pure pœna pro aliquo ptæterito delicto, & abſque tẽporis limitatione, tunc eiuſmodi interdictum auferri non poteſt, niſi per relaxationem Superioris poteſtatem habentis. Hæc Concluſio eſt certa & manifeſta, & probatur hac efficaci ratione. Nam eſi interdictum indicto caſu ſit pura pœna, & non ſit limitata ad certum tempus; liquido conſtat quod de ſe eſt indiffinita, ſeu perpetua negatiue, hoc eſt quod de ſe non habet certum tempus, & conſequenter tolli aut finiri non poteſt, niſi ex voluntate Superioris, in id poteſtatem habentis. Innoluit enim eiuſmodi interdicti ſentẽtia prædicto modo poſita, hanc conditionem, *Donec auferatur vel vſque ad beneplacitum ferentis*, eo modo & forma, quo ſupra de ſuſpenſionis ſimili ſententia eſt dictum. Circa hanc concluſionem & præteritam videatur Suar. diſp. 38. quæ eſt de relaxatione interdicti, ſect. 1. n. 2. & 3. & Sayr. vbi ſupra, num. 3. cum ſequentibus, vbi plura ad hoc propoſitum valde notanda licebit reperire. Maior difficultas eſt de interdicto quando ponitur ſeu fertur, vt recedatur ab aliqua contumacia, vel ſub hac conditione, tacita ſeu expreſſa, *donec quis ſatisfaciat, vel reſtituat*, an tunc neceſſaria ſit abſolutio ſeu interdicti relaxatio? Multi enim dicunt non eſſe neceſſariam in dicto caſu, quia inquiũt, ſi conditio nõ eſt adimpleta, interdictum nullatenus eſt tollendum, imo vero nec relaxari poteſt cum duret contumacia, niſi forte per abſolutam voluntatem eius, qui poſſit reuocare ſententiam, ſeu in lege diſpenſare. Si autem conditio eſt adimpleta, dicunt quod nec ſic neceſſaria eſt abſolutio, vel interdicti relaxatio, nã ipſo facto interdictum ceſſat, cum ille terminus ſit poſitus in illa lege & ſententia, vltra quem non operatur, quandocumque lex ſibi præſcribit certam temporis durationem; nam perinde videtur eſſe limitare durationem cenſuræ per expreſſum temporis terminum, & per quamcumque aliam æquivalentem conditionem. Hac de re eſt magna lis & controuerſia inter doctores, de qua videndus eſt ſupradictus Suar. dicta diſput. 38. ſect. 1. n. 4. cũ ſequẽtibus vbi ipſe incõtrariã omnino inclinat ſententiam, quæ & mihi magis placet, pro qua fit tertia Concluſio.*

Quando interdictum nõ eſt poſitũ pro certo & determinato tẽpore, ſed indiffinite eſtq; pure pœna, pro aliquo cõmiſſo delicto, neceſſaria eſt relaxatio Superioris.

Difficultas.

Tertia Concluſio.

In omni cẽſura ſiue ſententia interdicti, poſiti ob cõtumaciã, neceſſaria eſt relaxatio, facta ab auctoritate habente.

IN omni cenſura ſiue ſententia interdicti, quæ fertur ob contumaciam vel quouſque recedatur à contumacia, ſeu hoc aut illud fiat, ſublata etiam contumacia, neceſſaria eſt interdicti abſolutio ſiue relaxatio, facta ab eo qui poteſtatem & iuriſdictionem habet. Hanc Concluſionem tenet expreſſe ſupradictus Suarez loco ſupracitato, & eſt conformis ad ea quæ dicta ſunt ſupra de excommunicatione & ſuſpenſione, probatq; illam multis & iuribus & rationibus, inter quas ea mihi videtur potiſſima, quam adducit à paritate rationis, de ſupradicta excommunicatione. Excommunicatio enim, vt plurimum fertur ob contumaciam & donec ab illa recedatur, ſiue hæc conditio expreſſe ibidem exprimatur ſiue non. & nihilominus ipſa impleta conditione, ſequitur eiuſdem excommunicationis abſolutio, vt conſtat ex cap. *cum deſideres*, & cap. *à nobis*, el 2. cap. *quod in dubijs*, *de ſent. excommunic.* ergo idem dicendum eſt de cenſura interdicti, cum eadem ſit vtriuſque ratio & in his in quibus non apparet manifeſtum diſcrimen, ſolent in iure dictæ cenſuræ æquiparari, per capit. *it cui*, cum ſimilibus, *de ſenten. excommunicat.* lib. 6. Hoc itaque eſt tenendum. Solum ſupereſt ſcire & inueſtigare, quibuſnam competat huiuſmodi interdictum relaxare, ſeu ab eo abſoluere? de quo fit quarta Concluſio.

Quarta Concluſio.

Interdictũ latum ab homine, ab eo ſolũ modo relaxari poteſt, ſeu à Superiore.

SI interdictum per particularem ſententiam, latũ eſt ab homine, ſolus ille qui eã tulit vel eiuſdem ſuperior, poteſt ipſum relaxare, ſeu auferre, vel aliquis alius ex ipſius commiſſione. Hæc cõcluſio eſt communis omnium Doctorũ reſolutio, de qua videndus eſt Sylueſt. verb. *interdictum*. 3. num. 16. & Sot. in 4. d. 22. q. 3. art. 1. concl. 3. & Sua. diſp. 38. ſect. 2. num. 2. cum ſequentibus, tenentq; id communiter omnes iuris interpretes, in cap. *ſi ſententia*, cap. *ſi ciuitas*, *de ſent. excommun.* lib. 6. Videatur hac de re Sayr. vbi ſupra, nu. 19. vbi inquit. quod quamuis interdictum hominis tolli poſſit ab ipſius Superiore, non tamen id fieri debet, niſi præuia ſatisfactione & de conſenſu eius qui illud tulit, per cap *cum ab Eccleſiarum*, *de offic. Ordin.* quod & tenet Archidiaconus, in cap. *ſi ciuitas*, *de ſent. excommunic.* libr. 6. verſu, in gloſſ. 1. & Sylueſt. verb. *interdict.* 3. n. 16. q. 10. Pro quo etiam videndus eſt D. Anton. 3. part. tit. 27. de interdicto. cap. 5. poſt medium, & Sot. in 4. ſent. 22. quæſt. 3. ar. 1. con. 3.

Nota hoc valde.

verſic atque illud. Et addit ſupradictus Sayr. quod neque Archiepiſcopus, relaxare valet interdictum, latum à ſuis ſuffraganeis, niſi vbi hoc illi ex præſcripta conſuetudine competit, per c. *Romana. de ſent. excom.* lib. 6. facit & cap. *venerabilibus.* eod. tit. & lib, *iunctagloſſ.* ibidem, quam & eſſe dicit cõmunem Doctorum ſententiam, pro qua citat ſupradictum Sylueſt. loco ſuperius allegato, quæſt. 11, num, 17. quod eſt valde notandum atque memoriæ commendandum. Sed difficultas eſt, de interdicto lato à iure. De qua vt diſtincte procedamus diſtinguendum eſt, nam aut fertur in pœnam tantum alicuius commiſſi delicti, aut vero fertur ob contumaciam, & in primo ſenſu adhuc ſubdiſtinguendum eſt, nam vel fertur ad certum & determinatum tempus, aut vero indefinite & ſine vlla temporis limitatione. Et iterum, vel loquendum eſt de prædicto certo & determinato tempore elapſo, aut vero antequam finiatur, de quibus omnibus ſumma breuitate agẽdum eſt per ordinem, in ſequentibus concluſionibus. Sit quinta Concl.

Quinta Concluſio.

Si interdictũ latum ſit à iure pro certo & determinato tempore, eo elapſo per ſe finitur abſque eo, quod neceſſaria ſit aliqua relaxatio.

SI interdictum latum ſit à iure, procerto atque determinato tempore, & in pœnam alicuius commiſſi delicti, ipſo elapſo tẽpore per ſe finitur, abſque eo quod neceſſaria ſit aliqua Superioris diſpenſatio aut relaxatio. Hæc concluſio iam ſatis manet probata in 1. concl. nam quæ ibi dicta ſunt, intelligenda eſſe diximus de quolibet interdicto, ſiue lato à iure ſiue vero ab homine, de quo nihil nunc vlterius ſeſe offert dicendum. Sed quid eſt ſentiendum, ſi prædictum interdictum ſit tollendum ante elapſum prædictum tempus, quiſnam ſuper eo poterit diſpẽſare ſeu illud relaxare? Reſpondeo & ſit ſexta concluſio.

Sexta Concluſio.

Quando interdictum latum eſt à iure, & tollendum ante elapſum tempus, non poteſt tolli niſi à legiſlatore, vel Superiore.

SI interdictum poſitum à iure, ſit tollendum ante elapſum prædefinitum atque determinatũ tempus, nullatenus tolli poteſt niſi à legiſlatore vel eius Superiore, ſeu ab eo qui poteſtatem habet diſpenſandi in tali lege. Hanc Concluſionem tenet expreſſe Sylu. verb. *Interdictum*, 3. q. 10. num. 16. vbi & probat eam ex his quæ notat gloſſa, in c. *cupientes*, §. *cæterum*, verb. *ſuſpenſos, de elect.* lib. 6. Eandem tenet Suar. 5. tom. in 3. part. D. Tho. diſ. 38, ſe. 2. nu. 2. qui probat eam à ſimili, ex his quæ ſupra dicta ſunt de ſuſpenſione, cũ Nauurr. & alijs quos ipſa refert. cap. 27. num. 161. Idem tenet Sayr. ſupra dictus, loco vbi ſupra. nu. 14. in fine, eſtq; huius rei eademmet ratio, quæ adducta eſt ſupra agendo de ſuſpenſione, ſiquidem vtraque cenſura fertur in pœnam & pro certo & determinato tempore, quo fit vt ante ipſum elapſum tolli non poſſit, niſi per conditorem Canonis qui ipſas tulit, aut ipſius Superiorem potentem diſpenſare in tali lege.

Sed quid ſi eiuſmodi interdictum, non eſt poſitũ pro aliquo certo & determinato tempore, ſed indiffinite & abſolute in puram pœnam pro aliquo commiſſo delicto, præſuppoſito quod auferri non poteſt aut tolli, niſi per relaxationem ſeu diſpenſationem Superioris, in id poteſtatem habentis, quiſnam eſt ſuperior qui facere id poteſt? Reſpondetur per ſequentem Concluſionem, quæ erit ſeptima in ordine.

Septima Concluſio.

Interdictum poſitum in puram pœnã, & nulli reſeruatum, tolli poteſt per Epiſcopum & Ordinarium.

SI interdictum prædicto modo poſitum ſit à iure indiffinite, & abſque vlla reſeruatione, tolli & relaxari poterit per Epiſcopum ſeu Ordinarium, eo modo quo ſupradictum eſt de ſuſpenſione. Pro hac Concluſione videantur quæ dicta ſunt ſupra, q. 36. ar. 16. con. 5. agendo de ſuſpẽſione, & præterea videatur Sylueſt. loco ſupracitato, ver. *interdictum.* quæſt. 10. num 16. vbi ſequentia verba habentur: Si interdictum ſit à iure, & conditor Canonis nihil ſibi reſeruauit, tunc Epiſcopus ordinarius poterit illud relaxare, niſi eſſet latum ad certum tempus, tunc enim ante illud expletum non poſſet. Et addit quod poterit hoc ipſum ſimiliter Legatus Sedis Apoſtolicæ, argum. deducto ex cap. *nuper, de ſent. excommun.* imo & quilibet Ordinarius Prælatus etiam Epiſcopo inferior, quantum ad perſonas ſuæ iuriſdictionis, licet non quoad locum, argumento eorum quæ dicit ſupradictus Sylu. de abſolutione excommunicationis, verb. *abſolutio*, 2. §. 1. maxime vbi haberi non poſſet copia Superioris abſoluentis, argumento etiam eorum, quæ dicit idem ipſe, verb. *diſpenſatio*, §. 9. Tandem ſupradictã concluſionem tenet Sayr. loco ſupracitato, num. 14. & eam probat ex multis Doctorum auctoritatibus & iuribus, ſed maxime, ex dict. cap. *nuper, de ſententia excommunicationis*, vbi habetur, quod hoc ipſo quod conditor Iuris ſiue Canonis ſibi ſententiã nõ reſeruat eã alijs relinquit, ſeu relinquere videtur. Videatur etiã hac de re Sot. d. 22. q. 3. a. 1. concluſ. 3. verſic. quinuero, vbi inquit, quod quãtũ eſt ex tenore iuris interdicta omnia iure poſita, ceſſante cauſa & facta ſatisfactione videntur, per Ordinarium poſſe tolli, quoniam interdicta à iure non reſeruantur Papæ, ſic excõmunicationes: ſi autem (inquit) alicubi interdictum reſeruetur, ſtandum erit verbis iuris, quia tũc niſi per eum cui reſeruatur aut per eum cui ipſe mandauerit, relaxari non poterit, vt colligitur, ex dict. cap. *nuper de ſentent. excommun.* Addit etiam ſupradictus Soto, quod eadem manente cauſa aut non facta ſatisfactione, non poteſt interdictum iuris tolli aut ſuſpendi, niſi per ſolum ſummum Pontificẽ. Sed quid dicendum eſt de interdicto poſito ob contumaciã? Huic difficultati etiam reſpondere oportet cum diſtinctione, nam vel ponitur cum reſeruatione, vel ſine illa: de primo ſit octaua Concluſio.

Octaua Concluſio.

Interdictũ poſitum ob contumaciam cũ reſeruatione, tolli non poteſt niſi ab eo qui illud ſibi reſeruauit.

INterdictum poſitum ob contumaciam, cum reſeruatione, tolli aut relaxari non poteſt, niſi ab eo qui illud ſibi reſeruauit. Hanc Concluſionem tenet Suar. diſp. 38. ſect. 2. num. 4. & diſp. 7. ſect. 3. num. 1. cum ſequentibus, & ſect. 5. per totam, agẽdo de cẽſuris in communi. Et præſupponit prædicta Concluſio, ferri poſſe interdictum ob contumaciam cum reſeruatione, quod negare viſus eſt Sot. ſupracitatus, d. 22. q. 3. art. 1. conc. 3. in fine, dicens

tens, quod interdicta iure non reſeruantur, Papæ, ſicut excommunicationes. Sed contrarium omnino tenet Suar. loco ſupracitato, allegans ſe ipſum in diſp. 27. ſect. 1. & 2. vbi agit de interdictis à iure communi poſitis, quorũ aliqua videtur eſſe reſeruata, & inquit, quod ſaltem interdictum poſitum in Bulla Cœnæ Domini reſeruatũ eſt, & quod negari non poteſt, quod interdicta fieri poſſunt à iure cum reſeruatione, eo modo quo & ab homine. Quo ſuppoſito tanquam certo, inquit, quod huiuſmodi interdictum, tolli non poteſt niſi ab eo qui illud ſibi reſeruauit, quod probat ex capit. *nuper. de ſententia excommunicationis*, nam ex quo ibidem habetur, quod quando lator Canonis aliquam cenſuram non ſibi reſeruat, eo ipſo videtur eam alijs concedere, à contrario ſenſu, colligitur exinde, quod per reſeruationem tollit facultatem ab ea abſoluendi. Videatur Suar. vbi ſupra. Sed aduerto quod Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione, facultatem concedit Epiſcopis, abſoluendi à prædictis interdictis ſummo Pontifici reſeruatis, ſi caſus ſit occultus, nam quãuis in priori parte illius textus, quæ eſt de diſpenſatione, ſolummodo fiat ſermo de irregularitate & ſuſpenſione, & ideo illa non extendatur ad interdictum, quia non eſt cenſura, neque abſolutione tollitur ſed diſpenſatione, etſi in puram pœnam & pro certo tempore ſit alicui perſonæ impoſitum, nihilominus tamen in poſteriori parte, quæ eſt de abſolutione, ſit ſermo abſolutus de omnibus caſibus reſeruatis, vbi etiã comprehenditur prædicta interdicti cenſura, quod expreſſe tenet Suar. loco ſupracitato, diſt. 38. ſect. 2. num. 4. in fine, & Sayr. 1. tom. lib. 5. cap. 15. num. 16. allegando in id Enriq. lib. 13. de excommunicatione & interd. c. 51. §. 3. Sed loquendo de interdicto prædicto poſito ob contumaciam & ſine reſeruatione, ſit nona concluſio.

Nona Concluſio.

Interdictum poſitum ob cõtumatiam & ſine reſeruatione, per Epiſcopũ vel Prælatum Ordinarium tolli poteſt.

INterdictum ob contumaciam poſitum & ſine reſeruatione, abſolui poteſt per epiſcopum ſiue Prælatum Ordinarium loci. Hæc concluſio vt credo eſt communis, & intelligenda eſt tam de interdicto locali, quam de perſonali, generali ſiue particulari, etiamſi iure Pontificio ſit latum, dummodo non ſit reſeruatum, vt dictum eſt. De qua concluſione videatur Suarez diſp. 38. ſect. 2. num. 5. cũ ſequentibus, qui & probat eam ex regula tradita, indicto cap. *nuper, de ſent. excommun.* vbi ſicut prædictum eſt, habetur, quod illud quod legiſlator non ſibi reſeruauit, videtur perinde alijs iudicibus ordinarijs concedere. Videatur prædictus Suarez vbi ſupra, vbi etiam quærit, an prædictum interdictum quando fuerit perſonale ſpeciale, & vt prædictum eſt, poſitum ſine reſeruatione, auferri poſſit à quolibet proprio Sacerdote, ſiue ordinario Confeſſore, qui abſoluere poteſt à peccatis mortalibus, eo modo quo fit in excommunicatione, per ſupradictum cap. *nuper, de ſentent. excommun.* vbi abſolutio excommunicationis non reſeruatæ, cenſetur conceſſa non ſolum proprio Epiſcopo, verum etiam proprio Sacerdoti, quod idem eſſe dicendũ videtur de abſolutione interdicti perſonalis ſpecialis, ſiue particularis, nam hæ duæ cenſuræ, quoad hoc, videntur æquiparari, iuxta Gloſſam, in cap. *præſenti, verb. perſonaliter de ſent. excomm.* lib. 6. Et difficultatem hinc inde diſcuſſa, argumentisq; pro vtraque parte propoſitis, inclinari videtur in hãc partem, quod prædicta interdicti cenſura, abſolui poteſt ab eodem Sacerdote, ordinarioq; Confeſſore, à quo & auferri poteſt excommunicatio iuris non reſeruata, dummodo ſit latum propter contumaciam. Contrariã tamen ſententiam tenet Sayr. ſupradictus loco ſupracitato, num. 22. allegando pro ſe Enriquez, lib. 13. de excommun. & interd. cap. 31. §. 3. & vterque pro ſua parte ſatis probabiles adducit rationes. Qua quidem in re inter auctores adeo graues, nolo ipſe in præſentiarum iudicem agere, ſed quamlibet harum opinionum in ſua cuiuſq; probabilitate relinquo. Solũmodo aduerto, quod in omni caſu neceſſum eſt in prædicta abſolutione, vt tollatur prius omnino interdicti cauſa, ſufficienſq; ſatisfactio fiat, aut cautio detur, eo modo quo ſupradictum eſt de excõmunicatione, id quod aduertit Suar. loco ſuprac. n. 9. & Sayr. loco etiam ſupracitato, num. 26.

Decima Concluſio.

Ad tollendũ interdictum, nulla ſunt in iure determinata verba.

AD tollendum interdictum ſupradictum, nulla ſunt in iure determinata verba, neque ipſius relaxationis ſeu abſolutionis aliqua ſubſtantialis forma, ſed ſufficiunt ad tollendum ipſum illa, quæ voluntatem explicent Superioris, ſeu in id auctoritatem & poteſtatem habentis. Hæc concluſio eſt certa omniumque Doctorum communis. Circa quam nihil de nouo occurrit dicendum, præter ea quæ diximus ſupra, quæſt. 36. art. 16. concl. 8. agendo de ſuſpenſione. Videatur hac de re Sylueſt. ver. *interdictum*, 3. quæſt. 9. in 1. dicto, & Sayr. lib. 5. cap. 15. num. 5. & Suar. diſput. 38. ſect. 3. à num 1. cum ſequentibus, vbi & quærit: Vtrum in interdicto prædicto, locum habeat relaxatio ſeu abſolutio ad cautelam eo modo, quo in excommunicatione? à qua ego diſputatione conſulto ſuperſedeo breuitati ſtudens, videatur ibidem, & Sayrus, 1. tom. lib. 4. capit. 17. num. 36. vbi hoc ipſum quærit de abſolutione à ſuſpenſione, facta ad cautelam, quibus in locis reperire licebit omnia, quæ ab propoſitum poſſunt deſiderari.

ARTICVLVS XII.

Vtrum per Concilium Tridentinum, reuocata ſint Regularium priuilegia, circa ſuſpenſionem Interdictorũ, in certis quibuſdam diebus, ſiue caſibus?

Opinio Nau. circa Regularium priuilegia, ad ſuſpendẽdum in interdictum.

RO huius Articuli intelligentia oportet præmittere, quod Na. in ſuo Man. latino, cap. 27. n. 189. in fine, agens de ſupradictis Regularium ſiue Religioſorum priuilegijs, circa interdictorum ſuſpenſionẽ, inquit ea eſſe reuocata per Concilium Trident. ſeſſ. 25. capit. 12. in illis verbis, *cenſura & interdicta, nec*

dum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur atque seruentur. Quibus (inquit) verbis reducere videtur supradicta priuilegia ad iura communia antiqua, quibus hoc ipsum erat præceptum, vt constat ex Clement. 1. *de sentent. excomm.* & Clement. *cum ex eo*, eodem tit. vbi & apponitur excommunicationis sententia ipso facto incurrenda contrarium facientibus, & maxime nobis Fratribus Minoribus per dicta Clemen. *cum ex eo*. Quapropter (inquit) curandum est, vt summus Pontifex facultatem faciat, suspendendi interdicta in diebus Sanctorum proprij cuiusque Ordinis, expedireque dicit vt id fiat in prædictis diebus tantum, non autem in eorum octauis. vt non nimis eneruetur neruus Ecclesiasticæ disciplinæ seu censurarũ Ecclesiasticarũ, & hoc etiam cum addito, vt eandem facultatem faciat etiã Parrochis, quoad dies Sanctorum suarum Ecclesiarum & Patronorũ, vt inter omnes seruetur æqualitas atque cõcordia, qua teste D. Hie. post. Sallust. seruata, etiam paruæ res crescunt, vt & discordia maximæ dilabuntur. Verba sunt expressa supradicti Nau. quæ quamuis veræ pietatis specimẽ habeant, & aliqualem apparentiam præseferant, secundum tamẽ multos & grauissimos Auctores ab omni prorsus sunt veritate aliena. Pro quorum resolutione, sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

Regularium priuilegia, circa interdictorũ suspẽsionem, nullatenus sunt per Concil. Trid. reuocata.

REgularium priuilegia, per supradictum Concilium Tridentinum, quoad interdictorum suspensionem, nullatenus sunt annullata & reuocata. Hanc conclusionem tenet expresse doctissimus Pater Bartholomæus de Medina Dominicanus in inclyta Salmanticensi Academia olim sacræ Theologiæ primarius, in sua summa siue institutione Confessorum, c. 10. §. 13. d. 2. vbi asseueranter dicit, quod Regulares vti possunt supradictis suis priuilegijs, suspendereq; interdicta in festis Sanctorum sui Ordinis, non obstante prædicto Conc. Tridentini decreto, nam id (inquit) non est non obseruare decretum prædictum, sed vti & frui eo nõ obstante priuilegijs sibi concessis, obseruando ipsa interdicta. Cuius quidem rei dicit quod quã maximum est indicium, post quã finitis supradictis festiuis diebus, statim iterum interdictũ apponitur, quo facto euidenter ostenditur, suspensionem prædictam factam fuisse, non ex eo quod interdicta nõ seruentur, sed propter speciale priuilegium & ex particulari dispensatione. Quod quidẽ inquit, Cõcilium nequaquam prohibet, vt enim ex supradictis verbis apparet, tantũ præcipit quod censuræ & interdicta, à Regularibus in eorũ Ecclesijs publicentur atque seruentur. Qua quidem ratione dicit supradictus Medina, quod per prædicta verba illa tantum priuilegia reuocantur, quæ in certis quibusdam Religionibus habebantur olim, vt eorum alumni & professores, nullatenus astringerentur ad seruandum aliquod interdictum. Cũ igitur à regularibus interdicta seruentur regulariter, nõ contrauenitur decreto supradicto, si per aliquod speciale priuilegium, in certis quibusdam casibus & diebus suspendãtur ad tempus, neque per prædicta verba, vllo modo reuocata sunt aut reuocari censentur supradicta priuilegia. Hanc Conclusionem tenet Emman. Rodericus in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 1. dub. 3. & in additione ad ipsam, eod. §. 5. num. 34. cum sequentibus, & 2. tom. qq. Regularium, q. 112. art. 2. & Enriq. lib. 13 de excommunicat. & interd. cap. 48. §. 1. & Sayr. lib. 5. cap. 13. num. 24. Fauet etiam huic sententiæ & opinioni Motus quidam proprius Pij. V. qui incipit, *Etsi Mendicantium*, datus anno Domini 1567. 17. Kalend. Iulij, Pontificatus sui anno 2. quo statuit & declarauit supradictum decretum Con. Triden., sess. 25. c. 12, locum non habere, nec debere intelligi, tempore celebrationis alicuius ex festis Sanctorum Ordinum Fratrum Mendicantium, siue alias in alijs festiuitatibus, iuxta eorumdem Ordinum Apostolica priuilegia. Nam etiamsi in eisdem diebus, interdictum aliquod Apostolica auctoritate seu locorũ Ordinariorũ ordinarie emanauerit, illud in præfatis festiuitatibus & eorum octauis suspendi voluit. Quem quidem Motum proprium, etsi postea Gregor. XIII. alio simili exhibito, anno Domini 1572. Kalend. Martij, Pontificatus sui anno 1. qui incipit, *In tanta rerum & negotiorum mole*, secundum aliquos in totum reuocauerit, re tamen vera ac penitus introspecta non ita esse videtur, nam certe non ipsum reuocauit, sed solummodo ibidem contenta, ad terminos Iuris cõmunis & prædicti Concil. Tridentin. reduxit. Eaque tantum reuocauit, quæ eiusdem decretis fuissent contraria, non tamen illa quæ fuissent præter Concilium ipsum, & per aliquod speciale priuilegium supradictis Regularibus, Fratribusque Mendicantibus concessa, vt constare poterit cuilibet dictum Motum proprium intuenti. Quod quidem nõ recte calluit aut considerauit supra d. Nau. eam que ob causam, cum prius in prædicto suo Manu. Hispano sermone conscripto dixisset, iuxta præfatam concessionem Pij V. quod Fratres Mendicãtes in festis suorum Ordinum & eorum octauis, suspendere poterant interdicta, in alio postea quẽ edidit latinum loco supracitato, existimans prædictam Pij V. concessionem fuisse reuocatã per Gre. XIII. prædictum, Fratrũq; Mẽdicãtium priuilegia, non solum esse præter, verum etiam contra Conc. & aduersari supradicti Concilij decretis, omnino sententiam mutauit, eosque asseruit (vt diximus) indigere noua cõcessione & dispẽsatione, vt in prædictis diebus festiuis suorum Ordinum, suspendere possint interdicta. Sed reuera non ita esse videtur, nec vllo modo opus est prædicta noua concessione siue dispensatione, vt tenent Auctores supradicti. Pro quo etiam facit executoriale quoddam quod hac de re extractum fuit in Hispania à Regali Cõsilio, anno Domini 1576. cum Toleti magnũ fuisset subortum dissidium, inter Religiosos Illustrissimi Conuentus S. Petri Martyris Prædicatorum Ordinis cæteroq; eiusdẽ ciuitatis Ecclesiasticos, circa obseruantiã interdicti cuiusdam, volentibus supradicti Conuentus Fratribus, solẽniter celebrare quoddã festum sui Ordinis, illis vero mordicus contra affirmãtibus ipsos nullo id iure facere posse, & nullũ in id habere priuilegiũ, sed tandem cũ causa ad Regale Consiliũ esset delata, prædict Fra-

Quænam priuilegia reuocantur per Cõcil. Trid. circa interdictum.

Nota hoc val. de.

Fratres hac in re ſententiam in ſuum fauorem obtinerũt quæ pro hac difficultate fuit (vt dixi) qua ſi executoriale quoddam, maximumque & euidentiſſimum argumentum, iuxta tantorum virorum atque ſenatorum placitum, quod prædicta priuilegia non ſunt reuocata per Conc. Trident. nec per Gregor. XIII. quantum ad hoc vt in diebus prædictis, ſuſpendi non poſſit interdictum. Concludendo igitur dico, quod perdictum Decretum & motum proprium Gregor. XIII. illa duntaxat ſunt priuilegia reuocata, quæ à quibuſdam Religioſis habebantur olim, vt non ipſi tenerẽtur vnquã aliquod obſeruare interdictum. Qualia ſunt illa quæ ferũtur in Compẽdio priuilegiorum Mendicantium, verb. *interdictum.* 1. §. 26. quæ ex conceſſione Anaſtaſij IIII. Alex. III. & Alex. etiam IIII. & Vrban. III. Clem. etiam III. & IIII. habeant Fratres S. Ioãnis Hoſpitalis Hieroſolymitani, quæ poſtea Greg. IX. innouauit, vt habetur in eodem Compend. loco ſupracitato, num 27. quibus etiam ſimile priuilegium habebãt Fratres Minimi, ex conceſſione Leonis X. quod habetur vbi ſupra, §. 22. Sed vt dixi hæc omnia priuilegia, iam ſunt reuocata per ſupradictum decretum Concil. Trident. Tandem in noſtris conſtitutionibus generalibus Toletanis, cap. 2. de officio diuino, §. de interdict. & feſtis, declaratur, *quod poſſumus nos Minores Fratres, vti ſupradictis priuilegijs, tempore generalis interdicti*, quod quidem haud quaquam credendum eſt, quod tanti noſtri ſacri Ordinis Patres dixiſſent, niſi procerto compertiſſimum habuiſſent, priuilegia prædicta per Concilium ſupradictum nullatenus eſſe reuocata. Hic dicendum reſtabat, quænam ſint eiuſmodi priuilegia, & qualiter nos habere debeamus tempore interdicti ſupradicti? ſed quia vt plurimum ipſa loquuntur de interdicto, & ſimul de ceſſatione à diuinis, in ſequenti quæſtione quæ erit de prædicta ceſſatione à diuinis, tanquam congruentiori loco id dicendum reſeruatur.

Notabot val de.

QVAESTIO XXXVIII.

De Ceſſatione á diuinis, & his, quæ ad huiuſce rei tractationem ſpectant in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſit Ceſſatio à diuinis?

NTer ſpirituales penas aliaque iuris remedia, quibus Eccleſia Catholica vti ſolet, ad corrigendos & corripiendos inobedientes & contumaces vna eſt quæ communiter nuncupatur ceſſatio à diuinis, de qua agunt DD. iurisperiti, in cap. *dilectis filijs, de appellat.* & in cap *irrefragabili. §. cæterum, de offic. Ordin.* & in cap. *ſi Canonici* cap *quamuis* eodem tit. lib. 6. & in Clement. 1. *de ſent. excomm.* Theologi vero cum Magiſtro, in quarto ſententiarum d. 22. Syl. vero verb. *ceſſatio*, Soto in ſupradict. 4. ſenten. diſt. 22. quæſt. 3. art. 2. Nauarr. in Man. cap. 27. num. 188. de qua quæritur in præſentiarum quidam ſit? Eſtque prædicta pœna adeo ſimilis interdicto, vt non defuerint multi viri alioquin docti & in hiſce rerebus multum exercitati, qui exiſtimarint ceſſationem à diuinis prædictam, idem eſſe omnino atque interdictum antiquum ſtrictiſſimum, quod poni conſueuit olim, in quo ſolummodo expreſſum eſt in iure, licuiſſe ea conferre ſacramenta, quæ neceſſaria erant ſimpliciter ſeu in articulo mortis, qualia ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia collata per modum viatici, vt colligitur ex cap. *non eſt vobis, de ſponſalibus* & cap. *quod in te. de pœnit. & remiſ.* & capit. *permittimus de ſentent. excommunic.* Extra quem mortis articulum, in prædicto interdicto ſtrictiſſimo, prohibum erat adultis etiam ſacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ, niſi vrgente præcepto diuino, vt refert Enriq. lib. 13. de excomm. & interdicto c. 45. §. 1. & Sayr. 1. t. lib. 5. cap. 16. n. 1. Sed reuera non eſt ita, vt amplius infra dicemus, quinuero ſupradicta pœna, ſeu vt a alijs placet cenſura ceſſationis à diuinis, in multis differt ab interdicto prædicto etiam ſtrictiſſimo. Vt autem ſciri poſſit quid ea ſit, propoſitoq; articulo ſatisfiat, ſequens ſtatuitur concluſio.

Aliquorũ DD. placitũ, circa ceſſationem á diuinis.

Concluſio.

CEſſatio à diuinis, vt nomen ipſum ſonat, nihil eſt aliud quam quædam deſiſtẽtia à diuinis officijs & ab adminiſtratione ſacramentorum Eccleſiaſticorum. Hanc ceſſationis à diuinis diffinitionẽ tradit Nau. vbi ſup. dicitq; eã eſſe Innocẽtij, & cõmunem in præallegato c. *dilectis, de app.* & c. *irrefragabili, de off. ord.* Sed Soto in 4. d. 22. q. 3. ar. 2. vocat eam ſuſpenſionẽ organorum & Miniſtrorum Eccleſiæ ſilentium. Quæ quidem diffinitio ſeu potius deſcriptio deſumpta eſt ex Pan. in d. c. *dilectis filijs de app.* n. 18. & Syl. verb. *interdictum*, 1. q. 1. in fin. & Cou. in c. *alma Mater*, p. 2. §. 2. n. 1. *de ſent. excom.* Redditq; Soto rationem ſui dicti, & inquit quod deſumitur prædicta deſcriptio. ex illo Pſal. 136. *in Salicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra*, & fit per alluſionem ad id quod veri Iſraelitæ eo tẽpore fecerunt, vt enim inquit Scriptura, Iſraeliticus populus olim in Babyloniã captiuus adductus, organa quibus in templo tangebat atque canebat, veroque Deo ſuo ſacrificabat, in Salicibus ſuſpendit petentibusque Babylonijs, vt facerent quæ alioquin in tẽplo facere cõſueuerant, reſponderũt, *quomodo cantabimus canticum Domini in terra alienâ* ita etiam inquit Sot. & Eccleſia præ mœrore

Ceſſatio à diuinis, eſt deſiſtentia a diuinis officijs & ab adminiſtratione Eccleſiaſticorũ Sacramentorũ.

Alia diffinitio ſeu deſcriptio ceſſationis á diuinis.

& anguſtia quam patitur ex inobedientia atque contumacia interdum filiorum ſuorum à diuinis ceſſat, organaq; ſua & antiqua lætitiæ ſigna ſuſpẽdit, hoc veluti typo volens oſtendere, maximam ſuam afflictionem & mœrorem, quod facit nõ permittẽdo in Eccleſijs fieri & celebrari diuina, nec miniſtrari ſacramenta aut offerri ſacrificia. Sed tamen quamuis prædicta Ceſſationis deſcriptio, ipſiuſque alluſio optima ſit, congruentior nihilominus & frequentior eſt definitio adducta à ſupradicto Nauarr. quam & tradit Enriquez lib. 13. de ex comm. & interdicto cap. 52. §. 1. & nouiſſime Pater Fr. Petrus de Ledeſma Dominicanus 2. p. 4. q. 26. art. 2. poſt tractatum de interdicto, Sed Suar. 5. tom. in 3. part. D. Thom. diſput. 28. ſect. 1. aduertit prædictam diffinitionem ceſſationis à diuinis, non eſſe traditam per cauſam, ſed deſumptam ab effectu, nam re vera illa organorum ſuſpenſio ſeu deſiſtentia à diuinis officijs, non eſt ipſa ceſſatio formaliter, ſed veluti effectus prœnæ ſupradictæ, ea vero formaliter conſiſtit, in quodam Eccleſiaſtico vinculo, quo Miniſtri Eccleſiæ adſtringuntur & obligantur, ad ceſſandum à diuinis, quam eſſe dicit propriam & genuinam prædictæ pœnæ ſiue cenſuræ definitionẽ, quod latiſſime proſequitur in tota prædicta ſect. ſed maxime nu. 14. in fine, & Sayrus 1. to. lib. 5. cap. 17. num. 1. & 2.

Explicatur prædicta diffinitio ſiue deſcriptio ceſſat. à diuinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſupradicta ceſſatio à diuinis ſit licita?

LIcet quidem prima facie videri poteſt quod non: nã diuina officia & miſſam potiſſimum celebrari eſt de iure diuino, vt tenet omnis Theolorũ ſchola communiter, eſt enim Miſſa proprium fidelium Chriſtianorum ſacrificium: ſed per nullum ius humanum poteſt derogari ius diuinum: ergo ſupradicta ceſſatio à diuinis, propter nullam cauſam ſiue rationem eſt licita. Argumentum quidem eſt ſatis apparés. Sed in contrarium eſt veritas, pro qua ſit concluſio.

Concluſio.

Ceſſatio á diuinis licita eſt & vna ex præcipuis pœnis ſpiritualibus, quas Eccleſia habet contra rebelles & contumaces.

CEſſatio à diuinis licita eſt, & vna eaq; potiſſima inter ſpirituales pœnas, aliaque iuris remedia, quibus Eccleſia iam olim vti ſolet, ad corripiendos inobedientes & contumaces filios. Hæc concluſio conſtat ex cap. *irrefragabili, de off. ord. &* cap. *ſi Canonici &* cap. *quamuis eod. tit. lib. 6 & clem. 1. de ſent. excomm.* Vbi Clemens V. pœnam ſiue cenſuram ſupradictam vocat *vnicum lumen ad repellendas iniurias Eccleſijs illatas*. Eſt itaque concluſio ſupradicta certiſſima, de qua ſpecialiter videndus eſt Magiſter Sato, in quarto diſt. 22. quæſt. 3. ar. 2. concluſione ſecunda, vbi inquit negari non poſſe, ceſſationem prædictam ſi debite fiat, eſſe licitam & conuenientem, ad hoc vt quos rebelles, & contumaces Eccleſia iure & ordine vincere & cogere nequit, ſaltim hoc tam ingenti doloris ſenſu, à diuinis ceſſando afflictionemque ſuam oſtendendo, exterreat atque contremiſcere faciat.

Ad argumentum igitur in contrarium adductũ facili negotio reſpondetur dicendo, quod ſupradicta ceſſatio à diuinis, nullatenus eſt contraria alicui diuino præcepto. Licet enim diuina officia ac potiſsimum miſſarum ſolemnia celebrare de iure ſit diuino, ſingulis tamen diebus ſiue menſibus celebrari, & vt hoc vbique & ſemper fiat, non eſt de iure diuino, neque eſt tam ſtrictum ius, vt aliquando & in aliquo loco & caſu, iuſta exiſtente cauſa, ab eo ceſſari non poſſit, neque vllo modo id eſt per ſe malum aut extra materiam Eccleſiaſtici præcepti, quinuero multũ conformiter ad ipſum, ad oſtẽdendam ſuam auctoritatem & poteſtatem, quæ etiam eſt de iure diuino. Poteſt ergo optimo iure Eccleſia, ad tempus & cum cauſa lætitiæ ſigna, organaq; ſua ſuſpẽdere atque à diuinis ceſſare.

ARTICVLVS III.

Quotuplex ſit ſupradicta Ceſſatio à diuinis?

Concluſio.

Omnis in vniuerſum ceſſatio á diuinis eſt duplex, alia generalis, alia vero particularis, ſemperq; eſt localis, non vero perſonalis.

OMnis in vniuerſum ceſſatio à diuinis eſt duplex, alia generalis, alia uero particularis, ſemperque eſt localis, non vero perſonalis. Hæc concluſio communis eſt omnium DD. reſolutio, de qua videndus eſt Nauar. in ſuo Man. cap. 27. nu. 168. & Suarez 5. tom. 3. p. D. Thom. diſp. 8, ſect. 1. num. 5. vbi de vtraque ceſſatione affert exempla, & de generali (inquit) loquitur Clem. 1. *de verb. ſignif.* & de eadem tacite exponere videtur alia iura, ſcilicet cap. *irrefragabili, §, cæterũ, de off. Ord.* cap. *ſi canonici. c. quamuis* eod. tit. lib. 6. Quibus in locis fit ſermo de ceſſatione, quæ ponitur à Canonicis, ſeu à Capitulo vel Collegio habẽtibus ad hoc poteſtatẽ, ex cõſuetudine ſeu alio modo. Quæ quidem poteſtas, interdum ſe extendit ad ponendam ceſſationem generalem, in ciuitatibus vel terris, vt dicitur in d. Clem. 1. *de verb. ſignific.* De ſpeciali vero videtur eſſe ſermo in cap. *dilectis, de appellat.* vbi ſolum in Eccleſia Altiſiodorenſi dicitur fuiſſe prædictam ceſſationem latã, quod poteſt intelligi de tota Ciuitate, vt aliqui exponunt, ſed proprius intelligitur tantum de Eccleſia matrice, vt exponit gloſſ. in dict. Clem. 1. *verb. generalibus*. Differunt autem hæ duæ ceſſationes, vt nomen ipſum ſonat, in locis, circa quæ vertantur, generalibus ſeu particularibus, eo modo, quo ſimili ratione interdicta etiam diſtinguntur, interdumq; dicuntur generalia, quandoque vero particularia, de quo videatur Sylu. verb. *ceſſatio á diuinis*, num. 1. Solum aduerto (vt prædictum eſt in concluſione) quod nulla datur ceſſatio perſonalis ſed tantum localis, generalis ſeu particularis, nã ex vi ceſſationis, nunquam prohibentur perſonæ vbique celebrare diuina, ſed tantum in aliquo loco ſeu locis, quos reſpicit ceſſatio prædicta, id quod etiam conſtat ex communi conſenſu Eccleſiæ, de quo videatur Suarez ſupradictus loco ſupracitato nu. 4. & Sayrus loco etiam citato capite 17. num. 14.

A R-

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſupradicta ceſſatio à diuinis, ſit Eccleſiaſtica cenſura?

Opinio Mag. Soto.

DE hac re eſt opinio Magiſtri Soto in quarto ſententiarum d. 22. q. 3. ar. 1. vbi agens de cenſuris in cõmuni, ipſas ad quinarium numerum reducit, inter eas vnam eſſe dicens ceſſationem à diuinis, ita quod ad tres cenſuras cõmuniter dictas, quarũ fit mentio in c. *quærenti, de verb. ſignif.* excommunicationem nẽpe, ſuſpenſionem atque interdictũ, duas alias addit ipſe, irregularitatem nempe contractã ex culpa & ceſſationem à diuinis, dicitq; cenſuras in communi eſſe numero quinque. Cuius ſententiæ ſaltim quantum ad dictam ceſſationem à diuinis, ſubſcribere viſus eſt Couarr. in cap. *alma Mater.* 2. part. §. 1. in princ. vbi vocat eam iuris Pontificij cenſuram. Id quod & eſſe tenendum apparet hac efficaciſſima ratione probari, deſũpta á diffinitione cenſuræ ex eo quod ceſſatio prædicta eſſe videtur quædã pœna Eccleſiaſtica, priuãs ſpecialibus functionibus, quæ ponitur propter contumaciam, vt ab illa recedatur, quæ medicinalis pœna ſicut per ordinariam Eccleſiæ poteſtatem imponitur, ita & per eamdem aufertur ſiue tollitur, ex quo fieri videtur conſequens, quod nihil omnino illi deficiat ad veram rationem cenſuræ. Sed nihilominus cõtraria ſententia communior eſt, quæ & videtur tenenda. De qua & ſequẽtem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Ceſſatio à diuinis, non eſt cenſura Eccleſiaſtica.

CEſſatio à diuinis non eſt aliqua cenſura, diſtincta à ſupradictis illis tribus poſitis in d. cap. *quærenti, de verb. ſignif.* Hæc concluſio patet in primis ex cap. prædicto, quod eſt vnicum ac totale fundamentũ huius opinionis, propter quod tenet eam Nauarr. in ſuo Man. cap. 27. num. 164. & num. 168. nullam aliam ad id rationem afferens, niſi quia ceſſatio ſupradicta, non eſt aliud quam omiſſio ipſa, ſeu deſiſtentia diuinorum officiorum, iuxta Panor. in cap. *dilectis de appell.* num. 18. quæ quidem ratio videtur inefficax D. Suar. 5. tom. in 3. p. D. Th. diſp. 38. ſect. 1. num. 2. ipſamq; impugnat ibidem. Sed quidquid de hoc ſit, ipſe tamen amplectitur, tenet atque defendit ſupradictam noſtram concluſionem loco ſupracitato, & diſ. 1. ſect. 3. agendo de cenſuris in communi, mordicus tenet ceſſationem à diuinis prædictam, non eſſe aliquam Eccleſiaſticam cenſuram, diſtinctã à ſupradictis illis tribus, neque augere prædictarum cenſurarum numerum. Et peculariter carpit Couarr. pro eo quod dixerit ipſam eſſe aliam cenſuram, interdictoque ſimilem, quia (inquit) ſi cenſura eſt, non eſt alia ſed omnino eadem, cum manifeſtum ſit eam non eſſe excommunicationem, nec ſuſpenſionem, quo fit vt eſſe neceſſario debeat idem, quod interdictum, & ſi interdictum non eſt (inquit) nec cenſura eſt, quia quod ſub nulla ſpecie inuenitur, ſub nullo genere comprehenditur, aut exiſtit. Quapropter affirmanter dicit, ceſſationem prædictam non eſſe ſpeciem cenſuræ, nec veropœnam quãuis ipſius aliqualem præſeferat apparentiam, ſed tantum modo ſimplicem quandam prohibitionẽ, faciendi & celebrandi diuina. Eſſeque dicit magnũ diſcrimen inter generalem prohibitionem & cenſuram: quam quidem differentiam cognouerunt Innoc. & Card. Zabarella & Speculator, quos refert & ſequitur Maiolus *lib. 3. de irregular.* num. 10. Quod & confirmat aliquibus rationibus, & maxime argumento deſumpto à violatione Eccleſiarũ, quæ vt in ſequenti quæſtione dicemus, violantur per voluntariam ſeminis ſeu ſanguinis effuſionẽ, eſtque prohibitum celebrari in eiſdem, quouſque tollatur violatio prædicta, & tamen certum eſt quod celebrans ibidem non efficitur irregularis. quod tamen fieret ſi celebraret in aliquo loco ſuppoſito interdicto, & hoc certe nihil ob aliud, niſi quia illa non eſt cenſura, ſed nuda, & ſimplex prohibitio, vt notauit Innocenc. in cap. vlt. *de exceſſibus Prælatorum* num. 7. ſignum ergo eſt maximam eſſe differentiam inter prohibitiones ſupradictas atq; cenſuras. Nec ſit bona cõſecutio ex vno ad aliud, quinuero ex carentia effectus huiuſmodi irregularitatis manifeſte ſequitur, quod nuda & ſimplex prohibitio nullatenus eſt cenſura. Huic ceſſationi à diuinis ſimiles ſunt multæ aliæ prohibitiones quæ reperiuntur in iure, in capit. 1. & 2. *de iure patron.* celebrandi in aliqua Eccleſia, propter rationes, ibidem adductas. Et ſimiliter licet Prælatus prohibeat firmiter, aliquem celebrare ſeu confeſſiones audire, non ſtatim cenſetur apponere ſuſpenſionis cenſuram, niſi id ipſum ibidem expreſſe exprimatur, quo ſit vt eiuſmodi ſubditus, celebrãdo contra voluntatem Superioris, quamuis peccet nõ tamen efficitur irregularis, nihil ob aliud, niſi quia illa fuit ſimplex quædam & nuda prohibitio, non vero cenſura. Stat igitur differentia, inter ſupradictam prohibitionem & cenſuram, in hoc quod ſimplex prohibitio, non inducit illos iuris effectus, quos inducit cenſura. Etenim cenſura exiſtimatur veluti quædam moralis iuris affectio, tales habens effectus, quod ineſt perſonæ ita trinſece, vt illam ſemper ſecum deferat etiam extra territorium imponentis, ſimplex autem prohibitio, ſolum modo eſt præceptum quoddam extrinſecum, quod ſuis terminis conditur. Eſt præterea alia differentia, inter ſimplicem prohibitionem & cenſuram, quod cenſura per ſe & formaliter eſt pœna, ſimplex autem prohibitio per ſe & formaliter non eſt pœna, neque ipſam includit aut neceſſario requirit rationem pœnæ, ſed ſufficit ſibi ratio præcepti. Quam cõſiderationem late proſequitur Suar. ſupradictus loco ſupracitato, numer. 14. Propter quæ omnia perſiſtit in ſua prædicta opinione, quod prædicta ceſſatio à diuinis non eſt aliqua Eccleſiaſtica cenſura. Idẽ tenet Say. lib. 5. c. 17. n. 8. & lib. 1. c. 1. n. 4 agendo de cenſuris in cõmuni.

ARTICVLVS V.

Vtrum Ceſſatio à diuinis ſit idem, quod generale Interdictum?

HAc etiam de re fuit quorundam opinio, aſſerentium ceſſationem prædictam à diuinis ſaltim generalē, idem eſſe omnino quod generale interdictum. Hanc ſententiam tenere videtur D. Ant. 3. p. tit. 27. tract. de interdicto, ante medium, & Sum. Angel. verb. *ceſſatio* in princ. Sylu. etiam eodem verb, n, 1. Soto. in 4. d. 22. q. 3. art. 1. con. 4. Viual. in ſuo candelabro aureo 3. part. tract. de ceſſatione à diuinis, num. 5. Priuilegiorum Collector verb. *interdict.* §, 17. qui & allegat pro hac parte duos DD. Salmanticenſes hoc idem tenentes. Huius opinionis fundamentum eſt, Clement. 1 *de ſententi, excomm.* vbi æquiparātur ceſſatio generalis & generale interdictum. Qua etiam ratione inquiunt, celebrantem tempore prædictæ ceſſationis generalis fieri irregularem, eo modo quo qui celebrat tempore generalis interdicti. Qua de re videndus eſt etiam Villadiego tractatu de irregular. cap. de interdict. in fine, vbi hoc ipſum tenet. poſt Ioan. Andream in capit. *ſi Canonici de offic. ordin.* lib. 6. & Innocent. & plures alios iuriſperitos, quos refert, & ſequitur Maiolus lib. 3. de irregular cap. 20. neque Cou. vt videtur ā prædicta ſētentia & opinione diſſentire, in cap. *alma Mater.* 2. part. §. num. 4. ſed nihilominus contraria ſententia videtur verior atque tenenda, de qua ſit prima Concluſio.

Prima Concluſio.

Ceſſatio à diuinis, & Interdictū, non ſunt idem omnino, ſed multū diſtincta atque diuerſa.

CEſſatio à diuinis ſupra dicta, neque generalis neq; particularis, eſt idem quod interdictum, ſed multum ab ipſo diſtincta. Hanc ſententiam & concluſionem tenet expreſſe Nauarr. in ſuo Manual. capit. 27. num. 188. vbi dicit eam eſſe Calderini tract. de interd. membro. 3 colum. 3. & Car. in Clement. 1. *de ſententia excommunicat.* §. *in ceſſationis.* & Bonifacij ibidem num. 4. de qua videndus eſt ſupradictus Suarez, loco ſupracitato diſp. 38. ſect. 1. num. 4. cum ſequentibus, vbi & probat eam, à deſtructione cōtrarij fundamēti, quod ad ſuum intentum probandum omnino dicit eſſe inefficax. Nam in prædicta Clement. 1. *de ſentent. excomm.* quā uis ceſſatio generalis, interdicto generali æquiparetur in caſu ibidem expreſſo, nēpe in hoc quod Religioſi ſub excommunicationis ſententia ipſo iure incurrenda, obligantur ad ſeruandas eodem modo ceſſationes generales, atque generalia interdicta, non tamen æquiparātur in alijs ſeu in omnibus, quinuero ex eo, quod non æquiparātur quā tum ad hoc, quod dicta ceſſatio generalis ſit generale interdictum, pro eo inquam, facta eſt ibidem præfata extenſio ex mera voluntate ſummi Pont. vt ſcilicet Religioſi eodē modo obſeruare teneā tur eorū vnum atque reliquum. Præterea certū eſt quod non æquiparantur in omnibus, ſed tantummodo in obſeruatione prædicta ibidem ſtatuta, neque imponitur ibidē tranſgreſſoribus irregularitatis pœna, ſicut poſita eſt in iure violantibus interdictū, ſed ſolūmodo excōmūicationis, quodquidē quam maximū argumentū eſt, vtriuſque rationē longe eſſe diuerſam. Quapropter ſit ſecūda cōcl.

Secunda Concluſio.

Ceſſatio à diuinis ſiue generalis, ſiue particularis, in multis differt ab interdicto.

SVpradicta ceſſatio à diuinis, ſiue ea ſit generalis, ſiue vero particularis, in multis differt ab interdicto. Primo differunt, quia ceſſatio à diuinis quæcumque illa ſit, & interdictum etiam generale, tanquam diuerſa & diſtincta ſemper proponuntur in iure, vt conſtare licebit ex omnibus locis, iuribus & capitulis, quæ de his rebus loquuntur. Secundo quia ceſſatio à diuinis prædicta, vt communiter dicitur, eſt quid facti, quod eſt dicere, quod non eſt aliud, quam ipſa deſiſtentia à diuinis officijs, & pro omnibus ponitur, neque in hoc magis reſpicit delinquentes, quam ipſos innocentes, neque locum ipſum afficit, hoc eſt non reddit locum ipſum, cui apponitur interdictum, at vero interdictum, ſiue generale illud ſit, ſiue vero particulare, eſt quid iuris immediateque locum ipſum afficit cui apponitur, & reddit ipſum interdictum, & ipſum delinquentem immediate prohibet celebrare, & diuina officia eodem in loco exercere, nō vero in alio niſi fuerit perſonale. Tertio, quia prædicta ceſſatio nunquam imponitur a iure, ſed ab homine, & pro eo etiam dicitur quid facti, interdictum vero eſt quid iuris & vt plurimū imponitur ab ipſo iure. Quarto differunt in hoc quod prædicta ceſſatio cum ad factū pertineat & in eodē conſiſtat, etiam poſt appellationem decreta nō fit nulla ipſo iure, nā facta infecta eſſe nō poſſunt, vnde non obſtāte prædicta appellatione, à diuinis nihilominus ceſſatur, at vero interdictum cum ſit quid iuris & ad eiuſdem effectus pertineat, ſi poſt appellationem decernatur, nullum eſt ipſo iure, vt conſtat ex capit *ad hæc quoniam, de appellatione,* & capit. *is cui,* §. vltim. *de ſentent. excommunicat.* lib. 6. Quinto differunt quia vt prædictum eſt in art. præcedenti, ceſſatio prædicta non eſt cenſura proprie dicta, ſed quædam nuda & ſimplex prohibitio ſiue præceptum, prohibens diuina celebrari, interdictum autem eſt cenſura propriè dicta, & ſtricte atque in rigore ſumpta, vt conſtat ex capit. *quærenti, de verb. ſignif.* Sexto differūt quia celebrās in loco interdicto (vt amplius inferius dicetur) irregularitatem incurrit, quia ſcilicet violat interdictum, per interdictum autem violatum efficitur quis ſuſpenſus, per cap. fin. *de exceſſ. Prælat.* ſuſpenſus vero celebrans irregularis efficitur, per c. 1. *de ſent. & re iud.* lib. 6. & c. *cum medicinalis.* §. *fin.* & c. *is cui* §. *is vero de ſent. excomm.* lib. 6. at qui celebrat vel miniſtrat cōtra ceſſationem à diuinis, non fit irregularis iuxta gloſſ. in c. *ſi Canonici,* v. *ceſſare, de offic. ord.* l. 6. Septimo differunt, quia ceſſatio prædicta, vt ſupradictum eſt, nunquam fertur directe & abſolute in perſonas, ſed tantum in loca, vt videre licebit in omnibus iuribus, quæ de ceſſatione loquūtur, vbi ſolūmodo fit mētio ceſſationis localis, ſolūq; iura diſtinguūt eā in ordine ad loca. Qua ratione iuris periti ferūt vbiq;, nullā eſſe ceſſationē perſonalē, ratioq; ipſa id perſuadet, nā ex vi ceſſationis

sum

numquam prohibentur perſonæ, vbique celebrare diuina, ſed tantum in aliquo loco, quem reſpicit ipſa ceſſatio; at vero interdictum ſiue generale, ſiue particulare, ſæpiſſime atque abſolute fertur in perſonas ipſas, inueniunturque in iure quamplurima interdicta generalia & particularia perſonalia, quibus ob quædam delicta interdicuntur perſonæ ipſæ, prohibenturque vbique ſacra & diuina celebrare, vt conſtat ex multis iuribus & ex communi Eccleſiæ vſu. Octauo differt ſupradicta ceſſatio à diuinis, à quolibet interdicto generali ſiue particulari, nam priuilegia conceſſa ad audiendam Miſſam, officiaque diuina tempore interdicti, non intelliguntur conceſſa, ad eadem audienda tempore ceſſationis à diuinis, vt conſtat ex communi omnium intelligentia, & vt infra etiam dicemus, non omnia quæ nunc conceſſa ſunt, per *cap. alma mater*, tempore interdicti, extenduntur ſeu cenſentur extendi ad tempus ceſſationis à diuinis, quin vero è contrario, poteſt quiſpiam interdum ceſſationem à diuinis præcipere, qui non poteſt interdictum ponere, vt notat gloſſa 2. in dicto *cap. ſi Canonici, de officio ordin. lib. 6.* nec priuilegium ad ponendam ceſſationem, per ſe extenditur ad ponendum interdictum. Ex quibus omnibus plane colligitur, quod ceſſatio à diuinis prædicta & interdictum, ſiue generale illud ſit, ſiue vero particulare, in rigore iuris loquendo & in omni ratione ſtando, ita ſunt diuerſa atque diſtincta, vt vnum ſub alio non comprehendatur, ex vi & proprietate verborum, nec tamquã æqualia, nec tamquam inferius ſub ſuo Superiore, quamquam in multis quammaximam habeant ſimilitudinem. Hac de re qui plura videre deſiderat, conſulat Sylueſtrũ, *verbo, interdictum. 1. q. 1.* & Sotũ in 4. ſententiarum, diſt. 22. quæſt. 3. art. 2. per totam Nauarr. in cap. 27. ſui Manuali, num. 188. & 189. Couarruuias in *cap. alma mater, 2. part. §. 2. num. 1.* Medinam in ſua inſtructione Confeſſorum capi. 11. §. 14. Enriquez lib. 13. capi. 52. §. 2. Suarez 5. tomo. in tertiam partem D. Thomæ, diſpu. 38. ſect. 1. Sayrum 1. tom. ſui theſauri, lib. 5. cap. 17. à numero 4. cum ſequentibus.

ARTICVLVS VI.

Quinam ſint effectus Ceſſationis à diuinis?

DIcendum eſt á nobis in hoc Articulo breuiter atque reſolutiue, quidnam liceat aut non liceat facere tempore ceſſationis prædictæ, ſtando in iure communi. Nam quod fieri poteſt ex ſpeciali iure ſeu particularibus Religioſorum quorundam priuilegiis, in vltimo ac poſteriori Articulo dicetur. Vt autem hoc debite atque ordinate fiat, propoſitæ difficultati reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Tempore ceſſationis à diuinis, nõ licet ſacra facere, neque diuina officia celebrare

TEmpore ceſſationis à diuinis, non licet ſacra celebrare, ſeu officia diuina dicere in Ciuitate vel loco, vbi eiuſmodi ceſſatio fuerit conſtituta, & omnes Eccleſiæ (ſi ipſa eſt generalis) ceſſare debent omnino. Hæc concluſio communis eſt & generalis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt Magiſter Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 2. & Nauarrus in ſuo Manuali, cap. 27. nume. 189. Suarez diſput. 38. ſect. 2. à num. 2. cum ſequentibus, Couarruuias in *cap. alma mater. par. 2. §. 4. numer. 7.* Enriquez lib. 13. cap. 52 §. 1. Vualdus in ſuo candelabro aureo tract. de ceſſatione num. 6. & 14. Sayrus libr. 5. cap. 19. num. 2. Et ratio huius concluſionis eſt, quia ceſſatio prædicta, vt nomen ipſum ſonat, dictumq; eſt in primo articulo, inducit ſuſpenſionem diuinorum officiorum omnino, maiorque rigor in hiſce rebus ſeruandus eſt hoc tempore, quam tempore cuiuſcumque interdicti. Quo fit vt nec ſeruata forma, & moderatione ſupra dicti *capi. alma mater*, dicere licebit ſtando in iure communi, miſſam horasq; Canonicas, in tono ſiue recitando, à multis ſiue coram alijs, etiam ſubmiſſa voce & ianuis clauſis, & non pulſatis campanis, & eiectis atque excluſis excommunicatis atque interdictis. Quæ quidem doctrina fuit generalis olim reſolutio Senatus Doctorum Academiæ Salmanticenſis, facta anno Domini 1556. vt refert Pater Fr. Bartholomæus à Medina in ſua inſtructione Confeſſorum capi. 11. §. 14. & Suarez & Sayrus locis ſupracitatis. Cuius etiã concluſionis ratio, meo quidem videri apertiſſime comprobatur, ex *capit. ſi Canonici, §. ſi autem, de officio ordin. lib. 6.* vbi dicitur, eum cuius culpa ceſſatio indicta fuerit, teneri Canonicis & Clericis ad id quod eorum interſit, ex eo quod omnino ceſſantes à celebratione diuinorum officiorum diſtributiones quotidianas amiſerint, aut ſaltem non acquiſiuerint, quæ nonniſi intereſſentibus diuinis officijs dari debent & ſolent, vt habetur in *capit. vnico, de Clerico non reſidente, lib. 6.* & in Concilio Tridentino ſeſſ. 21. de reformatione capit. 3. & ſeſſ. 22. de reformatione cap. 3. & ſeſſ. 24. de reformatione capi. 12. Quas tamen tempore interdicti generalis, recitantes in choro lucrantur, per dictũ *cap. alma mater, §. adijcimus.* Et ratio poteſt formari ſic, nam ſi prædicti Canonici & Clerici tempore ceſſationis à diuinis prædictæ, ſacra atque diuina poſſent celebrare & facere, etiam ſeruata forma ſupradicti *capi. alma mater*, & præfati *§. adijcimus*, nulli eſſet dubium quin diſtributiones quotidianas lucrari etiam poſſent, & conſequenter is, cuius culpa ceſſatio prædicta indicta fuiſſet, non teneretur (vt diximus) Canonicis & Clericis quorum intereſt damna ſatisfacere & reſarcire: ſed ſic eſt quod tenetur, vt habetur in dicto *cap. ſi Canonici*, ergo &c. Hæc quidem ratio fortiſſima eſt, quam & ſubtiliter aduerterunt Doctores ſupradicti, & maxime Couarruu. loco ſupracitato, & Enriquez lib. 13. cap. 53. & Suarez diſputat. 38. ſect. 2. nume. 7. & Sayrus locis etiam ſupracitatis. Quod & confirmatur ex eo, quia ante conſtitutionem ſupradicti *capit. alma mater*, penitus erat interdicta celebratio diuinorum officiorum, tempore ſupradictæ ceſſationis á diuinis, per *cap. non eſt vobis, de ſponſalibus*, ſed huic iuri veteri nullibi derogatum eſt, cum *cap. alma mater*, tantummodo de interdicto generali loquatur, non vero de ceſſatione à diuinis: ergo tempore eiuſdem ceſſationis, celebrari non poterunt ſacra & diuina officia, ſtando in

iure communi (vt dictum eſt) etiam cum illa quadruplici moderatione ſupradicti *capitu. alma mater.* Quod intelligendum eſt de publicis officijs & orationibus Eccleſiæ, nam priuatæ orationes etiam in templis, non ſunt prohibitæ ex vi huius præcepti, quin vero perſonæ Eccleſiaſticæ & Religioſi tenentur recitare ſeorſum ſuum officium, iuxta cuiuſque obligationem. Quapropter ceſſatio prædicta dicitur ſuſpenſio Miniſtrorum & organorũ Eccleſiæ, non vero perſonarum particularium, de quo videatur Suarez latiſſime ſupradicta diſputatione 38. ſectione 2. à numero 2. cum ſequentibus.

Secunda Concluſio.

Tẽpore ceſſationis à diuinis, etiã ſtando in iure cõmuni, bene poteſt vnus ſacerdos celebrare, pro renouãdo Sacramẽto Euchariſtiæ ſemel in hebdomada.

TEmpore ceſſationis à diuinis etiam ſtando in iure communi, bene poteſt vnus Sacerdos cũ vnico miniſtro ſecrete celebrare in Eccleſia, ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum renouandum octauo quoque die. Hæc etiam concluſio fuit generalis reſolutio, & Decretum ſupradicti Senatus DD. Academiæ Salmanticenſis anno prædicto, vt tradũt ſupradicti Medina, Enriquez, Couarruuias, Suarez, & Sayrus locis ſupracitatis. Circa quod Decretum aduertit ſupradictus Sayrus, quod id fieri poteſt non ſolum in ceſſatione generali loci, verumetiam in ſpeciali, ex conſuetudine, quæ tempus ceſſationis ad ius antiquum reducit, per *capit. non eſt vobis, de ſponſalibus.* Quod non tam iure, quam æquitate probatur de ceſſatione à diuinis, ex paritate rationis, qua quidem ducti DD. id quod de interdicto ſiue generali ſiue ſpeciali ibidem dicitur, ad tempus etiam ceſſationis tam ſpecialis quã generalis, extendunt, vt ſpecies Euchariſtiæ reuerenter & ſine putredine conſeruentur. Videatur hac de re ſpecialiter Suarez vbi ſupra, num. 19. & 20. & addit ſupradictus Enriquez lib. 13. de excommunicati. & interd. capi. 53. §. 2. quod licet ſufficiat vnus ſolus Miniſter, qui inſeruiat Sacerdoti celebranti, nihilominus tamen bene poſſunt intereſſe duo, maxime quia Sother Papa in *ca hoc quoque de conſecrat. diſt. 1.* iubet in miſſis ad eſſe ſaltem duos quibus Sacerdos dicat, Dominus vobiſcum, illique viciſſim reſpondeant, & cum ſpiritu tuo.

Nota valde, pro Miſſarum Acolythis.

Tertia Concluſio.

Tẽpore ceſſationis, qualiter Eccleſiaſtici & Religioſi debeant horas Canonicas recitare.

TEmpore ceſſationis prædictæ, Eccleſiaſtici & Religioſi, in recitatione horarum, ſoli ipſas debent recitare, non autem duo ſimul aut pleres, exceptis priuilegiatis. Hæc etiam concluſio fuit generalis reſolutio DD. prædictæ Vniuerſitatis Salmanticenſis, vt conſtat ex Auctoribus ſupradictis locis citatis, ſed Sayrus num. 4. inquit, hoc durum atque rigoroſum ſibi videri nimis, quidquid dicat Viual. vbi ſupra num. 14. Qua ratione inquit, quod ſicut olim iure antiquo tempore interdicti generalis licebat, per *cap. quod in te, de pœniten. & remiſſio.* etiam ante conſtitutionem dicti *cap. alma mater*, Clericis in Conuentualibus Eccleſijs, binis & binis, vel tribus ſimul horas Canonicas recitare, ſubmiſſa voce & ianuis clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis excommunicatis & interdictis, ita hoc iuris priuilegium tamquam fauor ex paritate rationis, merito per DD. extenditur ad hoc, vt idipſum fieri poſſit tempore ceſſationis à diuinis, cum huiuſmodi officij diuini recitatio, ad publicum officiũ pertinere non videatur. Hoc etiam teſtatur Enriquez lib. 13. cap. 53. §. 2. in fin. & Suarez dicta diſputat. 38. ſect. 2. num. 2. & num. 14. Aduertit tamen ſupradictus Suarez, quod laici etiam prohibentur diuina audire, etiam ſi in aliquo ſacro loco fiant, niſi ad id ſpeciale habeãt priuilegium. Quamuis enim ceſſationis prædictæ præceptum, diuinorumque officiorum prohibitio, non tam directe pertineat ad illos, ſicut ad Eccleſiaſticos ſeu Eccleſiæ miniſtros, nihilominus tamen conſequenter deriuatur ad eos, nam ſi celebratio prædicta prohibetur, participatio etiam celebrationis eiuſdem perinde cẽſetur prohibita, cum vt habetur in iure, acceſſoriũ naturam ſequatur principalis, ipſumque comitetur. Sed præterea probatur idipſum, quia ceſſatio prædicta à diuinis, ſimpliciter ponitur pro toto populo, quamuis ſpecialiter explicetur in Eccleſiæ miniſtris, pro eo quod ad ipſos ſpecialiter ſpectet miniſterium prædictum, illiſque ceſſantibus, alios etiam laicos ceſſare neceſſe ſit, quo etiam fit, vt ſi ipſi Clerici ceſſare nollẽt (etiam iniuſte) & contra factam prohibitionem ſiue præceptum, nihilominus laici tenentur ipſos vitare in diuinis, illisque non adeſſe, non ſolum quia tenentur non conſentire, aut ſuo modo cooperari eorum iniquitati, verumetiam quia & illos per ſe comprehendit præfata prohibitio, quod eſt maxime notandum & memoriæ commendandum. Ex quo etiam ſequitur, quod ſi aliquis Sacerdos ex priuilegio celebret tẽpore ceſſationis prædictæ, laici nullo fruente priuilegio, non poſſunt eiuſmodi ſacrificio intereſſe, propter rationem dictam, in quo omnes Doctores conueniunt, conſtatque id ex communi vſu & praxi Eccleſiæ. Dictum eſt tamen ſemper, ſed ſpecialiter in concluſione, hæc omnia intelligenda eſſe, priuilegiatis exceptis, nam ex priuilegio ſi habeatur, contrarium omnino erit dicendum, de quibus priuilegijs inferius eſt agendum.

Laici diuina audire prohibẽtur, tẽpore ceſſationis à diuinis, etiãſi in aliquo loco fiant, niſi etiã habeãt ſpeciale priuilegiũ.

Sed ſpecialis alia modo ſeſe offert difficultas, an tempore ceſſationis prædictæ, ſuſpendi etiam poſſit ipſa ceſſatio, eo modo, quo & ſuſpenditur generale interdictum, in quatuor feſtiuitatibus, ſcilicet Natalis Domini, Paſchæ reſurrectionis, & Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Mariæ, per ſupradictum *capit. alma mater, de ſententia excommunication.* Hanc quæſtionem atque difficultatem tractat Suarez, diſputat. 38. ſect. 2. num. 12. vbi in partem inclinare videtur negatiuam, pro qua nonnullas affert etiam rationes, quas ego breuitatis cauſa omitto, quibus non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio, quæ erit quarta in ordine.

Difficultas.

Quarta Concluſio.

ceſſatio etiã ſuſpẽditur, in quatuor feſtis poſitis in cap. alma mater

IN illis feſtiuitatibus, in quibus ſuſpenditur generale interdictum, quarum fit mentio in dicto *cap. alma mater*, ſuſpendi etiam poteſt prædicta ceſſatio à diuinis. Huius etiam opinionis feruntur fuiſſe Doctores Salmanticenſes, tum Theologi, tum etiam Iuriſperiti, diciturque id practicatum fuiſſe anno Domini 1584. in feſto Corporis Chriſti, non obſtante ceſſatione generali à diuinis, quæ tunc tẽporis habebatur ibidem. Hanc ſententiam & opinionem

nionem tenet etiam Couarruuias in *cap.alma mater*, part.2.§.5.num.3.& Enriquez,lib.13.capi,53.§.3.in fine, cui & fauere videtur ex parte ſupradictum *cap.alma mater*,quod quidem quamuis nihil expreſſe concedat pro tempore ceſſationis à diuinis, videtur tamen continere veluti quoddam abſolutũ præceptum negatiuum,quo inhibetur,vt quæ prohibita non ſunt interdicti generalis tempore,non prohibeantur tempore ceſſationis á diuinis, in ſupradictis quatuor feſtiuitatibus Paſchalibus,poſtquam præcipit vt in eiſdẽ pulſatis campanis,apertisque ianuis & alta atque ſonora voce, officia diuina feſtiue ac ſolemniter celebrentur.Ex quo videtur,quod in omni proprietate & rigore ſermonis loquendo,mens & intentio Bonifacij VIII.fuit vt feſta illa ſolemniter celebrentur,& vt verba illa ſua, etiam ad ceſſationem diuinam in prædictis feſtis extenderentur, quod & valde conſentaneũ eſt ſanctitati,& ſolemnitati tantorum dierum.Neque ex eo aliquod incommodum ſequi videtur, aut fieri contra ius, quin vero quod iuridice fieri poſſit.Sed nihilominus quamuis hoc non ita eſſet, ſat eſt ad hoc vt prædicta fiant,iam diutina & antiqua tantorum virorum Doctorum & ſapientium auctoritate confirmata conſuetudo, qui hoc vt dixi ita interpretati ſunt. Vnde concludendo dico, quod ſupradictis diebus, ſicut tempore generalis interdicti, officia diuina poſſunt ſolemniter celebrari,ita etiam & tempore ceſſationis prædictæ,à qua etiam ſententia non recedit aliqualiter Suarez, vt videre licebit loco ſupracit.in fine.

Quinta Concluſio.

Tẽpore ceſſationis à diuinis,cõferripotẽſt baptiſmus nõ ſolum paruulis,verumetiam adultis ſimiliter & ſacramentũ Cõfirmationis

TEmpore ceſſationis à diuinis, ſacramentum baptiſmi conferri poteſt,non ſolum paruulis, verumetiam adultis,etiam cum ſolemnitate & catechiſmo,& ſimiliter ſacramentum confirmationis,item & conſecrari poteſt chriſma,& oleum neceſſarium,ac ſi nullum eſſet de ceſſatione præceptum.Hæc etiam concluſio fuit generalis reſolutio Doctorum Academiæ Salmanticenſis,vt videre eſt apud Medinam in ſua inſtructione Confeſſorum loco ſupracitato,& Couarruuias in *capitã.alma mater*, par.2.§.4.num.7.tenet idipſum ſimiliter Enriquez lib.13.c.55.§.1.& 4.vbi docent prædicti auctores, illa ſacramenta quæ conceduntur interdicti tempore,cum debita illorum reuerentia & ſolemnitate,conceſſa etiam eſſe abſque vlla reſtrictione,tẽpore ceſſationis à diuinis.Hac de re videatur etiam Suarez diſputat.38.ſection.2.numer.18.& 22.& 23. vbi ad hoc propoſitum reperire licebit multa eaque notatu digniſſima,& de ſacramento Confirmationis videatur num.24. cum quibus omnibus concordat Sayrus,in ſuo theſauro 1.tomo lib.5.capit. 19.numero ſeptimo.

Sexta Concluſio.

Sacramẽtum etiam pœnitẽtiæ,tẽpore ceſſationis minirari poteſt, non ſolũ infirmis verũetiã ſanis.

SAcramentũ etiam pœnitentiæ,tempore ceſſationis prædictæ,non ſolum infirmis,verumetiam & ſanis conferri ac miniſtrari poteſt. Hæc concluſio fuit determinata à prædictis Doctoribus huius Academiæ Salmanticenſis, vt videre licebit apud ſupradictum Medinam, Couarruuias, Enriquez,Suarez,& Sayrum locis ſupracitãtis ſolo numero differentibus. Quamuis enim iure antiquo, prædictum ſacramentum pœnitentiæ interdicti tẽpore non concedebatur ſanis,de iure tamen nouo innouato per ſupradictum *capit.alma mater, & gloſſ. ibidem,verbo,ſani*,iam hoc conceditur interdicti tẽpore,quæ conceſſio ex ſententia & auctoritate ſupradictorum grauiſſimorum virorum, extenditur etiam ad tempus ceſſationis prædictæ,ſecundũ praxim communiter vulgo receptam,& ab omnibus approbatam,& quia præſumendum non eſt, quod voluerit pia noſtra mater Eccleſia, filios ſuos tam ſalutari ac neceſſario ſalutis remedio priuare,cum non ita facile adulti contritionem habere poſſint & ſoleant,ſine qua extra ſacramentum, iuſtificari non poſſunt, qui tamen cum ſacramento prædicto iuſtificabuntur, & ex attritis fient contriti, quod eſt validiſſimum atque firmiſſimum prædictæ reſolutionis & concluſionis fundamentum. Videatur Suarez vbi ſupra numer.25.& 26. & Sayrus etiam vbi ſupra numero 8.

Septima Concluſio.

Sacramẽtum Euchariſtiæ, prædicto ceſſationis tẽpore, de iure ſolet infirmis dari poteſt.

SAcramentum Euchariſtiæ prædictæ ceſſationis tempore,ſolummodo infirmis poteſt dari,poteritque portari & deferri ad infirmos cum ſolemnitate,& cum pulſu campanellæ, dummodo non recitetur officium diuinum. Hæc concluſio ſimiliter fuit decreta à Doctoribus ſupradictis Salmanticenſibus,vt tradunt omnes auctores ſupracitati eſdem in locis,quorum omnium ratio eſt,nam dũ conceditur pœnitentia infirmis,eiſdem etiam concedi videtur Euchariſtia per modum viatici,vt habetur in *capit.quod in te,de pœnitent.& remiſſion.& ibi gloſſ.verbo,concedimus,& gloſſ.in ca.non eſt vobis de ſpon ſal.verbo,pœnitentias morientium.* Et dum ſacramentum prædictum ad infirmos defertur,ſupradicta ſolemnitas perinde conceſſa videtur,cum pertineat ad reuerentiam Chriſti Domini qui in eodem continetur. Certum eſt enim quod cum aliquid iure permittitur,concedi etiam cenſetur ad modũ quo conuenit & vt obſeruatur communiter,quo decẽter deferatur.Non tamen(vt dixi)officia diuina per vias ſunt publice recitanda, cum illa ad eundem actum non neceſſario pertineant, & aliàs ſint eo tempore prohibita, poterunt tamen priuate à Sacerdote recitari aliqui Pſalmi & orationes, de quibus omnibus videatur Suarez vbi ſupra num.27.& Sayrus numero 9.

Octaua Concluſio.

Sacramẽtum extremæ vnctionis de iure etiã Clericis Presbyteris nõ datur tempore ceſſationis á diuinis, neque interdicti.

SAcramentum extremæ vnctionis,de iure communi etiam Clericis presbyteris dari non poteſt,tẽpore ceſſationis prædictæ,ſine expreſſo priuilegio,vt nec licet tempore generalis interdicti. Hæc concluſio ſimiliter fuit decreta à Doctoribus Prædictis Salmãticenſis Academiæ,de qua videantur omnes Auctores ſuperius citati, neque enim quicquam de nouo dicendum occurrit.Et appoſitum fuit,id non licere ſine expreſſo atque ſpeciali priuilegio,nam cum illo communiter confertur: quinam vero eiuſmodi priuilegium habeant,in vltimo huius quæſtionis articulo fuſe dicetur.

Nona Concluſio.

Sacramẽtum Ordinis nõ cõferri poteſt tẽpore ceſſationis á diuinis.

NEque ſacramentum ordinis conferri poteſt, tempore ceſſationis prædictæ à diuinis. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & vt videtur magis certa quam aliæ, cum conferendi hoc ſacramẽtum eo tempore quo à diuinis ceſſatur, nulla ſit neceſſitas, niſi forſan in aliquo extraordinario caſu, quando deficerent Sacerdotes, qui ſacramenta neceſſaria eo tempore miniſtrarent, in tali enim caſu proculdubio liceret. De hac concluſione videatur Suarez vbi ſupra numero 27. & Sayrus vbi ſupra numero 11.

Decima Concluſio.

Sacramẽtum matrimonij, tẽpore ceſſationis à diuinis celebrari poteſt, ſed ſine ſolẽnitate, quæ cõſiſtit in benedictionibus

SAcramentum matrimonij tempore ceſſationis fieri poteſt, dummodo interueniat Parrochus, ſeu alius Sacerdos de eiuſdem licentia iuxta Concilij Tridentini decretum, benedictiones tamen nuptiales ſiue velationes fieri non poſſunt. Hæc etiam concluſio eſt generalis reſolutio ſupradictorum Doctorum, vt videri poterit apud Authores ſupradictos, qui in hoc vnanimiter conueniunt, cum enim eiuſmodi ſacramentum ſit quidam contractus Ciuilis, quocumque tempore contrahi poteſt, etiam tempore ceſſationis à diuinis, ſicut & tẽpore interdicti. Qua de re ſpecialiter videatur Enriquez libro 13. capit. 53. §. 4. & Suarez vbi ſupra, numero 27. Sayrus etiam vbi ſupra num. 12.

Vndecima Concluſio.

Sepultura Eccleſiaſtica, tẽpore dictæ ceſſationis præſtari poteſt, clericis Sacerdotibus in cœmeterio nõ vero intra Eccleſiã neq; vero laicis etiã in cœmeterio, abſq; priuilegio.

SEpultura Eccleſiaſtica temporeceſſationis à diuinis, præſtari poteſt Clericis Sacerdotibus in cœmeterio, non autem intra Eccleſiam, multoque minus laicis, etiam in cœmeterio ſine priuilegio. Hæc concluſio fuit etiam reſolutio Doctorum ſupradictorum Academiæ Salmanticenſis, & fundatur dicta concluſio in *cap. quod in te, de pœnitent. & remiſſion.* vbi ſequentia verba habentur, *licet autem per generale interdictum, denegetur omnibus Eccleſiaſtica ſepultura, concedimus tamen ex gratia, vt Clerici decedentes, qui tamen ſeruauerint interdictum, in cœmeterio Eccleſiæ ſine campanarum pulſatione, ceſſantibus ſolemnitatibus omnibus, cum ſilentio tumulentur.* Ex quibus verbis & maxime ex verbo illo, *ex gratia*, colligunt Doctores, quod Clerici prædicti ſepeliri poſſunt in cœmeterio, non autem intra Eccleſiam. Item quod laici ſupradicto ceſſationis tempore, Eccleſiaſtica ſepultura donari non poſſunt, etiam in cœmeterio ſecluſo priuilegio, ſiquidem ipſum prædictis Clericis ex gratia conceditur. Quod autem dicitur in concluſione, hoc intelligendum eſſe de Clericis Sacerdotibus tantummodo, non placet Enriquez lib. 13. ca. 53. §. 4. quia inquit dictũ *c. quod in te*, generaliter de omnibus Clericis loquitur. Clericorum autem nomine, etiam tonſurati intelliguntur, vt communis tenet ſententia. Qua quidẽ ratione dicit, quod ſicut antiquo iure tempore interdicti, ita etiam & ceſſationis prædictę tempore, non ſolum Clerici presbyteri ſiue Sacerdotes, verumetiam primam tonſuram habentes, ſub ſilentio, & abſque funerali officio ſepeliri poſſunt, quod negat de laicis etiã ſi habeant Bullam aut priuilegium ſepulturæ pro tempore interdicti. Nam, inquit, eiuſmodi priuilegia non extenduntur ad tempus ceſſationis à diuinis, niſi exprimatur ibidem, vt dictum eſt, cum ſint priuilegia priuata, & tamquam in odium iuris communis ceſſa, ſeu iuri communi contraria, ac proinde non ample, ſed ſtricte interpretanda. Cui opinioni fauet Couarruuias in *cap. alma mater*, part. 2. §. 4. num. 7. & §. 5. numer. 6. Addit autem ſupradictus Enriquez vbi ſupra, quod in feſtis contentis in dicto *cap. alma mater*, licita eſt ſepultura cum ſolemni mortuorum officio, interdicti tempore etiam laicis. Videatur hac de re Sayrus loco ſupracitato num. 13. & 14. & Suarez loco etiam ſupracitato numer. 18. cum ſequentibus.

Duodecima Concluſio.

Priuilegia & Bullæ Apoſtolicæ, conceſſæ pro interdicti tẽpore nõ valent pro tẽpore ceſſationis niſi exprimatur.

PRiuilegia & Bullæ Apoſtolicæ, concedentes facultatem audiendi Miſſam, diuinaque officia ſi tantum ſint quoad interdictum, non valent pro tempore generalis ceſſationis à diuinis. Hæc concluſio fuit etiam expreſſa, atque generalis determinatio ſupradictorum Doctorum Salmanticenſis Academiæ, de qua etiam videndus eſt Medina & alij authores ſupracitati: quapropter conſultum fuit ab eiſdem, quod ſi quæ Bullæ loquantur etiã de tempore ceſſationis á diuinis, oſtẽdantur prius viris doctis & literatis, vt ſciri poſſit quouſque dicta priuilegia ſe extendant, & an forte ſint reuocata per Bullam Cruciatæ ſeu alio modo, ne alias excedat formam dictorum priuilegiorum, & vt omnia faciant ex ſapientum conſilio prout debent, ne peccent. Et addiderunt quod ſi qui priuilegium habeant audiendi, ſiue dicendi Miſſam in aliqua domo ſiue particulari loco, nonniſi vnam Miſſam in die audire vel celebrare poſſunt. Supradictis omnibus addit Enriquez loco vbi ſupra, quod tempore ceſſationis prædictæ, licitum eſt pulſare campanas ad conciones, & ad ſalutationem Angelicam, & ad omnia quæ non ſunt diuina officia. Qua de re videatur Couarruuias in *cap. alma mater*, part. 2. §. 5. numero quarto, & Sayrus etiam vbi ſupra numero 15. & 16.

Nota quod tẽpore ceſſationis á diuinis, pulſari poſſũt cãpanæ pro cõcionibus & ad ſalutationem Angelicã, & ad omnia alia quæ nõ ſunt diuina officia.

ARTICVLVS VII.

Quinam poſſint ponere ceſſationem à diuinis?

Prima Concluſio.

Nulla ceſſatio á diuinis imponitur ipſo iure propter quodcumque crimẽ.

NVlla ceſſatio à diuinis imponitur ipſo iure, propter quodcumque crimẽ. Hæc concluſio iam conſtat ex ſupradictis, conſtituendo & aſſignando differentiã inter interdictum & ceſſationem prædictam, qua quidem ratione diximus, ipſam in hoc quammaxime differre à cæteris cenſuris, quæ paſſim reperiũtur & imponuntur ipſo iure, eamque obcauſam cõmuniter dici prædictam ceſſationem eſſe quid facti, pro eo quod nunquam incurritur ipſo iure, ſed ſolummodo iure conceditur facultas, vt iudex ipſam poſſit decernere, cum ſibi expediẽs viſum fuerit. Ita tenet Pa[illegible]nus in *cap. dilectis filijs, de ap-*

pellat. num. 18. & Syluester, *verbo interdictum. 1. q.* 1. in fine, Couarruuias in *cap. alma mater*, part. 2. §. 2. num. 1. Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 2. concl. 1. Videatur etiam hac de re Sayrus loco ſupracitato, 5. libro, capit. 17. num. 6. & 7. cap. 18. num. 1.

Secunda Concluſio

Quicunq; ferre poteſt interdictũ, poteſt etiã ponere ceſſationem à diuinis.

QVicumque ferre poteſt interdictũ, poteſt etiã ponere ceſſationem à diuinis. Hanc concluſionem tenent expreſſe Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 2. concluſion. 3. Syluester, *verbo, ceſſatio. in principio*, & Couarruuias in *cap. alma mater*, par. 2. §. 2. num. 6. Enriquez lib. 13. capit. 54. §. 1. & omnes Summiſtæ communiter, *verbo, ceſſatio*, de qua etiam videatur Suarez diſputat. 38. ſect. 3. num. 2. & Sayrus vbi ſupra num. 3. Ex qua concluſione colligitur, quod Epiſcopus iure ſuo proprio atque ex ordinario officio eam poteſt ponere, vt colligitur ex gloſſa in *ca. ſi Canonici, verbo, ceſſare, de offic. ordinar. lib. 6.* vbi poſtquam habetur, Canonicos ſede vacante eam imponere poſſe, quia ſuccedunt in iuriſdictionem Epiſcopi ordinariam, multo ergo melius id facere poſſunt Epiſcopi ipſi, quorum prædicta iuriſdictio & authoritas eſt propria. Et quod dicitur de Epiſcopis, intelligendum perinde eſt, de alijs Prælatis Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus. Poteſt etiam eam ponere Capitulum, ſed non ſine authoritate & conſenſu Epiſcopi, vt conſtat ex *capit. irrefrag. §. cæterum, de offic. ordin.* alioquin ceſſatio non erit valida, & poterit Epiſcopus eam reuocare, niſi dictum capitulum ſede vacante ceſſauerit, ſeu conſuetudine atque priuilegio obtinuerit, vt etiam inconſulto Epiſcopo ceſſare poſſit. Similiter poteſt dictam ceſſationem ponere, Cõcil. Prouinciale, & Epiſcopale, argumento deducto ex Clementina 1. *de ſententia excommunicationis.* Qua de re videatur Suar. loco ſupracitato nu. 3. & Sayrus loco etiam ſupracitato numer. tertio, quarto, & quinto.

Tertia Concluſio.

Ad ponendã ceſſationẽ ãdiuinis, nõ quæcunq; cauſa ſufficit, ſed ea eſſe debet grauiſsima atq; vrgentiſsima

AD ponendam ceſſationem prædictam, nõ quæcumque cauſa ſufficit, ſed ea eſſe debet maxima multumque legitima, qualem expoſcit incommodorum vrgentiſſima grauitas, quam præſcfert ceſſatio prædicta. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt Magiſter Soto loco ſupracitato, concl. 3. & Enriquez lib. 13. cap. 52. §. 2. Suarez loco ſupracitato ſectio. 3. nume. 4. Sayrus loco etiam ſupracitato numero. 9. cum ſequentibus. Quibus in locis dicunt prædicti Doctores, quod ad ponendam ceſſationem prædictam, & ad hoc vt ipſa ſit legitima, decem debent conditiones concurrere. Prima, vt prædictam ceſſationem imponens, poteſtatem habeat à iure vel à conſuetudine, vt ceſſare poſſit, quæ conditio habetur in *cap. ſi Canonici, de offic. ordin. lib. 6.* Secunda, vt ſi ceſſatio ponenda eſt à Capitulo, omnes Canonici, nemine dempto conuocentur, etiam abſentes qui conuenire poſſunt, ac ſi de electione aliqua eſſet agendum, vt habetur in *capi. coram dilecto, & capi. 1. quia propter de elect.* & de ceſſatione, in *cap. quamuis, de offi. ordin. lib. 6.* Tertia, vt de cauſa ceſſandi, mature ac diligenter tractetur, priuſquam ceſſetur. Quarta, vt fiat deliberatio, & hoc per maiorem partem Capituli ſiue Conuentus, per dictũ *cap. quamuis*, nam prædicta ceſſatio ibidem electioni æquiparatur, certũ eſt autem electionem faciendam eſſe à maiori parte, quo fit vt ſi ex Capitulo vel Conuentu vna pars concordet in ceſſatione alia vero contradicat nullatenus erit ceſſandum. Quinta, quod offenſa propter quam ceſſatur ſit notoria & manifeſta, nec ſatis eſt quod ſit probabilis, aut quod probabilibus rationibus agatur contra aliquem, contra quem volunt ceſſare, nec circa hoc vlla conſuetudo ſufficit, quia eſſet onerosa, vt habetur in *cap. 1. & cap. cũ Venerabilis, de conſuetudine.* Videatur hac de re Syluester, *verbo, ceſſatio, q. 1.* Sexta, quod cauſa illa propter quam ceſſatur, præterquam quod ſit notoria & manifeſta, ſit etiam rationabilis, quæ conditio ſatis per præcedentem explicatur. Nam vtraque eſt de iure, & neque ſufficit quod cauſa ſit rationabilis, verum etiam requiritur quod ſit apertis rationibus monſtrata. Quænam autem cauſa rationabilis cenſeatur, tradunt Doctores dicendo non eſſe ponendam ceſſationem, neque pro penſione ſubtracta, neque pro aliqua minima offenſa, ſed pro graui Eccleſiæ iniuria, vt puta quia fiunt ſtatuta cõtra libertatem Eccleſiaſticam, vel quia imponuntur Clericis tallia, aut quia Canonicus ſiue Eccleſiaſticus aliquis per poteſtatem ſecularem detinetur. Septima, quod ante ceſſationem, inſtrumento aliquo publico, vel patentibus literis authenticis ſeu authentico ſigillo munitis, cauſa ceſſationis exprimatur. Octaua, quod illud inſtrumentum, vel literæ tradantur illi, contra quem ceſſatur. Nona, quod ceſſaturi requirant ipſum, vt competenter emendet iniuriam, ſeu offenſam, propter quam volunt ceſſare, quod ſi ille facere renuerit, tunc locum habebit ceſſatio. Decimo, quod poſt ceſſationem vtraque pars tam ceſſans, quam illa contra quam ceſſatur, infra menſem per ſe, vel per procuratorem iter arripiant ad Sedem Apoſtolicam, & competenti dierum ſpatio ſe eidem repræſentent, vt cognita cauſa ſummus Pontifex remedium adhibeat. Supradictæ omnes conditiones afferuntur à Doctoribus prædictis, de quibus etiam videndus eſt Syluester, *verbo, ceſſatio, quæſt. 1. nu. 2.* & deductæ ſunt ex *cap. ſi Canonici, & ca. quamuis, de offic. ordin. lib. 6.* vbi conſulendus eſt Ioannes Andr. & omnes cõmuniter Iuriſperiti. Qui & circa illas nonnullas mouent difficultates, quarum eſt prima, an omnes ſupradictæ conditiones ſeruandæ ſint generaliter in omni ceſſatione, lata ab Epiſcopis ſeu Iudicibus ordinarijs, ſeu ab aliquo Collegio, ſiue Capitulo, ex priuilegio ſeu conſuetudine, an vero ſolum & ſpecialiter in illis, quę ponuntur à ſupradictis Collegio ſiue Capitulo? Circa quam difficultatem vera reſolutio eſt, quod conditiones prædictæ, contentæ in dictis capitulis ſiue iuribus, principaliter habent locum & intelligi debent de illis ceſſationibus, quæ feruntur à Collegijs ſiue Capitulis prædictis, non vero ita de illis, quæ ponuntur ab Epiſcopis ſeu alijs Iudicibus ordinarijs. Quod & ex eo colligere licet, quia multæ ex conditionibus ibidem appoſitis, ita ſunt ſupradictarum ceſſationum propriæ, vt nullatenus locum habeant in iſtis. Etenim cum ceſſationis ſententia fertur ab Epiſcopo, ſeu

Ad ponendam ceſſationem prædictã 10. cõditiones debent concurre re.

Difficultas. An omnes ſupradictæ cõditiones ſeruandæ ſint neceſſario in omni ceſſatione, tã lata ab Epiſcopis, quam à Canonicis.

seu ab alio ordinario Iudice, cum feratur ab vna persona tantum, non habet locum conuocatio & consultatio plurium, nec multa alia quæ in dictis conditionibus continentur, & quamuis ibidem habeantur aliæ, quæ vtrisque possunt esse cõmunes. Certissimum est etiam, quod ex vi supradictorum iurium, conditiones prædictæ non requiruntur in Episcopis, alijsque Iudicibus ordinarijs, cum supradicta iura, non de his omnibus generaliter loquantur, sed specifice de supradictis Collegijs atque Capitulis. Quod si in illis etiam exiguntur, nõ id erit, tam ex vi supradictorum iurium, quam ex æquitate, seu ex quadam rationis paritate, vt dicunt omnes Doctores communiter. Quod & quãmaxime tunc verum habebit, quando id fuerit receptum ac positum in consuetudine, nõ vero alias, nam sola similitudo rationis (vt credo) ad inducendam prædictam obligationem non sufficit. Qua de re videatur Suarez disputat. 38. sect. 3. num. 6. & 10 vbi hac de re agit latissime. Quod quidem intelligendum non est de illis conditionibus, quæ necessario seruandæ præscribuntur à iure, in omni censura siue sententia quæcumque illa sit, de quibus habetur in *cap 1. de sententia excommunicationis*, nam de his aliud atque diuersum est iudicium, vt dicetur amplius in sequenti articulo, nam nunc tantũ modo loquimur de alijs conditionibus, non ita essentialibus & substantialibus.

ARTICVLVS VIII.

Quænam conditiones sint necessario seruandæ, in ponenda prædicta cessatione à diuinis?

HIc articulus proponitur ad maiorem præcedentis explicationem, & ad inquirendum, an omnes illæ supradictæ cõditiones, de quibus mentio facta est in præcedenti articulo, adeo sint de essentia, & substantia prædictæ pœnæ cessationis à diuinis vt qualiber earum deficiente, cessatio ipsa sit nulla. Et ratio dubitandi est, nam in dicto *cap. si Canonici*, nullum est verbum, ex quo liquido colligi possit, conditiones prædictas inducere formam substãtialem, aut ita præcisam necessitatem, vt ex earum defectu cessationis sententia censeatur esse nulla: sed hoc solum modo quod iniuste sit lata, & qui illam tulerit incurrat pœnam ibidem præscriptam. Pro alia vero parte videtur, quod conditiones prędictæ, sint de essentia & præcisa necessitate cessationis à diuinis, quia in *cap. quamuis, de offic. ordin. lib. 6.* in finalibus verbis ponuntur sequẽtia verba. *Parte insuper à diuinis cessante, suprascripta tam in cessando, quam in veniendo siue mittendo ad sedem Apostolicam non seruante, non seruetur cessatio. sed ea non obstante, vt prius in ipsa Ecclesia celebretur.* Ex quibus verbis, non incongrue colligitur, quod si conditiones ibidem prescriptæ à parte cessante non seruentur, cessatio ipsa erit ipso facto nulla, si quidem præcipitur vt non seruetur, & quod ea non obstante, in eadem celebretur Ecclesia sicut prius, quæ quidem verba magnam ingerunt dubitationem. Et præterea est difficultas, an idem omnino intelligendum sit de conditionibus appositis in dicto *cap. si Canonici*, atque in dicto *capit. quamuis*. Circa quæ magna est lis & controuersia, inter Iurisperitos Doctores, quorum sententijs breuitatis gratia prætermissis, quæ ad hunc articulum spectant resoluentur breuiter atque resolutiue, per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

LOquendo de cessationibus positis siue ponendis à Collegijs siue Capitulis, certissimum est quod omnes conditiones prædictæ sunt ab eisdem seruandæ, tamquam forma substantialis, ita quod cessatio aliter posita, erit ipso iure nulla. Hanc sententiam & conclusionem tenet expresse Ioannes Andræas in dicto *capit. quamuis*, & Syluester, *verbo, cessatio, quæst. 2. num. 3.* allegando in id supradictum *cap. quamuis*, & verba à nobis superius allegata & posita. Eandem tenet Angelus *verbo, cessatio*, & Suarez, disputat. 38. sect. 3. numer. 13. vbi & dicit quod quamuis irritatio prædicta in dicto *capit. si Canonici*, expresse non habeatur, sed solum modo illic dicatur quod ibidem scripta non seruantes subiaceant pœnis in eodem cap. positis, attamen cum suprad. *cap. quamuis*, in principio mentionem faciat constitutionis Gregor. X. positæ in dicto *cap. si Canonici*, ipsamque confirmet, & confirmando denuo addat alias conditiones ibidem contentas, manifeste sequitur quod illa vltima verba ibidem posita ac superius à nobis relata, referri videantur ad totam formam ferendi cessationem prædictam, ex vtroque Decreto resultantem, & quod vtrobique loquendo de Collegijs & Capitulis supradictis, conditiones prædictæ seruandæ sunt, tãquam pro substantiali forma, ita vt cessatio aliter posita sit ipso iure nulla. Quæ quidem resolutio extendi etiam potest & debet, ad cessationem, quæ fertur à Capitulo sede vacante, quia licet tunc eam ferat potestate ordinaria & iure ordinario, quia successit in locum Prælati, propter similitudinem tamen rationis ex vi supradictorum verborum, videtur quod facienda sit supradicta extensio, quodque etiam in eis locum habeat prædictum *cap. quamuis*, cum absolute loquatur de Capitulis atque in dicto *capit. Canonici*, quod expresse loquitur de Capitulis, quæ potestatem habent cessandi, siue ex consuetudine siue alias, sub qua posteriori particula, *alias*, comprehenditur quilibet modus habendi prædictam iurisdictionem, & consequenter quod sub illa dictũ etiam Capitulum, sede vacante concludatur. Quidam dicunt hoc non habere locum, cum prædictũ Capitulum sede vacante, exercet suam iurisdictionẽ per Vicarium, ad id deputatum & creatum, iuxta Concilium Tridentinum, tunc enim (inquiunt) ab ipso solo ferri posse cessationem prædictam, sicut & à Vicario Episcopi, neque in eo locum habere supradictas conditiones, sed contrarium omnino verius esse credo, ac conuenientius putarem, vt in prædicto etiam casu, supradictæ conditiones seruarentur, quo omnia magis iustificata forent, & cum maturiori consilio in his ageretur.

Collegia, siue Capitula in posnẽda prædicta cessatione, necessario obseruare habẽt omnes conditiones prædictas.

Secunda

Secunda Conclusio.

Episcopi & Iudices ordinarii, in ferēda supradicta cessatione, non necessario tenētur seruare omnes prædictas cōditiones sed solū illas quæ secundū ius sunt essentiales & substantiales.

LOquendo de Episcopis, aliisque Iudicibus ordinarijs, conditiones prædictæ non necessario sunt seruandæ aut habendæ omnes pro substantiali forma, sed illæ duntaxat, quæ cōmunes sunt omnibus censuris, & in ipsis dijudicantur essentiales, & substantiales. Hæc conclusio meo quidem videri est certissima, & eam tenet prædictus Suarez loco supracitato num. 13. & eiusdem ratio in promptu est, quia nullum in iure reperitur fundamentū, ex quo congrue colligatur, huiusmodi conditiones esse extendendas, ad cessationes Episcoporum & Ordinariorum Prælatorum, cum de illis ibidem nullo modo fiat sermo, sitque res Prælatis supradictis valde odiosa & rigorosa, ac proinde potius restringenda quam extendenda. Vnde illæ duntaxat conditiones ab eis necessario obseruādæ sunt, quæ essentiales dijudicantur pro omnibus in vniuersum sententijs atque censuris. Sed dices quænam sunt illæ? Respondetur per sequentes Conclusiones.

Tertia Conclusio.

Ad ponēdam cessationē, necessaria sunt aliqua verba & etiā vt præcedat admonitio.

ADponendam cessationem prædictam, quamuis in iure non sint aliqua expressa & determinata verba, necessaria tamen sunt prosubstantiali forma verba aliqua, quibus mens & intētio prædictam cessationis sententiā ferentis explicetur; & quod prius aliqua saltē admonitio præcedat. Hæc cōclusio est generalis omnium resolutio, satisq; probatur ex his quæ dicta sunt supra, agendo de excōmunicatione, suspensione & interdicto, & traduntur generaliter à Doctoribus, agendo de censuris in communi. Quæ quidem prædicta non ita necessaria sunt ex speciali ratione censuræ, quam ex generali ratione sententiæ, & ad hoc vt ipsa sit iusta non vero iniusta irrita & nulla. Vnde omnia quæ in iure ponuntur tamquam essentialia & substantialia ad ferendam censuram quamcumque, æque essentialia & substantialia sunt, ad ferendam cessationis sententiam prædictam, necessarioque obseruanda non solum à supradictis Collegijs & Capitulis, verumetiam à quibuscumque Episcopis & ordinarijs Iudicibus, volentibus cessationem ponere, alias ipso facto erit irrita & nulla. Quod vel maxime verum habet, de admonitione prædicta, quæ necessario debet præcedere, & fieri à quocumque Prælato cessationem ferente, nam cum prædicta cessationis sententia, in eo cum censuris conueniat, quod non ponitur nisi ad hoc, vt à contumacia recedatur, sicut & censuræ prædictæ, ita etiā præuiam monitionem aliqualē saltem necessario requirit. Quod vero ea fiat tali tempore, seu tali modo (quod etiam iure præscribitur) quamuis necessarium sit vt recte fiat, non tamen vt prædicta sententia sit valida, dummodo sufficiens aliqua ad monitio præcedat, hæc enim simpliciter videtur necessaria, iuxta ea quæ supradiximus, de excommunicatione & alijs censuris. Videatur hac de re Suarez disputatione 38. numero quinto, & numero vndecimo.

Quarta Conclusio.

Omnia illa, quæ ad solemnitatem pertinēt cuiuscumque censuræ, obseruāda etiam sunt in ferenda cessatione à diuinis.

ETiam illa quæ pertinent ad solemnitatem accidentalem cuiuscumque censuræ, quæ & præscripta sunt, in *capit. de sententia excommunicat. lib. 6.* obseruanda sunt, in ferenda prædicta cessatione à diuinis; quamuis non ita necessario aut simpliciter. Hanc conclusionem tenent omnes Doctores communiter, qui agunt de cessatione prædicta, probātque illam, nam quamuis id non haberetur, ex vi & rigore supradicti textus atque capituli, quod solū loquitur de excommunicatione, præcipitque illa seruari in ferenda ipsa, & extenditur à Doctoribus à paritate rationis, ad suspensionem & interdictū, sub quibus in rigore non comprehenditur prædicta cessatio, nihilominus tamen iam id est consuetudine receptum, vt illa etiam seruetur forma, in hac sententia cessationis ferenda, vel propter similitudinem rationis, quæ sumitur ex principio illius textus, ibi, *cum medicinalis sit excommunicatio, & non mortalis* (quod etiam conuenire debet prædictæ cessationi) vel propter prædicta decreta atque capitula, *cap. si Canonici, & capi. quamuis, posita in tit. de officio ordin. in 6.* quibus idipsum insinuatur, & in hoc conueniunt omnes DD. vnanimiter.

Quinta Conclusio.

Vltima ex suprādictis cōditionibus, necessario in cessatione seruāda est, aliàs cessatio ipsa erit nulla.

VLtima etiam ex supradictis conditionibus, nē pe vt post cessationem positam, nisi partes intra mensem in concordiam veniant & cessatio cesset, quod teneantur, tam qui cessationem ponunt, quam illi, quorum causa cessatur, per se vel per idoneos procuratores suos, cum instrumentis & actis ad negotium spectantibus ad Sedem Apostolicam accedere, vt quod in eo casu agendum sit ab ipsa declaretur, necessario seruanda est, alias prædicta cessatio erit ipso facto nulla. Hæc conclusio constat expresse, ex supradicto *cap. quamuis*, in finalibus verbis, ibi, *parte insuper à diuinis cessante.* Circa quæ verba, insurgit difficultas, quæ proponitur à Soto in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 2. conclusion. 3. in decima conditione, an scilicet si transacto mense partes in cōcordiam veniant, cessatio prædicta tolli possit, ante latum & sine mandato summi Pontificis? Quidam enim negant & dicunt, quod non, sed supradictus Soto affirmanter respōdet, quod partes post concordiam, optime possunt cessare, non expectato mandato summi Pontificis. Cuius sententiam in hoc sequuntur omnes communiter Doctores, Enriquez lib. 3. de excommunicat. cap. 52. §. 2. in fine, Suarez disputat. 28. sect. 3. num. 12. Sayrus lib. 5. capit. 18. num. 19 & ratio huius in promptu est, quia mens & intentio summi Pontificis, in dicto *capit. quamuis, de officio ordin. lib. 6.* non fuit Ecclesiam vllo modo grauare, reseruando sibi relaxationem talis cessationis, neque in illo textu vllum est verbum, ex quo talis reseruatio colligi possit, sed eius intētio solummodo fuit, vt quamcito prouideretur Ecclesiæ & damnis, quæ ex eiusmodi cessationibus solent euenire. Si tamen partes intra se conueniant, non est cur Romanum Pontifi. adire adstringātur, sed statim citra summi Pontificis iussum, cessatio ipsa tolli poterit, auctoritate eius, qui eam posuit.

Difficultas.

Nota valde.

Cuius

Cuius quam magnum indicium est, quia textus ibidem idipsum maxime de parte cessante asseruit, nempe quod si pars cessans infra dictum mensem, non iter ad Sedem Apostolicam arripuerit non seruetur cessatio. Secus est autem si pars contra quam cessatur, iter prædictum aggredi renuerit, nam propter ipsius contumaciam, non debet Ecclesia iure cessandi spoliari, vt probe notat Syluester, *verbo, cessatio, quæst. 2. num. 3.* alioquin reus per suam contumaciam irritaret actum iuridicum partis læsæ. Ex quo plane colligitur, qualis fuerit mens & intentio summi Pontificis, in dicto *cap. quamuis*, & quod optima sit prædicta Soti resolutio.

In fine huius Articuli libuit aduertere, id quod faciunt omnes supradicti Doctores, quod si pars quæ cessationem posuit, non eam obseruat, nec alij ipsam seruare tenentur, & à contrario quod seruanda est (vt dixi) etiam si pars propter quam cessatur, illam non seruet, nam nemo debet ex delicto reportare commodum, & vt dixi aliàs reus per suã contumaciam irritaret actum iuridicum Ecclesiæ, & partis læsæ, quod non est dicendum, neque vllo modo admittendum. Qua de re videatur Summa Angelica, *verbo, cessatio, num. 3. in fine*, & Syluester, verbo etiam *cessatio*, quæst. 2. num. 2. etiam in fine, & quæst. 2. & Soto in quarto dist. 22. quæst. 3. art. 2. cõclusione 3. & Suarez loco supracitato, disputat. 28. section. 3. numer. 14. & Sayrus libr. 5. capite 18. numero 16. & 17.

ARTICVLVS IX.

Quænam sit pœna violantium cessationem prædictam à diuinis?

CIrca hunc Articulum tres simul insurgunt difficultates, quarum est prima, circa pœnam illius, qui causam prædictæ cessationi dedit. Secunda, circa pœnam eius, qui forsan iniuste cessationem ipsam tulit. Et tãdem tertia, circa pœnam illius, qui cessationem prædictã iuste latam violauit. De quibus omnibus, in sequentibus Conclusionibus agendum est per ordinem.

Prima Conclusio.

Ad quam pœnam teneatur is, qui cessationi iniuste causam dedit.

IS qui cessationi iniuste causam dedit, tenetur ad omne interesse Canonicis & Clericis illius Ecclesiæ, seu Ecclesiarum in quibus cessatum est, & insuper ad aliquam satisfactionem faciendam Superioris arbitrio, in augmentum diuini cultus cõuertendam. Hanc sententiam & conclusionem tenet expresse Syluester, *verbo, cessatio*, quæst. 3. num. 4. & Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. arti. 2. conclusione. 3. & Enriquez lib. 13. cap. 52. §. 3. in fine, Suarez disp. 38. sect. 3. num. 16. Sayrus lib. 5. capi. 19. num. etiam 19. & habetur prædicta conclusio expressa in *cap. si Canonici, de offic. ordin. lib. 6.* Circa quam conclusionẽ hoc solum notandum est, quod quantum ad priorem partem, restitutio prædicta statim est facienda, quia non est tam proprie pœna, quam restitutio damni illati: quantum vero ad secundam partem necessaria est Iudicis condemnatio, atque sententia.

Secunda Conclusio.

Ad quam pœnã teneantur ij, qui iniusta & sine legitima causa cessarunt.

QVi iniuste & sine sufficiẽti atque legitima causa cessarunt, non seruantes conditiones necessario requisitas, & appositas in dicto *cap. si Canonici, & cap. quamuis, de officio ordin. lib. 6.* & quandocumque causa, propter quam cessatur, non fuerit reperta canonica & sufficiens, siue sit Episcopus, siue quicumque alius aut Canonici, qui cessarunt, tenentur restituere omnia damna illata, & interesse seu lucrum cessans partis læsæ, & insuper restituere omnes fructus quos interim perceperunt ab Ecclesia in quacessatum est. Hanc conclusionem tenent expresse supradictus Syluester, Soto Enriq. Suarez, & Sayrus locis supracitatis, colligiturque manifeste ex dicto *cap. si Canonici*, quod licet solum modo loquatur de Capitulo Canonicorum, ab omnibus tamẽ Doctoribus extenditur etiam ad Episcopos, & ad quoscumque alios dictam cessationẽ iniuste, & absque iusta & legitima causa imponentes, qui & similiter puniri debent ad arbitrium Superioris, vt dictum est supra. Qua in re non libet amplius immorari, sed videantur Doctores prædicti, qui omnia contenta in dicta conclusione explicant & declarant latissime.

Tertia Conclusio.

In quã pœnã incidãt violãtes cessationẽ iuste positam.

VIolantes prædictam cessationem à diuinis iuste positam, omni proculdubio peccant mortaliter, & si sint Religiosi, & cessatio fuerit generalis, quæ vt dicitur æquiparatur interdicto, incurrunt in excommunicationem, secus autem si sit particularis. Hanc conclusionem tenent expresse etiã omnes supradicti Doctores, locis superius citatis, colligiturque aperte ex Clementina 1. *de sententia excommunicat.* Solum est difficultas & controuersia inter Doctores prædictos, an Clerici siue Religiosi, violando cessationem prædictam, & celebrando in loco vbi cessatur, incurrant irregularitatẽ? De qua difficultate agemus in sequenti Articulo.

ARTICVLVS X.

Vtrum Clerici & Religiosi, violantes cessationem prædictam, incurrant irregularitatem?

CIrca hunc Articulum, vt certa ab incertis separemus, aperiamusque viã ad ea, quæ postmodum sunt dicenda, nonnulla oportet proponere fundamenta.

Primo nota. Certum esse quod celebrãs in loco interdicto, incurrit irregularitatem.

Primo præmitto tamquam certum atque indubitatum, quod celebrans in loco interdicto seu in Ecclesia interdicto supposita, irregularitatem incurrit, ex eo quod violat interdictum & celebrat. Hæc est communis & generalis omnium Doctorũ resolutio, cuius & ratio in promptu est, nam vt supradiximus, constat que ex *cap. fin. de excessibus Prælato-*

lator, per interdictum violatum efficitur quis ſuſpenſus, ſuſpenſus autem celebrans, certum eſt quod efficitur irregularis, per *cap. 1. de ſentent. & re iudic. lib. 6, & cap. cum medicinalis, §. fin. capit. is cui, §. is vero, de ſentent. excommunicat. eodem lib. 6.* tenetque id Panormitan. in *cap. dilectis filijs, de appellat. num. 18. 19* & 20. & Sylueſt. *verbo, interdictum 5. q. 4.* in 1. dicto & Couarruuias, in *cap. alma mater*, §. 2. nume. 3. Sayrus lib. 5. cap. 17. num. 9. de quo nullus eſt dubium. Sed intelligendum hoc eſt, de eo qui miniſtrat in ordine ſacro quem habet ſolemniter, & à cuius executione ſuſpenſus eſt, vt ſupra diximus agendo de interdicto, & qui celebrauerit tempore interdicti generalis, quod in Eccleſia matrice ſeruatur. Etenim ſi in ea non ſeruaretur, non efficeretur irregularis, vt notat Couarru. in dicto *cap. alma mater*, §. 2. numer. 3.

11. nota certũ eſſe etiãquod ſi ceſſatio eſt particularis, celebrans ibidem nõ efficitur irregularis, neq; Religioſus ipſam non ſeruans, erit excommunicatus.

Secundo præmitto eſſe etiam certum, quod ſi ceſſatio eſt particularis, celebrans ibidem non efficitur irregularis, nec Religioſus eam non ſeruans erit excommunicatus, etiam ſi Eccleſia eſſet matrix; quia ſecundum omnes eiuſmodi ceſſatio non æquiparatur interdicto. Hæc eſt etiam communis omnium Canoniſtarũ reſolutio, vt conſtat ex gloſſa 2. in *cap. ſi Canonici, de offic. ordin. lib. 6.* & ex Hoſtiẽſe in *cap. irrefragabili, eodem tit. in antiquis, num, 11.* & Panormit. in *cap. cum dilectis filijs, de appellat.* quos ſequitur Couarruuias vbi ſupra, nume. 4. & Sylueſt. *verbo, interdictum, 1, num. 1. & verbo, ceſſatio, q. 5.* & Nauarr. in Manuali cap. 27. nume. 188. quorum omniũ fundamentum eſt, quia dicta particularis ceſſatio non eſt interdictum particulare, multoque minus generale, & conſequenter nullum interdictum, & quia in iure tantum eſt certum, vt qui celebrat in loco interdicto fiat irregularis: ex quo ſubinde conſequenter ſequitur, quod qui celebrat non in loco interdicto, ſed vbi eſt ceſſatio particularis non irregularitatem incurrit, nam irregularitas non incurritur niſi in caſibus à iure expreſſis, iuxta *cap. is cui, de ſentent. excommunicat. lib. 6.* Cui & alia peculiaris ratio addi poteſt, & ea eſt, quod interdictum ita afficit locum ipſum interdicto ſuppoſitũ, vt qui in illo celebrauerit, in caſu aut modo nõ ſibi conceſſo irregularis fiat, at ceſſatio non habet eiuſmodi effectum, neque ita afficit locum, quo fit, vt licet quis peccet celebrando in loco vbi eſt ceſſatio à diuinis, non tamen fiat irregularis per ſupradicta & inferius dicenda.

111. nota ter tiſsimũ eſſe, quod ſi ceſſatio eſt generalis, Religioſi eã violantes excõmunicationẽ incurrunt, nõ vero ſi ſit particularis.

Tertio etiam præmitto eſſe ſimiliter certum, quod ſi ceſſatio ſit generalis, Religioſi eam violantes excommunicationem incurrunt, per Clement. 1. *de ſentent. excommunicat.* non vero ſi ſit particularis. Hæc etiam eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt Sylueſter, *verbo, ceſſatio*, quæſt. 5. num. 5. & Suar. diſputat. 28. ſect. 2. nu. 36. & Sayr. lib. 5. cap. 17. num. 9. & 10. quod intelligendum eſt, dummodo ceſſationem prædictam ſeruet Eccleſia Cathedralis vel matrix, ſeu Parrochialis loci. Et aduertit ſupradictus Suarez, quod ſupra dicta excommunicationis pœna, poſita in dicta Clementina non afficit mere laicos nec ponitur contra ipſos, nec contra Clericos ſeculares, ſed ſolũ contra Religioſos, tam exemptos quam non exemptos, cuiuſcumque ordinis & conditionis extiterint, vt conſtare poteſt ex eiuſdem verbis ibidem.

His igitur ſic præmiſſis atque ſuppoſitis fundamẽtis, ſtat modo difficultas de ceſſationibus generalibus, an ipſas violantes & Clerici ſiue Religioſi ibidem celebrantes irregularitatem incurrant?

Qua de re non eſt concors Doctorum ſententia, ſed duæ communiter feruntur opiniones.

Prima opinio eſt Ioannis And. in dicto *capi. ſi Canonici*, & Innocent. Ancarani, & aliorum ibidem, & Calder. in tract. de interdicto, aſſerentium Clericos ſiue Religioſos, violantes huiuſmodi ceſſationem generalem, fieri irregulares, quãuis aliud ſentiant de ceſſatione particulari. Hanc ſententiã tenere viſus eſt D. Antoninus 3. par. tit. 27. de interdicto, cap. 3. ante medium, & ſumma Angelica, *verbo, ceſſatio*, in princ. Palud. in 4. diſt. 18. quæſt. 8. arti. 3, in principio concl. 4. Simon Maiolus, lib. 3. de irregularitate, ca. 20. num. 11. Gonſaluus à Villadiego, tractat. de irregularitate, cap. de interdicto, in fin. In quam partem inclinare etiam videtur Couarr. vbi ſupra num. 4. qui omnes fundantur in æquiparatione quam facit dicta Clement. 1. *de ſententia excommunicat.* inter ceſſationem & interdictum generale, ex quo colligunt quod eadem ſit vtriuſque ratio, quantum ad incurrendam irregularitatẽ. Sed nihilominus contraria ſententia eſt verior atque tenenda, de qua & ſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

Clerici ſiue Religioſi, violãtes prædictã ceſſationẽ generalẽ, licet celebrãdo peccent mortaliter, non tamẽ incurrunt irregularitatẽ.

CLerici ſiue Religioſi, violantes ceſſationes prædictas à diuinis etiam generales, quamuis celebrando mortaliter peccent, non tamen ſiunt irregulares. Hanc ſententiam in primis tenet gloſſa in *cap. ſi Canonici, de offic. ordin. lib. 6 verbo, ceſſare*, & Panormitanus in *cap. dilectis filijs, de appellat. numer. 18.* & 19, & Innocentius in Clemen. 1. *de ſenten. excõm.* Sylueſter, *verbo, interdictum, 1. quæſt. 1. in fin.* vbi ait, ita communiter ſentire omnes Doctores, in *cap. irrefragabili, § cæterum, de offic. ordin.* & idem Sylueſter *verbo ceſſatio, quæſt. 5.* vbi etiam ad id plures allegat & adducit Doctores, Soto etiam in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 2. concl. 3. Ledeſma 2. par. 4. quæſt. 16. artic. 2. poſt tractatum de interdicto Nauarr. in Man. capit. 27. num. 188. Medina in ſua Summa, ſiue Inſtructione Confeſſorum, lib. 1. cap. 11. §. 14. Enriquez lib. 13 cap. 52. §. 1. & cap. 54. §. 3. Couarr. in *capi. alma mater*, 2. par. §. 2. num. 3. Suarez, diſputat. 38. ſect. 1. num. 8. & 9. Sayrus lib. 5. cap. 17. num. 9. & 10. Quorum etiã omnium fundamentum eſt, quia in dicta Clement. 1. *de ſentent. excommunicat.* ceſſatio generalis & interdictum generale, non æquiparantur quoadomnia, ſed ſolum quoad effectum incurrendi Religioſos ſententiam excommunicationis ibidem poſitam. Vnde cum in iure expreſſe habeatur, quod irregularitas non incurratur, niſi in caſibus à iure expreſſis, per *capitul. is cui, de ſententia excommunicationis, libro ſexto*, manifeſte concluditur concluſionem prædictam, atque ſententiam eſſe neceſſario tenendã.

Sed dicet aliquis, quod licet irregularitas prædicta non reperiatur in iure expreſſa, ſub expreſſo ceſſationis nomine, nec particularis nec generalis contra celebrantes diuina officia ibidem, ſeu eo tempore, ſufficit quod reperiatur expreſſa ſub nomine interdicti, cum certum ſit aut ſaltim multũ probabile ſecundum quamplures Doctores, quod

ceſſatio prædicta maxime generalis, eſt quaſi inter dictum quoddam generale. Sed nihilominus dico, non id ſufficere ad hoc, vt dicamus incurri in eo caſu irregularitatem prædictam, cum nullibi in iure ſub proprio & expreſſo nomine ceſſationis, ſiue particularis ſiue generalis reperiatur expreſſa, ſitque id odioſum, ac iuxta communem iuris regulam, odia reſtringi, fauores vero conueniat ampliari. Qua de re videantur plura eaque notatu digniſſima, quæ afferuntur à Doctoribus ſupradictis, & á me breuitatis gratia prætermittuntur, ſed maxime videatur Syluеſter, *verbo, ceſſatio*, quæſt. 5. in fin. vbi horum omnium reddit rationem appoſitiſſimã & Sayrus vbi ſupra, numer. 11. & 12. vbi & ad hoc propoſitum refert ſcriptum eſſe memoriæque traditum, de quodam Iuriſconſulto, qui dicere ſolebat, quod qui dicit aliquem irregularem eſſe propter aliquam cauſam, caſum legis debet adducere & oſtendere, alias vero nihil faciet.

ARTICVLVS XI.

De relaxatione ſeu ſuſpenſione, prædictæ ceſſationis à diuinis.

PLures ſimul difficultates à nobis in hoc Articulo breuiter & reſolutiue ſunt explicandæ. Et primo an ceſſatio aliqua feratur in pœnam, ob culpam aliquam præteritam, & ad certum & determinatum tempus? Secundo, an dato caſu quod non ſic feratur, neque ferri poſſit niſi ob contumaciam, aut ſub aliqua conditione, an ipſa ſublata ſeu conditione iã adimpleta, ceſſatio ipſa per ſe tollatur, abſque vlla Superioris relaxatione. Tertio, à quo ſit facienda eiuſmodi ceſſationis relaxatio & qualiter; & an ad id aliqua forma in iure reperiatur expreſſa? Et tandem vltimo, an ceſſatio prædicta, poſſit ſuſpendi ad aliquod tempus, ſeu ad aliquem peculiarem effectum, & determinatũ locum? Quibus omnibus difficultatibus per ordinem fiet ſatis, per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Ceſſatio nunquam ferri cõſueuit in culpam præteritã neq; adcertũ & determinatum tẽpus, ſed ſemper propter cõtumaciam tantummodo.

CEſſatio nunquam ferri conſueuit, in pœnam ob aliquam culpam præteritam, neque vſque ad certum & determinatum tempus, ſed ſemper quo uſque contumacia recedat. Hanc ſententiam tenet expreſſe Suarez 5. tom. in tertiam partem Diui Thomæ, diſputatione. 38. ſection. 4. numer. 2. probatque eam ex communi vſu Eccleſiæ, nullaque alia inquit, requiritur amplior probatio, præſertim cum hac de re nihil expreſſum habeatur in iure. Vnde loquendum de ea eſt, vt communiter loquũtur Doctores de alijs pœnis & ſententijs ſiue cenſuris, quamuis ceſſatio (vt dixi) non ſit cenſura neque pœna, ſed prohibitio quędam celebrandi diuina.

(?)

Secunda Concluſio.

Ceſſatio poſita ob cõtumaciam, nõ tollitur ipſo facto eiã facta ſatisfactione, abſq; Iudicis relaxatione.

CEſſatio quæ ponitur ob contumaciam, & poſita aliqua conditione, tacita vel expreſſa, donec talis vel talis ſatisfactio fiat, quamuis recedente contumacia adimpletaque conditione, tollenda ſit ſtatim, non tamen id fit ipſo facto, etiam facta ſatisfactione, abſque relaxatione Superioris. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Suarez, loco ſupracitato, & ponit eam contra quoſdam aſſerentes, quod ceſſatio lata ad certum tempus, aut ſub aliqua conditione, donec hoc aut illud fiat ſtatim elapſo tẽpore vel adimpleta cõditione per ſe ceſſat. Sed in contrariũ, eſt veritas, quod probatur ex communi vſu Eccleſiæ, & quia prædicta ceſſationis ſententia, quamuis feratur in eum finem, non tamen eſt prohibitio conditionalis ſed ſententia abſoluta, quæ tollenda & reuocanda eſt à Iudice, recedente contumacia & facta ſatisfactione atque adimpleta conditione, aut quandocumque neceſſitas illius ceſſauerit, non vero ceſſat ſtatim ceſſatio per ſe ipſam, vt commune eſt in omnibus alijs pœnis, ſententijs atque cenſuris.

Tertia Concluſio.

Ceſſationis relaxatio, facienda eſt à Iudice qui eã poſuit vel á ſuo ſucceſſore aut à Superiore.

CEſſationis prædictæ relaxatio, facienda eſt ab eo, qui illam poſuit, aut ab ipſius ſucceſſore, ſi ille deceſſit vel à Superiore. Hæc concluſio eſt communis & generalis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt Suarez vbi ſupra, num. 1. & Sayrus libro quinto, capit. 18. numer. 7. Circa quam nihil de nouo dicendum occurrit, præter ea quæ dicta ſunt ſupra, agendo de relaxatione interdicti, & ſicut ad illud dictum eſt etiam ſupra, quod nulla ſunt in iure præſcripta aut determinata verba, ſed quod ſufficit vt id fiat quibuſcumque verbis, ſufficientibus ad hoc vt Iudex ſiue Prælatus voluntatem, & intentionem ſuam explicet, ita etiam dicendum eſt de ceſſatione, nam horum omnium vna eademque eſt ratio.

Sed maior difficultas eſt, circa ſuſpenſionem ceſſationis prædictæ, an ſuſpendi poſſit ad tempus, vel ad vnum locum & non ad alium, vtputa pro vna ciuitatis Eccleſia ſiue Monaſterio, aut pro vno tantum officio, ſcilicet pro Miſſa noua aut pro ſepultura? &c. non enim deſunt qui dicant, quod nõ partemque teneant negatiuam, de qua opinione videndus eſt Enriquez, libro decimo tertio, capite trigeſimo ſecundo, paragrapho primo, & capite quinquageſimo quarto, paragrapho ſecundo. Inquiunt enim, & maxime circa hoc vltimum, quod prædicta ceſſationis ſuſpenſio, à ſolo Papa fieri poteſt. Cuius rationem reddunt, quia ceſſatio ſicut & excommunicatio, ita habet à iure determinatum ſuum effectum, vt omnes ipſius effectus neceſſario debeant eſſe connexi. Sed nihilominus contraria ſententia communiter tenetur, de qua ſit quarta Concluſio in ordine ſolito.

Quarta

Quarta Concluſio.

Ceſſatio bene poteſt ſuſpēdi ex voluntate ferētis ipſam ad certū tempus et ad vnū locū, et etiam quoad vnū effectū nō vero quoad alium.

CEſſatio bene poteſt ſuſpendi ex voluntate ferentis ipſam, ad certum tempus ſeu ad vnum locum, & etiam quoad vnum effectum, non vero quoad alium. Hanc ſententiam tenet Suarez loco ſupracitato num. 4. & Sayr. loco etiam ſupracitato num. 8. Et quidem quod hoc ita ſit, quamuis hac de re nihil expreſſe habeatur determinatum in iure, ratio ipſa id ſatis ſuadet, quia per ſe atq; ex natura rei nulla eſt repugnantia, vt qui alias ſeu aliunde ceſſationem prædictam poteſt tollere & relaxare in totum, non etiam id poſſit ſecundum partem idq; præſertim cū prædicta ceſſatio (vt ſupra diximus) non ſit cenſura Eccleſiaſtica, ſed ſolum ſimplex quædam & nuda prohibitio, in qua certum eſt quod qui eam tulit, ſi cauſa adſit rationabilis, & aliunde non impediatur, ſicut poteſt in totum diſpenſare ita & in partem, ſeu reſpectu alicuius poteſt ipſam auferre. Videatur hac de re ſupradictus Suarez.

ARTICVLVS XII.

Qualiter Religioſi & Regulares, ex ſuis priuilegijs ſe gerere debeant, tempore interdicti, & prædictæ ceſſationis à diuinis.

SVpra in quæſtione præcedenti Articulo vltimo dictum eſt, & multis auctoribus atque rationibus comprobatum quod priuilegia Regularibus conceſſa circa ſuſpenſionem interdicti in certis quibuſdam diebus ſiue caſibus, non ſunt reuocata per Concilium Tridentinum. Supereſt nunc inueſtigare & explicare, qualiter Religioſi prædicti ſe gerere debeant, conformiter ad dicta priuilegia, ſupradicto interdicti tempore, & etiam tempore ceſſationis à diuinis; vt enim ſtatim dicemus, Regularibus prædictis conceſſum eſt ex ſpeciali priuilegio, vt vtroque tempore ſe habere poſſint ſimiliter, ſiue eodem prorſus modo. Pro quorum omnium plenior intelligentia, ſunt aliqua fundamenta præmittenda.

1. nota, quod omnes cōceſſiones et priuilegia iuris cōmunis ſiue particularis pro interdictis vt plurimum cō ceſſa, intelligenda ſunt pro interdicto generali et locali

Primo præmitto ex Auctore Supplementi & priuilegiorum Collectore, in Compendio, *verbo, interdictum 3. in fin.* quod omnes conſtitutiones ſiue conceſſiones iuris communis, aut etiam priuilegiorū particularium, factæ & quæ communiter fiunt, intelligendæ ſunt pro interdicto generali. Nā & hoc eſt quod communiter ponitur, & ſic *cap. alma mater de ſententia excommunicationis, lib. 6.* vbi habetur, *vt tempore interdicti, celebrari poſſit ianuis clauſis, &c.* communis eſt omnium Doctorum reſolutio, quod intelligitur de ſupradicto interdicto generali, & de interdicto locali, de quo ſimiliter intelligēda ſunt alia iura, quandocumque prohibetur celebrari. Quo fit vt quando non interdicitur locus ſed homines videlicet communitas alicuius loci, ciuitatis, ſiue oppidi ac denique populus, & homines talis loci, aut etiam totius Regni, tunc cum non loca ſint interdicta ſed homines, eiuſmodi ciuitatis hominibus interdictis, celebrari poterit ibidem, apertis ianuis, ac ſi interdictum non eſſet ibi. Hæc omnia habentur ex auctoribus ſupradictis, quæ dicunt eſſe certa atque indubitata, licet aliqui olim auctores oppoſitum dixerint.

Quādocumq; nō interdicitur locus, ſed homines alicuius loci, ipſis excluſis et eū tatis celebrarī poteſt, etiam apertis ianuis eſt, ac ſi nullum eſſet interdictum.

Secundo præmitto ex eiſdem, quod antiquitus, hoc eſt ante editionem prædicti c. *alma mater*, quod editum fuit à Bonif. VIII. anno Domini 1300. tempore prædicti generalis interdicti, ſolummodo erant à iure conceſſa ſequentia, nempe, quod poſſet celebrari ſemel in hebdomada ad renouandum ſacramentum, & quod poſſint miniſtrari ſacramēta baptiſmi, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ pro infirmis, & quod ſepultura præſtari poſſet cum ſilentio Clericis morientibus, qui eiuſmodi obſeruabant interdictum admodū explicatum in articulo. Item quod duo vel tres in ſimul, poſſent in Eccleſijs ianuis clauſis & cum moderationibus ſupradictis, dicere officium diuinum, taliter quod extra nequirent exaudiri. Hæc erant ſolummodo de iure communi antiquo, & quicumque aliquid amplius habere volebat, oportebat vt per priuilegium particulare, id obtineret ſibi concedi. Quapropter eo tempore conceſſum fuit nobis Fratribus Minoribus per Innocentium Quartum, & Clementem Quartum ac poſtea per Nicol. etiam Quartum, *quod poſſemus in Eccleſijs atque oratorijs noſtris, & in quibuſcumque aliis ad quæ nos declinare contingeret, celebrare diuinum officium & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta, ianuis clauſis, &c.* Item *quod etiam ſi apponeretur interdictum cum ſequenti clauſula, non obſtantibus priuilegijs quibuſcumq; Religioſis cōceſſis, prohibem⁹ quod nulla Eccleſiaſtica Sacramenta valeant miniſtrari, exceptis baptiſmate parmulorum & pœnitentia morientium, & quod nullum officium diuinum dici poſſit, &c. nihilominus omnia ſupradicta, poſſent prædicti Fratres facere, excluſis omnibus perſonis, quæ non ſunt de Ordine noſtro, niſi de eiuſmodi indulgentia fieret mentio expreſſa.* Habentur prædictæ conceſſiones in Monumentis noſtri Ordinis 1. impreſſ. fol. 21. & f. 26. & 2. fol. 105. conc. 220. & fol. 140. conc. 314. & referuntur in Compendio priuilegiorum, *verbo, interdictum*, 1. §. 2. & §. 4. Poſtmodum fuerunt aliqua alia priuilegia conceſſa, nempe, *quod poſſemus tali interdicti tempore, admittere ad diuina pueros noſtris ſeruitijs deputatos, ac negotiorum noſtrorum procuratores & operarios*, de quibus poſtea dicemus. Item per Alexand. Quartum, *conceſſum nobis fuit, quod poſſemus in vigilijs & feſtiuitatibus, ac per octauas Sanctorum, Franciſci, Antonij & Clarę, vna cum Religioſis & Clericis, qui ad noſtras Eccleſias conuenerint, publice ac ſolemniter diuina officia celebrare, niſi id ſpecialiter nobis fuerit prohibitum, aut nos ſiue præfati Religioſi & Clerici dediſſemus cauſam interdicto.* Habetur hæc conceſſio in dictis Monumentis Ordinis 2. impreſſione folio 257. conceſſione 642. & in Supplemento, folio 544. conceſſione 154. & refertur in Compendio noſtri facri Ordinis *verbo, interdictum*, 2. §. 1. Similem conceſſionem fecit idem Pontifex Fratribus pro feſtis Sancti Dominici & Petri Martyris, & habetur in Supplemento folio 115. conceſſione 110. & refertur in ſupradicto priuilegiorum Compendio, *verbo, interdictum*

Quæ fuerint priuilegia Regularibus conceſſa, ante ſupradictā almā mater.

Priuilegium profeſtiuitatibus S. Franciſci Antonij et Clarę, ſuarumque octauarum.

dictum, 2. §. 2. quæ conceſſiones licet poſtea reuocatæ fuerint per Bonif. VIII. *cap. alma mater*, poſtea tamen reualidatæ ſunt per alios ſummos Pontifices aliæq; multæ de nouo conceſſæ, vt inferius in ſuo proprio loco dicemus.

Tertio notandū ceſſa interdicti tẽpore, de iure cõmuni per c. almamater, præ 4. feſtiuitatib⁹ Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Pẽtecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Mariæ.

Tertio præmitto, quod poſt hæc omnia, ſuprad. prædictus Bonif. VIII. edidit atque promulgauit, prædictum *cap. alma mater*, quo conceſſit, vt in omnibus Eccleſijs & Monaſterijs, poſſent officia diuina generaliter celebrari, ianuis clauſis, & eo modo quo dictum eſt ſupra, & adminiſtrari Sacramẽta Baptiſmatis, & pœnitentiæ, celebrari etiam ſolemniter in quatuor feſtiuitatibus ibidem contentis. Et reuocauit omnia priuilegia ſuper hac materia conceſſa quibuſcumque perſonis ac etiam Religionibus, dicens, quod deberet ſufficere omnibus ſua conceſſio, quam in ſupradicto capite fecit. Sed poſt ipſum multi ſummi Pontifices plures fecerunt Regularibus conceſſiones, ſtatueruntque multa, obſeruanda circa modum, quo ipſi habere ſe deberent in prædictis interdicto & ceſſatione à diuinis, quæ omnia vt habeantur præmanibus, acque per ordinem, pro occurrentibus caſibus & negotijs, hac de re ſequentes ſtatuo Concluſiones in ordine ſolito.

Prima Concluſio.

Omnes Religioſi tenẽtur interdicta generalia obſeruare, cũ Eccleſia matrix illa ſeruauerit.

OMnes in vniuerſum Regulares & Religioſi, tam exempti, quam non exempti, cuiuſcumque Ordinis & conditionis exiterint, obſeruare tenentur interdicta generalia, tam auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quam à locorum Ordinarijs poſita, cum Cathedralem vel Matricem ſeu Parrochialem loci Eccleſiam illa viderint obſeruare, non obſtantibus quibuſcumque appellationibus, antea etiam ad eandem Sedem, vel alium ſeu alios interiectis, & alijs obiectionibus quibuſcumque, cum moderatione tamen Decretalis, & *capit. alma mater*, & ea non ſeruantes excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt. Hæc concluſio habetur expreſſa in Clementina 1. *de ſententia excommunicat.* quæ incipit, *ex frequentibus*, & tenet illam expreſſe Sylueſter, *verbo, excommunicatio 9. excommunicat.* 45. Circa quam conſtitutionem, nonnulla ſunt obiter, ſed neceſſario notanda.

1. nota pro explicatione Clemẽ. ex frequẽtibus. de ſent. excõmu. quod Concil. Trid. præcipit cẽſuras & interdicta Regularibus obſeruari

Primo quod Concil. Trid. ſeſſ. 25. de regularibus cap. 12. vbi hac de re agit, quamuis non ponant ſupradictam excommunicationis ſententiam, præcipit tamen ſeruari cenſuras & interdicta, nec dum à Sede Apoſtolica, verum etiam ab Ordinarijs emanata & promulgata mandante Epiſcopo. Quibus verbis (vt ſupra diximus) non reuocauit Regularium priuilegia, quæ habentur ad ſuſpendenda interdicta in aliquibus diebus ſiue caſibus, ſed ſolũmodo illa, quæ in quibuſdam Religionibus habebantur, ad nullum ſeruandum interdictum, quod eſt maxime notandum atque memoriæ commendandum.

II. nota pro explicatione d. Clem. quid ſtatuerit Pius II. circa interdictorum obſeruationem.

Secundo etiam eſt notandum, quod Pius II. declarando qualiter Minores Fratres nos habere debeamus, in obſeruatione prædicti interdicti, ſtatuit *quod ſi interdictum fuerit Apoſtolicum, tunc poſtquam prædictis Fratribus, qui loca habitant interdicta inſinuatio fuerit facta ad obſeruantiam eiuſdem interdicti adstringantur, nulla exceptione aut excuſatione admiſſa (etiam ſi cæteri Religioſi ac ſeculares ex quacumque cauſa illud non obſeruauerint) ſed ſi interdictum fuerit ordinarium, tunc ſolum ad illius obſeruantiam obligentur, quando matricem Eccleſiam illud viderint obſeruare.* Habetur hæc conſtitutio in Monumentis noſtri Ordinis 1. impreſſ. fol. 50 & 2. fol. 49. conceſſ. 42. & refertur in Compendio, *verbo, interdictum*, 1. §. 9. Sed ſtatim in §. ſequenti aduertitur, quod Innocent. VIII. reuocauit ordinationem ſupradictam, ſeu declarationem Pij Secundi de obſeruatione interdicti Apoſtolici, ſcilicet, quod etſi non ſeruetur ab Eccleſia Matrice, obſeruari tamen debeat à Minoribus Fratribus, & reduxit eam ad ius commune. In quo ſtando dico primo circa conſtitutionem prædictam Clement. V. quod ipſa non ligat Clericos neque ſeculares, prout aduertit gloſſa ibidem, *verbo, Religioſi*, ſed tantũ dicit ſub ea comprehendi Religioſos omnes, tam Mendicantes quam non Mendicantes, poſtquam ibidem apponuntur illa verba, *Religioſi quicumque, tam exempti, quam non exempti, cuiuſcumque ordinis & conditionis exiſtant*, qui etiam (inquit) intelliguntur ſcire obſeruantiam interdicti à Matrice Eccleſia, quandocumque viderint ſeu alio corporis ſenſu perceperint idipſum (etiam auditu) quod quidem eſt intelligendum de auditu probabili, qua etiam ratione in ſupradicta Conſtitutione ſtatim additur, quod eam probabiliter ignorantes, non ipſa ligentur.

Prædicta Conſtitutio Clem. V. nõ ligat Clericos neq; ſeculares, ſed religioſos tãtũmodo, tã Mendicãtes, quam nõ Mẽdicãtes.

Tertio eſt notandum, quod ad obſeruantiam cõſtitutionis prædictæ, ac ſub excommunicationis pœna ibidem poſita, aſtringuntur Religioſi & Regulares prædicti, prout ibidem dicitur, etiam in interdictis & ceſſationibus à diuinis, indictis per Prouincialium Conciliorum ſtatuta, vel ipſorum auctoritate poſitis. Item in ceſſationibus generalibus à diuinis, ciuitatum, terrarum & aliorum locorum, quas aliquando ex conſuetudine vel alias, Capitula, Collegia, vel conuentus ſecularium, aut Regularium Eccleſiarum appoſuerint. Habetur in dicta Clementina vbi ſupra. Quod & ſimiliter eſt intelligendum de interdicto poſito à iure, vt quando, verbi gratia, Canon imponit interdictum ciuitati, quæ inſecuta fuit Epiſcopum, prout habetur, in *cap. felicis, §. ciuitas, de pœnitent. lib. 6.* quod & notat & aduertit gloſſa in ſupradicta Clementina 1. Ex quibus colligitur, quod dicta Conſtitutio non habet locum, Primo in interdicto poſito à ſingulari perſona, quæ ſpeciali conſuetudine poteſt interdicere, cum talis perſona id non faciat auctoritate Apoſtolica, nec ſit Ordinarius, de quibus tantum duobus caſibus, expreſſe ibi prædicta conſtitutio loquitur. Verum eſt tamen quod ſi ipſa ex conſuetudine, ordinariam haberet iuriſdictionem, iuxta terminos iuris poſiti in *capite. cum contingat, de foro competenti*, in tali caſu locus eſſet Conſtitutioni prædictæ. Nam textus ibi, non loquitur ſolum de interdicto lato à Diœceſano: tunc enim ſub eo nomine ſolus Epiſcopus intelligeretur, argumento cuiuſdam Decretalis, ſiue *capit. vnici, de vita & honeſtate clericorum, libro ſexto*, ſed loquitur de interdicto lato ab Ordinario, ad quod ſufficit, quod quis ordinariam habeat iuriſdictionem. Idem dicendum eſt de Delegato Apoſtolico, nam ſi habeat mandatum

III notaquod ad ſeruandã conſtitutionẽ prædictã Clem. V. aſtringuntur Religioſi, etiãſi interdictũ ſit poſitũ peraliqua Prouincialia ſtatuta, & ceſſationibus generalibus.

tum à Papa, poterit interdictum ponere, tenebitque & obligabit dicta Conſtitutio, alias vero nō, nam Conſtitutio prædicta loquitur de interdicto poſito Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſeu Ordinarij aut Delegatorum ſpecialiter ad hoc deputatorum vt interdicant. Cuius quidem ratio eſt: nam quando talis poteſtas datur ſpecialiter ad interdicendum aliquem ſeu aliquos, eiuſmodi Delegati, potius ſunt Miniſtri quam principales, & ipſe Pontifex committens eiuſmodi poteſtatem, intelligitur per ſe ipſum id facere, argumento deducto ex *cap. fin. de officio delegati.* Circa obſeruationem interdicti prædicti vide Sayrum capite tertio, numero 29.

Quarto nota, pro eadē Clemēt. ſeruādā eſſe interdictū, quandocūque à matrice ſeruatur, non vero aliter.

Quarto & vltimo eſt notandum, eiuſmodi interdictum eſſe ſeruandum, quandocumque ſeruatur ab Eccleſia matrice, Cathedrali ſeu Parrochiali loci, ſiue valeat, ſiue non, & quamuis alias interdictū ipſum exiſtimetur, aut putetur eſſe nullum atque inualidum, vtputa quia ab eo congruenti & debito tempore fuit appellatum, ſeu alia afferatur nullitatis ratio & cauſa. Quod non contingit in Clericis, ipſi enim non tenentur obſeruare cenſuras, quas ſciuerint eſſe nullas, etiam ſi Eccleſia Matrix illas obſeruet, vt tradit ſupradicta Gloſſa in dicta Clemen. *verbo, Religioſi*, docetque D. Antoninus 3. par. tit. 56. cap. 5. & Nauar. in *cap. cum contingat, de reſcript. remed. 2, n. 40.* & dicitur Eccleſia matrix, vt etiā ibidem dicit gloſſa in dicta Clement. *verb. Matricē*, Eccleſia maior, ſiue baptiſmalis, quæ & Matrix dicitur, quia ſicut mater generat, ſic & illa per baptiſmum regenerat. Sed quia interdicuntur quandoque loca Eccleſiam Cathedralem non habentia, quæ tamen Eccleſiam matricem habent, ideo Summus Pontifex expreſſit ibidem verbum illud, *ſiue Parrochialem loci.* At quia quandoque in aliquo loco ſunt plures Eccleſiæ æqualiter Parrochiales, aduertendum eſt quod ſi omnes illæ interdictum obſeruent, obſeruandum eſt à Religioſis, alias locus erit ſupradictæ Conſtitutioni & excommunicationi ibidem poſitæ: ſed tamen ſi aliquæ illud obſeruant, aliquæ vero non, tunc non eſſet locus pœnæ ſupradictæ. Nec etiam ſupradicta Conſtitutio obligat, quando interdictum fuerit poſitum in Eccleſia Cathedrali, ſiue Metropolitana alicuius Prouinciæ, nam vt ex verbis ipſius Conſtitutionis conſtat, ſummus Pontifex ibidem non loquitur, *niſi de Eccleſia Cathedrali Matrice, ciuitatis ſiue loci*, certumque eſt quod Eccleſia Metropolitana çamorenſis (verbi gratia) non eſt matrix Taurenſis, ac proinde nec Religioſi ibidem exiſtentes, obſeruare tenebuntur interdictum poſitum in Metropolitana çamorenſi, quod eſt valde notandum.

Quænā dicatur Eccleſia matrix, & quid in his obſeruandū ſit.

Nō propterea quod Eccleſia matrix, interdictū aliquod non obſeruet Religioſi tenētur in hoc ſe illicē formare & ipſum non obſeruare.

His omnibus addo, quod non propterea quod Eccleſia matrix aliquod interdictum non obſeruet tenentur Religioſi etiam ipſum non obſeruare prout etiam aduertit Gloſſa in dicta Clementina, & ratio eſt, quia Pontifex non dicit ibi, quod in nō obſeruando interdictum, ipſi ſe conforment cum Eccleſia Matrice, quinvero addere intendit, non vero minuere ad interdictorum prædictorum obſeruantiam, & argumentum à contrario ſenſu ceſſat, vbi contrarium illius argumenti, expreſſum reperitur in iure, prout tenet gloſſa communiter recepta in *cap. ſignificaſti, de foro competenti, & capit. á nobis, de ſententia excommunicationis.* Facit & *cap. ad hæc cum gloſſ. de teſtament.* Neque contrariorū eadem eſt diſciplina, vbi mens & verba iuris reſiſtunt, prout habetur ibidem. Et exceſſus Clericorum Eccleſiæ Matricis, interdictum non ſeruantis, non anſam debet Religioſis præſtare, ſiue materiam delinquendi, cum eſſe debeant ipſi ſacris Canonibus magis obſequentes. In hoc tamen ſat huiuſmodi differētia, quod ſi interdicti ſententia non ligat & Eccleſia Matrix ipſum non obſeruat, Religioſi ipſum etiam non obſeruantes, non ligabuntur ſupradictæ excommunicationis ſententia ſeu pœna, ſed alijs quæ in ſacris Canonibus continentur, in *cap. vltimo de exceſſibus Prælatorum, & in cap. auctoritate, cap. Epiſcoporum, de priuilegijs, lib. 6.* nempe quod erunt ſuſpenſi, eritque eis interdictus ingreſſus Eccleſiæ, & fient irregulares & ineligibiles, actiue & paſsiue. Sed tamen ſi Eccleſia matrix interdictum prædictum obſeruauerit, etiamſi ſententia eiuſdem interdicti fuerit nulla, impediente appellatione, ſeu aliqua alia nullitate, Religioſi illud non obſeruantes, incurrent prædictam excommunicationis ſententiam in dicta Clementina poſitam, non vero ligabuntur ſupradictis alijs pœnis, cum ſententia interdicti in ſe fuerit nulla (vt dictum eſt) In caſu tamen quo fuerit valida, & Eccleſia Matrix illud obſeruauerit, vtraſque pœnas ſupradicti Religioſi incurrent. Et hæc pro explicatione & declaratione iupradictæ primæ concluſionis & Clementinę dicta ſufficiant.

Secunda Concluſio.

Religioſi, & Regulares, obſeruare tenentur interdicta prædicta, & ceſſationes, etiāſi eorū Monaſteria inſ. burbijs exiſtāt

OMnes Religioſi & Regulares, tenentur obſeruare interdicta prædicta & ceſſationes à diuinis, etiam ſi ex eorum Monaſteria conſtituta ſint in ſuburbijs ciuitatis ſiue loci, cuius Eccleſia Matrix illa obſeruauerit, ſeu in locis circumuicinis, dicunturque talia, quando non plus ab eis diſtant, quam per ſpatium vnius milliarij cum dimidio, aut dimidiæ leucæ. Pro huius concluſionis intelligentia oportet præmittere, nulli eſſe debere dubium, quod interdicta ciuitate, cenſeantur etiam interdicta Monaſteria ibidem exiſtentia, neque celebrari in eis poſſe diuina officia, vt ſatis colligitur, traduntque id Doctores communiter, in dicta Clementina 1. *de ſententia excommunicationis.* Sed difficultas eſt, an ſtando in iure communi, interdicta ciuitate, cenſeantur etiam interdicta Monaſteria exiſtentia in ſuburbijs? Et ex vna parte videtur quod ſic, nam de iure interdicta ciuitate, intelligū tur etiam interdicta ſuburbia, per *ca. ſi ciuitas, de ſententia excommunicationis.* Ex alia vero parte videtur quod non, nam ciuitatis nomine, vt apparet, non intelliguntur ſuburbia, eſt enim ciuitas caſtrum, quod ambitu murorum continetur, vt ſatis colligitur ex *leg. nam quod liquide*, §. *li ita, ff. de peculio legato & ex lege ſecunda, ff. de verborum ſignificatio.* Sed nihilominus, quidquid ſit de nominis ſignificatione, firmiſſime tenendum eſt, quod interdicta ciuitate, intelliguntur etiam Monaſteria in ſuburbijs exiſtentia interdicta, nam in his rebus loquendum eſt iuxta ſubiectam materiam, ſtatum, qualitatem, atque conditionem ipſius loquentis, vt exinde eius mentem, atque intentionem valeamus

Interdicta ciuitate, ſubur bia etiā ceſſāt interdicta

percipere. Quapropter licet alioquin ciuitatis appellatione, & ſtando in prædicto ciuitatis nomine non veniant intelligenda ſuburbia nec Monaſteria ibidem exiſtentia, ſed tantummodo id quod muris cingitur caſtrum nempe, ad propoſitum tamen interdicta ciuitate, ſuburbia etiam cenſentur interdici & Monaſteria ibidem exiſtentia, ne ſi aliter fieret interdicto prædicto illuderetur, cum ibidem ſacra & diuina officia poſſent celebrari. Hanc rationem tetigit, quinvero expreſſit ſummus Pontifex, in dicto *cap. ſi ciuitas*, vbi hoc ipſum etiam dicunt vnanimiter omnes communiter Doctores. Sed vt dixi tunc Monaſteria dicuntur ciuitatibus circumuicina, quantum ad effectum & obligationem ſeruandi interdicta prædicta, quando non diſtant ab eis amplius quam per ſpatium vnius milliarij cum dimidio ſeu dimidiæ leucæ, etenim ſi diſtantia eſſet maior, nullatenus intelligerentur cõprehenſa. Quibus fraudibus obuiandis Iulius Secundus conceſſit nobis Fratribus Minoribus, *quod ſi contingat aliquam ciuitatem ſeu oppidum, cum duobus vel tribus milliaribus circumuicinis (infra quæ milliaria domus Fratrum prædictorum exiſtunt) Eccleſiaſtico ſupponi interdicto, Fratres Ordinis huiuſmodi (niſi cauſam interdicto dederint, vel eis ſpecialiter ex cauſa legitima interdictum fuerit) huiuſmodi interdictum ſeruare nullatenus teneantur, ſi alias domus ipſorum Fratrum, de iure talis oppidi interdicto non comprehendantur.* Habetur in Monumentis Ordinis 1. impreſſ. fol. 43. & 2. fol. 126. conc. 287. & refertur in Compendio. *verbo, interdictum*, 1. §. 12. Ex quibus verbis licet colligere, quod Monaſteria ab vltra duo milliaria oppidis ſiue ciuitatibus diſtantia, ipſis interdictis non cenſentur interdicto ſuppoſita, ſecus vero ſi non diſtarent vltra dicta duo milliaria, quod plus minuſve eſt ſpatium ſupradictæ dimidiæ leucæ. Et hoc eſt tenendum & in praxi ſeruandum, per quod manet explicata concluſio ſupradicta.

Tertia Concluſio.

Religioſi & Regulares priuilegiũ habẽt vt nõ poſſint ſpecialiter interdici.

QVamuis interdicto Clero ſimpliciter & abſolute, Religioſi etiam & Religioſæ cenſeantur interdictæ, & non ſolum Clerici ſeculares, priuilegium tamen habent Religioſi exempti, vt nullatenus à locorum Ordinarijs poſſint ſpecialiter interdici. Huius priuilegij fit mentio, in *cap. cum capella, & cap. quanto, de priuilegijs.* Sed præterea nobis Fratribus Minoribus conceſſit Clemens Quartus, *ne ab aliquo etiam Legato (niſi de Latere) Sedis Apoſtolicæ miſſo, vel Delegato, aut Subdelegato, auctoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, poſſimus excommunicari, ſuſpendi vel interdici, niſi literæ ipſæ plenam & expreſſam de ordine prædicto, & indulto huiuſmodi facerent mentionem.* Habetur hoc priuilegium in Monumentis Ordinis 1. impr. fol. 29. & 2. fol. 129. conceſſ. 25. & in Supplemento fol. 3. conc. 1. & refertur in priuilegiorum Compẽdio, *verbo, exemptio*, §. 9. Similem conceſſionem fecit Honorius Tertius, & Vrbanus Quartus Monachis Ordinis Ciſtercienſis, & Gregorius Nonus Congregationi Montis Oliueti, & habetur in Marimagno ſeruorum Dei, prout refertur in Compendio Ordinis Ciſtercienſis, *titulo excommunicatio*, §. 2. & in eodem Compendio, *titulo, exemptio*, §. 1. refertur prædictos Pontifices, alicui ſe conceſſiſſe, *quod dictorum Monaſteriorum res & bona vbicumque exiſtentia, & perſonæ, benefactores, Capellani, familiares, aliæque perſonæ in eiſdem Monaſterijs degentes, ab omni etiam Legatorum, Delegatorum, & Subdelegatorum Sedis Apoſtolicæ, & quorumcumque Iudicum Ordinariorum, quauis auctoritate fungentium, etiam ratione delicti vel contractus, vbicumque commiſſi vel initi, exemptæ prorſus cenſeantur, ita vt alibi quam in Romana Curia, & coram Sede Apoſtolica, conueniri non poſſint, neque excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti, aut vlla quauis ſententia contra ipſas, niſi de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ conceſſione, in qua de hoc priuilegio ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, quomodolibet directe vel indirecte proferri, ſeu promulgari non poſſit.* Quod quidem priuilegium, licet reſpectu benefactorum, Capellanorum, familiarium, aliarumque perſonarum in dictis Monaſterijs degentium, vt videtur, reuocatum ſit per Concilium Tridentinum ſeſſione 24. de reformatione capi. 11. per illa verba, *quoniam priuilegia & exemptiones, &c.* quoad prædictos tamen Fratres, non id dicendum apparet, quinvero in ſuo vigore remanere exemptionem prædictam. Quod fallit in illis Religioſis exemptis, qui habent aliquod beneficium curatũ, in diœceſibus Epiſcoporum, tunc enim ipſi nõ quatenus exempti, ſed qua ratione ſunt beneficiarij & ſubditi, bene poterunt interdici, prout colligitur argumento deducto, ex dicto *cap. cum Capella, de priuilegijs.* Quod etiam videtur ſimiliter dicendũ de eo Religioſo, qui aliquod commiſerit delictum in aliqua diœceſi alicuius Epiſcopi, tunc enim poterit & ipſe interdici, vt tenet Sylueſter, *verbo, exemptio*, numero 8. & 9. Sed alij contrarium tenent, quia inquiunt, quamuis id eſſet de iure tamen Clemens Quartus *reuocando quandam conſtitutionem Innocentij Quarti, exemit nos Minores Fratres, omnino à iuriſdictione Epiſcoporum & Ordinariorum, ac ſtatuit, quod non obſtante conſtitutione prædicta, non teneamur etiam ratione delicti, contractus ſeu rei de qua agitur, locorum Ordinarijs ſubiacere, decernens irritum & inane, quidquid ſecus attentari contigerit.* Habetur hæc conceſſio ſiue priuilegium, in Monumentis Ordinis 1. impreſſion. folio. 59. & 2. folio 142. conceſſione 342. & refertur in Compendio noſtri Ordinis, *verbo, exemptio*, §. *octauo.*

Supradicta omnia confirmantur ex ſpeciali alia conceſſione Leonis Decimi, qui in quadam ſua Bulla ſiue priuilegio, nobis Fratribus Minoribus Regularis Obſeruantiæ conceſſit, *quod Eccleſiæ domorum noſtrarum interdici non poſſint, ad inſtantiam cuiuſcumque perſonæ, etiam Cardinalatus honore vel alia quauis dignitate fulgentis, vel per Auditorem ſacri Palatij, aut quoſcumque alios Iudices, niſi tota ciuitas aut oppidum, vbi domus huiuſmodi conſiſtit, Apoſtolica ſeu ordinaria auctoritatibus Eccleſiaſtico ſupponatur interdicto, ac voluit quod in eiuſmodi domibus degentes Fratres, ad ipſius interdicti obſeruationem minime teneantur, nec propterea irregularitatis maculam, aut aliquas ſententias, cenſuras & pœnas incurrant, dummodo cauſam non dederint huiuſmodi interdicto, ſed poſſint ianuis apertis & pulſatis campanis, Miſſam, & alia diuina officia celebrare, niſi perſona ad cuius inſtantiam interdictum fuit appoſitum, in eiſdem domibus degentibus Fratribus, de alimentis & alijs victui neceſſarijs rebus, competenter prouiderifecerit. Et decreuit*

nit irritum & inane, ſi ſecus ſuper his á quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter actum fuerit. Habetur hæc conceſſio in Supplemento fol. 55. conc. 156. & refertur in Compendio, *verbo, interdictum* 1. §. 15. ex quibus verbis infertur, quod loca Minorum Fratrum, non poſſunt ab Ordinarijs ſpecialiter interdici, nec vero à quibuſcumque alijs, niſi cum conditionibus ſupradictis.

Anaſtaſius Papa IIII. Alexander III. & Alexander IIII. & Vrbanus III. & Clemens III. Clemens etiam IIII. ſucceſſiue, ac ſub eiſdem verbis ſtatuerunt, *vt nulli Epiſcopi in Eccleſijs ſubditis Fratribus S. Ioannis Hoſpitalis Hieroſolymitani, interdicti vel excommunicationis ſententiam valeant promulgare.* Et Gregorius IX. præfatum ſtatutum innouauit, ac vniuerſis Eccleſiarum Prælatis præcepit, *vt præfatos Fratres excommunicare, aut eorum Eccleſias interdicere, nullatenus præſumant.* Ita refertur in Compendio Mendicantium, *verbo, interdictum* 1. §. 26. & 27. Circa quas conceſſiones aduertit ſupradictorum priuilegiorum Collector, quod virtute ſuprascripti ſtatuti, prædicti Fratres in nonnullis partibus, nullum obſeruabant interdictum, etiam ſi Eccleſia matrix illud ſeruaret, credentes intelligi etiã de interdicto generali, & ait, quod nuper in Vniuerſitate Salmanticẽ ſi declaratum fuit, id debere intelligi de interdicto ſpeciali ſeu particulari duntaxat, ſcilicet quod Eccleſiæ præfatæ nequeant ſpecialiter interdici ab ordinarijs Eccleſiarum Prælatis, quapropter ab officiali Epiſcopi Salmanticenſis diœceſis, diſtricte prohibitum ipſis fuit, ne de cætero violare interdictum generale attentarent, ſed illud ſicut alij Religioſi ſeruarent. Et addit ſupradictus Collector, quod ſic debere fieri, conſtat expreſſe ex literis præfatorum Pontificum, vbi ponuntur ſequentia verba, *verumtamen ſi generale interdictum fuerit in eiuſmodi locis prolatum, excluſis excommunicatis & nominatim interdictis, ianuis clauſis, & abſque ſignorum pulſatione, plane diuina celebretis.* Addit etiam quod dato caſu, quod priuilegium præfatum, ſufficiens foret tempore præfata conceſſionis, poſtquam tamen *capit. alma mater, de ſententia excommunicationis, libro ſexto, & Clementina ex frequentibus, de ſententia excommunicationis,* emanarunt, nullius eſt momenti. Et idem (inquit) eſt dicendum de conceſſione alia ſuprapoſita, ſcilicet quod excluſis excommunicatis & nominatim interdictis, poſſent admiſſis cæteris generaliter interdictis celebrare diuina, prout in quadam Eccleſia dicti Ordinis fieri conſueuit. Et idem eſt iudicium habendum de ſimilibus priuilegijs antiquis. Vnde Gloſſa in præfato *capitu. alma mater, verbo, conceſsis,* dicit, quod per hæc verba generalia reuocatum eſt priuilegium Templariorum & Hoſpitalariorum Sancti Ioannis, quo in eorum iucundo aduentu ſemel in anno aperiebatur vna Eccleſia in loco tempore interdicti, & celebrabantur ibi diuina. Hæc gloſſa, ac ſupradictus Collector, vbi ſupra. Ex quibus etiam verbis conſtat, quod prædicti Religioſi & Regulares exempti, non poſſunt ſpecialiter interdici, non interdicto omni populo. Per quæ manet ſatis explicata & probata ſupradicta Concluſio.

Quarta Concluſio.

SVſpenditur interdictum prædictum, apud nos Minores Fratres, & ſimiliter ceſſatio à diuinis, in die Sanctiſſimi Patris noſtri Franciſci, ſacrorumque ſuorum Stigmatum, & in die Sancti Antonij de Padua, Sancti Bonauenturæ, Ludouici, & Bernardini, & Sanctorum quinque Martyrum, qui cõmuniter dicuntur de Marruecos, & ſeptem Martyrum de Cepta, & in die ſanctæ Claræ, & per ipſorum octauas, à primis Veſperis vſque ad finitum Completorium diei octauæ. Circa quam Concluſionem occurrunt plura notanda. Et primo, quod pro feſtiuitatibus Sanctorum noſtri Ordinis tempore interdicti, ante Bon. VIII. plura fuerũ nobis conceſſa priuilegia, per Alexand. IIII. de quibus alij qualem mentionem fecimus ſupra in ſecundo notabili, & referuntur in Compendio, *verbo, interdictum*, 2. §. 1. & 2. ſed quia illa poſtmodum per dictum Bonifacium VIII. fuerunt reuocata, per *cap. alma mater, de ſententia excommunicat. lib. 6.* oportet in medi adducere alia priuilegia magis noua, per quæ ſi pradictæ conceſſiones antiquæ fuerunt innouata & de nouo confirmatæ. Quod vt per ordinem ſi dico, quod Iulius II. qui præfuit Eccleſiæ, circa annum 1503. *Confirmauit & de nouo conceſsit priuilegia ſi rum prædeceſſorum, circa celebrationem feſtorum ſancti Fi ciſci, & aliorum Sanctorum Ordinis Minorum, tempore i terdicti, ixtendens etiam eadem priuilegia ad feſtum ſtign tum Beati Patris Franciſci, etiam tempore ceſſationis á di nis, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facienti bus, præſertim cap. alma mater, de ſententia excommunicats. lib. 6.* Habetur hæc conceſſio in Monumentis Ordinis 2. impreſſ. fol. 70. conc. 78. & in Sup. fol. 74. cõc. 223. & in eodem Sup. fol. 81. conce. 263. & refertur in Compendio, *verbo, interdictum.* 2. §. 4. vbi & dicit priuilegiorum Collector, quod prædicta conceſſio, ſolum pertinere videtur ad Fratres Minores Prouinciarum Hiſpaniæ, quia ſolum ipſis directa eſt: ſed reuera ad omnes extenditur, ſicque communiter obſeruatur in praxi. Sed circa tempus intermedium, ſeu quod interfuit inter ſupradictum Bonifacij VIII. qui pradictum *capit. alma mater*, edidit (vt diximus) anno Domini 1300. & dictum Iulij II. qui vt etiam diximus, præfuit Eccleſiæ, circa annum 1503. & qualiter Fratres Minores ſe habuerint illo tempore, circa celebrationem prædictorum feſtorum tempore interdicti, remittit ſe ibidem ſupradictus Collector, ad ea quæ latiſſime dicit in eodem *verbo, interdicto*, 3. in fine, quæ quia iã nullius ſunt prorſus momenti, cum alia ſpecialia hac de re habeantur priuilegia, poſtmodum conceſſa ab alijs Summis Pontif. conſulto à me in præſentiarum prætermittuntur, aduertendo quod priuilegium, prædictum Iulij Secundi tunc non extendebatur, niſi tantum ad ipſum diem prædictarũ ſolemnitatum Sanctorum noſtri Ordinis (excepta ſolemnitate ſancti Patris noſtri Franciſci, & ſancti Antonij, & Beatæ Claræ) quibus feſtis diebus ſolemnitas protendebatur vſque per totas octauas, vt conſtat ex Monumentis Ordinis 1. impreſſione, folio 66. & 2. folio 70. conceſſione 171. & Supplemẽto folio 100. conceſſione 377. & refertur in Compendio, *verbo, interditum. 2. paragrapho* 3. non enim

Quibus diebꝰ apud nos Minores Fratres ſuſpẽdatur interdictum, & ſimiliter ceſſatio à diuinis.

Primo nota.

Nota priuilegiacõceſſa præoctauis Sanctorum noſtri Ordinis.

plus conceſſerat Alex.IIII.quod & conſtat etiam ex alia ſpeciali conceſſione, quam idem Iulius II. fecit nobis Fratribus Minoribus, qua cõceſſit, *quod in die S. Bonauenturæ, ſi eadem die interdictum auctoritate Apoſtolica appoſitum fuerit, poſſint dicti Fratres in ſuis domibus, a primis Veſperis vſque ad ſecundas Veſperas eiuſdem diei inclusiue, Miſſas & alia diuina officia celebrare, ſeu celebrari facere, ſicut in die Sancti Francisci.* Quæ conceſſio habetur in dictis Monumentis Ordinis 1. impreſſ. fol. 44. & 2. fol. 127. conc. 286. & refertur in dicto Compendio vbi ſupra, §. 5. quæ quidem conceſſio pro eo forſan ſpecialiter de prædicto D. Bonauentura facta fuit, quia ante illud tempus nondum erat canonizatus, neque ſolemniter celebrabatur. Sed quamuis hoc ita ſit, poſtmodum facta eſt extẽſio ad omnium ſupradictorum Sanctorum octauas ad inſtar Fratrum Prædicatorum, qui ab Alexand. IIII. priuilegium habuerunt, vt poſſent celebrare ſolemniter interdicti tempore, in feſtiuitatibus & octauis Sanctorum Dominici, & Petri Martyris, quod poſtea confirmatum fuit à Sixto IIII. in Bulla dicta Aurea, hoc expoſtulantibus nobis Fratribus Minoribus, à prædicto Iulio Secundo, vt ſcilicet ea, quæ in honorem ſanctorum Dominici, & Petri Martyris, & Thomæ de Aquino, & S. Catherinæ de Senis, Fratribus vel locis Ordinis Prædicatorum ſunt conceſſa, intelligerentur ſimiliter conceſſa nobis Fratribus Minoribus, & locis noſtris, in feſtiuitatibus Sanctorum, Fráciſci, Antonij, Claræ, Ludouici, Bernardi, & Bonauenturæ, ac quinque Martyrum, & in alijs feſtiuitatibus noſtri Ordinis, licet eſſent in maiori numero, quam feſta Fratrum Prædicatorum. Ita quod illud idem quod cõceditur omnibus Sanctis Ordinis Prædicatorum, iunctim & cuilibet eorum in particulari intelligeretur conceſſum omnibus Sanctis noſtri Ordinis, etiam iunctim aut ſeorſum, etiam ſi noſtri ſint in maiori numero, quod & ipſe libenter conceſſit. Habetur in Supplemento, fol. 74. conc. 363. & refertur in Compendio, *verbo, communicatio priuilegior.* §. 13. Ex hac igitur conceſſione, inquit, priuilegiorum Collector, *verbo, interdictum*, 3. notabil. 2. prope fin. habemus quod poſſumus ſolemniter celebrare omnes octauas Sanctorum noſtri Ordinis, ſicut (vt prædictum eſt) conceſſum fuit Fratribus Prædicatoribus pro omnibus feſtiuitatibus ſuis. Sed tamen quia in conceſſione prædicta, non immerito haberi poterat ſcrupulus, propter rationem ab eo ibidem dictam (quamuis ea non obſtante in Ciuitate Salmanticenſi, ex conſilio Iuriſperitorum, inſignis illius Vniuerſitatis, anno Domini 1522. in octaua Sancti Bernardini, tempore interdicti Fratres Minores, ſolemniter celebrauerunt diuina, id quod & Pater Corduba in annotationibus ad Compendium, *verb. interdictum* 3. §. 2. dicit ſimiliter factum fuiſſe Toleti, in quodam Capitulo Prouinciali ibidem celebrato anno Domini 1524. præſente Generali Miniſtro) ad ſuſpendendum interdictum prædictum, in dictis octauis SS. noſtri Ordi. vti poſſumus alia cõceſſione Leonis X. facta prædictis Fratribus Ordinis Prædicatorum, quæ habetur in Suppl. fol. 121. conceſſione 154. qua illis conceſſit, *vt Sanctorum ſuorum, ſeu ſui Ordinis, feſta cum octauis poſſent celebrare*, prout latius ibidem continetur, vbi etiam in principio refertur, hoc idem nobis pro feſtiuitatibus noſtri ſacri Ordinis eſſe conceſſum. De qua etiam conceſſione, licet ſupradictus Priuilegiorum Collector aliqualiter dubitet, an ſit legitima & valida, ſed tandem parti adhæret affirmatiuæ, in quo ſtandum eſt, & hoc eſt quod communiter obſeruatur in praxi.

Secundo eſt notandum circa concluſionem præ- *Secundo nota*
dictam, quod etiam ſuſpenditur interdictum in die Portiunculæ, ac Sancti Didaci. Circa hæc duo feſta difficultas erat olim, an interdicti tempore ſolemniter celebrari poſſent? quidam dicebant quod ſic, alij vero quod non. Sed tamen Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Octauus, ab his anguſtijs nos liberauit, qui anno Domini 1595. decimo ſeptimo Octobris, Pontificatus ſui anno quarto, per Breue ſuum ſpeciale, quod incipit, *ſacræ Seraphici Sancti Francisci*, ſequentem nobis fecit conceſſionem, *Cum ſicut accepimus diuerſorum Romanorum Pontificum conceſſionibus, Sancti Francisci Religioni indultum ſit, vt temporibus interdicti quacumque etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti, feſta Sanctorum eiuſdem Ordinis, nimirum eiuſdem Sancti Francisci, Bonauenturæ, Antonij de Padua, Ludouici, Bernardini, Claræ, Eliſabeth, ac Martyrum ſolemni ritu celebrarentur, perinde ac ſi interdictum huiuſmodi minime appoſitum eſſet libere poſſint, feſta vero Sancti Didaci & Portiunculæ in prædicto indulto minime comprehendantur, nos Religionem præfatam amplioribus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, ac indultorum huiuſmodi ac literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum, tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus nomine dictæ Religionis, per dilectum noſtrum Hieronymum Presbyterum Cardinalem Mattheium, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Religioni præfatæ vniuerſæ, ac cuicumque illius Ordinis ſiue familiæ Conuentui, vt in eorum Eccleſijs feſta etiam præfata Sancti Didaci & Portiunculæ, temporibus interdicti prout alia feſta præfata, ac iuxta indultorum illi conceſſorum ſeriem & tenorem, celebrare libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, concedimus & indulgemus, ac indulta prædicta ad præfatas Sanctiſſimi Didaci & Portiunculæ feſtiuitates extendimus & ampliamus, non obſtantibus, &c.* *Priuil. Clem. VIII. pro ſuſpendendo interdicto in feſtis S. Didaci, & Portiunculæ.*

Virtute huius priuilegij, interdictum ſuſpenditur in dictis diebus ſanctiſſimis Didaci & Portiunculæ. Pro feſto etiam Sanctæ Eliſabeth Vngariæ Reginæ, eiuſdemque octaua, etiam habetur priuilegium ſuſpendendi interdictum, conceſſum à Leone Decimo, quod habetur in Supplemento noſtri ſacri Ordinis, folio 55. conceſſione 55. & refertur in Compendio, *verbo, interdictum* 2. *paragrapho ſexto*, vbi poſt alia hæc ſequentia verba habentur, quod *conceſſit Fratribus Minoribus de Obſeruantia, ac Monialibus Sanctæ Claræ & tertiæ Regulæ, ſub obedientia eorundem Fratrum degentibus, vt in die Sanctæ Eliſabeth, filiæ Regis Vngariæ, & per eius octauam poſſint tempore interdicti Miſſas & alia diuina officia celebrare, ſeu celebrari facere, quemadmodum poſſunt in diebus Sanctorum Franciſci, Antonij, & Claræ, & per eorum octauas.* Quapropter in quodam Capitulo generali Aſſiſijs celebrato anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, ſtatutum fuit, vt eiuſmodi feſtum celebraretur ſolemniter & cum Octaua, vtendo dicto priuilegio, quod quidem quamuis in noſtræ Hiſpaniæ partibus non fuerit practicatum, fieri nihilominus ac practicari poſſet, ſiquidem noſtra priuile- *Priuilegium pro S. Eliſabetha, & ipſius Octaua.*

uilegia confirmata ſunt & approbata per Sixtum V. abſque illa limitatione, & reſtrictione: quam confirmando eãdem, Greg. XIII. appoſuit, in illis verbis, *quatenus ſunt in vſu*, quo fit vt quamuis ſupradictum priuilegium, non ſit in vſu, nihilominus practicari poſſet modo. Conceſſit etiam idem Leo X. *Quod in Hiſpaniarum partibus, ſuſpẽdi poſsit quod cumque interdictum, in feſtiuitate puriſsimæ Conceptionis Virginis Mariæ, per eius octauam, à primis veſperis dicti feſti, vſque ad illius totalem octauam incluſiue, & quod Fratres Miſſas & alia diuina officia apertis ianuis, & pulſatis campanis, atque alta voce celebrare poſsint, excommunicatis dumtaxat & nominatim interdictis expulſis, & quod ſinguli Chriſti fideles, nõ excommunicati nec nominatim interdicti, ad Miſſam & alia diuina officia audienda præfato tempore admitti libere & licite poſsint.* Habetur hæc conceſſio in dicto ſuppleméto fol. 24. conceſſ. 67. & fertur in compendio, verbo Conceptio Virginis §. 12. & verbo *interdictum*, 2. §. 8. Et aduerto, quod licet in ſupradictis conceſſionibus, non fiat mentio Sanctorum ſeptem martyrum, qui communiter dicuntur de Cepta, quia ibidem pro Chriſto Domino ſanguinem ſuum fuderunt & gloriosum ſubierunt martyrium: non tamen eſt negandum, pro feſtiuitate prædicta, á ſede Apoſtolica in id ipſum priuilegium eſſe conceſſum, nam huiuſmodi feſtum comprehenditur in illa conceſſione quam fecit Iulius II. & habetur in monument. Ordin. 1. impreſſ. fol. 60. & 2. fol. 222. conceſſ. 284. & refertur in Cõpendio verb. commun. priu. §. 13. *Qua ordinauit & ſtatuit, quod omnia priuilegia conceſſa pro feſtiuitatibus Ordinis Prædicatorum, cenſeantur etiam conceſſa pro feſtiuitatibus Ordinis minorum, licet ſint in maiori numero, quam feſta ipſorum Fratrum Prædicatorum.* Qua propter ſicut Fratres prædicti Ordinis, celebrant ſolemniter prædicto interdicti tempore, omnes feſtiuitates ſui Ordinis, ita & nos facere poſſumus ſimiliter, ac celebrare ſolemniter eo tempore, prædictum feſtum ſanctorum ſeptem martyrum de Cepta, quamuis de hoc non ſpeciale habetur priuilegium. Aduerto etiam quod omnes ſupradictæ feſtiuitates poſſunt ſolemniter celebrari interdicti tempore, etiam ſi transferantur in alium diem, & de eis fiat tantum commemoratio, de quo habetur ſpeciale priuilegium Leonis X. *Quo conceſsit nobis Fratribus Minoribus atque declarauit, quod priuilegium conceſſum de ſuſpendendo interdicto, in feſtis Sanctorum noſtri Ordinis, intelligatur de diebus, quibus & alia feſta cadunt, etiam ſi propter alia maiora feſta occurrentia, eorum officia in alium diem transferantur.* Habetur hoc priuilegium in ſuppleméto, fol. 58. conceſſ. 164. & refertur in Compendio, verbo interdictum 2. §. 7. ſimileque priuilegium habent Fratres Ordinis Prædicatorum, conceſſum ab eodem Leone Decimo, quod habetur in eodem ſupplemento, fol. 82. & fol. 121. con. 154. & refertur in dicto compendio verbo *interdictum 2. §. 9. Vbi habetur quod voluit prædictus ſumm. Pontif. vt quoties dictarum feſtiuitatum, & octauarum earundem celebrationes, qualibet ex cauſa extra tempus interdicti tranſferantur, indulgentiæ etiam dictas Eccleſias in Feſtiuitatibus huiuſmodi & per eorum octauas viſitantibus pro tempore conceſſæ ad tempus celebrationis huiuſmodi, ſint & cenſeantur tranſlatæ.*

Tertio circa declarationem concluſionis prædictæ eſt notandum, quod quamuis in ſupradictis conceſſionibus nulla fiat mentio de ceſſatione à diuinis, ſed tantum modo de interdicto (vt dictum eſt generali) vtriuſque tamen eadẽ eſt ratio & idẽ iudicium, illudque omnino in ceſſatione prædicta debet obſeruari, quod in dicto interdicto, & non amplius, per ſpecialem conceſſionem nobis ad hoc factam, per Leonem X. quæ habetur in ſupplemen. fol. 59. cõceſſ. 165. & refertur in compendio, verb. *interdictum* 1. §. 17. vbi dicitur *quod ſupradictus Leo Decimus declarauit & conceſsit nobis Fratribus Minoribus, quod in forma obſeruationis nulla ſit differẽtia, inter ceſſationem à diuinis & quodcumque interdictum*. Circa quam conceſſionem aduertit Corduba in verb. ſupradict. quod hoc eſt intelligendum, quoad nos familiares que noſtros, & qui noſtris potiuntur priuilegijs, non vero quoad ſeculares, alias enim magis eſſet reuocatio noſtrorum priuilegiorum, quã conceſſio aliqua. Circa ſeculares autem inquit, quod eodem modo nos debemus cum illis habere, quo in Eccleſia matrice. Circa quam conceſſionẽ dicit priuilegiorum collector, quod duo olim inſignes Doctores Vniuerſitatis Salmanticenſis, in ſuis repetitionibus concluſerunt, quod ceſſatio generalis à Diuinis & interdictum loci ſunt omnino idem, & nulla eſt differentia inter ipſa & indiſtincte habet locum in eis capit. *alma Mater* penes hoc quod etiã ſi ceſſatio fuerit in toto oppido vel alias generalis, celebrabitur ianuis clauſis. Quam ſententiam & opinionem exiſtimo non eſſe veram quinuero latiſſimum eſſe diſcrimen (vt ſupra dixi quæſt. præced. artic. 5.) inter ſupradictam ceſſationem à diuinis & interdictum quodcumque, magiſque eſſe rigoroſam ſententiam vnius, quam alterius & ad maiorem obſeruantiam obligare, vt prædicto ceſſationis tempore ceſſetur à diuinis, quam tempore cuiuſcumque interdicti. Quapropter vtiliſſima & neceſſariſſima fuit ſupradicta cõceſſio Leonis X. iuxta quam vt dixi quotieſcumq; per noſtra priuilegia, poſſumus ſuſpendere interdictum, poſſumus & ceſſationem à diuinis.

In calce huius notabilis aduertere libuit, quod interdictorum ſuſpenſio, communiter & regulariter loquendo, intelligenda eſt à primis veſperis ipſius diei feſti, vſque ad ſecundas veſperas, vel octauæ ſi id ipſum priuilegium contineat. Per veſperas autem iam conſuetudo declarauit, vt intelligantur non iliæ, quæ iuxta cuiuſque feſti officiũ dicũtur, ſed veſpertinum tempus, quo tempore apud Religioſos communiter Completorium dicitur. Qua propter licet Eccleſia matrix, ſuo tempore veſperas atque Completorium (vt moris eſt) ſolemniter celebrauerit, poſtmodũque appoſuerit iterum interdictum, poterunt nihilominus Religioſi ſuis fruentes priuilegijs, hora apud ipſos cõſueta, Completorium ſolemniter dicere vt antea. Quam ſententiam & opinionem tenet Medina, in ſua ſumma ſiue inſtitutione Confeſſorum 1. part. capit. 11. §. 13. & Enriquez lib. 13. de excommun. & interdict. cap. 47. num. 3. à qua non diſcedit Nau. in Manual. cap. 47. num. 184. poſtquam agens de quatuor diebus feſtis, quibus iuxta cap. *alma Mater*, interdictum ſuſpenditur, inquit, quod id fieri poteſt à primis veſperis illorum, vſque ad completorium incluſiue, dici aut octaua poſtremæ, allegã

Priuilegium pro die Cõceptionis & ſua octaua.

Pro ſanctis martiribꝰ, qui dicũtur decepta.

Nota valdè, quod ſupradicta priuilegia valent, etiam ſi dictæ feſtiuitates tranſferantur.

III. Nota quod priuilegia prædicta intelliguntur

non ſolum de interdicto, verum etiam de ceſſatione à diuinis.

Nota hoc valde, quod interdictorũ ſuſpẽſio, ſit à primis Veſperis, vſque ad dictum Completorium diei ſequentis.

do ad id cap.1.& 2.*de feriis*, vbi habetur, *quod feſta à veſperis vſque Veſperam debent celebrari*, allegando etiam illud quod ſæpiſſime in ſacra pagina refertur, Iudæis dictum fuiſſe olim, *à veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*. Sed non propterea exiſtimet quis, licere ſibi dum aliquod in Eccleſia celebratur diuinum officium, ſeu aliqua cantatur miſſa, & in Eccleſia matrice pulſatis campanis, datur ſignum ad ponendum interdictum, ceſſandum ve à diuinis, vlterius progredi quouſque finiatur prædictum officium, ſiue Miſſa, nam id nullatenus faciendum eſt ſed ſtatim ceſſandum, vt communiter obſeruatur in praxi, propter optimam rationē quam in id adducit Emmanuel Rodericus in ſuis additionibus ab Bullam Cruciatæ, §.5.part.2.n.36.

Quinta Concluſio.

Quibuſcumq; diebus ſuſpenditur interdictum ſiue ceſſatio a diuinis, celebrari poſſunt diuina, ac ſi nullū eſſet interdictum.

QVibuſcumque diebus ſuſpenditur interdictū aut ceſſatio à diuinis, ſiue hoc ſit ex iure cōmuni ſiue vero ex ſpeciali priuilegio, intra Religioſorum ac Regularium domorū Eccleſias, celebrari poteſt officium diuinum, exteraque alia ibidem fieri, ac ſi nullum omnino ibidem eſſet interdictum. Hoc habetur expreſſe ex ſpeciali conceſſione Lonis X. facta nobis Fratribus Minoribus & ponitur in ſuppl.fol.58. conceſſit64. & refertur in compend.verb.interd.2.§.7. vbi dicitur, *Quod conceſſit nobis ſupradictus Leo X. quod in diebus huiuſmodi ſuſpenſionum interdicti, tam virtute priuilegiorum noſtri Ordinis, quam alias de iure generaliter conceſſis, poſſimus in domebus noſtris intra & extra Eccleſiam, dicere & facere omnia illa, quæ nullo exiſtente interdicto fieri poſſunt & hoc propter ſcrupulum aliquorum, qui dicunt quod quādo ſuſpenditur aliquod interdictum propter aliquod feſtū, non poteſt dici niſi officium & Miſſa illius feſtiuitatis, ſine alijs orationibus & collectis.* Circa quam conceſſionē, dicit priuilegiorum Collector, quod virtute ipſius, non poſſunt noſtri Fratres ſepelire ſeculares mortuos, tempore talis ſuſpenſionis aut alia ſimilia facere, quod probat ex illis verbis quæ, poſt dictam conceſſionem ponuntur, *& hoc propter ſcrupulum, &c.* & addit, hæc enim fuit cauſa, propter quā ego qui hoc opus collegi, præfatam conceſſionem procurauī & non alia, ſi bene memini, Sed in hoc nimium videtur ſcrupuloſus, cum conceſſio prædicta ſit abſoluta, & cauſa aſſignata ab oratore quamuis eſſet friuola & à viris ſcrupuloſis inuenta, ſufficiens fuit ad, hoc vt ipſe ſumm. Pontif. quo illam aliasque ſimiles ignorantias tolleret, plus concederet quam ſibi etiam fuiſſet ſupplicatum. Præterea illud quod dicit Collector quod virtute dictæ conceſſionis, non poſſunt fratres ſepelire ſeculares mortuos tempore talis ſuſpenſionis, aut alia ſimilia facere, nullo nititur fundamēto, cum etiam ſecundum ius commune poſſent mortuos ſepelire, tempore quo ſuſpenditur interdictum pro cebratione diuinorum; cum communiter loquendo conceſſa pro celebratione diuinorum, concedantur etiam & pro mortuorum ſepultura (quidquid alij dicant) aſſerentes quod ſepultura diſtinguitur contra officia diuina quodque priuilegium priuatum pro diuinis officijs cōceſſum, non extenditur ad ſepulturam, ſed tamquam odioſum ſtricte eſt interpretandum. Sed re

Nota ſcrupulum Collectoris, ſed non tenetur.

vera in contrarium eſt veritas, & priuilegium pro diuinis officijs conceſſum, extenditur ad ſepulturam, quippe quæ præcipue pertinet ad diuinum officium, quod tenet expreſſe Sylueſt. verb. *interdicto.5.§.4.* Et Angelus eodem verbo §.5. Soto in quarto diſtinct.22.quæſt.3.art.1. Couarr.in cap. *alma Mater*, 2.part.§.6.num.6. Nauarr. in Manual. cap.27.num.176.179.& 181. Vnde dictum Collectoris, quo ad hoc nullatenus habet verum, nec vero quoad alia, quando dicit quod virtute ſupradictæ conceſſionis, non poſſunt fratres ſimilia facere, per quod intelligere videtur ſacramenta, nempe quod non poſſint miniſtrari, & maxime Euchariſtiæ ſacramentum ſecularibus, tempore quo ſuſpenditur interdictum ſiue ceſſatio à diuinis. Sed reuera in hoc proceſſit, vt plus nimio ſcrupuloſus, cum ſummus Pontifex abſolute dicat, quod ſibi liceat facere omnia quæ fieri poſſent, nullo exiſtente interdicto. Qua ratione concludendo dico, quod per dictam Leonis X. conceſſionem, poſſunt Regulares diuina celebrare, & defunctos in domibus ſuis ſepelire, Euchariſtiæ ſacramentum fidelibus miniſtrare, tempore prædictæ ſuſpenſionis ac ſi nullum eſſet interdictum, idque ſpecialiter ex quadam alia conceſſione Pauli Tertij facta Clericis Societatis Ieſu, & refertur in eorum compendio, tit.interdict.§.1. *Qua conceſſit Religioſis prædictæ Societatis Ieſu in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, tempore interdicti quamuis etiam auctoritate Apoſtolica appoſiti, ianuis clauſis & excommunicatis & interdictis excluſis, ſubmiſſa voce, miſſas & alia diuina officia celebrare, ſacramenta recipere & alijs adminiſtrare, dummodo ipſi cauſam non dederint interdicto, neque contingat id ipſis ſpecialiter interdici.* Ex quo priuilegio colligitur, quod in feſtiuitatibus, in quibus de iure vel ſecundum Regularium priuilegia, ſuſpenditur interdictum ſiue ceſſatio à diuinis, poſſunt ipſi & quicumque gaudent priuilegijs prædictæ Societatis conceſſis, fideles communicare, eiſque miniſtrare ſacramentum Euchariſtiæ, aliaque ſacramenta, nam ſi id conceditur Religioſis Societatis Ieſu, vt poſſint facere interdicti tempore, ianuis clauſis, &c. multo ergo melius virtute commnicationis prædicti priuilegij, poterunt id ipſum facere in feſtiuitatibus, quibus ſuſpenſum eſt interdictum ſiue ceſſatio à diuinis, etiam npn ianuis clauſis, cum tunc appertis ianuis diuina celebrentur, ac ſi nullum ibidem eſſet interdictum. Ad quorum omnium maiorem explicationem aduerto, quod ſupradicta omnia, intelligenda ſunt, non ſolum tempore generalis interdicti, verum etiam de interdicto ſpeciali, quod eſt maxime notandum atque memoriæ commendandum. Quamuis enim in aliquibus ex ſupradictis priuilegijs, hoc non habeatur, nec fiat mentio niſi tantum de interdicto generali, non vero de ſpeciali, aut quando Eccleſiæ aliquæ ſunt particulariter interdictæ, quinimo communis ſit ſtylus Curiæ & generalis iuris praxis, vt illud quod conceditur pro interdicto generali, ſeculo priuilegio non videatur conceſſum pro interdicto ſpeciali, vt notat gloſſa in cap. *alma Mater* verb. *Eccleſijs*, & Couarr. ibidem 3.part.§.4.num.1. quapropter in aliquibus priuilegijs apponi ſolet, ſequens clauſula, *niſi Eccleſiæ prædictæ, vel eiuſmodi Fratres nominatim*

Nota valde. Supradicta omnia intelligenda eſſe, non ſolum tempore generalis interdicti, verum & ſpecialis.

minatim eſſent interdicti, attamen ad id conceſſum eſt Fratribus Auguſtinienſibus ſpeciale priuilegium, per Iulium Secundum, *vt quæ Ordini ſuo pro tempore generalis interdicti ſunt conceſſa, ea omnia in ſpeciali etiã interdicto cenſeantur conceſſa*, prout habetur in Supplement, fol. 99. conceſ. 310. & refertur in compend. verbo interd. 1. §. 14. quo priuilegio frui poſſunt, omnes Religiones priuilegium habentes communicationis. Nam quamuis prædictum indultum fuerit conceſſum ante Leon. X. cuius pro maiori parte ſunt omnia ſupra adducta priuilegia, nihilominus tamen extenditur, locumque habet etiam in priuilegijs conceſſis ab eodem Leone X. atque ab alijs poſt ipſum ſuccedentibus, cum conceſſiones omnes, tam ſupradicti Iulij Secundi quam Leonis X. quoad interdictorum ſuſpenſionem, & quoad alia Concilio Tridentino non contraria aut repugnantia, his nouiſsimis diebus cõfirmatę nobis ſint per Gregorium XIII. & Sixtum V. Clement. VIII. & Paulũ V. ex quo proinde colligitur, quod licet Eccleſia Fratrum Mendicantium, & eorum qui Mẽdicantium perfruuntur priuilegijs, ſint ſpecialiter interdictæ, poſſunt nihilominus in eis officia diuina celebrari, cęteraque alia fieri, eo modo quo per ſua priuilegia conceditur in generali interdicto, quod (vt dixi) eſt multum notandum, & memoriæ commendãdum. Qua ratione ſupradictus Collector, poſt conceſſionem prædictam Iulij Secundi, Fratribus Auguſtinianis factam ſequentia ponit verba. Aduertendum quod hæc cõceſsio magna eſt, ac ideò valde notãda & nunquam alias conceſſa, vt credo.

Nota valde, quod priuilegia omnia noſtra ſunt nouiſsimæ cõfirmata, in quantum Concilio Trident. non contrariãtur

Sexta Concluſio.

Præter ſupradicta priuilegia, ſunt alia alijs Religionibus conceſſa ad ſuſpendendum interdictum.

PRæter ſupradicta priuilegia, noſtro & Prædicatorum Ordini conceſſa, ad ſuſpendendum interdictum & ceſſationem à diuinis in feſtiuitatibus prædictis, ſunt & alia multa conceſſa aliis Ordinibus & Religionibus, ex quibus, quæ ad manus meas peruenerunt nonnulla libet referre, vt cum opus fuerit præ manibus habeantur, ſcirique poſſit vtrum ipſorum virtute, & propter priuilegium quod habemus communicationis, in alijs feſtiuitatibus ſuſpendere poſsimus interdictum.

Priuilegium Leonis X. pro Monachis Benedictin.

In primis habetur, priuilegium Leo. X. conceſſum Monachis ſancti Benedicti, cuius ſit mentio in Compendio verbo interdictum 2. §. 10. quod eſt tenoris ſequentis. *Leo X. conceſsit Generali & alijs Abbatibus, Prioribus & Abbatiſsis, Monachis & Monialibus, conuerſis, ſeruitoribus & ſeruitricibus, Monaſteriorum & Prioratuum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Hiſpaniæ pro tempore exiſtentium, vt in Conceptionis & Viſitationis Beatiſsimæ Virginis Mariæ, & eiuſdem Virginis & Sancti Ioannis Baptiſtæ Natiuitatibus, necnon Sancti Benedicti Abbatis, Martini Epiſcopi & Confeſſoris, trãſlituum & tranſlationum, ac Sanctorum Gregorij Papæ, Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani: Antonij & Bernardi Abbatum, & Beatorum Mauri & Placidi diſcipulorum, & ſanctæ Scholaſticæ ſororis eiuſdem ſancti Benedicti, Adelelmi Confeſſoris, necnon in quorumcumque aliorum Sanctorum & Sanctarum, ſubquorum inuocationibus Monaſteriorum Prioratuum & locorum vtriuſque ſexus dicti Ordinis & Congregationis, Eccleſiæ dedicatæ & conſtructæ, ſeu quorum corpora in ipſis Eccleſijs recondita reſpectiue exiſtunt, necnon Hebdomadarum Sanctæ & Reſurrectionis Dominicæ feſtiuitatibus, & per octauam earundem omnium ſupradictarum Feſtiuitatum, necnon quoties Monachi, Moniales & aliæ vtriuſque ſexus religioſæ perſonæ dicti Ordinis & Congregationis profeſsionem emiſerint, aut primam Miſſam celebrauerint, ſeu eos in Eccleſijs vel Cœmeterijs, Monaſteriorum, Prioratuum & aliorum locorum dicti Ordinis & Congregationis, humana cadauera Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ contigerit, tempore interdicti & ceſſationis à diuinis, quacumque auctoritate etiam Apoſtolica impoſitorum, dummodo huiuſmodi interdicto cauſam non dederint, neque id eis contigerit ſpecialiter interdici, apertis ianuis, pulſatis campanis, nominatim interdictis & excommunicatis excluſis, Miſſas, Proceſsiones & alia diuina officia ſolemniter, & incãtu celebrare, poſsint & valeant.* Quid ſit notandum circa priuilegium prædictum, inferius dicetur, poſtquam appoſuerimus alia ſimilia priuilegia, vt de omnibus in ſimul dicamus, quid hiſce in rebus ſit practicandum & tenẽdum. Fratres etiam Ordinis Diui Hieronymi, magnum aliud obtinuerunt priuilegium, conceſſum à Pio Quarto, anno Domini 1566. Pontificatus ſui anno ſexto, kalendis Auguſti, quod refertur in eorũ Compendio, titulo. interdictum. §. 8. nempe, *quod tempore interdicti quacumque auctoritate appoſiti, in Eccleſijs eorundem Monaſteriorum, dummodo Fratres interdicto cauſam non dederint, ianuis apertis, & alta voce, in diebus Paſchatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Penteceſtes, Natiuitatis Dominicæ, & Circumciſionis ac Epiphaniæ necnon in quatuor Beatæ Mariæ Virginis, & ſingulorum Apoſtolorum & ſancti Patris Hieronymi, & Dedicationũ Eccleſiarum ipſius Religionis, Monaſteriorum Feſtiuitatibus, à primis Veſperis, vſque ad Completorium diei ſequẽtes, incluſiue Miſſam & alia diuina officia celebrare poſsint.*

Priuilegia cõceſſa Ord. D. Hieronym.

Quod ipſum Pius Quintus, ſimiliter eidem Ordini conceſſit, anno Domini 1567. Pontificatus ſui anno ſecundo, vigeſima tertia die Decembris, prout refertur in dicto Compendio tit. interdicto §. 10. *Quod tempore cuiuſcumque, tam generalis quam ſpecialis interdicti, quauis auctoritate, etiam Apoſtolica appoſiti & apponendi, illo non obſtante, Officium diuinum & Miſſam, in Monaſterijs, Domibus & Eccleſijs eiuſdem Ordinis, per Religioſos alta voce, & ianuis apertis, ſequentibus diebus, videlicet Epiphaniæ Domini, aque Aſcenſionis, Beatæ Mariæ Virginis Aſſumptionis, & ſingulorum Apoſtolorum, necnon in Ramis Palmarum, Feria quinta & ſexta in Cœna Domini & Sabbati ſancti, necnon Sanctiſſimæ Trinitatis, ac Conceptionis, Natiuitatis, Purificationis, & Viſitationis Beatæ Mariæ, Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, & Tranſlationis Sancti Patris Hieronymi, ac Auguſtini & Paulæ Viduæ, ac omnium Sanctorum Feſtiuitatibus & in commemoratione omnium Defunctorum pro Miſſa, & proceſsione, & etiam in die obitus alicuius Religioſi, vel Religioſæ dicti Ordinis, pro miſſa & officio pro ipſo defuncto dicenda, publice dici, celebrari & cantari, omneſque Chriſti fideles, illuc concurrentes, illis intereſſe & aſsiſtere, libere & licite poſsint & valeant.*

Difficultas. Qualiter ſit vtẽdum priuilegijs aliarum Religionum, circa feſta celebrãda inter dicti tempore

Circa quæ prædicta priuilegia difficultas inſurgit, quam loco ſupracitato mouet prædictus priuilegiorum Collector, in appendice ad priuilegium Leonis X. ſuperius poſitum conceſſumque Monachis Ordinis Benedictini, ea eſt, an in omnibus feſtiuitatibus ibidem contentis, Fratres Minores & alij qui eorum gaudent priuilegijs, virtute communicationis priuilegiorum, in eiſdem feſtiuitatibus

bus ac diebus, tempore interdicti possint diuina solemniter celebrare? Cui respondendo dicit, quod quamuis in festiuitatibus Sancti Benedicti & aliorum sanctorum sui Ordinis ibi nominatorum, scilicet Gregorij Papæ, Bernardi Abbatis, &c. nequeant Fratres Mendicantes vti præfata concessione, quantum ad effectum in eadem contentum, attamen in reliquis festiuitatibus & diebus in prædicta concessione expressis, non apparet cur Fratres Minores non possint tunc solemniter celebrare diuina, sicut faciunt Monachi Sancti Benedicti, alias enim inquit, de nihilo deseruiret communicatio priuilegiorum supradicta, quo ad huiusmodi concessionem, & eadem est ratio de alijs. Cuius vtriusque dictum, hac efficacissima ratione probat, quia sic (inquit) intelligi solent aliæ similes cõcessiones. Et ponit exemplum, nam licet Fratres Ordinis Prædicatorum, & alij Mendicantes plenissimã habeant priuilegiorum communicationem ad inuicem, non tamen vtuntur concessionibus factis Fratr. Minorum, qro festiuitatibus sui Ordinis in eisdem festiuitatibus, sed solummodo in festiuitatibus sui proprij Ordinis. Et sic fore intelligendum atque practicandum inter prædictos Prædicatores & Minores declarauit olim Iulius II. in quadam sua Bulla siue priuilegio, quod habetur in supplement. fo. 74. conceſſ. 222. & fol. 81. conceſſ. 265. & refertur in Compend. verbo communicatio priuilegiorum §. 13. Simili etiam ratione intelligendum est (inquit) & de alijs Ordinibus & priuilegijs, præsertim quia sic habetur in communi vsu & consuetudo est optima legum interpres, ac propterea obseruanda tanquam si esset lex. Hæc supradictus Collector. Ex cuius resolutione videtur dicendum, quod virtute supradictarum concessionum, siue priuilegiorum, ac generalis priuilegij quod nos Mendicantes habemus, communicationis priuilegiorum aliorum Ordinum, quamuis alia non haberemus priuilegia, celebrare possemus solemniter diuina officia prædicto interdicti tempore, in omnibus festiuitatibus nostri Ordinis, idemque possunt Fratres cuiuscumque Ordinis (respectiue) & quisque Ordo festiuitates quæ sunt sui Ordinis propriæ, non autem illas, quæ sunt propriæ alterius Ordinis. Attamen illas quæ sunt omnibus Religionibus communes, & in dictis priuilegijs ponuntur, quales sunt festiuitates Domini Sabaoth ac Dominæ nostræ, ab omnibus celebrari possunt communiter & solemniter prædicto interdicti tempore, virtute supradictorum priuilegiorum, habentibus communicationis priuilegiũ. Vtque ipsæ præmanibus habeantur, dico quod virtute supradictorum priuilegiorum, suspenditur interdictum & cessatio à diuinis, in festiuitatibus Natiuitatis Dominicæ, Circuncisionis, Epiphaniæ, necnon in ramis Palmarum, Feria quinta, & sexta in Cœna Domini, & in Sabbatho sancto, in diebus Paschatis. Resurrectionis, Ascensionis, Pẽtecostes, & sanctissimæ Trinitatis, & in quatuor Festiuitatibus Virginis Mariæ & singulorum Apostolorum, & in Nauitate Sancti Ioannis Baptistæ, & festo omnium Sanctorum, & in communicatione omnium defunctorũ pro missa & processione, & in alijs diebus, & occurrentibus casibus, de quibus fiet mentio in sequente conclusione.

In quibusdie bus suspendi tur interdic tum, virtute priuilegiorũ supradictorũ

Septima Conclusio.

Etiam suspẽditur interdictum & cessatio á diuinis in festiuitatibus sanctorũ, quorum corpora degunt in nostris monasterijs, & in festis Patronorum Ord nũ & ipsorum translationibus.

ETiam suspenditur interdictum & cessatio à diuinis, in festiuitatibus Sanctorum, quorum corpora in Ecclesijs prædictorum Religiosorum requiescunt, & in festis Patronorum Ordinum & ipsorum translationum. Hæc conclusio habetur expressa in supradicto priuilegio Leonis X. concesso Fratribus Benedictinis, ibi, *necnon in quorumcumque aliorum sanctorum, & sanctarum sub quorum inuocationibus, Monasteriorum, Prioratuum & locorum vtriusque sexus. dicti Ordinis & Congregationis, Ecclesiæ dicatæ & cõstructæ, seu quorum corpora in ipsis Ecclesijs recondita (respectiue) existunt.* Ad quod etiam facit aliud priuilegium, concessum, Ordini Diui Hieronymi per Adrianum VI. anno Domini 1522. Pontificatus sui anno 1. die 6. Iunij, cuius fit mentio in Compendio priuilegiorum eiusdem Ordinis, titulo interdictũ §. 6. *Quo concesſit Fratribus Monasterij Sanctæ Engratiæ, vt perpetuis futuris temporibus, tempore interdicti Ecclesiastici, quamuis etiam auctoritate Apostolica appositi, in diebus Sanctæ Engratiæ & innentionis eiusdem, ac sancti Lamberti, nec non sanctorum innumerabilium martyrum, quorũ corpora in prædicta Ecclesia requiescunt, & in festo sancti Hieronymi, missas & alia diuina officia, apertis ianuis, & pulsatis campanis, alta voce decantando, excommunicatis & interdictis exclusis, celebrare possint.* Quod quidem priuilegium, quamuis sit particulare & locale, cũ tamen iam communicetur, alijs monasterijs eiusdem Ordinis, per communicationem extendi potest ad alios Ordines, & in eorum Monasterijs diuina solemniter celebrari interdicti tempore, in diebus sanctorum, quorum corpora ibidẽ requiescunt. Sed aduerto, quod dicitur ibi, *quorum corpora*, non vero, *quorum reliquia etiam notabiles in dictis Ecclesijs requiescunt*, vt perspicuũ fiat, quod non propterea interdictum suspenditur aut cessatio à diuinis, etiamsi ibidem sint aliquæ reliquiæ notabiles, vt puta caput, brachium, seu crux alicuius sancti.

Sed pro festis Patronorum, habetur aliud simile priuilegium, concessum eidem Ordini Diui Hieronymi, per Iulium III. anno Domini 1555. Pontificatus sui anno 5. prima die Ianuarij, cuius fit mẽtio in Compend. eiusdem Ordi. tit. interd. §. 7. *Quo concesſit Priori Generali, & alijs Prioribus & Fratribus dicti Ordinis, quod perpetuis futuris temporibus, in singulis sancti Hieron. & etiam cuiuscumque sancti in cuius honorem quodlibet monasterium Ordinis dedicatum fuerit festiuitatibus, tempore interdicti quauis auctoritate etiam Apostolica appositi, & cessationis à diuinis pro tempore indicta, missas & alia diuina officia, in singulis monasterijs Ordinis, ianuis apertis & pulsatis campanis, his tamen qui interdicto causam præbuerunt exclusis, publica & alta voce, cum omnibus illic intereſſe volentibus, celebrare seu celebrari facere, libere & licite valeant, in omnibus & per omnia, ac si interdictum huiusmodi positum non fuisset.* Quod pro dictis festiuitatibus tantum suspenditur, *quibus elapsis in suo robore permanere voluit.* Quo quidem priuilegio, omnes Ordines Mendicantes possunt perfrui. quicumque priuilegium habent communicationis, & quod possint vti priuilegijs concessis & cõcedendis alijs Ordinibus. Sicque celebrare possũt solemniter, festiuitates suorum Patronorum aut Patronarum, sub quorum, aut quarum inuocationibus,

Priuilegiũ ad suspendendũ interdictum, pro festis Patronorum.

Nota pro celebrandis feſtinitatibus trãſlationum patronorum Ordinis.

nibus, Eccleſiæ eorum vtriuſque ſexus, dicatæ atque conſtructæ fuerint, quocumque interdicti & ceſſationis tempore. Et idem dico de feſtis translationum patronorum Ordinum, per communicationẽ illius priuilegij quod Pius Quintus vbi ſupra, conceſſit prædicto Ordini D. Hieronym. *quo ipſius translatio etiam interdicti & ceſſationis tempore, ſolemniter celebrari poſſit.* Quod ſimiliter debet extendi, ad translationes aliorum Sanctorum, qui ſunt aut Fũdatores aut Patroni ipſarum Religionum. Hæc enim eſt vis communicationis priuilegiorum in Religionibus, vt quod vni conceditur pro Patrono ſiue Fundatore ipſius, cenſeatur etiam conceſſum, pro Patronis & Fundatoribus aliarum Religionũ, quæ communicant in ſuis priuilegijs. Et hac ratione in feſto Translationis S.P.N. Franciſci, ſuſpenditur interdictum & ſimiliter ceſſatio à diuinis, ſi quidem (vt dictum eſt) in forma obſeruationis vtriuſque, nulla eſt facienda differentia.

Octaua Concluſio.

Interdictum, & ceſſatio à diuinis etiam ſuſpenditur in profeſſione cuiuſcunque Religioſi aut Religioſæ

SVſpendi etiam poteſt interdictum & ſimiliter ceſſatio à diuinis, in profeſſione cuiuſcunque Religioſi ſiue Religioſæ. Pro hac Concluſione habetur expreſſa conceſſio ſiue priuilegium, Leo. X. quod ponitur in ſupplement. fol. 62. conceſ. 197. & refertur in Compend. verbo *interdic.* 1. §. 19. quo cõceſſit, *quod tempore interdicti ordinaria auctoritate poſiti poſſint Fratres Minores Obſeruantiæ, dare publice profeſſionem fratribus ſuis, & in illa cantare Hymnum.* Veni creator Spiritus, *& alias cæremonias facere prout in conſuetudine habent.* Quod idem prædictus Leo X. cõceſsit Fratribus Benedictinis, vt conſtat ex indulto ſiue priuilegio ſuperius citato, in illis verbis, *necnon quoties Monachi & Moniales, & aliæ vtriuſque ſexus Religioſæ perſonæ, dicti Ordinis & Congregationis, profeſſionem emiſerint, aut primam miſſam celebrauerint.* Quod priuilegium adeò extendunt aliqui Religioſi, vt dicant quod per totum diem quo Profeſſio prædicta alicuius Religioſi, ſiue Religioſæ celebratur, ſuſpendi poteſt interdictum prædictum aut ceſſatio, apertisque ianuis & pulſatis campanis (nominatim excommunicatis & interdictis excluſis) miſſas & profeſſionem prædictam, aliaque diuina officia ſolemniter celebrari, cantando, &c. id quod & practicari dicunt, apud Monachos Benedictinos ſupradictos, necnon in grauiſſimo pariter atque religioſiſſi. ſancti Stephani Salmanticenſi Conuentu Prædicatorum Ordinis, quia inquiunt aperte colligitur, ex clauſula ſupradictæ conceſſionis Leonis X. *ibi apertis ianuis & pulſatis campanis (nominatim interdictis & excommunicatis excluſis) miſſas & Proceſſiones, & alia diuina officia ſolemniter, & in cantu celebrare.* Quæ quidem clauſula cum ponatur in fine, & reſpiciat multas conceſſiones, dicunt quod debet omnes eas pariformiter determinare, nam vna determinatio reſpiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare, vt tradunt iuriſperiti, in l. *nam hoc iure ff. de Vulg. & pup.* & l. *Titia. ff. de leg.* 2. quapropter ſicut in feſtiuitatibus ibidem contentis, interdictum ſiue ceſſatio à diuinis in totum ſuſpenditur atque per totum diẽ & diuina officia tum temporis ſolemniter celebrantur, ſic (inquiunt) fieri poteſt prædicto profeſſionis tempore, ſiquidem pro ea id ipſum ibidem conceditur. Sed nihilominus crediderim, hoc fieri nullatenus poſſe, quidquid ſit de illa regula à Iuriſperitis tradita, nam verba in iure debent intelligi ſecundum ſubiectam materiam, iuxta cap. *intelligentia, de verborum ſignificatione*, & l. *ſi vno. §. vno. ff. locat.* & iuxta naturam & conditionem eorum, quæ in ipſis conceduntur, quapropter reſolutiue dico ſaluo meliori iudicio, quod profeſſionis tempore, ſuſpendi nõ poteſt interdictum ſiue ceſſatio à diuinis, niſi tantummodo pro illo tempore quo durat dicta profeſſio. Id quod in noſtra ſacra Religione inuiolabiliter communiter obſeruatur in praxi, & nec quidem ſine maxima ratione, cum eiuſmodi priuilegia potius ſint reſtringẽda, quam amplianda, ne neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, tot ſuſpenſionibus prædictarum cenſurarum eneruetur & debilitetur. Quod ſi apud Monachos Benedictinos ſupradictos ſeu apud alios quidquam in contrarium fiat, pro eo erit forſan, quia iuxta ipſorum cæremonialia, profeſſionis ſolemnitas durat diu, & expoſcit, vt interdictum & ceſſatio prædicta, per vnum integrum ſuſpendantur diem. Aduerto tamen, quod Moniales niſi ſimul tempore quo datur velum fiat profeſſio, non poſſunt ſuſpẽdere interdictũ, vt notat Corduba in additio ad comp. ſuper prædictum locum, nam pro ſola profeſſione facta fuit dicta conceſſio.

An interdictũ debeat ſuſpendi per totum diem profeſſionis, an vero ſolum pro tempore quo durat ipſa profeſſio.

Nona Concluſio.

Etiam ſuſpenditur interdictum & ceſſatio à diuinis quotieſcũque miſſa aliqua noua celebratur.

ETiam ſuſpenditur interdictum, & ceſſatio à diuinis, quotieſcumque celebratur Miſſa noua, idque à primis veſperis prædictæ Miſſæ, vſque ad veſperas ſequentis diei, quo feſtiuitas eiuſdem finitur. Hoc etiam habetur in ſupradicto priuilegio Leo. X. in illis verbis, in præcedenti conceſſione relatis, *necnon quoties Monachi dicti Ordinis & Congregationis primam miſſam celebrauerint.* Et quamuis quida eiuſmodi tempus reſtringant, & dicant ſuſpenſionem prædictam fieri debere tantum à primis veſperis Miſſæ nouæ, vſque ad meridiem ſequentis diei, quo (inquiunt) tempore Miſſa ipſa noua finitur & terminatur, probabiliſſimum credo, quod poſſit interdictum prædictum ceſſatione ve ſuſpendi vſque ad ſecundas veſperas eiuſdem diei, ſicut in alijs feſtiuitatibus fieri conſueuit, cum hoc etiam pertineat ad ſolemnitatem prædictæ Miſſæ nouæ, & iuxta diuinum præceptum olim fidelibus Iſraelitici populi traditum, à veſpera vſque ad veſperam, celebrari habebant omnia ſabbata ſiue feſta, hoc (inquam) eſt tenendum & obſeruandum quid quid alij dicant.

Decima Concluſio

Suſpenditur interdictum, & ceſſatio à diuinis, pro ſepeliendis publice ac ſolemniter Fratribus.

SVſpenditur etiam interdictum & ceſſatio prædicta à diuinis, pro ſepeliendis publice ac ſolemniter Fratribus. Hoc habetur etiam ex ſupradicta conceſſione Leon. X. facta Monachis ſancti Benedicti, in illis verbis, *ſeu tot in Eccleſijs vel Cœmeterijs Monaſteriorum, Prioratuum & aliorum locorum dicti Ordinis & Congregationis, humana cadauera Eccleſiaſtica*

Sicæ tradere ſepulturæ contigerit, tempore interdicti & ceſſationis á diuinis, quacunque auctoritate etiam Apoſtolica impoſitorum, dummodo huiuſmodi interdicto cauſam non dederint, neque id eis contigerit ſpecialiter interdici. Huic alia ſimilis conceſſio eiuſdem Leo. X. refertur in Compendio, verbo, interdictum 1. §. 25. Quod etiam per Pium Quintum, conceſſum fuit Fratribus Ordinis D. Hieronymi, in priuilegio ſuperius allegato, in illis verbis, *& etiam in die obitus alicuius Religioſi vel Religioſæ dicti Ordinis pro miſſa & officio pro ipſo defuncto dicenda publice dici, celebrari & cantari, omnesque Chriſti fideles illic occurrentes, illic interesſe & aſsiſtere, libere & licite poſsint & valeant.* Sed multo ante Pontifices prædictos, hoc ibidem conceſſerat nobis Fratribus minoribus Iulius Secundus expreſſe, *quod tempore interdicti ordinaria auctoritate appoſiti, poſſent ſepelire in Eccleſijs ſuis libere & licite, corpora Fratrum eiuſdem Ordinis decedentium. Et hoc etiam cum cæremonijs ſolitis in ordine, ac pulſatis campanis, miſſas & alia diuina officia in ſimilibus celebrari conſueta, in omnibus & per omnia, ac ſi interdictum huiuſmodi appoſitum non eſſet.* Habetur prædicta conceſſio ſiue priuilegium, in Monumentis Ordinis 1. in præfat. 112. conceſſ. 516. & in ſupp. fol. 72. conceſſ. 219. & refertur in Compendio verbo *interdictum* 1. §. 13.

Vndecima Concluſio.

Interdicti tẽpore poſsunt fieri proceſſiones inclauſtro dicendo Litanias & Hymnos ſed aliàs de nota carmina dã tamen ali quod officium diuinum non dicamus.

ETiam habemus priuilegium nos Minores fratres, & quicumque alij noſtris perfruuntur priuilegijs, vt tempore interdicti ordinarij, facere poſſimus proceſſiones per clauſtra, dicendo Litanias & Hymnos aut alia deuota carmina, dum tamen aliquod diuinum officium non dicamus. Habetur hæc conceſſio in Supplemento fol. 62. conceſſ. 199. & refertur in Compendio verbo, *interdictum.* 1. §. 21. quod priuilegium eſt Leonis X. Aduertit tamen Corduba in addit. ad compend. ſuper hunc locum hoc eſſe intelligendum, de interdicto ordinario, non vero Apoſtolico, prout ibidem dicitur. Qui dictus Leo ſimiliter conceſſit, *quod præfati fratres Minores, tempore ſupradicti interdicti Ordinarij poſsint benedicere menſam & poſt prandium, & cenam Deo gratias egere, ac ſi nullum eſſet interdictum,* habetur vbi ſupra paulo ante, num. 10. Idem ſummus Pontifex ſimiliter conceſſit præfatis Fratribus Minoribus, *quod tempore interdicti aut ceſſationis á diuinis, poſsint duo vel plures Fratres, extra Eccleſiam in domibus ſuis, officium diuinum dicere, non obſtante cap. quod in te, de pœnitent. & remiſſion. & alijs quibuſcunque, & quod quando extra chorum dicunt prædicti Fratres horas canonicas, ſi caſu tranſeuntes perſonæ interdictæ aliquid audirint non propterea incurratur aliqua cenſura.* Habetur hæc conceſsio in Supplemento fol. 59. conc. 166. & refertur in Compẽdio verbo interdict. 1. §. 18. Hæc omnia ſunt valde notanda atque memoriæ commendanda, dicunturq; indifferenter & abſque delectu & diſcrimine pro Monialibus & pro Fratribus noſtri ſacri Ordinis, ſiquidem & Moniales fruuntur omnibus noſtris priuilegijs, per ſpecialem conceſsionem ſibi factam per Sixtum Quartum, de qua inferius latius dicemus, quæ habetur in Monumentis Ordinis 1. imp. fol. 61. & 2. fol. 144. conc. 354. & refertur in Compendio, verbo, communicatio priuileg. §. 1.

Nota pro benedictionemẽſæ, & gratiarum actione.

Duodecima Concluſio.

Syndici noſtri Ordinis & ipſorũ vxores & filij poſſunt admitti ad diuina officia interdicti tempore.

SYndici noſtri ſacri Ordinis Minorum, & ipſorũ vxores ac filij, admitti poſſunt ad diuina tempore interdicti, & ceſſationis á diuinis. Hæc concluſio probatur ex ſpeciali priuilegio, ad idipſum conceſſo per Clementem Septimum, quod refertur in Compendio, verbo *Procuratores Fratrum* §. 12. vbi ſequentia verba habentur, *Clemens Septimus conceſſit vni Syndico & Procuratori, cum illius vxore & liberis, præſenti & futuro, ſingulæ domus & Monaſterij Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ, ac Monialium ſanctæ Claræ, Conceptionis, & Annuntiationis, Ordinum & Sororum Tertij Ordinis ſancti Franciſci, pro tempore ſeruienti, quod perpetuis futuris temporibus, ipſi et eorũ quilibet, omnibus et ſingulis indulgentijs et peccatorum remiſſionibus, fauoribus et gratijs, quibus Fratres Ordinis de Obſeruantia prædictorum vtuntur, potiuntur et gaudent, ſeu vti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, et gaudere poſſint et valeant.* Quod priuilegium Sixtus Quartus in Bulla aurea etiam ad Syndicos Monialium extendit vt conſtat ex Monum. ord. 1. imp. fol. 66. & 2. fol. 142. con. 362. Ex quo indulto atque priuilegio colligitur, quod nõ ſolum tempore interdicti, poſſunt Procuratores & Syndici ſupradicti, vxor & filij, in Eccleſijs prædictorum Fratrum Minorum admitti ad diuina, & Eccleſiaſtica recipere ſacramenta, verum etiam & tempore ceſſationis á diuinis, ſiquidem potiuntur priuilegijs dictorum Fratrum, qui vt ex ſuperioribus conſtat, ad omnia iſta priuilegium habent.

Pro Syndicis Monialium.

Nota pro Medicis ordinarijs noſtrorũ Conuentuum atq; Monialium.

Quod quidem priuilegium etiam extenditur ad Medicos ordinarios, Fratrum Ordinis Minorum & Sororum prædictarum, per aliud priuilegium Alexandri Sexti, *Quo conceſſit, vt Medici ordinarij Fratrum Minorum atque Sororum, habeant eadem priuilegia atq; gratias, quibus gaudent Syndici et Procuratores locorũ.* Habetur in Monumentis Ordinis 2. imp. fo. 70. cõ. 177. & in ſup. fol. 99. conc. 376. & refertur in Compendio verbo indulgentia quoad ſeculares 4. 3. 8. Sed aduertendum eſt, quod dicta conceſſio ſolum modo fit Medicis ordinarijs, vt ex eadem patet, ſed Medicorum nomine intelligendi etiam veniũt Chirurgi, licet ipſi non etiam ſint Doctores, cum & Medici non à dignitate Doctoratus, ſed à medendo nuncupentur atque dicantur, prout allegando Bartolum, tradit Syluester, verbo Medicus, num. 2.

Sed aduertendum eſt, quod non extenditur ſupradicta conceſſio, ad barbitonſores ſeu ſanguinis minutores, qui vulgo dicuntur, *barberos o ſangradores*, pro eis enim in priuilegijs, nullam inuenio cõceſsionem factam, niſi etiam ipſi comprehendantur Familiarium aut Seruitorum nomine, de quibus ſtatim dicemus. Aduertendum etiam eſt, quod ſupradicti omnes Syndici ſiue Medici, humari, ſeu ſepeliri poſſunt in noſtris Monaſterijs, interdicti & ceſſationis tempore ad modum quo Fratres, ſiquidem vt præmiſſum eſt, potiuntur omnibus noſtris priuilegijs; dicta ſufficiant, ſit tertiadecima Concluſio.

Tertia-

Tertiadecima Concluſio.

Omnes noſtri Ordinis donati, & Cõuerſi interdicti & ceſſationis tẽpore poſſunt admitti ad diuina officia & ad recipiẽdũ Eccleſiaſtica Sacramẽta ſepeliriq; in loco ſacro, ſecreto tamen, & non pulſatis campanis.

OMnes noſtri Ordinis Donati & Conuerſi, ſupradicto interdicti & ceſſationis tempore, poſſunt admitti ad officia diuina & ad recipienda Eccleſiaſtica ſacramenta, ſepeliriq. in loco ſacro, ſecreto tamen modo & ianuis clauſis & non pulſatis campanis. Hæc concluſio conſtat ex conceſſione quadam Eugenij Quarti, facta Monachis ſancti Benedicti, quæ refertur in Compendio priuilegiorum, *verbo interd.* 3. §. 11. vbi ſequentia verba habentur, *Eugenius Quartus conceſſit Monachis ſancti Benedicti Congregationis Hiſpaniæ, quod tempore interdicti generalis vel ſpecialis, à Iure vel ab homine, quomodocunque lati, libere & licite in ſuis Monaſterijs, ſiue Eccleſijs, aut capellis eorumdem, poſſint recipere ad audiendam Miſſam, & alia diuina officia, omnes & ſingulos donatos, oblatos, conuerſos & commiſſos, aut quoſcumque Familiares, Officiales, & Seruitores, quorumlibet Monaſteriorum huiuſmodi, ac eis Euchariſtiam & alia Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare, eorumq; corpora tumulare ſiue tumulari facere, dum tamen nullus iſtorum dederit cauſam interdicto ſecreto, tamen modo ianuis clauſis & non pulſatis campanis.* Ex qua conceſsione & priuilegio conſtat, quod non ſolum prodeſt pro prædictis Conuerſis, Donatis & oblatis; verum etiam extenditur ad alios quoſcũque commiſſos, Familiares, Officiales, & Seruitores Monaſteriorum quorumlibet, & vt dicit Cor. in ſua tabella, quam pro interdictis fecit, quantũ ad hoc quod eſt poſſe audire Miſſam, aliaq. diuina officia in noſtris domibus & Monaſterijs, extenditur etiam ad Officiales, & Operarios, diebus quibus laborant in eiſdem, quamuis id fiat ſoluto pretio neque ipſi ſint operarij ordinarij. Item & ad famulos mercenarios, reſidentes in grangijs atque cellaris quarumcumq; Religionum, priuilegium habentium communicationis, de quo in dicto Compendio, *verbo interd.* 3. plura habẽtur priuilegia, ſed præſertim eſt ad id priuilegium. *Leon. X. quo conceſſit nobis Fratribus Minoribus de Obſeruantia, quod tempore interdicti, non tenentur euitare laborantes in ſuis domibus, diebus quibus laborauerint, etiamſi nõ ſint Familiares & Seruitores & continui commẽſales Fratrum, at eis ſoluatur ſalarium.* Habetur in Supplemento, fol. 59. conc. 167. & refertur in dicto Compendio, vbi ſupra, §. 10. Similiter & Innocentius Sextus, *conceſſit Fratribus Carthuſienſibus, vt tempore generalis interdicti, liceat eis recipere ad diuina conuerſos dicti Ordinis & familiares ſuos, & alios ſeculares intra ſepta Prioratuum & domorum ſuarum habitantium. Vrbanus etiam Quintus conceſsit præfatis Carthuſienſibus, vt etiam perſonas dicti Ordinis, cum Seruitoribus ſuis aliunde venientes, & mercenarios in grangijs & cellarijs ſuis reſidẽtes, poſſint tempore interdicti recipere ad diuina, dummodo huiuſmodi interdicto cauſam non dederint, neque eis contingat ſpecialiter interdici.* Supradictæ duæ conceſſiones referuntur in Compendio loco ſupracitato, *verbo interdictum*, 3. §. 12. & 13. Sed redeundo ad id vnde digreſſi ſumus, de familiaribus & famulis Fratrũ ſeruitio deputatis, nos Minores Fratres, habemus ſpeciale priuilegium Alexandri Quarti, quo conceſſit, *quod ſi quando in perſonas vel terras vbi reſident Fratres Minores, excommunicationis ſeu interdicti ſententia contigerit promulgari, pueri Fratrum ſeruitijs deputati, negotiorumque ſuorum geſtores ſeu Procuratores & Operarij, qui in locis Fratrum huiuſmodi operibus eorum, perſonaliter conſtituti fuerint, prædictis ſententijs excommunicationis vel interdicti, obnoxij nullatenus habeantur, ibique poſſint audire diuina, iuxta formam quæ à Sede Apoſtolica conceſſa eſt eo caſu, ſcilicet, tempore interdicti, niſi prædictæ perſonæ cauſam dederint, vel excommunicæ, ſeu interdicti contingat.* Habetur in Monumentis Ordinis 1. impreſſ. folio 31. & folio 114. conceſſ. 251. & refertur in Compendio, *verbo, interd.* 3. §. 1. & in ſequenti, §. 2. Refertur alia conceſſio Clementis Quarti, facta etiam nobis Fratribus Minoribus, *quod iis qui in eorum morantur obſequijs tempore interdicti libere poſſint miniſtrare cuncta Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſos cum deceſſerint in ſuis cœmeterijs ſepelire.* Habetur in Monument. Ordinis 1. impreſſ. folio 56. & 2. fol. 140. conc. 315. Qui idem Clemens conſimilem etiam conceſsionem fecit nobis Fratribus Minoribus & Fratribus etiam Prædicatoribus & Carmelitis diuerſis in locis relatis à priuilegiorum Collectore, vbi ſupra, *verbo, interd.* 3. §. 3. quę breuitatis gratia prætermittuntur, & quia continent omnino idem. Sed pro ſepultura ſupradictorum Donatorum, Conuerſorum, Familiarium, ac Seruitorum, facit quammaxime priuilegium Leonis Decimi, conceſſum Monachis Sancti Benedicti, de quo mentionem fecimus ſupra, & refertur in Compendio, *verbo, interd.* 2. §. 10. & aliud eiuſdem Leonis, conceſſum Monachis etiam eiuſdem Ordinis ſancti Benedicti, Congregationis Hiſpaniæ, quod etiam refertur in Compendio, *verbo. interdictum*, primo, §. 25.

Nota pro audienda Miſſa diuinisque officijs.

Nota pro adminiſtratione Sacramẽtorũ

Nota pro ſepultura.

Quartadecima Concluſio.

NIcolaus Quintus conceſsit Priori Monaſterij ſancti Benedicti Valliſoletani, vt poſsit eligere ſex perſonas inter viros & mulieres ſucceſſiue, quæ tempore interdicti generalis ſiue ſpecialis aut quo ceſſatur à diuinis, in dicto Monaſterio, quando Miſſæ & alia diuina officia celebrantur, miſſas & alia diuina officia poſsint audire, & illis intereſſe, ac in ipſo Monaſterio dicto tempore Eccleſiaſtica Sacramenta recipere. Etſi aliqua ipſarum ſex perſonarum mori contigerit, ſepeliri valeat in Eccleſiaſtica ſepultura, ſine ſolemnitate tamen, dummodo dictus Prior vel aliqua ipſarum ſex perſonarum, dicto interdicto aut ceſſationi á diuinis cauſam non dederint, & ipſum interdictum non ſit poſitum vel confirmatum auctoritate Apoſtolica. Refertur hæc conceſsio ſiue priuilegium in Compendio, *verbo, interd.* 1. §. 23. & in ſequenti §. 24. refertur etiam quod Nicolaus Francus Apoſtolicæ ſedis Nuntius & orator, cum poteſtate Legati de Latere, à præfata ſede deputatus in Regnis Caſtellæ, Legionis, & Aragoniæ, conceſſit Monachis ſancti Benedicti obſeruantiæ Hiſpaniæ, quod tempore interdicti ordinarij, poſsint recipere ad Miſſas, & ad alias horas audiẽdas in ſuis monaſterijs, quindecim perſonas in qualibet die, de his qui non dederunt cauſam interdicto. Circa ſupradictum priuilegium Nicolai Quinti aduertere libet, quod vt habetur in Compendio priuilegiorum Ordinis Ciſtercienſis, *verbo, interdictum*, §. 13. quidam Ioannes Epiſcopus Præneſtinus eiuſdem

Pro eligẽdis aliquibus perſonis, qui interdicti & ceſſationis tẽpore, poſſint diuinis intereſſe, & Eccleſiaſtica recipere ſacramẽta, ſepelireque in loco ſacro.

dem Nicolai Quinti maior pœnitentiarius conceſſit Congregationi S. Benedicti Hiſpaniæ, vt tẽpore interdicti & ceſſationis à diuinis, poſsint eligere ſucceſſiue ſex perſonas, viros aut mulieres, & ad diuina illas admittere, eiſque Sacramẽta conferre, & ſi è vita exceſſerint, illarum cadauera ſepelire. Quam eandem conceſſionem, vt refert Enriquez lib. 13. de excommunicatione & interdicto, capit. 48. §. 3. ipſemet Ioannes Epiſcopus Prænestinus, conceſſit Priori de Monſerrate, dum foras exit ad loca ſic interdicta, vt eligat ſex perſonas, &c. Cuius quidem conceſſionis, vt dicitur, ea fuit ratio, quia tunc temporis, in Catalonia prope Monſerratum, adeo erat frequens interdictum & ceſſatio à diuinis, vt vix auderet Prior & Procurator de Monaſterio exire. Circa quas conceſſiones notandum eſt, quod ipſarum virtute poſſunt Priores Conuentuales Ordinum Mendicantium, & alij qui eorum perfruuntur priuilegijs, tempore interdicti prædicti ſeu ceſſationis à diuinis, eligere ſupradictas ſex perſonas, viros aut mulieres ſucceſſiue, quæ poſſint miſſas, diuinaque officia audire, recipere que Eccleſiaſtica ſacramenta, etſi aliqua ipſarum interim mori contigerit, in Eccleſiaſtica ſepultura ſepeliri, dummodo eiuſmodi interdictum, non ſit poſitum vel confirmatum auctoritate Apoſtolica, nec ipſi eidem interdicto, aut ceſſationi cauſam dederint (ſine ſolemnitate tamen, vt habetur in præfata conceſſione Nicolai Quinti) quamuis in alia facta à prædicto Epiſcopo Prænestino, de hoc nulla mentio fiat, ſed abſolute dicatur, quod ſi vita exceſſerint illorum cadauera poſſint ſepeliri. Et circa verbum illud, *ſucceſſiue*, aduertere licet, quod Emanuel Rodericus in additionibus ad Bullam Cruciatæ, §. 5. num. 46. & 2. tomo ſuarum quæſtionum Regularium, quæſtion. 112. art. 6. ſic illud putat intelligi, vt non ſimul ſupradictæ ſex perſonæ poſſint admitti ad ſuperius dicta, ſed vna poſt aliã, ita quod duæ ſimul perſonæ nõ poſſunt diuinis officijs aſſiſtere. Quod quidem meo quidem iudicio, longiſſimè alienum eſt à mente & intentione prædicti ſummi Pontificis, nam per illud quod Nicolaus Quintus ſupradictus dicit ibidem, *ſucceſsiue*, hoc tantummodo intelligendum credo, quod ſupradictæ ſex perſonæ eligantur, etſi ipſarum aliqua ex hac vita deceſſerit, ipſius loco aliqua ſubſtituatur, ita quod ſemper habere poſsint ſucceſsiue ſex ſupradictas perſonas exemptas, quæ priuilegio prædicto perfruãtur. Et aduerto quod eodem etiam perfruuntur omnes Moniales, præſertim noſtræ ſacræ Religionis, & aliæ quæcumque priuilegium habentes cõmunicationis, nam etiam in ipſarum Conuentibus, Abbatiſſæ ſiue Prioriſſæ, eligere poſſunt ſupradictas ſex perſonas, quæ tempore interdicti & ceſſationis à diuinis, perfruantur eiuſmodi priuilegio, eo modo quo & Priores Conuentuales ſeu Superiores Ordinum Mendicantium, eaſdem poſſunt eligere. Nam communicatio priuilegiorum, inter Fratres & Moniales, vt dicitur, hoc idem omnino operatur, vt id quod conceditur Fratrum Superioribus, concedi perinde etiam videatur, Abbatiſsis & Prioriſsis Monialium, in quantum ipſarũ ſexus ſeu ſtatus non contradicit, & certum eſt, quod eiuſmodi electio perſonarum, nec ſexui, nec ſtatui Monialium contradicit, ſit quintadecima concluſio.

Quinta Concluſio.

Cõfratres ſiue Germani noſtri ſacri Ord. interdicti tẽpore & ceſſationis à diuinis, ſepeliri poſſunt in noſtris Eccleſijs ſiue cœmeterijs.

COnfratres ſiue Germani noſtri ſacri Ordinis, tempore interdicti prædicti & ceſſationis à diuinis, ſepeliri poſſunt in noſtris Eccleſijs ſiue cœmeterijs. Hæc concluſio probatur, nam ad id ſpeciale habent priuilegium Fratres Ordinis Prædicatorum, conceſſum à Ioanne XXIII. quo & perfruimur nos Minores Fratres, & quicumque alij priuilegium habent communicationis, quod priuilegium habetur in Supplemento folio 95. conc. 306. & refertur in Compendio, *verbo, interdictum*, 3. §. 5. vbi dicitur, *quod Ioannes XXIII. conceſsit Fratribus Ordinis Prædicatorum, quod Confratres & Germani dicti Ordinis, poſsint ſepeliri tempore interdicti in Eccleſia vel cœmeterio eorundem Fratrum, niſi fuerint excommunicati publice vel nominatim, ibique diuina celebrare, ſeu audire.* Circa quam ceſſationem aduertit Collector priuilegiorum ibidem, quod per ipſam ſolum modo debent admitti, illi confratres, qui licet remaneant in ſeculo, & non mutent habitum ſecularem, ſunt tamen vel fiunt oblati Ordinis prædicti, ac faciunt donationem inter viuos, omnium bonorum ſuorum dicto Ordini, reſeruando ſibi ſolùm vſumfructum, quandiu vixerint, & non de alijs Confratribus communiter vſitatis in Hiſpaniarum partibus. Et dicit poſt longam ventilationem & diſcuſsionem inter Doctores vtriuſque iuris Vniuerſitatis Salmanticenſis, id fuiſſe determinatum & declaratum, & quod fundatur huiuſmodi determinatio & declaratio, in *capit. vt priuilegia, de priuilegijs*, vbi ad literam dicitur, ſolummodo tales Confratres prænominatos, gaudere debere Eccleſiaſtica ſepultura, non vero alios. Sed quamuis hoc ita ſit, per alia priuilegia Leonis Decimi, conceſſa Fratribus Benedictinis, de quibus ſupra mentionem fecimus, & referuntur in Compendio *verbo, interdictum*, 1. §. 25. & 2. §. 10. in illis verbis, *ſeu eos in Eccleſijs vel cœmeterijs Monaſteriorum, Prioratuum & aliorum locorum dicti Ordinis & Congregationis, humana cadauera Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ contigerit tempore interdicti, & ceſſationis à diuinis*, ſupradicti Confratres & Germani Religionum, ſepeliri poſſunt in noſtris Eccleſijs ſiue cœmeterijs, & quidem ſolemniter vt placet Patri Fratri Antonio de Corduba in ſupradicta tabella quam edidit circa obſeruantiam interdicti, §. 16. vbi inquit ſic fuiſſe declaratum in Salmanticenſi Academia, per ſupradictos Iuriſperitos. Quinvero & vſu practicatum dicit, quod omnes, qui in mortis articulo in noſtris Monaſterijs elegerint ſepulturam, poſtquam tempore interdicti & ceſſationis à diuinis ſepeliri poſſunt ibidem, poſſunt etiam ſepeliri ſolemniter, quidquid dicat Collector in Compendio, *verbo, interdictum*, 1. §. 7. aſſerendo, quod hoc ſolummodo, Fratribus, Donatis, ſiue Conuerſis eſt conceſſum, vt ſcilicet cum ſolemnitate ſepeliantur prædicto interdicti & ceſſationis tempore. Sed nihilominus contrarium, inquit, eſt verius & quod cõmunitet tenetur. Nam in prædictis priuilegijs Leonis Decimi, conceſsis Fratribus Benedictinis abſolutè & ſine vlla diſtinctione conceſsit, vt cum ſolemni-

lemnitate in eorumdem Monaſterijs ſepeliri poſſint quicumque, ſeu quod quoriescumque humana cadauera, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi contigerit, tempore interdicti & ceſſationis à diuinis, apertis ianuis, pulſatis campanis, excluſis nominatim interdictis & excommunicatis, miſſas & alia diuina officia ſolemniter, & in cantu poſſint celebrare. Quibus quidem priuilegijs, fruuntur omnes Ordines, qui priuilegium habent communicationis. Et præterea id ipſum facere poſſunt, per cõmunicationem alterius priuilegij & ſpecialis conceſſionis, ſulij II. factæ Fratribus Ordinis Minorũ, quæ habetur in Supplement. fol. 8. conceſ. 22. & refertur in compend. verbo, *familiares, ſeu famulis Fratrum.* §. 7. *qua cõceſſit, quod famuli domorum dicti Ordinis, necnon cæteri eiuſdẽ Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus ſepulturam eligentes, omnibus & ſingulis priuilegijs Ordinis Minorũ huiuſmodi, quomodolibet conceſſis, gaudere libere & licite valeant.* Quo quidẽ priuilegio, ſicuti prædicti Ordinis Fratres & quicumque alij ſupradicti, interdicti & ceſſationis tẽpore, ſepeliri poſſunt cum ſolemnitate, ita & quicumque eodem perfruuntur, quales ſunt ſupradicti Germani & qui in articulo mortis ſepulturam eligunt in domibus prædictorum Fratrum, & qui ipſorum communicant priuilegijs. Ad hoc etiam facit alia conceſſio ſeu priuilegium, Leon. X. & Adrian. VI. factum Ordini ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, cuius fit mentio in Compendio, verbo, *communicatio priuilegiorum.* §. 39. vbi hoc ipſum inter alia, *conceditur pro illis, qui deuotionis feruore ducti, in habitu dicti Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum deceſſerint, aut eorum corpora ſeu cadauera dum ab hoc ſeculo migrauerint, in Eccleſijs eorundem Monaſteriorum ſepeliri ordinauerint.*

In fine huius Concluſionis, generaliter aduertere libuit pro prædicta mortuorum ſepultura, ex Patre Corduba in ſupradicta tabella interdicti quam edidit. §. 16. & 17. quod in omnibus feſtis, quibus in noſtris domibus iure communi ſeu ex aliquo priuilegio, interdictum ſiue ceſſatio à diuinis ſuſpenditur, etiam & mortui ſepeliri ibidem poſſunt ſolemniter, fieriq́ue omnia, quæ ad funeris ſolẽnitatẽ pertinent, ac ſi nullũ ibidem fuiſſet interdictum, nominatim excommunicatis excluſis. Quæ doctrina etiam placet Nauarro, vt videre licet in ſuo Manual. cap. 27. num. 186. vbi & hoc idem eſſe dicit conſonum iuri ac conſuetudini.

Decimaſexta Concluſio.

QVæ ſuperius ſunt dicta de ceſſatione à diuinis intelligenda ſunt de quacumque ceſſatione etiam rigoroſa & ſtricta. Hæc Concluſio eſt expreſſa ſupradicti Corduba, in prædicta tabella quã fecit, circa obſeruanda à Fratribus & Religioſis, tẽpore interdicti & ceſſationis. §. 12. vbi & aduertit duplicem in iure reperiri ceſſationem à diuinis, alteram communiter ſumptam, & quæ ſecundum nouum ius poſitum, in d. c. *alma Mater de ſentent. excom.* æquipollet interdicto, neque ampliusſeu ſtrictius obſeruatur quam ipſum interdictum, alteram verò ſtrictam & rigoroſam, quæ ſecundum ius antiquum, vocabatur *interdictum ſtrictiſſimum*, quo nec ſacra fiebant aut diuina officia celebrabantur, nec ſacramenta publice neque in ſecreto miniſtrabantur, præter ſacramentum baptiſmi pro paruulis & Pœnitentiæ pro adultis, vt habetur, in ca. *non eſt vobis de ſponſ.* quo quidem ceſſationis genere, Eccleſia nunc quandoq́ue vtitur, ſoletq́; dubitari, an eo tempore valeant priuilegia ſupradicta? Cui difficultati reſolutiue reſpondet prædictus Corduba, quod priuilegia Religioſis conceſſa, extenduntur etiam pro tẽpore ſupradictæ ceſſationis rigoroſæ nam in fauorem Religionis eiuſmodi priuilegia latè ſunt interpretanda, at verò illa priuilegia ſpecialia & particularia, quæ interdũ aliquibus cõcedũtur, vt tẽpore interdicti & ceſſationis à diuinis in ſuis domibus ſeu in Eccleſijs, in altari portatili celebrare poſſint aut celebrare facere & miſſas, diuinaq́; officia audire, nõ extẽdũtur ad ceſſationẽ prædictã rigoroſam, ſed ſolũmodo ad cõmuniter ſumptã, nã tamquã odioſa potius debent reſtringi, quã ampliari. Vnde aduertit quod prædicto rigoroſæ ceſſationis tẽpore, Religioſi extra domos ſuas non poſſunt facere ſacra, quãuis ſeculares dicant, quod ad id habẽt priuilegiũ, niſi in huiuſmodi priuilegijs hoc expreſſe habeatur, & cõcedatur vt ipſum poſſint facere, tempore cuiuſcũque interdicti & ceſſationis, etiam ſtrictæ ſeu ſtrictiſsimæ. Quod eſt multum notandum atque memoriæ cõmendandum. Quæ ſupradicta omnia ad interdictũ ſiue ceſſationem à diuinis ſpectantia, intelligẽda ſunt fieri poſſe ex priuilegijs ſuperius allatis & Religioſis conceſsis, niſi alicubi reperiantur reuocata, aut niſi vſus in contrarium obſtet.

Quæ ſunt ceſſationis, intelligenda ſunt etiam deceſſatione ſtrictæ & rigoroſe ſumptæ.

Quæ de iſto articulo & de tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO XXXIX.

De conſecratione Eccleſiarum, & reconciliatione ipſarum poſt earundem violationem, in octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Qualiter Eccleſiæ conſecrentur, & à quo habeant conſecrari?

PRo huius Articuli, ac dicendorum pleniori intelligentia, priuſquam ad eiuſdem reſolutionem accedamus, præmittere libuit ex Sylueſtro, *verbo conſecratio* 2. quod locorum ſacrorum conſecratio eſt triplex. Prima cœmeterij, de qua tractat idem Sylueſter, *verbo, cœmeterium*, Secunda altaris, de qua agit, *verbo, altare*. & tandem tertia Eccleſiæ, quæ eſt omnino alia ab omnibus ſupradictis, de qua vbi ſupra, & fieri vna poteſt ſine alia, vt conſtat expreſſe, ex *cap. 1. de conſecrat. Eccleſiæ vel altaris*. Quid ſit cœmeterium, & vnde hoc nomẽ deriuetur tradit prædictus Sylueſter, verbo ſupra dicto cœmeterium, ex Geminiano, & ex *cap vnico de conſecrat. Eccleſiæ vel altaris, lib. 6*: & inquit quod Græcè cœmeterium, idem eſt quod cinis, pro eo quod eſt dulcis ſtatio animarum, ſeu potius aut pro eo quod corporum, ibidem cinis mortuorum detineatur. Vel dicitur & deriuatur, à *cis*, quod eſt *ante*, quia communiter cœmeteria ante Eccleſias fieri ſolent, in quo immorari parum refert. Et de altaribus dicit, *verbo, altare*, quod ea ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt firma atque ſtabilia, alia vero viatica & portatilia, quæ alio nomine nuncupantur Aræ, vt conſtat ex *cap. quoniam, de priuilegijs, lib. 6.* & vtcumque illud ſit, inquit, quod altare non eſſe debet ligneum aut terreum, ſed lapideum, vt conſtat ex *cap. altaria, el 1. de conſecratione* diſt. 1. pro quo etiam allegat D. Thomam in 4. ſententiarum, diſt. 13. & tertia parte, quæſt. 83. artic. 3. vbi hac de re & de altarium conſecratione latiſſime agit. Quid ſit Eccleſia adeo clare patet, vt explicatione non indigeat, atque ita ijs præmiſſis, vt propoſitæ difficultati ſatisfiat, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Locorũ ſacrorum cõſecratio eſt triplex

Quid ſit cœmeterium.

Quid & quotuplex ſit altare

Prima Concluſio.

Cœmeteriũ generaliter loquẽdo, eodem modo benedicitur, violatur & reconciliatur, quo & Eccleſia, atque ab eodem.

COEmeterium generaliter loquendo, eodem modo benedicitur, violatur & reconciliatur, quo & Eccleſia, atque ab eodem. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Sylueſtri, *verbo, cœmeterium*, vbi allegat pro ea Hoſtienſem & Bartolum, & plures Doctores antiquos, addens, quod ſi cœmeterium eſt Eccleſiæ contiguum, ea polluta polluitur non autem è conuerſo, vt conſtat ex *capit. vnico, de conſecr. Eccl. vel altar. lib. 6.* vbi pro ratione adducitur, ne minus dignum maius, & acceſſorium principale ad ſe trahere videatur. De forma benedicendi ſeu conſecrandi cœmeteria, & quomodo aut qualiter eorum conſecratio fieri debeat ſatiſſime in Pontificali Epiſcoporum, neque eſt mei propoſiti aut per tempus licet id referre. Sed de conſecratione altarium, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Altaria ſiue aras, ſolus Epiſcopus poteſt benedicere & cõſecrare.

ALtaria ſiue illa ſint firma & ſtabilia, ſiue vero portatilia aut viatica, quæ alio nomine (vt dicimus) dicuntur aræ, ſolus Epiſcopus benedicere, & conſecrare poteſt. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Sylueſtri, *verbo, altare*, num. 2. quam & probat ex *cap. nullus, el 2. de conſecr. d. 1*, facit & *cap. concedimus*, ibidem. Quod autem is, qui ſolus eſt Presbyter, id facere non poſſit, habetur expreſſe in *cap. miniſtrare*, 2. q. 6. Fit autem ſermo de benedictione, ſeu conſecratione altaris, nam quantum attinet ad ipſorum materialem ſtructionem ſiue erectionem, portatile quidem quilibet lapicida poteſt efficere, cum nullo ſibi ſit idipſum iure prohibitum: ſtabile vero licitum eſt etiam presbyteris erigere vel inſtituere, in Eccleſia non conſecrata, quamuis in conſecrata, nonniſi de licentia Epiſcopi, argumento deducto ex dicto *cap. nullus presbyter, de conſecrat. d. 1. & ex cap. quamuis, d. 68.* Et eodem modo (inquit prædictus Sylueſter) quod in Eccleſia conſecrata ſine conſenſu Epiſcopi non ſunt altaria deſtruenda, argumento deducto ex *cap. Eccleſiæ, & ca. placuit, de conſecrat. d. 1.* Secus eſt autem in non conſecrata, argumento deducto ex eiſdem locis à cõtrario ſenſu ſecundum gloſſam in præallegato *ca. quamuis*, Multa alia dicit Sylueſter, circa prædictã, materiam altarium, & qualiter ipſa fieri debeant & an ipſorum conſecratione neceſſario reliquiæ debeant apponi, quæ omnia breuitatis gratia facio miſſa, nec libet quidpiam dicere circa formam conſecrationis eorundem, cum hæc potius ad Epiſcopos, quam ad Prælatos Regulares pertineant, ad vnguemque reperiantur in ipſorũ Pontificali. Sed de conſecratione Eccleſiarum, ſit tertia Concluſio.

Tertia Concluſio

Eccleſiæ etiã conſecrari nõ poſſunt, niſi ab Epiſcopis.

ECcleſiæ etiam conſecrari non poſſunt, niſi ab Epiſcopis. Hæc concluſio eſt ſupradicti Sylueſtri, *verbo, conſecr. 2. num. 2. q. 1.* quam & probat ex *cap. nemo, de conſecr. d. 1.* Et addit Eccleſiarum conſecrationem, non ſolum fieri debere ab Epiſcopo, verumetiam à proprio Epiſcopo, & non ab alieno niſi de licentia proprij, quia extra propriam diœceſim Epiſcopus Eccleſiam conſecrare non poteſt vt conſtat ex *cap. tua fraternitas, de conſecration. Eccleſiæ*,

ſiæ, vel altaris, ibi, *in tua diœceſi*. Neque hoc Epiſcopus poteſt alteri delegare niſi Epiſcopo, ſicut nec eiuſdem reconciliationem, per *cap. aqua eodem titu.* vbi hoc expreſſe cauetur, & prohibetur id committi ſimplicibus ſacerdotibus, non obſtante conſuetudine Prouinciæ Bracharenſis, quam dicit Gregorius Nonus ibidem, potius eſſe dicendam corruptelam, quam conſuetudinem, quia inquit, licet Epiſcopus committere valeat quæ ſuæ ſunt iuriſdictionis, quæ tamen ſunt Epiſcopalis ordinis, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare. Sed ſecundum Innocentium, inquit ſupra dictus Sylueſter, quod de licentia Papæ, etiam ſimplices Sacerdotes Eccleſiam poſſunt reconciliare, aqua prius per Epiſcopum benedicta: ſed de hoc alias cum agemus de dictarum Eccleſiarum reconciliatione. Aduertendum eſt tamen, quod quia vt prædictum eſt, Eccleſiarum conſecrationes per proprium Epiſcopum fieri debent, non vero per alienum, niſi de licentia proprij, ſi tamen ipſe Epiſcopus proprius à Fratribus requiſitus, ipſorum Eccleſiam noluerit conſecrare, priuilegium habetur, vt quilibet alius Epiſcopus idipſum facere poſſit. Hac de re eſt ſpecialis conceſſio, Honorij Quarti, quæ habetur in Monument. Ord. 1. impr. fol. 17. & 2. folio 101. conc. 112. & refertur in Compendio, *verbo, altare*, §. 2. qua conceſſit, *vt ſi Diœceſani requiſiti á Fratribus Minoris cum debita humilitate, noluerunt in Eccleſijs eorum primarium lapidem ponere, ac Eccleſias vel Oratoria & altaria ſua conſecrare, vel id facere vltra quatuor menſes diſtulerint, poſſint prædicti Fratres per quoſcumque voluerint Epiſcopos, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentes, præmiſſa recipere.* Quod ipſum Ioann. XXI. conceſſit Fratribus Carmelitanis, quinvero & aliquantulum latius, dicens, *quod ſi locorum Ordinarij, á prædictis Fratribus humiliter requiſiti, noluerint, ſeu recuſauerint indebite, cœmeteria eorum benedicere, ſeu etiam conſecrare, poſſint huiuſmodi cœmeteria per aliquem Antiſtitem, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem, quoties opus fuerit, facere benedici, ac etiam conſecrari.* Habetur in eiſdem Monumentis 1. impreſſ. fol. 89. & 2. fol. 172. conc. 402. & refertur in Compẽdio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 3. Quæ quidem priuilegia, non eſſe credo reuocata per Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. capit. 5. quando dicitur, quod nullus Epiſcopus in alterius diœceſi Pontificalia poſſit exercere, ſine ipſius expreſſa licentia, cuiuſnis priuilegij prætextu, &c. nam quantum ad hoc priuilegia prædicta non cenſentur eſſe priuilegia, ſed ius commune continere, dummodo licentia fuerit petita, iuxta *cap. 1. de ſupplenda negligentia Prælator. & cap. nihil eſt, §. vltimo, de electio.* vt amplius infra dicemus. Sed quamuis Eccleſiarum conſecratio (vt prædictum eſt) ad ſolos Epiſcopos pertineat, earum tamen benedictio, etiam ſolemnis, per Prælatos Regulares fieri poteſt, per ſpecialem quandam conceſſionem Iulij II. qui conceſſit Ordini Minimorum, *quod Generales & Viſitatores (quos ipſi appellant Vigiles) ac Prouinciales & eorum vicem gerentes, poſſint omnes & ſingulas eiuſdem Ordinis Eccleſias, cœmeteria, capitula & oratoria ſolemni benedictione benedicere.* Habetur in Supplem. fol. 8. conceſſ. 29. & refertur in Compend. verbo vbi ſupra. Quod idẽ Leo X. conceſſit nobis Fratribus Minoribus, vt habetur in eodem Supplemento, fol. 16. conceſſ. 53. & refertur in dicto Compendio vbi ſupra, §. 14. vbi dicit, quod prædictus Leo X. *Conceſſit Generalibus & Prouincialibus, ac Cuſtodibus, necnon & Guardianis Fratrum Minorum Obſeruantiæ pro tempore exiſtentibus, vt omnia & ſingula eiuſdem Ordinis de Obſeruantiæ, Eccleſias, cœmeteria, capitula & oratoria vbicumque exiſtentia, tam recepta quam recipienda, ac paramenta & ornamẽta, & alia quæcumque ad diuinum cultum, & vſum Fratrum neceſſaria in quibus Chriſma non interuenit, pro eorundem Fratrum vſu tantum. ſolemni benedictione valeant benedicere, & voluit quod hoc idem poſſint alij Fratres eiuſdem Ordinis, qui ad hoc in Capitulis generalibus fuerint deputati.* Aliam conceſſionem etiam circa hoc fecit prædictus Leo X. quæ congruentiori loco referenda ſeruatur, quando agemus de reconciliatione Eccleſiarum, ac benedictione aliarum rerũ Eccleſiaſticarum. Circa modum quo Eccleſiæ debent conſecrari, nihil in particulari libet in præſentiarum dicere, cum latiſſime habeatur in Epiſcoporum Paſtoralibus, à quibus non eſt recedendum. Solummodo dico, quod hac de re fit mentio in *capit. omnes baſilicæ, de conſecratione, diſt.* 1. vbi dicitur, quod eiuſmodi conſecratio fieri non debet ſine Miſſa, id quod & dicitur in *ca. de fabrica, eodem tit. in fin.* quamuis Sylueſter, *verbo, conſecratio*, 2. num. 1 dicat hoc non eſſe de ſubſtantia conſecrationis, nam etſi aliter fiat, factum tenet. Poteſt etiam prædicta conſecratio fieri omni tempore, tam feſtiuo, quam non feſtiuo, vt conſtat ex *cap. tua fraternitas, de conſecratione Eccleſiæ vel altaris*, ibi, *tam diebus Dominicis, quam priuatis*. Et hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

Eccleſiarũ benedictio non neceſſario ab Epiſcopo, ſed etiã à Prælatis Regularibus fieri poteſt etiã ſolemniter.

ARTICVLVS II.

Qualiter cœmeterium polluatur, ſiue violetur, & in quibus caſibus reconciliatione indigeat?

Concluſio.

cœmeterium 4. modis polluitur ſiue violatur.

COEmeterium, quatuor modis polluitur ſiue violatur, primo polluta Eccleſia; ſecundo, per ſanguinis effuſionem, tertio per effuſionem ſeminis, quarto quando in eo ſepelitur infidelis, vel excommunicatus. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſtri, *verbo, cœmeterium*, numer. 2, quæſtio. 1. Et quidem quantum ad pollutionem Eccleſiæ, habetur expreſſe in *cap. vnico, de conſecratione Eccleſię vel altaris, lib. 6.* vbi ſequentia habentur verba. *Si Eccleſiam pollui, ſanguinis aut ſeminis effuſione contingat, ipſius cœmeterium ſi contiguũ ſit eidẽ, cenſetur etiã eſſe polluũ. Vnde antequã reconciliatum fuerit, nõ debet in eo aliquis ſepeliri, ſecus eſt autẽ ſi remotũ fuerit ab eadem.* Quod vero cœmeteriũ etiã polluatur, per effuſionem ſanguinis humani iniurioſe, patet expreſſe ex *capite tuarum, de priuilegijs, & ex capite Eccleſij, diſtinctione 68. & capite Eccleſijs, de conſecratione, diſtinctione. 7. & capite propoſuiſti, de conſecratione Eccleſię vel altaris.* Quod autem idipſum fiat, per effuſionem humani ſemi-

nis, conſtat ex gloſſa in *cap. 1. de conſecratione Eccleſiæ vel altaris, verbo, ſeminis.* Sed quod etiam polluatur cœmeterium, quando aliquis excommunicatus, vel infidelis in eo ſepelitur, conſtat ex *cap. conſului ſi, eodem tit. de conſecrat. Eccleſiæ vel altaris.* Circa quã concluſionem, nihil aliud occurrit dicendum, præterquam id quod tangit Sylueſter loco ſupra citato, quæſtione ſecunda, numero tertio, vbi quærit, an ſcilicet, quando duo cœmeteria ſunt contigua interueniente tamen pariete, vno violato alterum etiam violetur? Cui difficultati ipſe reſpondet negatiue, quia inquit, in tali caſu cenſentur eſſe duo cœmeteria, vnde vno violato aut polluto, non perinde aliud eſt pollutum, etiam ſi porta eſſet in pariete, per quam ab vno ad aliud fiat tranſitus. Cuius reſolutio habetur expreſſe, in ſupradicto *capit. vnico, de conſecratione Eccleſiæ vel altaris.* Alias ſubtilitates ad hoc propoſitum ibidem dicit Sylueſter, quas ipſe in præſentiarum breuitatis gratia facio miſſa, Hæc pro iſto Articuio breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Qualiter execrentur altaria, ita vt de nouo ſint conſecranda?

Prima Concluſio.

Altare fixum & ſtabile 4. modis execratur & violatur.

SI altare ſit fixum & ſtabile, quatuor execratur ſeu violatur modis. Primo ſi menſa penitus, vel enormiter frangatur, ſic vt deformitas appareat, vel vt quidam dicunt vltra medietatem, vel etiam ſi fracta fuerit in cornibus, in quibus fieri conſueuit conſecratio, quod arbitrio Epiſcopi eſt determinandum, ſecus eſt autem ſi fractura eſſet nimiũ modica. Hæc omnia conſtãt ex gloſſa in *cap. 1. de conſecratione Eccleſiæ vel altaris, & ex capit. ligneis, eodem titulo.* Secundo violatur & execratur altare, ſi mota fuit iunctura, qua menſa ſtipiti adhæret, & hoc ſiue ſepulchrum ſit in latere altaris, ſiue etiam & multo magis, ſi ſit ſub ipſa menſa: nam in illa coniunctione, præcipue intelligitur eſſe conſecratio altaris, ſecundum Panormitanum in *capit. propoſuiſti, de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris.* Tertio violatur & execratur, ſi quid de lapidibus ſtipitis, tangens ipſam menſam moueatur, vt conſtat, ex *capit. ad hoc, & capit. quod in dubijs, eodem titulo*, ſecundum Raymundum, quod tamen gloſſa & alij intelligunt, quando menſa ſun data eſt ſuper quatuor columnas, quarum vna mouetur, ſecus eſt autem de lapidibus parietis vel de ipſo pariete, cui compaginatum eſt altare in quibuſdam Eccleſijs, quia propter motionem talium lapidum vel parietis, altare manens immotum non execratur, nec reconſecratur. Et idem dicendum eſt de lapidibus ſtipitis non tangentibus menſam, quinvero & de tangentibus menſam, ſed non principalibus, niſi tot moueantur, quod altare formam amittat. Quarto violatur ſiue execratur altare, ſi moueatur, frangatur vel minuatur ſignum ſepulchri, per *cap. ſi motum, de conſecratione, diſtinctio. 1. & capit. quod in dubijs, de conſecratione Eccleſiæ vel altaris*, & hoc vbicumque ſit ſigillum, etiam in latere, ſecundum Archidiaconũ. Supradicta omnia ſunt Sylueſtri, *verbo, altare*, quæſtione octaua, vbi dicit prædictos quatuor modos eſſe de mente Panormitani, in *cap. ad hæc, & in capit. quod in dubijs, de conſecratione Eccleſiæ vel altaris.* Quibus ipſe addit quintum, qui virtute reliquos omnes comprehendit, ſcilicet quando tantum augetur vel minuitur altare, quod formam amittat, nã forma eſt quæ dat eſſe rei, vt dicunt communiter Doctores, & habetur in *capit. ea, num. 10, quæſtion. 2. §. hoc ius*, & tradit gloſſa in dicto *capit. 1. de conſecratione Eccleſiæ vel altaris.* Quod etiam inſinuat prædictus Panormitanus in *capit. ligneis, eodem titulo*, vbi inquit, quod vbicumque contingit enormis fractura in altari, execratur, quia videtur perdere formam, non autem ſi fractura non ſit enormis aut notabilis.

Secunda Concluſio.

Si altare ſit mobile & portatile, ſiue viaticũ, trib⁹ modis cõmuniter violatur.

SI altare ſit mobile aut portatile ſiue viaticum communiter execratur tribus modis, primo per remotionem lapidis à ligno, quando ſepulchrum eſt in ligno, ſecundum mentem Ioannis Andreæ, in *capit. ligneis, de conſecratione Eccleſiæ vel altaris.* Secundo, quando mouetur ſigillum ſepulchri exiſtentis in lapide, ſiue lapis ſit in ligno, ſiue non, ſecundum Innocentium & Panormitanum, & omnes Doctores communiter. Tertio, ſi lapis ipſe notabiliter frangatur, vt conſtat ex ſupradicto *capit. ligneis*, & hoc ſolo modo violari poteſt, quando nõ habet reliquias. Supradicta omnia ſunt Sylueſtri, loco ſupra citato in fine, vbi concludendo dicit, quod altare nunquam execratur, propter hoc, quod in eo celebrauerint degradati & huiuſmodi, ita vt noua indigeat reconſecratione, vt conſtat ex *capit. á nobis, extra de ſacramentis non iter.* & idem dicendum videtur de reconciliatione, ſcilicet, quod ea non indiget, cum nullo ſit id iure cautum argumento *capit. is cui, de ſententia excommunicationis, libro. 6.* In calce huius difficultatis aduerto, quod prædictus Sylueſter loco ſupra citato, quæſtione 9. & 10. mouet duas difficultates, de quibus ſunt diuerſæ opiniones, inter Iuriſperitos Doctores. Prima eſt, vtrum execretur altare portatile, ſi lapis ſit in ligno & ſepulchrum in lapide, & amoueatur lapis à ſigillo, ſtante ſigillo ſepulchri? Secunda vero eſt, vtrum execretur altare ſtabile, mota tabula de loco ad locum? ſed quia per tempus nõ vacat, in præſentiarum difficultates prædictas diſcutere, conſultò ab earum tractatione ſupерſedeo, videri etiam cum poſſint ibidem. Hæc pro iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ART.

ARTICVLVS IIII.

Qualiter Ecclesia execretur, ita vt possit seu indigeat de nouo consecrari.

Prima Conclusio.

Ecclesia cum combusta circō secratione indiget.

SI Ecclesia fuerit combusta, ita quod ipsius parietes combusti sint, vel notabiliter decrustati, in toto seu pro maiori parte, Ecclesia aliàs consecrata execratur, indigetque noua consecratione. Hæc conclusio est expressa Syluestri, *verbo, consecratio, 2. q. 4.* quam & probat, ex *cap. Ecclesijs. cum gloss. de consecr. d. 1.* Et ratio est secundum Panormitanum & omnes Doctores communiter, in *cap. proposuisti, de consecratione Ecclesiæ, vel altaris*; nam Ecclesiæ consecratio in exteriori parte consistit, vbi fiunt linitiones & cruces, secus est autem si comburatur tectum, quia tunc non est reconsecranda, vt constat, ex *ca. in ligneis, de consecr. Ecclesiæ vel altar.*

Secunda Conclusio.

Quãdo Ecclesia in totũ vel maiori parte corruit, etiam cõsecratione indiget.

SI Ecclesiæ parietes in toto aut in maiori parte corruerint, ita vt oporteat eos nouiter simul reficere etiam execratur, quamuis id fiat ex lapidibus eisdem. Hæc etiam conclusio est Syluestri vbi supra, quam & probat, per *cap. de fabrica, de consecr. dist. 1.* Secus est autem, inquit, si corruerit solũ tectum, per supradictum *cap. in ligneis.* Sed si parietes successiue ruant, & successiue etiam reparentur, per singulas partes, paruas siue minores: an in tali casu indigeat noua consecratione, sunt variæ & diuersæ Doctorum opiniones, quas refert ibidem prædictus Syluester, sed ipse adhærere videtur huic sententiæ, vt non indigeat noua consecratione. Sed difficultas est, quænam sint signa certa, ad hoc vt appareat aliquam Ecclesiam esse consecratam, aut non consecratam; vt consecrari ipsa possit? Hanc etiam difficultatem tangit prædictus Syluester loco supracitato, quæst. 3. Cui satisfacere volens, inquit, secundum Innocentium & Raymundum, quod Ecclesia præsumitur consecrata, quando apparet de hoc aliqua scriptura, in dotationis instrumento, vel libris Ecclesiæ, aut in aliqua columna aut tabula marmorea vel dictitijs, aut si sit ea de re vnus testis de visu, vel de auditu per *cap. solemnitas dedicationum, & cap. Ecclesiæ, de consecratione, dist. 1. & capit. sane profertur, 24. q. 2. ibi, in sacris dictitijs*, quæ dictitiæ secundum glossam Raymundi, sunt columnæ Ecclesiæ, vel secundum glossam in dicto *cap. sanè*, sunt quædam tabulæ sic dictę à verbo, dico, dicis. Et inquit prædictus Syluester, quod in prædictis rebus, vbi non agitur de præiudicio alterius, sculptura in lapide, vel vnus solus testis fidem facit, & sufficiunt huiusmodi probationes semiplenæ: secus esset autem vbi de hoc esset contentio, per quam eiusmodi probatio tolleretur. Quandocumque igitur, nescitur seu dubitatur, an aliqua Ecclesia fuerit consecrata, neque

Difficultas. Quænã sint signa certa, ad hoc vt appareat posit aliquã ecclesiã esse cõsecratã

apparet aliqua probatio de prædictis, in tali casu consecrari potest, iuxta *cap. solemnitates, de consecratione, dist. 1.*

ARTICVLVS V.

Qualiter & in quibus casibus. Ecclesia aliqua polluta censeatur, ita vt nõ liceat in ea celebrare, indigeatque re conciliatione?

Prima Conclusio.

In sex casibus intelligitur ecclesia polluta & violata & reconciliatione indiget

IN sex casibus habetur Ecclesia pro polluta & violata, indigetque reconciliatione. Hæc conclusio est expressa Nauarr. in suo Manu. cap. 27. num. 251. cum sequentibus, vsque ad 254. exclusiue, & Syluestri *verbo, consecratio, 2.* quæst. 5. vbi hac de re latissime agit. Primus casus habetur in *capit. Ecclesijs, dist. 68. & in cap. Ecclesijs, de consecratione, dist. 1. & in capi. proposuisti, de consecratione Ecclesiæ*, quando intra eam sanguis humanus iniuriosè effunditur, aut causa naturalis eiusdem effusionis seu mortis alicuius datur, quem quidem casum latissime explicant prædictus Syluest. & Nauarr. locis supracitatis, quod & similiter facit Sayrus lib. 5. sui thesauri, cap. 16. Secundus casus est, quando in Ecclesia semen humanum voluntarie effunditur. Et dixi semen humanum, nam cæterorum animalium ad id non pertinet, iuxta glossam in *cap. 1. de consecratione Ecclesiæ vel altaris, lib. 6. verbo, seminis.* Dixi autem voluntarie, quia non sufficit quod idipsum fiat dormiendo, iuxta glossam in dicto *capit. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. verbo, semine*, vbi etiam dicit Ecclesiam non violari, cum semen per coitum cum vxore emittitur: sed in hoc non tenetur, vt videre est apud Nauarrum loco supra citato, num. 252. in fine. Vbi & rationem differentiæ reddit, nam emissio seminis in dormiente, non continet illam irreuerentiam erga Ecclesiam, quam continet emissio seminis illius, qui in eadem etiam cum vxore coit. Qua de re videatur Syluester loco supra citato, in tertio casu, vbi ad hoc propositum dicit multa, eaque notatu dignissima, & Sayrus loco etiam supra citato num. 19. Tertius casus est, quando in Ecclesia sepelitur aliquis excommunicatus, per *capi. consuluisti, de consecratione Ecclesiæ vel altaris.* De quo casu videatur Syluester vbi supra in quarto casu, & Sayrus etiam vbi supra, num. 22. Quartus casus est, quando in Ecclesia aliquis infidelis sepelitur, per *capit. Ecclesiæ, el primero, y el segundo, de consecratione, distinctione prima*, quamquam in hoc casu, non solum reconcilianda sit Ecclesia, verumetiam & illius parietes abradendi, licet in præcedenti casu sufficiat reconciliatio, iuxta Panormitanum in prædicto *capit. consuuisti, de consecratione ecclesiæ vel altaris.* De quo casu videatur Sayrus vbi supra, numero 23. Quintus casus est, quando Ecclesia consecratur aut benedicitur, per Episcopum publice excommunicatum, argumento *cap. consuluisti*, vbi hoc tenet expresse Panor. & Hostien. huius rei rationẽ

reddit, quia inquit, si sepultura corporis excommunicati, polluit ipsum locum, à fortiori etiam polluitur cum consecratur, per os & manus eorum qui publice sunt excommunicati. Sextus casus est, quando omnes parietes Ecclesiæ renouantur, iuxta glossam in cap. *in ligneis, de consecratione Ecclesiæ, vel altaris.* De quo videatur Sylvest. vbi supra in sexto casu.

Secunda Conclusio.

Supradicti casus esse debẽt publici, ad hoc vt Ecclesia violata esse censeatur.

AD hoc vt Ecclesia in prædictis casibus, violata atque polluta censeatur, indigeatque reconciliatione, necessum est quod eiusmodi casus sint publici & notorij, etenim si sint occulti, neq; impediunt celebrationem Missarum, neque Ecclesia ipsa indiget reconciliatione: nam Ecclesia non iudicat de occultis. Hæc Conclusio est expressa glosse, in cap. *vnico, de consecratione Ecclesiæ, vel altaris*, lib. 6. verbo, *polluit*, & eãdem tenet Sylvest. vbi supra in tertio casu in fin. & Soto in 4. Sentent. dist. 13. q. 2. art. 3. in solut. ad 2. & Nauarr. etiam vbi supra, nume. 251. in fine, vbi inquit fieri posse, vt effusio sanguinis siue seminis, facta ab hinc octo diebus, hodie impedire incipiat celebrationem Missarum in aliqua Ecclesia, efficiantque ipsam pollutam, non verò antea, vt si verbi gratia, facta sit duobus videntibus & vsque illud tempus tacentibus, postea verò factum ipsum publicantibus ita vt fama gignatur, in tali casu eiusmodi effusio seminis vel sanguinis impediet, seu impedire incipiet, non ex tunc (vt sic dicamus) sed ex nunc. Videatur hac etiam de re Sayrus vbi supra, num. 10. & 11. vbi inquit, quod fiunt prædicta publica, vel ex publica confessione eorum qui ea fecerũt, vel ex facti euidentia. Quod fit vt si Sacerdos in confessione sciat Ecclesiam esse pollutam, nihilominus in ea celebrari potest, argum. cap. *cum non ab homine, de sententia excommunicationis.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm celebrans in Ecclesia violata aut polluta, antequam reconcilietur, irregularis fiat?

Conclusio.

Qui in Ecclesia publice violata celebrat, quamuis peccet, irregularis tamen nõ efficitur.

VI in Ecclesia publice violata Missam celebrat, aut alia peragit diuina officia, seu defunctum sepelit, quamuis mortaliter peccet (nisi vrgente necessitate id fiat de licentia Episcopi) irregularis tamẽ aut suspensus non efficitur. Hæc Conclusio est expressa Sylvestri verbo, *consecratio*, 2. quæst. 9. & Soti in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3. in quarto dicto, & Enriquez lib. 9. de Missa, cap. 27. §. 7. & lib. 13. de excommun. & interd. cap. 51. §. 5. & Sayri lib. 5. sui thesauri, c. 16. num. 29. vbi ad hoc plures DD. refert, & inquit quod colligitur ex cap. *is cui, de sententia excommun.* lib. 6. Et ratio ipsius est, nam pollutio Ecclesiæ nõ est propriè censura, neque interdictum, quo fit vt in Ecclesia polluta celebrans, irregularis non efficiatur. Vnde inquit, supr. dictus Sayr. quod falso Lapus, quem citant & sequuntur Angelus & Sylu. verbo, *Ecclesiæ consecratio*, dicit celebrantem in Ecclesia polluta, suspensum esse ab ingressu Ecclesiæ afferens pro se, cap. *Episcoporum, de priuileg.* lib. 6. & dicens quod si quis cum tali suspensione, diuina in Ecclesia celebrat, fungens officio suo vt prius, efficitur irregularis, per dictum cap. *is cui, de sententia excommunicat.* lib. 6. nam dictum cap. solummodo loquitur, de eo qui celebrat aut celebrare facit in loco interdicto, non autem de celebrante in Ecclesia polluta & violata, & sic tenendum est firmiter, quod in eadem celebrans, nisi id fiat ex vrgenti necessitate, atque de licentia Episcopi, quamuis mortaliter peccet, vt expresse tenet D. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 2. irregularis tamen aut suspensus non efficitur. Videatur prædictus Sylvester vbi supra.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm execrata Ecclesia vel polluta, execrentur etiã & polluantur altaria, ita vt reconciliatione indigeãt?

Conclusio.

Execrata Ecclesia non proinde execrantur altaria, neque reconciliatione indigeni, secus est autem si polluatur.

EXecrata Ecclesia, non proinde execrantur altaria, nec reconciliatione indiget, secus est tamen si fuerit polluta, nam altaria etiam polluuntur, indigentque reconciliatione. Hæc Conclusio est expressa Sylvest. verbo, *altare*, q. 11. vbi & dicit, hoc esse intelligendum de altari stabili, non autem de portatili, & conclusio sic intellecta, est expressa Panormita. in cap. *proposuisti, de consecratione Ecclesiæ, vel altaris.* Vbi assignat rationem diuersitatis & differentiæ, quia inquit, consecratio Ecclesiæ cõsistit in parietibus, & separata est à consecratione altaris, vnde illa violari potest combustis vel collapsis parietibus, consecratione altaris intacta remanente, & è contra potest destrui altare, Ecclesiæ parietibus illæsis existentibus. Sed pollutio concernit totũ corpus Ecclesiæ, ex homicidio enim commisso in Ecclesia, totum corpus eius cum sit vnum indiuiduũ polluitur, vnde fit quod polluta Ecclesia, polluãtur etiam altaria, & ante Ecclesiæ cõsecrationem seu potius reconciliationem, celebrari in eis non possit, cũ sint in corpore Ecclesiæ. Ex quibus colligitur primo, quod quot modis Ecclesia polluitur, tot polluũtur & altaria, siquidem ea polluta, polluuntur. Secundo, quod neque altaria existentia in Ecclesia, sine Ecclesia, neque Ecclesia sine altaribus polluuntur, quia pollutis altaribus seu aliquo altari, etiam Ecclesia polluitur, cum talis pollutio in eadem fiat. Hæc autem omnia intelligenda sunt de altari stabili, non autẽ de portatili, vt supra diximus. Item & de altari quod est intra Ecclesiam, nõ autem de eo quod est ad extra. Quade re videatur Sylvest. vbi supra.

ART.

ARTICVLVS VIII.

Quomodo & à quo Eccleſia polluta ſiue violata, ſit reconcilianda?

PRo huius Articuli intelligentia, aduertere libet ex Nauar. in Man. cap. 27. nu. 151. in principio, quod ea quę ſupradicta ſunt de violatione, ſeu pollutione Eccleſiæ, intelligenda ſunt generaliter atque indiſtincte, tam de Eccleſia nondum conſecrata, quam conſecrata, per *cap. fin. de conſecratione Eccl. vel altar.* ſed tamen quantum ad reconciliationem, maxima eſt inter ipſas differentia, ſicque propoſito Articulo, reſpondere oportet, non abſolute, ſed cum diſtinctione. Et loquendo de Eccleſia non conſecrata, ſit prima Concluſio.

Prima Concluſio.

Eccleſia non cõſecrata, ſed ſolũmodo benedicta reconciliari poteſt per quẽcũq; ſimplicem ſacerdotem.

SI Eccleſia non fuerit conſecrata ſed ſolummodo benedicta, reconciliari poteſt per quemcũque ſimplicem Sacerdotem, & hoc per aſperſionem aquæ luſtralis. Hanc concluſionem tenet expreſſe Syluеſter, *verb. conſecratio, 2. q. 8.* & probat eã ex *cap. ſi Eccleſia, cum gloſſa, verb. lauetur, de conſecr. Eccleſiæ, vel altaris*, vbi hoc expreſſe habetur. Eandem ſententiam tenet Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 3. in ſolut. ad 2. & Enriq. de excommunicat. & interd. lib. 13. cap. 51. §. 5. & lib. 9. de Miſſa, cap. 27. §. 6. & Sayr. lib. 5. ſui theſaur. ca. 16. num. 31. & 32. & Naua. in Man. vbi ſupra, vbi pro hac ſententia citat etiam, *capi. aqua, eod. tit. de conſecr. Eccleſiæ, vel altaris*, & dicit eſſe opinionem communem.

Secunda Concluſio.

Eccleſia cõſecrata, reconciliari non poteſt niſi per propriũ Epiſcopum, ſeu aliũ de ipſius licentia.

SI Eccleſia fuerit conſecrata, reconciliari non poteſt niſi per proprium Epiſcopum, ſeu aliũ de ipſius licentia, & hoc cum aqua etiam ab Epiſcopo benedicta, per ſimplices autem Sacerdotes reconciliari non poteſt, etiamſi in contrarium ſit conſuetudo. & reconciliatio fieri debet cum aqua (vt dixi) benedicta, quæ vinum admixtum cum cinere habeat, & cum verbis quæ habentur in Pontificali vel Manuali Romano. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Syluеſtri vbi ſupra, & omnium ſupradictorum DD. & habetur expreſſe in *cap. propoſuiſti, & cap. aqua, de conſecr. Eccleſiæ vel altar.* Quod autem id per ſimplices Sacerdotes fieri non poſſit, etiamſi in contrarium ſit conſuetudo; habetur expreſſe in *cap. aqua*, vbi eiuſmodi conſuetudo dicitur quod potius dicenda ſit corruptela, quia licet Epiſcopus committere valeat, quæ ſuę iuriſdictionis exiſtunt, quæ tamen ſunt ordinis Epiſcopalis, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare.

Difficultas.

Solummodo eſt difficultas, an Summus Pontifex, eiuſmodi reconciliationem alicui ſimplici Sacerdoti poſſit committere? Cui difficultati reſpondet prædictus Syluеſter, loco ſupra citato affirmatiue ſecundum Innocentium & gloſſam in d. *cap. aqua*, vbi inquit, quod multoties Papa idipſum pluribus non Epiſcopis conceſſit, aqua tamen prius per Epiſcopum benedicta. Quamopinionem tenet etiã Panorm. ibidem, vbi & tradit generalem regulam qua dicit idem eſſe dicendũ, in omnibus quæ ſunt iuris Epiſcopalis ex diſpoſitione humana, quia in his, inquit, habet Papa plenitudinem poteſtatis, vt conſtat ex *cap. propoſuit, de conceſſ. præbend.* ſecus eſt autem in his, quæ ex diſpoſitione diuina, certo ſunt alicui ordini commiſſa, nam non habenti talẽ ordinem, etiam per Summum Pontificem committi non poſſunt, iuxta gloſſam in *cap. peruenit, diſt. 95.* Videatur Syluеſter vbi ſupra, & Sayrus loco ſupra citato. Sed difficultas eſt, an Prælati Regulares, aliquod habeant priuilegium, per quod Eccleſias violatas atque pollutas reconciliare poſſint? De quo ſit tertia concluſio.

Nota quod ea quæ ſunt iuris Epiſcopalis ex diſpoſitione humana. Sũmus Põt. bene poteſtnõ Epiſcopis cõmittere, ſecus eſt autẽ de illis, quæ ſunt ex diſpoſitione diuina, alicui certo ordini ſeu ipſis cõmiſſa.

Tertia Concluſio.

Prælati Regulares ex priuilegio, reconciliare poſſunt Eccleſias pollutas & violatas, ſi Epiſcopus diſtet extra duas dietas.

PRælati Regulares bene poſſunt reconciliare Eccleſias, quacumque ex cauſa violatas atq; pollutas, aqua per ipſos Prælatos benedicta, ſi Epiſcopus qui illam benedicat, diſtet vltra duas dietas. Hæc concluſio habetur expreſſa, ex quadam conceſſione Leonis X. facta Generalibus & Prouincialibus, ac Cuſtodibus, necnon & Guardianis Fratrum Minorum Obſeruantiæ, pro tempore exiſtentibus, quæ habetur in Supp. fol. 16. conc. 55. & refertur in Comp. *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 14. vbi poſt alia de quibus ſtatim dicemus, inquit, *quod ſimiliter ſupradictus Leo X. eiſdem conceſſit, quod poſſint reconciliare, Eccleſias &c. quæ quomodolibet ſanguinis vel ſeminis effuſione pollutæ fuerint. Sed hoc cum aqua per prædictos Prælatos benedicta, præſertim in locis remotis, vbi Epiſcopum aquam benedicentem, per duas dietas adire non potuerint.* Hæc ſupradictus Leo X. Quælibet autem dieta, vt inquit Enriquez lib. 9. capi. 27. §. 6. & lib. 13. cap. 51. §. 5. continet viginti milliaria ſeu ſeptem leucas, vt colligitur ex iure in *cap. nonnulli de reſcriptis, & ibi gloſſ. in verbo, vltra duas dietas.* Vltra quas ſi diſtauerit Epiſcopus, poterunt Prælati ſupradicti aquam ad id benedicere, & proprias Eccleſias reconciliare ac ſolemniter benedicere. Hoc ipſum conceſſit Iulius II. vt habetur in eode Sup. fol. 8. conc. 30. & refertur ſimiliter in Compendio vbi ſupra, §. 13. Prælatis Ordinis Minimorum, *vt poſſint reconciliare ſuas Eccleſias, ſanguinis ſiue ſeminis effuſione, ſeu alias quomodocumque pollutas, quoties opus fuerit, aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antiſtitem, vt moris eſt, benedicta.* Prædicta conceſſio non eſt ita ampla atque præcedens, nam ſicut prædictum eſt, per conceſſionem Leonis X. ſi Epiſcopus diſtet vltra duas dietas, Prælati ſupradicti poterunt ad id dictam aquam benedicere, & Eccleſias ſuas reconciliare. Quod idem intelligo eſſe dicendum, & fieri poſſe ſede vacante, tunc enim Epiſcopus non eſt in Prouincia, & pluſquam per duas dietas diſtat. Quæ de iſto Articulo, ac de tota Quæſtione breuiter dicta ſufficiant.

Quantum ſpatiũ cõtineat vna dieta.

(?)

QVAESTIO XL.

De benedictione paramentorum, ac aliarum rerum Eccleſiaſticarum, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum Prælati Regulares, poſſint benedicere Eccleſiaſtica paramenta, ſiue ornamenta?

Prima Concluſio.

Prælati Regulares, Generales & Prouinciales, quinvero Cuſtodes, & Guardiani ſiue Priores, & quicumq; alij in alijs Religionibus illis correſpõdent, bene poſſunt benedicere Eccleſiaſtica paramẽta, ſeu ornamẽta

PRælati Regulares, Generales & Prouinciales, quinvero Cuſtodes, & Guardiani ſiue Priores, & quicũque alij in alijs Religionibus eiſdem correſpondent, bene poſſunt benedicere, omnia Eccleſiaſtica paramenta ſiue ornamenta. Hæc concluſio habetur expreſſa, ex conceſſione Leonis Decimi, quæ habetur in Supplemento, fol. 16. conc. 55. & refertur in Compendio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 14. vbi dicitur, quod ſupradictus Leo Decimus, *conceſsit Generalibus & Prouincialibus ac Cuſtodibus, necnõ & Guardianis Fratrum Minorum Obſeruantiæ pro tempore exiſtentibus, vt omnia & ſingula eiuſdem Ordinis & Obſeruantiæ Eccleſias, Cœmeteria, Capitula & Oratoria, vbicumque exiſtentia, tam recepta, quam recipienda, ac paramenta & ornamenta, & alia quæcumque ad diuinum cultũ, & vſum Fratrum neceſſaria, in quibus Chriſma non interuenit, pro eorundem Fratrum vſu tantum, ſolemni benedictione valeant benedicere. Et voluit quod hoc idem poſsint alij Fratres eiuſdem Ordinis, qui ad hoc in Capitulis generalibus fuerint deputati.* Quo quidem priuilegio perfruuntur omnes alij Ordines, qui priuilegium habent communicationis. Et ex eo inferri & colligi videtur, quod Prælati locales, quales ſunt Guardiani, & Priores & ſimiles, qui in alijs Religionibus eiſdem correſpondent, benedicere poſſent etiamcorporalia, per illa verba ibidem poſita, *paramenta & ornamenta, & alia quæcumque ad diuinum cultũ & vſum Fratrum neceſſaria, in quibus Chriſma non interuenit.* Sed de hoc dicemus ſtatim in Articulo ſequenti.

Solummodo eſt difficultas, an hoc ipſum poſſint alij ſimplices Sacerdotes, & qui non ſunt Prælati? Et ratio dubitandi eſt, nam vt habetur in Monumentis Ordinis 1. impreſſ. fol. 63. & 2. folio 67. conc. 107. & in Supplemento fol. 96. conce. 322. & refertur in Compendio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 4. *Sixtus Quartus conceſsit Fratribus Minorum Obſeruantiæ Sacerdotibus, vt poſsint benedicere paramenta Altaris & Miſſalia, ac indumenta exceptis corporalibus duntaxat.* Quam conceſſionem refert Summa Roſella, & eiuſdem etiam meminit Syluester, *verbo, benedictio*, quæſt. 3. num. 4. in fine, quinvero refert ibi dem Angelum dicentem ſimplices Sacerdotes ſecundum ius, poſſe benedicere omnia, in quibus Chriſma non interuenit, ad quod probandum plura iura & rationes adducit, quas ego breuitatis gratia in præſentiarum referre omitto. Quibus non obſtantibus, in contrarium ſtatuitur Concluſio.

Secunda Concluſio.

Simplices Sacerdotes, & quinõ fuerint Prælati, non poſſunt Eccleſiaſtica benedicere ornamẽta & paramẽta.

SImplices Sacerdotes, præſertim noſtri ſacri Ordinis & qui non fuerint Prælati, non poſſunt Eccleſiaſtica ornamenta & paramenta benedicere. Probatur hæc concluſio, quia licet verum ſit, quod Sixtus Quartus idipſum (vt præmiſſum eſt) omnibus Fratribus Minoribus Obſeruantiæ Sacerdotibus conceſſerit (Corporalibus duntaxat exceptis) nihilominus vſus eiuſdem priuilegij, ſuſpenſus fuit eiſdem per Capitulum generale Meclinenſe, vbi eiuſmodi fuit factum ſtatutum. *Generale Capitulum determinauit & præcepit, quod ſoli Prouinciales habeant benedicere Corporalia, & ijdem Prouinciales, Cuſtodes & Guardiani alia ornamenta, & non alij, & ſolum pro Fratribus, Monialibus & Tertiarijs, & nullo modo pro alijs extra Ordinem. Sic enim fuit conceſſum per Summum Pontificem.* Habetur hoc ſtatutum in Monumentis noſtri Ordinis 1. impreſſ. fol. 227. & 2. fol. 246. & refertur in Compendio. *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 16. prope finem. Et præterea hoc ipſum videtur quammaxime iuri conſonum, quia vt dicunt communiter Doctores, in Clementina, *attendentes, de ſtatu Monachorum, & in ca. Abbates, de priuilegijs, lib. 6.* iſta eſſe videntur propria munia ordinis Epiſcopalis, & ita habet conſuetudo & ſtylus Curiæ, ſiquidem dantur Regularibus ſpecialia priuilegia, vt poſſint benedicere prædicta paramenta & ornamenta, quod quidem fruſtra fieret, ſi ſimplices Sacerdotes iure vel conſuetudine idipſum poſſent efficere. Vnde pro certo habendum eſt, vt tenet Syluester, *verbo, benedictio*, quæſt. 3. iam citata, numer. 4. quod ſimplices Sacerdotes ſeculares hoc non poſſunt, nec vero Regulares, qui ſunt ex noſtro ſacro Ordine Minorum: nam quamuis (vt prædictum eſt) ad id habeatur ſupradictum priuilegium Sixti Quarti, ipſius tamen vſus per dictũ Capitulum generale Meclinenſe, fuit illis interdictus atque ſuſpenſus.

Sed maior difficultas eſt, an prædicto Sixti Quarti priuilegio vti poſſint & frui ſimplices Sacerdotes aliorum Ordinum & Religionum, quæ priuilegium habent communicationis, quamuis ipſius vſus, quoad nos Minores Fratres ſit ſuſpenſus? Cui difficultati, reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Tertia

Tertia Concluſio.

Aliqui D D. tenent, quod ſimplices Sacerdotes aliorum Religionum, virtute prædicti priuilegij Sixti IIII. poſſunt benedicere Eccleſiaſtica paramenta, ſed contrariū eſt verius & tenendum.

ALiqui Auctores tenent, quod ſimplices Sacerdotes aliorum Ordinum & Religionum, virtute ſupradicti priuilegij Sixti Quarti, benedicere poſſunt Eccleſiaſtica ornamenta & paramenta, ſed contrarium eſt verius atque tenendum. Primam concluſionis partem, tenet expreſſe Pater Ildefonſus à Veracruce, in ſuo priuilegiorum Compendio, vbi dicit, quod quamuis prædictum Capitulum generale Meclinenſe, facultatem, vſumque priuilegij prædicti, reſtrinxerit in noſtro ſacro Minorum Ordine, ad ſolos Guardianos & Superiores, attamen non idipſum potuit facere, reſpectu Sacerdotum aliorum Ordinum, priuilegium habentium communicationis, ac propterea conſequenter dicit, quod Fratres Sacerdotes Prædicatores & Auguſtinenſes, & alij qui illud habent, bene poſſunt virtute priuilegij prædicti, ornamenta & paramenta Eccleſiaſtica benedicere: nam illa, quæ alicui Ordini & Religioni conceduntur, per priuilegium communicationis, ita ſtatim fiunt aliorum Ordinum Mendicantium propria, ac ſi illis fuiſſent ſpecialiter conceſſa. Sed crediderim in omnibus Religionibus, hoc eſſe reuocatum priuilegium, ſaltim per contrariam conſuetudinem, & quod hæc ſint propria officia & munia Ordinis Epiſcopalis, neque conueniunt, niſi ſolis Miniſtris Prouincialibus.

Difficultas. An noſtri Fratres exiſtētes in Indiarum partibus, poſſint benedicere Eccleſiaſtica paramēta.

Solummodo ſupereſt difficultas, de Fratribus Minoribus, exiſtentibus in Indiarum partibus, qui quidem ad hoc ſpeciale priuilegium habent, conceſſum per Gregorium IX. quod habetur in Monumentis Ordinis 2. impreſſ. fol. 257. conc. 641. & refertur in Compendio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 1. vbi dicitur, quod prædictus Gregorius Nonus conceſſit, *quod Fratres Minores presbyteri, in terris infidelium exiſtentes, poſſint veſtes Sacerdotales, altaris pallas & Corporalia (cum neceſſe eis fuerit) benedicere, vbi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur.* Difficultas igitur eſt, an eiuſmodi priuilegium, fuerit etiā ſuſpenſum per Capitulum generale Meclinenſe ſupradictum? Et ratio dubitandi eſt, quia prædictus Pater Frater Ildephonſus à Veracruce, in rebus Indiarum callentiſſimus & exercitatiſſimus, in ſuo Compendio nullam facit mentionem de eiuſmodi priuilegio, ex quo videtur colligi, quod in illis partibus non etiam ſit in vſu. Sed hæc ratio nō omnino videtur eſſe ſufficiens, nam forſan eo inſcio noſtri Fratres ibidem prædicto vtuntur priuilegio, quod & videtur eſſe rationi conſonum, propter multoties inſtantem neceſſitatem. Sed quidquid de hoc ſit, certiſſimum tamen eſt, quod Prouinciales hoc eiſdem poſſunt concedere, per priuilegium ſupradictum Leonis Decimi, etiam quoad benedicenda Corporalia, prout latius patebit ex dicendis in ſequenti Articulo.

ARTICVLVS II.

Quinam Prælati Regulares poſsint benedicere Corporalia?

Prima Concluſio.

Prælati Generales & Prouinciales poſſunt benedicere Corporalia & qui conſimilē auctoritatē habent.

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod Prælati Generales & Prouinciales, & ſimiles Prælati, qui in alijs Religionibus eiſdem correſpondent, benedicere poſſunt Corporalia. Probatur hæc concluſio, primo ex conceſſione facta nobis Fratribus Minoribus, qua etiam perfruuntur omnes qui priuilegium habent communicationis, quæ habetur in Monumentis Ordinis 1. impreſſ. fol. 65. & 2. folio. 67. conceſſ. 157. & refertur in Compendio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 7. vbi dicitur, quod Innocentius Octauus conceſſit, *quod Generalis & Prouincialis Fratrum Minorum Obſeruantiæ, poſſint benedicere Corporalia.* Eandem conceſſionem fecit idem Innocentius Fratribus Auguſtinienſibus, quarundam Congregationum Obſeruantiæ, *quod Vicarius generalis illarum & Viſitatores, poſſint benedicere ornamēta Eccleſiaſtica & Corporalia.* vt habetur in Sup. f. 101 con. 399. & refertur in Compen. vbi ſupra, §. 8. vbi etiam aduertit priuilegiorum Collector, quod Iulius Secundus communicauit toti Ordini Fratrū Auguſtinienſium, ſimiles conceſſiones factas particularibus Congregationibus eorum, vt habetur in dictis Monumentis 2. impreſſ. fol. 265. & refertur in dicto Compendio, *verbo, communicatio priuilegiorum*, §. 23. Sed præterea ad benedicenda Corporalia, eſt & alia ſpecialis conceſſio Iulij Secundi, facta Ordini Minimorum, quæ habetur in Supplemento, fol. 8. conceſſ. 36. & refertur in Compendio *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 11. vbi dicitur, quod ſupradictus Iulius Secundus, conceſſit prædicto Ordini Minimorum, *vt Generalis illius, necnon & Prouincialis, & eorum Vicarij, poſſint & valeant benedicere Corporalia, & omnia alia ornamenta Eccleſiaſtica ſuorum locorum & domorum, præter Calices & Patenas.* Hoc igitur conſtitutiſſimum eſt, & de eiuſmodi Prælatis Generalibus & Prouincialibus, eorumque auctoritatem habentibus, nulli dubium. Sed difficultas eſt de alijs Prælatis localibus, vtputa de Guardianis & Prioribus, & ſimilibus, an etiam ipſi poſſint benedicere prædicta Corporalia? & ratio dubitandi eſt, nam vt ſupra diximus, Capitulum generale Meclinenſe, determinauit, atque præcepit, quod ſoli Prouinciales poſſint benedicere Corporalia, quod quidem apud nos Minores Fratres, hucuſque inuiolabiliter fuit obſeruatum. Sed nihilominus ſequens ſtatuitur Concluſio.

Secunda Concluſio.

Etiā Guardiani & Priores locales, poſſunt benedicere corporalia.

ETiam Guardiani & Priores Conuentuales, alijque Prælati locales, benedicere poſſunt prædicta Corporalia. Hæc concluſio probatur in primis, ex conceſſione Leonis Decimi, de qua ſupra in præcedenti Articulo mentionem fecimus, quæ

habetur in Supplemento, fol.16.conceſſ.55. & refertur in Compendio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §.14.in illis verbis, *paramenta & ornamenta, & alia quæcumque ad diuinum cultum & vſum Fratrum neceſſaria, in quibus Chriſma non interuenit, pro eorundem Fratrum vſu tantum, ſolemni benedictione valeant benedicere.* Et certum eſt quod chriſma in benedictione Corporalium prædictorum non interuenit, & ſic per ſupradicta verba tenet hanc ſententiam Pater Ildephonſus à Veracruce in ſuo Compendio, *verbo, benedicere*, §.2. & Collector Compendij Ordinis Ciſtercienſis, eodem verbo, §.etiam 2.quamuis noſtro Collectori vbi ſupra, §.16.circa finem, contrarium fuerit viſum magis probabile & magis tutũ. Sed quidquid de hoc ſit, in confirmationem ſupradictæ à nobis appoſitæ cõcluſionis, facit quammaxime quædam ſpecialis conceſſio Innocentij Octaui, quam refert Collector priuilegiorum Ordinis Ciſtercienſis, & etiam Pater Frater Ildephonſus de Caſarrubios in annotationibus ad noſtrum Cõpendium, qui dicunt, *Innocentium Octauum conceſſiſſe Prioribus Ordinis Sancti Hieronymi, & Vicarijs in abſentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cuiuſcũque Monaſterij, poſſe benedicere corporalia, veſtimenta, cæteraque ornamenta Eccleſiaſtica, ad cultum diuinum pertinentia, tam ſui Monaſterij, quam etiam vndecumque ſint.* Quam conceſſionem, vt refert prædictus Pater Alphonſus à Caſarrubios, Pius Quintus Pontifex Maximus eiſdem confirmauit, anno Domini 1566. per ſequentia verba: Pius Quintus conceſſit Ordini Sancti Hieronymi Hiſpaniæ, *vt Priores exiſtentes Monaſteriorum Ordinis, non ſolum veſtes & alia quæcumque ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum diuinum pertinentia, vt eis conceſſerat prius Innocentius Octauus, verum etiam corporalia, & omnia alia ſuorum Monaſteriorum, in quibus chriſmatis vnctio non interuenit, licite & libere poſſint benedicere.* Quæ quidem conceſſio Pij Quinti, quamuis prioris ſit confirmatio, in aliquo claudicare videtur, & in ea veræ relationis interueniſſe defectum, ſiquidem dicitur ibidem, quod concedit ipſis, vt poſſint benedicere, non ſolum veſtes, & alia ornamenta Eccleſiaſtica, ad diuinum cultum pertinentia, prout eis prius conceſſerat Innocentius Octauus, verumetiam & Corporalia, &c. nã vt patet ex ſupradicta conceſſione, prædictus Innocentius Octauus, vtrumque eiſdem conceſſerat, quin vero & ampliori modo, poſtquam conceſſerat idipſum, non ſolum Prioribus (vt fecit prædictus Pius Quintus) verumetiam & Vicarijs in abſentia Priorum, & alijs quibuſcumque, habẽtibus principale regimen cuiuſcumque Monaſterij. Ex quo videtur, quod prædicta conceſſio, quadam ratione fuit limitatio ſupradictæ, quamuis aliàs fuerit etiam eiuſdem confirmatio. Sed quidquid de hoc ſit, certum eſt & indubitatum, quod per communicationem ſupradicti priuilegij, Innocentij Octaui, Guardiani & Priores, alijque Prælati Conuentuales, quin vero & ipſorum Vicarij in eorum abſentia poſſunt benedicere corporalia. Nec nobis Fratribus Minoribus obſtat prohibitio facta per ſupradictum ſtatutum generale Meclinẽſe, nam poſt ipſum factæ ſunt conceſſiones ſupradictæ, quibus & nos perfrui poſſumus per priuilegium quod habemus communicationis. Quod ſi Meclinenſe Capitulum prædictum illud prohibuit, Capitulum poſtea generale Toletanum, celebratum anno 1583. hoc de nouo conceſſit, cum in Cæremoniali noſtræ ſacræ Religionis ibidem recepto & approbato.dicatur, *quod Guardiani habent prædictam facultatem benedicendi corporalia, & quod ea vti poſſunt.* Quo innixus fundamento hanc etiam ſententiam tenet Emanuel Rodericus 1.tom.ſuarum quæſtionum Regularium, quæſt.19.arti.2.vbi & probe aduertit, quod quando dicitur in prædicta conceſſione Innocentij Octaui, quod hæc etiã facultas benedicendi corporalia prædicta, conceditur Vicarijs, intelligendum eſt non de quibuſcumque Vicarijs, ſed de illis duntaxat, qui apud nos vocantur Præſidentes, & qui præſunt Conuẽtibus in Guardianorum abſentia, quod ſatis clare colligitur ex verbis eiuſdem Innocentij, poſtquam dicitur ibidem, *Vicarijs in abſentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen, cuiuſcumque Monaſterij.*

Nota quod Vicarij etiã in abſentia Guardianorũ, poſſunt benedicere ornamenta & etiã Corporalia, quando exiſtãt ſuo rũ cõuẽtuum Præſidentes.

In calce huius Articuli iterum libuit aduertere, id quod etiam diximus in fine Articuli præcedentis, nempe quod Minores Fratres presbyteri, in terris infidelium exiſtentes ex conceſsione Gregorij Noni poſſunt benedicere, non ſolum veſtes ſacerdotales, verumetiam & altaris pallia & corporalia, cum neceſſe eis fuerit, vbi catholicorum Epiſcoporum copia non habetur. Quod quidem priuilegium, an ibidem ſit in vſu vel non, omnino me latet. ſolummodo dico illud, quod habetur ex priuilegio prædicto, quod vero attinet ad vſum vel non ad vſum ipſi viderint.

ARTICVLVS III.

Vtrum Prælati Regulares ſupradicti benedicere poſsint prædicta paramẽta & ornamenta Eccleſiaſtica, & etiam Corporalia, non ſolum pro ſe & ſuis Fratribus, verumetiam & pro alijs?

PRo ratione dubitandi, facit in primis, ſtatutum prædicti capituli generalis Meclinenſis, iam pluries citatum, vbi determinatum fuit, *quod ſolum Prouinciales habeant benedicere corporalia, & ijdem Prouinciales, Cuſtodes & Guardianialia ornamenta, ſed non alij, & hoc ſolum pro Fratribus & Monialibus & Tertiarijs, & nullo modo pro alijs extra Ordinem.* Et ſubditur: *ſic enim (inquit) conceſſum fuit per Summum Pontificem.* Et revera Summus Pontifex Leo Decimus in conceſsione ſuperius præmemorata, hoc expreſſe determinauit in illis verbis, *pro eorundem Fratrum vſu tantum.* Sed nihilominus quamuis hoc verum ſit, & virtute priuilegij prædicti Leonis Decimi id non poſſint facere Prælati Regulares, nempe benedicere ſupradicta ornamenta & Corporalia pro alijs, nõ tamen deſunt qui dicant, quod id poſſunt facere virtute priuilegii ſupradicti Innocentij VIII. vbi hoc ipſum expreſſe conceditur, iuxta quod ſequẽs ſtatuitur Concluſio.

Conclu-

Concluſio.

Multorũ DD. fert opinio, quod Prælati Regulares poſſunt benedicere ornamenta eccleſiaſtica, & etiã corporalia, nõ ſolũ pro ſe, & ſuis Fratribus, verumetiam pro alijs.

MVltorum Doctorum fert opinio, quod Prælati Regulares poſſunt benedicere prædicta paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, & etiam Corporalia, non ſolum pro ſe & ſuis Fratribus, verum etiam pro alijs. Sed an hoc practicandum ſit, ſub opinione relinquitur. Hæc concluſio conſtat quoad primam partem, ex verbis expreſſis ibidem poſitis in fine, ibi, *benedicere Corporalia & veſtimenta, cæteraque ornamenta Eccleſiaſtica, ad cultum diuinum pertinentia, tam ſui Monaſterij, quam etiam vndecumque ſint.* Quo quidem priuilegio per participationem perfruuntur omnes Ordines & Religiones, quæ priuilegium habent communicationis, prout aduertunt Collector priuilegiorum Ordinis D. Hieronymi, & ſupradictus Pater Ildephonſus á Caſarrubios in additionibus ad Compendium Mendicantium, & etiam Emanuel Rodericus tomo 1. ſuarum quæſtionum Regularium, quæſt. 19. art. 2. in eadem eſt ſententia. Pro qua & refert Patrem Fratrem Alphonſum à Veracruce, in ſuo Compendio, qui & ad idem affert priuilegium quoddam Adriani Sexti, quo conceſsit, *quod Prouinciales Indiarum Ordinum Mendicantium, & Fratres eorum habentes omnimodam auctoritatem dicti priuilegij, poſsint benedicere omnia ſupradicta, etiam pro vſu alieno, ſi diſſent ab Epiſcopis vel eorum officialibus per duas dietas, cauſa iuſta interueniente, pro bono Indorum, viputa quia deferenda ſunt ornamenta ad Epiſcopum diſtantem viginti leucas.* Hæc prædicti Doctores vbi ſupra. Sed an id liceat, ſitque modo in conſuetudine poſitum? nolo in præſentiarum differere, aut hac in re Iudicem agere, aliorum eſto iudiciũ, tantummodo enim cordi eſt, ea referre, quæ in ijs rebus communiter traduntur à Doctoribus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſint aliqui Prælati Regulares, qui poſsint benedicere ſeu potius conſecrare calices & patenas, pro Miſſis celebrandis?

Concluſio.

Multorũ fert ſententia & opinio, quod Abbates Conuentuales Ordin. Ciſtercienſis poſſunt benedicere calices & patenas pro Miſsis celebrandis.

MVltorum fert ſententia & opinio, quod Abbates Conuentuales Ordinis Ciſtercienſis, benedicere poſſunt calices ſiue patenas pro Miſſis celebrandis. Probant iſti Doctores ſuam ſententiam ex priuilegio quodam Innocentij Octaui, cuius fit mentio in libro priuilegiorum Ordinis Ciſtercienſis, quod fuit expeditum, anno Incarnationis Dominicæ 1489. ad petitionem Ioannis Abbatis Ciſtercienſis, *quo conceſsit prædictus Innocentius, ipſi Abbati, & quatuor primis coabbatibus eius, tunc & pro tempore exiſtentibus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus, quæcumque veſtimenta, ac ornamenta Eccleſiaſtica, Corporalia, vaſculaque ad reponendam ſacram Euchariſtiam, in locis & domibus dicti Ordinis, benedicere & Calices conſecrare, tam de dicto Ordine, quam ſi ad eos aliunde nonnunquam deferantur, valeant & poſsint.* Hæc prædictus Innocentius. Sed aduerto, quod ſupradicto priuilegio, non perfruuntur, perfruive poſſunt aliæ Religiones, priuilegium etiam habentes communicationis, nam prædicti Abbates ſunt benedicti, & in ſuis domibus & Monaſterijs habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ſecũdum ius & ſua priuilegia, multa ſibi conceduntur, quæ non conueniunt nec conceduntur Prælatis aliarum Religionum, quod eſt multum notandum, ac memoriæ commendandum, nam in ijs & ſimilibus non fit priuilegiorum communicatio, cum nõ militet eadem ratio.

ARTICVLVS V.

Vtrum Prælati Regulares, poſsint petere ab alieno Epiſcopo, benedictionem ſeu conſecrationem, earum rerũ quæ ad diuinum cultum pertinent, Diœceſani Epiſcopi licentia minime requiſita?

RAtio dubitandi eſt, nam Sixtus Quartus conceſſit Fratribus Carmelitanis, *vt quando propriorum Epiſcoporum copiam non habuerint, & aliqui Epiſcopi habentes gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ, de quibus plenam habeant notitiam, per eos tranſire contigerit, ab eis benedictionem vaſorum & veſtium, & conſecrationem altarium, auctoritate Sedis Apoſtolicæ recipere valeant.* Habetur hoc priuilegium in Monumentis Ordinis 1. impreſſion. fol. 100. & 2. fol. 185. conceſſ. 455. & refertur in Compendio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §. 6. quod ipſum conceſſit Eugenius Quartus, Fratribus Auguſtinienſibus, vt habetur in prædictis Monumentis 2. impreſſione fol. 147. conceſſ. 607. & refertur in dicto Compendio vbi ſupra, §. 10. quinvero & Leo Decimus, vt habetur in Supplemento, folio 60. cõceſſione 179. & refertur in dicto Compendio noſtri Ordinis vbi ſupra, §. 15. *Conceſſit Fratribus Minoribus, vt quilibet Catholicus Epiſcopus, poſsit conſecrare Eccleſias eorum, & altaria, & cæmeteria, calices & ornamenta, & omnes alios actus Epiſcopales exercere, in locis & perſonis Fratrum prædictorum Obſeruantiæ, Diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia minime requiſita.* Hæc deſeruiant pro ratione dubitandi, quæ adduci poſſet pro vna parte. Sed nihilominus in contrarium eſt veritas, de qua fit Concluſio.

Prima Concluſio.

Prælati Regulares nõ poſſunt petere ab alieno Epiſcopo, benedictionẽ eorũ, quæ ad diuinũ cultũ pertinẽt Diœceſani Epiſcopi licentia minime requiſita.

PRælati Regulares, non poſſunt petere aut recipere ab alieno Epiſcopo benedictionẽ eorũ, quæ ad diuinũ cultũ pertinẽt, Diœceſani Epiſcopi licentia minime requiſita. Probatur hæc cõcl. nam quamuis habeantur priuilegia ſupradicta, verba tamen intelligenda ſunt iuxta terminos iuris communis, nempe præcedente Epiſcopi Diœceſani licentia, nec aliud habetur in priuilegijs prædictis, cõceſſis Auguſtinienſibus & Carmelitanis. Et quã uis, in priuilegio Leon. X. conceſſo nobis Fratribus Mino-

Minoribus, expreſſa habeantur illa verba, *Diœceſani loci vel cuiuſuis alterius licentia minime requiſito.* Idem tamen Leo poſtea in Concilio Lateranenſi contrarium omnino ſtatuit, vt habetur in Supplemento, fol.26.conc.79.& refertur in Compendio vbiſupra §.16.vbi dicitur, quod prædictus Leo ſtatuit, *quod ſupradicti Fratres nequeant ab alieno Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ vel altaris, aut cœmeterij benedictionem petere, ſeu in Eccleſijs per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi vbi Ordinarius, bis aut ter, cum debitis reuerentia aut inſtãtia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſauerit.* Et quamuis priuilegiorum Collector vbi ſupra dicat, quod in foro conſcientiæ poſſunt Fratres (non obſtante huiuſmodi prohibitione & reſtrictione Concilij Lateranenſis) vti conceſſionibus ſupradictis, pro eo quod idem Leo poſtea conceſſit, viuæ vocis oraculo, per quæ Fratres Minores Obſeruantiæ, poſſint libere vti omnibus eiſdem conceſſis ante præfatum Concilium, prout habetur in Compendio, *verbo, Concil.§.7.* nihilominus tamen iam hoc non habet locum, poſt Concil. Trid. ſeſſ.6. de reformatione, cap.5. vbi expreſſa ponuntur ſequentia verba. *Nulli Epiſcopo liceat, cuiuſuis priuilegij prætextu, Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eiſdem Ordinario ſubiectas tantum, etſi ſecus fuerit factum, Epiſcopi ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinate ab executione ordinum ſint ipſo iure ſuſpenſi.* Vbi per illa verba, *cuiuſuis priuilegij prætextu*, plane reuocata ſunt ſupradicta priuilegia, ſicque ſine Epiſcopi Diœceſani licentia, Prælati Regulares non poſſunt petere aut accipere ab alieno Epiſcopo ſupradicta: ſed quamuis hoc ita ſit, non deſunt qui dicant, quod vbi Ordinarius, bis aut ter à Fratribus cum debita reuerentia requiſitus, ſi ne legitima cauſa id facere recuſauerit, in tali caſu poſſunt Fratres ab alieno Epiſcopo, petere atq; recipere prædicta, iuxta ſupradictam conceſſionẽ Leonis Decimi, factam in Concilio Lateranenſi, quam credunt non eſſe reuocatam per Concilium Tridentinum ſupradictum, neque comprehendi ſub illis verbis, *cuiuſuis priuilegij prætextu*, nam determinatio & deciſio facta in prædicto Lateranen. Concilio, non tam eſſe videtur priuilegium, quam ius commune, aut ſaltim conceſſio facta multum ad ius commune, conformiter, & ad id quod habetur, in *cap.1. de ſupplenda neglig. Prælator.* vbi Alexander Tertius, ſtatuit in quodam ſimili propoſito, vt ſi Epiſcopus tertio cum humilitate & deuotione, ſicut conuenit requiſitus, ſubditos ſibi Abbates benedicere renuerit, liceat eiſdem Abbatibus proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiuſmodi pertinent exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent & Abbates benedicere nõ recuſent. Quæ verba expendens Gloſſa, inquit, hoc fuiſſe conceſſum in odium Epiſcoporum, ne propterea in ſpiritualibus vel in alijs Monaſteria patiantur detrimentum, propter negligẽtiam Epiſcoporum, & ſimilem ait indulgentiam conceſſiſſe Innocent. III. in *capi. nihil eſt, §. vltimo, de electione.* Quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Epiſcopi pro benedictione dictorum paramentorum, ſeu ornamentorum & Altarium, & aliorum ad diuinum cultum pertinentium, à Fratribus poſſint aliquid recipere, ſeu exigere?

Concluſio.

Epiſcopi pro benedictione ornamẽtorũ & altariũ, ſeu aliorũ ad diuinũ cultũ pertinentiũ, nihil à Fratribus omnino poſſunt recipere.

EPiſcopi pro benedictione ſupradictorum paramentorum, & ornamẽtorum & altarium, ſeu aliorum ad diuinum cultum pertinentium, nihil omnino à Fratribus poſſunt exigere aut recipere. Hæc concluſio probatur primo ex quadam conceſſione Sixti IIII. facta Fratribus Carmelitanis, quæ habetur in Monumentis Ordin. 1. impreſſ. fol. 100. & 2. fol. 183. cõceſſ. 454. & refertur in Compendio, *verbo, benedicere Eccleſiaſtica*, §.5. vbi dicitur, *quod pro conſecrationibus altarium vel Eccleſiarum, & pro oleo ſancto, ac quolibet Eccleſiaſtico ſacramento, nullus Epiſcopus, ſub obtentu cuiuſlibet conſuetudinis vel alio modo, quidquam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis Epiſcopi Diœceſani vt tenentur libere, & gratioſe impendant, alioquin liceat prædictis Fratribus Carmelitis, quoſcumque maluerint Catholicos adire Antiſtites, gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habentis, qui Apoſtolica freti auctoritate, eiſdem Fratribus, quæ poſtulauerint impendant. Et quod ſi ſedes Diœceſanorum Epiſcoporum forte vacauerit, interim omnia Eccleſiaſtica ſacramenta á vicinis Epiſcopis, libere & abſque contradictione ſuſcipere poſſint, ita tamen quod ex hoc in poſterum proprijs Epiſcopis nullum præiudicium generetur.* Hoc idem conceſſit Eugenius IIII. Fratribus Auguſtinienſibus, vt habetur in eiſdem Monumentis 1. impr. fol. 257. conc. 605. & refertur in Compendio, vbi ſupra, §.9. Quibus priuilegijs perfruuntur etiã omnes Ordines & Religiones, quæ priuilegium habent communicationis, & vt dixi multorũ fert opinio, quod priuilegia prædicta non ſunt reuocata per ſupradictum Conc. Trident. ſi ter requiſiti, proprij Epiſcopi idipſum facere recuſauerint, propter rationem ſuperius dictam in præcedenti Articulo, nã in tali caſu continere videntur ius commune.

QVEST.

QVAESTIO XLI.

De priuilegijs in communi, in ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſit, priuilegium?

PRo huius Articuli intelligentia præmitto breuiter, quod vt habetur in *cap. priuilegia, diſt. 3*, quod deſumptum eſt ex Diuo Iſidoro, lib. 5. Etymologiarum, cap. 18, priuilegia nihil ſunt aliud, quam priuatorum leges, aut quaſi priuatæ quædam leges, inde enim dictum eſt priuilegium, quia quaſi in priuato feratur, & per ipſum eximatur quiſpiam ab ea obligatione qua cæteri alij tenentur. Ad quod propoſitum facit quammaxime, quod dixit olim Cicero lib. 3. de legibus, & refertur in dicto *capit. verbo, priuilegium, quod quia maiores noſtri in priuatos homines leges ferri noluerunt: inde dictũ eſt priuilegium ac ſi priuata quædam lex diceretur.* Facit & ad hoc *cap, non exemplo, 26.* quæſt. 2. vbi habetur de mente Diui Hieronymi, *quod priuilegia ſingulorũ, communem facere non poſſunt legem.* Hoc præmiſſo atque præſuppoſito, propoſitæ difficultati, per ſequentem concluſionem reſpondetur.

Concluſio.

Priuilegiũ eſt priuatũ ius, & indultum factũ á Principe cõtra ius commune.

PRiuilegium eſt priuatum ius, & indultum' conceſſum á Principe facere id potente, contra ius commune. Hæc priuilegij definitio, deſumpta eſt ex Sylueſtro, *verbo, priuilegium*, numer. 1. vbi & probat eam ex *cap. Abbate, de verbor. ſignificatione, & ex cap. in his, de priuilegijs*, in cuius rei comprobationem dicit, quod quando aliquid conceditur alicui quod ſit præter ius commune ſine præiudicio alterius, non eſt proprie & in rigore loquendo priuilegium, ſed dicitur beneficium, vt notat Panormitanus in *cap. olim, de verbor. ſignificatione.* Dixi proprie & in rigore loquendo, nam interdum conceduntur aliqua, quæ ſunt non quidem contra ius, ſed præter ius commune, quinvero & alias de iure cõmuni, & nihilominus dicuntur priuilegia, at non proprie, ſed improprie & largo modo ſumpta, cuius rei quamplurima in iure reperire licebit exempla, & facit ad hoc *cap. etſi Chriſtus, §. fin. de iure iurando, & cap. quia in cauſis, de Procuratoribus*, & multa alia quæ breuitatis gratia facio miſſa. Sed dicet aliquis ad quid deſeruiunt, ſeu conceduntur eiuſmodi priuilegia, quæ alias ſunt de iure communi ipſique cõformia, & quem nam tunc operantur effectum, nã certum eſt quod priuilegia omnia, ſemper debent aliquid operari? Hanc difficultatem tractant Doctores Iuriſperiti diuerſis in locis, & ipſius meminit etiam Sylueſter, *verbo, priuilegium*, quæſt. 4. De cuius & aliorum reſolutione dico, quod ſimilia priuilegia continentia ius commune, aliquando dantur & conceduntur, neque id fruſtra, ſed multis & iuſtiſſimis de cauſis, & primo, quia vt experientia conſtat, dicuntque id communiter Iuriſperiti, magis ſolet timeri, quod ſpecialiter cauetur, quam quod generaliter, per *cap. quamquam*, diſt. 23. Secundo, quia quæ generaliter dicuntur, neglecta eſſe videntur, niſi ſpecialiter notentur, vt etiam habetur in iure, *leg. item apud, §. ait prætor, ff. de iniurijs.* Tertio, quia cum plerumque iura male ſeruentur, per priuilegia innouantur, per *capitu. 2. de treuga & pace.* Quarto, quia multi ſciunt talia priuilegia, ignorãtes alias communia iura. Et tandem quinto & vltimo deſeruiunt priuilegia prædicta, nam licet nõ tribuant aliquod nouum ius, aut præter ius commune de nouo aliquid concedant, ſaltim operantur, vt per ipſa clarius atque facilius tribuatur alicui aliquod ius, quam antea ius commune illud cõcedebat, facit ad hoc *ca. gratia, de reſcriptis, lib. 6.* Qua quidem ratione apud Regulares & perſonas Religioſas, ſæpiſſime multa reperiuntur impetrata priuilegia, quæ ſi recte introſpiciantur, mere continent ius commune. Sed nihilominus non reputantur aut exiſtimantur inania & ocioſa, nam ad minus hunc operantur effectum, quod clarius habetur per ipſa id quod quæritur, quam antea per ius commune concedebatur. Et deſeruiunt præterea, vt prouideatur eorundem timoratis conſcientijs, & vt forſan facilius litibus imponatur finis, quæ ſub aliquibus dubijs oriri poſſent, quod in Regulariũ cauſis ſummi Pontifices, quammaxime obſeruari voluerunt. Videatur hac de re Nauarrus, lib. 3. conſil. de ſtatu Monachorum, conſ. 5. nume. 5. In calce huius Articuli aduertere libuit, ex prædicto Sylueſtro loco vbi ſupra, nume. 1. quod priuilegia omnia in communi ſumpta, ſunt in duplici differẽtia. Quædam enim ſunt conceſſa immediate à Deo alia vero ab hominibus. De primo conſtituit exemplum in priuilegio conceſſo D. Gregorio, vt oraret pro Traiano, & Diuo Martino pro eo qui ſe ſuſpenderat, & in priuilegio olim tempore veteris legis conceſſo Oſeæ, vt accederet ad fornicariam vxorem, & generaliter in omni inſpiratione Spiritus Sancti contra ius commune, quam qui habet inquit, non eſt quoad hoc ſub lege, ſcilicet communi, iuxta *cap. duæ ſunt leges, 19.* quæſtio. 2. Dicit tamen quod lex communis nullo modo eſt dimittẽda, niſi quis omnino certus ſit de prædicta priuata lege, ſiue priuilegio, vt fuerunt Sancti, nam iuxta ſententiam Diui Pauli, quandoque Satanas tranſfigurat ſe in Angelum lucis, vt etiam habetur in *cap. tranſferunt, 24*, quæſt. 3. De ſecundo autem priuilegiorum genere, nempe conceſſorum ab hominibus non eſt neceſſum adducere exempla, cum in iure multa ſint peruia, quæ habentur in decretalibus & in Sexto, *tit. de priuilegijs*, per multa capita. Hoc præmiſſo dico, quod in præſentiarum non eſt

Quid interſit inter priuilegium & beneficium.

Quid ſit priuilegium proprie, & improprio modo ſumptum.

Difficultas. Adquid deſeruiant priuilegia, earum rerum, quæ alias ſunt de iure communi.

Priuilegia in cõmuni ſumpta, quædã ſunt à Deo immediate conceſſa alia vero ab hominibus, à Papa ſcilicet aut Imperatore, Regibus ſiue Principib⁹.

nobis

nobis ſermo, de priuilegijs à Deo conceſſis, ſed ſolummodo de conceſſis ab hominibus, nempe à Papa, Imperatore, Regibus ſiue Principibus, de quibus in ſequentibus Artic. futurus eſt ſermo. Sed primo dicamus oportet quotuplicia ſint illa, de quo in ſequenti Articulo.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit Priuilegium?

Prima Concluſio.

Priuilegiorũ quodam eſt perſonale, aliud verò reale.

PRiuilegiorum, quoddam eſt perſonale, aliud verò reale. Hæc Cõcluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndus eſt Sylueſt. verbo, *priuileg.* nu. 1. quæſt. 1. vbi quærit, quot ſint priuilegiorum ſpecies? Quo loco quatuor ponit, atque inter ipſas enumerat duas prædictas, dicens quod priuilegiorum, quoddam eſt perſonale, aliud verò reale. Perſonale eſt quod eſt cõceſſum perſonæ, quod etiam dicit eſſe duplex, quoddam mere perſonale ideſt ſingulariter, vt quod alicui vel aliquibus perſonis in ſingulari conceditur, certis & proprijs nominibus expreſſis, de quo, in cap. *volentes de offi. leg.* & tale non egreditur perſonam cui conceditur niſi hoc expreſſe exprimatur, iuxta cap. *conſtitutus, de conceſſi. præb.* Ne quo priuileg. eſt regul. nume. 7. ſuper quam multa dicit ibid. Gloſ. etſi conceditur obtentu alicuius dignitatis, non debet quis vti eo ſi aliam dignitatem adipiſcatur, iuxta cap. *bonæ memo de poſtulat. Prælat.* §. fin. & extinguitur cum perſona, imò verò aliquando ante vt cum eo abutitur & ſequitur perſonam ſi ſit conceſſum cum determinatione loci vel temporis, nam extra illa eam non ſequitur, vt priuilegium vſus pallij, iuxta ca. *ex tuarum, de auctо. & vſu pallij.* Aliud verò eſt perſonale non mere aut ſingulariter, ſed communiter, id eſt quod conceditur perſonis in communi, non expreſſis nominibus proprijs, vt priuilegium minorum, 20. annis, iuxta l. 1. *per totum, ff. de minorib.* & multa alia ſimilia, quæ breuitatis gratia facio miſſa. Priuilegium autem reale eſt, quod Eccleſiæ, dignitati, ciuitati, loco, aut aliquibus perſonis, ratione loci ſeu alicuius rei eſt conceſſum, iuxta ca. *cum olim, cum ſequentibus, de priuileg.* Supradicta omnia ſunt prædicti Sylueſt. vbi ſupra, vbi etiam ponit aliam priuilegiorum diuiſionem, de qua ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Priuilegiorũ quoddam eſt corporale pure, quoddam verò corporale communiter.

PRiuilegiorũ, quoddã eſt corporale pure, quoddam verò corporale communiter. Hæc Concluſio eſt ſupradicti Sylueſt. Purum corporale dicitur illud eſſe, quod conceditur corpori, ideſt Vniuerſitati vel Collegio, & quo ſolummodo communitas, & non ſingulares perſonæ ſe poſſunt iuuare, iuxta cap. *qui manumittitur,* 12. quæſt. 1. quod ideò dicitur corporale, quia cum corpore, ideſt cũ collegio perijt. Corporale communiter eſt illud, quod Vniuerſitati ſeu Collegio alicui conceditur, ita tamen quod quilibet ſingulariter de illa Vniuerſitate, illo ſe poteſt iuuare & etiam Vniuerſitas ipſa, iuxta cap. *contingit, de ſentent. excommunicã.* cuiuſmodi ſunt omnia priuilegia conceſſa nobis Fratribus Minoribus & Prædicatoribus, alijſque Ordinibus & Religionibus cunctis, quæ ſunt in Eccleſia.

ARTICVLVS III.

Quiſnam poßit concedere Priuilegium?

Prima Concluſio.

Priuilegium communiter, & generaliter loquendo poteſt concedere quicũque & legem poteſt facere.

PRiuilegium communiter & generaliter loquendo concedere poteſt, quicumq; & legem poteſt facere. Hæc Concluſio eſt etiam generalis omnium reſolutio, de qua & videndus eſt Sylueſt. verbo *priuileg.* q. 2. vbi ad hoc allegat Oſtienſ. & dicit eſſe opinionem communem. Videatur hac de re gloſſ. ſingularis, in cap. *quod autem.* 25. quæſt. 2. vbi ad hoc propoſitũ dicuntur plura eaque notatu digniſſima. Et ratio huius Concluſionis in promptu eſt, nam cum priuilegium, vt ſupra diximus, nihil ſit aliud quã priuata lex, iuxta cap. *priuilegia,* diſt. 3. ſeu leges priuatorum, liquidum fit, quod quicumque legem poteſt facere priuilegium etiam poteſt indulgere, quod eſt quẽpiam ab ipſius legis obligatione eximere non verò alius. Sed ad particularia deſcendendo, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Priuilegium, in ſpiritualibus, ſolus concedit Papa, & Epiſcopis de conſenſu ſui capituli.

PRiuilegium in ſpiritualibus, concedere poteſt ſolus Papa in tota Eccleſia, & ſimiliter Epiſcopus in proprio ſuo Epiſcopatu interim ipſe viuit, dum tamen id faciat de voluntate ſui Capituli, & multo fortius Archiepiſcopus & Patriarcha, &c. Hæc Concluſio eſt etiam ſupradicti Sylueſ. de qua etiam videatur ſupradicta gloſſ. in dicto cap. *quod autem,* vbi & dicit, quod Papa cõcedere poteſt priuilegia etiam in præiudicium alterius quod tamẽ alijs facere non poſſunt, quod probat, ex cap. *bonæ rei,* 12. quæſt. 2. cap. *conqueſtus,* 9. quæſt. 3. cap. *pronunciandum, de conſec.* diſt. 3. capit. *contra morem,* diſt. 100. Sed quidquid de hoc ſit, quod Papa in ſpiritualibus in tota Eccleſia concedere poſſit priuilegia, adeò clarum eſt vt probatione nulla indigeat. Aduertit tamen ſupradictus Sylueſt. quod numquam Papa conſueuit priuilegiare aliquem contra ſe, quod probat argumento deducto, ex cap. *cum ex officio. de præſcript.* & dicit eſſe hoc ſpecialiter, contra fingentes ſe habere priuilegia iudicandi de reſcriptis Papæ, & quod ſecũdum illa non ſit ſine eorum approbatione procedendum. Poteſt etiam Papa quandoque concedere priuilegia, etiam in temporalibus, vt notatur, in cap. *venerab. qui filij ſint legit.* quod eſt intelligendum, in terris ſuæ temporalis iuriſdictionis, aut quando in aliquo caſu deuolueretur ad ipſum iuriſdictio. Quod verò Epiſcopus etiam in ſuo Epiſcopatu poſſit concedere priuilegium, conſtat ex cap. *inſtitut. de Relig. domib.* & cap. *cum venerab. de conſ.* dum etiam id faciat de

Con-

conſenſu ſui Capituli, vt dictum eſt, iuxta *capi. Patioralis, de iure patronatus, & cap. ſicut vnire, de exceſſib. Prælator.* Qua etiam de re videatur gloſſa prædicta, vbi adducuntur plura, in quibus Epiſcopus poteſt vel non poteſt indulgere priuilegium. Quod autem Archiepiſcopus & Patriarcha à fortiori idipſum poſſit, habetur in *cap. ad hoc, de cleri. non reſid.* & de hoc nulli dubium, nam ſunt plura capitula in iure.

Tertia Concluſio.

Priuilegiũ in temporalibus concedere poteſt ſolus Imperator & Rex ſeu Principes ſuperiorem nõ agnoſcentes.

PRiuilegium in temporalibus, concedere poteſt ſolus Imperator ſiue Rex ſuperiorem non agnoſcens, non autem in ſpiritualibus, quia de eis nihil poſſunt ſtatuere. Hæc etiam concluſio eſt ſupradicti Syluеſtri vbi ſupra, quam & probat ex *capit. bene quidem, diſt. 96*, vbi habetur, quod de rebus Eccleſiaſticis diſponendis, laicis nulla conceditur facultas. Videatur hac de re Syluеſter, vbi ſupra, & verbo *lex*, quæſt. 4. verbo etiam *Papa*, num. 10. 11 & 12. vbi ad hoc propoſitum, de poteſtate Papæ, Imperatorum ac Regum, dicuntur plura eaque notatu digniſſima, quæ quia præſentis non ſunt ſpeculationis, conſulto omittuntur, & vt breuitati ſtudeam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Priuilegium, neceſſario debeat dari in ſcriptis?

CIrca hanc difficultatem, magna eſt lis & controuerſia inter Doctores Iuriſperitos, nam cum priuilegium (vt iã pluries diximus) nihil ſit aliud quã priuata quædam lex, ſicut de lege cõtrouertitur à Iureperitis, vtrum ad eſſentiam ipſius neceſſaria ſit aliqua ſcriptura, ſeu quod feratur in ſcriptis, ſic etiam eſt magna lis & controuerſia inter ipſos, an ſcriptura vel bullatio ſit de eſſentia priuilegij Apoſtolici ſiue Imperialis, qua quidem controuerſia breuitatis gratia prætermiſſa, propoſitæ difficultati, breuiter per ſequentes Concluſiones reſpondetur.

Concluſio.

Scriptura ſeu bullatio, ſimpliciter & abſolute loquẽdo, non eſt de eſſentia priuilegij Apoſtolici ſeu Imperialis.

SCriptura ſeu bullatio, ſimpliciter & abſolutè loquendo, non eſt de eſſentia priuilegij Apoſtolici ſeu Imperialis. Hanc concluſionem tenet Syluеſter, *verbo, priuilegium*, quæſtio. 14. & dicit eſſe eam Innocent. in *cap. conſtitut. de reſcript.* & Archidiaconi & Ioannis Andreæ, in procœmio Sexti decretalium. Eandem ſententiam tenet Panormitanus in *cap. noſtra, de reſcriptis.* vbi dicit, quod licet ſcriptura requiratur ad probationem gratiæ, non eſt tamen de ſubſtantia gratiæ, vnde mortuo Papa qui fecit gratiam, literis etiam nondum extractis, nõ expirat ipſa gratia, ſed ſucceſſor dat literas facta mentione de prædeceſſore, & hoc eſt quod communiter ſeruatur in praxi.

Secunda Concluſio.

Scriptura ſiue bullatio, neceſſaria eſt ad priuilegiorum comprobationem.

QVamuis ſcriptura ſiue bullatio, ſimpliciter & abſolute loquendo, non ſint de eſſentia priuilegij Apoſtolici, eſt tamen neceſſaria ad ipſius comprobationem, & ad euertenda quamplura inconuenientia & abſurda, quæ ex contrario facto exoriri poſſent. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis, & ratio eius in promptu eſt, nam ſine bullis, vix aut nullatenus priuilegia comprobari poſſent, ſequerenturque innumera inconuenientia & abſurda, ſi priuilegiorum & gratiarum comprobatio, facienda eſſet per teſtes, quos fere impoſſibile eſſet ſcire omnem continentiam gratiæ, & omnem ipſius formalitatem. Cum quo tamen ſtat, quod id non omnino cenſeatur impoſſibile, alias in nullo priuilegio permitteretur probatio tenoris per teſtes, quod tamen permittitur, vt conſtat ex *cap. cum olim, el 1. de priuileg.* vbi dicitur quod contenta in inſtrumento perdito, probari poſſunt per teſtes, qui illud perlegerunt, ſi deponat de tenore, & quod erat ſine vitio, nec neceſſe eſt probare aliquid de veritate inſtrumenti. Eſt igitur ſcriptura ſiue bullatio, non quidem de eſſentia & ſubſtantia priuilegij Apoſtolici, ſimpliciter & abſolute, ſed neceſſaria ad ipſius comprobationem. Ad quod propoſitum facit, quod dixit Bald. quod ſi Papa verbo tenus aliquem pronuntiaret Epiſcopum ſeu Abbatem, ſtatim eſſet Epiſcopus, ſeu Abbas, ſed inquit quod eiuſmodi pro Prælatis non debent recipi, niſi gratiam probent per literas Apoſtolicas, aliàs enim tam recipientes, quam ſe ingerentes, grauesincurrunt pœnas, vt conſtat ex Extrauagante Bonifacij Octaui, quæ incipit, *iniuſſe, de elect.* quæ habetur intercommunes, vbi hoc ſtrictiſſime cauetur. Quod & feciſſe quammaxime fuit rationi conſonum, quodſcilicet priuilegia omnia per ſcripturam & bullas comprobaretur, nec aliter crederetur cuilibet aſſerenti & dicenti ſe aliquod habere priuilegium. Etenim ſi omnibus viuæ vocis oraculis, adhibenda eſſet eadem fides, quæ literis Apoſtolicis datur, magnæ fraudes & doli in hiſce rebus poſſent contingere, ſicut & cõtigerunt tempore Sixti Quarti, vt conſtat ex quadam ſua Extrauaganti quæ incipit, *Etſi dominici, de pœnitent. & remiſſ.* vbi hac de re agitur. Quam quidem ob cauſam, omnes facultates & gratias à ſe factas prædictus Pontifex reuocauit, niſi ex ſpeciali licentia, atque ex certa ſcientia ipſius fuiſſent emanatæ, de qua etiam licentia conſtaret cum ſignatura ipſius deſuper manuſcripta. Addens quod contrarium facientes, excommunicationem ipſo facto incurrerent, à qua à nemine præterquam à Romano Pontifice poſſent abſolui, niſi in mortis articulo fuerint conſtituti. Eapropter interdum à Regularibus reperiuntur impetrata ſpecialia priuilegia, quibus conceditur, vt viuæ vocis oraculis, etiam ſine bulla & ſcriptura, plena fides poſſet adhiberi, eiſdemque vti ipſi ſaltim in foro conſcientiæ. Ad quod propoſitum reperiuntur duo priuilegia Leonis Decimi, quæ habentur in Supplemento, folio 58. conceſſione 161. & referuntur in Compendio, *verbo, oracula viuæ vocis*, §. 1. & 2. vbi dicitur, *quod ſupradictus Leo Decimus conceſſit Fratri-*

Interdum admittitur priuilegij probatio per teſtes.

bus Minoribus Regularis Obſeruantiæ, quod ſecura conſcientia vti poſſint omnibus ſibi conceſſis à Sede Apoſtolica & Romano Pontifice, ſiue per Bullas, aut breuia aut viuæ vocis oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur, ac ſi omnia ſpecifice fuiſſent tunc expreſſa, & pro maiori conſciẽtiarum ſecuritate omnia de nouo conceſſit.

Item idem Leo X. conceſſit, quod non ſint minoris efficaciæ & valoris viuæ vocis oracula, quam ſi per bullam aut breue ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa, & hoc in foro conſcientiæ tantum. Hæc vbi ſupra. Et præter ſupradicta duo priuilegia, fertur etiam aliud priuilegium Iulij II. conceſſum Fratribus Eremitis S. Auguſtini, prout in eorum Monum. continetur, quo conceſſit eiſdem, *quod omnia priuilegia facta Ordinibus Mendicantibus, & illis qui ſuis priuilegijs gaudent, per ſe ſiue per communicationem, ſiue ſint facta in forma breuis, ſiue per ſupplicationem expedita, in quibus placuit, vt ſigna tura ſola ſufficeret, eandem omnino vim & efficaciam habeant, tam in iudicio, quam extra iudicium, ac haberent ſi plumbeo ſigillo eſſent conſignata.* Id quod & conceſſiſſe eiſdem dicitur ſupradictus Leo X.

ARTICVLVS V.

Vtrum appellatione priuilegij, veniat etiam intelligenda immemorialis poſſeſſio aut conſuetudo?

Concluſio.

Priuilegij nomine, intelligẽda etiã veniit poßeſſioſi ac immemorialis cõſuetudo.

APpellatione priuilegij etiam venit intelligenda poſſeſſio, ſiue immemorabilis conſuetudo, ſi ea ſit tanti temporis decurſus, vt ipſius initij nulla extet hominũ memoria. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videndum eſt, *cap. ſuper quibuſdam, §. præterea, de verbor. ſignificat. & cap. nouit iuncta gloſſ. verbo, conſuetudo, de iudic.* vbi conſuetudo & priuilegia æquiparantur. Facit & *l. hoc iure, §. ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æſti.* vbi habetur quod conſuetudo immemorialis, vim habet conſtituti & priuilegij, & quod per illam probatur præſumptiue, quilibet titulus allegatus pro illa. Videatur hac de re Nauarr. lib. 3. conſil. de regul. conſ. 15. nu. 4. vbi ad idem propoſitum dicit, quod poſſeſſio & conſuetudo immemorialis vim habet priuilegij, ita quod qui allegaret aliquid ſibi competere ex Papæ priuilegio, ad quod probandum literas Apoſtolicas non haberet, probando conſuetudinem immemorialem, probaret titulum & priuilegium à ſe allegatum ſecundum omnes, pro quo allegat prædictam *l. hoc iure, & d. cap. ſuper quibuſdam.* Idem omnino dicit eod. lib. 3. conſil. tit. de de cenſ. conſil. 3. num. 2. Facit & ad hoc *ca. hæc quippe, 3. q. 6.* Aduertendum tamen eſt, quod conſuetudo ad hoc vt vim priuilegij habeat, debet eſſe præſcripta, hæc enim proprie dicitur conſuetudo, vt habetur in *cap. Cumana, de electio.* Quæ vero dicatur conſuetudo præſcripta, tradit gloſſ. in l. 2. & Bald. in Rubr. *C. quæ ſit longa conſuet.* & Sylue. *verb. conſuet.* q. 2. & nos diximus ſupra, q. 28. per plures art. Quorum quidem omnium ſupradictorum ratio eſt, nã eiuſmodi tẽporis præſcriptio, conſuetudo & poſſeſſio ex certa ſcientia Principis, quaſi quoddam ipſius ſolemne priuilegium eſſe videtur, ac pro tali communiter æſtimari ſolet, vt tradit Decius, in dicto *c. ſuper quibuſdam, de verb. ſignific.* & eſt generalis omnium Iurisconſultorum reſolutio.

ARTICVLVS VI.

Priuilegium Apoſtolicum quando valere incipiat, & an ad hoc vt valeat, neceſſum ſit quod promulgetur?

Circa hanc quæſtionem magna eſt lis & controuerſia inter Iuriſperitos, an ſcilicet priuilegium ſtatim quod concedi tur, omnes ſuos operetur effectus, & liget etiam ignorantes? à cuius ampliori tractatione breuitatis gratia cõſulto ſuperſedeo, nõ enim licet per tẽpus ex profeſſo omnia pertractare, vnde omiſſis varijs dicendi modis, propoſito articulo reſolutiue reſpondeo per ſequentem concl.

Concluſio.

Quando ſtatutũ in fauorem priuilegiati, merũ cõtinet priuilegiũ neque vergit in alicuius præiudiciũ, ſolus priuilegiati ſcientia ſufficit ad hoc vt omnẽ ſuũ operetur effectũ.

QVando ſtatutum in fauorem priuilegiati, merum continet priuilegium, nec reſpicit præiudicium alterius, ſola ſcientia priuilegiati ſufficit ad hoc, vt omnem ſuum operetur effectum. Hanc concluſionem tenet Sylueſt. *verb. priuil.* q. 16. & ponit exemplum de priuilegio Apoſtolico conceſſo alicui vt non excommunicetur. Et dicit eã eſſe Gemin. & aliorum quos ipſe refert in *cap. 1. de conceſſ. præb. lib. 6.* vbi dicit priuilegium incipere ſtatim poſt bullationem, hoc eſt poſtquam quis per ſe, aut per procuratorem ad hoc datum, priuilegium aliquod impetrauit, nam ex quo concurrit voluntas concedentis & impetrantis, ſtatim habet efficaciam, etiam ſi aliqui habentes ius in eodẽ priuilegio hoc ignorent, quia poſſunt eſſe plures. Ad quod propoſitum facit illud, quod dixit Bartolus in *l. omnes populi, ff. de juſt. & jur.* nempe quod ſtatutum priuilegiatiuum ligat etiam ignorantes, & quod ſtatim quod conceditur, omnes ſuos operatur effectus, quod eſt intelligendum quantum ad ius quæſitum, quod ex tunc eiuſmodi priuilegiatus habet & poteſt poni exemplum in legatario, cui abſenti ſtatim eſt ius quæſitum, ad ea quæ cõtinentur in legato. Supradicta omnia inquit prædictus Sylu. eſſe intelligenda, quando quis per ſe vel per Nuntium impetrat priuilegium: ſed tamẽ quando Papa ex proprio motu vel ad inſtantiam alterius priuilegium aliquod concedit, tunc niſi appareat de contraria voluntate concedentis, priuilegiatus non gaudebit beneficio priuilegij, niſi poſtquam ad ipſum peruenerit, quod inquit tenere videntur Innocent. & Oſtienſis, vt latius tractat idem Sylueſter, *verbo, renuntiatio, q. 4.* Hactenus de iſto Articulo & tota Quæſtione.

QVEST.

QVAESTIO XLII.

De priuilegijs quantum ad ſuam validitatem, innouationem, ſiue cõfirmationem, in ſeptem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Fratrum Minorum & Prædicatorum priuilegia hucuſque confirmata ſemper fuerint, per omnes ſummos Pontifices?

MAtiſſima atque ampliſſima eſt huius Articuli materia, & quæ longam requirebat tractationẽ, quã proinde paucis libuit perſtringere breue quoddam faciendo Sũmarium, confirmationum priuilegiorum, quæ à principio inſtitutionis Prædictorum ſacrorum Ordinum facta fuere à Romanis Pontificibus, & hoc quibuſdam appoſitis Cõcluſionibus. Quod quidẽ facere de nobis Fratribus Minoribus, haud quaquam nimium erit difficile, cum in noſtris monumentis á Patribus antiquis factum reperiatur, Memoriale quoddam ſeu Summarium Pontificale, in quo referuntur per ordinem, omnes conceſſiones quæ noſtro ſacro Ordini ſpecialiter ſunt factæ, à diuerſis ſummis Pontificibus, per longum annorum curriculum, à tempore Innocentij III. ſub quo anno 1208. ſacra noſtra incepit Religio, ſedque incidenter dicentur multa circa confirmationem priuilegiorum conceſſorũ Ordini Prædicat. nam hæ duæ ſacræ Religiones, vti notum ac peruium eſt, cœperunt & floruerunt inſimul, & in ſancta Dei Eccleſia magnos ſemper fecere progreſſus. Hæc in præſenti Articulo, in ſequenti vero id ipſum fiet, ſi non ita in particulari ſaltim in communi, circa confirmationem priuilegiorum aliarum Religionum, ſed maxime Mendicantium. Omnes enim, vt ex earundem conſtat Monumentis, à principio ſuarum inſtitutionum, à ſummis Pont. honorari & cõdecorari cœperũt, nõ ſolum honorificis titulis, verũ etiã vti paratæ, in numeris multũq; fauorabilibus priuilegijs. Vt igitur vndẽ digreſſi ſumus reuertamur, & quod promiſimus impleamus, ſit prima concluſio.

Prima Concluſio.

... litõ firmauit Fratrum Prædicatorũ & Minorum priuilegia.

ALex. Papa IIII. qui præfuit Eccleſiæ, poſt ſpradictũ Inn. III. & Honor. III. Greg IX. Cæl. IIII. Inno. etiam IIII. anno Dominicæ Incarnationis 1254. Pontificatus ſui anno primo, quadam ſua Bulla quæ incipit, *Patris æterni benignitas*, data Neapoli, 5. Idus Aprilis Põtificatus ſui anno primo, & habetur in Mon. Ord. 1. impr. fol. 22. & 2. f. 24. Cõc, 11. & refertur in Compen. verb. *priuilegia Fratrum.* §. 3. *præcepit Eccleſiarum Prælatis, vt permitterent Fratres Minores & Prædicatores, vti ſuis priuilegijs & Indulgentijs atque Regularibus obſeruantijs, & Statutis per ſedem Apoſtolicam approbatis.*

Idem Alex. IIII. in alia ſua Bulla, quæ incipit, *Merita veſtræ Religionis*, data Pontificatus ſui anno 6. & habetur in ſupplem. f. 115. con. 509. & refertur in Comp. vbi ſupra §. 4. *Decernit irritas & inanes eſſe omnes ſententias, quas Archiepiſcopi, Epiſcopi & Prælati, Rectores & Clerici ferre præſumpſerint, contra Fratres Ordinis Prædicatorum, ſeu in eorum aliquem aut in loca eorum, ſeu quoſcumque alios, occaſione ipſorum Fratrum, cõtra indulta conceſſa Ordini præfato a ſede Apoſtolica, vel in poſterum concedenda.*

Secunda Concluſio.

CLemens IIII. qui præfuit Eccleſiæ anno Domini 1265. Pontificatus ſui anno 4. in quadam alia ſua Bulla, quæ fuit data Viterbij 9. Iulij, Pontificatus ſui anno 4. & habetur in monumentis impreſ. fol. 30. & 2. f. 31. conceſſ. etiam 31. & refertur in Comp. vbi ſupra §. 5. *Inhibuit diſtricte, omnibus Eccleſiarum Prælatis, ne interpretari præſumant priuilegia & indulta, conceſſa Fratribus Minoribus & Prædicatoribus, ſiue clara quæ interpretatione non indigent, ſiue dubia contineant. Et volens quod interpretatio ſuper huiuſmodi dubijs & obſcuris, reſeruetur ſedi Apoſtolicæ, cum eius ſit ius interpretari, cuius eſt condere.*

Clemẽs quartus confirmauit Fratrum Prædicatorũ & Minorum priuilegia.

Tertia Concluſio.

EVgenius IIII. qui præfuit Eccleſiæ anno Domini 1431. Pontificatus ſui anno 9. in quadam alia ſua Bulla, quæ incipit. *Sacræ Religionis ſinceritas*, data Florentiæ. 5. idus Aprilis Pontific. ſui anno 9. & habetur in ſupplem. fol. 75. conceſſ. 25. & refertur in Compendio vbi ſupra. §. 6. *Conceſſit Fratribus Ordinis Prædicatorum, quod virtute quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, conceſſarum & concedendarum, non poſſit vllo modo præiudicari ſeu derogari priuilegijs prædictorum Fratrum, niſi de ipſo Ordine & de eiuſmodi litteris fiat de verbo ad verbum expreſſa mentio.*

Eugen. quartus confirmauit Fratrum Prædictorũ priuilegia.

Quarta Concluſio.

SIxtus IIII. qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1471. Pontificatus ſui anno 1. in quadam alia ſua Bulla, quæ aliàs dicitur Mare magnum, & incipit, *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ*, data Romæ apud S. Petrum, pridie kalend. Septembr. Pontificatus ſui anno 4. & habetur in Monum. 1. impr. fol. 59. & 2. f. 1. 142. conc. 343. & refertur in Com. vbi ſup.

Sixtus quartus confirmauit Minorum Fratrum priuilegia.

§.10. *Motu proprio & ex certa ſcientia, Autoritate Apoſtolica approbrãt, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decreuit, omnia, & ſingula priuilegia, per quoſcumque ſummos Pontifibes prædeceſſores ſuos, ordini fratrum Minorũ, & illius domibus & profeſſoribus in genere, ſub quacũque verborum forma conceſſa, ac pro potiori cautela, omnia & ſingula prædicta de nouo conceſsit, & indulſit.*

Idem Sixtus IIII. in eodem Mari magno, *diſtricte inhibuit Prælatis ordinarijs locorum, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ & ſuſpenſionis á regimine & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ac Rectoribus Eccleſiarum, & alijs quibuſcumque, ſub excomunicationis latæ ſententiæ, & priuationis earundem Parrochialium Eccleſiarum, ac omnium aliorum Eccleſiaſticorum Beneficiorum, quæ obtinuerint, nec non inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda pœnis, eo ipſo per eorum qui contrafecerint incurrendis, ne Ordines Fratrum Prædicatorum & Minorum, & illorum Domos, & Profeſſores, præter aut contra priuilegia & indulta Rom. Pon. quorunc ũque prædeceſſ or etu ſdem Sixti, vel contra ſuarum litterarum tenorem inquietare ſeu moleſtare præſumant.* Habetur in monumento Ordinis 1. impre. 61. & 2. fol. 155. Conc. 355. & refertur in Comp. vbi ſupra §. 11.

Item idem Sixtus IIII. in alia quadam ſua Bulla, communiter Aurea nuncupata, edita Romæ apud ſanctum Petrum 7. kalendis Auguſti, Pontificatus ſui anno 8. quæ incipit *Sacri Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordines*, & habetur in monumentis 2. impreſ. fol. 148. & ſuppl. fol. 150. conc. 308. & refertur in Compendio vbi ſupra §. 12. prope finem, *poſuit graues pœnas & cenſuras, contra quaſcumque perſonas, inhibentes ſeu impedientes, quominus Fratres Ordinum Prædicatorum & Minorum, vtantur libere priuilegijs & gratijs ſibi conceſsis*, & ponit ibidem non obſtantias notabiles, & poſtea quodam viuæ vocis oraculo, *confirmauit omnia priuilegia ab eodem, vel à Prædeceſſoribus ſuis conceſſa Ordini Fratrum Minorum, & præſertim contenta in Bulla eiuſdem, quæ incipit, Regimini vniuerſalis Eccleſiæ, non obſtantibus quibuſcumque litteris poſtmodum ordinatis a ſuæ ſanctitate, præſertim illis quæ incipiunt, Super curã gregis Dominici.* Habetur hæc conceſſio in monument. Ordinis 2. impr. fol. 68. Conceſſ. 127. & refertur in Compendio vbi ſupra §. 7. & in ſequenti §. 8. refertur etiam quod idẽ Sixtus, *confirmauit omnia preuilegia a ſua ſanctitate vel a ſuis prædeceſſoribus conceſſa Ordini Minorum, excepiis indulgentijs generalibus, quoad viſitantes loca Fratrum vel ſororũ, & hoc de conceſsis in genere. Addendo quod non intendit ſua ſanctitas, quod Indulgentiæ prædicto Ordini conceſſæ pro perſonis Fratrum, ſiue ſint generales ſiue non reuocentur per quaſcumque litteras Apoſtolicas, etiã Cruciata, & idem de alijs priuilegijs, niſi in talibut litteris Apoſtolicis fiat expreſſa mentio de indulto huiuſmodi, & ordine prædicto.* Habetur in mon. Ord. 1. imp. f. 64. & 2. f. 68. Conc. 137. & refertur in Com. vbi ſupra.

Quinta Concluſio.

Iulius II. confirmauit Fratrum Minorũ priuilegia.

IVlius II. qui præfuit Eccleſiæ anno Dom. 1503. quadam ſua Bulla, data Romæ apud S. Petrum 15. Kalendas Iunij, Pontificatus ſui anno 1. ad inſtantiam Chriſtianiſſimorum Regum Ferdinandi &, Eliſabeth, quæ incipit, *In militantis Eccleſiæ agro, Fratrum minorum Regularis obſeruantiæ priuilegia confirmauit omnia, per ſuos Prædeceſſores conceſſa, cum magnis clauſulis, executionem prædictæ ſuę Bullę atque confirmationis, Archiepiſcopo Compoſtellano & Epiſcopo Pacenſi, & Archidiacono Salmantino committendo*, quæ habetur originaliter in noſtro Salmanticenſi, D. Franciſci Conuentu, & refertur in Bullario magno ſeu noua compilatione Priuilegiorum, nunc denuo Salmanticæ impreſſa, anno 1605.

Sexta Concluſio.

Leo X. cõfirmauit Fratrũ Minorũ priuilegia.

LEo X. qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1513 quodam viuæ vocis oraculo, conceſſit, *quod Fratres Minores Regularis Obſeruantię, ſecura conſcientia poſsint vti omnibus eis conceſsis à Sede Apoſtolica & Romanis Pontificibus, ſiue ſint Bullę vel breuia, aut viuę vocis oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur, ac ſi omnia fuiſſent præfato ſummo Pontifici expreſſa, & pro maiori conſcientiarum ſecuritate, omnia præfata priuilegia de nouo conceſsit, voluitque etiam ſi non ſit minoris efficaciæ & valoris viuæ vocis oracula, quam ſi per Bullam aut Breue ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa, ſed hoc in foro conſcientiæ tantum.* Habetur in Supplemento, fol. 58 conc. 191. & refertur in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 22. Idem Leo conceſſit, *quod virtute Bullarum Cruciatæ contra infideles, vel aliarum indulgentiarum generalium, quaſcumque reuocationes aut ſuſpenſiones priuilegiorum Ord. etiã Mendicantium continentes, nunquam intelligantur reuocata nec ſuſpenſa, indulta, priuilegia & gratiæ conceſſæ, quoad perſonas Fratrum Minorum Obſeruantiæ, & quoad ſuſpendendum interdictum in feſtiuitatibus Sanctorum ſui Ordinis, niſi de his ſpecifice & nominatim mentionem facerent.* Habetur in Supp. fol. 60. con. 177 & refertur in Comp. vbi ſupra, §. 23.

Idem Leo poſtquam in Concilio Later. moderauit ſeu reuocauit in aliquibus rebus priuilegia Fratrum Mendicantium, declarauit, quod omnia & ſingula priuilegia prædictorũ Fratrum Mendicantium, qualitercumque eis conceſſa, permanſerũt & permaneant in ſuo robore, exceptis illis in quibus fuerunt moderata ſeu reuocata, & ad abundãtiorem cautelam, priuilegia prædicta cum dictis modificationibus Motu proprio innouauit, ac diſtricte præcepit & mandauit Eccleſiarum Prælatis vt Religioſos præfatos, ſuper alijs priuilegijs non modificatis, moleſtare non præſumant, ſed ſua eis iura & priuilegia inuiolabiliter obſeruent. Habetur in quadam ſua Bulla, quæ incipit, *Superioribus diebus*, data anno Domini 1517. Pont. ſui anno 5. quę ponitur in Supp. fol. 27. conc. 88. & refertur in Cõpend. §. 27. & in ſequenti §. 28. dicitur, quod idem Leo poſtea *reualidauit ac in priſtinum reduxit ſtatum, omnia priuilegia Fratrum Minorum Obſeruantiæ, quoad forũ conſcientię tantum, & hoc ſolum oraculo viuę vocis.* Habetur etiam in eodem Compend. *verbo, Concilium*, § 7. vbi & ad vnguem ponitur eiuſmodi reualidatio & prædictorum priuilegiorum reſtitutio, & duo Collectoris notabilia ad hoc propoſitum quãmaxime notatu digna. Quinvero & in eodem Comp. vbi ſupra, §. 29. & *verbo, communicatio priuil.* §. 20. habetur quod idem Leo reualidauit omnia ſupradicta priuilegia, etiam quoad forum iudiciale, de quo videatur priuilegiorum Collector, vbi ſupra.

Septima

Septima Concluſio.

Clemẽs VII. cõfirmauit fratrum Minorũ priuilegia.

CLemens Septimus, qui præfuit Eccleſiæ Anno Domini 1523. quadam ſua Bullu, quæ refertur in compendio verbo, *priuilegia Fratrum*, §. 32. & verbo, *communicatio priuilegiorum* §. 19. & incipit, *Dũ fructus vberes*, data anno Domini 1525. *Motu proprio & ex certa ſcientia, omnia & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, indulgẽtias, peccatorum remiſſiones & gratias, ac omnia & ſingula indulta, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ, & ſanctæ Clarę ac tertio de pœnitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, ſororibus, virique ſexus perſonis ac Monaſterijs, Domibus Eccleſijs & locis quibuſcumque, etiam per modum extenſionis ſeu communicationis, & alias quomodolibet quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ac per ipſum & ſedem Apoſtolicam conceſſa, auctoritate Apoſtolica approbauit ac innouauit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obſeruari debere decreuit. Non obſtantibus quibuſcũque litteris Apoſtolicis, per quoſcumque Romanos Pontifices, etiam Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum quibuſuis irritatiuis, annullatiuis, caſſatiuis, renocatiuis, modificatiuis clauſulis.*

Octaua Concluſio.

Iulius III. cõfirmauit Fratrum Minorũ priuilegia.

IVlius III. qui præfuit Eccleſiæ anno Domini 1550. in quadam etiam ſua Bulla, quæ incipit. *Dum Regularis vitæ ſtudium*, data Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris Pontificatus ſui anno primo, & refertur in Bullario magno ſeu noua recompilatione priuilegiorum Apoſtolicorum Regularium facta Salmanticæ. *conceſſit & confirmauit, omnia & ſingula priuilegia immunitates, exemptiones, etiam ab Inquiſitoribus, libertates, prærogatiuas, fauores, conſernatorias, declarationes, facultates, gratias, & conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia & temporalia, etiam per modum communicationis & extenſionis, fa ta. rdini Fratrũ Minorum, & ſanctæ Clarę ac tertio de pœnitentia nuncupato ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus & ſororibus, ac virique ſexus perſonis & monaſterijs, Domibus, Eccleſijs, & locis quibuſcumque, in genere & in ſpecie, prout latius ibidem continetur, non obſtãtibus quibuſcumque, &c.* Sed notandum eſt, quod quæ de Inquiſitoribus dicũtur fuerũt poſtmodũ reuocata quod, multũ oportet adnotare & aduertere.

Idẽ Iul. III. cõfirmauit fratrum Prædicatorum priuilegia.

Idem Iulius, in alia ſua Bulla quæ incipit, *In ſacra B. Petri ſede*, data Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die decima Iulij, anno Domini 1551. Pontificatus ſui anno ſecundo, fere ſub eiſdem verbis, cõfirmauit priuilegia ordinis Prædicatorũ, prout latius ibidẽ cõtinetur, & habetur in ſuprædicto Bullario.

Nona Concluſio.

Paul. IIII. cõfirmauit Fratrũ Minorum priuilegia, & Monialiũ S. Clarę ac Terciariorum.

PAulus IIII. qui præfuit Eccleſiæ anno Domini 1555. in quadam alia ſua bulla, quæ incipit, *Ex Clementi ſedis Apoſtolicæ proniſione*, data Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo piſcatoris, die prima Iulij, anno Domini 1555. Pontificatus ſui anno primo, confirmauit omnia priuilegia Fratrum Minorũ de Obſeruantia, Monialiumque ſanctæ Clarę, nec *non Fratrum de pœnitentia nuncupatorum, per alios ſummos Pontifices prædeceſſores ſuos conceſſa, cum maguis clauſulis & derogatorijs*, prout latius ibidem continetur, & habetur in Bullario ſupradicto.

Decima Concluſio.

Pius etiã IIII. cõfirmauit ſupradicta omnia priuilegia

PIus etiã Papa IIII. qui præfuit Eccleſiæ anno Domini 1560. in quadam alia ſua Bulla, quæ incipit. *Ex clementi Sedis Apoſtolicæ proniſione*, data Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 27. Aprilis anno Domini 1561. Pont. ſui anno 2. eadem priuilegia ſimiliter confirmauit, ac ſub eiſdem fere ſimilibus verbis, vt latius patet ibidem, & habetur in Bullario ſupradicto. Quamuis poſtea in alia Bulla, quæ incipit, *in Principis Apoſtolorũ* poſita in confirmatione Conci. Trid. reuocauerit omnia priuilegia, quæ contrariantur Conci. Trid.

Vndecima Concluſio.

Pius V. cõfirmauit omniũ Mendicantiũ priuilegia.

PIus etiam V. qui præfuit Eccleſiæ anno 1566. in quadã ſua Bulla, quæ incipit, *Etſi Mendicantium*, data Romæ apud S. Petrum, anno Domini 1567. 17. Kalendas Iulij, Pontific. ſui anno 2. eadem priuilegia & omnium Mendicantium ſimiliter confirmauit, cum nouis quibuſdam conceſſionibus, & certis declarationibus, decretis & inhibitionibus ſpectantibus ad obſeruantiam Concil. Trident. prout latius ibidem continetur, & habetur in Bullario ſupradicto.

Duodecima Concluſio.

Greg. XIII. confirmauit omnia Fratrũ Minorũ priuilegia, & Monialiũ S. Clarę & Terciariorum.

GRegorius etiam XIII. qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1572. in quadã alia ſua Bulla, quæ incipit, *Ex benigna Sedis Apoſtolicæ proniſione*, data Romæ, apud S. Petrum, die 21. Menſis Martij, anno Domini 1575. Pontific. ſui anno 3. *eadem Fratrum Minorum priuilegia confirmauit, & Monialium S. Clarę, ac tertij Ordinis de pœnitentia, quatenus ſunt in vſu, & ſacris Canonibus, & Decretis ſacri Conc. Trid. non aduerſentur*, prout latius ibidem continetur, & habetur in ſupradicto Bullario. Qui etiam antea in alia ſua Bulla, quæ incipit. *In tanta rerum & negotiorum mole*, data Romæ apud S. Petrum, anno Domini 1573. Kalẽdis Mart. Pont. ſui anno 1. omnia prius per Pium V. conceſſa Fratribus Mendicantibus reuocauerat & ad terminos iuris communis ac Decreta Concilij Tridentini prædicti reduxerat.

Tertiadecima Concluſio.

Sixtus V. confirmauit ſupradi. omnia priuilegia.

SIxtus etiam V. qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1585. in quadam alia ſua Bulla, quæ incipit, *Mendicantium Ordines*, data Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die tertia Octobris, anno 1587. Pontificatus ſui anno tertio, *ſupradicta Minorum Fratrum de Obſeruantia, Monialium Sanctæ Clarę, necnon Fratrum de pœnitentia nuncupatorum, priuilegia confirmauit, & innouauit, & omnes facultates & gratias per alios ſummos Pontifices prædeceſſores ſuos illis cõceſſas, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſeruanda voluit, in omnibus in quibus Conc. Trident. Decretis non aduerſantur*, vt fecerat ſupradictus Gregor. ſubticẽdo tamẽ illa verba, *quatenus ſunt in vſu,*

prout latius ibidem patebit. Habetur in Bullario ſupradicto.

Quartadecima Concluſio.

Clem. VIII. confirmauit etiam ſupradicta priuilegia.

CLemens etiam VIII. qui præfuit Eccleſiæ, anno Domini 1591. in quadam ſua Bulla, quæ incipit, *Ratio paſtoralis officij, data Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo piſcatoris die 20. Decembris, anno Domini 1597. Pontificatus ſui anno 6. confirmauit etiam omnia priuilegia Fratrum Minorum de Obſeruantia, Monialiumque Sanctæ Clarę, necnon Fratrum de pœnitentia nuncupatorum per ſummos Pontifices prædeceſſores ſuos conceſſa, ex certa ſcientia, in his omnibus in quibus decretis Conc. Trid. non aduerſantur*, prout latius patet in dicta Bulla, quæ habetur in ſupradicto Bullario.

Quintadecima Concluſio.

S. D. N. Paulus V. etiam omnia noſtra priuilegia confirmauit.

SAnctiſſimus demum. D. N. Paulus V. quem Deus Opt. M. in plures annos incolumem conſeruet, qui & præeſſe Eccleſiæ cœpit, anno Domini 1605. Pontificatus ſui anno 5. ſimiliter noſtra Minorum priuilegia confirmauit, quadam ſua Bulla, quæ incipit, *Iniuncti nobis Paſtoralis*, & hic eſt ſtatus in quo ſunt nunc Minorum Fratrum priuilegia, & idem omnino eſſe credo de priuilegijs Fratrum Prædicatorum, quorum confirmationes & approbationes, hucuſq; ad manus habere non potui, ſic que eas tantummodo adduxi, quæ in antiquis monumentis Ordinum erant appoſitæ, & quæ de nouo continentur in prædicto Bullario. Hæc de iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliarum etiam Religionum priuilegia, fuerint per ſummos Pontifices confirmata?

Concluſio.

Mendicantiũ priuilegia, cõfirmata etiam ſunt per plures ſummos Pontifices.

ALiarum etiam Religionum ſed maxime Mẽdicantiũ priuilegia, varijs atque diuerſis tẽporibus per ſummos Pontifices conceſſa, etiam ſunt ſemel & iterum ab eorũ ſucceſſoribus approbata & confirmata. Hæc concluſio non aliter poſſet probari, quam afferendo in particulari priuilegiorũ omnium approbationes & confirmationes. Sed quia id non per tempus licet, immenſumq; eſſet onus & pondus humeris meis impar, contentus ero dicere, quod fere Religiones omnes ſed maxime Mẽdicantes, circa hanc priuilegiorum materiam, ſingulæ ſuũ habent Mare magnũ, quod dicitur quoddam volumen, in quo mixtim ſiue confuſe continetur compilatio multorum priuilegiorum, cuilibet earundem diuerſis temporibus, à varijs & diuerſis pontificibus conceſſorum, in quo eiuſdem compilator confirmat priuilegia, colligendo & referendo ea, quæ fuerunt ſuorũ prædeceſſorũ, & addendo atque adducendo ſua propria. Sicque pro nobis Fratribus Minoribus Alexander IIII. Innoc. etiam & Clemens. IIII. Honorius IIII. Bonifacius VIII. & Eugenius IIII. ſinguli fecerũt ſuum mare magnum, vt videre licebit in Ordinum monumẽtis 2. impreſ. fol. 139. & refertur in Comp. diuerſis in locis, vbi pro nobis Fratribus Minoribus Sixtus IIII. colligendo omnia prædictorum Pontificũ priuilegia, & inſuper plura addẽdo de ſuo, edidit mare magnum quod communiter circunfertur, & incipit, *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ*, de quo diximus ſupra. Pro Fratribus autem Prædicatoribus, ſuum etiam mare magnum fecit Greg. XI. & Eug: IIII. & tandem dictus Sixtus IIII. qui prædictorum Põtificum etiam priuilegia recollegit, *fuit edita prædicta Bulla, Romæ apud ſanctum Petrum*, anno Domini 1474. pridie kal. Septembris, Pontificatus ſui anno 4. & incipit, *In nomine Domini*, & habetur in ſupradicto Bullario nuper edito Salmanticæ, & refertur ſummarie in ſuppl. f. 131. Pro fratribus etiam Auguſtinenſibus, ſuum etiam mare magnum fecerunt, Innoc. IIII. Eug. IIII. Nicol. III. & tandem Sixt. IIII. quod incipit, *Dum fructus vberes*, datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Domini 1474. 7. Idus Febr. pontificatus ſui anno 4. & habetur in ſupradicto Bullario. Pro Carmelitis etiam fecit mare magnũ, ſupradictus Sixtus IIII. quod incipit, *Dum attenta meditatione*, datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Dominicæ incarnationis, 1476. 4. kalend. Decẽb. Pontificatus ſui anno. 6. quod etiam habetur in ſupradicto Bullario, qui quidem ſupradicti ſunt quatuor ordines, qui communiter atque à principio dicti ſunt Mendicantes, quibus poſtmodum additus eſt Ordo Minimorũ, pro quibus Iulius II. proprium ſuum etiam fecit mare magnũ, quin vero duo hac de re priuilegia ab eodem Iulio, eadem die reperiuntur illis fuiſſe conceſſa, quorum alterum habetur, in ſuppl. f. 4. & incipit. *Dum ad ſacrum Ordinem Minimorũ*, datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1506. 5. kalen. Auguſti, Pontificatus ſui anno 3. aliud vero habetur in Bullario magno Salmanticæ nouiter impreſſo, & incipit, *Virtute conſpicuos*, datum eodẽ die, & anno. Quam ob cauſam id ipſum fuerit effectum, omnino mihi latet, Solummodo dico, quod vtrobique multa & varia priuilegia, pro dictis Minimis continentur, vt patebit intuenti.

Quidnã dicatur mare magnum.

De priuilegijs aliarum Religionum, & eorũ cõfirmatione & approbatione, nihil libet in præſentiarum dicere, quia opus eſſet immenſum, atque vt videtur interminabile, & quia omnia eiuſmodi priuilegia, quæ hucuſque ad meas manus peruenire potuerunt, iam in proprijs quibuſq; locis ſunt allata, explicata & declarata, prout rerũ dicẽdarũ exigebat ordo Hactenus de priuilegiorũ cõfirmatione.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum omnia Regularium priuilegia, quæ sunt contra sacros Canones, aut contra sacri Concilij Trid. Decreta. sint per idem Concilium & per summos Pontifices, abrogata & reuocata?

Nota quod omnia Regularium priuilegia in quibus Cõcic. Trid. non contraditunt per ipsum sũt confirmata.

PRo huius Articuli intelligentia, vt certa ab incertis seperemus, aduertere oportet quam maxime, quod omnia Regularium priuilegia in his in quibus contrariantur Decretis prædicti Concil. Trident. per idem Concilium sunt approbata & confirmata, per illa verba quæ habentur sess. 25. de refor. cap. 20 vbi dicitur, *in cæteris omnibus, præfatorum Ordinum priuilegia & salualtates, quæ ipsorum personas, loca & Iura concernunt, firma sint & illesa.* Sed difficultas est, an priuilegia omnia quæ continent aliquid contra sacros Canones, seu contra aliqua Decreta prædicti Cond. Trident. per ipsum & summos Pontifices, sint abrogata & reuocata? Qua de re sunt deæ extremæ opiniones. Prima affirmat, secunda vero negat, & qui tenent omnia prędicta priuilegia esse reuocata, sequentibus innituntur fundamentis.

Prima opinio & sententia.

Primo nam in eodem Concilio, supradicta sess. 25. cap. 22. de reformatione, habentur sequentia verba. *Hæc omnia & singula, superioribus Decretis contenta, obseruari sancta Synod. præcipit, in omnibus Cœnobijs ac monasterijs, Collegijs & Domibus quorumcumque Monachorum ac Regularium, nec non quarumcumque sanctimonialium Virginum ac Viduarum, etiam si illæ sub gubernio militiarum etiam Hierosolymitanæ viuant, & quo cumque nomine appellentur, sub quarumcumque Regula vel Institutionibus, & sub custodia & gubernatione, vel quauis subiectione aut annexione, vel dependentia cuiuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, vel aliorum Regularium Monachorum, aut Canonicorum quorumcumque, non obstantibus eorum omnium & singulorum priuilegijs, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus & Regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus vel præscriptionibus etiã immemorabilibus.*

Secundo probant id ipsum, quia Pius IIII. in quadam sua Bulla, de qua mentionem fecimus supra, posita in fine præfati Concilij Tridentini quæ incipit, *In principis Apostolorum, data Romæ apud S. Petrum, anno Dominicæ Incarnationis* 1565. 13. *Kalend Martij, Pontificatus sui anno 6.* confirmando prædictum Concilium, *reuocat motuproprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula priuilegia exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conseruatorias, indulta, confessionalia, mare magnum & alias gratias, in his omnibus & singulis, in quibus illa, statutis & decretis eiusmodi Concilij contrariantur, ac ipso iure reuocata cassata & annullata, ad ipsius Concilij terminos atque limites reducta sint, & esse censeantur, neque quidquam aduersus ipsa decreta & statuta, quo minus vbique & apud omnes obseruentur in aliquo suffragari posse sed ea proinde haberi & reputari debere, ac si nunquam emanassent, auctoritate Apostolica declarauit, statuit & ordinauit.*

Tertio probatur id ipsum, quia licet Pius V. eiusdem successor, in quadam alia sua Bulla, de qua etiam mentionem fecimus supra, quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, data etiam Romæ, apud sanctum Petrum, Anno Dominicæ Incarnat. 1567. 15. kal. Iulij, Pontificatus sui, anno secundo, ex certa scientia & de plenitudine apost. potestatis, Mendicantium priuilegia confirmauerit & innouauerit, atque perpetuam roboris firmitatem obtinere ac firmiter obseruari præceperit, vbi & expresse multa eisdẽ contra prædictum Concilium concessit, Gregorius temet XIII. eiusdum successor, in alia sua Bulla, quæ incipit, *in tanta rerum & negotiorum mole*, data etiam Romæ apud sanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis 1572. Pontificatus sui anno 1, *Statuit de prædicta Bulla, & alijs omnibus Litteris & Cõstitutionibus, quæ ab eodem suo prædecessore, eisdem de rebus pro quorumcumque Regularium, etiam mendicantium Ordinibus & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus & quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem, pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri siue ex sacris dicti Concilij Decretis, siue alias legitime ante dictarum Litterarum & Constitutionum editionem erat, & si ipsa non emanassent futura fuisset, ad quam dispositionem & decisionem, suumque pristinum statum illa omnia reduxit, irritando omnia alia decreta suo præsenti statuto aduersantia &c.* prout latius ibidem continetur. Et quamuis postea in alia sua bulla, de qua etiam mentionem fecimus supra, quæ incipit, *ex benigna Sedis Apostolicæ prouisione*, data Romæ apud sanctum Petrum, die 21. Martij, anno 1575. Pontificatus sui anno 3. nostra Minorum Fratrum ac Monialium sanctæ Claræ ac Fratrum Tertij Ordinis, priuilegia confirmauerit id tamen fuit addendo, apponendo atque exprimendo sequentem clausulam, *quatenus sunt in vsu, & sacris Canonibus & decretis sacri Concilij Tridentini non aduersentur*. Quod & similiter fecit Sixtus Quintus in alia sua Bulla, quam eadem de re edidit anno Domini 1587. Pontificatus sui anno 3. licet subticuerit verba illa, *sacris Canonibus, & quatenus sunt in vsu*. Ex quibus omnibus plane vt videtur, colligitur, quod priuilegia omnia supradicta, duntaxat sunt per supradictos Pontifices approbata & firmata, in quantum Concilio Tridentino prædicto non aduersantur, neque sunt contra alio rum Pontificum Bullas, Constitutiones, atque determinationes & quod in cæteris omnibus, sunt abrogata & reuocata. Hæc faciunt pro hac parte.

Nota valde quænam priuilegia sint per Con. Trid. reuocata.

Sed alij in alia omnino contraria sunt sententia & opinione. Dicunt enim illa solummodo priuilegia, per supradictum Concil. Trid. esse abrogata, & reuocata, quæ continentur in illis Decretis, in quibus formaliter & expresse reuocãtur & derogantur Regularium priuilegia, & in quibus apponitur illa clausula, *non obstantibus quibuscumque priuilegijs in contrarium existentibus*, cætera vero non, etiã si eidem Cõcilio aut sacris Canonibus, aliàs esse videantur contraria. Hæc sentẽtia & opinio est quorundam doctissimorũ virorum, dicitur q; fuisse olim resolutionẽ habitã Salmanticæ, à multis gra-

uiſſimis Doctoribus Iuriſperitis & Theologis Eccleſiaſticis,& Regularibus,vt refert Emanuel Rodericus 1.tom.ſuarum quæſtionum Regul.q.8.ar. 6.vbihac de re latiſſime agit,dicitque conſtare ex quamplurimis locis prædicti Concilij Tridentini in quibus inuenire licebit, quod in vno eodemq; capite,interdum ponuntur diuerſa Decreta,quædam abſolute & abſque aliqua priuilegiorum derogatione & reuocatione expreſſa. Quod factum fuiſſe inuenitur,in primis ſeſſ.23.ca.8.de reforma. in cuius priori parte agendo de ſacris Ordinibus, ſequentia ponuntur verba. *Ordinationes ſacrorum Ordinum,ſtatutis à iure temporibus,ac in Cathedrali Eccleſia vocatis,præſentibusque ad id Eccleſiæ Canonicis,publicè celebrentur.* Et vt patebit intuenti reſpectu præfati Decreti,nulla ibidem apponitur clauſula,priuilegij alicuius derogatoria aut reuocatoria,quod tamen fit in ſequenti Decreto,quando dicitur: *Vnuſquiſque autem à proprio ſuo Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoueri petat,nullatenus id ei etiam cuiuſuis generalis aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu etiam ſtatutis temporibus permittatur,niſi eius probitas,ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur.* Ecce,inquiunt,qualiter reſpectu præfati ſecundi Decreti derogantur priuilegia & reſcripta quæcumque generalia & ſpecialia. Ex quo(vt videtur)colligitur, quod aliud ſit iudicium de Decretis prædicti Concilij Tridentini, in quibus præfata derogatoria atque reuocatoria priuilegiorum clauſula apponitur,aliud vero de illis,in quibus nihil omnino tale habetur. Quo fundamento,inquiunt, inniti DD.ſupradicti Salmanticenſes,Theologi & Iuriſperiti,decreuerũt & ſubſcripſerunt olim,quod Religioſi & Regulares, etiam modo poſt Concil. Trident. virtute ſuorum priuilegiorum, ordinari poſſunt extra tempora,quia in ſupradicto decreto nulla apponitur clauſula eorundem priuilegiorũ reuocatoria; non tamen poſſunt ordinari ab alio, quam à proprio Epiſcopo,etiam ſtatutis temporibus,& etiam prætextu cuiuſuis generalis aut ſpecialis reſcripti vel priuilegij,niſi eius probitas ac mores,proprij Ordinarij ſui teſtimonio commendentur,nam huius Decreti reſpectu,priuilegia & reſcripta omnino reuocantur. Cui ſententiæ & opinioni adhærentes ſemel & iterum, Hiſpanorũ Epiſcoporum multi,viſa prædictorum DD.ſententia & ſubſcriptione,aliquos Religioſos ordinauerunt extra tempora. Præter locum ſupradictum adducunt ex eodem Concilio aliqua Decreta,quibus hoc ipſum omnino inſinuatur, & in quibus multa iubentur ſimpliciter & abſolute,abſque aliqua priuilegiorum clauſula derogatoria & reuocatoria,vt conſtat ex ſeſſ.4. in Decreto de editione librorum,vbi dicitur,*quod non liceat etiam Regularibus imprimere libros de rebus ſacris,ſine approbatione Ordinarij & licentia ſuorum ſuperiorum.* Vbi cum non apponatur clauſula derogatoria,dicunt Doctores ſupradicti,quod ſi aliquod in contrarium Regularibus hac de re conceſſum fuiſſet priuilegium, iure optimo eodem vti poſſent, & idem eadem ratione eſſet dicendum, de illo alio Decreto poſito in ſequenti ſeſſ.5.de reformatione cap.1.vbi præcipitur,*quod in Monaſterijs Monachorum, vbi id commode fieri poteſt,habeatur ſemper lectio ſacræ Scripturæ, ad quod poſſint cogi per Epiſcopos & Prælatos.* Vbi ſimiliter nulla apponitur clauſula priuilegiorum reuocatoria,quo fit etiam inquiunt,vt ſi Monachorum aliqui ad id in contrarium aliquod habuiſſent priuilegium,per ſupradictos Prælatos cogi nullatenus poſſent,cum quantum ad hoc eorundem priuilegia non fuerint reuocata.

Secundo ad hoc propoſitum, & ad prædictam ſententiam comprobandam,facere etiam videtur quammaxime, quod in eodem Concilio habetur ſeſſione 22.cap.4.vbi dicitur,*quod careat voce in Capitulo Eccleſiarum,qui ſacris non fuerit initiatus, & ſaltim conſtitutus in Subdiaconatus Ordine, etiam ſi hoc ſibi ab alijs libere fuerit conceſſum,* quod Decretum ſeruari iubet in quacũque Eccleſia Cathedrali vel Collegiata,ſeculari vel Regulari. Sed cum ibidem nulla etiam apponatur clauſula priuilegiorum reuocatoria aut derogatoria,inquiunt Doctores prædicti,quod ſi in Religione aliqua in contrarium aliquod fuiſſet priuilegium, quo etiam in ſacris non conſtituti vocem habere poſſent in Capitulo,eiuſmodi priuilegium valeret,eoque iure optimo vti poſſent. Circa quod in facti contingentia dicunt, quod eſt expreſſa declaratio Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium,deputatorum explicationi & declarationi præfati Concilij Tridentini, qui quidem, vt refert Paraſellus Generalis olim Ordinis Minimorum,anno Domini 1573.eadem de re conſulti declararunt, quod dictum Concilium non contrariatur conſtitutionibus Regularium,ſi in aliquo Ordine, etiam non in ſacris conſtituti, de conſuetudine aut conſtitutione,ad actus Capitulares admittantur. Quæ reſponſio facta eſt præfato Patri generaliſſimo, quia in ſuo Ordine & Religione eadem viget conſuetudo. Et quidem quod hic dicitur de conſuetudine & conſtitutione, dicendum eſſet pariter de priuilegio, ſi ad id aliquod haberetur,quo ad huiuſmodi actus Capitulares non in ſacris conſtituti poſſent admitti. Nam ſi non reuocatur per Decretum ſupradictũ, conſuetudo aut conſtitutio,nec reuocabitur priuilegium cum eadem ſit vtriuſque ratio. Idem videtur dicendum,de alio eiuſdem Conc. Decreto, poſito ſeſſ.23.cap.11,vbi traditur ordo ſeruandus in conferendis Ordinibus,& ponuntur qualitates ordinandorum, & præcipitur vt ex vno ad alium Ordinem non aſcendatur,niſi tranſactis quibuſdã interſtitijs ibidem appoſitis, vbi cum non apponatur clauſula derogatoria aut reuocatoria,fieri videtur conſequens, quod ſi ad id Regulares aliquod haberent priuilegium, eo iure vti poſſent ob rationem ſupradictam, niſi aliunde eis etiam obſtaret Bulla & conſtitutio poſtea edita à Sixto Quinto contra male promotos & ordinatos. De quo in præſentiarum non fit ſermo, nam ſolummodo hoc adducitur ad probandum, quod Regularium priuilegia, quæ in prædicto Concilij Tridentini decreto, non expreſſe ſunt abrogata & derogata, & in quibus nulla eiuſmodi apponitur clauſula, adhuc in ſuo vigore permanent. Nam quando Concilium prædictum contrarium intendit,expreſſe reuocat ipſa& ibidem apponitur clauſula; vnde id liquido & manifeſte poſſit colligi, quod fieri ſolet per illa verba,*priuilegijs quibuſcumque in contrarium non obſtantibus, aliiſve ſimilibus.* Quod & feciſſe (vt quidem videtur)neceſſe fuit,

nam

nam ſicuti priuilegia inſerta in corpore iuris, non derogantur ſub generali derogatione aut reuocatione, vt dicunt Doctores Iuriſperiti communiter, & quamplures allegando id concludit Enriq. 1. tom. lib. 7. cap. 28. num. 9. litera i, & cap. 31. num. 5. litera S, ita & de priuilegijs Regularium videtur ſimiliter dicendum, nempe quod per prædictum Concil. non derogantur neque reuocantur niſi de ipſis ſpecifica & ſpecialis mentio fiat, & apponatur aliqua clauſula, ex qua idipſum liquido & manifeſte poſſit colligi.

Tertio & vltimo probant ſuam ſententiã, quia argumenta in contrarium adducta non (inquiunt) conuincunt. Vnde ad ea, quæ ſupra allata ſunt, reſpondent per ordinem.

Ad verba adducta ex Concilio Trid, ſeſſ. 5. de reformat. cap. 22. dicunt, quod in dicto capitulo ſolũ modo reuocantur priuilegia, quæ ſunt contra Decreta & determinationes ibidé poſitas in dicta ſeſſ. 25. de Regul. non vero illa priuilegia, quæ ſunt cõtra Decreta aliarum ſeſſionum, in quibus non apponitur ſimilis derogatio & reuocatio expreſſa, ſeu aliqua alia clauſula illi æquipollens. Et quod hoc ita ſit conſtare dicunt ex verbis poſitis in dicto cap. poſtquam, ibi dicitur. *Hæc omnia & ſingula ſuperioribus Decretis contenta, obſeruari præcipit ſacroſancta Synodus, &c. non obſtantibus.* Vbi, inquiunt, notandum venit verbum, *contenta in ſuperioribus Decretis*, ac ſi diceretur non autem in ſuperioribus ſeſſionibus. Ex quo vt videtur plane datur intelligi, quod voluit ſancta Synodus contenta in dicta ſeſſ. 25 ac in omnibus ſuperioribus eiuſdem Decretis omnino obſeruari, etiam contra Regularium priuilegia non autem contenta in alijs Seſſionibus, in quibus non ſimilis habetur clauſula, ſi aliás in contrarium aliqua habeantur priuilegia, & eorum non fiat derogatio & reuocatio expreſſa.

Ad illud vero quod adducitur ex Bulla Pij IIII poſita in confirmatione ſupradicti Concilij Tridẽtini, ex cuius generalitate colligi videtur, quod per ipſam non ſolum reuocantur, annullantur & caſſantur à prædicto ſummo Pontifice priuilegia, quorum in Decretis præfati Concilij, inuenitur reuocatio expreſſa, verumetiam & aliæ quæ ſunt quoquomodo contraria Decretis eiuſdem Concilij, etiamſi in ipſis Decretis eorum non fiat derogatio expreſſa, reſpondent Doctores prædicti dicendo, quod ſecundum communem DD. Iuriſperitorum ſententiam mens & intentio Principis in dubio, ſemper præſumitur talis fuiſſe, qualis & eſſe debet de iure. Quo fit vt verba Pij IIII. reuocantia in prædicta ſua Bulla, priuilegia quæ ſunt contraria Decretis Concil. Trident. intelligenda, reſtringenda & determinanda ſint, iuxta terminos illorum Decretorum, & ad ea tantũ quæ per illa ſunt prohibita & eo modo quo ſunt prohibita, reuocãdo vel non reuocando, quæ ſunt in contrariũ priuilegia, & non eſt extendenda ad illa etiam, quæ quamuis per ipſum ſint prohibita, non tamen cum priuilegiorũ derogatione & reuocatione. Et quod hoc ita ſit dicendum ex eo conſtare aſſerunt, quia cauſa finalis Bullæ ſupradictæ (vt ex eo plane cõſtat) fuit omnimoda obſeruantia prædictorum Decretorum Conc. Trid. cuius quidem obſeruantiæ ſatis datur locus, quoad ea quæ in ipſis Decretis ſpecialiter reuocantur, cætera vero quæ non expreſſe ſiue ſpecialiter derogantur, cum non reuocentur, plane inquiunt, datur intelligi, quod voluit prædictus Pontifex & Concilium, vt obſeruarentur, ſi alias in cõtrarium aliquod habeatur priuilegium. Vnde fit vt ceſſante cauſa finali, ſupradictæ Bullæ, ceſſet & diſpoſitio ipſius, iuxta id quod habetur in iure *l. adigere, §. quamuis, ff. de iure patron. & cap. cum ceſſante, de appellat.* Quod & confirmant ex eo, quia Conſtitutio, quæ fit ad roborandum aliam, ſecundum ius & omnes communiter Doctores intelligi debet ſecundum eam, & concludenda eſt terminis eius, iuxta id quod habetur in iure, in Authent. conſtitutio quæ innouat, §. *inde. verſicul. in illis, collat.* 3. & tradit gloſſ. & Cardinalis in Clementi. *ſtatutum, verbo, conſuetud. de elect.* & Felin. *in cap. 1. de iure iur. num.* 5. qui omnes dicunt, eaſdem limitationes & extenſiones, quas recipit conſtitutio corrobarata, recipere debere etiam eandé corroborantem, nam ſecundum ius, in *l. in tota, ff. de cõditio. & demonſtrat.* referens ſe ad aliquid, intelligi debet ſecundum illud ad quod refertur: cum ergo ſupradicta Bulla facta fuerit in robur & confirmationem Concilij Tridentini prædicti, ſecundum illius terminos, inquiunt, debet intelligi, neque reuocat niſi illa priuilegia, quæ in eodem expreſſe reperiuntur reuocata.

Cõſtitutiocõr roborans & cõ firmans, patitur omnes limitationes & extenſiones, quas recipit cõſtitutiocor roborata.

Ad illud vero quod adducitur ex Bulla Grego. XIII. in confirmatione noſtrorum priuilegiorum, & ſimiliter Sixti V. dicunt, quod intelligendi ſunt ad ſenſum ſupradictum, nempe quod confirmant Regularium priuilegia, quatenus non aduerſantur Decretis præfati Concilij Trid. Decretis (inquam irritantibus expreſſe priuilegia prædicta, per non obſtantias priuilegiorum ibidem appoſitus, ſaluis tamen manentibus alijs, in quibus ſimilis clauſula omnino non inuenitur, quod ita eſſe dicendum, ſuperque ſatis conſtare (aiunt) ex ſupradictis. Nec per illud quod addidit prædictus Gregorius, *& ſacris Canonibus*, intelligendum eſt, quod omnes ſacros Canones voluerit generaliter comprehendere, ſic enim nulla proprie confiteretur priuilegia, cum priuilegium, vt de ſe patet, nihil ſit aliud quam priuatum ius, ſiue indultum conceſſum à Principe contra ius commune, & fere priuilegia omnia in totum vel in parte ſint cõtra ſacros Canones, ſed intelligendum eſt de illis ſacris Canonibus, quæ in eodem Concilio continentur, vt etiam aduertit & notat Sorbo noſtri ſacri Ordinis Minorum Capuccinus in Compendio quod fecit priuilegiorum, *tit. priuilegia Fratrum*, pag. 329. vbi inquit, prædictum Concilium Trid. cõſtare Canonibus & Decretis, & quod illa dictio copulatiua, &, quando prædictus Pontifex dixit, quod confirmat prædicta priuilegia, *quatenus ſunt in vſu, & Decretis Concilij Tridentini & ſacris Canonibus non contradicunt, &c.* copulat prædicta omnia, nempe & ſacros Canones, & Concilij Decreta, ibidem contenta. Etenim ſi aliud dicere voluiſſet, idipſum expreſſe appoſuiſſet, & dixiſſet confirmare ſe priuilegia prædicta, quatenus non contrariãtur ſacris Canonibus ſummorum Pontificum, & Decretis præfati Concilij Tridentini. Sed quidquid de hoc ſit, concludendo dicunt, quod Sixtus V. ipſius ſucceſſor eadem priuilegia confirmando,

subticuit prædicta verba, *sacris Canonibus contraria*, solummodoque apposuit quod confirmat priuilegia, dummodo Concilij Tridentini Decretis non aduersentur, id quod & fecit in confirmatione Ordinis Cisterciensis, facta anno Domini 1586. die 25. Iulij, Pontificatus sui anno 2. vt habetur in Compendio priuilegiorum eiusdem Ordinis. His pro vtraque huius difficultatis parte argumentis adductis, fit conclusio.

Conclusio.

IN hac difficultate, non visum fuit Iudicem agere, neque propriam meam sententiam, & opinionem statuere, sed illius decisionem & determinationem S.D.N. remittere, Illustrissimisque Cardinalibus, præfectis explicationi & declarationi Concilij Tridentini, quamuis vtraque sententia videatur congruis inniti fundamentis, quæ de isto Articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Regularium priuilegia, deperdantur per non vsum?

HAEc difficultas proponitur, ad explicandum & declarandum teno rem aliquorum priuilegiorum, in quorum confirmatione apponi consueuit clausula, qua dicuntur confirmari eiusmodi priuilegia, *quatenus sunt in vsu*. Qualis fuit confirmatio nonnullorum priuilegiorum, facta olim per Gregorium Decimumtertium, de qua diximus supra. Quam quidem clausulam consulto subticuisse dicitur Sixtus Quintus in eorundem confirmatione. Ad explicandum igitur prædicta verba vtque notum fiat, quid sub hac comprehendatur clausula, sequens instituitur articulus. De qua difficultate & quæstione agit Panormitanus, & Doctores communiter, in *cap. cum accessissent, de constitut.* & dicit Panormitan. circa eam tot esse capita, quot sententiæ; at ego pro eiusdem resolutione, me breuiter expediendo, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

Si priuilegiũ est particulare & priuatæ cui piã personæ cõcessum, per vnũ actũ contrariũ deperditur, si directe obuiatum est illi.

SI priuilegium est particulare, & concessum alicui priuatæ ac particulari personæ, per non vsum siue per vsum contrarium deperditur, quinvero & per vnam solam contrauentionem, si directe obuiatum est illi, secus autem si non directe, sed indirecte. Hæc conclusio est fere omnium Doctorum communis, quam & probant ex prædicto *cap. cum accessissent. de constitut. verbo, conuenerint*, vbi glossa elicit hanc conclusionem, quod priuilegiũ quandoque vnico actu perditur. Ad quod propositum adducit sequens *capit. cum M. Ferrarienſis. & cap. pro illorum, de præbendis, & cap. priuilegium. 11. q. 3.* & plura alia iura, quæ breuitatis gratia facio missa. Sed alia glossa ibidem distinguit quantũ ad hoc de priuilegijs, nã quædãdantur ad faciendũ, quædãvero ad nõ faciendũ, & dicit, quodsi priuilegiũ datur ad faciendum, & is qui illud impetranit spatio 10. annorũ eo non vtitur perditillud, iuxta *l. 1. ff. de nund.* Si vero datur ad non faciendum, & Papa sibi aliquid iuris in eo reseruauit, non potest (inquit prædicta glossa) expresse eius modi priuilegio renuntiari, iuxta *cap. cum tempore, de arbitris*, si tamen nihil sibi Papa reseruauit, vtputa si priuilegium dedit de non soluendis decimis, & nihilominus priuilegiatus soluit ipsas, amittit priuilegiũ, etiam per vnicum actum, iuxta *cap. quam periculosum* 7. quæst. 1. Quod intelligendum est, vt diximus in conclusione, quando priuilegiatus est persona priuata & particularis, secus est autem si sit communitas vel Ecclesia, tunc enim vt statim in sequenti conclusione dicemus: non deperditur nisi legitimo tempore, hoc est quadraginta annorum spatio, præscribatur contra priuilegium decimas soluendo, iuxta *cap. accedentibus, & capit. si de terra, eodem tit. de priuilegijs.* Et addit supradicta glossa, quod si priuilegium datur ad excipiendum est perpetuum quia, quæ temporalia sunt ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum, iuxta *leg. pure, §. vltimo, ff. de dot. except.* Quod dicit esse verum si nemo agat, nam si agat & non excipitur contra agentem perditur priuilegium, iuxta *l. Pomponius, §. ratihabitionis, ff. de procurator. & l. si is qui, ff. de cond.* Vnde inquit quod exemptus, vt non coram Ordinario respondeat, respondens & non allegando priuilegium ipsum amittit. Quæ omnia sunt quamnaxime notanda, & memoriæ commendanda. Sed adnotandum est præterea, positũ fuisse à nobis in conclusione verbum illud, *directe secus autem indirecte*, nam vt dicit alia glossa in dicto *cap. cum accessissent, de constitut.* per contrauentionem indirectam non deperditur, & magis delinquit, qui directe venit contra priuilegium, quam ille qui non vtitur illo, argumento deducto, ex *cap. quisquis, dist. 84. & contingit el 2. de sentẽtia excommunicat.* Videatur hac de re Syluester, *verbo, priuilegium*, quæst. 11. vbi plura dicit summa animaduersione digna.

Secunda Conclusio.

Priuilegia Ecclesijs siue Religionibus cõcessa, nõ amittuntur, nisi cõtra ea præscribatur legitimo tempore.

SI vero priuilegium fuit concessum Ecclesiæ, seu alicui communitati, qualia sunt omnia priuilegia, quæ Regularibus conceduntur, non deperditur per quemlibet non vsum aut per vsum contrarium, nisi contra ipsum legitimo præscribatur tempore. Hæc concl. est etiam omnium DD. communis, de qua videatur Syluester vbi supra latissime, & satis colligitur ex omnibus iuribus citatis pro præcedenti Conclusione. Pro cuius comprobatione quamnaxime facit quædam alia glossa, posita in dicto *cap. cum accessissent, de constitut.* vbi & ad hoc proposito sequentes afferuntur versus.

Priuatam legem tollit contrarius actus,
Si personalis,
Si patet esse realis, Tunc non perditur, nisi præscripsisse probetur.

Quãto tẽpore cõtra Ecclesiã præscribatur

Sed circa hoc præscriptionis tempus adnotandum est, quod quamuis olim Alexand. III. in *cap. de terra, de priuil.* decreuerit, vt præscriptio fieret spatio triginta annorum, in rebus Ecclesiasticis, & in priuilegijs, attamen Innocentius Tertius postea, in *cap. accedentibus, eodem tit.* determinauit, quod prædicta præscriptio non fieret, in minori tempore, quam

quam quadragita annorum ſpatio, quinvero & ali quæ Religiones ſpeciale habent priuilegium, vt contra ipſas non poſſit præſcribi, minori ſpatio, quam ſexaginta annorum. Ad quod habetur particulare quoddam priuilegium Eugenij Quarti, cõceſſum anno Domini 1434. 7. Kalend. Martij, Pontificatus ſui anno 4. Ordinis Sancti Benedicti Valliſoletani, quod refertur in libro priuilegiorum eiuſdem Ordinis, vbi habetur, *quod contra priuilegia dictæ Congregationis non currat præſcriptio, niſi poſt lapſum ſexaginta annorum.* Sed ad ſupradictam concluſionem redeundo, dico quod Regularium priuilegia non tolluntur per non vſum, aut vero per vſum contrarium, niſi per ſpatium quadraginta annorum, ſecundum ius commune, aut ſexaginta annorum, ſecundum priuilegium prædictum, contra ipſa præſcribatur & ſi quæratur cauſa & ratio, ob quã priuilegium priuatæ perſonæ conceſſum, per vnicum tantum actum directe factum deperdatur, non vero conceſſum communitati & Eccleſiæ. Eius rei ratio in promptu eſt, nam priuilegium deperditur, ex tacita renunciatione illius cui conceditur, iuxta *l. voluntarie, C. de excuſatione tutorum*, & ibi glo ſſa, & certum eſt loquendo de priuilegijs Eccleſijs ſiue communitatibus conceſſis, quod ſingulares perſonæ per vnicum, neque vero per plures actus, renuntiare poſſunt tacite neque expreſſe priuilegio ſuæ communitati facto, iuxta *cap. cum venunt. 32. q. 1.* Secus eſt autem ſi priuilegium ſit priuatum & particulare, nam quilibet per contrauentionem eidem poteſt renunciare, vt colligitur ex præallegato capitulo. Inde ergo eſt, quod ad hoc, ſufficiat vnicus duntaxat actus directe factus, non vero ad illud etiam per quamcumque renuntiationẽ particularium tacite vel expreſſe factam, niſi legitima accedat præſcriptio, iuxta dict. *cap. accedentibus* His appoſitis concluſionibus inſurgit modo difficultas, quid intendant ſummi Pontifices, quando confirmant Regularium priuilegia, ſequentem apponendo clauſulam, *quatenus ſunt in vſu?* Cui difficultati, reſolutiue reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Nota hoc priuilegiũ circa præſcriptionẽ nõ fiendã minoritẽpore quã ſexaginta annorum.

Tertia Concluſio.

Pontifices cõfirmãdo priuilegia quatenus ſunt in vſu, illa duntaxat cõfirmãt, quæ nõ ſunt ſublata per contrariũ vſum legitimo tẽpore præſcriptum.

POntifices ſummi priuilegia confirmando quatenus ſunt in vſu, illa duntaxat videtur confirmare, quæ non ſunt ſublata per contrarium vſum legitimo tempore præſcriptũ. Hæc concluſio probatur in primis, ex *cap. quia diuerſitatem, de conceſſione præbendarum*, vbi Innocentius Tertius expreſſe definit, *quod Pontifex, priuilegia confirmando ſub forma communi, non confirmat ipſa niſi quatenus iuſte & pacifice poſſidentur, & actu valent.* Facit ad hoc & *cap. cum dilecta de confirmat. vtili & inutili.* Et quidem generalis eſt iuriſconſultorum regula, quod qui confirmat aliquod priuilegium ſub forma communi, non per id tribuit ius nouum, ſed antiquum tantummodo cõſeruat, vt late probat glo ſſa in ſupradicto *capi. quia diuerſitatem, verbo, ſub forma communi*, & glo ſſa etiam in dicto *cap. cum dilecta, verb. nouum ius*, vbi ad propoſitum adducuntur plura alia iura. Sed facit ad hoc quammaxime *cap. ex parte, de priuil.* vbi glo ſſa, *verba antiquum ius*, notat quod per innouationem priuilegij, nihil iuris de nouo acquiritur, ſed antiquum conſeruatur. Idem habetur in *cap. quia intentioni noſtræ, eodem titu.* vbi expreſſe Honorius Tertius inquit, *quod innouatio priuilegij, nec ius nouum conferi, neque etiam vetus tollit.* Quod eſt verum & tenendum etiam ſi in priuilegio de nouo addantur conſueta illa verba, *de nouo concedimus*, cum id fiat ſub forma communi vt dictum eſt. Licet enim Princeps quãdoque confirmet illud quod ipſo iure nullum eſt, quo caſu potius videtur dare; quam confirmare, cuius exempla aliqua reperiuntur in iure; in *lege adoptio, ff. de adoptionibus, & l. legata inutilia, ff. de legat.* 1. quandoque etiam licet non confirmet id, quod ipſo iure nullum eſt, confirmat tamen id quod eſt imperfectum, vt ad perfectionem reducatur, vt quando ſuperior electionem aliquam confirmat, quo caſu quamuis qui confirmat non videatur dare, videtur tamen imperfectum perficere, iuxta id quod habetur in iure, in Authent. *de defenſion. ciuit. §. interim*, & notat Bartolus, & ſcribentes in *leg. & quia, ff. de iuriſd. omnium iud.* attamen loquendo de confirmatione facta in forma communi, qui confirmat aliquod priuilegium ſecundum ius, nihil de nouo tribuit, ſed tantummodo antiquum ius cõſeruat, neque confirmat, niſi ſolummodo id quod actu eſt, & actu valet. Supradicta omnia confirmãtur per id, quod dixit olim Iulius Secundus, & habetur in Monumentis noſtri Ordinis 1. impreſſione, folio 43. & 2. folio 126. conceſſione 277. & refertur in Compendio, *verbo, priuilegia Fratrum*, §. 15. vbi dicitur, *quod prædictus Iulius II. declarauit; per confirmationem priuilegiorum Fratrum Minorum, per Sixtum IIII. factam, ac eorundem priuilegiorum nouam conceſsionem, per hæc verba (de nouo concedimus) ſolummodo eſſe confirmata priuilegia dicto Ordini conceſſa, & non aliàs reuocata.*

Nota quod cõfirmatio priuilegij, neq; nouum ius conferi, neq; vetus tollit.

Sed ſupradictis obſtat illud quod circa prædictã Iulij declarationem, dicit priuilegiorum Collector in Compendio vbi ſupra, nempe quod prædicta declaratio creditur fuiſſe facta, ſic abſolute & generaliter, propter defectum verę relationis, nã multi, inquit, famoſi Doctores Vniuerſitatis Salmanticenſes, declarauerunt & determinarunt, quod quandocumque aliqua priuilegia concedũtur de nouo, cum ſequenti clauſula, *non obſtantibus reuocationibus Apoſtolicis*, prout in multis Bullis cõfirmationis noſtrorum priuilegiorum continetur intelliguntur innouata & de nouo conceſſa etiam illa quæ fuerunt reuocata. Alias dicebant, nihil omnino operarentur prædicta verba, cum tamen verba poſita in Apoſtolicis literis, ſemper debeãt aliquid operari. Quam opinionem & ſententiam, tenet etiam Cordubain annotationibus ad dictũ Compendium, quoad dictũ §. 15. vbi inquit, quod cum dicta opinione Collectoris concordat Panormitanus, poſt Ioannem Andræam de Lignano, in *cap. cum ſuper de cauſa poſſeſſionis*, & glo ſſa in *capi. cum acceſsiſſent, de conſtitu.* & diffuſe probatur idipſum à ſumma Roſella, *titul. abſolutio*, §. 122. & 123. At hæc differentia meo quidem iudicio concordari poteſt dicendo, quod per confirmationem ſeu etiam innouationem priuilegiorum, in dubio factam ſeu in forma communi, ſolummodo confirmantur & innouantur ea quæ actu valent, niſi aliud exprimat cõfirmans ſeu innouans, attamen ſi aliud exprimit, vt & facere videtur quando addit Summus Ponti

ſex ſupradictam clauſulam, *non obſtantibus reuocationibus apoſtolicis*, tunc innouantur & confirmantur, etiam illa quæ alias fuerant reuocata & abrogata atque per contrarium vſum caſſata, tunc vel maxime, quando confirmatio fuerit facta cum clauſula, *ex certa ſcientia*, niſi aliud etiam exprimatur expreſſe, vt & fecit prædictus Gregorius XIII. dicendo, quod confirmabat noſtra priuilegia, *quatenus ſunt in vſu*, per quæ verba iuridice loquendo, vt dictum eſt in Concluſione, tantum confirmare viſus eſt ea quæ erãt in viridi obſeruantia, & quæ actu valebant, non autem ea, quæ per contrarium vſum, legitimo tempore præſcriptum, fuiſſent abrogata & reuocata, quod eſt multum notandum & memoriæ commendandum.

Sed dices, quid intendit Sixtus Quintus, in confirmatione noſtrorum priuilegiorum, ſubticendo & prætermittendo prædicta verba, *quatenus ſunt in vſu*, contulitne aliquid amplius, ſeu aliquid de nouo conceſſit, quod non conceſſerat prædictus Gregorius XIII. apponendo eiuſmodi clauſulam? Hãc difficultatem tangit Emanuel Rodericus, tomo. 1. ſuarum quæſtionum Regularium, quæſt. 8. arti. 3. in principio. Cui reſpondens, in quit, quod ſic, conſultoque hoc fuiſſe factum, & neque deſunt qui illum ſequantur. Sed contrarium omnino dicendum videtur, nam quamuis ſupradictus Pontifex Sixtus Quintus, conſulto prædicta verba ſubticuerit (quod non conſtat) adhuc tamen ſemper Pontifices, confirmando priuilegia in forma communi (vt dictum eſt) & nihil aliud exprimendo, non cõfirmare videntur, iuridice loquendo, niſi ea quæ actu valent, & quæ actu ſunt in vſu & quibus iure poteſt vti. Vnde quamuis abſolute, & ſine aliqua additione Pontifices ſummi, priuilegia quæcumque confirment, iuridice ipſa debent interpretari, ita vt tantummodo ea confirment, quatenus ſunt in vſu, & in quantum per contrarium vſum legitimo tempore præſcriptum, non fuerint abrogata & reuocata. Hoc dixerim, de ſupradicta Bulla Sixti Quinti, in confirmatione noſtrorum priuilegiorum, ex vi illorum verborum & quantum ſpectat ad ſubtractionem illius clauſulæ, *quatenus ſunt in vſu*, nam alias, an prædictus Sixtus Quintus in dicta Bulla, & confirmatione noſtrorum priuilegiorum, quatenus confirmauit ea ex Motu proprio & certa ſcientia, aliquid amplius cõceſſerit, ſeu de nouo addiderit: aliud eſt iudicium, & circa hoc diuerſa eſt difficultas, quæ explicabitur inferius quãdo agemus de explicatione & declaratione priuilegiorum in particulari, dũ dixerimus quid ſignificent illa verba, *Motu proprio & excerta ſcientia*, & quid concedatur amplius per eiuſmodi conceſſionis formam, vltra formam cõmunem ſeu communiter poni conſuetam, ibi enim dicetur quid ſit ſentiendum & intelligendum de prædicta clauſula.

Sed dices vlterius, ſi hoc ita eſt, quid operantur in ſupradictis Bullis ſiue priuilegijs, illa verba ibidem interdum appoſita, innouamus ſeu de nouo concedimus, ſi per ipſas Pont. nihil de nouo conceditur, ſed tantummodo conſeruant ius antiquum? Reſpondeo & dico, quod adhuc ibidem non apponuntur fruſtra, neque ſunt otioſa, ſed aliquid operantur. Et illud eſt, quod ſi priuilegia prædicta nõ ſunt in vſu, ſpatio viginti aut triginta annorum interueniente, poſt dictum ſpatium elapſum eorundem innouatione, incipiunt de nouo dicta priuilegia, ac ſi in eo inſtanti innouationis fuiſſent de nouo conceſſa, quo fiet vt tollatur præſcriptio legitima quadraginta aut ſexaginta annorum neceſſario requiſita, & ad hoc vt præſcribatur contra ipſa. Oportet enim vt dictum temporis ſpatium, curat ab inſtanti innouationis prædictorum priuilegiorum, & tempus prædictũ iam elapſum viginti, aut triginta annorum ante prædictam innouationem, ad præſcriptionem nihil proficit, prout aduertit & notat Corduba, in annotationibus ad Cõpendium, *verbo, abſolutio quoad ſeculares*, 1. §. 19. & eſt valde notandum atque memoriæ commendandũ. De quibus modis priuilegium amittatur, videatur gloſſa, in *capi. priuilegium*, 11. *quæſt.* 3. *verbo, priuilegium*, vbi etiam dicuntur multa, eaque notatu digniſſima.

ARTICVLVS V.

Vtrum confirmatis vel reprobatis Priuilegijs alicuius Religionis, cenſeantur atque intelligantur etiam confirmata vel reprobata priuilegia ad inſtar illius, alteri Religioni conceſſa?

Prima Concluſio.

Sublatis ſeu reuocatis priuilegijs vnius Religionis nõ cenſentur reuocata priuilegia, ad inſtar illius alteri Religioni conceſſa.

SVblatis ſeu reuocatis priuilegijs vnius Religionis, non cenſentur neque intelliguntur ſublata aut reuocata priuilegia, ad inſtar illius alteri Religioni conceſſa. Hæc concluſio probatur à ſimili de priuilegijs Vniuerſitatibus conceſſis, certum eſt enim, quod priuilegia conceſſa (verbi gratia) Academiæ Complutenſi ſiue Valliſoletanæ, ad inſtar priuilegiorum conceſſorum Vniuerſitati Salmanticenſi, ſi ob aliquam cauſam prædicta Salmãticenſis Academia ſua perderet priuilegia, aut (quod abſit) extinguatur ipſa, quamuis extinctione rei extinguatur priuilegium eidem conceſſum, iuxta *cap. placuit de conſecrat. diſt.* 1. non tamen prædictæ Academiæ Complutenſis aut Valliſoletana, amitterent ſeu perderent ſua priuilegia. Hanc ſententiam & concluſionem, tenet Baldus communiter receptus, & eſt expreſſa ſententia Guillelmi Doctoris antiqui, in *l. priuilegia, C. de ſacroſanctis Eccleſ.* vbi inquit, quod cum Papa conceſſerit Vniuerſitati Toloſanæ omnia priuilegia, quæ fuerunt Vniuerſitati Senẽſi conceſſa, ſi poſtea eadem priuilegia Senenſis Vniuerſitatis limitentur, reſtringantur aut reuocentur, non proinde intelliguntur limitata, reſtricta, aut reuocata, priuilegia dictæ Vniuerſitati Toloſanæ conceſſa. Et ratio inquit eſt, quia iam eſt ius

in re acquiſitum prædictæ Vniuerſitati Toloſanæ & certum eſt quod priuilegia alicui conceſſa ad inſtar alterius, non dependent ab alijs quoad ſuam conſeruationem, ſed ſolummodo quoad productionem, & ſtatim ac concedũtur, ita iam fiunt propria illius cui conceſſa ſunt, vt amitti nullatenus poſſint abſque propria culpa, ſiue per culpam alterius. Hinc fit, quod ſi in Religionibus, modo haberentur aliqua priuilegia cõceſſa ab aliquibus ſummis Pontificibus, ad antiquorum Templariorum inſtar, qui omnino iam extincti ſunt, ſeu ad inſtar Ordinis Humiliatorum, quem Pius Quintus Pontifex Maximus elapſis annis extinxit, adhuc huiuſmodi priuilegia alijs Religionibus per viam communicationis conceſſa, quantum ad dictas Religiones quibus conceſſa ſunt non cenſentur ſublata, reuocata aut extincta, licet extincta fuerint quantum ad alios Ordines priores, de quibus dixi mus. Cuius præciſa ratio eſt, nam ſtatim ac concedũtur, eorundem efficiuntur propria & independentia ab alijs, & quod dictum eſt de prædictorũ priuilegiorum ſublatione, reuocatione aut extinctione, dicendum perinde eſt de priuilegijs etiam alicui Religioni conceſſis, quod ſi per non vſum, aut propter aliquam cauſam deperdantur, nõ pro inde deperduntur priuilegia ad inſtar illius alteri Religioni conceſſi, per generale aut ſpeciale priuilegium communicationis. Qua de re videatur Corduba in additionibus ad dictum Compendium *verbo, abſolutio quoad ſeculares 1. quoad* §. 19. vbi hac de re agit latiſſime, & dicit multa notatu digniſſima. Hæc quantum ad ſublationem priuilegiorum: ſed quantum ad confirmationem ipſorum, reſpondeo & ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Si confirmatio priuilegiorũ facta fuerit in forma cõmuni, cõfirmatis priuilegijs vnius Religionis, nõ perinde intelliguntur cõfirmata ad inſtar illius alteri cõceſſa.

SI confirmatio priuilegiorum facta fuerit in forma communi, confirmatis priuilegijs vnius Religionis, non perinde confirmata eſſe cenſentur priuilegia alteri Religioni ad inſtar eiuſdem conceſſa. Secus eſt autem ſi prædicta confirmatio facta fuerit ex certa ſcientia, & fuerit priuilegium conceſſum priuilegiato cum clauſula, quæ reſpiciat, non ſolum præterita, verumetiam futura. Probatur hæc concluſio quoad primam partem, nam ſi per reuocationem priuilegiorum alicuius Religionis (vt dictum eſt in præcedenti concluſione) non intelliguntur reuocata priuilegia, alteri Religioni ad inſtar eiuſdem conceſſa: ergo neque per confirmationem cenſentur confirmata, ſi confirmatio vt prædictum eſt, fuerit facta in forma communi, nam contrariorum eadem eſt diſciplina. Nec vero ſufficit, quod confirmatio prædicta priuilegiorum facta fuerit ex certa ſcientia, niſi priuilegiato ad inſtar conceſſum fuerit priuilegium, quod reſpiciat alterius Religionis priuilegia, non ſolum præterita & præſentia, verumetiam futura. Et ratio eſt, nam licet priuilegij confirmatio, vim cuiuſdã priuilegij habeat, at priuilegium conceſſum ad inſtar, tantum videtur extendi ad præterita & præſentia, nec apparet, niſi ibidem exprimatur quod protrahatur ad futura. Sed tamen ſi nedum præterita & præſentia, verumetiam futura fuerint conceſſa, vt dictum eſt in ſecunda parte concluſionis, tunc confirmato priori priuilegio, cõfirmata etiã eſſe cẽſentur ad inſtar eiuſdem conceſſa, nam eiuſmodi generis confirmatio, eſt veluti noua quædã eiuſdem conceſſio, vt tenet Bartolus in *l. more maiorum, ff. de iuriſdictione omnium Iudicum*, præſertim quãdo additur illa clauſula, *de nouo concedimus*; quæ à quibuſdam noua gratia nuncupatur. Ex quibus colligitur, quod quando aliquibus Religionibus, per viam cõmunicationis, conceduntur aliarũ Religionum priuilegia cõceſſa & concedenda, in tali caſu, per nouam confirmationẽ priuilegiorũ factã alicui Religioni, confirmata etiam eſſe cenſentur priuilegia ad inſtar ipſius conceſſa.

ARTICVLVS VI.

Vtrum exemplar extractum, ſiue deductum à priuilegio originali, valeat parte non citata?

Prima Concluſio.

De iure communi loquẽdo, deductũ ab originali priuilegio, tranſcribi debet citata parte, alias nõ valebit neq; in iudicio fidem facit.

DE iure communi loquẽdo, ad hoc vt exemplar deductum ab originali priuilegio valeat, neceſſum eſt, vt citetur pars cuius intereſt, alias nihil valebit, neque fidem faciet in iudicio. Hæc concluſio eſt omnium Doctorum communis, ſuper *cap. Albericus, de teſtibus & atteſtationibus*. De qua videatur Bartolus in Authentica *ſi quis, C. de eden.* & Innocent. in dicto *cap. Albericus*, Couarruuias in practicis quæſtionibus, cap. 2. Baptiſta de Salis in ſumma, *verbo, priuilegium*. Sed ſpecialiter videndus eſt Panormitanus in *ca. cum olim, el primero de priuilegijs*, vbi ad hoc propoſitum dicit vnum valde notabile, nempe quod contra petentem innouationem alicuius priuilegij ſeu inſtrumenti, poteſt is, cuius intereſt & de cuius præiudicio agitur, ſe opponere & impedire innouationem prædictam, ſi probet de ſuo iure, quia cum hoc tendat in præiudicium alterius, nunquam debet innouari priuilegium ſiue inſtrumentum, niſi citata parte cuius intereſt, quod adeo creditur eſſe verum, vt ſi non apparet de intereſſe alicuius fieri edictum generale debeat, vt quicumque putauerit ſua intereſſe, compareat ad contradicẽdum. Addit tamen prædictus Panormitanus, in *ca. ex parte, eodem tit. de priuilegijs*, quod quando innouatio priuilegij fit per eum, qui de nouo poteſt illud concedere, non eſt neceſſe citare aliquem ad contradicendum ipſius innouationi, niſi hoc velit facere ad cautelam, ſicut communiter fieri dicitur in Curia, non ſolum in innouationibus priuilegiorũ verumetiam quando fit tranſumptum, ſiue tranſcriptio cuiuſlibet priuilegij. Secus eſt autem, inquit, ſi innouatio fiat per inferiorem, quia tunc nõ valet traſumptio ſeu innouatio, niſi citata parte, aut præmiſſo ſupradicto edicto generali, vt dictũ eſt. Et ſi quæratur, inquit Panormitanus, quare eiuſmodi citatio requiratur? reſpondet in ſupradicto

cto *cap. Albericus, de teſtibus & de atteſtationibus*, pro eo eſſe quia in hac innouatione ſeu traſumptione priuilegij, ita magnum ſubeſt periculum atque in teſtium examinatione, non minus quinvero & maius cum inſtrumentum & priuilegium eſſe poſſit fallum latenter, & Iudex ſiue Notarius de facili, non perpendent illud, cum non ſint de materia informati. Qua propter vocari debet is cuius intereſt, vt ſe opponat ſi voluerit, alias exemplar non valebit. Sed an ſufficiat priuilegium exemplatim exhibere, an vero requiratur, quod oſtendatur originale? tractat latiſſime gloſſa, in *cap. contra morem verbo, conſuetudine, diſt.* 100. videatur ibidem.

Secunda Concluſio.

De iure ſpeciali & ex priuilegio loquēdo non eſt neceſſe vt deductum ab originali priuilegio parte citata tranſcribatur.

QVamuis ſupradicta vera ſint de iure communi, multæ tamen Religiones ſpeciale habent priuilegium, vt tranſumptis literarum Apoſtolicarum ſibi conceſſis, manu alicuius publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus adhibeatur fides, in iudicio & extra, quæ ipſismet literis originalibus adhiberetur, ſi originaliter fuiſſent oſtenſæ atque exhibitæ. Hæc concluſio conſtat in primis, ex priuilegio quodam Leonis Decimi, quod refertur in Compendio, *verbo, priuilegia Fratrum*, §. 31. & habetur in libro Ordinis Italico, impreſſo Venetijs in fine ſecundæ partis, & ante ipſum hoc idem conceſſerat Iulius Secundus pro Fratribus Auguſtinianis, vt habetur in Monumentis Ordinis ſecundæ impreſſionis, fol. 267. conc. 698. & in Supplemēto, fol. 76. conc. 229. & refertur in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 18. vbi dicitur, *quod prædictus Iulius Secundus Motu proprio, ac de plenitudine ſuæ poteſtatis, voluit & ſtatuit ac decreuit, vt quæcumque conceſſio Apoſtolica, facta Ordini Fratrum Auguſtinienſium veleiuſdem Ordinis Generali, ſiue directe ſiue per communicationem priuilegiorum aliorum Ordinum, eandem omnino vim atque efficaciam perpetuo habeat, tam in iudicio, quam extra iudicium, ac ſi plumbeo ſigillo obſignata eſſet, & hoc intelligi volait, tam de his quæ in forma breuis, quam de his quæ per ſupplicationes expedita ſunt, in quibus placuit vt ſola ſignatura ſufficeret.* Et in ſequenti §. 19. habetur, *quod idē Iulius proprio Motu, & ex certa ſcientia, ac de plenitudine ſuæ poteſtatis, decreuit & mandauit, vt quæcumque priuilegia dicto Ordini Auguſtinienſium, vel einſdem Ordinis Generali vtcumque conceſſa, ſiue ipſa exemplaria ſiue eorū tranſumpta oſtendantur, Prælati alicuius, aut publici Notarij manu ſignata, aut etiam Generalis dicti Ordinis ſigillo firmata, eandem omnino vim habeant & illis fides adhibeatur, ac ſi plumbi ſignum haberent.* Habetur in ſupradictis Monumentis Ordinis 1. impreſſione, folio. 208. conceſſione 698. & 2. fol. 62. conceſſione 230. & in dicto Compendio vbi ſupra, §. 20. dicitur, *quod Leo Decimus fecit conſimilē cōceſſionem præfatis Fratribus Auguſtinienſibus, prout Iulius Secundus fecerat, in conceſſione ſuprapoſita, nullo immutato, nepue addito verbo*, prout habetur in Supplemento, fol. 123. conce. 559. & 560. Et §. 30. refertur in eodem Compendio, *quod idem Leo ſtatuit atque ordinauit & decreuit, quod in quibuſcumque cauſis, per Fratres Minores Obſeruantiæ, vel contra eos in Romana Curia vel extra eam pro tempore mortis, ad quarum proſecutionem & defenſionem, aliqua clauſula vel clauſulis ex contentis in literis Apoſtolicis Morem magnum nuncupatis, & alijs quibuſcumque in poſterum forſan concedē dis, indiguerint huiuſmodi Fratres, mandata, citationes & inhibitiones, quæ earum vigore fieri contigerit, etiam illarū non inſerto tenore, ſed ſolum effectu clauſulæ deputationis ſeu conceſſionis & iuriſdictionis huiuſmodi, vna cum clauſula rei ſuper qua agitur, ex ipſis literis originalibus aut earum tranſumpto authentico, de mandato Iudicis coram quo fuerunt productæ, per Notarium publicum fideliter extractis, perinde eos quos concernent arctent, & proceſſus earū vigore pro tempore habiti valeant, & eo prætextu quod nō inſerto tenore delegationis facti fuerint, de inualiditate impugnari nequeant, dummodo in primo actu coram ipſo mandante vel citante, antequam ad vlteriora procedatur, ipſæ literæ originales aut earum tranſumptum authenticum exhibeantur. Quodque ſolum clauſulæ huiuſmodi extractæ vt præferuntur, & non totus ipſarum literarum tenor, apud acta regiſtrari, & quod ipſi Iudices etiam Delegati Apoſtolici, iuxta clauſulæ vel clauſularum, ſic coram eis pro tempore productarum continentiam & tenorem iudicare & definire debeant, ac ſi ipſæ literæ originales ſeu earum tranſumptum authenticum productæ & regiſtratæ forent, Et quod præmiſſis in aliquo per quemcumque etiam miniſtris, & alijs Fratribus dicti Ordinis concedendo, niſi eis pro tempore exiſtentibus generalibus, aut ſuis Commiſſarijs Romanam Curiam ſequentibus vocatis & auditis, & in illis continetur Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, eoſdem deſuper vocaſſe & audiſſe, derogari non poſſit, nec derogatum cenſeatur.* Habetur in libro Ordinis Italico impreſſo Venetijs, in fine ſecundæ partis. Quantum profint eiuſmodi priuilegia, exinde facile licebit colligere, ſiquidem per indulta ſuprrdicta, liberantur Religioſi ab eo onere quod ſubire tenebantur ſecundum terminos iuris communis, de citatione partis intereſſentis aut poſitione edicti generalis ad robur & validitatem ſuorum priuilegiorum. Qua quidem ratione, iam in Summorum Pontificum reſcriptis, quacumque de cauſa ſiue ratione factis, apponi conſueuit ſequens clauſula, *Volumus inſuper, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus adhibeatur fides, quæ exhiberetur originalibus literis, ſi eſſent oſtenſæ atque exhibitæ.* Et hæc pro iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant, progrediamus ad aliud, & ſit ſeptimus Articulus, in ordine ſolito.

ART.

ARTICVLVS VII.

Vtrum priuilegiatus contra pariter priuilegiatum, vti & gaudere poſsit priuilegio?

Concluſio.

Priuilegiatus cõtra pariter priuilegiatũ, nõ gaudet priuilegio.

CONſtitutiſſimum eſt in iure, quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum, non gaudet priuilegio. Hæc concluſio habetur expreſſa in Authentico, *de Sanctis Epiſcopis, paragrapho, ſed hæc præſenti, & in lege verum, paragrapho vltimo, cum legibus ſequentibus, ff. de Minoribus*, vbi dicitur, *quod priuilegium habens non vtitur eo, contra habentem idem priuilegium.* Qua quidem ratione, priuilegia, quæ ſecundum ſacros Canones ſeu Apoſtolica reſcripta atque indulta, conceſſa ſunt Eccleſijs, aut Monaſterijs, non obijci poſſunt aut debent, aduerſus Monaſterium ſiue Eccleſiam, ſimile habentem priuilegium. Quæ quidem generalis Regula, intelligenda eſt & verum habet, quando priuilegiatus vterque priuilegio gaudet, quod eſt dicere, quando ſimul concurrunt duo qui priuilegium habent, & ſunt in caſu quo vtrumque priuilegium valet. Qui quidem caſus non dabitur de facili, nam regulariter loquendo, quando duo ſimul idem habent priuilegiũ & contendunt de aliquo, is præfertur alteri, qui priuilegium prius actu habuit, & practice eſt in illius poſſeſſione, in ea re & ſpecie de qua agitur. Pro quo facit Regula iuris, numero 65. *quod in pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis*, quod & notat Bartolus in *lege vltima, ff. quibus ex cauſis.* Ex quo infertur, quod in ſpecie præſcriptionis, Eccleſia aut Monaſterium, quæ rem alterius Monaſterij vel Eccleſiæ præſcribere contendit, non habet priuilegium, ſed priuilegium habet Eccleſia ſeu Monaſterium, contra quam præſcribitur ſeu vult præſcribi, vt minori tempore ſeu ſpatio, quam quadraginta annorum (ſecundum ius commune) aut ſexaginta (ſecundum particularia priuilegia) contra ipſam non præſcribatur. Vnde in propoſito caſu, proprie & in rigore loquendo, non eſſe videtur priuilegiorum concurſus, nam priuilegium ſupradictum, tantum conuenit Eccleſiæ ſeu Monaſterio, contra quod intentatur præſcriptio. Qui dicendi modus, ſum mopere placet Couarruuias, in regula poſſeſſoria ſecunda parte, §. ſecundo, numero quarto, vbi & ad hoc propoſitum refert & ſequitur Abbatem, in *capit. ſuper ſpolitione, de ordine cognitionum, & in capit. ad aures, de reſcriptis.* Aliud exemplum adduci poteſt, in caſu ædificationis Monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum intra certas cannas, circa quod habentur diuerſa priuilegia Regularibus conceſſa, in quibus omnibus communicant omnes Ordines priuilegium habentes communicationis, ſed in tali caſu proprie etiã loquendo, non dici poteſt, quod ſit priuilegiorum concurſus. Etenim ſi vnum Monaſterium ædificari velit iuxta aliud, intra territorium dictarum cãnarum, illud tantum modo in hac ſpecie habere dicetur priuilegium, quod ex tali ædificatione patitur læſionem ſiue damnum, illud nempe, quod prius eo in loco erat ædificatum, non vero aliud, & ſic illud agere poterit iudice contra ipſum, impediendo prædictam ædificationem. Quando igitur in concluſione dicitur, quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio, intelligenda eſt prædicta Regula, quando ex parte vtriuſque priuilegiati, concurrit priuilegium, ita vt ſit duplex priuilegium, vel duo qui priuilegium habent, & ſunt in caſu quo vtriuſque priuilegium valet. Qua de re meo quidem iudicio, eſt appoſitiſſimum exemplum de illo Commendatario ſeu profeſſore alicuius Ordinis Militaris, qui occidit Clericum. In quo quidem caſu quæri ſolet, an gaudeat exemptionis priuilegio? an vero debeat conueniri coram Iudice ſeculari? Qua de re communis eſt Doctorum reſolutio, quod non debet ad ſuum Superiorem remitti, ſed puniri poteſt per Iudicem ſeculare, nam priuilegiatus cõtra pariter priuilegiatum, non gaudet priuilegio, prout dictum eſt ſupra, & habetur expreſſe, in *lege tertia, paragrapho ſed virumque, Digeſtis de Minoribus.* Nam etiam Clericus in iure vocatur, miles cœleſtis, exercitus, prout habetur expreſſe, in *capite Chriſtianis*, & ibi Gloſſa, *verbo, cœleſtem, vndecima quæſtione prima, & in capite reprehenſibile, vigeſima tertia quæſtione vltima*, facit & *ca. ii. Clericum, diſtinctione 50.* vbi Clerici milites Eccleſiæ vocantur. Alij plures caſus ad hoc propoſitum poſſent adduci, quos ego in præſentiarum breuitatis gratia facio miſſos. Hæc de iſto Articulo, ac tota Quæſtione breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant, progrediamur ad alia, & ſit quadrageſima tertia Quæſtio, in ordine ſolito.

Aliter intelligenda ſit regula, quod priuilegiatus cõtra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio.

Nota ſpecialẽ caſum, in quo priuilegiatus cõtra pariter priuilegiatũ, nõ gaudet priuilegio.

QVEST.

QVAESTIO XLIII.

De priuilegijs quantum ad eorum ceſſationem, abrogationem ſiue reuocationem, in quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Vtrum priuilegia ſiue reſcripta Papæ expirent per mortem concedentis?

Prima Concluſio.

Si gratia in priuilegio, ſiue reſcripto cõceſſa, nondũ erat facta ſed fienda re integra permortẽ cõcedentis ceſſat, ſecus eſt autẽ quando gratia iã erat facta ac perfecte conceſſa.

SI gratia in priuilegio ſiue reſcripto contenta, nondum erat facta, ſed fienda, re integra ſpirat per mortem concedentis, ſecus autem ſi iam erat facta, & perfecte conceſſa. Hæc concluſio eſt expreſſa Syluestri, *verbo, gratia*, num. 3. quam & probat ex *capi. ſi cui iuncta gloſſa, de præbend. lib. 6. & ex cap. ſi ſuper gratia, de officio delegato, lib. 6.* In quorum primo dicitur, quod gratia alicui conceſſa, vt prouidere poſſit idoneis perſonis, in certa Eccleſia aliqua beneficia, quorũ collatio ſpectet ad Sedem Apoſtolicam, perſonis non expreſſis, non expirat prædicta gratia, ſadhuc re integra obitu concedentis, ſecus eſt autem ſi perſonæ fuiſſent expreſſę, & gratia nondum facta. Cuius deciſionis ratio eſt, nam in primo caſu, cum gratia fuerit Epiſcopo, verbi gratia, facta, & iam per ipſum acceptata, mortuo Papa, etiam re integra non ſpirat. At vero in ſecundo caſu ſpirat, cũ eadem gratia non fuerit tam Epiſcopo facta, quam perſonis in priuilegio contentis, in quibus nondũ ſuum ſortita fuerat effectum. Secus autem eſſet, ſi prædicto Epiſcopo non fuiſſet commiſſa gratia, ſed ipſius executio etiam cum aliquali cognitione cauſæ, expreſſa tamen perſona, tunc enim non ſpirat ipſius, vtpote executoris officium morte mãdantis, de quo eſt caſus expreſſus, in *cap. ſi ſuper gratia, de officio & poteſtate Iudicis deleg.* vbi dicitur, *quod executor ſuper gratia facta datus à Papa, mortuo Papa, etiã re integra, gratiam exequitur.* Ad hoc propoſitum plura adducit exempla, ſupradictus Syluester loco ſupracitato. Primum de eo cui concedit Papa, vt diſpenſet cum tali vel tali, in aliquo conſanguinitatis ſeu affinitatis gradu, vel in aliquo voto Religionis, & dicit quod diſpenſare poterit, etiamſi non diſpenſauerit ante mortem concedentis, quod probat ex Federico in conſilijs, conſil. 78. & ſecundum Ioannem Andræam & Antonium, in *cap. ex tua de filijs presbyterorũ.* Dicit præterea Syluester, quod perpetuatur auctoritas diſpenſandi, conceſſa alicui generaliter à Papa per viam gratiæ, per vnam diſpenſationem factam in vita concedentis, ſecus autem (inquit) eſſet, ſi facta fuiſſet per viam commiſſionis, quia tunc niſi feciſſet actum communis diſpenſationis, vtputa ponere edictum generale, & commune, ſeu aliquid ſimile, expiraret quoad alios, cum quibus adhuc non diſpenſauit. Ex quibus etiam num. 5. colligit, quod ſi aliquis Prælatus alicuius Religionis, auctoritate Papæ diſpenſauit cum aliquo Religioſo illegitimo, vt fieri poſſet Prælatus, & re integra, ideſt antequam ille Frater in Prælatum eligeretur mortuus eſſet Papa, & Prælatus, qui cum eo diſpenſauit, durat & valet prædicta diſpenſatio, & poteſt quando caſus ſeſe obtulerit executioni mandari, nam diſpenſatio ſemel canonicè facta, ex ſuperuenienti facto non tractatur, pro quo faciunt expreſſe ſupradicta capitula, *ſi cui, de præbend. libr. 6. & capit. ſi ſuper gratia, de officio deleg. eod. lib.* Facit etiam & eſt caſus expreſſus *cap. ex tua, de filijs presbyterorum.* Vbi videndus eſt Ioannes Andræas latiſſime.

Executor ſuper gratia facta datus à Papa, mortuo Papa etiã re integra, gratiam exequitur.

Religioſus ille gitimus diſpẽſatus ſuper illegitimitate, poteſt eſſe Prælatus, etiãſi re integra moriatur is qui cum illo diſpenſauit.

Secunda Concluſio.

Facultates date à Papa nomine ſuæ perſonæ expirãt morto Papa ſecus eſt de datis nomine ſuæ dignitatis.

QVando Papa concedit alicui aliquam gratiam nomine ſuæ perſonæ, vt cum dicit facias hoc vel illud ad beneplacitum noſtræ voluntatis, ipſo mortuo ſpirat eiuſmodi gratia, ſecus eſt autẽ ſi illam feciſſet, nomine ſuæ dignitatis ſeu officij, & dicendo ad beneplacitum Romani Pontificis, ſeu Sedis Apoſtolicæ. Hæc concluſio generaliseſt omnium Doctorum reſolutio, quam & tenet expreſſe Syluester loco ſupracitato, & verbo *Confeſſor*, 1. num. 3. & Nauarr. in ſuo Manuali, capi. 27. numer. 264. in editione Hiſpanica, & de redditibus Eccleſiaſticis, quæſt. 3. monitione 8. latiſſime, & in §. in Leuitico, notabil. 3. & Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 3. Qua quidem ratione omnes Bullæ, quæ dantur in fauorem Religionis Chriſtianæ, & perſonarum ad quas diriguntur à Papa, non quidem nomine ſuæ particularis perſonæ, ſed nomine ſuæ dignitatis & officij, mortuo ipſo Papa non expirant, nec facultas lucrandi aliquas indulgentias, ſeu eligendi Confeſſorem & ſimilia, in qua reſolutione conueniunt omnes vnanimiter DD.

ARTICVLVS II.

Quibus modis regulariter loquendo, priuilegia fiant nulla & inualida?

HAnc quæſtionem atque difficultatem tractat Syluester, *verbo, priuilegium*, quæſtione decima, de cuius & aliorum reſolutione, atque declaratione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima

Prima Concluſio.

Priuilegium ſubreptitium eſt nullũ & inualidum.

PRiuilegium ſit nullum & inualidum, quotieſcumque ſubreptitiè fuerit conceſſum, vt puta quando impetrans ſuggeſſit aliquam falſam cauſam, ex qua vt vera huiuſmodi priuilegium fuit conceſſum. Pro hac concluſione facit, *cap. literis, & cap. reſcripta*, 25. quæſt. 2. vbi habetur quod in quolibet priuilegio, ſubintelligi debet (etiamſi non ſit expreſſa) hæc conditio, *ſi preces veritati nitantur*, pro ut dicitur in *cap. 2. de reſcriptis*, vbi videnda eſt gloſſa *verbo, conditio*, & multa alia, quæ ad hoc propoſitũ continentur in dicto *cap. reſcripta*, vbi etiam dicitur *quod mendax precator, debet carere impetratis.*

Secunda Concluſio.

Priuilegiũ etiã eſt nullũ, ſi ſit cõtra aliquã cõſtitutionẽ, & de eadẽ facit mentionem.

ETiam priuilegium eſt nullum & inualidum, ſi ſit contra aliquam conſtitutionem, nec de ea facit mentionem, & idem eſt dicendum ſi ſit contra conſuetudinem aut contra ſententiam, & de neutro iſtorum mentionem faciat. Hæc concluſio eſt ſupradicti Sylueſtri loco ſupra citato, in ſecundo dicto, quam & probat, ex *capit. cum nos, de his quæ fiunt á Prælatis*, & ex *capi. 1. de conſtitutionibus. lib. 6.* & ex *cap. inter dilectos, de fide inſtrumentorum*, quibus in locis habetur, *quod priuilegium conceſſum contra conſtitutionem, aut contra conſuetudinem, vel eſt datum contra ſententiã, nihil valet ſi de illis non facit mentionem.* Qua de re videnda eſt ſolemnis gloſſa in ſumma, in *ca. priuilegia*, 25. quæſt. 2. Vbi hæc difficultas agitatur, vtrum vnum priuilegiũ deroget alij, ſi de illo non faciat mentionem? Ad quod propoſitum hinc inde adducuntur plura iura, & tandem concluditur eſſe neceſſarium, quod priuilegium faciat mentionem, de iure ſiue conſtitutione aut alio priuilegio ſi ſit in contrarium, & quod alias non valet, videatur ibi.

Tertia Concluſio.

Etiã amittitur & euacuatur priuilegiũ & fit inualidum, ſi priuilegiatus faciat contra illud, quod in priuilegio exprimitur conceſſum & quãdo ceſſat priuilegij cauſa.

ETiam amittatur & euacuatur priuilegium & fit inualidum, ſi priuilegiatus faciat contra illud quod in eodem priuilegio exprimitur conceſſum, & quando ceſſat priuilegij cauſa, ſeu incipit eſſe iniquum aut damnoſum ei, in cuius fauorem conceditur. Hæc concluſio eſt ſupradicti Syluestri vbi ſupra, in tertio, quarto, & quinto dicto, & quoad primam ipſius partem probat eam, ex *capi. porro*, & *cap. accipimus, de priuilegijs*, vbi habetur, *quod priuilegium ipſo facto ceſſat, ſi priuilegiatus faciat contra illud, quod in eodem exprimitur conceſſum.* Quoad ſecundam vero partem, probat eam, ex *capit. cum ceſſante, de appellationibus*, vbi dicitur, *quod ceſſante cauſa ceſſat effectus.* Facit & *cap. Sugeſtum, de decimis.* Et tandem quod priuilegium ſit nullum & inualidum, quando eſt iniquum & damnoſum, probat ex regul. *61. de regu. iur. quod ob gratiam*, vbi habetur, *quod illud quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Facit & *capit. quid per nouale, de verborum ſignificatione.*

Quarta Concluſio.

Etiã ſit nullũ priuilegiũ per conceſſionẽ ſecundi priuilegij faciẽtis plenã & expreſſam mentionẽ de priori.

ETiam priuilegium ſit nullum per conceſſionẽ ſecundi priuilegij, facientis plenam atque expreſſam mentionem de priori, ſecus eſt tamen ſi non facit mentionem, nam ſecundum non tollit primum, etiamſi primum ſit generale & ſecundũ ſpeciale, Hæc concluſio eſt ſupradicti Syluestri vbi ſupra, in ſexto dicto, quam dicit eſſe probabilẽ, licet aliqui teneant contrarium circa hoc vltimũ ſi primum priuilegium ſit generale, ſecundum vero ſpeciale, an per id tollatur primum? Qua quidẽ de re, magna eſt lis & controuerſia inter iuriſperitos Doctores, ſuper *cap. veniens, de præſcriptio.* Sed difficultatem prædictam non vacat per tempus, ad vnguem ſiue ex profeſſo in præſentiarum tractare. Solummodo dico, quod regulariter loquendo ſecundum priuilegium reuocat primum, faciendo expreſſam mentionem de ipſo, nõ vero aliter iuxta prædictum *cap. veniens, de prescriptione*, neque vero tollit ius commune niſi de illo etiam faciat mẽtionem, iuxta *cap. cum ordinem, eod. tit.* Si autem priuilegium conceſſum ſit, cum huiuſmodi clauſula, videlicet, *quod non reuocetur, niſi de eodem expreſſa mentio fiat, de verbo ad verbum*, tunc neceſſum eſt ad hoc vt reuocetur, quod in ſecundo contineantur pleniſſime ſequentia verba. *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, etiamſi de verbo ad verbum, de illis fieri deberet mentio expreſſa*, vt probe notat Panormitanus, in *cap. cum inſtantia, de cenſibus*, & Syluester vbi ſup. & *verbo, exemptio*, §. 11.

Quinta Concluſio.

Priuilegium potiſſime fit nullum & inualidum, per cõcedẽtis vel illius ſucceſſoris reuocationem.

PRiuilegium quammaxime fit nullum atque inualidum, per concedentis reuocationem, ſeu illius ſucceſſoris. Hæc etiam concluſio eſt omniũ Doctorum communis, de qua & videndus eſt ſupradictus Syluester vbi ſupra in ſeptimo dicto, vbi & probat eam argumento deducto, ex *l. iudicium, ff. de iudicijs.* Qua de re videatur Felinus, in *cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtitut.* vbi multis probat, qualiter Princeps ex cauſa, reuocare poſſit ſuum priuilegium. Quidam dicunt, quod etiam ſine cauſa illud poteſt facere, & quod hoc ſpeciale eſt in ipſo, ſed ſine cauſa illud facere non debet. Vt enim habetur, in *cap. decet, de reg. iur. quæ eſt reg. num. 16. conceſſum à Principe beneficium eſſe decet permanens*, & inconſtantia nimium, in iure reprobatur, ſed maxime in Principe, in quo tanquam in fonte eſſe debet immobilis iuſtitia, quæ eſt conſtans & firma voluntas reddẽdi vnicuique quod ſuum eſt: & eadem eſt ratio de priuilegio ab ipſo ſemel conceſſo, quod immutari non debet ſine cauſa. Facit & regula 21. vbi dicitur, *quod ſemel placuit, amplius diſplicere nõ debet.* Ex cauſa tamen in omni opinione reuocari poteſt quinvero & quandoque debet illud facere Princeps. Et cauſa legitima eſt, ſi exinde alijs læſio aliqua ſequatur enormis, iuxta *capit. ſuggeſtum, de decimis*, vbi priuilegium quoddam reuocatur, quia ex poſt facto incepit enormiter eſſe nociuum, vel ſi is qui accepit priuilegium non ſeruat priuilegia ſui Superioris, conceſſa ſuis ſubditis, iuxta *capitu.*

dilect

dilecti, de priuilegijs, vbi ſpecialiter videnda eſt gloſſa, *verbo, decurtanimus*. vbi ex decisione præfati capituli elicit hanc concluſionem, *quod non ſunt ei ſua iura ſeruanda, qui alienum ius violare non metuit*. Pro quo citat *cap. vbi iſta diſt. 74. & cap. ſic decet 25. quæſtione 2. & cap. 1. & 2. de mutuis petitionibus, & cap. eſto ſubiectus 95. di. & cap. omnes, de conſtit.* vbi habetur, *quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe debeat eo vti*. Sed aduerto, quod ad hoc vt priuilegiū cenſeatur reuocatū, debet cōſtare de voluntate Principis volētis illud reuocare, ad quod communiter deſernit illa clauſula, *non obſtantibus, &c.* ſed vt dictum eſt reuocati priuilegij fieri debet mentio expreſſa, nam ſi non fiat quamuis poſterius ſit ſpeciale prius vero generale, non cenſetur reuocatum, ſecundum multorū probabilem opinionem, pro quo facit gloſſa in *ca. veniens, de præſcriptionibus, verbo, nullam*, & quæ tradit Abbas in *cap. 1. de præſcript. & in d. cap. veniens*. De cius conſ. 147. & ſelimus in dicto *capi. 1. de præſcript.* de qua difficultate, vt ſupra dixi, ob exiguitatem temporis tractare in præſentiarum non licet. Addo, quod non tantum prioris priuilegij fieri debet reuocatio & mentio expreſſa, & maxime ſi illudhabeatur in corpore iuris communis, verumetiāclauſulæ derogatoriæ ſi qua ei ineſt, in tantum quod ſi duplex clauſula derogatoria adſit, vtriuſque debet mentio fieri, quod & obſeruare ſolent in ſuis priuilegijs Pontifices ſummi communiter, mentionem faciendo de priuilegijs per noua reſcripta derogatis, & non ſolum de clauſulis derogatorijs, verumetiam de aliis clauſulis, derogatoriarum derogatorijs. Item aduerto, quod ſi ſuperior ex certa ſcientia confirmauit priuilegium conceſſum ab inferiori non poterit poſtea reuocari per inferiorē, iuxta *ca. priuilegia, el 1. y el 2. 25. quæſt. 2.* vbi habetur *quod ex quo priuilegia Eccleſiæ conceſſa, ab Imperatore ſiue Rege, ex certa ſcientia per Papam fuerint confirmata, non poſſunt Imperatores ſiue Reges poſtmodum ipſa reuocare*, quod eſt multum notandum atque memoriæ commendanbum.

Qualiter debeat cōſtare de reuocatione priuilegij.

Priuilegia à Regibus, vel Imperatore cōceſſa & cōfirmata per Papam nō poſſūt poſtmodum ab eiſdē Regibus vel imperatore reuocari.

Sexta Concluſio.

ETiam amittitur priuilegium, per propriam & expreſſam renuntiationem illius cui factum eſt. Hæc etiam concluſio eſt ſupradicti Syluestri, vbi ſupra in octauo dicto, & probat eam ex *capi. nuper, de decimis*, quod dicit eſſe intelligendum, quantum ad ius tangens ipſum renuntiantem ſolummodo, ſecus eſt autem ſi tangat Papam ſeu aliquem tertium. Pro quo facit quod dicit Panormitanus in *capit. de eerta, de priuilegijs*, nempe liberum eſſe cuique renuntiare ſuo priuilegio, modo non tangat ius Superioris aut tertij. Quo fit vt priuilegio exēptionis renuntiare non poſſit priuilegiatus, ſine licentia Papæ, per *capitul. cum tempore, de arbit.* neque Clericus renuntiare poteſt priuilegio ſuo, per *capit. ſi diligenti, de foro competenti*, nec Abbas priuilegio ſui Conuentus, ſecundū Bartolum, in *capit. cum dilectus, de Religioſis domibus*, ſit ſeptima Concluſio.

Priuilegium amittitur per renuntiationē illius cui conceſſum eſt,

Septima Concluſio.

AMittitur etiam priuilegium, per legitimam præſcriptionem contrariam, congruo atque legitimo tempore habitam. Hæc etiam concluſio eſt prædicti Syluestri vbi ſupra, in nono dicto, & *verbo, præſcriptio*, 2. in fine, & pro ea facit, *cap. veniens de præſcript.* Qua quidem de re, nihil de nouo occurrit dicendū, præter ea quæ ſuperius diximus, quæſtion. 42. art. 5 concl. 2. circa tempus præſcriptionis ſeu ad præſcriptionem neceſſario requiſitum, tam de iure communi, quam de iure particulari, & etiam ex priuilegijs aliquarum Religionum, & omnium priuilegium habentium communicationis.

Præſcriptione contrariae ciā amittitur priuilegium, ſi ſit habita congruo & legitimo tēpore.

Octaua Concluſio.

PRiuilegium etiam amittitur per abuſum, ſeu potius per non vſum, aut per contrarium vſum Hæc etiam concluſio eſt ſupradicti Syluestri vbi ſupra in decimo dicto, quam etiam probat ex *capi. priuilegium, 21. quæſt. 3.* & ponit exemplum in priuilegiato, vt decimas non ſoluat, & ſoluit ipſas ſicut alij. Item in Conuentu exempto, vt coram ordinario non reſpondeat, & reſpondet non allegans priuilegium, vel ſi allegat non oſtendendo ipſum, vbi ad hoc propoſitum dicit plura, eaque notatu digniſſima, excitando illam arduam atque difficilem quæſtionem, vtrum per vnum contrarium actum amittatur priuilegium? quam & latiſſime tractat atque reſoluit, ſed quia hac de re nos plura diximus ſupra in prædicta quæſt. 42. arti. 5. concluſione prima & ſecunda, ab hoc negotio ſuperſedemus, lectorem remittentes ad prædictum Syluestrum, loco ſupracitato.

Etiam amittitur priuilegium per abuſum, ſeu potius per non vſum, & maxime per contrarium vſum

ARTICVLVS III.

Vtrum priuilegia Regularium amittātur & perdantur, non viuendo Regulariter?

RAtio dubitandi eſt, nam ſecundum commune prouerbium, *ſi nomine priueris, nec rem habere mereris*. Quo innixi fundamēto, dicunt communiter omnes Doctores iuriſperiti, quod ſi ſcholares in aliqua Vniuerſitate commorantes, ſecularibus negotijs ſe immiſceāt, & ſcholas non intrent neque ſtudeant, neque ibidem aſſiſtant ſiue commorentur ſtudendi cauſa, ſed ludendi, conſumendique ad libitum bona paterna & Eccleſiæ, non gaudent priuilegijs Vniuerſitati eidem conceſſis. Quod & ſpecificant in Vniuerſitate Salmanticenſi, circa Bullam Eugenianam qua conceſſit fructus beneficij in abſentia ibidem exiſtenti cauſa ſtudendi, & inquiunt, quod illos ſic percipientes, non ſunt tuti in conſcientia. Cui reſolutioni ratio ipſa fauere videtur, nam ceſſante cauſa priuilegij ceſſat & priuilegium ipſum, vt ſupra concluſione tertia diximus, & tradit Syluester

ver-

verbo, priuilegium, q. 10. *in 4. dicto*, & constat ex *cap. cũ cessante, de appellat.* vbi habetur, *quod cessante causa, cessat effectus.* Quod & confirmatur ex eo, nã qui sunt de Collegio alicuius artis, illam non exercentes, non gaudent priuilegio eiusdem artis, prout notat Bart. in *leg. si operis. ff. de iure immunitatis.* & habetur à glosa in *cap. generaliter*, §. *non denagantes*, 16. q. 1. vbi ad hoc propositum habentur plura eaque notatu digniſſima, in idque adducuntur & allegantur plura iura. Ex quibus omnibus videtur dicendũ, quod Religiosi similiter irregulariter viuendo, si fuerint effrenati & dissoluti, non vti possunt priuilegijs sibi concessis sub tali nomine & prætextu Religionis, in maximum aliorum præiudicium, vt scilicet non soluant decimas, neque compelli possint ad solutionem aliquarum Collectarum, ob quorum exemptionem, alij pauperes forsan iusti & boni grauentur. Hæc est ratio dubitandi, & nec modica quidem, sed maxima. Sed quamuis id, forsan in foro conscientiæ verum habeat, quinvero vt credo sine dubio in eo foro dicta sententia vera sit, attamen in foro exteriori aliud est iudicium, de quo sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

In foro exteriori loquẽdo Regulares nõ amittunt sua priuilegia, etiã irregulariter & irreligiosè viuẽdo.

IN foro exteriori loquendo, Regulares nõ amittunt sua priuilegia etiam irregulariter viuendo Huius conclusionis ratio est, nam Ecclesia non iudicat de occultis: & licet generalis sit Regula, quod cessat effectus, & etiam similiter priuilegiũ, cessante eiusdem priuilegij causa, hoc autem intelligendum est, quando cessat causa in communi vt dicunt omnes communiter Doctores Iurisperiti, & nos diximus supra agendo de legibus, secus est autem si cessat causa ex accidenti, & in aliquo casu siue persona particulari, vt constat ex multis iuribus, ex lege *nam adeo. ff. de legatis*, & *lege si a fratre, C. qui testamenta facere possunt.* Qua de re videndus est Couarruuias in *cap. cum cessat, de testamentis*, & Soto lib. 4. de iustitia & iure, quæst. 5. art. 3. Qua quidem ratione, inquiunt Doctores Iurisperiti, quod priuilegia generaliter concessa mulieribus propter liberos, vigebunt etiam in ea muliere, quæ ex accidenti filios non habuerit; quia eiusdem rationis videtur cessare in particulari, quod vtique non facit cessare legis dispositionem. Sic in proposito dico, quod quamuis aliquis Religiosus in particulari ir religiosè viuat, in foro exteriori non amittit priuilegium alijs Religiosis cõcessum nam licet in eo, seu forsan in aliquibus alijs priuilegiorum ratio cesset, non tamen cessat in communi, quod sufficit ad ipsorum validitatem. Neque argumenta in contrarium adducta, siue pro ratione dubitandi aliud concludunt, nam solummodo verum habent in foro conscientiæ, quod nos minime negamus, quinvero constanter asserimus, esse id nimis probabile, multumque rationi consonum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Religiosi & Regulares, vti possint suis priuilegijs, absque suorum Prælatorum licentia, seu potius ipsis repugnantibus, atque contradicentibus?

RAtio dubitandi est, nam secundum ius in eorum non potest tollere, seu abrogare id, quod à Superiore est gestum, nisi forsan in casu quo quis abuteretur aliquo priuilegio, tunc enim posse videretur, nam iuxta *capit. priuilegium*, 11. *quæst.* 3. *priuilegium omnino meretur amittere, qui male sibi permissa vitiat potestate*, & certũ est, quod priuilegium propter delictum deperditur, vt habetur in *cap. ita nos*, 25. *quæst.* 2. hoc autem non existente, non videtur quod inferiores Prælati, tollere seu abrogare possint, id quod à Superiore & supremo Prælato, nempe à summo Pontifice est gestum, & restringere aut limitare sibi subditis priuilegiorum Apostolicorum vsum, eo vel maxime, cum priuilegium alicui Religioni siue Collegio concessum, singularibus etiam personis eiusdẽ Religionis siue Collegij censeatur concessum, præsertim quando priuilegium est eius generis, quod nisi per singulares personas exerceri non potest, alias enim in multis casibus priuilegia redderentur frustratoria, quod nullo modo est dicendum, vt dicunt communiter omnes Doctores Iurisperiti. Sed quamuis hoc sit certum, & verum habeat in alijs casibus, in proposito tamen contrarium videtur omnino dicendum, de quo sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

Superiores Prælati, & maxime Capitula Generalia, bene possunt tollere, restringere & limitare sibi subditis priuilegiorum vsum

SVperiores Prælati, & maxime Generales Ordinum, & Capitula Generalia & Prouincialia bene possunt tollere, limitare siue restringere, sibi subditis, vsum quorumcumque priuilegiorum Apostolicorum. Patet hæc conclusio, nam licet de iure communi contrarium dicendum videretur, propter rationes adductas pro ratione dubitandi, sed tamen ad id iam omnes fere Religiones, speciale habent priuilegium. Et vt à nostra exordiamur, Leo Decimus concessit, *quod Generalis Ordinis Fratrum Minorum in suo Capitulo Generali, & quilibet Prouincialis in suo Capitulo Prouinciali, de consensu eiusdem Capituli, vel maioris partis, declarare possit & valeat vtrum ab vsu alicuius concessionis, viuæ vocis oraculo factæ, abstineri debeat: postquam declarationem, tam Fratres, quam Moniales suæ obedientiæ, concessione eadem in posterum non vtantur, ac si concessio huiusmodi per sanctitatem suam, suspensa vel reuocata fuisset.* Habetur in Supplemento, & refertur in Compend. *verbo, priuilegia Fratrum*, §. 26. Similem concessionem habent, vt dicitur Fratres Augustinienses per eundem Leonẽ X. & Cistercienses per Eugenium II. & Clemen. IIII. prout refertur in Comp. Ordinis Cistercienſis, *verbo, priuilegium*, §. 6. & in Compend. Societatis, codẽ

Nota hanc cõcessionem.

verbo, §. 3. & quia prædictum priuilegium Clementis Quarti ad propositum quamplurimum facit, libet ipsum ad vnguem in præsentiarum referre.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbati & Conuentui Cistercij Cabilonensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ne propter insolentiam aliquorum, quærentium quæ sua sunt, non quæ Dei turbari contingat sanctæ contemplationis otium, cui vos specialiter denouistis. Nos ex hoc paci vestræ, ac Ordinis vestri tranquillo statui paterna solicitudine consulentes, indulgentias omnes & literas per quascumque personas eiusdem Ordinis contra communia ipsius statuta á Sede Apostolica vel eius Legatis sub quacumque forma vel expressione verborum impetratas, vel de cætero impetrandas, irritas & inanes præsentium auctoritate decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. datum Perusij, Idibus Iulij Pontificatus nostri anno 1. Habetur hoc priuilegium in quadam Bulla dicti Ordinis, impressa Compluti, anno 1574. folio 33. vbi etiam dicitur, quod idem Clemens concessit eidem Ordini Cistercij, *quod Pater Abbas subiectum sibi Abbatem, possit in certis casibus grauibus deponere, inter quos hunc tamquam grauissimum expressit, si contra communia ipsius Ordinis instituta priuilegia impetrauerit vel retinuerit, aut vti præsumpserit impetratis.* Et nunc nouissime anno Domini 1575. tertia die Maij, Gregorius, Decimus Tertius, concessit ac decreuit, *ne personæ Societatis Iesu, absque expressa superiorum eorundem licentia, vti possint facultatibus in bubleis, bullis Cruciatæ, confessionalibus, aut alijs quibuscumque Apostolicis indultis, quomodocumque hactenus concessis & in posterum concedendis, & declarauit præterea posse superiorem dum huiusmodi licentiam concedit, limitare eam ad vsum vnius aut alterius facultatis, & prohibere vsum reliquarum etiam in eadem bulla, aut indulto contentorum.* Habetur in Compendio prædictæ Societatis, sub titulo, *gratiarum vsus*, §. 2. Quibus quidem indultis & priuilegijs, nos etiam Minores Fratres possumus vti & frui, & quicumque alij Ordines priuilegium habentes communicationis. Sed quod hoc reciſſe prædictos Summos Pontifices, iuri ac rationi fuerit quammaxime consonum ex eo patet: nam cum Prælati supradicti, & maxime Generales electi & constituti fuerint, ad conseruandam obseruantiam suarum Religionum respectiue, easdemque reformandas si opus fuerit, qua quidem ratione, & in quibusdam Ordinibus dicuntur Reformatores, expediebat quidem quammaxime, quod restrictio, limitatio, seu potius declaratio vsus quorumcumque indultorum siue priuilegiorum Apostolicorum, ad eosdem pertineret. Neque credendum vllo modo est, velle summos Pontifices prædictos, Regularis Obseruantiæ tantopere zelatores, contra suorum Prælatorum voluntatem ipsisque renuentibus ac contradicentibus, vti Fratres in particulari, priuilegijs eisdem Ordinibus concessis, neque id vllo pacto fuisset rationi consonum. Sicut enim leges pro eo quod in commune bonum feruntur, respiciuntque vtilitatem publicam, iuxta *cap. erit autem lex, dist. 4.* non obligat nisi in communi recipiantur, quia non videntur velle legislatores, vnum aut alterum obligare, ad obseruandum id quod alij simul sibi subditi non seruant, vt optime notat & aduertit Nauarrus libro primo consiliorum, titu. de constitut. consil. 1. numer. 17. ita & dicendum videtur, de priuilegijs Religionum quod cum in commune bonum concedantur, respiciantque vt credibile est, vtilitatem semper publicam, non est credendum aut præsumendum, velle summos Pontifices, quod Fratres in particulari eisdem vtantur, nisi prius recipiantur in communi, neque quod in Religionibus & Conuentibus sit deformitas, disparque viuendi modus. Vnde resolutiue dico, quod Prælati supradicti Generales & Prouinciales, de consensu Generalis & Prouincialis Capituli, seu maioris partis, restringere & limitare possiunt, quæcumque priuilegia siue vocis oracula ipsorum Religionibus facta, prout in prædicto Leonis Decimi priuilegio cõtinetur ac si opus fuerit eorundem vsum abeis tollere, omnino. Id quod in nostro sacro Ordine Minorum, communiter obseruatur in praxi, in Capitulis Generalibus & Prouincialibus, restringendo aut limitando, aut etiam omnino tollendo, ne dum à subditis, verumetiam à Prouincialibus & Guardianis, quarundam rerum vsum, qui alias secundum priuilegia & indulta Apostolica sibi foret licitus. Nam id quod communiter dicitur, & habet illa generalis & magistralis regula, nempe quod inferior non potest tollere id, quod à Superiore est concessum, intelligendum est, nisi alias ad id speciale habeat priuilegium, restringendi aut limitandi aut forsan repudiandi priuilegia, sibi aut suo Ordini cõcessa. Cum beneficium conferri non debeat in inuitum, neque inferior dicitur contra Superioris voluntatem facere, si nomine sui Ordinis & Religionis repudiet, seu recipere renuat, id quod facere sibi non conuenit, & ab eodem Superiore est sibi concessum. Quæ de isto Articulo & de tota Quæstione breuiter atque resolutiue dixisse sufficiat.

Nota quod sicut leges non obligãt nisi in cõmuni recipiantur, ita neq; priuilegia

Similè priuilegium habẽt Religiosi Societatis concessum sibi per Gregor. XIII. Quã fuerit rationi & iuri cõsonum, eius modi Prælatis concessa fuisse dicta priuilegia

qualiter sit intelligẽda illa generalis Regula, quod inferior non potest tollere, id quod à Superiore est concessum.

QVAEST.

QVAESTIO XLIIII.

De priuilegijs, quantum ad ipſorum explicationem declarationem, ſiue interpretationem incommuni in quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Verum explicatio, declaratio ſiue interpretatio priuilegiorum, ſolummodo ad Principem, ſiue ad Romanum Pōtificem pertineat?

QVamuis de iure communi & regulariter loquendo, priuilegiorum ſicut & ſacrorum Canonum explicatio, declaratio & interpretatio, ad ſolum ſpectet Romanum Pontificem, ſicut & ſecularium legum ad Reges vel Imperatores, nam ſecundum iuris Regulam, cuius eſt legem condere, ipſius eſt etiã eandem interpretari, iuxta *l. fin. C. de legibus, & habetur de regulis iuris, lib. 6.* attamen propoſito Articulo atque difficultati, non ſatis fieri poteſt congrue niſi loquendo ſub diſtinctione, prout loquitur Panorm. in *cap. cum veniſſent, de iudicijs*, vbi eandem proponit quæſtionem. De cuius ſententia & reſolutione, ſequentes ſtatuo concluſiones.

Prima Concluſio.

Quando dubiũ eſt de poteſtate principis, an potuit vel non potuit dare priuilegium tunc eius interpretatio ad ſolum eundem ſpectat.

SI dubium eſt ſuper poteſtate Principis, an ſcilicet potuerit vel non potuerit dare priuilegiũ ipſius interpretatio & declaratio, ad ſolum Principem ſpectat, & nulli inferiori à Principe id facere licet. Hæc concluſio eſt Panormit. vbi ſupra, de qua & videndus eſt Syluester, *verbo, interpretatio*, q. 2. vbi & probat eam, ex *cap. 1. de tranſlat. Prælat. & ex §. qui autem, 17. q. 4. & cap. cuncta per mundum, 9. q. 3.* Quibus in locis ad hoc propoſitum inuenire licebit multa notatu digniſſima, oſtendendo qualiter Romanus Pontifex & Eccleſia Romana de omnibus iudicat, ipſa vero à nemine iudicatur.

Secunda Concluſio.

Quando dubium eſt ſuper validitate priuilegij bene poteſt iudex inferior illud declarare & interpretari.

SI dubium eſt ſuper validitate aut ſubreptione alicuius priuilegij, ſic bene poteſt Iudex inferior illud interpretari. Hæc concluſio eſt ſupradicti Panormitani, & Sylueſtri, locis ſupracitatis, quam & Syluester dicit eſſe opinionem communem, ſed intelligenda eſt concluſio cum ſale, ita vt Prælatus inferior, qui priuilegium habet interpretari & declarare, in eadem cauſa non ſimul agat officium actoris ſiue partis, aut ſuſpectus ſit de eo quod aliquo peculiari lucro aut commodo moueatur. Qua quidem ratione in fauorem multorũ Regularium, à ſummis Pontificibus conceſſum eſt priuilegium, quod in cauſa dubia, an iuriſdictio cõtra ipſos ad Epiſcopum pertineat, an vero ad proprios Iudices & Prælatos Regulares, Epiſcopus ipſe non poſſit in tali caſu Iudicem agere, & ipſorũ priuilegia interpretari, ne ſint Iudices in propria cauſa, contra *l. qui iuriſdictioni, ff. de iuriſd. omn. iud. & cap. ex parte, de verbor. ſignificat.* Quin vero quando Epiſcopus cum ſibi ſubditis litigat, multorum fere opinio, quod in eo caſu ſuſpenſam habet iuriſdictionem, aut ſaltem hoc eſt certiſſimum, quod Papa exhibere ſolet ſuas literas, quibus durante lite eiuſmodi ſubditos ab ipſius iuriſdictione eximit. Ad hoc propoſitum eſt peculiaris conceſſio Clem. IIII. facta Fratribus Minoribus & Prædicatoribus quæ habetur in Monum. Ordi. 1. impreſſ. f. 30. & 31. conc. 31. & refertur in Comp. *verbo, priuilegium*, §. 5. vbi dicitur, *quod Clemens Quartus inhibuit diſtricte omnibus Eccleſiarum Prælatis, ne interpretari præſumant priuilegia & indulta conceſſa Fratribus Minoribus & Prædicatoribus, ſine clara quæ interpretatione non indigent ſiue dubia contineant, & voluit quod interpretatio ſuper huiuſmodi dubijs & obſcuris, reſeruetur Sedi Apoſtolicæ, cum eius ſit legem ſiue priuilegium interpretari, cuius eſt condere.* Simile priuilegium habent Religioſi Societatis Ieſu, vt refert Collector Comp. eiuſdem Societatis, *tit. priuilegium*, §. 1. & 4. qui etiam refert eoſdem habere priuilegium, *quod quotieſcumque dubium fuerit ſuper intellectu priuilegiorum Societatis, interiuriſperitos & alios iudices, in fauorem eiuſdem Societatis fiat interpretatio*, prout etiam conceſſiſſe dicitur Alexan. VI. Cõgregationi Benedictinorũ Valliſoleti, quadam ſua Bulla data Romæ Kalendis Aprilis, anno 1501. Pont. ſui anno 8. quibus priuilegijs & indultis fruuntur omnes Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis.

Nota cõceſſionẽ Clem. Quarti pro Fr. Mãnoribus & Prædicat. qua inhibẽtur omnes Eccleſiarum Prælati, ne noſtra præſumant interpretari priuilegia, ſed interpretatio Sedi Apoſtolicæ reſeruatur.

Tertia Concluſio.

Si dubium ſit circa priuilegiorum verba & caſus eſt clarus & facilis, bene poteſt index inferior ipſum interpretari etiam in præiudicium partium. Si dubium eſt circa priuilegiorum verba & caſus eſt dubius ad Principem ſpectat illius declaratio & interpretatio.

SI dubium ſit ſolummodo circa priuilegiorum verba, & caſus eſt clarus & deciſibilis de facili, bene poteſt inferior de eiſdem cognoſcere etiã in præiudicium partium. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Panorm. & Sylueſt. quam dicit eſſe omnium DD. opinionem communem, nam inferior interpretatur legem Superioris etiam in præiudicium partium, vt notat Innocent. in *capi. cum ſpeciali, de appell.* & determinatur etiam in iure, in *cap. inter alia, de ſentent. excommunicat.*

Quarta Concluſio.

SI dubium eſt circa prædicta verba, & caſus nõ eſt facilis, tunc ad Principem ſiue Romanũ Põtif. pertinet priuilegiorum declaratio, & ad ipſum eſt recurrendum ſi eius præſentia haberi poteſt de facili & interim negotium eſt ſuſpendendũ. Hæc

concluſio eſt ſupradictorum Panormi. & Syluest. qui & probat eam ex multis iuribus. Sed primo ex *cap. cum veniſſent, de iudicijs, & ex d. capi. inter alia, de ſententia excommunicat.* & ex *le. ex facto, §. 1. ff. de vulg. & pupi.* & addunt quod ſi de facili non poteſt adiri Princeps propter longam diſtantiam, tunc fieri poterit prædictorum priuilegiorum interpretatio per rationem naturalem & verosimilem, quæ notari poteſt per expreſſa verba, ſicut & fecit Iuriſconſultus, in dicta *l. ex facto*, §. 2. vbi legem interpretatur ex naturali ratione. Pro quo facit etiã quod notat Innocent. in dicto *cap. cum ſpeciali, & textus in cap. cum perſonæ, de priuilegijs, lib. 6.* & generaliter hoc eſt verum, quod cum dubium verſatur circa intentionem Principis, & decidi non poteſt ſine magno dubio, ipſius interpretatio eſt eiuſdem Principis, neque ad alium pertinet, quia vt diximus, cuius eſt legem condere, eius eſt interpretari ipſam, & interim negotium ſuſpendi debet, vt habetur in dicto *cap. cum veniſſent, de iud. & cap. inter alia, de ſentent. excommunicat.* Pro quo etiam facit *capi. venerabilem, de electione.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Religionum Prælati facultatem habeant interpretandi priuilegia ſuis Ordinibus conceſſa?

Prima Concluſio.

Priuilegiorum interpretatio & declaratio iudicialis ad ſolum ſummum Pontificẽ ſpectat.

PRiuilegiorũ & ſacrorum Canonum interpretatio & declaratio iudicialis, ad ſolum Romanum Pontificẽ ſpectat. Hæc cõcl. iam ſatis conſtat ex ſupradictis, & pro ea videnda ſunt, quæ latiſſime diximus ſupra, quæſt. 26. art. 10. concl. 1. circa interpretationem & declarationem iudicialem ſacrorum Canonũ, vbi & ad hoc propoſitum (ni fallor) adducta ſunt omnia, quæ deſiderari poſſunt, & videantur DD. in *ca. cum veniſſent, de iudiciis.* Sed loquendo de alia interpretatione, & declaratione priuilegiorum particulari, magiſtrali ſeu doctrinali, ſit 1. concluſio.

Secunda Concluſio.

Priuilegiorum interpretatio, & declaratio doctrinalis & magiſtralis bene fieri poteſt á Religionum Prælatis.

PRiuilegiorum interpretatio & declaratio doctrinalis & magiſtralis, non vero iudicialis, bene fieri poteſt á Religionum Prælatis, qua facta eorum ſubditi tutæ conſcientiæ ipſorum ſententiæ poſſunt ſtare. Hæc concluſio eſt omnium Doctorũ reſolutio, & pro ea videnda ſunt etiam, quæ diximus ſupra loco ſuperius citato conclu. 2. Et ratio eius in promptu eſt, nam eiuſmodi declarationem ſiue interpretationem magiſtralem & doctrinalẽ, etiam efficere poſſunt quicũque alij literati, Theologi, multoque melius Iuriſperiti, ſecundum naturalem rationem & iuris fundamenta, generaleſq; regulas, quarum aliquas nos appoſuimus ſupra q. 25. artic. 26. & alias quas afferemus ſtatim in ſeq. Art. Solummodo eſt differentia penes hoc, quod Prælatorum ſupradictorum interpretatio & declaratio facta, maioris eſt ponderis, amplioriſq; auctoritatis ad aſſecurandas cõſcientias Fratrum, propter ſpeciales in id factas, aliquorum Summorũ Pontificum conceſsiones. Qua quidem de re in Mon. Ord. 1 imp. fol. 76. & in ſupp. fo. 101. con. 394. habetur, *quod Innocent. VIII. fratribus Ord. Prædicatorum Congregationis Hiſpaniæ, circa eorum priuilegia ſequentem fecit conceſsionem. Quia nonnulla dubia occurrunt & occurrere poſſunt Fratribus Ord. Prædicatorum Congregationis Hiſpaniæ, ſuper gratijs & priuilegijs tam Ordini quam Cõgregationi prædictis conceſsis, idem Dominus Innocentius pro ſecuritate conſcientiarum prædictorum Fratrum, conceſsit facultatem Vicario Generali dictæ Congregationis pro tempore exiſtenti, cum aliqua perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, & duobus alijs Iuriſconſultis, interpretandi huiuſmodi dubia, & quod Fratres dictæ Congregationis, ſecure poſsint ſtare declarationibus per eoſdem faciendis.* Refertur hæc conceſsio in Comp. *verbo, priuilegia Fratrum.* §. 13. Circa quam aduertit ibidem Priuile. Collector, quod illud quod conceditur hic Vicario generali Fratrum prædictæ Congregationis, debet intelligi etiam eſſe conceſſum cuilibet Prouinciali Fratrum Minorum Prouinciarũ Caſtellæ & Legionis, ſed non aliarum Prouinciarum extra huiuſmodi Regna. Et hoc ratione cõmunicationis ſpecialis factæ huiuſmodi Fratribus, quæ habetur in dictione ſiue *verbo, communicatio Priuilegiorum.* §. 13. Sed tamẽ nos non indigemus eiuſmodi cõmunicatione, ſiquidem Leo. X. conceſsit, *quod in rebus dubijs & ſcrupuloſis, conſcientias Fratrum Minorum ſubditorum tangentibus, Generales & Prouinciales ſeu Cuſtodes, cum conſilio aliquorum Patrum (ſi res magnæ importantiæ fuerint) poſsint auctoritate ſuæ Sanctitatis, determinare in ſcrupulis & rebus huiuſmodi, atque eorum determinationi ſubditi ſecura conſcientia debeant & poſsint ſtare.* Habetur in Supplem. f. 59. conc. 172. & fo. 93. conc. 287. & refertur in Comp. *verb. declarare*, §. 4. & 5. vbi etiã dicitur, *quod idem Leo amplians conceſsionem prædictam, conceſsit quod Fratres, qui nimis ſunt ſcrupuloſi, poſsint in omnibus dubijs ſuam conſcientiam tangentibus, ſecurã conſcientia ſtare determinationi ſui Guardiani, vel cuiuſcunque alterius Prælati.* Per quæ verba datur intelligi, quod etiã Vicarijs & Præſidentibus Conuentuũ in abſentia Guardianorum hoc ipſum conceditur, vt ſcilicet poſſint prædictam declarationẽ & interpretationem facere, quãuis ipſi proprie, & in rigore loquendo non ſint veri Prælati, attamen cum eiuſmodi priuilegium fundetur in fauore publico ſpectetque ad ſalutem animarum, & priuilegia in fauore publico fundata, ſeu in aliqua cauſa pia & fauorabili ſecundũ cõmuniter DD. extenſionẽ recipiant de vna ad aliã perſonã ex paritate rationis dicẽdũ proculdubio videtur, quod huiuſmodi auctoritas in prædicto caſu, conceſſa ſit etiam prædictis Conuentuũ Vicarijs, ſeu Præſidentibus in ſuorũ Guardianorũ abſentia, alioquin non ſatis recte ſubditorũ Fratrũ conſcientiæ fuiſſet prouiſum. Supradicta priuilegia quãmaximi ſunt momenti, ad aſſecurandas ſcrupuloſorũ Fratrũ conſcientias qui & tenentur ſuorũ Prælatorũ declarationi, in rebus dubijs acquieſcere, captiuando ſuũ intellectum in obſequiũ Chriſti. Circa quod multa diximus ſupra in præcedenti to. q. 26. per plures Arti. agendo de obedientia, & D. Tho. 2. 2. q. 96. art. 5. in corpore Articuli, & ad 2. argum. & 2. 2. q. 147. ar. 4. & Ca-

Nota quod Religionum Prælati, ſpecialẽ facultatẽ habent ad hoc, vt ſua priuilegia poſsint interpretari, & declarare.

Nota declaratio nẽ Leo. X. ſine auctoritate Prælatorum ad interpretãdum dubia pro aſſecurandis conſcientijs Fratrum.

& Caiet. ibid. & Nauarr. in Man. cap. 21. nume. 22. vbi inquit male atque imprudenter agere Prælatos, qui dubitantibus ipſorum ſubditis an teneantur ieiunare, hoc ſuis conſcientijs relinquunt, cũ potius deberent ſententiam proferre, cui tuta conſcientia ipſi ſubditi poſſint ſtare. Videatur etiam hac de re Sylueſt. *verbo, obedientia, q.* 2. & Caietan. *verbo, ieiunium*, & Corduba ſuper noſtram regulã cap. 10. quæſt. 2. in tertio puncto, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, quammaxime notatu digna.

ARTICVLVS III.

Qualiter priuilegia ſint interpretanda, & declaranda?

Antummodo eſt dicendum in hoc Articulo, de priuilegiorum interpretatione in communi, namde eorundem interpretatione & declaratione in particulari, & de diuerſis ipſorum clauſulis, quæ in eiſdẽ communiter ſolent apponi, dicendum eſt latiſſime in ſeq. quæſt. Vt autem quod quæritur in præſenti Articulo plenius fiat, præter quamplures generales regulas, quas adduximus agendo de legibus q. 25. art. 26. quammaxime vtiles & neceſſarias, ad legum omnium & priuilegiorum interpretationem & declarationem, ad rem propius in præſentiarũ accedendo, libet nonnullas alias de nouo adducere, quod fiet breuiter & reſolutiue per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quãuis in priuilegiorum interpretatione attendendus ſit verborum tenor, nihilominus tamen intentioni potius quã verbis eſt inſiſtendum.

IN priuilegiorum interpretatione ſiue declaratione, quammaxime debet attendi verborũ tenor, ſed nihilominus intentioni potius quam verbis eſt inſiſtendum. Hæc concluſio eſt expreſſa Sylueſt. *verbo, priuilegium, q.* 3. & dicit eſſe eam ſententiam Hoſtienſ. s, quam & probat ex *cap. porro, & ca. accepimus, de priuil. & ex cap. Marcion. 1. q. 1, cap. ſedule, d.* 38. *& cap. intelligentia, cap. in his, de verb. ſignificat.* Sẽper aduertendo quod priuilegiorum interpretatio facienda eſt ſecundum Canones, non vero ſecundum leges, vt de mente Baldi, in *le. ſi quando, la primera, C. de bo. va, lib.* 10. & clariſſimi olim iuris vtriuſque Doctoris, Baptiſtæ de Friſco in quodam ſuo opuſculo, tradit Sylu. *verbo, priuilegium, q.* 3. *in* 5. *concl.* ex his, quæ de mente ipſius ad hoc propoſitum ponit ibidem. Qui etiam prædictus Baptiſta de Friſco in prædicto opuſculo de his agens, dicit quod leges & Canones, reſcripta & priuilegia, ſtatuta & vltimæ voluntates & conſuetudines, aut etiam contractus interpretationem recipiunt, vel à conſueto modo interpretandi, aut à ſimilibus, vel ab alijs iuribus ſcriptis, quorum omnium in particulari, multa ponit exempla prædictus Sylueſter, *verbo, interpretatio, quæſtio.* 5. *in primo dicto*, quæ breuitatis gratia in præſentiarum omitto.

Secunda Concluſio.

Si priuilegium ſit proprie & ſtricto modo ſumptum, id eſt pro illo, quod eſt cõtra ius, interpretãdum eſt ſtricte, ita vt quãminus fieri poterit, derogetur iuri communi.

SI priuilegium ſit proprie & ſtricto modo ſumptum, ideſt pro eo quod eſt contra ius, interpretandum eſt ſtricte, ita vt quamminus fieri potest, derogetur iuri communi. Hæc concluſio eſt Sylu. *verbo, priuilegium, q.* 3. & probat eam ex *ca. cum dilectus, iuncta gloſſa, de conſuetu.* vbi dicitur quod ea, quæ iuri communi repugnant, ad ipſum quantum fuerit poſſibile reducenda ſunt. Quaquidem ratione dicit, quod ſi diſpenſatio fiat cum illegitimo ad Ordines, abſolute intelligendũ eſt de minoribus ordinibus tantum, vt latius probat prædictus Sylueſter, *verbo, ordo,* §. 2. Item ſi diſpenſatio fiat, vt interdicti tempore interſit quis diuinis officijs tempore ceſſationis à diuinis, ſtando in iure communi (ſecus autem erit ex priuilegijs) prout tradit Nauarr. cap. 27. ſui Manua. num. 178. & 189. Et addit ſupradictus Sylueſter, in tantum hoc eſſe verum, quod priuilegium proprie & ſtricto modo ſumptũ ideſt pro eo quod eſt contra ius commune, non ample ſed ſtricte eſt interpretandum, quod ſi ibidem non exprimitur conceſſionis cauſa, aut non ſit cõceſſum ex Motu proprio & certa ſcientia, nihil tale eſt præſumendum de voluntate Principis, quod probat, per *l. 1. C. de peti. bon.* quinvero pro precibus importunis obtentum, iuxta *l.* 13. *C. de fun. lim.* Qua propter Bald. in *cap. licet cauſam, de probation.* inquit, quod in eiuſmodi priuilegijs neceſſum eſt, vt ponatur ſemper ſimul clauſula, ex motu proprio, ſiue ex certa ſcientia. Idem dicit Sylueſter eſſe dicẽdum de reſcripto quod tollit ius tertij, & de priuilegio ad beneficia, per *cap. quamuis, de præbend. lib.* 6. Et aduertit ſecundum Panormitanum in *capit. cum ad hæc, de Cler. non reſid.* quod ſi priuilegium enormiter lædit Eccleſiã ſeu aliũ, non valet niſi fiat mentio de hac enormi læſione, quia in dubio non præſumitur Princeps concedere aliquid cum alterius grauidiſpendio, iuxta *l. quoties. C. de preci, imper offe. & cap. ſuggeſtum, de decimis.* & idem habetur in *le.* 2. §. *ſi quis à Principe, ff. ne quid in loco publico.* Et conſequẽter taciturnitas in his inducit ſubreptionem, iuxta *cap. poſtulaſti, de reſcript.* Vnde priuilegium immunitatis ab oneribus perſonalibus, alicui à Principe conceſſum, non liberat eum ab alijs oneribus, quæ breuiter & leuiter poteſt perſoluere, vt eſt caſus in *l. decurio fortunam, C. de decurio. lib.* 10. Ad propoſitum ergo reuertendo, dico quod priuilegiorum interpretatio, quæ militant contra ius commune, ſtricte & non large eſt facienda, quæ eſt cõmunis omnium iuriſperitorum ſententia, ad quod allegant *cap. priuilegia, d.* 3. *cap. olim, de verbor. ſignificat. & cap. porro, de priuil.* Quod eſt intelligendum cum duplici limitatione, vt inquit Sylueſter loco ſupra citato. Primo niſi conſuetudo aliter interpretetur, iuxta id quod notatur in *cap. quod dilectio, de conſang. & affinit.* & ſecundo niſi priuilegiorum verba aliud exprimant, nam ab eorum propria ſignificatione, inquit, non eſt recedendum, niſi de mente aliter conſtet, vt notatur in ſupradicto *cap. olim & cap. in his, de verborum ſignificatione.*

Non præſumitur Princeps velle cõcedere aliquid cõtra ius, niſi id habeatur expreſſe.

Tertia Concluſio.

Priuilegia ſemper debẽt aliquid operari.

NOn ita ſtricte eſt priuilegiorum prædictorum interpretatio facienda, vt omnino nihil operentur, nam priuilegia ſemper debent aliquid operari. Hæc concluſio communis eſt omnium Iuriſperitorum reſolutio, de qua videndus eſt ſpecialiter Felinus in *capi. 1. de reſcript. & cap. cauſa, eodem tit.* Facit & *cap. in his, de priuil. & cap. Abbate, de verborum ſignificat.* ſuntque ad id plura alia iura & capitula, quæ breuitatis gratia referre omitto, lectorem remittendo ad ea, quæ diximus ſupra quæſt. 25. artic. 86. concluſione vltima.

Quarta Concluſio.

Priuilegiũ latesumptũ, hoc eſt pro eo quod eſt præter ius cõmune, large & non ſtricte eſt interpretã dũ, quãdo vergit in præiudiciũ cõcedentis, ſtricte vero ſi vergit in præiudiciũ aliorum.

SI priuilegium largo modo accipiatur, hoc eſt pro illa conceſſione, quæ eſt præter ius cõmune, ſic priuilegium Principis latiſſime eſt interpretandum, quando vergit in præiudicium ipſius concedentis; ſtricte vero ſi eſt in præiudicium aliorũ. Hanc ſententiam & concluſionem tenet Sylueſter loco ſupracitato, & probat eam ex *cap. quia circa, in ſua gloſſa, de priuil.* & per Innocentium, in *capi. olim, de verbor. ſignifica.* Quod eſt intelligendum etiam ſi cõceſſum ſit cauſa pietatis, vt notat Panormitanus, in *cap. cum dicat, de Eccleſ. ædific.* Semper tamen in dubio debet interpretari, ita vt aliquid valeat vt ſupra diximus, per *cap. Abbate, de verb. ſignific. & l. quoties, ff. de verb. obligat.* niſi præiudicet iuri diuino vel libertati ſpiritus, vt notat ſupradictus Panorm. in *cap. licet, de regularibus.*

Quinta Concluſio.

Quando priuilegiũ vel gratia alicui perſonæ conceſſa abſolute & ſimpliciter loquitur ſemper debet intelligi ſecundũ conditionẽ & qualitatem perſonæ.

QVando priuilegium vel gratia alicui perſonæ conceſſa, abſolute & ſimpliciter loquitur ſemper debet intelligi ſecundũ conditionẽ & qualitatem perſonæ cui cõceditur. Hæc concl. eſt Syl. loco ſupra citato, & probat eam ex *le. ſi quis filio, §. irritum, ff. de iniuſt. teſt. & ex cap. placuit, cap. ſic viue, 16. q. 1. & ex l. plenum, §. 2. de vſu & habit.* Et eandem tenet Bart. per *l. ex militari, ff. de milit. teſt.* vbi etiã dicit Bald. ad hoc propoſitũ eandem tenere ſententiã, & quod priuilegiũ conceſſum Epiſcopo, de celebrando interdicti tempore, conceſſum videtur, vt celebrare poſſit etiam in Pontificalibus, ſecundum conditionem & qualitatem ſuæ perſonæ, ſiue dignitatis.

Sexta Concluſio.

Priuilegium, quod beneficiũ ſapit Principis, niſi aliud obſtet, latiſſime eſt interpretãdum

PRiuilegium quod beneficium ſapit Principis, niſi aliud obſtet latiſſime ſemper eſt interpretandũ. Hæc concl. eſt etiam Sylu. loco ſupra citato quã ponit inter alias concluſiones ſupradicti Baptiſtæ de Friſco antiqui Iuriſconſulti, concl. 4. & dicit eſſe eam, Ioan. And. & Butrio, in *ca. olim, de verb. ſignif.* pro qua facit *l. beneficium, ff. de conſt. Princ.* quod dicit eſſe limitandũ, niſi beneficium eſſet forte ambitioſum, vt puta diſpenſatio ſuper beneficiorum pluralitate, tunc enim non ample, ſed ſtricte eſt interpretandum, vt tradunt omnes cõmuniter DD. Iuriſperiti, in *cap, licet, de tranſlat Epiſco. & in cap. Rodulphus, de reſcriptis.*

Septima Concluſio.

Priuilegia in quibus datur facultas diſpẽſandi, cõmutãdi vel abſoluẽdi, bene poſſunt extendi ad alios ſimilescaſus in quibus ſubeſt eadẽ vel maior ratio.

PRiuilegia in quibus datur facultas diſpenſandi, commutandi vel abſoluendi, bene poſſunt extendi ad alios ſimiles caſus, in quibus ſubeſt eadem vel maior ratio. Hæc concluſio eſt fere communis omnium Iuriſperitorum recentiorum, & de ea videndus eſt Nauar. de reddit. Eccleſiaſ. quæſt. 3. monit. 20. & Didacus Perez in prologo ordin q. 2. & Quintil. Mandoſius in praxi Signat. grat. tit. licentia, licet enim ſit iuris regula in *l. ſi pupillorum §. ſi prætor, ff. de rebus eorũ, quæ ſub tutela, vel cura ſunt,* quod priuilegia non recipiunt extenſionem ex ſimilitudine, neque ex maioritate rationis, & tradit Bald. in *cap. inter cætera, de reſcript.* nume. 10. ſitque id regulariter verum non tamen procedit in priuilẽgijs cauſa fauorabili conceſſis, vt ſunt priuilegia, & facultates diſpenſandi, commutandi & abſoluendi, hæc enim cum contineant beneficium & fauorem Principis, non quidem ſtricte, ſed ample ſunt interpretanda, locumque in eis habet ſimilitudo rationis, quia ex ſubiecta materia datur intelligi eam fuiſſe mentem Legiſlatoris. Qua quidem ratione communis eſt ſententia, quod in Salmanticenſi Academia, ſacros Canones qui profitetur, fruitur prouentibus ſui beneficij in abſentia per bullam Eugenianam, quamuis id non fuerit conceſſum niſi ſolum Theologis, propter ſimilitudinem rationis, & quia ſacrorum Canonum ſcientia quammaxime neceſſaria eſt ad regimen & gubernationem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Simili ratione Bullæ ſiue priuilegia concedentia votorum commutationem, extenduntur ad iuramenta commutanda, dummodo non vergant in præiudicium tertij, idque propter ſimilitudinem rationis. Item & priuilegium conceſſum Epiſcopo à Papa, in quo cõtinetur facultas teſtandi, extendi etiam poteſt propter eandem rationẽ, ad codicillum ſiue donationẽ cauſa mortis. Qua quidẽ de re plura alia adducere poſſem exẽpla, quæ breuitatis gratia omitto.

Octaua Concluſio.

Clauſula generalis ſequens in priuilegijs appoſita, intelligenda eſt ſecundũ ſpecies præcedẽtes expreſſas, in ipſis & non aliter

CLauſula generalis ſequens in priuilegijs appoſita, intelligenda eſt ſecundum ſpecies præcedentes expreſſas, in ipſis & non aliter. Hæc concluſio eſt Sylueſt. *verbo, clauſula generalis,* num. 1. Et probat eam, ex *capi. dilectus, de Capel. Monachorum,* ſecundum Innocentium, & facit Clement. *non poteſt, de procuratoribus, & l. fin. §. cui dulcia, ff. de vino, tritico, & oleo.* Circa quod videndus eſt Panorm. in *cap. ſedes, de reſcript.* vbi inquit quod per huiuſmodi generalem clauſulam, quidam alij, ſeu quædam alia, nõ includuntur perſonæ, nec res maiores expreſſis, ſed vel pares vel minores. Videantur plura quæ ad hoc propoſitum dicit prædictus Sylu. loco vbi ſupra, & *verbo, reſcripium 1. in princ.*

Nona Concluſio.

Priuilegiũ generaliter indultũ, non includit caſum contra Remp. & ſi ipſum includat non valet.

HOc generaliter in priuilegiorum interpretatione obſeruandum eſt, quod priuilegiũ generaliter indultum, non includit caſum contra Rem publicã, & ſi ipſum includat, nõ valet. Hæc concl. eſt

eſt ſupradicti Syluestri, ſeu potius ſupradicti Baptiſtę de Friſco, quæ inter alias eiuſdem concluſiones, ponitur ab ipſo concl. 6. quam & probat ex *l. inbemus, C. de ſacroſanctis Eccleſijs.* Et hæc circa priuilegiorum interpretationem, breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum priuilegia, ſecundum conſuetudinem debeant interpretari & declarari?

SVpra quæſt. 28. per p'ures Arti. diximus, quid ſit conſuetudo & quī vim habeat, & quænam ſint de ipſius eſſentia & ratione, ad hoc vt legem poſſit interpretari; & in caſu eandem etiam tollere. Quibus præmiſſis, quæritur in præſentiarum, an priuilegia ſecundum conſuetudinem ſint interpretanda? Cui difficultati, breuiter per ſequentem concluſionem reſpondetur.

Concluſio.

Priuilegia ſecundū conſuetudinē ſunt interpretāda & declaranda.

PRiuilegia ſecundum conſuetudinem ſunt interpretanda & declaranda. Hæc concluſio cō munis eſt omnium Doctorum reſolutio, cuius & in promptu ratio eſt, nam ſi conſuetudinis prædictæ ea eſt vis, tantumque roboris habet, vt vim legis quandoque obtineat, legemque ipſam poſitiuam & præceptiuam interdum tollere & abrogare poſſit, vt quamlatiſſime probatum eſt in ſupradicta quæſt. 28. ſed maxime in articulo 2. & 4. ſi inquam conſuetudo eſt, quæ leges communiter interpretatur, & quando præceptum aliquod obliget ſeu non obliget ad peccatum, vt tenet communis omnium Doctorum & Iuriſperitorum ſententia, & tradit latiſſime Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 97. art. 3. & ſecunda ſecundæ, quæſt. 186. art. 9. ad 2. liquidum profecto ſit, quod etiam ipſa priuilegia debeat & poſſit interpretari & declarare, quodque ſecundum illam ſint interpretanda & declaranda. Qua de re videnda ſunt ea quæ latiſſime diximus in art. 13. ſupradictæ quæſt. 28. vbi luculēter oſtendimus, qualiter in iudicio contentioſo, ſecundum conſuetudinem (etiam iuri ſcripto contrariam) qualibet de re ſit iudicandum. Solummodo reſtabat in præſentiarum dicere, quænam ſit vera & legitima cōſuetudo, ſecundum quam eiuſmodi interpretatio ſit facienda? Sed quia hac de re, meo quidem videri loco ſupracitato dicta ſunt omnia quæ hic poſſent deſiderari, ab his in præſentiarum conſulto ſuperſedeo, ne ſemel & iterum, eadem dicere cogamur. Hæc de iſto Articulo ac tota Quęſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO XLV.

De priuilegijs, quantum ad ipſorum explicationem, declarationem, ſiue interpretationem in particulari, & de diuerſis clauſulis, quæ in eiſdem ſolent apponi, in ſeptem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS. I.

Quidnam ſignificetur & intelligi debeat per illam clauſulam, in reſcriptis Apoſtolicis, & priuilegijs apponi conſuetam, Motu proprio, & ex certa ſcientia?

PRo huius Articuli intelligentia atque declaratione, aduertendum eſt quod reſcripta & priuilegia, ſiue literæ Apoſtolicæ, dupliciter ſolent & poſſunt expediri, vt conſtat expreſſe, ex *capite cum acceſſiſſent* cum gloſſa, *verbo, confirmatum, de conſtitution.* & gloſſa in *capite ex parte, eodem titulo, verbo, confirmatione*, & gloſſa etiam in *capite primo & ſecundo, de confirmatione vtili vel inutili.* Vno modo ad inſtantiā partis, & vt dicitur in forma communi, alio vero ex motu proprio & certa ſcientia, quorum exempla in iure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus paſſim licebit reperire. Vt autem conſtet, quid interſit inter prędictas conceſſionis formas, ſequentes ſtatuo Concluſiones. Sit ergo prima Concluſio in ordine ſolito.

Prima Concluſio.

Quidnā intelligatur cōceſſum in forma communi.

TVnc aliquid dicitur eſſe conceſſum, ſiue cōfirmatum in forma cōmuni, quando fit ad inſtantiam partis, & aliter quam Principe, nempe Papa, inſtru-

inſtructo de re ſiue negotio quod concedit aut cõfirmat. In quo quidem caſu verba intelligẽda ſunt conditionaliter, nam Papa ignorare præſumitur ea, quæ in facto conſiſtunt. Hæc concluſio eſt omnium Iuriſperitorum communis. Quorum reſolutio deſumpta eſt ex ſupradictis gloſſis, vbi & ad hoc propoſitum allegantur plura iura, ad oſtendendum qualiter conceſſa ſiue impetrata in dicta cõmuni forma, nullum ius alicui de nouo tribuunt, vt conſtat ex prædicto *capit. cum dilecta, §. nos igitur, verſ. nolentes, de confirmatione vtili vel inutili, & capit. quia diuerſitatem, de conceſ. præbend. in fin. & cap. ex parte, de priuilegijs.* Et ratio eſt, quia qui confirmat nihil de nouo donat, vt conſtat ex *cap. inter dilectos, §. cæterum, de fide inſtrumentorum*, ſed ſolummodo ius vetus conſeruat, vt conſtat ex *cap. præceptis*, diſt. 12. & ex cap. vlt. 13. quæſt. 3. & ex *capit. quia intentionis, de priuilegijs.* Quo fit vt per eiuſmodi confirmationem, non intelligatur Papa iuri alicuius derogare iuxta *ca. licet, §. 1. de officio ordin.* Facit & *l. 2. §. ſi quis à Principe, ff. ne quid in loco publ.* Non enim vnde iura exoriuntur inde naſci debet iniuria, vt habetur in *cap. qualiter & quando, el 1. de accuſationibus, & in l. meminerint, C. vnde vi.* Neque etiam per confirmationẽ ſeu innouationem ſupradictam, impeditur alicuius petitio vel iudicis cognitio, vt conſtat ex prædicto *cap. licet, & cap. quia diuerſitatem, de conceſ. præb.* & ex *cap. bona, de confirmat vtili vel inutili*, & etiam argumento deducto ex *cap. conqueſtus, 9. q. 3.* Quorum omnium ratio eſt, nam ſupradicta omnia ſemper præſumitur Papa facere ſine præiudicio alterius, vt conſtat ex omnibus iuribus ſupradictis. Quo fit vt inquit ſupradicta gloſſa, in dicto *cap. 1. de confirm. vtili vel inutili*, quod eiuſmodi confirmationes parum valeant ſiue proſint, niſi ad hoc ſolummodo, quod plus ſolet timeri, quod ſpecialiter conceditur, vt habetur *cap. quamquam, diſt. 23.* Quod autem conceſſiones ſiue confirmationes in forma communi factæ, intelligendę ſint conditionaliter, & cum hac conditione appoſita, etiam ſi non exprimatur, *ſi ita eſt, aut ſi preces veritati nitantur, aut veluti poſſidetis, ita poſſideatis*, quia per ipſas Papa, nullum nouũ ius alicui tribuere intendit, & quia vt dixi, ea quæ in facto conſiſtunt, præſumitur ignorare, tradunt latiſſime omnes ſupradictæ gloſſæ, ſed præſertim gloſſa in *capi. venerabilis, de confirmat. vtili vel inutili, verbo, ſicut ſine prauitate, & in cap. examinata, eod. titulo verbo, non obſtante confirmatione*, vbi ad hoc propoſitum reperire licebit multa eaque quammaxime notatu digna.

Omnes cõceſſiones Papæ, in forma communi factæ, intelligẽdæ ſunt cõditionaliter

Papa ea quæ in facto conſiſtunt præſumitur ignorare.

Secunda Concluſio.

Quãdo dicatur aliquid cõceſſum ſiue cõfirmatũ, Motu proprio & ex certa ſcientia.

TVnc aliquid dicitur conceſſum ſiue confirmatum Motuproprio, ſiue ex certa ſcientia, quando in conceſſione vel confirmatione inſeritur tenor rei confirmatæ vel conceſſæ, aut Papa vtitur prædictis verbis, ad inſinuandum quod concedit, ſiue confirmat id quod ſcit & id quod voluit, ad quorum maiorem firmitatem addi ſolet illa clauſula, de plenitudine poteſtatis. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum reſolutio, de qua videnda eſt gloſſa in *cap. ad hæc, de reſcript.* & Panormitanus ibidem num. 7. Decius ibidem, num. 14. Felinus in *cap. nonnulli, eodem tit.* Innocentius in *cap. 1. de tranſact.* & ſatis colligitur ex textu & gloſſa, in *cap. venerabilis, de confirmatione vtili vel inutili, verbo, tenor*, vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura quãmaxime notatu digna. Quid autem operetur eiuſmodi confirmatio, facta (vt prædictum eſt) motu proprio ſiue ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis, tradit latiſſime gloſſa in *cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut. verbo, confirmatum, & gloſ. in cap. ex parte, eod. tit. verbo, confirmatione, gloſ. etiam in capit. 1. & 2. de confirmatione vtili vel inutili, & gloſ. in cap. 1. de tranſactionibus, verbo, ex hac noſtra auctoritate.* Sed vt ex tam multis quæ ibidem dicuntur aliqua referamus, dico quod prædictæ conceſſionis ſiue confirmationis forma prædicto modo facta, tria præſertim operatur, primum quod huiuſmodi conceſſio ſiue confirmatio, firmioris eſt auctoritatis. Secundum, quod ſi illa eſt minus valida, per eiuſmodi confirmationem fit valida. Et tandem tertium, quod propter auctoritatem confirmantis, nullus Papa inferior de illa poteſt cognoſcere, quæ omnia multis iuribus comprobantur ibidem. Et quod conceſſio ſiue confirmatio prædicto modo facta infirmum confirmet, habetur in *cap. in primis, 2. quæſt. 1.* & in *cap. hæc quippe, 3. q. 6.* Quod autem ſolemnitatis omiſſæ ſupleat defectum, habetur in *cap. 1. de tranſact. & in ca. quoties, de pact.* vbi dicitur, quod ſi tranſactio vel pactum ab initio fuerit inualidum, per confirmationẽ Papæ vigorem ſumit. Item confirmatio prædicta valet, dicto modo facta, vt de beneficio illo, quod ex certa ſcientia fuit conceſſum, licite, an illicite ſit adquiſitum, ſine nouo mandato non cognoſcatur, vt habetur expreſſe in *cap. 2. de confirmat. vtili vel inutili.* Ac tandem prædictus conceſſionis ſiue confirmãdi modus in literis Apoſtolicis appoſitus, valere facit, quæ alias erãt inualida, vt colligitur ex *c. 1. de tranſ. ca. quoties, de pactis* Et quidẽ quod quammaximi ſit momenti, negari nullo modo poteſt, nam vt inquit Imperator in *l. 1. §. ſed neque, C. de veteri iure enucleando, quibus auctoritatem noſtram impertimur, ea omnia noſtra facimus.* Quo fit vt priuilegia dicto modo conceſſa, per eiuſmodi clauſulam appoſitam, quodammodo fiant ipſius Papæ, & de illis ſolummodo ad eundem ſpectet cognitio.

Quid operetur conceſſio ſiue confirmatio, facta Motu proprio, ſiue ex certa ſcientia & poteſtatis plenitudine.

ARTICVLVS II.

Quid intelligatur per clauſulam, in ſupradictis priuilegijs etiam apponi cõſuetam, qua dicitur vt Iudices ad executionem procedant, omni appellatione remota ſiue poſtpoſita?

SVpradicta clauſula conſueuit apponi ſpecialiter in conſeruatorijs & quotieſcumque aliquibus iudicibus delegatis demandatur, ſiue præbetur facultas, vt ad executionem aliquorum priuilegiorum, ſiue literarum Apoſtolicarum procedant omni appellatione remota, ſiue poſtpoſita. Et quæri atque difficultari ſolet, de quibus appellationibus prædi-

prædicta verba ſint intelligenda, & an mentio fiat ſolummodo de appellationibus friuolis, an vero etiam de legitimis? & an appellatio remouenda ſit ſolummodo à ſententijs interlocutorijs, an vero etiam ab ipſa ſententia diffinitiua? Quid ſit interlocuutoria ſententia, quid vero diffinitiua & quænam dicantur appellationes friuolæ, quæ vero legitimæ adeo vel ex ipſis nominibus clarum & perſpicuum eſt, vt explicatione & declaratione nulla indigeat. Quapropter præmiſſo quod horum omnium ſufficiens iam habeatur notitia, difficultati propoſitæ reſolutiue reſpondeo, per ſequentẽ Concluſionem.

Concluſio.

Quando cõceditur alicui, vt procedat omni appellatione remota, non ſolum intelligitur de appellationibus friuolis, verumetiam de legitimis, & nedum de ſententijs interlocutorijs, verum & de ipſa ſententia diffinitiua.

QVotiescumque in priuilegijs ſeu litteris quibuscumque Apoſtolicis, apponitur ſupradicta clauſula, vt ad exequutionem procedatur, quacumque appellatione remota ſiue poſtpoſita, intelligendum eſt non ſolum de appellationibus friuolis, verumetiam & de legitimis, & nedum de appellatione à ſententijs interloquutorijs, quinvero etiam de ipſa ſententia diffinitiua. Hæc concluſio (vt credo) eſt communis omnium DD. reſolutio, quidquid alij dicant, & quod hoc dicendum atque tenendum ſit, probatur hac ratione, meo quidem videri efficaciſſima. Nam appellationes friuolæ & quæ interponuntur ſine iuſta & legitima cauſa, tunc ſcilicet quando quis appellat vbi nõ eſt grauatus iniuſte, quæ ab alijs dicuntur vanæ ſiue inanes, in tantum à iure alienum eſt vt admittatur & recipiantur, vt potius ipſo iure, ſint pœnæ conſtitutæ contra ſic appellantes, pro eo quod iniuria nec modica quidem, ſed quammaxima fit iudicibus, à quibus prædicto modo friuolè atque iniuſtè appellatur, poſſuntque ipſi agere cõtra eos actione iniuriarum, vt tradit Gloſſa in leg. fin. C. *quando prouocare non eſt neceſſe*, & Geminianus in capit. *cum appellationibus, de appellat.* in 6. & Felin. in capit. 2. eodem titulo & gloſſa in cap. *ſi quis præpropera*, d. 50. non ergo eſt credendum cum aliàs ſecundum iura, eiuſmodi appellationes remouendæ ſint, quod Pontifices Summi aliquod volentes priuilegium concedere, Religionibus ſeu quibuſcumque alijs perſonis, per ſuas Apoſtolicas litteras, quando dicunt vt ad ipſarum exequutionem procedatur quacumque appellatione remota ſiue poſtpoſita, quod intelligi velint (nihil de nouo concedendo) ſolummodo de appellationibus friuolis, apponendo prædictam clauſulam, verumetiam & de congruis ſiue legitimis. In cuius etiã rei ſtgnũ Pont. prædicti, vt cuncta cõprehendant iam dicere ſolent, appellatione quacũque poſtpoſita, vt ſcilicet eiuſmodi verbis ſubindicent, omnem eſſe remouendam appellationem, nõ ſolum friuolam vanam & inanem, verumetiam & congruam, ſiue legitimam; nec ſolum proinde cõcedunt, vt appellatio non admittatur à ſententijs interlocutorijs, verum & ab ipſa diffinitiua. Aliàs enim parum vel nihil prorſus concederent cum etiam ſecundum Ius ciuile, per leg. 3. Cod. *quo. appellat. non re.* & leg. 2. *Cod. de Epiſ. audien.* à ſententijs interlocutorijs vel ab aliquo grauamine, ante ſententiam appellari non poſſit. Vt tradit Sylueſt. verbo *appell.* quæſt. 5. & ſecundum Ius Canonicum multo minus, maxime poſt Concil. Trident. ſeſſ. 13. *de reform.* capit. 1. vbi ſtricte prohibetur appellari à ſententia interlocutoria, niſi quando grauamẽ illatum per ipſam, tolli non poſſet per appellationem à diffinitiua, vt late probat Nauarrus lib. 2. conſil. tit *de appellat.* conſil. 1. num. 1. & 2. Ad propoſitum ergo redeundo, dico quod Iudex delegatus per ſupradictam clauſulam, non tenetur deferre vlli appellationi, ſi non eſt facta in caſu à Iure expreſſo, & ſic non obſtante appellatione procedere poteſt ad executionẽ ſuæ ſententiæ; nam licet appellatione pendente nihil innouari poſſit, vt habetur in toto titulo. ff. *vt nihil in nouetur appellatione pendente*, fallit tamen prædicta regula, ſi cauſa fuerit cõmiſſa appellatione poſtpoſita ſiue remota, nam in hoc caſu non obſtante appellatione, poterit innouari per Iudicem à quo appellatum eſt, & ſententia executioni mandari, ſecundum Innocent. & Oſtienſem, in capit. *Paſtoralis, de officio delegati*, quod eſt intelligendum niſi per ſuperiorem facta fuerit inhibitio, aut niſi ex certa ſcientia Papa appellationem commiſerit. Licet tamen Iudex non teneatur appellationi deferre (vt dictum eſt) ſi tamen pars appellauerit ex tali cauſa, quæ ſi eſſet vera legitima deberet reputari, quamuis non ſit ſcripta in iure, poterit nihilominus Superior (ſi ſibi viſum fuerit) illam admittere, vt habetur in iure, in capit. *Paſtoralis, de appellationibus*, & leg. 1. Cod. *de ſent. præfec. prætor.* & *aut hent. quæ ſupplica.* Cod. *de preci. impera. offerend.* vbi dicitur, quod ad Principem ſupplicari poterit, ſicut & ſupplicatur, non vero appellatur à ſententia Præfecti prætorij, quod multum eſt notãdum, atque memoriæ commendandum.

Nota quod appellationes friuolæ etiam de iure cõmuni non ſuntrecipiendæ, & datur actio in iuriarum, contra ſic appellantes.

Nota quod de iure cõmuni tamtinili quã canonico appellatio à ſententijs interlocutorijs non admittitur, niſi quando grauamen illatũ per ſententiã diffinitiuã nõ poteſt repari, vel in caſibus à iure expreſſis.

Nota quando ſit oppellatio ni deferendũ, quando vero non.

ARTICVLVS III.

Quid intelligi debeat per illam clauſulam, contradictores quoſlibet & rebelles etiam per quaſcumque cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo?

ANTE huius articuli intelligẽtiã præmitto, quod huiuſmodi clauſula multoties apponitur in priuilegijs & maxime in conſeruatorijs, per ſupradicta verba expreſſa aut alia ipſis ſimilia, vel æquipollentia addendo & dicendo, *nõ permittentes eos ab aliquo moleſtari*. Et ſolet quæri, de quibuſnam contradictoribus ſiue rebellibus intelligantur? Qua de re latiſſime agit Nauarrus in capite, *cum contingat de reſcriptis* in 7. *cauſa nullitatis*, de cuius & omnium, quos conſului, reſolutione ſequentẽ ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Supradicta clauſula intelligēda eſt, de rebellibus & cōtradictorib⁹ qui contradicunt de facto, non vero de illis qui contradicunt de iure ſiue iuridice.

SVpradicta clauſula intelligenda eſt, de rebellibus & contradictoribus qui contradicunt de facto, non vero de illis qui contradicunt de iure ſiue iuridice. Hæc concluſio eſt expreſſa cuiuſdam Gloſſæ ab omnibus receptæ, atque laudatæ, in capit. *pro illorum, de præbend.* verbo *contradictores*, vbi expreſſe dicitur capitulum prædictum, eſſe intelligendum de his qui contradicunt de facto, nō vero de iure, quod quidem ex ſententia & auctoritate multorum iuriſconſultorum, latiſſime probat prædictus Nauarrus loco ſupracitato, à quorū ego amplior tractatione, propter temporis angustias in præſentiarum ſuperſedeo. Facit & ad id l. *ſi ſeruum §. hæc verba ff de acquirendis hæredit.* de qua lege videatur Panorm. in cap. *audita, de reſtitutione ſpoliatorum*, & Felinus in can. *cauſam quæ, de reſcript.* vbi ad hoc propoſitum inuenire licebit multa, eaque notatu digniſſima. Et aduerto, quod non obſtante contradictione quorumcumque Prælatorū Eccleſiaſticorum, Regulares vtuntur atque vti & frui poſſunt priuilegijs ſibi per ſedem Apoſtolicā conceſſis, & niſi contradicere deſtiterint, excommunicationis incurrunt pœnam, & quidquid per eos in contrarium factum fuerit, eſt irritum & inane. Hoc habetur in multis priuilegis in præſentiarum à me breuitatis cauſa omiſſis, ad quorum tenorem me remitto, aduertendo vt ſemper ipſorum tenor conſulatur, nec vlterius progrediatur, cum ſecundum ius, priuilegiati ſemper intra terminos ſuorum priuilegiorum ſe debeāt continere nec vlterius ea protendere, vt habetur, in c. *capella. extra, de priuilegijs.* Aduerto etiam, quod nō per hoc quod aliqui Prælati eorum priuilegijs cōtradicant, eiuſmodi contradictores ſiue inobediētes, cenſendi ſunt violatores libertatis Eccleſiaſticæ: non enim Eccleſiaſtica libertas violari dicitur, ex eo quod aliquod alicui Religioni non ſeruetur priuilegium aut eiſdem contradicatur, ſed tunc ſolummodo, quando violatur eiuſmodi priuilegium ſuper generalem Eccleſiæ libertatem, & quoad omnes Eccleſiaſticos, prout probe notat & tradit Syluester verbo, *immunitas. 2.* num. 2. vbi & ad hoc propoſitum multa inuenire licebit, ac de pœnis in quas eiuſmodi contradictores incurrunt, & quando atque in quibus caſibus, quæ illic videre oportebit. Et hæc pro iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant.

Nota hoc valde.

ARTICVLVS IIII.

Qualiter ſit intelligenda clauſula quorumdam priuilegiorum, quibus dicitur inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, & quid operetur?

Concluſio.

Supradicta clauſula ponitur adabundātiā illi⁹, quod alias de iure cōmuni eſtcō ceſſum.

ER ſupradictā clauſulam, id quod alias fieri poſſet de iure communi conceditur ad maiorem cautelā, ſiue ſuperabundantiam. Pro intelligentia ſimul & probatione prædictæ concluſionis, aduertere licet ex Innocentio in *cap. ſignificaſti, in me. 3. de officio deleg.* communiter recepto, & relato à Nauarro in *cap. cum contingat, de reſcript. rem. 1.* quod de iure cōmuni, delegatus à Papa implorare poteſt auxiliū brachij ſecularis, quinvero & idipſum poteſt quicumque iudex ordinarius, vt conſtat ex *capit. 1. de officio ordin.* Quod ſi Ordinarius id poteſt, multo melius & fortius delegatus in cauſa ſibi delegata cum ſit illo maior, vt conſtat ex *cap. ſanè, el 2. de officio deleg.* Quo fit vt licet quandoque in reſcriptis Apoſtolicis apponatur ſupradicta clauſula, *inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis*, ad cautelam & ad maiorem ſuperabundantiam illud ponitur, non vero propter præciſam neceſſitatē, quod & multoties poſitum reperitur de ſtylo curiæ, vbi interdum exprimuntur clauſulæ, quæ ſuapte natura iam inerant. Hæc eſt communis omniū Iuriſperitorum reſolutio, de quo videatur latiſſime prædictus Nauarrus vbi ſupra. Fuit autem neceſſarium, aut ſaltim quammaxime conueniens, ad ſuperabundantiam & cautelam verba prædicta in literis Apoſtolicis apponi, pro eo quod Iudices ſeculares, difficillime id quod de iure tenentur præſtare ſolent, ægre que & moleſte ferre, officium ſuum inuocatum impartiri. Videtur enim eis perperam quaſi quid iniuſtum & à ſuo munere & officio alienum, & in eo vniuerſam prorſus regalem iuriſdictionem violari. Iraſcunturque & ſcandalizantur interdum quammaxime, quando vident Eccleſiaſticos Iudices ſub cenſuris, & excommunicationis interminatione, eoſdem ad hoc vt ipſis ſuum exhibeant auxilium compellere, & exclamantes dicunt non eos eſſe illis ſuperiores, nec poſſe iure in illos agere, aut propterea ipſos excommunicare. Ad tollendam igitur huiuſmodi dubietatem, & querelarum, ſiue ſcandalorum materiam, non incongrue ſed expedientiſſime, atq; congruentiſſime in literis Apoſtolicis prædictis, apponuntur ſupradicta verba, quibus facultas dictis datur iudicibus, vt ad ipſarum executionem (ſi opus fuerit) inuocare poſſint auxilium brachij ſecularis, necnon & ad id prædictos iudices ſeculares etiam renuentes compellere, ſecundum cōgrua & expedientia iuris remedia, ſub obedientia & cenſuris. Qualiter autem ea in re prædicti

Iudices Eccleſiaſtici & ſeculares ſe debeant habere, & an id fieri debeat aut poſſit examinato prius proceſſu & cum cauſæ cognitione, an vero ſine ipſa latiſſime tradunt DD. Iuriſperiti, à cuius rei tractatione, propter temporis anguſtias conſulto ipſe in præſentiarum ſuperſedeo, & quia de hac difficultate & quæſtione aliqua olim dixi in meo libro Ordinis iudiciarij, quæſt. 3. art. 7. & 8. vbi reperire licebit multa eaque notatu digniſſima, de quo etiam argumenti genere, latiſſime agit Nauarrus in cap. *cum contingat, de reſcriptis*, rem. 1. ad quem lectorem remitto. Hæc breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS V.

Qualiter intelligatur alia clauſula, in prædictis litteris Apoſtolicis apponi conſueta, nempe ſupplentes omnem defectum?

Prima Concluſio.

Quando dicta verba ponuntur in bullis conceſsis incõmuni forma, nõ ſupplẽtur per ipſa defectus eſſẽtiales ſed tantũmodo accidentales.

VAndo ſupradicta verba ſupplentes omnem defectum, ponuntur in Bullis, priuilegijs ſiue litteris Apoſtolicis datis ſub forma communi, quamuis per ipſa ſuppleantur defectus accidentales & pertinentes ad accidentalem ſolemnitatem iuris, non tamen eſſentiales & ſubſtantiales. Hæc concluſio eſt cõmunis omnium iuriſperitorum reſolutio, de qua ſpecialiter videndus eſt, Oſtienſis in cap. 1. *de tranſactionibus*, & Speculator in tit. *delegatis*. §. *numc oſtendendum, verſ.* 14 & Pariſius conſil. 5. num. 16. vbi ad prædictum propoſitum multa dicunt eaque quãmaxime notatu digna.

Secunda Concluſio.

quando prædicta verba ponuntur in bullis conceſsis motu proprio aut & ex certa ſcientia ſine de plenitudine poteſtatis ſupplẽtur omnes defectus, non ſolum accidentales verumetiam eſſentiales, dũmodonon ſint contra ius naturale.

QVando vero prædicta verba ponuntur in Apoſtolicis litteris, datis & expeditis, Motu proprio ſiue ex certa ſcientia aut de plenitudine poteſtatis, tunc non ſolum ſupplentur iuris defectus accidentales, verum etiam eſſentiales & ſubſtantiales earum rerum, quæ ponuntur in iure, quaſi ad pſius eſſentiam ſiue ſubſtantiam pertinentes, dummodo non ſint cõtra ipſum Ius naturale. Hæc concluſio eſt omnium ſupradictorum, cuius quidẽ ratio & fundamentum eſt: nam quando ſummus Pontifex vtitur prædictis verbis, & cum ſupradicta clauſula aliquid concedit ſiue confirmat, vtendo plenitudine ſuæ poteſtatis, ſubindicare vult, quod intendit vt valeat actus, qui aliás de poteſtate ordinaria non valeret, vt dicunt omnes communiter Iuriſperiti. Sed non propterea ſupplere eſt viſus, defectum qui interuenire poſſet & ſolet ex parte ſupplicantis: etenim ſi pars impetrans aliquod eiuſmodi reſcriptum ſiue priuilegium, aliqua eſſet excommunicationis cenſura innodata, priuilegium impetratum ſuper alio articulo quã excommunicationis prædictæ, vel eiuſdem appellationis non valeret, ſicut nonvaletvllum reſcriptum ab excommunicato impetratum, vt habetur in iure, *cap. ipſo iure de reſcript. lib. 6.* Et eadem ratione non ſuppletur defectus doli ſi adſit ex parte impetrantis, nam dolus in impetratione, quodcumque facit reſcriptum nullum, ac ratione prædicti doli, quæcumque literæ impetratæ ſubreptitiæ iudicãtur. Hanc igitur ob cauſam, quammaxima viſa ſem per atque exiſtimata fuit, illa conceſſio Leonis Decimi, quæ refertur in Supplemento, fol. 91. & habetur vt dicitur in regiſtro Ordinis, inter aliasfactas tempore Patris F. Franciſci de Lycheto, Miniſtri olim generalis noſtri ſacri Ordinis Minorum, qua conceſſit quodam ſuo viuæ vocis oraculo, *vt omnibus priuilegijs & indultis, & conceſsionibus in vtroque foro impetratis, per Patrem Fratrem Ioannem de Ceſſa Commiſſarium quondam Vltramontanum, liceat Fratribus Minoribus vti ſecure, quamuis fuerint impetrata indebite & abſque cauſa legitima, vel quouis alio modo indebito, etiam malitioſe & mendaciter, doloſe & eiuſmodi.* Quæ omnia vt ibidem dicitur, Dominus Papa habuit pro ſufficiẽter expreſſis, & ſuppleuit quoſcumque defectus in tali impetratione factos, & tanquam ſi debite & legitime impetrata fuiſſent, dictis Minoribus Fratribus licite vti conceſſit eiſdem. Hæc inquam conceſſio (vt dixi) magna quidem ſemper viſa atque exiſtimata fuit, & quæ raro aut nunquam fieri conſueuit.

interueniunt ex parte impetrãtis aliquã bullam, ſiue priuilegium.

ARTICVLVS VI.

Qualiter ſit intelligenda illa clauſula, quæ in aliquibus priuilegijs ſolet apponi, qua dicitur vt non cenſeantur reuocata, niſi de eis expreſſa mentio fiat, de verbo ad verbum?

HAnc difficultatem tractat & mouet priuilegiorum Collector, in Compendio, *verbo, priuilegia Fratrum*, §. 33. vbi inquit, quod quia in pleriſque conceſſionibus ſupradictis, & in toto noſtro mari magno & alijs priuilegijs continetur, quod non intelligantur reuocata, niſi de eis expreſſa mentio fiat de verbo ad verbum, vtputa quando conceditur nobis, quod non teneamur ad procurationem legatorum, etiamſi in literis eorundem dicatur, vt tam exempti quã non exempti teneantur ad hoc onus niſi de hoc indulto nobis conceſſo expreſſe fiat mentio de verbo ad verbum, & poſtea Papa concedit cuipiam Legato, vt procurationem exigere poſſit, à quibuſcumque perſonis etiam exemptis, quãuis talia habeant priuilegia quod de eis fit facienda mentio de verbo ad verbum, quæ etiamvoluit in literis legati haberi pro expreſſis, non immerito quæritur nunc, vtrum per has legatorum literas, ſit derogatum prædicto noſtro priuilegio, & idem dicendum eſt de ſimilibus. Cui difficultati reſpondens dicit, quod licet ſuper hoc multi multa dixerint, ſemper tamen maior atque ſolemnior Doctorum pars tenuit & tenet per ſupradictas literas cuicumque priuilegio derogatum eſſe, &

ſic

ſic de mente ipſius, propoſito Articulo reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Quãdo in prædictis litteris ſupradicta ponũtur verba, per ea reuocari videtur omnia alia priuilegia, etiamſi contrariã habeant clauſulam.

QVando in prædictis litteris apoſtolicis ſupradicta apponuntur verba, reuocata per ea intelligũtur quæcumque priuilegia, etiamſi habeãt clauſulam quod non reuocentur, niſi de eis expreſſe mentio fiat de verbo ad verbum. Hanc Concluſionem probat dictus Collector, in primis de mente & ſententia Felini *in cap. nonnulli, de reſcrip.* vbi Compendioſiſſime tractat hanc materiam, adducens ibi omnes ſcribentes ſuper eam, & concludens inquit quod ſic habet indubie ſtylus curiæ, per ſupradicta verba omni derogari priori priuilegio. Quod autem hoc habeat ſtylus Curiæ vt dicit prædictus Collector, eſt pluſquam manifeſtum, cum in nullis reuocationibus, inſerantur priores litteræ niſi aliquando ad abundantiorem cautelã, propterea ait, non debent opinari Fratres, quod ſua priuilegia ſunt immutabilia, ac ſi Pontificũ manus ligatæ eſſent, vt non poſſent derogare priuilegijs à ſe vel ſuis prædeceſſoribus conceſſis, niſi inſererentur illa, cũ ſit impoſſibile eos omnia ſcire, & priuilegia prædicta ſint particularia ac fere innumerabilia. Aduertendum tamen eſſe dicit, antelatio Breuis vel Bullæ ſuper quam facta fuerit cõceſſio ſit vera vel falſa, nam ſi eſt falſa nihil valet quod conceditur, etiãſi maximas contineat clauſulas, & non obſtantias. Si vero eſt vera, ſimiliter eſt aduertendum, an in totum vel in partem aut ad tempus derogent prioribus priuilegijs: nam licet ſecundæ litteræ magnas habeant non obſtantias & generalitates amplas, non derogant niſi illis quæ ipſis ſunt contraria. Et ponit exemplum, in eo qui habeat priuilegium, vt in partes Hieroſolymitanas poſſit tranſire, & prohibetur poſtea vt in illas partes nullus tranſeat, non obſtantibus quibuscumque priuilegijs, conceſſis Ordinibus vel perſonis, &c. etiamſi de eis eorumque tenoribus, ſpecialis mentio foret facienda, &c. quæritur, an iſte talis proficiſci poſſit verbi gratia ad Comoſtellam, cum habeat aliud priuilegium hoc ſibi concedens? ſi dicas quod non, quia omnibus priuilegijs eſt derogatum, falſum eſt, quia non eſt derogatum prædictis priuilegijs, niſi quoad tranſeundum Hieruſalem, & vnum alteri non contradicit. Sed quia derogatio prædicta fieri poteſt, quoad talem reuocationem, vel quoad temporalem ſuſpenſionem, ideo de eiusmodi ſuſpenſionibus alia inſurgit difficultas, de qua ſit ſeptimus Articulus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum per ſuſpenſiones, quæ quotidie fiunt per Bullam Cruciatæ, ſeu alias, ſuſpenſa eſſe intelligantur omnia Regularium priuilegia?

HAnc quæſtionem atque difficultatem mouet etiam ſupradictus priuilegiorum Collector vbi ſupra quæſtione ſecunda, de cuius mente & reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Per bullas ceu ciacas, ſi ſimodo ſuſpendũtur illa priuilegia, quæ ipſarum effectũ impedire aut retardare poſſunt.

PEr ſuſpenſiones ſupradictas, ſolummodo ſuſpendũtur ac ſub eis comprehenduntur priuilegia illa, quæ ſupradictarum Bullarum effectum poſſunt impedire aut retardare. Hanc Concluſionem probat Collector illuſtrando ipſam aliquibus exemplis, nam ſi v. g. habeat quis priuilegium ad illud quod per Bullam Cruciatæ conceditur, certum eſt quod per ipſam eiuſmodi priuilegium ſuſpenditur, quia alias impediretur effectus prætenſus, qui eſt accipere dictam Bullam & contribuere certam pecuniæ quantitatem, pro ipſius expeditione contra infideles; ſed tamen non ſuſpenduntur alia priuilegia, conceſſa circa alias materias, & in Bullis prædictæ Cruciatæ non contenta neque conceſſa, quia eſſet abſurdum vt ſuſpenderetur illud quod illa præbere non poteſt, quia ipſum non habet, & quod hoc ſit dicendum conſtat, inquit ex clauſula ſuſpenſionis quæ in Bulla prædicta ſolet apponi, quæ eſt tenoris ſequentis, *& ne propter alias indulgentias, in hoc ſancto opere, tardiores Chriſti fideles exiſtant, omnes ſimiles aut diſſimiles indulgentias, & facultates à nobis & eadem ſede vel eius auctoritate, quibuſcumque Eccleſijs Monaſterijs, &c. conceſſas pro huiuſmodi expeditione, dumtaxat ſuſpendimus, &c.* Ex quibus verbis ſatis inquit colligitur, quod priuilegia illa quæ ſunt circa materiam diuerſam, & expeditioni Bullæ prædictæ nullatenus contrariantur, per ipſam non ſuſpenduntur, ſed ſolummodo indulgentiæ quæſtuariæ, & omnes facultates contentæ in prædicta Bulla Cruciatæ, quæ antea virtute aliorum indultorum habebantur. Neque etiam ſuſpenduntur conceſſiones Religionũ factæ pro ipſis Religioſis, nam quamuis ibi mentio fiat de Monaſterijs, intelligendum eſt de indulgẽtijs conceſſis ſecularibus viſitantibus Monaſteria non vero dealijs. Ad hoc propoſitum ſupradictus Collector plura dicit ibidem notatu digniſſima, ad quæ lectorem remitto, cum per tẽpus nõ liceat ea omnia in præſentiarũ dicere. Hactenus de iſto articulo ac de tota quæſtione prædicta.

Circa explicationem Bullæ cruciatæ, videatur Collector priuilegiorum in Comp. v. priuilegia Fratrũ in fine.

QVAE-

QVAESTIO XLVI.

De communicatione priuilegiorũ omnium, in nouem Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Fratres Prædicatores & Minores priuilegium habeant communicationis, omnium priuilegiorum aliis ordinibus & Religionibus conceſſorum?

Ibuit prædictos duos Ordines in præſenti articulo ſimul comprehendere, nam priuilegia omnia eiſdem facta fere ſunt communia, ſicque propoſito Articulo breuiter & reſolutiue, reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Fatres Prædicatores & Minores, priuilegiũ habẽt cõmunicationis, omnium priuilegiorũ, quæ aliis cõcedũntur, Religionibus.

Concluſio.

FRatres Prædicatores & Minores, priuilegium habent communicationis, omnium priuilegiorum, quæ aliis Ordinibus ſiue religionibus ſunt cõceſſa. Hæc concluſio non aliter eſt probanda, quã aſſerendo ſupradicta priuilegia: qua in re non neceſſario obſeruandum duximus, temporis ſeu cõceſſionum ordinem, quinuero illum quem ponit priuilegiorum collector, vbi amplior & maior cõmunicatio habetur verb. *communicatio priuilegiorũ*. In primis dicit. *Quod Sixt.* IIII. *cõceſſit profeſſoribus ordinis Minorum. vt conceſſit fratribus Prædicatoribus, & eiſdem Prædicatorum ordinis Fratribus vt conceſſit prædictis fratribus Minoribus, priuilegijs, indulgentijs, gratijs fauoribus & indultis, tam ſpiritualibus quam temporalibus, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis, & alijs auctoritatem habentibus, quæ omnia ac ſi nominatim exprimerentur, haberi volnit pro expreſsis, potiri & gaudere poſſint & debeant perpetuis futuris temporibus, in omnibus & per omnia prorſus, & ſine vlla differentia, perinde ac ſi quæ vni ex Ordinibus prædictis ſunt conceſſa, virique ſimul nominatim conceſſa fuiſſent, aut concederentur in poſterum, & volnit quod ea quæ de Magiſtro Generali & Prouincialibus dicti Ordinis prædicatorum, ac Monaſterijs Monialium ſub eorundem Fratrum Prædicatorum cura, & ſecundum ipſius Ordinis inſtituta viuentium ſunt ſtatuta, in Generali & Prouincialibus Miniſtris & Vicarijs dicti Ordinis Minorum, & monaſterijs Monialium ſanctæ Claræ & è contra, cenſeantur eſſe ſtatuta.* Habetur in monumentis 1. impreſ. fol. 61. & 2. fol. 144. conceſſ. 354. & refertur in Compendio, verbo *Communicatio priuilegiorum.* §. 1.

Sixt. IIII. pro Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus.

Nota verba illa, cõceſſa fuiſſent, aut concederẽtur in poſterum.

Sixt. IV. pro prædictis ordinibus, in bulla quæ dicitur aurea.

Idem Sixtus Quartus in Bulla aurea ſequentem proponit tenorem. *Omnes & ſingulas gratias, conceſſiones & peccatorum remiſſiones, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia & indulta ſpiritualia & temporalia qualiacumque ſint, Eremitarum ſancti Auguſtini & Carmelitarum, Seruorum S. Mariæ Fratrum, Ordinibus & eorum Eccleſijs & Oratorijs, ac domibus Prioribus, Fratribus & Sororibus, Conuerſis & oblatis & viriuſque ſexus perſonis, de pœnitentia nuncupatis, à prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, & ab eodem Sixto & alijs auctoritatem habentibus, quæ omnia ac ſi nominatim exprimerẽtur, haberi voluit pro ſufficienter expreſsis, cõiunctim vel diuiſim, in genere vel in ſpecie conceſſa, eiſdem vel eorum cuilibet, Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordinibus, Domibus, Eccleſijs, Oratorijs, Generali Miniſtro, Magiſtro, Prioribus & Miniſtris Prouincialibus, Conuentualibus Prioribus, & Guardianis, Sororibus, oblatis, cõuerſis, & viriuſque ſexus tertij Ordinis, ſeu de pœnitentia nuncupatis, & alias eorundem Ordinum perſonis de nouo conceſſit, & in eis locum habere voluit, ac ſi eiſdem nominatim, directe & expreſſe conceſſa fuiſſent.* Habetur in ſupradictis Monumentis Ordinis 1. impreſ. fol. 66. & 2. fol. 147. conceſſ. 367. & refertur in Compendio vbi ſupra. paragrapho. 3.

Alex. VI. pro Fratribus & Minoribus in ſpeciali.

Alexander Sextus, *Conceſſit Fratribus Minoribus Regularis obſeruantiæ, vt omnibus & ſingulis gratijs & priuilegijs, libertatibus, immunitatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, tam Fratrum Prædicatorum quã eremitarum ſancti Auguſtini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, omnibuſque alijs Mendicantibus, per ſedem Apoſtolicam vel Legatos eiuſdem, etiam per literas Apoſtolicas mare magnum nuncupatas, hactenus conceſſis, quorum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, haberi voluit pro ſufficienter expreſsis, vti, potiri & gaudere, libere & licite poſſint & debeant, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi prædicti Fratribus Minoribus ſpecifice conceſſa fuiſſent.* Habetur in dictis Monumentis, primæ impreſ. fol. 7ª. & 2. fol. 159. conce. 328. & refertur in Compendio, vbi ſupra. §. 9. vbi in ſequenti. §. 10. *Refertur, quod Iulius ſecundus conceſſit prædictis Fratribus Minoribus, conſimilem communicationem priuilegiorum, aliorum Ordinum Mendicantium, ad literam ponendo ſupradicta verba, quæ Alexander VI. poſuerat in præcedente conceſſione.* Habetur in Supplemento, fol. 12. conce. 45. & in ſequentib. §. 11. dicitur: *Quod idem Iulius conceſſit Fratribus Minoribus Obſeruantiæ Cismontanis, hoc eſt Hiſpanis, Gallis & Alemannis, quod omnibus indultis & priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, gratijs, & libertatibus familiæ vltramontanæ conceſſis & in poſterum concedendis, vti, potiri & gaudere, libere & licite, prorſus & abſque vlla differentia in omnibus & per omnia valeant, perinde ac ſi illa omnia eidem familiæ Cismontanæ, nomine ſim ac ſpecialiter & expreſſe conceſſa fuiſſent.* Habetur in Monumentis Ord. 2. impreſ. fol. 57. conc. 69. & Supplem. fol. 3. con. 5. & in comp. vbi ſupr. §. 11. Quod ipſum prius, *Innocen. VIII. conceſſerat eiſdem, quod ea omnia indulta, gratiæ ac priuilegia, conceſſa & concedenda Fratribus familiæ Cismontanæ, cenſeantur etiam conceſſa Vltramontanis, & è conuerſo.* Habetur in dictis Monumentis

Iulius II. pro Fratrib. etiã Minoribus in ſpeciali.

Idem Iul. II. pro eiſdem.

mentis Ordinis 1. impreſ. fol. 64. & 2. fol. 68. & in ſupplem. fol. 69. conceſſ. 145. & refertur in comp. vbi ſupra §. 7.

Supradictus etiam Iulius ſecundus, *conceſſit Fratribus Minoribus, eorumque domibus, omnia & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, conceſſiones, indulgentias & indulta, tam viuæ vocis oraculo, quam alias, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, Fratribus Ordinis Prædicatorum Regularis Obſeruantiæ, Regnorum Caſtellæ & Legionis, ac illorum domibus per ipſum Iulium, & prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices, aut ſedem Apoſtolicam conceſſa, ac ſi prædictis Fratribus Ordinis minorum, eorumque domibus conceſſa forent.* Habetur in monumentis Ordinis 1. impreſ. fol. 60. & 2. fol. 127. conceſſ. 285. & refertur in comp. vbi ſupra §. 12. & in ſequenti §. 13. dicitur, *quod idem Iulius poſtea declarauit & conceſſit, quod in prædicta priuilegiorum, gratiarum & indultorum præfatorum communicatione, ſcilicet Ordinis Prædicatorum, tam vniuerſaliter per prædeceſſores ſuos toti Ordini Minorum, quam etiam per ipſum particulariter, prædictorum Regnorum, prius facta, ve ea quæ quoad abſolutionem & diſpoſitionem vel alias, ad Priorem generalem ſeu Magiſtrum Ordinis præfatorum Fratrum Prædicatorum ſpectant, ad Miniſtrum vel Vicarium generalem Fratrum Minorum pertineant. Et ea quæ ad Priores ſeu Vicarios vel Suppriores Prouinciales, ideſt Prælatos qui medij ſunt, quo cumque nomine cenſeantur & vocentur, inter prædictum Generalem vel Magiſtrum ordinis, & Priores conuentuales eorumque Vicarios ſimili modo ſpectant, ad Miniſteros & Vicarios Prouinciales ac Cuſtodes, qui etiam medij ſunt, inter Miniſtrum & Vicarium generalem & Guardianos, eorumque Vicarios ſimiliter pertineant. Et quod ſicut de poteſtate Prælatorum, ſcilicet de Prælatis, ad Prælatos diffinitia de Congregationibus vnius ad Congregationem alterius Ordinis, & de Fratribus priuatis, ideſt ſine Prælatura, ad Fratres primates, & de feſtiuitatibus, ad feſtiuitates, in his caſibus in quibus Congregationibus, vel Fratribus priuatis, ac feſtiuitatibus alterius Ordinis aliquid conceſſum eſt, nunc & pro tempore (reſpectiue) conceſſa intelligantur, ita quod ea quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catherinæ de Senis, Fratribus vel locis Prædicatorum ſunt conceſſa, omnia illa Fratribus Minoribus, præfatis locis ac feſtiuitatibus Sanctorum, Erdeſci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marrochium Martyrij coronam adepti ſunt, & ſanctæ Claræ, ac in aliis feſtiuitatibus dicti Ordini Minorum, licet ſint in maiori numero, quam feſta ipſorum Fratrum Prædicatorum ſint & intelligantur conceſſa.* Habetur in Supplemẽto f. 74. conceſſ. 222. & fol. 161. conceſſ. 263. & refertur in Com. vbi ſupra §. 13.

Leo X. profratribus Minor.

Idem Iul. II. pro eiſdem.

Leo Decimus *conceſſit vt omnia & ſingula priuilegia, & indulta Ordini Fratrum Minorum, tam per ipſum Leonem, quam per alios quoſcumque Romanos Pontifices conceſſa, fratribus Regularis obſeruantiæ, ac Conuentualibus prædicti Ordinis, in vicem perpetuo ſint communicata, eiſque ſuffragentur, in quantum concordiæ per eaſdem facta, non ſunt contraria.* Habetur in ſupplemento fol. 32. conceſſ. 114. & refertur in Compendio vbi ſupra §. 15.

Et idem Leo Decimus *declarauit & conceſſit, quod illud quod conceditur omnibus ſanctis Ordinis Prædicatorum, iunctim & cuilibet ſeu aliquibus eorum, intelligatur conceſſum omnibus ſanctis Ordini Minorum, etiam iunctim & cuilibet eorum etiamſi ſint in maiori numero.* Habetur in ſupplemento fol, 58. cõceſſ, 164. & refertur in Compend. §. 16.

Idem Leo Decimus *ſpecialiter & ſigillatim motu proprio, communicauit & de nouo conceſſit Ordini Prædicatorum, omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta, tam temporalia quam ſpiritualia, qualiacumque illa ſint, quæ Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarũ, Seruorũ Beatæ Mariæ et Minimorum Fratrum Ordinibus & eorum Eccleſijs & Oratorijs, ac Eccleſias ipſas & oratoria viſitantibus, eiuſcumque ſtatus aut ſexus exiſtant, ſeu pro eorum manutentione & ornatu contribuentibus, necnõ domibus & præſidentibus, non ſolum generalibus ſed etiam Prouincialibus & Conuentualibus, Fratribusque & Sororibus necnon Monialibus, & Cõuerſis & oblatis, ac vtriuſque ſexus perſonis de pœnitentia, ſeuerioꝝ habitus vnitatis à prædeceſſoribus ipſius Leonis, aut ab ipſo eiuſque ſucceſſoribus, aut alijs auctoritatem habentibus, coniunctim vel diuiſim, in genere vel in ſpecie conceſſa ſunt aut in poſterum concedẽtur, ac ſi omnia & ſingula nominatim exprimerentur, dicto Ordini Prædicatorum, & illius Eccleſijs, Oratorijs, & Eccleſias ipſas & Oratoria viſitantibus, ſeu pro earum manutentione & ornatu contribuentibus, necnon domibus, Magiſtroque Generali, Prouincialibus, & Conuentualibus fratribus, etiam ſororibus, ſiue Monialibus, conuerſis quoque & oblatis, ac vtriuſque ſexus perſonis de pœnitentia nominatis, & alijs eiuſdem Ordinis perſonis.* Et in fine poſuit latiſſimas & fortiſſimas non obſtantias, & dicit priuilegiorum Collector, quod in omnibus communicationibus priuilegiorum non reperitur alia melior conceſſio, nec adhuc æqualis, vt patebit bene intuenti. Habetur in Supplemento folio 69. conceſſione 216. & refertur in Compendio noſtri ſacri Ordinis, vbi ſupra, §. vigeſimo.

Idem Leo X. pro Fratribus Prædicatorb.

Valdè notã verba illa, eẽ ceſſa ſunt vel in poſterum concedentur.

Sed ad hoc vt communicare poſſimus, priuilegijs conceſſis Ordinibus non Mendicantibus, eſt priuilegium quoddam Clementis Septimi, conceſſum pro tribus Ordinibus ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci, quod etiam refertur in Compendio noſtri ſacri Ordinis, vbi ſupra, §. 19. eſt tenoris ſequentis.

Nota priuilegium Clem. VII. quo fruuntur Fratres Min. priuilegijs conceſſis etiam Ordinibus non Mendicantibus.

Clemens Septimus motu proprio & ex certa ſcientia, omnia & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, & gratias, ac omnia & ſingula indulta Ordini Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ, & ſanctæ Claræ ac tertio de Pœnitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus & Sororibus vtriuſque ſexus perſonis, ac Monaſterijs, domibus Eccleſijs & locis quibuſcumque, etiam per modum extenſionis ſeu communicationis, & alias quomodolibet, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ac per ipſum & ſedem Apoſtolicam conceſſa, auctoritate Apoſtolica approbauit & innouauit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere et inuiolabiliter obſeruari debere decreuit, ipſosque Fratres, Moniales, Sorores, perſonas, Monaſteria, Domos, Eccleſias, et alia loca huiuſmodi, omnibus et ſingulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, indultis, indulgentijs, peccatorum remiſſionibus, et gratijs, quibuſuis Congregationibus dictorum Ordinum, aliorumque Ordinum Mendicantium, quomodolibet conceſſis, & concedendis, necnon etiam quibuſuis facultatibus et gratijs, Fratrum profeſſioni Regularis Obſeruantiæ non contrarijs, alijs Ordinibus quibuſcumque non Mendicantibus, quomodo-

dolibet.

dolibet conceſsis & concedendis, vti, frui & gaudere poſſe atque debere, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi eis ſpecialiter conceſſa fuiſſent. Hæc eſt ampliſſima priuilegiorum communicatio, quam nos Minores Fratres habemus, & qui noſtris gaudent priuilegijs, & eorũdem habentes: communicationem ea etiam potiri poſſunt, & frui omnibus omnium Religionum priuilegijs, non ſolum Mendicantium, verum & non Mendicantium, in quantum ſuæ profeſſioni, aut noſtræ Regulari Obſeruantiæ non contrariantur, neque ſolum priuilegijs hucuſque conceſſis, verum etiam & concedendis: Per quæ fit ſatis propoſito Articulo.

Valde Nota illa verba, alijs Ordinib. quibuſcũque nõ Mendicantibus quomodolibet conſis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Moniales noſtri ſacri Ordinis & Prædicatorum, priuilegiorum etiam habeant communicationem?

Concluſio.

OMnes etiam Moniales Ordinis ſanctæ Clarę & ſancti Dominici & tertiariæ, necnon ſanctæ & immaculatæ Conceptionis, gaudent priuilegijs Mendicantium, per viam communicationis: Probatur hæc concluſio: nam in primis *Sixtus IIII. ſtatuit, quod Monaſteria & loca Monialium ſanctæ Clarę at ſancti Dominici, eorumque Abbatiſſæ, Prioriſſæ Procuratores, Sindici, oblati, & vtriuſque ſexus tertij Ordinis de pœnitentia nuncupatæ perſonæ prædictæ, eiſdem priuilegijs & immunitatibus, gratijs, fauoribus, conceſsionibus, indultis, ſpiritualibus & temporalibus, Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinis & illorum profeſſoribus, domibus & locis, ac Procuratoribus & Syndicis, oblatis, & conuerſis, ſeu alijs quomodolibet per prædeceſſores ſuos aut per ipſummet Sixtum hactenus conceſsis, & in poſterum concedendis, quauis auctoritate (quatenus earum ſexui, & ſtatui non contradicunt) libere & licite, vti poſsint & debeant, in omnibus & per omnia, prorſus & ſine vlla differentia, ac ſi eiſdem Monaſterijs, locis & perſonis prædictis, nominatim conceſſa forent, & concederentur expreſſe.* Habetur in Monumen. Ordinis 1. impreſ. fol. 66. & 2. fol. 148. conceſſ. 362. & refertur in Compendio verbo *communicatio priu.* §. 2. & in §. 4. refertur in dicto Compendio alia cõceſſio eiuſdem Sixti IIII. *Quæ conceſsit Fratribus & Sororibus trium Ord. B. Franciſci, omnia priuilegia tam ſpiritualia quam temporalia, omnesque indulgentias, cæteris Mendicantium Ord. conceſſa, tam in communi quam in particulari, eorumque Eccleſijs & locis quibuſcumque.* Habetur in ſupplemento fol. 109. conceſſ. 464. & in ſequenti. §. 5. ponit idem priuilegiorũ Collector, aliam ſpecialem conceſſionem eiuſdem Sixti pro Monialibus S. Clarę *Quæ conceſsit quod Sorores S. Clarę ſub obedientia fratrum Min. obſeruantiæ exiſtentes, gaudeant omnibus priuilegijs, exemptionibus & gratijs conceſſis in genere, Sororibus reformatis Sororis collectæ.* Habetur in dictis Monumentis Ord. 2. imp. fol. 261. conc. 677. & in ſupplemen. fol. 96. con. 338. & refertur vbi ſupra §. 5. Sed aduertere licet, quod in prædictis conceſſionibus, ſolummodo indulgetur communicatio priuilegiorum, conceſſorum Fratribus Minoribus & Prædicatoribus per prædictum Sixtum Quartum, & prædeceſſores ſuos; non autem concedendorum per alios Summos Pontifices, eiuſdem Sixti ſucceſſores, vnde recurramus oportet ad aliam ampliorem Bonifacij Octaui pro eiſdem conceſſionem & communicationem, quæ eſt tenoris ſequentis.

Omnia priuilegia conceſſa Fratribus Minorib. & Prædicatoribus, conceduntur à Sixto IIII. Monialib. S. Clarę, & S. Dominici, & vtriuſque Ordin. Tertiarijs.

Bonifacius Octauus ſtatuit ad inſtar Innocentij Quarti, *quod quęcumque Moniales commiſsæ fuerint gubernationi Fratrum Minorum, virtute alicuius indulti Apoſtolici, Moniales ſic commiſsæ gaudeant priuilegijs conceſsis & concedendis prædictis Fratribus.* Habetur in dictis Monumentis Ordinis 1. impreſſione, fol. 32. & in Supplemento, fol. 33. conc. 35. & refertur in Cõpendio vbi ſupra, §. 6. Et præter ſupradictas conceſſiones, factas ſpecialiter prædictis Monialibus; vtuntur & fruuntur, poſſuntque vti & frui omnibus & quibuſcumque priuilegijs, earum ſexui & ſtatui non contradicentibus, quæ conceſſa ſunt Fratribus Minoribus & Prædicatoribus per generales conceſſiones, factas à Clemente Septimo, in priuilegio ſuperius relato pro tribus Ordinibus Sancti Patris noſtri Franciſci, & à Leone Decimo, ſigillatim pro Ordine Sancti Dominici. Qui etiam Leo Decimus conceſſit, *quod ſicut Moniales S. Clarę gaudent priuilegijs Fratrum Minorum, ita & ipſi Fratres gaudeant & vti poſsint priuilegijs ipſorum Monialium, quæ ſub cura ipſorum ſunt duntaxat, in ſpiritualibus tantum.* Habetur in Supplemento folio 62. conc. 196. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 14. Quæ quidem conceſſio eſt valde notanda, quia nonnulla ſunt priuilegia ſpecialiter conceſſa prædicto Ordini Sanctæ Clarę, quibus & nos Minores Fratres, vti & potiri poſſumus virtute ſupradicti priuilegij.

Sed quod Moniales Tertiariæ priuilegium etiã habeant communicationis; præter ea, quæ ſuperius dicta ſunt, de priuilegijs conceſſis ſimul pro tribus Ordinibus Sanctiſſimi Patris noſtri Franciſci.

Leo Decimus, prout habetur in Supplemento, fol. 46. conceſſ. 141. conceſſit Sororibus Tertij Ordinis, *quod poſsint gaudere & potiri, omnibus & ſingulis priuilegijs, gratijs, prærogatiuis, exemptionibus et indultis ſub quibuſcumque verborum formis, conceſsis et concedendis Monialibus Sanctæ Clarę*, ſuper quo dat conſeruatores & refertur in Compendio *verbo, communicatio priuilegiorum*, §. 17. etiam habetur in Monumẽtis Ordinis 1. impreſſ. fol. 64. & 2. fol. 69. & in Supplemento, fol. 100. conceſſ. 375. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 8. quod ſupradictus Innocentius Octauus, *extendit ſeu communicauit gratias et indulta, conceſſa Fratribus et Sororibus Tertij Ordinis in communi viuentibus etiam illis, qui viuunt in particulari*, quod qualiter ſit intelligendum, ponitur in prædicto Cõpendio. verbo *Tertiarij Fratres et Sorores*, §. 25. in fine, vbi ad hoc propoſitum ſupradictorum priuilegiorum Collector dicit plura eaque notatu digniſſima, quæ nos etiam retulimus ſupra in præcedenti tom. quæſt. de prædictis Tertiarijs, ad quam Lectorem remitto.

Sed quod Moniales ſanctæ & immaculatæ Conceptionis, priuilegium etiam habeant communications, conſtat ex conceſſione ſibi facta à Leone Decimo, quam refert priuilegiorum Collector, *verbo*

comma-

Promenialib. Conceptionis idem Leo X. concessit oia priuilegia, monialibus Conceptionis, sub eorum cura degentibus.

communica. priu. §. 18. vbi inquit, *quod prædictus Leo X. Motuproprio & ex certa scientia, concessit Monialibus S. & immaculatæ Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ, sub obedientia nostrorum Fratrum Minorum degentibus, vt omnibus & singulis priuilegijs, concessionibus, prærogatiuis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratijs & indultis spiritualibus & temporalibus per ipsum Leonem & sedem Apostolicam, Fratribus dicti Ordinis ac Monialibus S. Claræ & sororibus tertij Ord. sanct. Francisci, quomodolibet concessis & concedendis, & quibus Fratres, Moniales & Sorores huiusmodi, de iure vel priuilegio, aut consuetudine patriæ, vtuntur, potiuntur & gaudent, seu vti, potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum, quæ omnia pro expressis & indiuidue enarratis haberi voluit, prædictæ Moniales in supradicta obedientia permanentes, vtantur, potiantur & gaudeant, ac vti, potiri & gaudere possint, in omnibus & per omnia, perinde ac si ipsis concessa fuissent, sicque per quoscumque iudices Ordinarios seu delegatos in foro conscientiæ, dum & quoties opus fuerit, interpretari, iudicari, & definiri debere.* Hæc fuit priuilegia quæ pro Monialibus omnibus in nostri Ordinis monumentis inuenj, quæ pro isto articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrũ Fratres Augustinienses, priuilegiũ etiam habeant communicationis?

Conclusio.

Valen. VI. pro Augustinens. bus.

FRatres etiã augustinienses, priuilegium habent communicationis, omnium Religionũ Mendicantium. Hæc conclusio probatur in primis ex concessione sibi facta ab Alex. VI. quæ refertur in supplemento fol. 78. concess. 135. & in Compendio verbo *communicatio priuileg.* §. 21. vbi dicitur quod prædictus Alexander VI. *Motuproprio concessit Fratribus Augustinien. vt omnium & singulorum Religiosorum, cuiuscumque Obseruantiæ fuerint, & domorum, locorum, personarumque in illis degentium, quibus vt priuilegijs dicti Ordin. Augustinienſium, vti possint per eandem sedem concessum est, possint & valeant huiusmodi Augustinienses, ipsorum locorum, domorum, & personarum in illis habitantium, priuilegijs, indultis, immunitatibus, concessionibus, exẽptionibus, indulgentijs, & libertatibus, eis in genere quacumque Apostolica auctoritate concessis, quorum tenores haberi voluit pro expressis & specificatis, vti, potiri, & gaudere, perpetuis futuris temporibus, libere & licite.* Hanc concessionem dicit priuilegiorum Collector magnam esse, & cui nulli bi aliam similem reperit. Virtute cuius, videtur quod etiam nos Minores fratres, ratione communicationis priuilegiorum, possumus vti priuilegijs illorum, quibus nostra priuilegia sunt communicata, vsque ad datam prædictæ concessionis Augustinienſium, sed nõ de in posterum concessis aut concedendis, quia de illis non est facta mentio ibidem.

Iulius etiam II. prout habetur in Monument. Ord. 2. imp. f. 265. cõ. 648. & Supplem. fol. 66. conc. 206. & refertur in Compend. vbi supra §. 22. *Omnia & singula priuilegia, immunitates, exemptiones, eæ tes sio nes, indulgentias, ac peccatorum remissiones, & indulta quæ cumque quibusuis Congregationibus seu Societatibus, aut alijs locis & illorum personis, Ord. Fratrum Eremitarum Regularis obseruantiæ nuncupatis, generaliter concessa, ad ipsum Ordin. Fratrum Eremitarum & illius personas, ac si illis specialiter concessa fuissent, auctoritate Apostolica extendit & illis communicauit.* Circa quam concessionem aduertit priuilegiorum Collector, quod virtute illius credebant aliqui fratres prædicti Ordinis, gaudere posse priuilegijs & indulgentijs particularibus, domibus sui Ordinis concessis, vt S. Mariæ de Populo vrbis Romæ, & similibus, & alij fratres aliorum Ordin. Mendicantium credebant, quod virtute communicationis priuilegiorum similiter id esset eis concessum. Sed inquit quod Leo X. declarauit debere intelligi, quod gaudeant prædicti fratres, priuilegijs generaliter concessis, Cõgregationibus & personis, & locis Congregationis, & non domibus vel personis particularibus Congregation. vel Ord. concessis. Quæ declaratio habetur in supplemento folio 56. concess. 177. & refertur in Comp. ver. vbi supra §. 22.

Supradictus Iulius II. *Decreuit communicationem priuilegiorum aliorum Ordinum Mendicantium, faciam Fratribus Augustinienſibus, adeo etiam extendi, quæ viua vocis oraculo ab eis impetrata, aut eis in genere donata fuit, & voluit vt quidquid alijs eorundem, hoc modo aut quouis alio concessum est hactenus aut in posterum concedetur, siue Conuentualibus, siue Obseruantibus nuncupatis, id omne Motuproprio & ex certa scientia eisdem Augustinienſibus sit concessum.* Habetur in Supplem. fol. 95. conc. 309. & refertur in Comp. vbi supra §. 25. & in sequenti. §. 26. dicitur, quod idem Iulius in alio suo Breui prædictis Augustinienſibus directo, posuit sequentem clausulam, *Communicationem quoque priuilegiorum, cum alijs Ordinibus omnibus firmamus & roboramus, volentes priuilegia nostra omnia, integre & ad verbũ, vt sonant plenissime, atque inuiolabiliter vbique gentium obseruari.* Habetur in supplemento fol. 95. concess. 316. & refertur in Compendio vbi supra.

Supra §. 2. Iulius pro eisdẽ & Iulius pro eisdem.

Præterea dicitur in eodem Supplemento fol. 67. concess. 212. & refertur in Compendio vbi supra §. 27. *quod idem Iulius confirmauit, communicationem priuilegiorum, quam Sixtus IIII. fecerat, inter fratres Augustinenses & alios Mendic. & insuper decreuit ac voluit, vt quidquid vsque tunc Ordini Minorum aut Prædic. aut Carmelitarum, aut Seruorum B. Mariæ concessum ab Apostolica sede est, & quidquid in futurum concedetur, eisdem Fratribus Augustinen. concessum sit, ita quod Fratres huiusmodi, eisdem concessionibus perpetuo, vti possint, perinde ac si eis nominatim concessa essent.*

Nec solum modo prædicti fratres Augustinenses communicationem prædictorum priuilegiorum habent, verumetiam & ipsorũ Moniales, per speciale concessionem supradicti Iul. II. quæ habetur in Supplem. fol. 97. concess. 207. & refertur in Compendio vbi supra §. 23. vbi dicitur, *quod idem Iulius, priuilegia, immunitates, exemptiones, eæ tes sio nes, indulgentias, remissiones & indulta Ordini Fratrum Eremitarum sancti Augustini, & illius personis concessa, & ad illa extensa seu communicata, Monialibus dicti Ordinis sancti Augustini, vel sub cura dictarum Fratrum viuentibus, & quæ nigellum nigrum, & corrigiam ad instar Fratrum dicti Ordinis deferunt, mantellatis, corri-*

Nota pro Monialibus Augustinenſibus

gliatis nuncupatis mulieribus, quoad ea quæ ad ſalutem animarum, ipſarum mantellatarum & corrigiatarum dumtaxat concernunt, & earum ſexui conueniunt, ſuffragari debere decreuit. Et poſtea idem Iulius in alio ſuo Breui, *ſtatuit vt quidquid indulgentiarum & gratiæ, Fratribus & Monialibus mantellatis & corrigiatis, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini conceſſum eſt, id omne vtrique ſexui conceſſum intelligatur, viris ſcilicet atque mulieribus, dummodo à Generali vel Priore aut Rectore alicuius loci dicti Ordinis, auctoritatem gratiæ aſſequendæ facultatẽ obtinuerint.* Habetur in Supplemẽto fol. 76. conc. 226. & refertur in Compendio, §. 24.

Leo X. pro eiſdẽ omnibus.

Ad quod propoſitum facit quammaxime, alia conceſsio Leonis decimi facta pro tribus Ordinibus Auguſtinen. quæ refertur etiam in Supplemẽto fol. 122. conceſſ. 556. & in Compendio vbi ſupra, §. 28. *vbi dicitur, quod prædictus Leo X. declarauit & cõceſſit, quod perſonæ trium Ordinum ſancti Auguſtini, videlicet Fratres, Moniales & Mantellati, omnibus & ſingulis priuilegijs & indultis, quæ in mari magno, ſeu in alijs conceſsionibus, tam per ipſum quam per alios Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, Ordini ante dicto conceſsis continentur, plene & largiter perfrui poſsint & debeant, ſed voluit quod quarti gradus vtriuſque ſexus perſonæ, indulgentijs tantummodo gaudeant.* Circa quæ verba aduertit priuilegiorum Collector, quod iſtæ perſonæ quarti gradus (vt dicitur) ſunt quæ in aliquibus litteris Apoſtolicis vocantur Corrigiatæ, id eſt, quæ ſolum deferunt corrigiam S. Auguſtini, de quibus videndum eſt, in eodem compẽdio priuilegiorum, verb. *Tertiarij Fratres & ſorores*, prope finem. Attamen vtrum huiuſmodi Corrigiati, gaudere poſsint omnibus gratijs & conceſsionibus ſpiritualibus, virtute illorum verborũ *& indulgentijs, quibus alij prædicti Tertij gradus, ſeu perſonæ trium Ordinum prædictorũ gaudent*, aliqui voluerunt afferere, ſed oppoſitum (inquit) eſt verum & certiſsimum, quod ſcilicet ſolum gaudent indulgentijs poſt dictam prouiſionem, nam antea gaudebant omnibus gratijs, & cõceſsionibus ſpiritualibus ſicut Fratres, & admittebantur tempore interdicti ad diuina. In fine omnium conceſsionum, quæ pro Fratribus Auguſtinenſibus prædictis ſunt factæ, in §. 29. aduertit prædictus priuilegiorum Collector, quod idem Leo. X. *conceſsit generali Priori Auguſtinen. vt quidquid indulgentiarũ & gratiæ, Fratribus, Monialibus & Mantellatis, ac corrigiatis conceſſum eſt, id omne vtrique ſexui conceſſum intelligatur, ſicut ſupra conceſſerat* Iulius II. Habetur in Supplemẽto fol. 122. conceſſ. 557. & refertur in Comp. vbi ſupra. Hactenus de iſto Artitulo.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Fratres Carmelitani habeant etiam priuilegium communicationis aliorum priuilegiorum?

Concluſio.

Sixt. X. pro Carmelitanis

FRatres etiã Carmelitani, priuilegium habẽt cõmunicationis aliorum Fratrum Mendicantium. Hæc concluſio probatur ex ſpeciali cõceſsione ſibi facta, à Sixto quarto quæ habetur in Monum. Ordin. 1. impr. f. 105. & 2. f. 188. cõc. 83. & refertur in Cõp. *verbo communicatio priuilegiorũ* §. 30. vbi dicitur, *quod prædictus Sixtus IIII. conceſsit Fratribus Ordin. Carmelit, vt gaudere & potiri poſsint & debeant, priuilegijs, indulgentijs, gratijs & fauoribus ac indultis, tã ſpecialibus quã temporalibus, conceſsis Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ac Eremitanis S. Auguſtini veluti ſi prædicto Ordin. Carmelitano, nominatim conceſſa fuiſſent, aut concederẽtur in futurum, &c.* Conceſsio prædicta copioſam facit ſpecificationem d conceſsis reſpectu Prælatorũ prædictorum Ordin. Hæ ſunt conceſsiones factæ & communicationis priuilegia, quatuor Ord. Mendicant. quæ ſecundũ ius commune & antiquum, inter Mendicantes proprie & ſtricte loquendo enumerantur. Sed poſtea à Sũmi Pont. benignitate & prouiſione, ſpecialique priuilegio, nonnullæ aliæ Religiones & Ord. prædictis aggregantur, conceſſumq; fuit ſibi, vt priuilegijs Mendic, vti & potiri poſſent, inter quas eſt Ordo ſiue Religio Fratrũ, qui dicuntur S. Mariæ à Mercede, qui quidẽ ex priuilegio Leo. X. dato Romæ apud S. Pet. anno Dominicæ Incarnat. 1506. 5. kal. Auguſti, Pontificatus ſui anno 4. prædicta communicatione gaudent. Quod etiam conceſsit ſibi Sixtus V. alia ſua Bulla, data Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 26. Aprilis anno Domini 1589. Pont. ſui, etiam anno 4. Similiter & fratres Ord. S. Trinitatis, eiuſmodi habent priuilegium, conceſſum ſibi per Leo. X. Adrianum VI. de quo quidem priuilegio latiſsimam facit mẽtionẽ priuilegiorum Collect. verb. *commun. priuil.* §. 38. & 39. Habent etiam prædictũ communicationis priuilegium, Fratres Minimi, qui alio nomine dicuntur, S. Franciſci de Paula, ex ſpeciali conceſsione Iulij II. cuius fit mentio in Supple. fol. 9. conce. 31. ita & in comp. vbi ſup §. 31. & in §. 32. dicitur, *quod Leo. X. Motuproprio & ex certa ſcientia, approbauit, innouauit, & confirmauit, ac plenum firmitatis robur obtinere & firmiter obſeruari voluit ac de nouo conceſsit communicationem priuilegiorum omnium Ord. Mendicantium, quam fecerat Iul. II. Fratribus Ord. Minorum dando ſuper hoc Indices.* Habetur in ſupplem. fol. 17. conceſſ. 57. & refertur in comp. vbi ſupra. Quod & Pius V. de nouo ſibi confirmauit quadã ſua Bulla. quę habetur originaliter in lib Conſt. Pont. & incipit, *Apoſtolicæ ſedis benignitas*, data Romæ apud S. Petrũ ſub annulo piſcatoris die 6. Nouemb. 1567. Pontific. ſui anno 2. Qui etiam Pius. V. Congreg. S. Hieronymi Ieſuatorũ, inter ordin. Mendic. annumerauit, eiſdẽq; cõmunicationẽ priuileg. cõceſsit,

De alijs Ord. nibus & Religionibus, quæ priuilegijs Mẽdicãtium per ſtruuntur.

alia Bulla quæ habetur vbi ſupra, & incipt, *Romanus Pontifex*, data etiam Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris 19. Nouembris 1567. Pontificatus ſui anno ſecundo Religioſi etiam Clerici ſocietatis Ieſu, ſupradictum habent, priuilegium communicationis, ex conceſſione ſibi facta, vt inter Mendicantes ipſorum ordo annumeretur, quod ſpecialiter ſibi conceſſit Pius V. prout referturin eiuſdem ſocietatis Compendio tit. *communicatio gratiarum.* §. 2. quod de nouo confirmauit & ſibi conceſſit Greg. XIII.

Præter ſupradictos Ordin, Mendicantes, aut qui Ord. Mendicantibus ſunt annumerati & aggregati & ex Summi Pontificis benignitate, ſpecialique priuilegio facultatem habent vt priuilegijs conceſsis prædictis Ord. & Relig. Mendicantibus, vti & frui poſſint, ſunt & aliæ quamplures Religiones Monachales, quæ eiuſmodi priuilegio communicationis perfruuntur, & ſpecialiter illud habet, Ordinis & Religionis Diui Hieronymi Congregatio Hiſpaniæ, per conceſſionem Sixti V. factam ſub annulo piſcatoris anno Domini 1589. Pontificatus ſui anno 1. die 13. menſis Decembris. Habet & illud Ciſtercien. familia, per conceſſionem Gregorij XIIII. ſibi per Bullam datam, Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 18. Iunij anno Domini 1591. Pontificatus ſui anno 1. Item & ordo S. Benedicti Congreg. Portugaliæ, per conceſſionem ſupradicti Sixti V. factam anno Domini 1588. 7. kalendas Decembris Pontificatus ſui anno 1. Qua etiam conceſſione per communicationē fruũtur Monachi Congreg. Hiſpaniæ Item eiuſmodi habet priuilegium Ordo Cruciferorum, ſeu Religio Clericorum Miniſtrantium infirmis, per conceſſionem ſibi factam, à Greg. XIIII. anno Domini 1591. & crediderim quod iam omnes aliæ Religiones & Ordines, ſimile priuilegium habeant, aut ſaltem habere procurauerint, quæ cumſit quæſtio, non iuris ſed facti, non adme ſpectat idipſum in præſentiarum determinare. Solummodo ſupereſt dicere, qualiter eiuſmodi priuilegiorum communicatio fieri debeat, & an ipſa intelligatur tantum de priuilegijs conceſſis ſupradictis Ordin. Mendicantibus, an vero etiam de non Mendicantibus, & protrahatur & ſe extendat, non ſolum ad priuilegia conceſſa, tempore quo indultum ſeu priuilegium prædictæ communicationis eſt factum, verũ etiam ad omnia alia priuilegia in poſterum concedenda? de quo dicemus in ſequenti Artic.

ARTICVLVS V.

An prædicta priuilegiorum communicatio, ſe extendat ad omnia priuilegia, tam conceſſa quam concedenda, non ſolum Mendicantibus, verum etiam & non Mendicantibus?

AD hac difficultate breuiter me expediã, cum ea non tam Iuris quam facti eſſe etiam videatur, & ex facto ſeu potius conceſsionibus factis, à Summo Pontifice Religionum vnicuique id debeat penſari atque dijudicari. Vnde priuſquam eidem ſatisfaciam, pro hac & ſimilibus difficultatibus generaliter dico, quod ſemper priuilegiorum verba ſunt inſpicienda & attente conſideranda, ac ſecundum ipſa dijudicandum, quouſque ſe extendant & non amplius, quo præmiſſo, propoſito Articulo Reſpondeo per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Supradicta priuileg. communicatio, intelligenda eſt de priuilegijs conceſsis & concedendis.

SVpradicta priuilegiorum communicatio, intelligenda eſt non ſolũ de priuilegijs cõceſsis, tẽpore quo facta eſt gratia prædictæ cõmunicationis, verũ etiã de poſtmodũ cõcedẽdis. Hæc Conc. probatur expreſſe & ſpecialiter ex conceſsionibus factis nobis Fratribus Min. per Clem. 7. Præd. vero per Leo. X. vtriſq; vero per Sixt. IIII. iam ſuperius in 1. art. poſitis atque relatis, per illa verba *priuilegia quæ conceſſa ſunt, aut in poſterum concedentur, ſeu de priuilegijs quomodolibet conceſsis & concedendis.* Quod etiam & Fratres Auguſtin. habent, ex conceſsione ſibi facta Iulij II. ac Sixti. IIII. relatis ſupra in Art. 3. vbi ſimilia omnino verba habẽtur. Et quãuis Carmelit. non ita expreſſe, in cõceſsione ſibi facta à prædicto Sixto IIII. illud habeãt, id tamẽ videtur innuere vel ſaltim idipſum habeant, per cõmunicationem priuilegiorũ aliorũ Ord. Mendic. nam quantum ad hoc propoſitũ, parũ aut nihil videtur referre, quod id fiat directe vel indirecte, cũ omnes ſupradicti Ord. Mendic. abſque delectu & differentia, vtex ſupradictis cõſtat, eiſdem perfruãtur priuilegijs, & idẽ ſuo quoq; modo dicẽdũ de alijs Rel. ſimile cõmunicationis priuil. habẽtibus.

Secunda Concluſio.

Supradicta priuileg. communicatio, extenditur non ſolum ad priuilegia Mendicantium, verumetiam & non Mendicantium.

SVpradicta priuilegiorum communicatio, extẽditur atque protrahitur, nõ ſolũ ad priuilegia Fratrum Mendicantium, verumetiam & non Mendicantium, conceſſa & concedenda, vt dictum eſt. Probatur hæc concluſio ex cõceſsione ſupradicta Clem. VII. poſita, in 1. art. nobis Min. Fratribus facta, vbi h. c. ipſũ habetur expreſſe, in illis verbis, *Necnon quibuſcumque facultatibus & gratijs (Fratrum profeſsioni Regularis Obſeruantiæ non contrarijs) alijs Ordinibus quibuſcumque non Mendicantibus, quomodolibet conceſsis & concedendis, vti, frui & gaudere poſſe atque debere in communibus & per omnia, proinde ac ſi eis ſpecialiter conceſſa fuiſſent.* Quo quidem priuilegio per ſupradictã communicationem, fruuntur omnes alij Ordines & Religiones, quæ prædictum priuilegium habent communicationis, per quas ſupradictas concluſiones tollitur difficultas, quæ à nõnullis in præſentiarum moueri ſolet, an ſcilicet Fratres Mendicantes, vti & potiri poſſent, priuilegijs conceſsis Ordini & Religioni Clericorum Societatis Ieſu? Quorum quidem ratio dubitandi eſt, quia prædictus Clem. VII. alijque Pontific. de quibus ſupra, qui prædictis Fratribus Mendicantibus facultatem fecerunt, vt quarumcumque Religionum priuilegijs, vti & frui poſſent, conceſsis & concedendis, ſolummodo ſunt loquuti, & vt videtur loqui intenderũt, de Relig. alijs eo tẽpore per ſedẽ Apoſt. approbatis: ſed prædicta Rel. Cler. Socie. Ieſu, mul-

Difficultas.

An aliæ Religiones perfruantur priuilegijs Societatis Ieſu.

to

to poſt tempore, per eandem ſedem Apoſtolicam eſt approbata: ergo eiuſdem priuilegijs, non vti & frui poſſunt Fratres Mendicantes, virtute dictarum conceſſionum. Sed hæc difficultas nulla eſt, tum quia priuilegia prædicta omnia per alios Summos Pontifices Romanos ſunt confirmata & approbata, nempe per Paulum quartum, Pium etiam quartum & Pium V. Gregor. XIII. Sixtũ V. Clem. VIII. & nunc nouiſsime per ſan. D. N. Paulum V. poſt iam inſtitutam & approbatam Religionem prædictam Clericorum Societatis Ieſu, & quaſi de nouo ea conceſſerunt, multique eorum ex Motu proprio, & ex certa ſcientia (vt dictum eſt ſupra) tum etiam quia per communicationem aliorum Ordinum & Relig. quæ communicant cum eadem Societate in eiſdem priuilegijs, poſſunt & Fratres Mendicantes prædicti, eiſdem communicare. Id enim habet communicationis priuilegiũ, quod omnium aliarum Religionũ priuilegia facit propria. Communicant autem cum Religione prædicta, in ſuis priuilegijs, Ciſtercienſes, & Cruciferi, ſeu Religio Clericorum Miniſtrantium infirmis, per conceſſiones ſibi factas, de quibus ſupra, quo Religionum omnium priuilegijs poſsint communicare. Aduerto etiam, quod quamuis in Societate prædicta, aliqua ſint priuilegia ſibi conceſſa, limitata & coarctata, ita vt eiuſdem Religioſi, vti nullo modo poſsint, gratijs & facultatibus, directe aut indirecte, per viam communicationis ſibi conceſsis, niſi à Præpoſito generali ſeu ab alijs per ipſum ſibi fuerint communicata, prout dicitur, Greg. XIII. illis cõceſsiſſe eiuſmodi tamen reſtrictiones & limitationes, non obligant pro alijs Religionibus, nam vt ſupra diximus dicemuſque latius infra priuilegia, fauores & gratiæ, ſunt quæ communicantur, non vero reſtrictiones ſiue limitationes.

Difficultatis ſolutio.

ARTICVLVS VI.

Vtrum priuilegia quæ ſunt pœnalia & odioſa, & in quibus aliquæ continentur pœnæ, vni Religioni conceſſa, alijs etiã Religionibus cõmunicetur?

IN exemplum de priuilegio Pauli III. quo excludit ab officijs noſtri Ordinis Min. omnes ex maculato genere intra 4. gradum deſcendẽtes. Quæritur nunc, an eiuſmodi priuilegium, alijs etiam Ordinibus & Relig. communicationis priuilegium habentibus communicetur? Non defuere olim quidam qui hoc affirmauerint, totiſque viribus cõtenderint defendere, priuilegium prædictum, in alijs etiam Religionibus, eſſe obſeruandum & practicandum. Sed nihilominus in contrarium eſt veritas, de qua ſit Concluſio.

Concluſio.

Priuilegia odioſa & pœnalia & in quibus PRiuilegia odioſa & pœnalia, & in quibus aliquæ ſunt pœnæ cõſtitutæ, non veniunt ſub prædicta priuilegiorum communicatione. Hæc concluſio (vt videtur) eſt certa & manifeſta, non enim eſt credendum aut præſumendum de Summis Pontific. quod ipſis renuentibus hoc omnibus alijs Religionibus concedere voluerint, ac in eiſdem per generalem communicationis clauſulam ſtabilire, quod ipſæ nunquam petierunt aut ſibi futurum eſſet oneri, quodque ex ſpeciali ratione eorum nonnulli ſacræ noſtræ Religioni conceſſerunt. Nec vero id ipſum facere poſſunt aliarũ Religionum Prælati etiamſi vellent, vt ſcilicet eiuſmodi priuilegia ſeu potius ſtatuta pœnalia & odioſa & in quibus pœnæ ſunt conſtitutæ, in eiſdem ſeruentur & practicentur, per ſolam generalem priuilegiorum communicationis clauſulam, abſque ſpeciali ſummorum Pontificum licentia & peruiſſione. Nam ex ſtylo Curiæ & eorundem Pontificum præſumpta intentione, quando communicantur priuilegia & conceduntur gratiæ, nõ communicantur pœnæ neque enim id facere conſonum eſſet Iuri, cum iuxta Iuris Regulam odia reſtringi, fauores vero conueniat ampliari. Solummodo ergo comprehenduntur, in prædicta priuilegiorũ communicatione, ea quæ fauorabilia ſunt Religionum cuilibet, & quæ earundem ſtatui, comuniue modo viuendi, nullatenus contrariantur, prout expreſſe in nonnullis è ſupradictis priuilegijs continetur. Multa enim ſunt laxioribus Religionibus priuilegia conceſſa, quæ ſtrictioribus ſine magno earum incommodo atque diſpendio, communicari non poſſent aut deberent. Id enim ſi fieret, totus earum decor ac pulchritudo periret, deficerentque à ſua vera obſeruantia, quod per prædictam communicationis gratiam, non eſt præſumendum ſupradictos Summos Pontifices intendiſſe. Quo fit, vt quamuis prædicta reſtrictio & limitatio, in Bullis ſeu priuilegijs cõmunicationis expreſſe non ſit apposita, adhuc tamen ſemper debet intelligi, alias enim prædicta priuilegiorum communicatio, cederet non in earundem Religionum fauorem quin ẽro in odium, & interdum non in ædificationem & earum ſtabilitatem, verum in diſſipationem & deſtructionẽ, contra Iuris regulam, dicentem quod id quod in fauorem introductum eſt, in odium retorqueri nõ debet.

Quæ ſint pœnæ conſtitutæ, non cadũt ſub prædicta priuilegiorũ communicat.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in communicatione priuilegiorum ſupradicta veniant etiam intelligenda ea, quæ alicui ſpeciali Loco ſiue Conuentui ſunt conceſſa?

TRatio dubitandi eſt, nam vt ſupra diximus, in Artic. 3. Iulius ſecundus conceſſit Fratribus Auguſtinienſibus, omnia & ſinguła priuilegia, immunitates, exemptiones, conceſſiones, indulgentias, ac peccatorum remiſſiones & indulta quæcumque, quibuſuis Congregationibus ſeu Societatibus, aut alijs locis & illorum perſonis, Sancti Ordinis Fratrum Eremicarum Regularis Obſeruantiæ nuncupatis generaliter conceſſa ad ipſum Ordinem

Fratrum Eremitarum & illius perſonas, ac ſi illis ſpecialiter fuiſſent conceſſa, auctoritate Apoſtolica. Pro alia vero parte facit, nam vt etiam diximus ibidem Leo decimus declarauit, præfatam cõceſſionem debere intelligi, quod gaudeant prædicti Fratres priuilegijs generaliter conceſſis, Congregationibus & perſonis & locis Congregationum & non domibus, vel perſonis particularibus Congregationum vel Ordinis. Vt igitur planum fiat, quid hac in re tenendum ſit, ſequens ſtatuitur Concluſio.

Concluſio.

In priuilegiorum cõmunicatione, etiã veniunt intelligenda ea quæ alicui loco ſeu Cõuẽtui ſunt conceſſa,

IN prædicta communicatione priuilegiorum, etiam veniunt intelligenda, ea quæ alicui ſpeciali loco ſeu Conuentui ſunt conceſſa. Probatur hæc Concluſio: nam id fieri poteſt ex communicatione cuiuſdam priuilegij Pij V. facti Ord. D. Hieronymi in Hiſpania, ad inſtantiam inuictiſſimi Philippi Hiſpaniarũ Regis, huius nominis II. quod refertur à Collectore priuilegiorum dicti Ord. tit. extenſio priuilegiorũ, vbi dicitur, *quod Pius V. Pont. Maxim. conceſsit Ordin. D. Hieronymi in Hiſpania, quod omnia & ſingula priuilegia, immunitates exemptiones, prærogatiua indulta temporalia, fauores & gratiæ, ordini & ſingulis & cuiuis monaſterio per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores ſuos, ac per ſe & ſedem Apoſtolicam, eiuſque legatos & Nuncios in genere, vel in ſpecie conceſſa, ad omnia & ſingula monaſteria Ordinum, tam virorum quam mulierum, quibus in ſpecie conceſſa non ſunt, & in quibus aliæ cauſæ conceſsionis, & indultorum prædictorum, alias quam vt præfertur ſuberant, ad id vt ipſa Monaſteria illis pariformiter, vti frui & gaudere poſſint & deberent proinde ac ſi eis ſpeciali conceſſa fuiſſent auctoritate Apoſtolica, extendit & ampliauit, illaque inter omnia tam virorum, quam mulierum Monaſteria Ordinis in omnibus & ſingulis communicauit.* Ex qua dicta cõceſſione colligitur qualiter in prædicto Ordine, fit extenſio & communicatio priuilegiorum, ſpecialiter conceſſorum Monaſterijs particularibus, ad omnia & ſingula Monaſteria eiuſdem Ordinis, tam virorum quam mulierum, quibus in ſpecie conceſſa non ſunt, & in quibus aliæ cauſæ conceſsionis & indultorum prædictorum, alias quam præfertur ſuberant. Ita quod omnia monaſteria potiuntur atque fruuntur, priuilegijs & gratijs cuilibet monaſterio in particulari conceſsis. Vnde cum per priuilegiorũ cõmunicationem, omnia priuilegia fiant propria earum Religionum quæ ſimili gaudent priuilegio, non ſolum conceſſa verumetiam & concedenda, prout in præcedentibus ſuperque ſatis eſt dictum, manifeſte profecto colligitur, quod omnes Ordines Mendicantes, & quæcumque Religiones prædictum priuilegium habent communicationis, eodem vtendo, vti & frui poſſunt, in omnibus ſuis domibus ac Conuentibus particularibus, gratijs, atque priuilegijs alicui domui ſiue Conuentui in ſpeciali conceſsis. Quo innixus fundamento Emanuel Rodericus in ſuis quæſtionibus Regularibus tom. 1. quæſt. 55. art. hac de re agens, tenet quod ſecluſo quocumque alio, indultum & priuilegium conceſſum Sanctæ Mariæ de Portiuncula, alias Sanctæ Mariæ Angelorum, quæ prima eſt Eccleſia & caput totius noſtræ Religionis, quo conceditur plenaria indulgentia omnibus prædictam Eccleſiam debita cum diſpoſitione ingredientibus, extenditur atque protrahitur ad omnia Monaſteria noſtri ſacri Ordinis vtriuſque ſexus, & quod ſiqui contriti & confeſsi eandem viſitauerint indulgentiam plenariam conſequuntur, nullo alio etiam exiſtente priuilegio, & etiamſi Confraternitati Chordæ Patris noſtri Franciſci non ſint conſcripti. Nam per communicationem ſupradictam, omnia indulta & priuilegia vni Monaſterio conceſſa, reliquis fiunt communia vt dictum eſt. Aduertit tamen quod quamuis hoc dicatur ſitque tenendum, de priuilegijs in particulari & ſpeciali vni Monaſterio ſiue Conuentui conceſsis, non tamen de priuilegijs cõceſsis perſonis particularibus, hæc enim, inquit, non fiunt nec fieri debent communia, tum propter declarationem ſupradictam Leonis X. de qua ſupra, tunc etiam quia ex contrario facto plura atque innumera exorirentur inconuenientia, euerteretur que funditus omnis regularis diſciplina, ſi priuilegium quod Religioſo alicui per ſedem Apoſtolicam ob vrgentiſsimas forſan cauſas, in particulari & in ſpeciali conceditur, quo ab aliquibus obſeruantijs Regularibus liberatur, & in eiſdem cum ipſo miſericorditer diſpẽſatur, omnibus eiuſdem Religionis ſeu etiam aliarum Fratribus, abſque delectu & diſcrimine, in quibus non eædem militant cauſæ, in Religionum omnium ruinam intelligeretur eſſe conceſſum quod de ſummis Pontificibus non eſt præſumendum. Hæc ſupradictus pater vbi ſupra.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in communicatione priuilegiorum, intelligatur eorum tantũ vſus, an vero ius vtendi?

IAm ſupra diximus quæſtione 42. articu. 5. quod Pontifices Summi confirmantes Religionum priuilegia, non confirmant aut confirmare intendunt ea, niſi quatenus ſunt in vſu & non ſunt abrogata ſiue derogata per contrarium vſum legitime preſcriptum ad ſenſum ſupradictum. Sed quia ſtare poteſt quod Religio aliqua priuilegio aliquo non vtatur, propter ignorantiam aut propter incuriam, ſeu alia quamlibet cauſam, quo quidem priuilegio aliæ Religiones per illud quod habent cõmunicationis, perfrui & communicare poſſent, merito quæritur an in prędicta priuilegiorum cõmunicatione, intelligatur priuilegiorum tantum vſus, an vero ius vtendi? Cui difficultati reſpondeo per ſequentem Concluſionem.

Prima Concluſio.

In priuilegijs cõmunicatione, ſi vnus vtitur alter vero non vtitur aliquo priuilegio, non vſus vnius præiudicare nõ debet vſui alterius.

IN prædicta Priuilegiorum communicatione, generaliter verũ eſt, quod ſi vnus vtitur alter vero non vtitur priuilegio multis conceſſo, nõ vſus vnius non præiudicat, neque præiudicare debet vſui alterius. Hæc concluſio eſt expreſſa Panor. in cap. *cum acceſſiſſent, de conſtitut. in fin.* & eamdem tenet Sylueſt. verb. *priuilegium*, q. 21. vbi hac de re agit latiſſime. Facit & ad hoc quod dicit Innocen. in c. *accedentibus de priuileg.* quod ſcilicet particulares Canonici, bene poſſunt præiudicare ſibi perdẽdo priuilegium, etiam per vnicam cõtrauentionem, ſed præiudicare Eccleſiæ minime poſſunt licet ſit perditum quoad particulares perſonas, quin allegare poſſit non eſſe ſibi ſublatum ſuum priuilegium, niſi contra eam legitimo fuerit tempore præſcriptum. Videantur quæ hac de re dicta ſunt ſupra quæſt. 42. art. 5.

Secunda Concluſio.

In priuilegijs cõmunicatione, non ſolum communicatur vſus ſed etiam ius vtendi.

CVm Religionum priuilegia, eo ipſo quo communicantur fiant communia & propria, earũdem Religionum quibus communicantur, per nõ vſum alicuius Religionis cuiuſpiã priuilegij, non amittitur aut deperditur ius quod aliæ Religiones habent ad ipſum, nam in priuilegiorum communicatione non ſolum communicatur vſus, ſed etiam ius vtendi. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, ſatiſque colligitur ex ſupradictis priuilegijs ſuperius citatis, quibus dicitur quod per ipſa eorumque communicationem, aliarum Religionum priuilegia ex æquo fiunt ſibi propria, ac ſi ſpecialiter ſibi fuiſſent conceſſa: ſed ſi ſpecialiter fuiſſent ſibi conceſſa, nullatenus amitterentur nec deperderetur ipſorum vſus, per quemlibet aliarum Religionum non vſum, nec vero per non Proprium vſum, niſi legitimo ad minus 40. annorum tempore fuerit præſcriptum, iuxta ea quæ ſuperius diximus, & habetur expreſſe in cap. *ſi de terra*, & capit. *accedentibus, de conſt.* ergo per non vſum alicuius Religionis cuiuſpiam priuilegij, non amittitur nec deperditur ius, quod aliæ Religiones per communicationem habent ad ipſum. Exquo etiam ſit conſequens, quod etiam ſi cõtra aliquas Religiones, allegari poſſit non vſus ſufficiẽs ad præſcriptionem, non proinde contra alias allegari poteſt talis præſcriptio, ſi in eis talis non vſus non interuenerit, qui ad præſcriptionem prædictam ſufficiat. Meminiſſeque oportet, vt ſupra diximus, quod contra Eccleſias, Religiones & Monaſteria, non præſcribitur neque amittitur priuilegium, niſi per non vſum ad minus 40. annorum, vt dicunt omnes DD. communiter in ſupradicto cap. *accedentibus, de priu.* neque etiam in prædicto tempore, ſi non caſus euenerit vtendi eiuſmodi priuilegio, vt tenet glo. communiter recepta, in cap. *Abbate, verbo donec, de verb. ſignific.* Neque quando quiſpiam ex aliquo legitimo impedimento ſua culpa non cauſato, eodẽ priuilegio vti non potuit, aut interuenit ignorantia eiuſdẽ ſufficiens ad interrumpendam eiuſmodi præſcriptionem. Oportet enim habere ſcientiam priuilegiorum, & voluntatem non vtendi illis, ab his contra quos eiuſmodi allegatur præſcriptio. Multo etiam minus amittitur priuilegij vſus, per vnum aut plures actus contrarios factos per eum ſeu eos, qui renuntiare expreſſe eidem priuilegio non potuerunt, tunc enim ex eiuſmodi actu ſeu actibus contrarijs, priuilegium nullatenus amittitur, niſi concurrat lapſus temporis neceſſarius & requiſitus ad præſcribendum, vt tenet Innocentius & omnes Doctores communiter, in c. *cum acceſſiſſent, de priuil.* ponentes exemplum in Monacho ſiue Priori alicuius Monaſterij, qui fecit vnum, vel plures actus contrarios ſuæ Religionis priuilegijs, hæc omnia valde ſunt notanda ac memoriæ commendanda.

ARTICVLVS IX.

Vtrum participantes communicantes priuilegia, poſſint illis vti, etiam contra illos per quorum communicationem eadem participant.

Concluſio.

Participãtes priuilegia, illis poſſunt vti etiã contra illos, per quorum communicationẽ, ſibi fuerunt conceſſa.

OMnes illi quibus communicantur aliarum Religionum priuilegia, illa participant, ac ſi ſpecialiter ſibi fuiſſent conceſſa, qualem clauſulã habent communiter omnes Ordines Mendicantes, æqualiter atq; ex æquo gaudere poſſunt priuilegijs ſibi communicatis, etiam contra illos quorum communicatione ea participant, ac ſi directe & immediate ſibi fuiſſent conceſſa. Hanc concluſionem tenet expreſſe Corduba in annotat. ad Compend. *verbo, communicatio priuileg. in fin.* vbi & ipſius rationem reddit, quia inquit iam per communicationem prædictã, eiuſmodi priuilegia facta ſunt ſibi propria, & non habent ea dependenter ab alijs, ſed independenter ac ſi ipſis ſpecialiter fuiſſent conceſſa quomodocumque illi ſe habeant circa priuilegia vtendo vel non vtendo eis, ſicque in tali communicatione independenter omnes, qui dictis priuilegijs gaudent vti poſſunt & ex æquo adæquantur. Nec inde ſequitur, quod frangatur vulgaris illa regula, *quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio*, nam qualiter eiuſmodi regula ſit intelligenda, & in quibus caſibus locum habeat, iam ſuperque ſatis diximus ſupra quæſtion. 42. articulo octauo.

Aduertit ſupradictus Corduba, quod prædicta concluſio non habet locum in illis, quibus non ſic ſpecialiter & independenter communicantur priuilegia vt ſunt familiares & Donati Fratrum, & alij eiuſmodi, quia non poſſunt tales vti priuilegijs Fratrum contra ipſos, quorum priuilegia ſibi communicantur & ratio eſt, quia in fauorem ipſorum Fratrum principaliter conceſſum eſt, quod prædicti familiares & Donati vtantur priuilegijs prædictis, ex quo ſequitur quod non debent eiuſmodi priuilegia, contra ipſos Fratres ſeu in eorũ diſpendium retorqueri, iuxta ſtrictam iuris regulam *li. 6. & c. quid pro nouale, in ſtricta gloſ. de verb. ſignif.*

Non enim ex æquo ipſi eiſdem gaudent, atque ſupradicti Fratres: & ob eãdem cauſam inquit, quod ſi Fratres perdiderint aliquod priuilegium aut eo non vtantur, amittunt etiam ipſum familiares & Donati prædicti, quia habeant illud communicatum ſibi dependenter à Fratribus, qua principali ratione ceſſante, Fratrumque fauore quorum intuitu principaliter priuilegium ſibi valebat, ceſſat & minus principale ſeu acceſſorium. Ad quod probandum adducit plura iura & Doctores multos, quos ipſe breuitatis gratia omitto. Ac tandem dicit hoc eſſe valde notandum quia valet ad multa, ſed maxime ad hoc quod ſecundum noſtra priuilegia & nobis ab alijs Religioſis cõmunicata, poſſimus non ſeruare interdictum poſitum ab alijs Religioſis, licet talisnõ obſeruatio interdicti ſit in eorũ præiudiciũ, quia ex æquo acſi nobis ſpecialiter fuiſſent cõceſſa, communicata, ſunt eiuſmodi priuilegia, & facta noſtra indepẽdenter. Et hæc de iſto Art. ac de tota quæſt. breuiter dicta ſufficiant.

QVAESTIO XLVII.

De Conſeruatoribus, & ijs, quæ ad ipſorum munus & officium ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Quidnam ſit Cõſeruator? & qui poſſunt eiuſmodi Conſeruatores inſtituere?

Prima Concluſio.

Conſeruator dicitur, Iud. ad defendẽdũ ſeu indemnẽ conſeruandũ aliquem conſtitutum.

Conſeruator (vt nomen ipſum ſonat) ab effectu dicitur, Iudex datus ad defendendũ aliquem ſeu aliquos, contra manifeſtas iniurias, conſeruan doſq; ipſos indénes in proprio ſuo ſtatu. Hæc concluſio ſatis colligitur ex c. *ſtatuimus de off. deleg.* lib. 6. & ex ijs quæ ibidem dicuntur à gloſſ. & ex c. 2. & vlt. eiuſdem tit. & lib. vbi de Cõſeruatoribus agitur. Et Ioan. And. ibid. de mente Innoc. & Hoſt. tria ponit Cõſeruatorũ genera. Nã aliqui (inquit) Conſeruatores dantur, vt aliquos defendant contra latrones & prædones; aliquãdo contra eos qui aliquorum infringunt priuilegia; interdum etiam latius, vt defendant ipſos ab iniurijs & manifeſtis offenſis. Et dicit quod in nullo dictorum caſuum habent iudicialẽ indaginem, id eſt nequeunt procedere per viam iudicij ad inueſtigandam veritatem, quaſi dubij de iuſtitia, vt habetur expreſſe in d. c. *ſtatuimus*, notatq; illud gloſſ. ver. *indaginẽ*. quod quidem verbum deſignat cauſæ cognitionem, ſeu ipſius examinationem, id quod habetur in cap. vlt. eiuſdem tit. Solummodo (inquit) cognoſcere poſſunt, de manifeſtis, & manifeſta dicũtur illa quæ notoria ſunt, atque ita potẽtia quod nulla probabili poſſunt tergiuerſatione celari, iuxta c. *ex parte*, de verb. ſig. & c. vlt. *de cohabi. Cler.* Et ſi alias in nõ patẽtibus neque notorijs ſe intromittãt, pœnã incurrunt, de qua habetur in c. vl. §. *vt autem*, eod. tit. *de off. & pot. Iud. del.* & nihil valet quod agitur vt ibidẽ dicitur, de quo nos infra etiam dicemus amplius. Sed quinam poſſunt eiuſmodi Conſeruatores inſtituere eſt magna difficultas de qua ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

Eiuſmodi conſeruatores, ſolũ Sum. Põt. poteſt inſtituere, non vero alius in ſpiritualibus.

Eiuſmodi Conſeruatores in ſpiritualibus, ſolus Romanus Pontifex poteſt inſtituere atq; conſtituere, non vero alius etiam Legatus à latere. Hanc Concluſionem tenet Ioa. And. & probat eã per ſuprad. c. *ſtatuimus*, dũ ibidẽ dicitur ab Innoc. Papa IIII. *concedimus*, & per c. fin. eiuſdem tit. & lib. dum ad idem propoſitum à Bonifac. VIII. dicitur, *quod prædicti Conſeruatores plerumque à Sede Apoſtolica conceduntur*, per quæ dicta verba excludi videntur omnes alij, cum quo tranſit Sylueſter verb. *Conſeruator*. quæſt. 1. num. 2. dicens quod conſeruatores prædictos inſtituere & dare non poſſunt etiam Legati de latere, qua etiã ratione ab Archidiacono, Iudices à Papa delegati nuncupantur. Hæc pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Quinam poſſint inſtitui & conſtitui Iudices Conſeruatores?

HAec quæſtio latiſſima eſt, & quæ lõgiorem (id ſi per tempus liceret) requirebat diſputationem, ſed quã citiſſime eidem fiet ſatis, aliquibus propoſitis concluſionibus. Prius tamen pro illius intelligentia libuit præmittere quod de iure communi loquendo, cõſeruatores quodammodo generales, ſunt ac dici poſſunt Epiſcopi, quorum curæ datum eſt conſeruare & defendere viduas, pupillos & orphanos, & alias perſonas miſerabiles, ab oppreſſionibus & iniurijs, quæ ſibi communiter inferuntur, vt tenet gloſſ. indict. cap. *ſtatuimus, de off. & poteſtat. Iudic. de leg.* in 6. verb. *Conſeruatores*. Quod & probat ex cap. *ex parte* licet & capite *ex tenore, de foro compet.* & *ex ea.* 1. & 2, *diſtinct.* 87. & capite, *adminiſtratores*, 23. quæſt. 5. & capit. *licet, de cenſi.* cap. *ſignificaſti*, eod. tit. *de off. & poteſtate Iudicis. deleg. in antiquis.* Et reuera hac ratione loquendo, non ſolum prædicti Epic. verũ etiam

Nota valde quod Epiſcopi & Reg. ſiue etiam Princ. dicuntur iure communi qua ſi generales cõſeruatores.

etiam & omnes Principes, Reges atque Imperatores, quinvero & ipse Summus Pontifex propriissime, de iure communi loquendo, sunt quasi generales omnium iniurias patientium, pupillorũ, viduarũ aduenarũ aliarũq; miserabiliũ personarũ, ordinarij conseruatores, vt constat ex supradictis iuribus, & ex l. *vnica Cod. quando Imp. inter pauperes & Iudic. & ex cap. Principes seculi cap. administratores*, & *cap: Regum officium* 23. *quæst.* 5. Sed in præsentiarum non agimus de eiusmodi Conseruatoribus ita lato modo, sed de specialibus alijs qui alio nomine dicuntur Iudices delegati, quamuis in multis ab eis differant vt dicemus statim, quos quidem esse in Christiana Republica (quid nonnulli dicant) quã maxime ipsius interest. Etenim si vt habetur in l. i. *ff. ne vis fiat, & in leg. æquissima ff. de vsufructu*, ad Prætorẽ Reip. spectat quoslibet in sua possessione tueri vt ne excludantur ab ea, potiorique iure id spectat & pertinet ad Principes, Reges & ad Imperatorem, Summumque ipsum Pontificem vt omnia supradicta iura proclamant, cum id ipsum nõ semper per se valeant efficere, rationi quidem valde fuit consonum, vt ad id muneris Conseruatores prædicti instituerentur, atque constituerentur Iudices delegati, vt pupilli, viduæ, aduenæ, aliæque miserabiles personæ eiusmodi iniuriam patientes à potentium oppressionibus & violentijs defenderentur. Quem esse vnicum institutionis Conseruatorum prædictorum finem, clarissime & manifestissime expressit Innocentius IIII. in dict. c *statuimus*, & Bonifacius VIII. in dict. c. fin. de *off. & potest. Iud. deleg.* in 6. vt ex dictis capitulis facile licebit colligere. De prædictis ergo Conseruatoribus & iudicibus delegatis loquendo, quando quæritur, qui nam hoc munus & officium habere siue exercere possint? respondeo & sit prima Conclusio.

Prima Conclusio.

De iure cõmuni Conseruat. esse nõ possunt nisi Episcopi vel eorũ Superiores, aut Abbates, seu dignitates vel personatus in Ecclesijs Cathedralib⁹ vel Collegiatis obtinentes.

DE iure communi loquendo, Conseruatores esse non possunt, nisi Episcopi aut eorum Superiores, vel Abbates seu dignitates vel personatus, in Cathedralibus vel in Collegiatis Ecclesijs obtinentes. Hæc Conclusio habetur expressa, in dicto capite vltimo *de offic. & potestate Iudicis deleg.* vbi idem tenet Glossa quæ mouet hanc difficultatem, an Canonici Ecclesiæ Cathedralis alicuius, esse possint Iudices Conseruatores? & respondet quod non, licet esse possint Iudices delegati ad vnam causam, iuxta cap. *Statutum, de rescript.* vbi dicitur, Canonicos prædictos, capaces esse Apostolicæ iurisdictionis. Et hæc est, inquit glossa, vna differentia, inter Conseruatores & delegatos ad vnam causam. Sed quod Canonici prædicti, esse possint Conseruatores, sentire videtur Speculator, qui eadem de re agens, inquit quod hodie nullus esse potest Conseruator, nisi solus Episcopus, eorumque superiores, aut Abbates, & Canonici Ecclesiarum Cathedralium, præsertim in dignitatibus constituti. Vbi dictio illa, *præsertim*, non excludere videtur Canonicos prædictos, sed exprimere casum minus dubitabilem, & importare casum magis dubitabilem, & quod in eo vult idem ius esse, iuxta id quod habetur in iure, in leg. 1. §. *patet ff. de collatione bonorum*, & *leg. final. post princip. iuncta gloss. verb. positum. ff. de libe. exhibe.* Mens igitur Speculatoris videtur fuisse, quod Canonici Ecclesiarum Cathedralium in dignitate aliqua constituti, absque omni dubio creari & constitui possunt Conseruatores, & nec solum illi dignitatem habẽtes, verumetiam & alij simplices Canonici, quamuis dignitatem nullam habeant. Sed quidquid voluerit Speculator, tenendum est firmiter id quod dicitur à glossa, nempe quod loquendo secundum terminos iuris communis, Canonici prædicti non esse possunt aut creari consueuerunt Conseruatores, cum quo etiam stat, vt aliud etiam dici possit, & sit tenendum de iure particulari, siue ex particulari priuilegio, quod iam communiter habent omnes Religiones, vt patebit inferius, quando referentur priuilegia, hac de re Regularibus concessa.

Notasententiã Speculatoris, circa Iudices Cõseruat.

quinã alijnõ esse possint Cõseruatores de iure cõmuni loquendo.

Dicit autem statim ibidem glossa, id quod & in textu prædicti cap. fin. continetur, nempe quod nõ esse potest aliquis Conseruator sui Conseruatoris nec sui domini sub cuius dominio est, vel districtu Ecclesiastico vel temporali, exceptis Conseruatoribus datis Regibus & Regnis: ij enim sicut dignitatis altitudine præeminent, sic etiam prærogatiua gratiæ ipsos conuenit anteferri. Ratio autem supradictæ prohibitionis est, vt ibidem dicit glossa, quia præsumitur idipsum si fieret, quod sibi inuicẽ fauerent, de facilique à iustitia deuiarent.

Difficultas, An Vicarij Episcoporũ qui dicuntur Prouisores, esse possint Conseruatores.

Sed difficultas insurgit de Vicarijs Episcoporũ qui dicuntur Prouisores, & plerumque non sunt Canonici, aut saltim in dignitatibus aliquibus cõstituti, an ipsi esse possint Iudices Conseruatores Militiarum, vel aliquarum Religionum? Et quidẽ pro parte negatiua, extat dictũ *cap. fin. de officio dele. lib. 6.* vbi sicut prædictum est, de iure communi statutum habetur, vt *Conseruatores esse non possint, nisi Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesijs obtinentes*, & cum iurisdictio prædictorum Conseruatorum sit odiosa, cum deroget iurisdictioni ordinariæ, dicendum videtur, quod potius sit restringenda & limitanda, quam amplianda, iuxta id quod habetur in iure, in *cap. quamuis, de præb.* Quod & confirmatur præterea, nam cum controuersum esset olim, an officialis Episcopi Iudex delegatus posset constitui? vt habetur in *cap. statutum, de rescriptis in 6.* emanauit constitu. Clementis V. quæ habetur in Clement. Etsi *principalis eod. tit. de rescript.* qua declarauit prædictum officialem esse posse Iudicẽ delegatum, dummodo non sit foraneus: & certe maior difficultas versabatur in Iudice conseruatore, cum ius requirat, quod ipse habeat dignitatem vel personatum in Ecclesia Cathedrali vel Collegiali. Super quo casu magis dubio, cum prædicta noua constitutio Clem. V. nihil declarauerit, dicẽdum perinde videbatur, quod reliquit id sub dispositione iuris communis, ac proinde quod prædicti Episcoporum officiales esse non possunt Iudices conseruatores. Quam sententiam tenere videtur gloss. in dicta Clem. *verbo, deleg. in* 1. *oppos.* & plures Doctores Iurisperiti illam sequuntur, quos breuitatis gratia referre omitto. Sed nihilominus contraria sententia est verior atque tenenda meo quidem videri.

Secunda Concluſio.

Vicarij Epiſcoporũ eſſe poſſunt Conſeruatores, quãuis nõ ſint Canonici, & nullam aliam dignitatem habeant.

QVamuis probabilis ſit eorum ſentẽtia, qui aſſerunt officiales Epiſcoporum ordinarios, non eſſe poſſe Iudices conſeruatores, multo tamẽ probabilior eſt aliorum partem tenentium affirmotiuam: & ſaltim de iure ſpeciali & ſecũdum Regularium priuilegia, nullam difficultatem habet quod Iudices ipſi Conſeruatores eſſe poſſunt. Hãc concl. tenet. Io. de Lignano, & Cord, ſecuti gl. in d. Clem. *& ſi principalis, de reſcrip. verb. delegatus*. Quãuis enim in principio oppoſitionis grãtia in partẽ negatiuã inclinare videatur, ob rationes ſupradictas, poſtmodũ tamẽ cõtrariũ dicere videtur, fundatus in ea ratione quod Epiſc. & præd. ſui officiales ordinarij & principales, vnũ & idẽ eſt tribunal, cẽſeturq; perinde habere dignitatẽ quæ ex dignitate Epiſcopi deſcendit iure cõnexionis, ac proinde & idẽ eſſe vtriuſq; Ius, iuxta c. *tranſlat, de conſtit.* vbi habetur, *vt quod de vno cõnexorum ſtatuitur, ad alterum connexum extendatur*. Facit etiã pro hoc generalis Regula qua dicitur, quod vbi eſt eadẽ ratio, ibi etiã debet eſſe idẽ ius, & quod de ſimilibus ſimile eſt habẽdũ iudiciũ, iuxta c. *ad eius vero* d. 5. verb. *ſi enim ea, & c. denique. d. 4. ver. ab omnibus quoque*, cum multis alijs, quæ referũtur à gl. in d. c. *tranſlato*, ver. *quod de vno*. Sed quod ſaltẽ de iure ſpeciali & ſecũdũ Regularium priuilegia, nullam id difficultatẽ habeat, conſtabit inferius ex art. 4. vbi eiuſmodi priuilegia referentur, in quibus expreſſe habetur quod prædicti officiales principales Epiſcoporum poſſunt aſſumi & cõſtitui Iudices conſeruatores.

Nota quod vbi eſt eadem ratio, idẽ videtur eſſe ius.

Difficultas. An priores Ord. Mẽ. eſſe poſſint Conſeruatores.

Solũ ſupereſt modo alia difficultas, de Prioribus Ord. Mend. & de Guardianis in noſtro Ord. Minor. an ipſi etiã eſſe poſſint Iudices Conſeruatores? & omittẽdo Guardianos noſtri Ord. Min. quia in eis hoc negotium ſpecialẽ habet difficultatẽ, ſingulariq; expoſcit tractationẽ, loquẽdo modo de Prioribus prædictis, alijſq; Monaſteriorum Præfectis Ord. Mendic. ſequentem ſtatuo concluſionem.

Tertia Concluſio.

Priores & alij Monaſter. Præfecti, abſque dubio eſſe poſſunt Iudic. Conſeruat.

NVlli dubium eſt, quod priores alijq; Monaſteriorũ Præfecti Ord. Mend. ſtando in iure cõmuni eſſe poſſunt Iudices Conſeruatores. Hæc cõcluſ. ſatis colligitur, ex d. c. fin. *de offic. & poteſt Iud. deleg. in 6.* & tenet eã Gemin, in c. *nullus, de elect.* cod. lib. & Pan. in cap. *cauſam, de iudicijs* & in c. *olim, de maiorit. & obed.* & Cord. in Clem. 1. *de reſcript.* Et ratio eius in promptu eſt, nã reuera omnes ſupradicti ſunt in dignitate cõſtituti, iuxta id quod expoſcitur in d. c. fin. ad hoc vt quiſpiam Iudex Cõſeruator eſſe poſſit quod tamẽ nõ habet locũ in Prioribus Ord. S. Benedicti, ſeu aliorũ ordinũ Monachaliũ, Abbatibus ſubiectis ſeu habentibus in eodẽ Cõuentu ſuper ſe Abbates, ij enim non habent dignitatẽ. Secus erit de non habentibus Abbatem in eodẽ Cõuentu, prout in prædicto Ord. D. Benedicti multoties contingit, eiuſmodi enim cum precipuam habeant adminiſtrationẽ & gubernationẽ ſui Monaſterij, iure optimo dici poſſunt in dignitate Eccleſiaſtica eſſe conſtituti, vt tradit Sylueſt. ver. *delegatus*, num. 3. in fin. Sed ad prædictos Guardianos noſtri Or. Min. redeũdo, in quibus prædictũ negotiũ (vt dixi) ſpecialem habet difficultatẽ, Sylueſt. opinionem eſſe dicit cõmunẽ, eoſdem eſſe poſſe Iudices Conſeruatores, cũ revera ſint Prælati & in dignitate Eccleſiaſtica cõſtituti, & de hoc non eſt difficultas, nempe quod vere ſint Prælati & in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti. Sed quamuis id ita ſit dicunt aliqui, eos non eſſe poſſe Iudices Cõſeruatores, pro eo quod repugnare videatur ſuo ſtatui & profeſſioni, vt pote quia mortui ſunt iã mũdo, & nullũ habent ſed nec habere poſſunt alicuius rei dominiũ nec dũ in particulari, verũetiã neque in cõmuni, vt determinauit Clemens V. in ſua Clem. quæ incipit, *exiui de paradiſo, de verb. ſign.* §. *verũ, vbi gloſſ. verb. dixit*, tenet propterea Min. Fratres non eſſe poſſe executores vltimarum voluntatũ, nec Iudices arbitros, quam ſententiã tenent multi Iuriſperiti, qui & dicunt quæcũque arbitramenta ab eis facta eſſe prorſus nulla: cuius rationem reddunt quia ſupradictus Clem. V. in fin. d. Clem. generalem appoſuit clauſulam, prohibitiuã & pœnalem, reſpectu omnium quæ in eadem cõſtituerat, & dicũt quod cum in cõſtitutione aliqua prohibitiua & pœnali aliquid prohibetur, actus in contrarium factus eſt nullus, iuxta id quod habetur in iure in l. *nemo Martyres*. & ibi DD. C. *de ſacroſ. Eccl.* & in l. *non dubiũ* C. *de leg.* Sed quidquid de hoc ſit, alij Iuriſperiti contrariam tenent ſententiã, & dicunt nõ ſibi videri in d. Clem. aliquid cõtineri, ex quo neceſſario ſit dicendũ quod Min. Fratres ex vi iuæ Regulæ & profeſſionis non eſſe poſſint executores vltimarũ voluntatũ, & Iudices arbitri & Conſeruatores. Aliud enim (inquit) eſt dicere, an propter honeſtatem, facere id expediat aut non expediat, aliud vero an ad id neceſſario & ex præcepto teneantur, de quo fit quarta concluſio.

Difficultas. An Guardiani noſtri Ordin. Min. eſſe poſſint Iudices Cõſeruat.

Quarta Concluſio.

Stãdo in iure cõmuni, nõ eſſe videtur prohibitũ Guardianis noſtri Ord. Min. eſſe Iudices Cõſeruat. quamuis id non expediat.

QVamuis non expediens ſiue congruum videatur, Guardianos noſtri ſacri Ordinis Minorum, exercere Iudicum Conſeruatorum officium, nullo tamen iure id eſt ſibi prohibitum, neque ex ſpeciali præcepto noſtræ Regulæ, neque eos eſſe Iudices arbitros, ſiue executores vltimarum voluntatum. Ad ſtatuendam prædictam Concluſionem moueor, quia vnicum ac totale fundamentũ quod habent Doctores alterius opinionis ad aſſerendum contrarium, eſt noſtra Fratrum Minorum Regula & ſupradictum Decretum Clem. V. poſitũ in dicta Clementina. *exiui, de parad.* at ſi res recte ac penitus introſpiciatur, & dictæ Clemẽtinæ verba intime conſiderentur, quæ præcedunt & quæ ſubſequuntur, nihil ex eis tale licebit colligere: ergo non id eſt dicendum. Vt autem hoc planius fiat, oportet adducere eiuſdẽ Clem. verba, & ſunt quæ ſequuntur. *Verum cum dicti Ordinis Fratres, non ſolum à receptione, proprietate, dominio, ſiue vſu ipſius pecuniæ, verũtiam à contrectatione qualibet ipſius & ab ea ſint penitus alieni, quemadmodum ſæpe dictus prædeceſſor noſter in declaratione huiuſmodi Regulæ plane dixit, cũq; dicti Ord. profeſſores, pro nulla re tẽporali poſſint in iudicio expe-*

experiri, prædictis Fratribus non licet nec competit, quin potius conſiderata ſui puritate ſtatus, debent ſibi ſcire interdictum, quod huiuſmodi executionibus & diſpoſitionibus ſe exponant, cum hæc ſæpius abſque litigio, & contrectatione vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri. Verumtamen in his exequendis dare conſilium, ipſorum ſtatui non obſiſtit, cum ex hoc ipſis circa bona temporalia nulla iuriſdictio ſiue actio in iudicio, ſiue diſpenſatio tribuatur. Ex dictis verbis plane licebit colligere, quod quamuis non ſit congruum aut expediens, noſtri ſacri Ordinis Minorum Fratribus, pro aliqua re temporali in iudicio comparere, ac proinde nec eoſdem eſſe executores vltimarum voluntatum, cum ſæpe ſæpius, quin vero vt plurimum in his litigia ſeſe offerant, & contrectationes atque adminiſtrationes pecuniæ interueniant, pro quibus omnibus oportet multoties ad tribunalia recurrere, non tamen prohibetur, aut dicitur in dicta Clementina eſſe prohibitum eiſdem, eiuſmodi munera & officia exercere, vbi ſupradictæ pecuniæ contrectatio nō interuenit, nec neceſſum eſt eos per ſeipſos in iudicio comparere, quinvero expreſſe videtur idipſum ſibi eſſe conceſſum, in illis vltimis verbis, quando dicitur, quod in his exequendis dare conſilium, ipſorum ſtatui non obſiſtit, cum ex hoc ipſis circa bona temporalia nulla iuriſdictio ſiue actio in iudicio aut diſpenſatio tribuatur. Ex quo ſatis clare colligitur, quod eſſe poſſunt executores vltimarū voluntatum, ſaltim in his, quæ pecuniæ contrectationem non habent, nec obligationem inducunt comparendi in iudicio, ſed ſolummodo ferre conſilium, & conſequenter quod non etiam ipſorum repugnat ſtatui; eſſe iudices arbitros aut aliorum Conſeruatores, quamuis vt dictum eſt in concluſione, non id decens, congruum aut expediens videatur, quam quidem ob cauſam, & id fieri prohibitum eſt in noſtris generalibus Conſtitutionibus, & hoc eſt ſolummodo quod in præſentiarum dicimus nos, & quod id facere non prohibitum eſt ex vi noſtræ Regulæ, neque vero ex Decreto ſupradictæ Clementinæ.

In quibuscaſibus Fratres noſtri Ordinis eſſe poſſint executores vltimarū voluntatū & teſtamētorū, & conſequenter Iudices arbitri atque etiā Conſeruatores.

ARTICVLVS III.

Quænam differentia verſetur, inter prædictos Iudices Conſeruatores, & Iudices Delegatos?

Concluſio.

Multiplex verſatur differentia inter Iudices Delegatos & Conſeruatores.

INter Iudices Conſeruatores & Iudices Delegatos, multiplex verſatur differentia. Hæc concluſio probatur ex ijs quæ dicit Ioannes Andræas in dicto *capi. fin. de officio & poteſt. Iud. deleg. lib. 6.* primo inquit differunt in hoc, quod Iudex delegatus eſſe poteſt quilibet Canonicus cuiuſlibet Eccleſiæ Cathedralis, Conſeruator vero non, niſi ſimul ſit in aliqua dignitate conſtitutus. Secundo differunt, quia illius qui eſt Iudex delegatus alicuius, poteſt & ille alter eſſe Iudex delegatus in alia cauſa, ſaluo iure recuſationis, ſecus eſt in Conſeruatore, etiā ſi eiuſmodi non ſibi opponatur exceptio. Tertio, quia ſaluo prædicto recuſationis iure, ſibi ſubditū bene poteſt quis impetrare delegatum, non vero Conſeruatorem. Quarto, quia delegatus à Principe poteſt cauſam ſibi commiſſam in totum vel in partem alteri committere, iuxta *cap. paſtoralis, de officio deleg.* at Conſeruator nō, neque ſpectandi ſunt tenentes contrarium, cum textus in dicto capite, eis manifeſte contradicat. Quinto, quia dato quod delegatus ſe intromittat in ijs, quæ non ſunt ſuæ iuriſdictionis, non propterea incidit, neque in illū locum habet pœna appoſita, in dicto cap. fin. quia non ibi hoc inuenitur expreſſum, ſecus eſt autem de Conſeruatore. Sexto & vltimo differunt, quia etſi Conſeruator ex priuilegio haberet, quod alteri poſſet delegare, hoc tamen non poteſt facere, niſi habentibus conditiones ſupradictas, ad hoc vt quiſpiam eſſe poſſit Conſeruator, ſeu delegatus ſubdelegare poteſt cauſam, cuicumque alias de iure fieri potuiſſet delegatio. Supradictas differentias, colligit prædictus Ioannes Andræas ex ipſo textu, in dicto cap. fin. & in ſomnibus alijs (prædictis exceptis) dicit quod æquiparantur Conſeruatores alijs Iudicibus delegatis. Quæ pro iſto Articulo breuiter dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum omnes Fratres Ordinis Mendicantium priuilegia habeant, quibus Conſeruatores poſsint ſibi eligere?

SVpra iam diximus, eiuſmodi Conſeruatores ſecundum ius, conſtitui ad defenſionem miſerabilium perſonarum, quorum quidem nomine non veniant intelligendi plebeij (vt nonnulli putant) ſed ij, qui neceſſitatem patiuntur, quales ſunt pauperes, ſed præſertim Religioſi, pupilli & viduæ, alijque huiuſmodi, prout tradunt Doctores communiter in *cap. 1. de poſtul. Prælat. & in cap. ſuper quibuſdā de verb. ſignificat.* Bartolus in *leg. cum aliæ, ff. de legibus*, Innocentius in *cap. ſignificaſti, de officio & poteſta. Iud. deleg.* & Panormitanus in *capit. licet, de cenſibus.* Quæ quidem ratione diuerſis tēporibus, Pontifices ſummi, Religioſis & Regularibus, varia atque diuerſa conceſſerunt priuilegia, quibus in ſui defenſionē Conſeruatores poſſent ſibi eligere, atque conſtituere, tum propter profeſſionem paupertatis expreſſam, tum etiam propter diuinum cultum cui ex ſuo inſtituto & profeſſione ſunt deſtinati & addicti, & tandem propter decentiam, quia nempe contrairet clauſuræ ſui Monaſtici ſtatus, pro rebus ſuis ad tribunalia ſecularia accedere, expediebatque, vt quæ ad ipſorum perſonas, bona, atque iura conducerent, expedirentur per Eccleſiaſticos Iudices, ſine ſtrepitu & figura iudicij, omnique appellatione remota. De his ergo priuilegijs in præſentiarum eſt agendum, quæ vt congruo ordine habeantur, ſtatuuntur atque aſſignantur in ſequēti Concluſione.

Concluſio.

Fratres Ord. Mendicantiũ varia atq; diuerſa habẽt priuilegia, quib⁹ iudices Cõſeruatores poſſint ſibi conſtituere.

FRatres Ordinis Mendicantium, varia atque diuerſa habent priuilegia, quibus Conſeruatores Iudices, poſſint ſibi eligere ſiue conſtituere. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam aſſerendo eiuſmodi priuilegia. Et in primis habetur in Monumentis noſtri Ordinis 1. impreſſ. fol. 6. & 2. folio 145. conceſſ. 356. & refertur in Compendio, *verbo, Conſeruatores Ordinis §. 1. quod Sixtus Quartus mandauit quibuslibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, per vniuerſum orbem, qui per Guardianos & Fratres Ordinis Minorum ſeu Syndicos R. E. prædicto Ordini deputatos ſe quiſiti fuerint, quatenus per ſe vel alium ſeu alios, vbi & quando opus fuerit, ſolemniter publicent eorum priuilegia & eiſdem ac illorum domibus & profeſſoribus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos pacifica poſſeſſione priuilegiorum & conceſſionum huiuſmodi gaudere, non permittentes eos per quoſcumque indebite moleſtari.* Habetur vbi ſupra, vbi & ad longum ponitur poteſtas prædictorum conſeruatorum & modus quem obſeruare debent, & citantur loca, vbi ſimilia habentur priuilegia, quoad Prædicatores, Carmelitanos, & Auguſtinenſes. Et præterea dicitur in §. ſequenti *quod Iulius Secundus ſtatuit, vt quæcunque perſona ſeu perſonæ alias de iure capaces, pro parte Minorum Fratrum requiſitæ, niſi legitimo impedimento detenti fuerint, iuriſdictionem & conſeruationem eorundem Fratrum vigore ſuorum priuilegiorum, ſub excommunicationis pœna ſuſcipere teneantur.* Habetur in ſupradictis Monumentis 1. impreſſione, fol. 43. & 2. folio. 126. conceſſ. 280. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 2. Circa quas cõceſſiones aduertit priuilegiorum Collector, vbi ſupra, quod virtute huius conceſſionis Iulij Secũdi, & alterius prius poſitæ Sixti Quarti, iã Fratres non ſunt aſtricti ad certos & determinatos Conſeruatores, ſicut olim, quando quælibet natio ſeu Prouincia per particularem Bullam, duos vel tres habebat determinatos Conſeruatores, ſub nomine dignitatis ſuæ, atque ita illæ prouiſiones hodie lacerari & comburi tãquam ſuperfluæ poſſunt ex quo per præfatas conceſſiones Sixti & Iulij, poſſunt illos Conſeruatores ſeu quoſlibet alios aſſumere. Et idem (inquit) eſt dicendum de Conſeruatoribus particularibus, quos aliqui Fratres minus docti procurant ſæpe pro negotijs ſuperuenientibus, quia ſuperflua eſt huiuſmodi procuratio, cũ Conſeruatoria maris magni ſit perpetua & vniuerſalis. In eodem Compendio §. 4. etiam habetur, *quod Leo Decimus habita informatione, quod in aliquibus partibus, multa inferebantur grauamina Fratribus Mendicãtibus, ab Eccleſiaſticis perſonis ſpecialiter aſſerendo, quod cõfeſſi Fratribus debite præſentatis, tenebantur iterum eadẽ peccata conficeri ſuis Curatis, & quod Sacramenta Euchariſtiæ & Extremæ vnctionis, non poterant á Fratribus miniſtrari illis quibus ſine cauſa dicti Curati recuſabant huiuſmodi Sacramenta adminiſtrare, & quod Chriſti fideles audiẽtes Miſſas diebus Dominicis & feſtiuis in Eccleſijs Fratrũ, non ſatisfaciebant præcepto Eccleſiæ, & alia multa conſimilia, Conſeruatores dedit omnes Eccleſiarum Prælatos, di ſtricte eis præcipiendo, vt quandocumque requiſiti fuerint á Fratribus prędictis, non permittant eos moleſtari aut grauari, ſed contra tales moleſtatores per cenſuras Eccleſiaſticas procedant & alia iuris remedia.* Habetur hæc conceſſio in Supplemento, fo. 47. conceſſ. 142. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 4. & hæc ſunt priuilegia, quæ in Monumentis Ordinis pro prædictis Cõſeruatoribus habentur. Circa quæ de nouo per Cõcilium Tridentinum nihil eſt innouatum, quod ſupradictis obſtet, nam licet ſeſſione ſeptima, capite decimo quarto, habeantur quædam verba, per quę huiuſmodi priuilegia & conſeruatoriæ videntur reuocari, re tamen vera non ita eſt, quia non loquũtur, niſi de Fratribus extra Monaſteria degẽtibus. Quod vt planius notum fiat, libet verba ipſa hic in præſentiarum ad literam apponere, & ſunt quæ ſequuntur. *In exẽptorum cauſis, conſtitutio Innocentij Quarti, quæ incipit, volentes, in generali Concilio Lugdun. edita & poſita in lib. 6. Decretalium, ſub titulo de priuil. ſeruetur, quam eadem ſacroſancta Synodus innouandam cenſuit & innouat, addendo inſuper, quod in ciuilibus cauſis mercedum & miſerabilium perſonarum, Clerici ſeculares, aut Regulares extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti, etiamſi certum Iudicem á Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant: in alijs vero ſi ipſum Iudicem non habuerint coram locorum Ordinarijs tanquam in hoc ab ipſa Sede delegatis, conueniri & iure medio ad ſoluendum debitum cogi & compelli poſſint, priuilegijs & exemptionibus, conſeruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduerſus præmiſſa nequaquam valituris.* Quæ ſupra dicti Concilij verba, explicando & declarando Nauarro. ſuper *cap. non dicatis*, 12. quæſtione prima, num. 63. dicit, id quod & colligit ex eodem Concilio, ſeſſione ſexta, capite tertio, quod hoc Decretum ſolummodo habet locum, in Monachis & Religioſis extra Monaſterium degentibus, non autẽ in ſuis Monaſterijs exiſtentibus, nam iſti ſuper nullis cauſis poſſunt coram Ordinarijs conueniri, illi autem ſic ſuper prædictis duobus generibus cauſarum, ſed de hoc dicemus ſtatim. In reliquis autem omnibus, confirmata ſunt omnia Regularium ac Religioſorum priuilegia, ſpectantia ad prædictas Conſeruatorias, per ſupradictum Concilium, ſeſſ. 14. de Regularibus, cap. 5. vbi agendo de eiſdem literis conſeruatorijs, & in quibus vim habeant vel nõ habeant, poſt multa alia, in ſequẽtia verba prorumpit. *Vniuerſitates autem generales ac Collegia Doctorum, ſeu Scholarium, Regularia loca, necnon Hoſpitalia & ſu hoſpitalitatem ſeruantia, ac Vniuerſitatum, Collegiorum, locorum, & Hoſpitalium huiuſmodi perſonæ, in præſenti Canone minime comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint & eſſe intelligantur.* Et hoc eſt verum & certum atque tenendum ſine dubio. Solummodo circa priuilegia prædicta oportet aduertere. Et primo quod quamuis de iure communi loquendo, Conſeruatores eſſe non poſſint niſi Epiſcopi, vel Epiſcopis Superiores, aut Abbates, ſeu dignitates vel perſonatus in Cathedralibus vel Collegiatis Eccleſijs obtinentes (vt diximus ſupra in ſecundo præcedenti Articulo, concluſione prima) at loquendo de iure ſpeciali, & ſecundum prædicta priuilegia, bene poſſunt eſſe Conſeruatores, Canonici alicuius Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Eccleſiæ, per illa verba Sixti Quarti in eiuſdem priuilegio poſita, *quibuslibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, per vniuerſum orbem, &c.* nam quamuis poſtea Leo Decimus in Concilio Lateranenſi ſtatuerit, vt Cõ

Nota verbum Canonicis, ex quo cõſtat Canonicos ex iure ſpeciali & priuilegio indices Conſeruatores eſſe poſſe.

Nota in quib⁹ cauſis Regulares cõra Ordinarijs, iuxta Conci. Trid. poſſint conuenir.

Religionũ & Vniuerſitatũ Conſeruatoriæ, non ſunt reuocatæ per Conci. Trid.

ſerua-

ſeruatores Fratrum pro tempore à Sede Apoſtolica deputandi, doctrina & probitate ſint præſtantes, & quod in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, vt habetur in Supplemento fol. 26. conc. 83. & refertur in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 3. hoc tamen non obſtat: nam modo pro hac re ſpeciale aliud habetur priuilegium Pij Quinti, & Gregorij Decimi Tertij, conceſſum Religioſis Societatis Ieſu, cuius fit mētio in eiuſdem Societatis Compendio, *verbo, Conſeruator, §. 1.* quo etiam perfruuntur omnes Religiones priuilegium habētes communicationis, vbi expreſſe habetur, *vt in Conſeruatores prædictos eligi & aſſumi poſſint, non ſolum Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates, necnon & aliæ perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, verumetiam & Canonici Metropolitanarum Eccleſiarum vel Cathedraliū & Vicarij Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in ſpiritualibus, eorumque officiales Generales vbilibet conſtituti.* Atque ita præſuppoſito dicto priuilegio & ipſius participatione, nulla iam ineſt ratio dubitandi. Secundo circa eadem priuilegia aduerto, quod non ſolū ſupradicti in Conſeruatores poſſunt aſſumi atque conſtitui, verumetiam & ad id ipſum conſtringi, per prædictum priuilegium Iulij Secundi, qui vt diximus, ſtatuit & decreuit, *vt quæcumque perſona, ſeu perſonæ, alias de iure capaces, pro parte Minorum Fratrum requiſitæ, niſi legitimo impedimento detentæ fuerint iuriſdictionem & conſeruationem eorundem Fratrum vigore priuilegiorum ſuorum, ſub excommunicationis pœna ſuſcipere teneantur.* Quo quidem priuilegio etiam fruū tur, perfruique poſſunt, omnes aliæ Religiones priuilegium habentes communicationis, & cum excommunicationis pœna apponatur ibidem, crediderim certo, ſine legitima cauſa conſeruatorias prædictas repudiantes, & præcepto Apoſtolico in re adeo graui contrauenientes, mortaliter peccare, niſi aliunde excuſentur, quod eſt valde notandum atque memoriæ commendandum.

ARTICVLVS V.

Vtrum nominato pro vna cauſa aliquo Conſeruatore, pro eadem aliuspoſtea poſſit nominari?

Concluſio.

Nominato pro vna cauſa vnico conſeruatore, ſine cauſa legitima, aut niſi ex priuilegio, nō alius nominari poteſt.

DE communi iure loquendo, nominato pro vna cauſa aliquo Conſeruatore, pro eadē non poteſt alius nominari ſine legitima cauſa, aut niſi forſan id habeatur ex priuilegio. Hæc concluſio poſita in alio ſimili caſu, eſt expreſſa Nauarr. libr. 1. conſilio. de officio Iud. de leg. conſil. 8. vbi quæſitum ab eo fuit an poſtquam pœnitens, cui officium ſacræ Pœnitentiariæ dedit literas ſigillatas, directas diſcreto viro Confeſſario, per præſentium latorem ad introſcripta ſpecialiter eligendo, elegit vnum Confeſſarium, poſſet ſaltim de voluntate dicti Confeſſarij, eo dimiſſo alterū eligere? Cui quidem difficultati reſpondet quod nō, quod & probat in primis: nam iuriſdictio delegata, prorogari non poteſt de perſona ad perſonam, iuxta id quod habetur in *ca. P. & G. de offic. deleg.* & inquit, quod prædictæ Bullæ diriguntur ad eos, quos in eis contenti elegerint, ac conſequenter ex quo nominari fuerint electi, cenſentur expreſſi à prædicto ſummo Pœnitentiario ac ſi à principio fuiſſent expreſſi, cum igitur ſi à principio illi fuiſſent nominati & expreſſi, alij nullatenus poſſent eligi, conſequēter dicit, quod nec poſtea quam à partibus fuerint nominati electi atque expreſſi. Quod & confirmat ex eo, quod iuriſdictio delegata eſt iuriſdictio delegantis, iuxta id quod habetur in *le. 1. §. qui mandatum, ff. de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio*, & ita ad ipſum delegantem, cuius illa eſt, pertinet eandem extendere, non vero ad partes neque ad Iudicem, quorum illa non eſt, argumento eius, quod habetur in iure, in *leg. id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt, ff. de regu. iur.* Ex quibus omnibus in prædicto caſu quæſito reſpondet, quod qui ſemel virtute aliquarum literarum Confeſſarium elegit, non poteſt etiam de voluntate dicti Confeſſarij, eo dimiſſo alterum eligere. Quod quidem ipſum, reſponderet in propoſito caſu ſi de eo fuiſſet conſultatus ob ſimilitudinē, ſeu potius identitatē rationis, nē pe, quod ſemel nominata aliqua perſona à Regularibus ſiue Religioſis, pro exercēdo munere & officio conſeruationis, acceptataque iuriſdictione, cū iam ipſam immediate à Sede Apoſtolica habeat, non poſſunt ipſi Fratres, quod factum eſt alterare, neque pro eadem cauſa alium Conſeruatorem nominare, etiam ipſo volente & conſentiente niſi cauſa ſiue occaſione aliqua, legitime fuerit præpeditus. Quod & confirmari poteſt ex eo quod refert Sorbo Capuccinus in Compendio Mendicantium, *verbo, Conſeruatores Ordinis*, nempe quod Gregorius Decimus Tertius conceſſit omnibus Regularibus in Italiæ partibus exiſtentibus, vt Conſeruatores poſſent eligere, coram quibus conuenirentur, hac lege & pacto vt ſemel electos non mutarent, eorundemque nomina intra menſem Epiſcopis locorum Ordinarijs indicarent, alioquin quod coram ipſis Ordinarijs conuenirī poſſent. Quod & ſacra Cardinalium congregatio declaraſſe fertur, explicans Concilium Tridentinum, ſeſſ. 13 cap. 5. in fin. vbi de Religionum Conſeruatoribus agitur. Fuitque id iuri ac rationi valde conſonū, ac determinationi Bonifacij Octaui, poſitæ in *capit. cum plures, de offic. & poteſt. Iud. deleg. in 6.* vbi agendo de pluribus iudicibus diſiunctim adunā & eandē cauſam delegatis, habetur, *quod vnum eorū negotium inchoante commiſſum, alij nequibunt ſe vlterius intromittere de eodem, niſi vel infirmitate vel alia iuſta cauſa illum contingeret impediri, aut ſi nollet vel malitioſe in eo procedere recuſaret.* Ex cuius Decretalis deciſione, ſatis manet probata ſupradicta concluſio, ſimulque limitata & modificata, ſcilicet vt in eo caſu conſeruatore acceptante & iuriſdictionem inchoante, pro eadem cauſa alius poſſit nominari, quando ille talis infirmitate aut iuſta aliqua de cauſa contingeret impediri, aut ſi nollet vel malitioſe in eo procedere recuſaret. Quibus omnibus etiam in concluſione ſuprapoſita additum eſt, niſi forſan idipſum habeatur ex aliquo priuilegio, quo concedatur expreſſe vt poſt vnum conſeruatorem nominatum, pro eedem

Nota quod in riſdictie delegata, nō poteſt prorogari de perſona ad perſonam.

Iuriſdictio delegata, eſt iuriſdictio delegantis, & ſic ad ipſum non vero ad partes pertinet eandem extendere.

eadem causa alius etiam possit assumi & nominari. Et hæc de isto Articulo breuiter atque resolutiue dicta sufficiant.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Conseruatorum officium in Ordinibus & Religionibus, sit perpetuũ vel temporale, & an extinguatur morte concedentis?

Ratio dubitandi desumitur ex ijs, quæ dicta sunt supra, nam cum præ dictorum Conseruatorum officiũ, sit ad instar Iudicis delegati, certũque sit, quod Iudicis delegati iurisdictio, secundum ius non est perpetua sed temporalis, & extinguitur atque expirat, morte concedentis reintegra, quamuis secus res se habeat incepta, vt habetur in *cap. fin. 5. officium, de offic. & potest. Iud. deleg. lib. 6.* vbi sequentia ponũtur verba, *officium autem quorumcumque Conseruatorũ, ipso iure quoad non cœpta negotia, per obitum concedentis volumus expirare*, super quæ verba glossa ibidem, *verb. quorumcumque*, intelligenda esse dicit, de quibuscũque Conseruatoribus absque delectu & discrimine, siue dati sint ad conseruationem priuilegiorum siue ad defendendum à manifestis iniurijs vel alio modo, saluo semper casu de quo fit mentio, in *cap. cum plures, eod. tit. & lib.* quando scilicet plures essent Conseruatores, & negocium fuisset cœptum per vnum, tunc enim perpetuata intelligitur iurisdictio quoad omnes, in reliquis autem omnibus cõstitutissimum est in iure, quod iurisdictio Iudicis delegati reintegra & nondum cœpta, expirat morte concedentis, cum igitur in iure circa Regularium Conseruatores, penes hoc nulla constituatur differentia, non modicam hoc negocium difficultatem habet, & illam augere videtur Concil. Trident. sessione 14. de Regularibus, capite quinto, vbi agendo de eiusmodi literis conseruatorijs, dicitur, *quod nemo similium literarum beneficio, vltra quinquennium gaudere possit*, quod in tantum est verum, vt quærant Doctores, an iurisdictio Conseruatorũ quoad negocia iam cœpta duret post quinquennium? Respondentque omnes negatiue, vt videre est apud Ioannem Andræam, in additionibus ad Speculatorem, prima parte, *titul. de officio delegati*, cuius rationem reddit, quia huiusmodi conseruatoriæ sunt odiosæ, cum præiudicent Ordinariorum iurisdictioni, ac proinde quod potius sunt restringendæ & limitandæ, quam extendendæ & ampliandæ, & iuxta terminos ipsarum proprios, stricte debent explicari, ita vt Ordinariorum iurisdictio detrimentum patiatur quamminus fieri poterit. Ijs tamen non obstantibus, loquendo de conseruatorijs Ordinum & Religionum, contrarium omnino videtur dicendum, de quo sequens statuuntur cõclusio.

Iudicis delegati iurisdictio expirat per mortẽ cõcedẽtis reintegra, nõ vero cepta

Conclusio.

Cõseruatores Religionũ, ue̅ sunt tẽporales sed perpetuæ, neque extinguntur morte cõcedẽtium.

COnseruatorum officium in Ordinibus & Religionibus, nõ est temporale, nec expirat morte concedentis, quinvero eiusmodi delegatio in Religionum fauorem facta est perpetua. Hæc conclusio est certa & manifesta, & de qua nulli dubiũ, positaque est in communi praxi, alioquin dicendũ esset, quod Religiosi omnes non possent modo eligere aut constituere sibi Conseruatores, virtute literarum Summorum Pontificum, qui concesserunt sibi supradictas literas cõseruatorias, quod quidem nullus sanæ mentis dicet, quinvero hoc ipsum per Concilium Tridentinum expresse videtur determinatum, loco supra citato in fine, vbi agendo de eiusmodi literis conseruatorijs, & in quibus vim habeat, postquam posuit supradicta verba, nempe quod nemo similium literarum beneficio vltra quinquennium gaudere possit, subdit *Vniuersitates autem generales, ac Collegia Doctorum seu Scholarium, & Regularia loca, & c. in præsenti Canone minime comprehensa, sed exempta omnino sint & esse intelligantur.* Per quæ verba satis colligitur, quod licet personarũ quarũcũq; particularium cõseruatoriæ literæ, per dictum Concilium ad quinquennium sint determinatæ & limitatæ, neque amplius protrahi possint, at literæ conseruatoriæ Vniuersitatum generalium & Collegiorum, Doctorum seu Scholarium, Regulariumque locorum, in prædicto Decreto non comprehenduntur, quinvero expresse excipiuntur ac præcipitur vt omnino exemptæ sint & esse intelligantur. Sed præterea facit adhoc specialis quædam ratio, eaque fortissima atque efficacissima, & talis est, quod priuilegia Religionibus siue Regularibus concessa, quarum virtute prædicti eliguntur Conseruatores, non sunt personalia, sed realia, ac proinde neque iure censenda sunt temporalia sed perpetua, quandiu per aliũ summum Pontificem eandem potestatem habentem non fuerint reuocata. Quod vero non sint personalia sed realia, probatur apertissime, nam licet priuilegia quæ conceduntur certo generi personarum quod perit (vt ea quæ conceduntur maritis) sint personalia, vt colligitur ex *l. quia tale, ff. solut. matrim.* & notat Socinus, in *l. maritum, num. 32. ff. eodem*, attamen priuilegium concessum certo generi personarum, quod per fictionem iuris nunquam perit, non est personale, sed reale atque perpetuum, sicut est priuilegium quod alicuius ciuitatis ciuibus conceditur, vt colligitur ex iure, in *l. firma, §. quamquam, ff. de censibus, & l. 2. ff. de rebus dubijs*, & tradit Romanus in *l. maritum, num. 17. ff. solut. matrim. & in dicta l. 2. num. 4.* Cum igitur priuilegia, quibus supradicti Iudices Conseruatores, in Religionibus eliguntur & nominantur sint eiusmodi, manifeste sequitur quod facultas eligendi ipsos sit perpetua, nec extinguntur vllo modo morte summorum Pontificum, qui ea concesserunt. Supradicta omnia confirmantur per ea quæ tradit Syluest. in Summa, *verbo, gratia, nume. 3.* vbi inquit esse latissimum discrimen atque differentiã, inter gratiam factam & fiendam, nam gratia Principis nondum facta sed fienda, reintegra morte cõcedentis extinguitur atque expirat, iuxta illud, quod

Priuilegia quæ bus Religionũ eliguntur conseruatores, nõ sunt personalia, sed realia ac proinde perpetua, quãdiu non per aliũm Pont. reuocãtur.

Nota quæ priuilegia cẽsẽ turrealia, quæ vero personalia.

quod habetur in iure, in *capi. ſi cui iuncta gloſſ. de præb. lib. 6.* at vero gratia iam facta & perfecte conceſſa, morte concedentis non extinguitur, & de hoc dicit eſſe caſum, in *cap. ſi ſuper, de offic. deleg. lib. 6.* vbi habetur, *quod executor ſuper gratia facta datus à Papa, mortuo Papa etiam reintegra gratiam exequitur*, quod eſt intelligendum etiamſi gratia prædicta annexam habeat iuriſdictionem, & etiamſi ſit cõceſſa ſolo verbo, vt tradit Ioannes Andræas in prologo ſuper ſextum. Cum igitur gratia & priuilegium, quo in Religionibus eliguntur Conſeruatores, ſit gratia iam facta nõ vero fienda, manifeſte ſequitur, quod morte ſummorum Pontificum illam concedentiũ non expirat, quin vero ſemper permanet & eſt perpetua, quouſque per aliquem alium reuocetur, in quo quidem nullum eſt dubium. Ad rationem autem dubitandi in initio Articuli propoſitam, facile reſpondetur dicendo, quod illa locum habent, quando iuriſdictio committitur ſiue delegatur, alicui bus perſonis particularibus per viam commiſſionis, tunc enim reintegra, & ſi nullum fecerint actum pertinentem ad eiuſmodi delegationem, certum eſt quod morte delegantis finitur eiuſmodi iuriſdictio, at in propoſito non eſt ita, nam priuilegia quibus in Religionibus eliguntur Conſeruatores ſunt realia & perpetua, vt dictum eſt, nõ vero perſonalia, per quod ſit ſatis propoſito Articulo.

ARTICVLVS VII.

Quidnam poſsint vel non poſsint huiuſmodi Conſeruatores, & in quibus rebus ex officio ſuo poſsint ſe intromittere?

Prima Concluſio.

De iure cõmuni, conſeruatores non poſſunt ſe intromittere neq; cognoſcere, niſi de manifeſtis iniurijs et violẽtijs, neque poſſunt ſuã poteſtatẽ extendere ad ea quæ iudicia lẽ indaginem requirunt.

DE communi iure loquendo, Conſeruatores non poſſunt ſe intromittere neque cognoſcere, niſi ſolummodo de manifeſtis iniurijs & violentijs, neque facultatem & poteſtatem ſuã extendere poſſunt ad alia, quæ indaginem iudicialem requirunt. Hæc concluſio habetur expreſſa, in *cap. ſtatuimus, & in cap. fin. de offic. & poteſtat. Iud. deleg.* & Ioannes Andræas, explicans quæ dicantur *manifeſta* inquit eſſe illa, quæ ſunt notoria, atque ita patentia quod nulla poſſunt probabili tergiuerſatione celari, pro quo allegat, *cap. ex parte, de verb. ſignificat. & cap. vltimo de cohabitat. Cleric. & mulier.* & addit quod ſi in alijs dubijs ſe intromittant, incidunt in pœnam de qua habetur, in *cap. fin. eiuſdem tit.* quod incipit, *hac conſtitutione*, & de qua nos dicemus infra. Quod quidem intelligendum eſt, vbi conſtiterit eſſe dubium, an facta ſint notoriè necne? & an ſint recte facta etiam ſi de notorietate conſtaret, quia tunc requiritur indago. Secus autem eſſet, ſi à principio dubitarent, an ſit res dubia ſiue ſui fori, tunc enim inquirere poſſent, vt ſciant an ſit ſua iuriſdictio vel non, vt amplius dicemus ſtatim.

Secunda Concluſio.

Conſeruatores poſſunt cognoſcere etiã de his quæ indicialẽ requirũt indaginẽ, ſi id ipſum per priuilegium fuerit ſibi indultum.

QVamuis regulariter ac de iure communi loquẽdo, Conſeruatores prædicti non poſſint cognoſcere, niſi de manifeſtis iniurijs & violentijs, non tamen eſt ſibi prohibitum, de alijs etiam cauſis vltra violentias & manifeſtas iniurias cognoſcere, ſi in literis Apoſtolicis idipſum fuerit illis indultum. Hæc concluſio ſatis colligitur atque probatur, ex ijs quæ dicit Ioannes Andræas, in dicto *cap. ſtatuimus, de offic. & poteſta. Iud. delega. lib. 6. in caſus poſitione*, vbi poſt ſupradicta omnia inquit, illa eſſe vera, niſi forſan in priuilegijs Religioſorum ſeu aliorum quibus dantur Conſeruatores, aliud expreſſe diceretur, vt ſcilicet poſſent cognoſcere de iniurijs & alijs cauſis, etiãſi iudicialem requireret indaginem, & fatetur quod in priuilegijs communiter apponi ſolet eiuſmodi clauſula. Quod etiam tenet ibidem Archidiaconus, & Dominicus *in cap. fin. §. Conſeruatores, eodem tit. & lib.* & Rebuffus in *le. 48 in fin. de verbor. ſignificat.* & ratio prædictæ concluſionis in promptu eſt, nam Papa qui ſummus eſt Eccleſiæ præſul, cauſas ad Eccleſiaſtica tribunalia ſpectantes, aduocare ad ſe poteſt & alteri terminandas committere, vti habetur in *cap. noſtram, de appel lat. & cap. paſtoralis, §. præterea, de offic. deleg. cap. Eccleſia 2. verbo, nos quidque vt lite pendente.* Facit etiam pro hoc Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. cap. 20. de reformatione, & textus in *l. iudicium ſoluitur, ff. de iud.* vt quamlatiſſime tradit vltra alios Couarruuias in practicis quæſtionibus, cap. 9. quo fit vt eiuſmodi Conſeruatorum iudicum poteſtas, à literarum facultate quammaxime dependeat, iuxta *cap. recipimus, §, porro, de priuil.* Nec prædicta refragantur dictis, in *capi. 1. prædicto, de offic. & poteſt. Iud. deleg.* nam illud habet locum loquendo de iure communi, vbi prædictorum Conſeruatorum poteſtas, ad violentias ſolummodo & manifeſtas iniurias eſt limitata atque determinata, ſecus eſt autem quando amplior tradita fuerit iuriſdictio, quia tunc omni proculdubio ea impune vti poſſunt, maxime quando eiuſmodi cauſæ tractandæ erant coram Iudicibus Eccleſiaſticis, qua de re videatur Salzedo in ſua pract. crimin. capit. 3. in annotatione ad verba *punire atque corrigere*, quod oportet quammaxime adnotare atque memoriæ commendare, pro quam pluribus rebus quæ ſe offerre poterunt.

Papa omnes cauſas Eccleſiaſticas iure aduocare ad ſe poteſt, & determinandas cui voluerit committere.

Tertia Concluſio.

Conſeruatores Ordinum in manifeſtis iniurijs ac violentijs, nõ ſolum poſſunt procedere contra Clericos, verumetiam contra laicos.

PRædicti Iudices Conſeruatores Religioſorum & Ordinum Mendicantium, non ſolum poſſunt procedere contra Clericos, verumetiam & cõtra Laicos, in ſupradictis manifeſtis iniurijs & violentijs perſonis Eccleſiaſticis & Regularibus illatis, quamuis ipſi rei ſint. Hæc concluſio probatur in primis, quia ſi propter aliquam rationem idipſum facere non poſſent, maxime quia ex hoc defraudaretur Regia iuriſdictio, ſed non propterea prædicta Regia iuriſdictio defraudatur, cum eiuſmodi crimina ſint mixti fori, prout habetur in iure in *cap. cum ſit Generale, de foro compet, & in l. 58. tit. 6. part. 1. & l. 4. tit. 18. eadem par. ergo, &c.* Quod & confirmatur ex eo quod habetur in quadam alia lege

Regia

Regia 1.titu 53.lib.1.ordina.vbi de hoc agendo,in vulgari sermone sequentia apponuntur verba. *Los Conseruadores dados y deputados por nuestro muy Santo Padre no sean osados de perturbar la nuestra iurisdicion seglar,ni se entremetan à conocer ni proceder, &c. saluo de injurias y offensas manifiestas y notorias, que suelen ser hechas á las Iglesias o Monasterios y personas Ecclesiasticas.* Quibus verbis in dicta exceptione positis,satis datur intelligi,quod constituitur ibidem Regula qua Conseruatoribus prædictis permittitur pro manifestis iniurijs & violentijs, vt procedere possint non solum contra Clericos, verumetiam & contra laicos,neq; in hoc vllo modo intelligitur fraudari Regia iurisdictio. De quo etiam videatur prædictus Salzedo vbi supra,quo loco dicit quod tũc dicetur manifesta iniuria & violentia inferri, vt possit patere aditus prædictis Iudicibus Conseruatoribus,procedendi contra laicos,quando Monasteria vel Religiosi sua possessione perturbantur, aut eorum priuilegia,exemptiones,& immunitates violantur,iuxta id quod habetur in iure, in *ca. cum sit generale,de foro compet.* Quod & in qualibet oppressione locum habet,per *cap.si Clericus,eod.tit.* & tenet Abbas & Doctores in dicto *cap.cum sit generale*, vbi videndus est Socinus,num.18.& Lapus allegat.58.& 72.& est optimus textus in *cap. conquestus, de foro compet.* vbi Iudicibus Ecclesiasticis permittitur laicos compellere,vt pro iniurijs & damnis Ecclesiæ illatis competenter satisfaciant. Facit & textus in *cap.licet 1.de pœnis, verbo,exiguntur.* Quia exigere est aliquid ab inuito extorquere,iuxta *l.lex fideicommissi,ff. de legat.3.* cuius etiam rei est expressa decisio in Concilio Tridentino, sess.22.capi.11.de reformatione,& in proprijs terminis huius propositæ controuersiæ, tenet hanc sententiam prædictus Lapus in repetitione,*cap.per vestras de donat.inter vir.& vxor.9.sed pulchra dubitatio*,num.3.& Salzedo in sua pract.crimin.Canonica ,capi.3.dicit hoc seruari semper in communi praxi,& non semel ita iudicatum atque determinatum se vidisse,& eiusdem rei optimum ponit exemplum ibidem. Sed procedamus ad alia,& sit quarta Conclusio.

Quarta Conclusio.

Cõseruatores Ordinum, nõ solũ possunt defendere ab iniurijs manifestis & violentijs illatis verumetiã ab inferendis.

PRædicti Ordinum Conseruatores, non solum possunt defendere ab iniurijs notorijs, & manifestis illatis,verumetiam & ab inferendis. Hæc conclusio est expressa Ioan. And. in dicto *cap. statuimus,de offic.& potest.iud deleg. in 6.* & ponit eam expresse Syluester, *verbo, Conseruator,num.3.in 4.dicto*, vt verbi gratia, si quis sit paratus inferre iniuriã, ijs quorum est Conseruator,poterit prædictus Cõseruator prohibere illud,& eandem,ob causam ex communicare & punire eum iuxta id quod habetur in *cap.sacro,de sentent.excommunicat.* in commissa vero iniuria,poterit etiam delinquentem compellere ad satisfactionem per districtionem Ecclesiasticam, inuocando etiam ad id si opus fuerit brachium seculare,quod secundum omnes Doctores communiter inuocare potest,iuxta id quod habetur in *ca.1.de offic.ord.* Supradicta omnia sunt Ioan. And. in glossa super dicto *cap.1.de offic.& potest. Iudic.deleg.in 6.*

Difficultas.

Sed maior difficultas est,an prædicti Iudices Cõseruatores Religionum & Regularium personarũ de iure communi loquendo cognoscere possint cõtra debitores ex causa ciuili? vt v.g. ad exigendã & recuperanda aliqua debita? Quæ quidem de re Doctores Iurisperiti,quammaxime sunt inter se diuisi, quidam enim partem tenent affirmatiuam & dicunt quod sic,alij vero negatiuam,& mordicus tenent quod non,à qua longissima disputatione,propter temporis angustiam consulto supersedeo, hoc solummodo contentus dixisse, quod verius atque probabilius videbitur,quod fiet per sequentes Conclusiones.

Quinta Conclusio.

De iure cõmuni loquẽdo & secluso priuilegio,conseruatores Ord. nõ possunt procedere contra debitores ex causa ciuili.

DE iure communi loquendo & secluso aliquo priuilegio,Conseruatores prædicti,procedere non possunt,contra debitores ex causa ciuili. Hæc conclusio constat expresse ex dicto *capi.1.& cap.sinde offic.& potest.iud.deleg.lib.6.* vbi tantummodo cõceditur Iudicibus Conseruatoribus, vt de manifestis iniurijs & violentijs cognoscant, ac dicitur quod ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt siue requirunt,non possunt suam potestatem extẽdere. Quod & nouissime innouatum videtur, per Concilium Tridentinum,sess.14.cap.5.vbi hac de re agendo dicitur, *quod in causis ciuilibus si quispiam actor extiterit,non potest apud suos conseruatores Iudices, aliquem in iudicium trahere.* Quæ quidem verba quãuis nonnulli explicent,ac dicant quod solummodo locum habent in literis Conseruatorijs concessis personis singularibus,non vero in concessis Religionibus seu viris Regularibus, verior tamẽ sententia est, quod de vtrisque intelligantur, & explicentur,iuxta dispositionem iuris communis vt quamlatissime prosequitur Ioann. Gutierrez in suis quæstionibus Canonicis,lib.3.quæst.9 agendo de prædictis Conseruatoribus,vbi multis probat,quod quamuis debitores nolentes soluere debita Monasterijs,virisque Regularibus & Religiosis, iniuriam atque violentiam eisdem inferant, non tamen,inquit, est eiusmodi violentia & iniuria,de qua prædicti Conseruatores possunt cognoscere. Non enim in supracitatis iuribus,iniuria sumitur pro omni illo quod est contra ius, & causat damnum Monasterijs,sed stricte & specifice,pro iniuria,quæ fuerit veluti violentia, conuitia aut conuicium, seu aliqua alia offensa eisdem illata. Nam rescriptorum verba accipienda sunt stricte, proprie & specifice,vt habetur expresse in *cap. Rodulphus,de rescript.* qualiter iniuriæ nomen, specialiter & stricte,considerauit Vlpianus in *le.1.de iniurijs,& fam.lib.* Supradicta omnia intelligenda sunt vt dixi,loquendo de iure communi,nam loquendo de specialibus Religionum quarundam priuilegijs contrarium omnino erit dicendum,de quo sit sexta Conclusio.

Sexta Conclusio.

Aliquæ essẽ dicũtur Religiones,quæ speciale priuilegium habent,

A Liquæ esse dicuntur Religiones,priuilegium habentes speciale,vt etiam pro causis ciuilibus eligere possint Conseruatores. Hoc priuilegium habere dicuntur Religiosi viri Societatis Iesu,concessum sibi à Pio Quinto, & confirmatum

post

vt etiam pro cauſis ciuilib. poſſint eligere Iudices conſeruatores.

poſtmodum à Gregorio Decimo Tertio, vt habetur in eiuſdem Societatis Compendio, *verbo, Conſeruatores*, §. 1. vbi poſt alia ſequentia habentur verba. *Quod poſſint tam in ciuilibus quam in criminalibus & mixtis, ſiue actores ſint ſiue vero rei omnes & ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, necnon & perſonas in dignitate conſtitutas, Canonicos Metropolitanarum vel Cathedralium Eccleſiarum, & Vicarios Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in ſpiritualibus, eorumque officiales generales, vbilibet conſtitutos, contra quaſcumque communitates & Collegia, &c. in ſuos conſeruatores & Iudices ordinarios aſſumere.* In qua quidem Conſeruatoria, notanda ſunt quammaxime verba illa, *tam in ciuilibus quam in criminalibus & mixtis*, quibus ſatis aperte datur intelligi id quod dicitur in concluſione. Priuilegio prædicto vti etiam & frui poſſunt, omnes aliæ Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis. Sed præterea pro alijs etiam Religionibus, conceſſa reperiuntur aliqua priuilegia, quibus continetur, vt earundem Conſeruatores cognoſcere poſſint, non ſolum de manifeſtis iniurijs & violentijs, verumetiam de alijs, quæ iudicialem requirunt indaginem. Hoc dicit expreſſe Syluester *verbo, conſeruator*, num. 3. in fin. in 4. dicto vbi dicit, quod Prædicatores & Minores priuilegiati ſunt, vt eorum Conſeruatores poſſint procedere in quacumque cauſa. Eiuſmodi eſt priuilegium, quod conceſſit olim Benedictus Secundus, Almæ noſtræ Prouinciæ Diui Iacobi, Regularis Obſeruãtiæ Ordinis Fratrum Minorum, in quadam ſua Bulla, quæ incipit, *Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Compoſtellano, &c.* data Romæ apud Sanctum Petrũ 4. nonas Aprilis, Pontificatus ſui anno 1. cuius originale habetur in noſtro Salmanticenſi Conuentu vbi prædictum Archiepiſcopum Compoſtellanum & Vlyſponenſem, & çamorenſem Epiſcopum, cõſeruatores conſtituit, contra Rectores Eccleſiarũ & alios, in illis verbis, *in ijs quæ iudicialem requirunt indaginem per viam iudicij, in alijs vero prout qualitas exceſſus exegerit iuſtitiæ complementum facturi, &c.* Simile eſt etiam priuilegium, quod conceſſit Eugenius Quartus, anno Domini 1451. Idibus Auguſti, Pontificatus ſui anno 13. in fauorem Monaſterij Beatæ Mariæ de Guadalupe, & refertur in Compendio priuilegiorum Diui Hieronymi, ſub *tit. Bullæ conſeruatoriæ, §. fin.* vbi ſimilia omnino habentur verba, conſtituuntur que ibidem Conſeruatores, Epiſcopus Salmantinus Pacentinus, & Cordubenſis inſolidum, contra quoſlibet cuiuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, Ordinis, vel conditionis exciterint *in quibuslibet moleſtijs, iniurijs, ac damnis, cæteriſque tam realibus quam perſonalibus actionibus, præſentibus atque futuris, vt ſcilicet in his quæ iudicialem indaginem requirunt, ſummariè & de plano, ac ſine ſtrepitu et figura iudicij, in alijs vero prout qualitas exceſſus exegerit, iuſtitiæ complementum faciant.* Quod quidem priuilegium, & conſeruatoriam, vt aduertit ibidem priuilegiorũ Collector, poſtea Nicolaus Quintus Pontifex Maximus, Pontificatus ſui anno ſexto, ad vniuerſum prædictum Ordinem, & ad ſingula ipſius Monaſteria extendi voluit. Priuilegijs ſupradictis perfruũtur, vt dixi, omnes etiam aliæ Religiones & Ordines, priuilegium habentes communicationis, & iuxta ipſa, eorundem Conſeruatores procedere poſſunt non ſolum in manifeſtis iniurijs & violentijs, verumetiam & in alijs, quæ iudicialem indaginem requirunt. Facit etiam ad confirmandam concluſionem prædictam, id quod dixit Nauarrus in Manuali, capi. 27. nume. 105. quod hodie conceduntur Conſeruatoriæ, quarum virtute, procediturr etiam in his, quæ iudicialem indaginem requirunt. Confirmaturque amplius prædicta concluſio, nam ſi in reſcriptis, literiſque conſeruatorijs, quæ Religionibus dantur ſeu datæ ſunt à ſummis Pontificibus, non aliquid amplius concederetur, quam quod procedere poſſent Conſeruatores in manifeſtis iniurijs & violentijs, non vero in alijs, otioſa atque diminuta quidem, vt videtur á Sede Apoſtolica fuiſſet huiuſmodi prouiſio, & fere nihil concederetur, cum eiuſmodi manifeſtæ iniuriæ & violentiæ, vtpote quæ ſunt ſacrilegę, iam alias pertinerent ad Iudices Eccleſiaſticos, & propterea dictis conſeruatorijs non extantibus, laici coram iudicibus Eccleſiaſticis poſſent conueniri, vt in fauorem Eccleſiæ ordinatum atque conſtitutum fuit, *in cap. cum ſit generale, de foro compet.* dicendum eſt igitur, quod aliquid amplius ex vi ſermonis per prædictas conſeruatorias, etiam prædictis priuilegijs excluſis, Ordinibus & Religionibus cõceſſum eſt. Quibus appoſitis duabus vltimis concluſionibus, conciliari poſſunt ſiue ad concordiam reduci, ſupradictorum Iuriſperitorum ſententiæ & opiniones, quæ alias videbantur contrariæ, dicendo quod illorum quidam loquuntur de iure communi, alij vero de iure ſpeciali ſiue particulari priuilegio.

Difficultas. An priuilegia conſeruatoriarũ per Conc. Trid. ſint reuocata?

Sed iterum difficultas occurrit, an eiuſmodi priuilegia reuocata fuerint per Concilium Tridentinum prædictum loco ſupracitato ſeſſ. 14. de reformatione, capi. 5. Quibuſdam videtur quod ſic, alij vero negant. At ego in ea ſum opinione & ſententia, vt credam ea nullatenus eſſe reuocata, quinvero expreſſe cofirmata per illa expreſſa verba, *Vniuerſitates autem generales, ac Collegia Doctorũ, ſeu Scholarium & Regularia loca, &c. in præſenti Canone minime cõprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint & eſſe intelligantur.* At prædictus Ioannes Gutierrez contrarium omnino tenet, dicitque ipſa eſſe reuocata, quoad hoc vt Conſeruatores præd. cognoſcere nõ poſſint niſi de manifeſtis iniurijs & violentijs, & idem ſentire videtur Salzedo in ſua pract. crimin. capi. 3. in fin. vbi tantummodo excepit Conſeruatores Salmanticenſis Academiæ, Pinciançe & Cõpluten ſis, qui quidem indiſtinctè de omnibus cauſis ciuilibus & criminalibus poſſunt cognoſcere, & procedere etiam contra laicos in fauorem Doctorum & Scholaſticorum, quod probat per leg. 8 tit. 7. lib. 1. noui ordin. vb. in prædicto vulgari ſermone ſequẽtia habentur verba, *que el Maeſtreſtuelaõ ſu lugar tiẽte, pueda conocer y conozca de todas las cauſas tocantes á la dicha Vniuerſidad, y á las perſonas de el dicho ſtudio, aũque no ſean injurias ni fuerças notorias y manifeſtas.* Per quã exceptionem firmari videtur in contrarium Regula, iuxta id quod habetur in iure in *l. nam quod liquide §. fin. ff. de penu. legat.* Sed Emanuel Rodericus in ſuis quæſtionibus Regularibus, tom. 1. quæſtio. 65. art. 13. contrarium omnino tenet, id quod multis argumentis & rationibus comprobat, & adducit ad hoc propoſitum plura, eaque notatu digniſſima. Cui & ipſe penes hoc libenter adhæreo, omittendo alia plura, quæ dicere poſſem vt conſuetæ brevitati

uitati ſtudeam. Et hæc de iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VIII.

Qualiter prædicti Conſeruatores Iudices, procedere debeant in cognoſcendo de manifeſtis, atque notorijs iniurijs?

Prima Concluſio.

Quãnis conſeruatores præd. principaliter non habeãt iudicialem indaginẽ, habẽt tamẽ illã in iniurijs manifeſtis atq; notorijs, ad inueſtigandũ vtrũ ad ſuam ſpectent iuriſdictionem.

QVamuis Conſeruatores prædicti, principaliter non habeant iudicialem indaginem, habent tamen illam in iniurijs manifeſtis atque notorijs ad inueſtigandũ vtrum ad ſuam ſpectent iuriſdictionem. Hanc cõcluſionem tenet expreſſe Syluеſter, *verbo, Conſeruator, quæſt. 4. num. 4.* & dicit eam eſſe de mente Innocentij, & probat illam ex *l. 2. ff. de iuriſdi. omniũ. Iud.* vbi habetur quod ſemper intelliguntur commiſſa eſſe omnia, ſine quibus expediri alicuius iuriſdictio non poſſet. Vnde inquit, quod Conſeruator poteſt citare delinquentes & punire contumaces iuxta *cap. de cauſis, de offic. & poteſt. in. deleg. Facit & c. præterea, eod. tit. & l. 1. ff. ſi quis ius. di.* Et addit quod ſi maleficium eſt notorium aliis non vero ſibi, quærere poteſt & cogere teſtes, iuxta *capit. in primis, 2. quæſt. 1. & cap. ſecundum, de teſtib. & cap. 1. & per totum de teſt. cogendis.* Et quia in notorijs neceſſarius eſt etiam aliquis ordo, iuxta *cap. ad noſtram, el 2. de iureiurando*, poterit inquit procedere ſimiliter ad inquiſitionem, quando factum eſt notorium & neſcitur quis fecerit illud. Supradicta omnia ſunt vera ſecundum Innocentium & Syluеſtrum, loco ſupracitato, & ſunt quidem valde notanda atque memoriæ commendanda.

Secunda Concluſio.

Quid debẽt facere conſeruatores, quando reus negat factum eſſe notorium.

IVdices Conſeruatores poſtquam citauerint atque vocauerint reum, ſi ille confeſſus fuerit factum, debent ipſum punire, iuxta qualitatem delicti. Si vero confiteatur quidem factum, neget tamen illud eſſe notorium, ſuper illius notorietate etiam poſſunt procedere. Hanc concluſionem tenet Syluеſter loco ſupracitato quæſt. 3. nume. 3. in ſecundo dicto, vbi inquit, quod ſi is qui iniuriatus eſt, neget offenſam eſſe notoriam, licet negatione fieri debeat res dubia, iuxta *leg. 3. C. quibus ad liber. protla. non licet*, eo tamen nõ obſtante, Conſeruator bene poteſt recipere probationes, an ſcilicet factũ illud ſit notorium, vt videat an ſua ſit iuriſdictio, iuxta *cap. ſuper literis, de reſcript.* alias inquit, eius officium eſſet inutile. Quod etiam quilibet poteſt facere Iudex, ſcire nempe an ſua ſit iuriſdictio, iuxta *l. ſi quis, ff. de iud.* & ſi factum eſſe notorium inuenerit, in tali caſu procedet, alioquin deſiſtet, quia Conſeruatores non habent poteſtatem, defendendi quamlibet iniuriam ſimpliciter, ſed ſolummodo iniuriam qualificatam, ideſt notoriam. Verba ſunt expreſſa ſupradicti Syluеſtri.

Difficultas.

Sed quid ſi confiteatur factum, dicat tamen ſe ſuo iure illud feciſſe? In hoc caſu dicunt aliqui, quod non vltra debet ſe intromittere. Sed ſecundum alios etiam tunc debet probationes recipere ſuper offenſa notoria, ad quod facit *cap. bonæ, de election.* alias facile eſſet deludere Conſeruatoris officium. Quo facto ſi negatio ei videatur probabilis non procedet, alias procedet & puniet delictum ſicut notorium. Quinvero addit & dicit ſupradictus Syluеſter, quod in caſu, quo reus confiteatur delictum, ſed neget illud eſſe notorium, debet Conſeruator procedere ad ſententiam contra ſic confitẽtem, licet neget qualitatem notoriam, quia iã per eius confeſſionem factum eſt notorium, & quãuis in hac ſpecie non ſit notorium per euidentiã facti eſt notoriũ per euidentiam iuris, & per facti confeſſionẽ iuxta id quod habetur in *c. veſtra iuncta glo. verb. non diſſitetur, & c. fin. de cohabitat. Cler. & mulier.* quod tenet ibidem Innocentius, Ancarranus, Dominicus, & Franciſcus in dicto *capi. 1. de offic. & poteſtat. Iud. deleg.* Supradictis omnibus addit Syluеſter quod ſi Conſeruator prædictus, citatum contumacem excommunicauerit, & deinde inuenerit illũ iniuriatum quidem fuiſſe, ſed non manifeſte ſecundum Innocentium, non erit vere excommunicatus quia iuriſdictionem non habet niſi de manifeſtis, ſecundum vero alios erit excommunicatus, quæ duo dicta concordando, inquit Syluеſter primum eſſe verum ſi fuit excommunicatus pro facto, ſecundum vero ſi fuit excommunicatus pro contumacia.

Tertia Concluſio.

Quibus in locis procedere debeant & poſſint iudices cõſeruatores.

COnſeruatores prædicti non poſſunt procedere contra aliquos extra ciuitates vel Dioeceſes in quibus fuerint deputati, vel alibi quã in ciuitatibus vel locis inſignibus, vbi haberi poſſit peritorum copia, nec poſſunt aliquem citare vltra vnã dietam à ſuæ dioeceſis. Hæc cõcluſio habetur expreſſa in dicto *cap. fin. de offic. et poteſt. Iud. deleg. lib. 6. verbo, Conſeruatores.* Pro cuius intelligentia præmitto fuiſſe antiquitus morem, vt pro conſeruatoribus quatuor darentur dietæ, prout tradit Rebuf. in tractat. de priuil. Schol. priuile. 191. at eiuſmodi conſuetudo poſtea reuocata fuit per Leonem Decimum in Concilio Lateranenſi, & limitata & reſtricta ad duas tantum dietas, non obſtante quocũque priuilegio, vt habetur in Supplemento, fol. 26 conc. 83. & refertur in Compendio, *verbo, Conſeruatores Ordinis* §. 3. vbi dicitur, quod ſupradictus Leo Decimus in dicto Concilio Lateranẽſi ſtatuit, *quod conſeruatores Fratrum pro tempore à Sede Apoſtolica deputandi, doctrina & probitate viri præſtantes & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, & voluit vt coram eis per eoſdem Fratres quibus datiſuerint vltra duas dietas à loco ſuæ ſolitæ habitationis, nullus trahi poſſit, priuilegijs ſuper hoc alias eis conceſſis, nullatenus ſuffragantibus.* Per quæ dicta verba, vt dixi, reuocata fuit illa conſuetudo de quatuor ſupradictis dietis, & reſtricta & limitata ad duas, per indulgentiam & conceſſionẽ ſupradicti Leonis Decimi, cum alias de iure cõmuni per ſupradictos conſeruatores, nullus vltra vnã dietam trahi poſſet, iuxta id quod conſtitutum atque determinatum fuerat, per Bonifacium Octauum

Adquot dietas ſe extẽdat poteſtas cõſeruatorum iudicum.

uum in dicto *ca. fin. de off. & potest. Iud. deleg.* Sed quãuis hoc ita sit, hodie tamen aliqua sunt Regularium priuilegia, quibus Conseruatores prædicti, reos Religiones, siue earundem alumnos offendentes, trahere ad se possunt, non solum intra prædictas duas dietas, verumetiam vsque ad tres, dummodo huiusmodi numerum non excedant. Pro quo quãmaxime facit priuilegium quoddam Clementis Septimi, concessum Fratribus Minimis, cuius mentionem facit Sorbo Capuccinus in addit. ad Mendicantium Compendium, *verbo, Conseruator*, vbi habetur; *quod Conseruatores prædictorum Fratrum, potestatem habent procedendi, etiam extra loca in quibus fuerint deputati, conceditur que eis facultas citandi & inhibendi etiam per edictum, ad se trahendo citatos atque monitos, non obstantibus Bonifacij Papæ Octaui de vna dieta, & Concilij Generalis Lateranen. de duabus dietis Constitutionibus, dũmodo non aliquis trahatur vltra tres dietas.* Similem concessionem fecit etiam Pius V. in confirmatione priuilegiorum Fratrum Minorum de Obseruantia, in quadam sua Bulla data Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 3. Octobr. 1588. Pontificatus sui anno 3. quæ incipit. *Etsi Mendicantium Ordines.* In qua quidem Bulla, *confirmauit & innouauit, omnia priuilegia prædictorum Minorum Fratrum de Obseruantia, cõcedens eis etiam Conseruatores pro eorundem conseruatione, & vt extra locum, in quo sunt reos possint trahere, non obstantibus præmissis ac piæ memoriæ Bonifacij Octaui prædecessoris sui de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis Constitutionibus editis, dummodo vltra tres dietas aliquis præsentium literarum vigore ad iudicium non trahatur.* Quod etiam concessit Gregor. XIII. anno Domini 1575. die 21. Maij Pontificatus sui anno 3. in alia sua Bulla quam edidit etiam in confirmationem priuilegiorum prædictorum Fratrum, quæ incipit, *Ex benigna Sedis Apostolicæ prouisione.* Quibus concessionibus fruuntur omnes alij Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis. Et ita seruatur in communi praxi, nam hodie virtute suprà dictorum priuilegiorum, Conseruatores Ordinis, nõ obstante prædicta constitutione Bonifacij Octaui, & Conc. Later. de vna & duabus dietis, trahunt ad iudicium suum reos & contradictores, vltra prædictas duas dietas, idque habetur iuridicum, dummodo tres dietas nõ excedant. Est autem dieta, vt dicit Bertachinus in suo Repertorio, *verbo, dieta*, vigintiri milliarum spatium, quod cõtinet sep tem leucas, vt colligitur ex iure in *cap. nonnulli, de rescript.* & ibi glossa, *verbo, vltra duas dietas.* De quo argumenti genere latissime tractat Villalobos in suo ærario mille communium opinionum, *verbo, dieta*, num. 83. vbi & dicit à quo loco eiusmodi spatium sit computandum, nempe à fine diœcesis in qua citandus commoratur, non vero à continentibus ædificijs, prout etiam habetur in *l. 28. tit. 7. lib. 1. nouæ recomp.* conformiter ad ea, quæ statuit prædictus Bonifacius Octauus in dicto *cap. fin. de off. & potest. Iud. dele. lib. 6.* in illis verbis, *vltra vnam dietam à fine diœcesium eorundem aliquos trahere non præsumant.*

Quid sit dieta & quãtũ spatij contineat.

Solummodo est difficultas, an eiusmodi Conseruatores, suam auctoritatem & potestatem, alijs possint delegare de quo fit quarta Conclusio.

Quarta Conclusio.

Iudices cõseruatores, an subdelegare possint.

PRædicti iudices Conseruatores, in suprædictis causis per se ipsos debent procedere, nec alijs vices suas possunt committere, exceptis citationibus & sententiarum denunciationibus, nisi eis aliter committatur per literas, & nec tunc, committere possunt, nisi tantum intra ciuitates seu diœceses in quibus deputati fuerint, & personis superius expressis. Hæc conclusio est expressa suprædicti *c. fin. de off. & potest. Iud. deleg. in 6.* & intelligenda est de iure communi, nam de iure speciali, siue particulari priuilegio aliter est dicendum, & Conseruatores, secundum Regularium priuilegia vices suas alijs possunt delegare atque committere. Pro quo facit in primis priuilegium Sixti Quarti, concessum nobis Fratribus Minoribus, cuius mẽtionem fecimus supra art. 9, vbi committitur Conseruatoribus prædictis, vt suprædictos Fratres per se vel per alios in suis partibus cõseruent cõtra ipsos iniuriantes. Et simile priuilegium habent Religiosi viri Societatis Iesu, vt constat ex eiusdem Societatis Compendio, *verbo, Conseruator*, §. 3. in illis verbis, *tam per se quam per alios societatem defendãt* Quibus priuilegijs fruuntur etiam omnes Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis. Solummodo oportet aduertere, id quod & in fine suprapositæ conclusionis est dictum, nempe quod in tali casu, & quamuis hoc illis competat beneficio aliquarum literarum Apostolicarum non possunt eiusmodi subdelegationem facere, nisi intra ciuitates seu diœceses, in quibus fuerint deputati, & personis superius expressis, nempe Episcopis vel eorum superioribus aut Abbatibus, seu personis dignitates vel personatus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesijs obtinentibus, vel ad minus Canonicis ex speciali priuilegio, iuxta ea quæ dicta sunt supra artic. 2. aut etiam alijs de quibus ibidem fit mẽtio. Quod fieri quammaxime iuri fuit consonum, nam secundum ius, quicumque per substitutum ex priuilegio officium aliquod deseruire voluerit, constituere debet loco sui alium æque idoneum, vt habetur expresse in *l. 2. C. de præpositis agendis in rebus*, vbi ad hoc propositum post alia sequentia ponuntur verba, *Consideratis eorum laboribus per substitutum Cartularium, eiusdem scrutinij cui præfectus est ipse, idoneum & tam optimis moribus præditum, quam scientiam peritiamque rerum habentem electione sua, suarumque periculo facultatum, præfatũ munus eos adimplere præcipimus.* Quod propter suprædictam legem expresse tenet Bart. ibidem nume. 4. & tradit Azeuedo in leg. 20. tit. 7. 2. libri nouę recopilationis, videatur ibidem.

Quinta Conclusio.

Cõseruatores per censuras procedunt ad fuũ munus & officium exequendum.

COnseruatores prędicti, ad munus & officium suum exequendum, per censuras aliaque iuris remedia, contra inobedientes & contumaces possunt procedere. Hęc concl. non aliter potest probari quam dicendo, quod in omnibus literis Conseruatorijs, vt patere potest intuẽti, eiusmodi sibi potestas committitur, & quia alias vana atq; inutilis ipsorum foret iurisdictio, vt enim habetur in iure

fruſtranea eſt iuriſdictio, quæ coerctionem non habet: ſolummodo oportet aduertere, id quod habetur in *cap. quia Pontificali, eod. tit. de off. & poteſt. Iud. de leg. lib. 6.* nempe quod Conſeruatores iudices contra Epiſcopos procedentes, quammaxima modeſtia debent vti, quia vt ibidem dicitur, ob reuerentiam ſacri officij quod exercent, eos prælijs oportet multum honorare. Qua quidem ratione præcipitur iudicibus Conſeruatoribus prædictis, vt quãcumque contra eos ad aliquas actiones ſiue pœnas fuerit procedendum, gradus & modeſtia in huiuſmodi proceſſu ſeruetur, ita quod eisquadam cõdigna reuerentia ſupportatis, ingreſſus primo Eccleſiæ, vel Sacerdotale interdicatur miniſterium, ac deinde ab officio ſuſpendantur, & ſubſequenter ſi opus fuerit aggrauetur cenſura Eccleſiaſtica contra eos, niſi forte aliter fieri ſuaſerit nimia ſuę contumaciæ proteruitas ſiue culpa, vtpote quia vt ibi dicit gloſſa, *verbo, aliter*, iniurias & contumelioſa verba proferrent contra ſupradictos iudices iuxta id quod habetur in *cap. dilectus, de penis.* Si tamen ipſi non ſeruata prædicta forma ſtatim eos ſuſpendant vel excommunicent, ſententia quidẽ inquit, ſupradicta gloſſa tenebit, erunt tamen reprehendendi iudices Conſeruatores prædicti, quia ſupradictam modeſtiam non ſeruarunt, iuxta *cap. 1. 11. q. 3. & cap. ſacro, de ſentent. excommunicat.*

Nota in quibuscaſibus ordinarius iudici Cõſeruatori tenetur pãrere & obedire.

Aduerto tamen quod Epiſcopi non irrogant iniuriam prædictis Conſeruatoribus iudicibus, pro eo quod ab eiſdem poſtulent vt oſtẽdant ſibi ſuas literas, quinvero nec ſecundum ius eiſdem tenentur obedire, niſi dum ab eis expoſtulatur ſuarum literarum vt oſtenſionem faciant. Vnde iudex Conſeruator ſiue delegatus, ſi de ſuo mandato Apoſtolico literis ve Conſeruatorijs, Ordinario non vult fidem facere, non poteſt ipſum excommunicare, eo quod nolit ſuam ſententiam exequi. Nam delegatus iuriſdictionem non habet ſuper ordinarium niſi eidem rebellis extiterit, nec rebellis recte dici poteſt, qui fidem fieri ſibi petit de eiuſmodi cõmiſſione, non enim aliud facit quam quod iure fieri ſibi conceditur. Secus eſſet ſi Ordinarius malitioſe, & vt non illi pareat aſſerat ſe de illius commiſſione & delegatione dubitare, maxime allegando reſcripti falſitatem, quo quidem caſu ſecundum Doctores communiter, poterit eum in triginta libras condemnare, ſi ad cauillandum reſcriptũ malitioſe ſe opponat, iuxta id quod habetur in *le. 2. C. de legibus*, pro quibus faciunt quammaxime quæ tradit Panormitanus in *c. præterea, de dilatio.* vbi ad hoc propoſitum dicit, quod quando agitur de grauiſſimo ſeu grauiori præiudicio, non eſt parendum iudici delegato, quantumuis ſit perſona auctoritate prædita, niſi prius conſtet de pleno mandato, nec ſufficiet ſimplex ipſius copia in tali caſu, iuxta *leg. vnicam, C. de mandatis*, nec aliter exequi ſententiam debet Ordinarius, iuxta id quod habetur in *cap. nobiliſsimus, diſt. 97.* vbi dicitur quod Romana nunquã conſueuit Eccleſia, ſine ſignatis apicibus, legationem vndecũque ſuſcipere. Si vero, inquit Panor. agatur de præiudicio graui, quia, v. g. citatus eſt in partibus remotis, ſufficit reſcripti copiam eidem mittere, non tamen ſufficeret aſſerere ſe eſſe delegatum. Si autem agatur de præiudicio leuiſſimo, vtputa quia citatus eſt in loco ciuitatis, non etiã erit neceſſarium eidem reſcripti copiam mittere, ad effectum coarctandi ipſum, ex quo perſona delegata non eſt vilis ſed in dignitate aliqua conſtituta, quinvero in tali caſu dubio comparere tenetur argumento *le. ſi quis ex aliena, ff. de iudicijs*, ſecus eſſet ſi ſimpliciter ipſum citaret, non aſſerens ſe eſſe Conſeruatorem nec delegatum, nec alias eſſet ordinarius, quia tunc comparere nemotenetur nec propterea, vt inobediens & contumax poterit excommunicari, quæ omnia ad præſens propoſitum ſunt valde notanda atque memoriæ commẽdanda. Solummodo oportet dicamus nunc, qualiter in ſuo iudicio eiuſmodi Conſeruatores procedere debeant, de quo ſit ſexta Concluſio.

Sexta Concluſio.

Conſeruatores in ſuis cauſis procedũt ſimpliciter & de plano.

CONſeruatores iudices in ſuo iudicio ſeu cauſis ad eoſdem pertinentibus, procedere debẽt ſimpliciter & de plano, ſola veritate inſpecta, & ſine ſtrepitu & figura iudicij. Hæc concluſio non aliter poteſt probari, quam dicẽdo idipſum vt plurimum contineri expreſſe in literis Conſeruatorijs, & ſenſus legitimus prædictorum verborum eſt, vt procedant poſthabitis ijs, quæ non ſunt de eſſentia & ſubſtantia iudicij. Quæ autem ſint de eſſentia & ſubſtantia iudicij, quæ vero ſolummodo de ſolemnitate iuris ſeu de apicibus vel ad iuris apices pertinentia, latiſſime dictum eſt à nobis in noſtro libro ordinis iudiciarij, quæſt. 14. art. 1. ad quem lectorem remittimus, nam in Regularium cauſis, haudquaquam ſeruanda eſt illa ſubtilis & ſtricta iuris forma, quæ ponitur in *capit. qualiter & quando de accuſatio.* vt dicitur ibidem, quinvero Clemens V. in ſua Clementina quæ incipit, *Sæpe, de verbor. ſignificat.* nouam aliam tradidit praxim, vt ſcilicet procedatur ſimpliciter & de plano, & ſine ſtrepitu & figura iudicij. Vbi determinat etiam atque declarat latiſſime, quid ſignificent eiuſmodi verba, inſerta & appoſita in iudicialibus commiſſionibus quæ fiunt à iure ſeu à Principibus, dicendo vt iudex, cui taliter decidenda aliqua cauſa cõmittitur, libellum non neceſſario exigat, litis conteſtationem non expoſtulet, tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum á iure indultarum procedere valeat, dilationum amputet materiam item quantum poterit breuiorem faciat, exceptiones & appellationes fruſtratorias & dilatorias repellendo, partium & aduocatorum atque procuratorum, contentiones & iurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrenando, ea tamen lege vt non ſic iudex item abbreuiet, quin admittantur probationes neceſſariæ & legitimæ. Et addit citationem vero ac præſtationem iuramenti de calumnia vel malitia, ſiue de veritate dicẽda, ne veritas occultetur per commiſſionem huiuſmodi non intelligimus excludi, multaque alia dicit ibidẽ, quæ breuitatis gratia facio miſſa, quia non ſunt præſentis ſpeculationis, quæ omnia voluit obſeruari in omnibus illis caſibus, in quibus per aliam ſuam cõſtitutionẽ, quæ incipit, *diſpendioſam, de iud.* ſeu alias de quibus ibi mentionẽ facit gloſſa, *verbo, alias*, præcipitur vt procedatur ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura iudicij.

Nota quinã ſit modus procedẽdi ſimpliciter, & de plano.

Septima

Septima Concluſio.

Cõſeruatores poſſũt cogere brachiũ ſeculare, ad ferendum ſibi auxilium.

CONſeruatores prædicti, per excommunicationem poſſunt cogere, brachium ſeculare ſiue ſecularem poteſtatem, ad ſuffragandum ſibi contra prædictas iniurias inferentes. Hæc concluſio non aliter poteſt probari quam præcedens, dicendo né pe id ſemper ſiue vt plurimum expreſſe contineri in eiuſmodi literis Conſeruatorijs, & quamuis ita expreſſe non contineatur, eſſe id intelligendum de iure, cum ſit acceſſorium ad prædictorum Conſeruatorum officium, & ſine quo vix aut nullatenus ſua munera & officia poſſent explere, pro quo quammaxime facit, *capitul administratores*, 23. q. 5. vbi eiuſmodi facultas Epiſcopis conceditur, excommunicandi ſcilicet adminiſtratores ſecularium dignitatum in ſimili caſu, niſi eiuſmodi auxilium ſibi præſtiterint, vbi notanter gloſſa, *verbo, priuatus* aduertit, quod vt colligitur ex prædicto textu, ipſo iure eſt excommunicatus Princeps, qui non facit iuſtitiam Clerico. Sed quidquid de hoc ſit, qualiter eiuſmodi auxilium ſit petendum atque exhibendum, latiſſime diximus ſupra quæſt. 45. artic. 4. quo lectorem remittimus, nam non eſt in votis ſine vrgenti occaſione & cauſa, eadem ſemel & iterum dicere.

Octaua Concluſio.

Circamunera aſſeſſorũ, & notariorũ ex pẽſas, quæ nã obſeruare debẽt conſeruatores iudices.

TAndem ſupradicti Conſeruatores, circa munera & expenſas aſſeſſorum & Notariorum, obſeruare tenentur omnia ea, quæ de iudicibus delegatis in iure ſunt ſtatuta. Hæc concluſio habetur expreſſa in dicto *cap. fin. de off. & poteſt. Iud. deleg. in 6. verbo, circa munera*, & refert ſe ibi Pont. ad *capit. ſtatutum*, §. *inſuper cum ſequent. de reſcript.* vbi inuenire licebit plura ad hoc propoſitum notatu digniſſima. Qua etiam de re videatur Sylueſter, *verbo, Cõſeruator, num. 4. in 7. dicto, & verbo, Iudex*, 1. §. 9. & hæc de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IX.

In quas pœnas incidant Conſeruatores ſuam poteſtatem & iuriſdictionem excedentes, & aliter quam prædicto modo procedentes?

Prima Concluſio.

Cõſeruatores formã ſibi tradi tam nõ ſeruãtes per annum ſunt ab officio ſuſpẽſi

CONſeruatores aliter quam prædicto modo procedentes, & ſuam poteſtatem ſiue iuriſdictionem excedentes, per annum ſunt ab officio ſuſpenſi. Hæc conclu. habetur expreſſa in *cap. fin. de off. & poteſta. Iud. deleg. in 6.* vbi poſt aliaſequentia ponuntur verba, *Vt autem Conſeruatores limites ſibi tradita poteſtatis (quos frequenter excedunt) metu pœnæ diligenter obſeruent, decernimus vt ſi de alijs quam de manifeſtis iniurijs ſeu violentijs ſe intromiſerint, ſeu ad alia quæ iudicialem indaginem exigunt ſuam extenderint poteſtatem, eo ipſo per vnum annum ab officio ſint ſuſpenſi.* Super quæ vltima verba gloſſa ibidem, *verbo, ab officio*, addendum eſſe dicit etiam *& á beneficio*, quod eſt officij ſequela, quod probat ex *ca. præterhoc, diſt. 32. & ex ca. ſi qui, diſt. 81.* Aduertendum tamen eſt, quod nõ omnibus eiuſmodi imponitur pœna, ſed illis tantum qui id ſcienter egerint. Illi autem dicũtur aliquid ſcienter facere, qui faciunt illud voluntarie, ſiue ex ignorantia iuris, craſſa vel affectata ſecundum gloſſam loco ſupracitato, *verbo, ſcienter*, & gloſſam in *cap. ignorantia, de ſentent. & re iudicata.* Facit & ad hoc gloſſa in *cap. eos, verbo, affectata, de tempor. ord. lib. 6. & in cap. 3. de clandeſtinis, deſponſa. eod. lib.* Ita quod illi tantummodo iudices Conſeruatores prædictã pœnam incurrunt, qui ſcienter ſeu ex ignorantia iuris craſſa vel affectata, quouis quæſito figmento aut colore, poteſtatem ſuam extendere præſumpſerint vltra prædictos caſus, quam de manifeſtis iniurijs & violentijs, ſeu ad alia quæ iudicialem indaginem requirunt, & in illis ſcienter ſe intromiſerint. Præſumere autem ſeu præſumptuoſe aliquid facere dicitur in iure, qui agit illud de facto, ſecundum gloſſam in *capit. Iudæi, verbo, præſumant, de teſtibus, & atteſtat.* & eiuſmodi vulgo dicuntur præſumptuoſi atque temerarij. Prædicto modo interpretanda eſt ſupradicta concluſio, nam verba intelligenda ſunt ſemper ſecundum communem vſum loquendi, vt multis tradit gloſſa in *cap. nonnulli de reſcript. verbo, vltra duas dictas*, id probans ex *cap. ex literis el 1. de ſponſal. & ex l. 1. aduo, ff. de ſupel. lega.* & vt dicitur, conſuetudo eſt optima legum interpres, vt habetur in *capite cum diuerſus, de conſuetudine, & in leg. ſine interpretatione. ff. de legibus*, tradunt que id omnes Doctores communiter.

Secunda Concluſio.

Suadẽtes iudicibus cõſeruatoribus, vt ſuã tranſgrediantur poteſtatẽ & idipſum procurãtes, incidũt in pœnam excõmunicationis

SVadentes prædictis iudicibus Conſeruatoribus, vt ſuam tranſgrediantur poteſtatem, id ipſumque procurantes, incidunt in pœnam & ſententiam excommunicationis, à qua nullatenus poſſunt abſolui, niſi prius parti integraliter ſatisfecerint de expenſis. Hæc concluſio habetur etiã in dicto *cap. fin. de off. & poteſt. Iud. deleg. in 6.* vbi poſt ſupradicta verba loquentia de iudicibus extendentibus ſuam poteſtatem, ad partem intereſſentem deueniendo ſtatim ſubditur. *Pars vero quæ hoc fieri procurabit, ſententiam excommunicationis incurret, à qua non poſſit abſolui, niſi ei quem ſic fatiganit indebite, primo ſatisfaciat integraliter de expenſis.* Et poſt alia additur, *quidquid autem contra præmiſſa vel eorum aliquid attentari contigerit, omnino decernimus irritum & inane.* Circa quæ verba aduertit Nauarrus in Manuali, capit. 27. numero. 125. quod non incurrit prædictam excommunicationis ſententiam, qui non eſt pars in iudicio, nec etiam ſi ſit, idque procurauit, Iudex tamen non proceſſit, per ea quæ ab ipſo dicta ſunt in eodem capit. 27. numer. 51. nam lex (inquit) excommunicans aliquid facientem, non comprehendit regulariter conſentientem, etiam mandando, conſulendo, fauendo vel auxiliando antequam fiat, niſi ex eius tenore vel aliarũ legum, id expreſſe aut tacite colligatur, vt firmiter tenet Caieta. in ſum-

ma, *verbo, excommunicatio*, capit. 47. notab. 3. & Sylu. ſibi contrarius, *verbo, excommunicatio*, 10. dubio. 4. de quo latiſſime videatur prædictus Nauarrus, loco ſupracitato. Quantum vero attinet ad expenſas, dicit Syluester, *verbo, Conſeruator*, num. 5. in fine, ſatisfactionem eſſe faciendam integraliter de omnibus legitimis expenſis, propter eandem cauſam factis ſecundum Geminianum, pro quo aliegat *capi. in primis*, 2. quæſt. 1.

ARTICVLVS X.

Vtrum Regulares & Religioſi, pro debitis ciuilibus, conueniri debeant coram prædictis Iudicibus ſuis Conſeruatoribus, an vero coram Iudice ordinario Eccleſiaſtico, ſeu potius coram proprijs ipſorum Prælatis?

HAEc quæſtio latiſſima eſt & quæ longiorem requirebat diſputationem, ab ipſa tamen breuiter me expediam, nam quātum attinet ad Regularium omnium exemptionem à Iudicibus ordinarijs, multa ſuperius ſunt dicta diuerſis in locis. & plura etiam diximus in noſtro libro ordinis Iudiciarij & de modo procedendi in cauſis criminalibus, tam in foro Eccleſiaſtico quam ſeculari agitandis, & miſſa facientes criminalia, deueniendo ad ciuilia, de quibus duntaxat eſt propoſitus præſens Articulus, quando quæritur coram quibus Iudicibus, Religioſi & Regulares conueniri habeant pro debitis ciuilibus, coram prædictis iudicibus ſuis Conſeruatoribus, an vero coram iudice ordinario Eccleſiaſtico, ſeu potius coram ſuis Prælatis Regularibus & qui in eorundem Monaſterijs præſunt, dico quod circa præſentem difficultatem, Doctores valde ſunt inter ſe diuiſi. Quidam enim dicunt eiuſmodi Religioſos pro debitis ciuilibus conueniri debere coram ſuis iudicibus Conſeruatoribus, quam ſententiam & opinionem tenet Ioannes Gutierrez, lib. 3. ſuarum quæſtionum Canonicarum, quæſt. 10. neque prædictæ ſuæ reſolutioni obſtare inquit, quod prius in præcedenti quæſtione dixerat, non poſſe nempe Religioſos & Regulares prædictos, coram ſuis iudicibus Conſeruatoribus, contra debitores agere ex cauſa ciuili, nec ipſos in eiuſmodi rebus ſe intromittere, nam inter hunc & illum caſum quam maxima eſt differentia, latiſſimumque diſcrimen, actor enim ſecundum iuris regulas de iure communi loquendo, ſemper ſequi debet forum rei, vt habetur in iure, in *capi. ſi Clericus laicum, & ibi gloſſ. & in cap. cum ſit generale, de foro compet.* traduntque Doctores latiſſime in *l. iuris ordinem cum ſimil. C. de iuriſd. omnium Iud.* Quo fit vt in præcedenti caſu, cum Religioſi prædicti eſſent actores debitores vero rei, non ipſos poterant ad ſuorum Conſeruatorum iudicium trahere, quin vero coram proprijs eorum iudicibus debebant illos conuenire, neque Conſeruatores in eiuſmodi rebus poſſent ſe intromittere, cum de iure communi loquendo nō cognoſcāt aut cognoſcere debeant, niſi de manifeſtis iniurijs & violentijs, iuxta iam pluries dictum *c. 1. de off. & poteſt. Iud. deleg. in 6.* at in præſenti caſu inquit Ioann. Gut. è contra ſe res habet, nam cum actores ſint ſeculares & prædicti Religioſi rei, habeantque à ſede Apoſtolica Iudicem Conſeruatorem delegatum & deputatū, quem elegerunt pro ſuis cauſis, vt eos defendat & manuteneat, cōſequens eſſe videtur vt coram eo conueniendi ſint ex qua cumque cauſa, ſed maxime ex cauſa ciuili, cum is ſit proprius eorum iudex, ratione cuius exempti ſunt à poteſtate iudicis ordinarij, qua etiam ratione à iure ſæpe ac ſæpiſſime, quinvero à ſacro Cōc. Trid. appellantur & nūcupantur exempti. Verba ſunt expreſſa ſuprad. Ioan. Gutie. quam ſententiā ſuam aliquibus rationibus ac iuribus comprobare contendit, de quibus ſtatim dicemus.

1. opinio.

Nota quod de iure cōmuni actor ſemper tenetur ſequi forum rei.

Sed contrariam omnino opinionem tenent alij aſſerentes Religioſos & Regulares prædictos, pro debitis ciuilibus non poſſe aut debere corā dictis ſuis iudicibus Conſeruatoribus conueniri, nec vero coram iudice ordinario Eccleſiaſtico, à quo omnino exempti ſunt, & notorium exemptionis habent priuilegium, ſed coram ſuis proprijs Prælatis qui ſunt veri & proprij ipſorum iudices, tam in ciuilibus quam in criminalibus & quibuſcumque alijs. Hanc ſententiam & opinionē tenet multisq; probat & firmare contendit Eman. Roder. in ſuis qq. Reg. to. 1. q. 65. ar. 13. vbi hac de re agit, & quia prædictarum opinionū quælibet in ſpeciali & ſuo particulari caſu, non ratione & ſua probabilitate caret, quinvero videtur quod defendi atque ſuſtineri poſſit pro præſentis Art. reſolutione, & vt hac in re quod tenendum ac practicandum eſt in mediū proferam, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

11. opinio.

Prima Concluſio.

Proprius & immediatus Religioſorū ac Regulariū iudex eſt Abbas ſiue ipſorū Prælatus tā in ciuilib⁹ quam in criminalibus.

CErtiſſimū eſt & omni dubio proculꝰ, quod proprius Religioſorum ſiue Regularium ordinarius iudex atq; immediatus eſt Abbas ſeu alius ipſorū Prælatus in pertinentibus ad Regulam regulariaq; ſtatuta tam in ciuilibus quam in criminalibus. Hæc concl. eſt certa & manifeſta, & eam tenet expreſſe Nau. in Cōment. 2. de Reg. ſuper *c. non dicatis*, 12. q. 1. nu. 63. quam & probat ex *l. fin. C. de iuriſd. omn. iud. & ex cap. cum ab Eccleſiarum, de off. ordin.* Nec ſolum probatur præd. concl. per ea quæ ibidē à prædicto Doctore adducuntur latiſſime, verum etiam & per illa quæ tradit idem ipſe, in Cōment. 3. ſuper *ca. nullam*, 18. q. 2. n. 4. explicando & declarando illa verba Pelagij Papæ ibidē appoſita, quibus dixit, *quod tota Monaſterij poteſtas ad Abbatem pertinet.* Sed præterea probatur, ex eo quod hac ratione Religioſi & Regulates prædicti, cōmuniter in iure & in Conc. Trid. vocantur exempti, & eorum exēptio ab Epiſcoporum ſeu aliorum iudicum iuriſdictione adeo eſt notoria cunctisq; peruia, vt omnes dicant cōmuniter ſcribentes, eam probatione minime indigere, & quod ab ordinarijs citati non tenentur eiſdem reſpondere, aut corā ipſis comparere. Qua quidem de re videantur quæ latiſſime tradit Sylu. *verbo, exemptio*, q. 7. n. 8. citans in id Panor. *in cap. cum ordinem, de reſcript.* vbi ad hoc propoſitū plura

Nota valde.

plura dicit, faciendo diſtinctionē inter notorie exemptos, & iam diu toleratos in exemptionis priuilegio (quales ſunt Mendicantes) & alios non ita notorie exemptos, & dicit quod primi citati non tenentur coram iudicibus ordinarijs comparere, quod probat ex multis iuribus, & quod ſententia ab ipſis lata contra ipſos tamquam contra contumaces, erit omnino nulla vtpote lata à non ſuo iudice, alij vero comparere tenentur ad allegandum ſuum priuilegium, intra terminum ſibi præfixum, ſed in loco congruo atque ſecuro, iuxta *ca. cum perſonæ. de priuil. lib. 6.* Supradicta omnia ſunt certa & vera de iure communi. Et quamuis Nauarr. loco ſupracitato aliqualiter dubitet, quin vero expreſſe dicat, quod Prælatus inferior de iure communi, nō habet iuriſdictionem in eos qui ſunt ſui Collegij, quoad extraria, quæ non tangunt ſuam Regulam aut Regularia ſtatuta, ſiue ciuilia ſiue criminalia, inquit tamen, quod ex priuilegio vel ſaltim conſuetudine, nullum eſt Monaſterium, in quo iam Prælatus non cognoſcat etiam de illis, ſaltim cum crimina non requirunt depoſitionem, & expreſſe fatetur ibidem quod iam omnes Regulares exempti ſunt ab Epiſcoporum & ordinariorum iuriſdictione. Quod adeo inquit verum eſt, vt raro in prædictis Religioſis locum habeat, *cap. volentes, de priuile. lib. 6.* quo cautum & ſtatutū fuit, vt ordinarius poſſet cognoſcere contra exemptos ratione delicti, vel contractus extra loca exempta facti vel rei ſitæ extra illa, nam aliquibus, inquit, Religionibus conceſſum eſt directe, alijs vero per communicationem & indirecte, vt conueniri non poſſint etiā in illis, cum derogatione prædicti *cap. volentes*, editi in Concilio Lugdunenſi, ſed de hoc alias, nunc procedamus vlterius.

Secunda Concluſio.

Do iure cōmuni loquēdo Religioſi & Regulares proſde bitis ciuilibus coram ſuis prijs Prælatis debent cōueniri, nō vero coram iudicibus conſeruatoribus, neq; coram ordinario.

DE iure communi loquendo, Religioſi & Regulares, pro debitis ciuilibus, coram ſuis prijs Prælatis, non vero coram ſuis Conſeruatoribus aut iudice Eccleſiaſtico ordinario debent conueniri. Hæc concluſio eſt expreſſa contra ſupradictum Ioann. Gutierr. ſed tenet eam prædictus Emanuel Rodericus loco ſupracitato, ſatisque coſligitur ex concluſione prædicta, etenim ſi Religioſi & Regulares, vt prædictum eſt, ſuos habent ordinarios & immediatos iudices, nempe proprios Prælatos quibus ſubijciuntur, & qui Monaſterijs præſunt, non ſolum in pertinētibus ad ipſorū Regulam regulariaque ſtatuta, verumetiam in negotium extrarijs, ciuilibus & criminalibus, contra rationem omnino & contra ius eſſe profecto videtur, vt etiam pro debitis ciuilibus coram alijs conueniantur quicumque illi ſint, ſiue ſint Iudices ordinarij Eccleſiaſtici à quibus (vt præmiſſum eſt) ſunt exempti, ſiue vero ſint iudices Cōſeruatores prædicti, qui vel maxime, in hiſce rebus, nullam omnino ſuper eos poteſtatem habent. Quod contra prædictum Ioann. Gutierr. hac vel vnica eaq; efficaciſſima ratione probatur, & vt dicitur ad hominem. Nam ſi vt ipſe dicit & habetur expreſſe in dicto *capi. 1. de offic. & poteſt. Iud. deleg.* Iudices Conſeruatores prædicti, non poſſunt cognoſcere niſi de manifeſtis iniurijs & violentijs, nec ſuam poteſtatem extendere ad alia quæ iudicialem indaginem requirunt, ſub pœna ibidem poſita, hac enim ratione affirmat non poſſe Fratres prædictos, reos pro debitis ciuilibus coram ſuis Conſeruatoribus iudicibus conuenire, qua ratione ergo in præſenti contrario caſu, in odium prædictorum Religioſorum, ampliandam atque extendendam eſſe dicit, dictorum iudicum Conſeruatorum poteſtatem & iuriſdictionem, vt pro debitis ciuilibus corā ipſis, non vero coram ſuis proprijs Prælatis, Religioſi ijdem conueniantur? Hæc certe ratio meo quidem iudicio fortiſſima eſt, clareque concludit. Cui & alia de nouo accedit, nam vt etiam ex dictis conſtat Superiores Prælati ſunt Religioſorum ordinarij iudices, ordinariamque ſuper eos exercent iuriſdictionem, quæ ſecundum iuris Regulas, ad omnia ſe extendit in quibus non ſunt prohibiti, & in quibus expreſſe limitata non fuerit, prædicti vero Cō ſeruatores, tantummodo ſunt iudices delegati, delegatamque habent iuriſdictionem, quæ non ſe extendit, niſi ad illa quæ ſibi committuntur expreſſe aut ſine quibus non congrue poſſent expediri, & nullo modo ſe extendit ad ea, quæ expreſſe ſunt prohibita & limitata iure, contra ius ergo & contra rationem omnino erit, vt pro debitis ciuilibus Religioſi & Regulares coram eiuſmodi Conſeruatoribus, non vero coram proprijs ipſorum Prælatis conueniantur. Supradicta omnia confirmantur ex eo quia Religioſi ijs præſertim temporibus, nō habent perpetuos Conſeruatores ſicut habebant antiquitus, coram quibus pro prædictis debitis ciuilibus debeant & poſſint conueniri, quin vero habent Conſeruatores ad nutum amouibiles, eoſq; nominant & conſtituunt ſolummodo quando id aliqua exigit neceſſitas, dicere autē, vt prædictus Ioann. Gutierr. dicit, quod in eo caſu coram iudice Eccleſiaſtico ordinario conueniantur, qui eoſdem compellat ad conſtituendum & aſſignandum Cō ſeruatorem, ſeu iam aſſignatum oſtendant coram quo lis & cauſa proponatur debitumque petatur, alioquin quod ipſi ad ſe negocium auocent & in eo procedant, non nimis videtur iuridice dictum, neque ad rationem conformiter, cum vt prædictū eſt, habeant ipſi ſuos iudices & ordinarios Prælatos, coram quibus poſſint conueniri, & revera Cō ſeruatoribus Iudicibus prædictis, iuriſdictio in eo videtur concedi, quam ius ipſum nullatenus ſibi permittit, non ergo eſt iuridicum quod ſupradictus Ioannes Gutierrez dicit, neque Religioſos prædictos à iure, ſiue à Concilio Tridentino dici exemptos à iuriſdictione iudicum ordinariorum, ratione prædictorum Conſeruatorum, nam Religioſorum exemptio non à Conſeruatorijs ſiue iudicibus Conſeruatoribus prædictis dimanat, ſed à ſubiectione ſuorum Prælatorum ordinariorum, quibus in vtroque foro ſunt ſubiecti. Quod eſſe verum conſtat ex ipſis priuilegijs & Conſtitutionibus Apoſtolicis, atque ex vniuerſali ita comprobata & declarata conſuetudine. Et forſan prius Religioſi prædicti fuerunt exempti, quam pro eiſdem fuerint Cōſeruatores conſtituti. Sed quidquid de hoc ſit, prædicta nihilominus concl. vera eſt firmiterq; tenenda, quod cōmuniter & regulariter loquendo, Religioſi pro debitis ciuilibus corā ſuis ordinarijs Prælatis, non vero coram iudicibus

Conſeruatoribus prædictis, neque coram Iudice Eccleſiaſtico ordinario debent conueniri. Exiſtimauit, vt credo, ſupradictus Ioann. Gutierr. quod Conſeruatores Regularium, ſunt ad modum Conſeruatorum, Vniuerſitatum, Doctorum & Scholarium, qui de omnibus eorum cauſis iudicant atque cognoſcunt tam ciuilibus quam criminalibus, & non alios habent Iudices, coram quibus poſſint conueniri, quorum etiam ratione dicuntur exempti à iuriſdictione Eccleſiaſtica & ſeculari, at in Religionibus non ita ſe res habet, nam Religioſi ſuos habent Iudices ordinarios Prælatos, qui de eorũ omnibus cauſis cognoſcant per iuriſdictionem ordinariam, per quam ab alia ordinariorum Eccleſiaſticorum iuriſdictione dicuntur exempti, non vero per ſubdelegatam prædictorum Iudicum Cõſeruatorum, qui ſolummodo deſtinantur pro defenſione Fratrum à violentijs & manifeſtis iniurijs, non vero ad alias cauſas.

Tertia Concluſio.

Coram quo iudice cõuenien di ſint Regulares extra Monaſterium degentes in cauſis mercedum & miſerabiliũ perſonarum.

IN cauſis ciuilibus mercedum & miſerabilium perſonarum, Regulares extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti, etiamſi Iudicem deputatum habeant ſiue illum non habeant, coram locorum ordinarijs tamquam in hoc ab ipſa Sede Apoſtolica delegatis, poſſunt conueniri. Hæc concluſio habetur expreſſa in Conc. Trid. ſeſſ. 7. capi. 14. vbi ad hoc propoſitum ſequentia habentur verba. *In exemptorum cauſis, conſtitutio Innocentij Quarti, quæ incipit, volentes, in generali Conc. Lugd. edita ſeruetur quam eadem Sacroſancta Synodus innouandam cenſuit & innouat, addendo inſuper quod in ciuilibus cauſis, mercedum & miſerabilium perſonarum, Clerici ſeculares aut Regulares extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti, etiã ſi certum Iudicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, in alijs vero ſi ipſum Iudicem non habuerint, coram locorum ordinarijs, tamquam in hoc ab ipſa Sede Apoſtolica delegatis, conueniri & iure medio ad ſoluendum debitũ, cogi & compelli poſſint priuilegijs & exemptionibus, Conſeruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduerſus præmiſſa nequaquam valituris.* Id ipſum confirmatur in eodem Conc. ſeſſ. 14. cap. 5. Quæ ſupradicta verba explicans Nauar. in dicto comment. 2. de Regular. ſuper *cap. non dicatis*, nume. 63. dicit, ea eſſe intelligenda ſolummodo vt verba ipſa ſonant, de Monachis extra Monaſterium degentibus, iuxta id quod in eodem Concilio habetur ſeſſ. 6. capi. 3. de Monachis ſiue Regularibus delinquentibus extra Monaſterium, nam ijs quoad cauſas ciuiles, mercedum & miſerabilium perſonarum, & quando delinquunt, nulla exemptionis proſunt priuilegia. Vnde inter Regulares exemptos degentes extra Monaſteria, & degentes intra, duplicem conſtituit differentiam, quarum eſt prima, quod iſti ſuper nullis cauſis conueniri poſſunt coram ordinarijs, illi autem ſic ſuper prædictis duobus generibus cauſarum, nempe mercedum ac miſerabilium perſonarum. Secunda vero eſt, quod degentes intra Monaſteria, non poſſunt propter ſua delicta ab ordinario puniri, niſi quando extra Monaſterium cum populi ſcandalo delinquunt, & non puniuntur à ſuis Prælatis, monitis ab ordinarijs id vt faciant: at vero extra Monaſterium degentes puniri poſſunt, ſicut á contrario ſenſu colligitur ex eodem Conc. ſeſſ. 25. cap. 14. vbi ad hoc propoſitum ſequentia habentur verba, *Regularis nõ ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante à ſuo ſuperiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuere puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minus à ſuo ſuperiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* Per quæ dicta verba dicit prædictus Nauarrus reſpondiſſe ſe, non potuiſſe Vicarium cuiuſdam Epiſcopi Regni Neapolitani, cognoſcere de quodã cenſu, qui petebatur à quodam Conuentu Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula, habentium exemptionem, cum derogatione dicti *cap. volentes*, tum quia non degebant extra Conuentum, tum etiam quia non agebatur de vlla prædictorũ duorum generum cauſa, nec de delicto extra Monaſterium cum populi ſcandalo commiſſo, quæ omnia quammaxime iuridice ſunt dicta, & multum memoriæ commendanda. Et aduerto quod non dicuntur extra Monaſteriorum clauſtra degere, Fratres qui confeſſionis vel prædicationis, ſeu eleemoſynæ petendæ cauſa, aut alterius rei ſimilis ad tempus & non permanenter extra Monaſteria cõmorantur, ſed qui ibidem domicilium habent ex ſpeciali licentia ſiue priuilegio, vt extra ſua Monaſteria degant. Neque etiam extra dicuntur degere, illi qui ſecundum ſua Regularia inſtituta, inſeruiũt alicui beneficio, aut ſunt addicti alicui Moniali Monaſterio, neq; eiuſmodi cõprehenduntur in decreto prædicto, nam quamuis extra Monaſteriũ commorentur, non tamen extra illud proprie dicuntur degere, cum ſint ſubditi proprijs ſuis Prælatis, nec ibi exiſtant ex aliqua ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia ſiue priuilegio. Solummodo ergo in prædicto comprehenduntur Decreto, Fratres extra Monaſteriorum clauſtra degentes ex prædicta licentia aut priuilegio, & immediate Sedi Apoſtolicæ ſubiecti, pro quibus conſueuere ſemper conſtitui & deputari Iudices Conſeruatores, qui de omnibus eorum cauſis tam ciuilibus quam criminalibus cognoſcerent, de quibus dicit Concilium, quod non obſtantibus prædictis Iudicibus ſi illos habeant, aut etiam ſi illos non habeant & exemptione quacumque in cauſis ciuilibus mercedum & miſerabilium perſonarum, coram ordinarijs conueniri poſſint, tamquam in hoc ab ipſa Sede Apoſtolica delegatis, & iure medio cogi & cõpelli ad ſoluendum debitum.

Quinã fratres dicãtur extra Monaſte. clauſtra degere.

Quarta Concluſio.

Religioſi & Regulares extra Monaſteriorum clauſtra degẽtes, coram quo iudice pro debitis ciuilib⁹ habeant cõueniri extra caſus prædict.

REligioſi & Regulares, ex ſpeciali priuilegio ſiue licentia extra Monaſteriorum clauſtra degentes, in cauſis ciuilibus aliarum quarumcumque perſonarum, extra cauſas mercedum & miſerabilium perſonarum, ſi iudicem Conſeruatorem in reſcripto deputatum habeant, coram eo conueniri poſſunt, ſin vero illum non habent in tali caſu poterunt conueniri, coram iudicibus ordinarijs. Hæc etiam concluſio ſatis videtur iuridica ratione conſona, nam cum Religioſi prædicti, extra Monaſteriorum clauſtra degant, & quodammodo exempti ſint ab ordinaria ſuorum Prælatorum, & or-

& ordinariorum Iudicum iuriſdictione operæ pretium eſt, Iudicem vt habeant, corã quo in eiuſmodi caſibus quin vero & in alijs occurrentibus, debeant & poſſint conueniri, atque ita ſi illum in reſcripto deputatum habent coram eo conuenientur, tam quam coram Iudice in id à Sede Apoſtolica delegato, eo modo quo conueniri deberent coram proprijs ſuarum Religionum Prælatis, ſi intra Monaſteria degerent. Si vero illum non habent, in tali caſu ratio ipſa fert, vt conueniantur coram ordinarijs Eccleſiaſticis, vt non deficiat Iudex apud quem conueniantur. In hoc quidem ſenſu intellecta & in propoſito caſu, indubie veram eſſe intelligo, doctrinam traditam à prædicto Ioanne Gut. loco ſupracitato, & quod ad ipſum prædicti Concilij verba ſuperius poſita, poſſunt applicari & adaptari, illique quadrant, non vero ad caſum quẽ ipſe ibidem adducit, nam loquitur indifferenter, & abſque delectu & diſcrimine, de omnibus in vniuerſum Religioſis, tam intra Monaſterium degentibus, quam extra, cum revera Concilium in decreto prædicto, non loquatur niſi ſolummodo de Religioſis extra Monaſterium degentibus, ad ſenſum ſupradictum, vt patebit intuenti, id quod & Nau. tenet expreſſe loco ſupracitato. Vnde dico, quod praxis in eiuſmodi caſibus ſeruanda, non eſt illa quam tradit præd. Ioan. Gutier. ſed iſta quæ ſequitur, nempe quod Religioſi intra Monaſteriorũ clauſtra degentes, pro quibuſcũque debitis ciuilibus, non corã Iudicibus ſuis Conſeruatoribus, nec vero coram Ordinario Eccleſiaſtico, ſed corã ſuis proprijs Prælatis, qui ſunt veri & proprij ipſorum Iudices debent conueniri, & hoc etiãſi debita ſint mercedum & miſerabilium perſonarum, nam decretum, quo Concilium ſtatuit vt in ijs conueniãtur coram Ordinarijs non intelligitur niſi de Religioſis extra clauſtra Monaſteriorum degentibus vt ex ipſo textu expreſſe conſtat. Si vero Religioſi ſupradicti extra clauſtra degant, & debita ſint mercedum ac miſerabilium perſonarum, ſiue Iudicem Conſeruatorem certum à Sede Apoſtolica deputatũ in partibus habeant, ſiue illum non habeãt, conueniri debent coram locorum Ordinarijs tam quam in hoc ab ipſa Sede Apoſtolica delegatis, & iure medio ad ſoluendum huiuſmodi debita, cogi & compelli poſſunt, priuilegijs, exemptionibus, conſeruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduerſus præmiſſa nequaquam valituris. Verba ſunt expreſſa ſuprad. Concil. Sed quid ſi ſupradicti Religioſi extra dicta Monaſteria degant, & debita ſint non mercedum & miſerabilium perſonarum, ſed aliarum perſonarum quarumcũque, quid in hoc caſu faciendum eſt? Ad hoc reſpondeo ſub diſtinctione, quod ſi iudicem habeant per Sedẽ Apoſtolicam deputatum vt ſupra, corã eo poſſunt & debent conueniri: ſi autem illum non habuerint coram locorum Ordinarijs tamquam in hoc à Sede Apoſtolica delegatis vt ſupra, non obſtantibus quibuſcumque, &c. Et hic eſt verus ſenſus illorũ verborum, quæ in Decreto prædicto ponuntur, *in alijs vero ſi ipſum Iudicem non habuerint, &c.* non vero ille quem exiſtimauit ſuprad. Ioan. Gutier. cõprehendendo in dicto Decreto omnes in vniuerſum Religioſos, tam degentes intra, quam extra Monaſteria, cum revera (vt prædictum eſt) Concilium non loquatur niſi de degentibus extra. Vnde perperam ac ſine ratione colligit, quod Religioſi degentes intra, non coram ſuis Prælatis & iudicibus Ordinarijs, ſed coram dictis iudicibus Conſeruatoribus ſi illos habuerint, ſin vero minus coram iudice Ordinario Eccleſiaſtico debeant & poſſint conueniri. Supradicta omnia meo quidẽ iudicio ſunt certa & vera ſtando in iure communi. Neque obſtabit dictis, quod in aliquo priuilegio ſiue conſeruatoria, habeatur expreſſe, quod aliqui Religioſi, tam in cauſis ciuilibus, quam in criminalibus ſeu mixtis, ſiue ſint actores ſiue vero rei, poſſint & valeant eligere Conſeruatores coram quibus eorũ cauſæ agantur, quale priuilegium habere dicuntur Religioſi viri Societatis Ieſu, nam dico quod in tali caſu ſi vti voluerint eo vti poterunt: non tamen ad id aſtringuntur de iure communi. Erit autem eiuſmodi priuilegium vtile atque proficuum, in caſu quo ab eiſdem ſeu ab alijs, qui eiuſdem communicationem habeant, coram iudice ſeculari ſiue Eccleſiaſtico aliquod petatur debitum ciuile, dicentibus ad ipſos iuriſdictionem pertinere, non vero ad proprios Regulares Prælatos. Nam in tali caſu, cum Prælati Regulares nullis armis poſſint ſe defendere, contra ſupradictos iudices procedentes pœnis & cenſuris, virtute priuilegij prędicti eligere poterunt iudicem Conſeruatorem, qui idipſum faciat & de eadem cauſa cognoſcat, vel ad Prælatos ſupradictos ordinarios illam remittat. Quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant.

In quo ſenſu opinio & ſententia Ioann. Gutierrez ſit vera.

Praxis inhiſce rebus ſeruanda quænã ſit, pro Religioſis tam intra quã extra clauſtra degẽtibus.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Iudices Conſeruatores Regularium, procedere poſſint contra detentores animalium eorundem, facientium damnum in paſcuis, ſeu alibi?

Prima Concluſio.

IVdices Conſeruatores Regulariũ, non poſſunt per cenſuras procedere, contra detentores animalium eorundem, facientium damnum in paſcuis ſeu alibi, ea ſola ratione quia ipſa detinent. Hæc concluſio probatur expreſſe, nam eiuſmodi animalia non ſunt res Eccleſiaſticæ ſed ſeculares, quamuis quoad dominium ad Eccleſiaſticos ſiue Regulares prædictos ſpectent. Quo fit vt à Iudice ſeculari, ſine aliqua ipſorum iniuria poſſunt detineri, quando inueniũtur in paſcuis ſeu alibi, alienis rebus damnum inferentia, iuxta caſum legis poſitæ in noua recopi. l. 12. tit. 3. lic. 1. vbi contra animalia prædicta cõſtituitur certa & peculiaris pœna. Quod autem animalia ipſa peatineant ad forum ſeculare non vero Eccleſiaſticũ, tradit Bald. in *le. de ijs, C. de Epiſcop. & cler.* vbi inquit, quod quãdo tributũ eſt appropriatũ ipſi rei, iudex poteſt manumittere ad remipſam, quamuis ſit Clerici aut Religioſi, recipereque tributum, quia eſt de ſua iuriſdictione, ſed non poterit, inquit, facere aliquid contra perſonam Cle-

Iudices cõſeruatores Regulariũ, nõ poſſunt procedere contra detentores animaliũ ſuorũ, facientiũ dãnũ in paſcuis ſeu alibi, ex ea ſolãmodo ratione, quia illa detinent.

Clerici aut Religioſi, alias incidet in pœnam Canonis, id quod tenent omnes communiter Doctores. Vnde fit quod non poſſunt Religioſi prædicti eligere Conſeruatores, contra detentores ſupradictorum animalium, ex ea ſola ratione, quia illos detinent, vt dictum eſt, bene tamen ex alia, de qua ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Iudices cõſeruatores Regulariũ, in quo caſu poſſunt procedere contra detentores ſuorum animalium.

IVdices Conſeruatores Regularium, bene poſſunt procedere contra ſupradictos detentores animalium, quando ratione damni illati Monachi, ſiue Religioſi conueniuntur coram ſeculari Iudice, vel Eccleſiaſtico Ordinario, non vero coram proprijs ipſorum Prælatis, aut coram dictis Conſeruatoribus, ſi ipſi in eoſdem conueniant. Hæc cõcluſio ſatis conſtat ex ſupradictis in præcedenti Articulo. Et ratio ipſius in promptu eſt, nam prædictorum Religioſorum perſonæ, exemptæ ſunt à ſupradictorum iuriſdictione, nec vllo modo conueniri poſſunt coram ſeculari Iudice, nec vero coram Iudice Eccleſiaſtico ordinario, cum ipſi habeãt proprios Iudices, nẽpe ſuos Ordinarios Prælatos, aut Conſeruatores prædictos, coram quibus poſſint conueniri, quin vero & debent cum ſint rei, iuxta ſuperius dicta: ergo ſi aliter fiat, vis atque violentia in eo ipſis infertur, manifeſtaque illis irrogatur iniuria, quam euitare ſiue non permittere eſt proprius caſus dictorum Conſeruatorum, iuxta *cap. 1. de offic. & poteſt. Iud. deleg. in 6.* atque ita in hoc caſu bene poſſunt procedere contra talia facientes & contra Iudices in huiuſmodi non ſe inhibentes. Et idem exiſtimo eſſe dicendum, ſi detentio prædictorum animalium per Iudices ſeculares facta fuerit omnino iniuſta, cum Religioſi prædicti paratos ſe exhibeant ad ſatisfaciendum damno, & ſtandũ (vt dicitur) rei iudicatæ, ſufficienti præſtita cautione, & noluerint illa ſibi dimittere niſi prius realis reſtitutio & ſatisfactio fiat. In tali caſu etiam credo quod poſſunt contra eoſdem procedere, tum quia in eo grauis atque notoria illis irrogatur iniuria propter prædicta animalia detenta, tum etiã quia in ſua exemptione & per Bullarum Conſeruatoriarum priuilegia, non ſolum perſonæ prædictorum Regularium ſunt à dictis Iudicibus exemptæ, verumetiam & eorum bona mobilia & immobilia, & ad protectionem & defenſionem ſupradictorum Iudicum Conſeruatorum ſpectant. Et hæc de iſto Articulo breuiter atque reſolutiue dicta ſufficiant.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Conſeruatores Regularium, procedere poſſint contra alios Regulares & Religioſos, & contra Doctores & Scholares, habentes etiam pro ſuis cauſis Conſeruatores?

Priuilegiatus cõtra pariter priuilegiatũ, nõ gaudet priuilegio.

RAtio dubitandi eſt, quia vt habetur in iure, in Authent. *de ſanctis Epiſcopis, §. ſed hac præſenti, & in l. verum, §. vlt. cum legibus ſequentibus, ff. de Minoribus*, priuilegium habens, non vitur priuilegio, contra habentem idem priuilegium, quod eſt id quod communiter dicitur, *quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio*: ergo cum in præſenti (vt ſupponitur) Doctores & Scholares pro ſuis cauſis priuilegium etiam habeant eligendi Conſeruatore, de factoque ipſum teneant, videtur quod Conſeruatores Regularium ſupradictorum, non poſſint procedere contra Conſeruatores aliorũ. Pro alia parte facit, quia ſi hoc eſſet verũ, ſequeretur quod vt plurimum neutri eligere poſſent Conſeruatores, & maxime contra ſe inuicem, quod eſt contra conceſſionem expreſſam multarum conſeruatoriarum, quibus habetur vt eligere poſſint Conſeruatores, contra quaſcumque perſonas, tam Eccleſiaſticas & Regulares, quam ſeculares, &c. Vt autem hoc plenius fiat, ſciri que poſſit qualiter practicari habeat, pro reſolutione propoſitæ difficultatis, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

In multis caſibus cõſeruatores iudices quorundã Regulariũ, procedere poſſunt cõtra aliorũcon ſeruatores, ſeu contra alios Religioſos

CErtiſſimum eſt & omni dubio procul, quod in multis caſibus Conſeruatores Regularium, procedere poſſunt contra alios Regulares ſiue Religioſos, & contra Doctores & Scholares habentes etiam pro ſuis cauſis Conſeruatores. Hæc concluſio manifeſte probatur, ex ratione adducta pro cõtraria parte ad rationem dubitandi, & quia quãuis verum ſit quod pro alia parte adducitur, ac cõmuniter dicitur quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio, id tamen intelligendum eſt, quando vterque priuilegiatus priuilegio gaudet, quod eſt dicere quando ſimul concurrunt duo, qui priuilegium habẽt, & ſunt in caſu quo vtrumque priuilegium valet, qui quidem caſus non dabitur de facili, nam regulariter loquẽdo, quando duo ſimul idem habent priuilegium, & contendunt de aliqua re, is quidem præfertur alteri, qui eiuſmodi priuilegiũ actu habet, & actu eſt in ea re & in ea ſpecie, de qua controuertitur, & de qua agitur, prout habetur in iure, in *le. vltima, ff. ex quibus cauſis*, & ibi notat Bartolus, & poſt alios Ioannes Parladorus, lib. 1. rerum quotidianarum, capit. 17. numero. 28. plures Doctores allegando. Et pro hac concluſione facit, *iuris regula*, numero 65. qua dicitur, quod in pari delicto & cauſa, potior eſt conditio poſſidentis. Vnde in hoc caſu quodam,

In pari delicto & cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.

quodammodo dicere poſſumus, quod non duo, ſed vnus tantummodo habet priuilegium, nempe ille qui læditur, alter vero cum in ea cauſa non fuerit læſus, priuilegium minime habere dicetur. Quam doctrinam latiſſime tradit Abbas in capit. *ad aures, de præſcriptionibus*, & in capit. *ſuper ſpoliatione, de ordine cognitionum*, & Couarruu. in Regula poſſeſſor. 2. part. 2. numer. 4. Quadere videantur quæ latiſſime diximus ſupra, quæſtione, 42. articulo. 8. explicando prædictum iuris axioma, quo dicitur quod priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio, vbi illud nonnullis exemplis caſibuſque adductis illuſtrauimus. Et hæc de iſto artic. ac tota Quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO XLVIII.

De portione canonica & alijs, quæ ad hanc materiam ſpectant, in quatuordecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I

Quidnam ſit portio Canonica & quotuplex?

Prima Concluſio.

Quidnã ſit Canonica portio & quare ſic dicatur.

CAnonica portio, dicitur quædam pars quæ iure debetur Epiſcopis ſeu Eccleſijs Parrochialibus à quibuſcumque, de rebus prouenientibus illis aliqua ratione. Dicitur que Canonica portio, pro eo quod ſit à Canonibus approbata, ac debita Decretorũ Canonicorum iure. Hanc Concluſionem ponit expreſſe Sylueſter, verb. *Canonica portio*, num 1. & pro ea citat capit. *de his* & capit. *decreuimus*, 10. quæſt. 1. & capite, *ſtatutum*, 16. quæſtione 1. & Clementin. *Dudum de ſepulturis*, quibus in locis ſit mentio ſupradictæ Canonicæ portionis. Sit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

Canonica portio duplex eſt, alia Epiſcopalis alia vero Parochialis

PRædicta Canonica portio eſt duplex, vna debita Epiſcopo ab omnibus Eccleſijs totius diœceſis, de omnibus relictis factis eiſdem, altera debita Eccleſiæ Parrochiali, de relictis à Parochiano vel obuenientibus ratione funeris loco illi in quo eligit ſepulturam. Hæc etiam Concluſio eſt ſupradicti Syluestri & de prima intelligendum eſſe dicit ſupradictũ cap. *de ijs, cum ſequentibus*, & multa alia quæ tradit Gloſſa, in cap. *off. de teſtam.* Et addit, quod Epiſcopalis Canonica portio, ſecundum Gloſſam, in cap. *requiſiſti, de teſtam.* eſt tertia vel quarta pars (ſecundum cõſuetudinem) Parrochialis vero eſt varia, nam in quibuſdam partibus eſt medietas, in alijs vero tertia vel quarta pars, ſecũdum varia iura & diuerſas conſuetudines, quibus conſuetudinibus eſſe ſtandum dicit, ſecundum cap. *certificari, de ſepulturis*; & quod ſi conſuetudo non apparet, ſecundum ſupradictum Hoſtienſem, ſpectanda eſt conſuetudo Eccleſiæ Metropolitanæ, & ſi nec illa appareat, ſpectanda eſt conſuetudo Eccleſiarum vicinarum, quæ ſi varia ſit ſecundum Goffredum quarta debetur, quia in hanc iura magis concordare videntur iuxta capit. *in noſtra, de ſepulturis*, & qua in dubijs ſemper ſequimur quod minimum eſt iuxta leg. *ſi ita relictum, ff. de leg. 2. in fin.* & leg. *ſemper, ff. de regul. iuris*, quod & notat Archidiaconus, in cap. *cum quis, de ſepulturis*, lib. 6. & Innoc. in dicto cap. *requiſiſti*, & Bernardus, in dicto capite, *certificari*. Quæ omnia dicit Syueſter eſſe vera, niſi vbi conſuetudo eſſet dandi medietatem vel tertiam partem, quia tunc iſta eſſet debita, & ſic ſunt intelligenda iura, dicentia quod eſt tertia pars vel medietas. Tandem concludit Syluester dicendo, quod de hac quarta parte ſiue Canonica portione, quæ datur Eccleſiæ Parochiali, detrahitur ab Epiſcopo pro ſe quarta illius quartæ, & quod à Fratribus Epiſcopus nullam detrahit quartam, ſecundũ Federicum, niſi vbi Epiſcopus eſt Parochialis omnium vt Neapolis, tunc enim vt Parochialis, recipiet quartam à Fratribus, niſi ſint priuilegiati: ſed de hoc alias, nam nunc ſolummodo agimus de ijs quæ ſunt de iure communi, acturi poſtmodum de illis, quæ tenenda ac practicanda ſunt de iure particulari, ſiue ex ſpeciali priuilegio, hactenus de iſto Articulo.

Nota circa ſolutionẽ quartæ funeralis, quod in dubijs ſemper eſt ſequendum id quod minimũ eſt.

ARTICVLVS II.

A quibus debeatur quarta Epiſcopalis?

CIrca hanc difficultatem ſunt variæ ſententiæ & opiniones. Oſtiẽſis enim in ſumma, titulo de ſepulturis dicit, quod debetur & peti poteſt ab omnibus Eccleſijs, intra propriam diœceſim conſtitutis, iuxta cap. *conſtitutum*, 16. quæſt. 1. ſiue ſint Capellæ Monachorum & aliorum Religioſorum, ſiue Monaſteria aut alia pia loca, ſiue ſint Conuentualia vel quæuis alia in ciuitate ſeu extra, iuxta cap. *conquerente, de off. ordinarij* & cap. *off.* cap. *requiſiſti, de teſtam.* etiam ſi ſint exempta, niſi in priuilegio fiat ſpecialis mentio de priuilegio quartæ

Episcopalis, pro quo citat cap. *dudum. §. vlt. de decimis, & l. 1, §. meritoff. ne quid in loco pub.*

Sed Panormitanus in dict. cap. *off. de te stament.* contrarium tenet, nempe quod prædicta quarta Episcopalis, solummodo debetur ab Ecclesijs Episcopo subiectis, non autem ab exemptis siue subiectis immmediate Papæ, & dicit quod sic tenetur communiter. Sed Petrus de Perusio in tractatu de Canonica portione, Panormitanum limitat prædictum, dicendo ipsum dicere verum, quando legans Ecclesiæ exẽptæ non est subditus Episcopi, vel est exemptus, similiter, alias inquit debetur. Sed opinio Panorm. videtur verior, de qua sequens statuitur Conclusio.

Conclusio.

Episcopalis quarta. solummodo debetur ab Ecclesijs Episcopo subiectis, non autẽ ab exemptis, vel subiectis immediate Papæ.

QVarta Episcopalis, solummodo debetur, Episcopo ab Ecclesijs sibi subiectis, non autem ab exemptis, subiectis immediate Papæ. Hæc Conclusio est Panormitani vbi supra, & hanc sententiam & opinionem probabiliorem esse dicit Syluverb. *Canonica portio*, quæst. 3. num 4. quam & probat hac ratione, quia (inquit) supradicta quarta datur ratione Ecclesiarum solicitãdarum per Episcopum, non vero ratione legantium, vt constat ex dicto capite, *conquerente, de officio ordinarij*. Vnde dicit secundum Abbatẽ, in cap. *requisisti, de testam.* quod exempti tenẽtur eam soluere, non quidem Episcopis sed Papæ, quod & probat & sequitur supradictus Petrus de Perusio vbi supra. Sed legatus de latere non poterit eam petere, cum non sit diœcesanus exemptorum, vt tradit glossa, in capite, *auctoritate, de priuilegijs*, lib. 6. hæc supradictus Syluester, quæ pro isto articulo breuiter dicta sufficiant.

ARTICVLVS III.

De quibus rebus debeatur prædicta quarta Episcopalis?

Prima Conclusio.

De quibus rebus debetur Canonica portio Episcopal.

EPiscopalis quarta, debetur de omnibus legatis factis Ecclesijs & locis à quibus debetur, & de decimis & de ijs quæ obueniunt ratione funeris. Hæc Concl. est expressa Syluestri vbi supra, num 4. quæst. 4. & dicit eam esse Panorm. in cap. *requisisti, de testament.* Et addit, quod fallit in aliquibus, de quibus fit mẽtio, in cap. final. *de testam.* & ponit septem casus, in quibus fallit. Primo, quando relinquitur aliquid pro ornamentis Ecclesiæ seu vestibus, vt sericum pro planeta vel aliud ornamentum pro altari. Et idem est iudicium, si legetur aliquid vt fiat chorus vel pictura, aut calix vel aliquid huiusmodi, quod pertineat ad diuinum cultum, & immediate ad honorem Dei, vt oleum & cera pro luminaribus. Secundo, quando legatur aliquid pro prædictis ornamentis redimendis, ornandis vel reparandis secundum Innocentium, in dicto capite fin, & idem esse dicit Syluester, quando legatur pro extruendo sepulchro, quia Religionis est, & ad Religionem pertinet Monumenta construi vel exornari, iuxta leg. 1. §. *interdictum, ff. de mor. infer.* Tertio, quando legatur pro fabrica Ecclesiæ, reparatione indigentis, & portio pro fabrica non habetur, vel si habetur non sufficit. Sed si Ecclesia non indiget fabrica, soluenda erit quarta secundum Ostiensem, & reliquum seruabitur tempore ad fabricam necessario. Quarto, quando legatur pro anniuersario celebrando annuatim, vt in cap. *cum creatura, de celeb. Missarum.* Quinto, quando legatur ad perpetuum diuinum cultum, vt puta vt annuatim fiat festum alicuius Sãcti, vel vt dicatur officium in vna Capella, quia in huiusmodi consistit diuinus cultus, iuxta cap. fin. *de rescriptis, lib. 6.* Sexto fallit in oblationibus, de quibus non debetur quarta, vt olim secundum Panormit. in dicto cap. *requisisti.* Et tandẽ septimo & vltimo, secundum eundem fallit in donatione facta in vita, de qua etiam non debetur quarta, vt habetur in cap. *de his, de sepulturis*, & in capit. 1. *de statu Monach.* Solummodo est difficultas, an debeatur quarta Episcopo, de relictis factis alicui Hospitali de quo fit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Si Hospitale est Religiosum & constructũ auctoritate Episcopi, quarta debetur Episcopo, de relictis factis eidem.

SI Hospitale est Religiosum, & constructum auctoritate Episcopi, quarta debetur Episcopo, de relictis factis eidem. Hæc Conclusio est Syluestri loco supracitato, num. 5. quæst. 5. & dicit eam esse Panorm. in dicto cap. *off. de testam.* & etiam Ioann. Andr. si relictum fuit factum pauperibus talis Hospitalis, quia præsumitur respectus habitus ad locum & non ad personam, secus inquit esset si relictum fuisset pauperibus simpliciter, quia tunc non debetur quod probat per l. *nulli* & le. *si quis ad decliuandam, C, de Episcop. & Cleric.* Sed si Hospitale non est Religiosum, inquit Syluest. quod hac de re sunt diuersæ opiniones, sed magis sibi placet & arridet opinio Panormitan. dicentis quod si ædificatum est auctoritate iam defuncti, sic Episcopus habebit quartam, quia & habebit curam, vt habetur in Authent *de Eccl.* tit. coll. 9. & quia non potest amplius redire ad profana; sed si ædificator viuit non debebitur quarta, & relictum videbitur factum pauperibus, cum talis locus non sit capax, quia ædificator potest eum destruere. iuxta cap. *cum inter dilectos, de donat.* & Innocent. ibidem. Ex dictis inquit Syluester colligitur, quod quarta non debetur de relictis Fraternitatibus, & plura alia dicit circa eiusmodi pauperibus relicta, simpliciter, vel cum aliqua limitatione, quæ vt breuitati studeam consulto facio missa videatur ibidem. Solum superest difficultas, an prædicta quarta debeatur Episcopo, de legato facto alicui singulari personæ? de quo fit tertia Conclusio.

Tertia Conclusio.

De quibus rebus nõ debetur supradicta Canonica portio.

Quarta Episcopalis, nõ debetur de legatis factis singularibus personis.

QVarta Episcopalis, non debetur de legatis factis singularibus personis. Hæc Conclusio est expressa Syluest. loco supracitato, n. 6, quæst. 6. & ponit exemplum, vt quando legatur aliquid Clerico non habenti administrationem vel prælationem seu alicui Canonico, iuxta cap. *requisisti*, §. fin. *de testam.* vel cum legatur aliquid leprosis moran-

rantibus in tali loco vel Domo, vel Eremitis, aut Fratribus qui morantur in tali loco, vel aliquibus mulieribus pro dote, vel viduis, peregrinis & huiusmodi, in quibus dicit quod cessat cap. *ex parte el. 3. de ver. sig.* pro quo remittit se ad ea quæ dicit & notat Innoc. in cap. *relatum, de sepult.* Et addit quod etiam non debetur quarta prædicta Episcopalis, de legatis pro male ablatis, quia eiusmodi sunt debita & non legata, siue eorum restitutio sit certa siue incerta. Addit etiam quod nec debetur quarta supradicta, quando subditus legat aliquid Ecclesiæ existéti extra diœcesim, quod probat ex Abb. indict. ca. *requisisti* & Innoc. in dict. cap. *off. de test.* & Ioanne Andrea in dict. cap. *certificari, de sepult.* quod dicit esse verum, nisi aliter habeat consuetudo & præscriptio, iuxta cap. *cum inter, de verb. sig.* Quæ pro hac difficultate sic breuiter dicta sufficiant, vt horum omnium saltim aliqualis habeatur notitia.

ARTICVLVS IIII.

A quibus personis & de quibus rebus debeatur Canonica portio Parochialis?

Prima Conclusio.

Canonica portio parochialis solũmodo debetur ab Ecclesijs vbi aliquis sepelitur vel ad quam transit se conuertendo seu alio modo, nõ vero ab alijs.

CAnonica portio parochialis, solummodo debetur ab Ecclesijs vbi aliquis sepelitur, vel ad quã transit se conuertendo seu alio modo, & non ab alijs Ecclesijs vel personis. Hæc conclusio est expressa Syluest. loco etiam supracitato. num 7. quæst. 9. & quantum attinet ad quartam quæ debetur ab Ecclesijs vbi quispiam sepelitur, vel ad quam quis transit se conuertendo vel alio modo, inquit, hoc esse verum etiamsi alias sint exemptæ, nam quoad hoc non sunt exemptæ. secundum Innocent. in cap. *relatum*, & in cap. *nostra, de sepult.* & in cap. *requisisti, de testam.*

Secunda Conclusio.

Quarta Parochialis, debetur de omnibus, quæ obueniunt ratione funeris, & de legatis factis Ecclesiæ vbi quis eligit sepulturam.

SVpradicta quarta Paroch. debetur de omnibus quæ obueniunt ratione funeris seu in die funeris, & de omnibus legatis factis Ecclesiæ, ad quã quis eligit sepulturam. Hæc conclusio est Syluest. vbi supra, & dicit etiam esse Raymundi, & probari per cap. *in nostra, & totum tit. de sepult. & per Clem. dudum. eod. tit.* & concordat inquit Ostiensis, qui & ait hoc esse intelligendum de relictis occasione loci, non vero intuitu personæ, quamuis Ecclesiæ, dummodo id non in fraudem fiat. Et similiter secũdum eum intelligitur de mobilibus & immobilibus, exceptis eis de quibus supra diximus, artic. 3. agendo de quarta Episcopali, quorum fit mentio in cap. fin. *de testam.* Præsumitur autem, inquit Syluester, aliquid legari intuitu personę, si datur à propinquis, pro quo adducit cap. *requisisti, de testament.*

Nota quod multi sunt casus, in quib⁹ non debetur

Post supradicta adducit prædictus Syluester quindecim casus, in quibus fallit doctrina supradicta, nec debetur quarta de iure cõmuni, & inquit quod fallit etiam in Fratribus Prædicatoribus & Minoribus ex speciali priuilegio, de quibus plura dicit in quæst 16. quæ habetur in num. 15. vbi ponit varias & diuersas Conclusiones ad hoc propositum, quæ à me consulto omittuntur, quia de ijs omnibus inferius speciales struendi sunt Articuli, vbi & simul dicemus, quæ de nouo fuerint stabilita & ordinata circa hoc negotium per Concilium Tridentinum.

quarta Parochialis, etiã de iure cõmuni, & alij ex priuilegio.

ARTICVLVS V.

Vtrum valeat consuetudo, quod nihil detur Episcopo vel Ecclesiæ Parochiali, pro Canonica portione supradicta?

IAnc difficultatem mouet Syluest. verb. *canonica portio* 2. quæst, 1. & pro ipsius resolutione præsupponit ex Panorm. in cap. *certificari, de sepult.* quod secundum gloss. in cap. fin. *de consuet.* lib. 6. vbi consuetudo est præter ius ad hoc vt valeat sufficit tempus decem annorum? vbi vero est contra ius, requiritur tẽpus quadraginta annorum, vt habetur in cap. *fin. de consuet.* Quo supposito, inquit Syluester, quod difficultas præsentis Articuli, potest inuestigari in duplici sensu. Primo vtrum valeat consuetudo quod nihil omnino detur Episcopo vel Ecclesiæ Parochiali? Secundo vtrum valeat consuetudo, quod detur Episcopo vel Ecclesiæ Parochiali vltra dimidiam partem? vt puta quod dẽtur duæ partes ex tribus, vel citra quartam partem, ideſt quod detur minus quam quarta pars, aut infra dimidiam & quartam partem. De hoc secundo loquendo de mente Panormit. sequentẽ statuo conclusionem.

Quid requiratur vt valeat consuetudo quæ est contra ius, quid vero quando est præter.

Prima Conclusio.

Ad hoc vt valeat consuetudo, vt detur Episcopo vel Ecclesiæ Parochiali, aliquid vltra dimidiã partem vel citra quid requiratur.

AD hoc vt valeat consuetudo, quod detur Episcopo vel Ecclesiæ Parochiali vltra dimidiam partem, vt puta quod dẽtur duæ partes ex tribus, vel quod detur citra quartã partem, id est minus quã quarta pars, necessũ est quod illa sit præscripta quadraginta annorũ tempore. At vero ad hoc vt detur infra dimidiam vel quartam partem, non est necessum quod eiusmodi consuetudo sit præscripta supradicto quadraginta annorum numero, sed sufficit numerus decem annorum. Hæc Conclusio est supradicti Panormitani & Syluestri, & dicit eam esse Ostiensis & Ioan. And. Cuius Panormit. in dict. cap. *certificari, de sepult.* num 4. rationem reddit, quia consuetudo dandi infra dimidiã & quartam partem, non est contra ius sed præter ius, ac ideo non requiritur quod sit præscripta, at consuetudo dandi vltra dimidiam & citra quartã partem est contra ius, quia nullo iure cauetur vt debeatur minus quarta vel vltra dimidiam partẽ, vnde eiusmodi consuetudo ad hoc vt valeat necessum est quod legitimo quadraginta annorum tempore sit præscripta, alias enim non valebit. Hæc Panormit. vbi supra. Sed maior est difficultas, circa primum, vtrũ scilicet valeat cõsuetudo, vt

Difficultas.

vt nihil penitus detur Episcopo vel Ecclesiæ Parochiali? Qua quidem de re, prædict. Sylvest. & Panorm. locis citatis, diuersas referunt Doctorum opiniones, nam Ostiensis & post eum Ioan. Andreas, sentire videtur quod non valet, id quod similiter tenet Gotfredus & Raymundus, cum sit irrationabilis, per cap. *fin, de consuetudine*, quin vero & contra ius, nempe contra cap. 1. *de sepulturis*, sed Petrus de Perusio & innocent. tenet contrarium & dicit quod valet si sit præscripta quadraginta annorum spatio, in quorum sententiam inclinare videntur supradicti Ostien. & Ioan. Andreas, si sit eiusmodi consuetudo perscripta cum titulo, ideſt cum rationabili causa, vt puta propter beneficium factũ Ecclesiæ, vel aliquid huiusmodi. Sed huic dicendi modo se opponit Panorm. loco supracitato, asserens quod ad introductionem consuetudinis, non requiritur titulus cum hoc nullo iure caueatur, quinpotius expresse habetur oppositum, cum sicut dictum est, consuetudo sit quoddam ius moribus introductum, ideſt inductum ex tacito populi consensu vt habetur in cap. *consuetudo*, d. 1. & in leg. *de quibus ff. de leg.* & in §. *ex non scripto, instit. de iure natu rali*, quo sit vt quemmadmodum non requiritur titulus in condenda aliqua lege ita nec in introducenda consuetudine, cum non sit differentia inter legem & consuetudinem, nisi tantum ea quæ versatur inter aliquid tacitum & expressum. Resoluendo igitur prædictam difficultatem dicit Panorm. quod intelligi debet prædictorum DD. dictum, loquendo de consuetudine improprie dicta, quæ proprie nõ est consuetudo sed præscriptio, & sic intelligenda est Glo. in cap. *non est, de consuet.* lib. 6. vnde sicut in præscriptione contra ius requiritur titulus iuxta cap. 1. *de præscriptionibus*, lib. 6. ita & introductione consuetudinis improprie dictæ, vt satis probatur, in dict. cap. *non est, iuncta gloss.* At in proposito id non habet locum in consuetudine proprie dicta & legitime introducta. Quando ergo quæritur, in præsentiarum, an valeat consuetudo, vt nihil penitus detur Episcopo vel Eccle. parochiali, respondet & dicit Panormitanus quod cum id sit contra ius, non potest introduci consuetudo, sed in vtroque casu requiritur præscriptio & etiam titulus, quod semper dicit esse verum, quando inducitur consuetudo contra eum cui aliquid debetur de iure communi, nam tunc non est proprie consuetudo sed præscriptio, quo circa & habere debet præscriptionis comites, at si introduceretur consuetudo contra alium non eiusmodi ius habentem, induci posset sine vllo titulo, nam vt dictum est, ad esse consuetudinis, siue ad introducendam consuetudinem, non necessario requiritur titulus. Iuxta quam Panormit. sententiã sequens statuitur conclusiio.

Nota quid requiratur adrationem consuetudinis & an vt introducatur, sit necessarius titulus.

Secunda Conclusio.

Qualitercõtra portionem canonicam, in totum vel in parte, consuetudine præscribatur.

CAnonica portio Episcopo vel Ecclesiæ parochiali debita, pro parte, vel in totum, quodnõ soluitur introduci non potest consuetudine, sed præscriptione præscribi potest, & ad id sine titulo, sufficit tempus de cuius initio non sit memoria, quia illud habet vim tituli. Hæc conclusio est expressa supradicti Panormit. in dicto cap. *certificari, de sepulturis*, & probat eam, per cap. 1. *de præscriptionibus*, lib. 6. & dicit se in facti contingentia ita consuluisse, & remittit se ad alia quædicit in cap. *requisisti, de test.* allegat etiã pro hoc, cap. *de quarta, de præscriptionibus*. Eamdem cõclusionem tenet Sylvester loco vbi supra num. 3. in fine, vbi dicit, quod in vtroque casu sentit Panormitanus, quod portio debita Episcopo vel Ecclesiæ parochiali in totum vel pro parte quod non soluatur introduci non potest consuetudine, potest tamen præscribi, & ait quod ad præscribendum in huiusmodi rebus si cõsuetudo sit cum titulo, sufficit tempus 40. annorũ, si vero sit sine titulo, requiritur quod sit tẽpus cuius in contrarium initij non sit memoria. Quorum rationem adducit quia inquit, cum Ius commune sit pro Ecclesia Parochiali vel pro Episcopo, & cõsequenter præsumptio sit contra soluere non volentem, qui soluere renuerit, oportet, quod alleget, & probet titulum per quem talis præsumptio tollatur, quod non fit nisi modo prædicto, quæ pro isto articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS VI.

Quidnam sit dicendum de canonica portione prædicta, secundum Regularũ priuilegia?

VCusque diximus, quæ ad prædictam portionem canonicam pertinẽt, de iure communi, nũc operæpretium est, vt ad particularia descendẽtes, dicamus quid circa eamdem sit dicendum, & practicandum de iure speciali & particulari Regularium, Fratrumque omnium Mendicantium priuilegio, nam omnes vt pluries iam dictum est, eisdem priuilegijs communicant & perfruuntur. Et vt quæ dicenda sunt, iuxta diuersorum exigentiã temporum, habeãtur cõgruo ordine, pro propositi Articuli resolutione, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

Quid statuerit Inn. IIII. circa funeralẽ.

INnocentius Quartus qui præfuit Ecclesiæ, circa annum 1243. in quadam sua bulla, quæ incipit, *Pacem vestram*, data Perusij, 16. kalendas Iunij, pontificatus sui anno 10. *Concessit Fratribus Minoribus, quod de ijs quæ in ornamentis, aut pro eis vel pro fabricis siue luminaribus vel anniuersarijs 7. 20. & 30. alijs que ad perpetuum deuinum cultum in testamentis eisdem legantur nullam canonicam portionem soluere teneantur, dũmodo in fraudem Episcoporum, & Presbyterorum Parochialium non fiat.* Habetur hæc concessio in Monumẽtis Ord. 1. impres. fol. 22. & refertur in Compendio verbo *canonica portio*, §. 1. & in sequenti. §. 2. dicitur, *quod Alex. IIII. concesserat idem quod præfatus Inn. IIII. concesserat, addens quod nec etiam de pitantijs ad sustentationem Fratrum, aut de indumentis eisdem legatis, teneantur dare aliquam portionem, & decreuit irritas esse & inanes, quascumque censuras contra Fratres seu contra benefactores huiusmodi, vel heredes aut executores illorũ promulgatas.* Præfuit Ecclesiæ supradictus alexander

der IIII. circa annum 1254. & habetur prædicta concessio in quadam sua Bulla, quæ incipit, *Pium est, & consonum æquitati.* data Anagniæ 13. kalendas Februarij Pontificatus sui anno 5. & refertur in supradictis Monumentis 1. impres. fol. 24. & refertur in compendio vbi supra §. 2.

Secunda Conclusio.

CLemens quartus, qui præfuit Ecclesiæ circa annum 1265. in quadam alia sua Bulla quæ incipit, *Virtute conspicuos.* Quæ habetur in Monumentis Ordinis 1. impres. fol. 58. 2. fol. 142. concess. 339. & 1 refertur in compend. verbo vbi supra §. 3. concessit omnia quæ supradicti duo Pontifices sui antecessores concesserant, addens aliqua alia in Marimagno, sub sequentibus verbis, *Concedimus vobis vt de ijs quæ in ornamentis aut pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, 7. 20. & 30. aut alijs ad perpetuum diuinum cultum, seu pro pitantijs aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis necnon pro annuis censibus redimendis: ad quorum solutionem aliquæ domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur, & de domibus, prædijs, hortis alijs que locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de ijs quæ pro huiusmodi domibus prædijs, locis, & hortis emendis vobis legantur (dummodo præmissa non conuertantur in alios vsus, sed in illos duntaxat pro quibus relinquuntur, aut alios etiam qui in hac concessione vel indulgentia continentur) nullicanonicam portionem aliquam teneamini exhibere, & ne qui à vobis vel vltimarum exequutoribus voluntatum seu decedentium heredibus, de præmissis aliquid exigere vel extorquere præsumant, districtius inhibemus.* Hæc vbi supra.

Tertia Conclusio.

Quid Bonif. VIII. circa portionem canonicã statuerit.

BOnifacius VII. quì Præfuit Ecclesiæ circa annum 1294. in quadã sua Bulla seu potius decretali quæ incipit, *super cathedram, & habetur inter communes subtitulo de sepulturis.* §. *verum,* & refertur etiã *in Clement. dudum, eodẽ titulo.* circa prædictam portionem canonicam, cõstitutionem fecit sequentem, *Verum ne Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati siue Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de iure competere prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones fidelium audire, debitis & necessarijs beneficijs defraudentur, cum operarijs mercedis exhibitio debeatur auctoritate Apostolica statuimus & ordinamus, vt Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres, de obuentionibus omnibus, tam funeralibus quam quibuscumque & quomodocumque relictis, distincte vel indistincte, ad quoscumque certos vel determinatos vsus, de quibus etiam quarta siue canonica portio, dari siue exigi non consueuit, vel non debet de iure, necnon de datis vel qualitercumque donatis, in morte seu mortis articulo, in infirmitate donantis vel dantis de qua decesserit, quomodocumque directe vel indirecte, Fratribus ipsis vel alijs pro eisdem, quartam partem quam auctoritate Apostolica taxamus & etiam limitamus, Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus seu Curatis, largiri integre teneantur, facturi & curaturi, quod nec alij neque alijs à quibus quarta huiusmodi minime deberetur, ad ipsorum Fratrum vtilitatem, vel commodum huiusmodi fiant relicta, aut in eos taliter data vel donata procedant, seu quod in morte vel ab infirmis huiusmodi dandum, vel donandum Fratribus ipsis existeret, in eorundem dantium vel donantium sanitate sibi dari vel donari procurent, in quibus per ipsos vitandis, eorum intẽdimus cõscientias onerare, vt si quod absit, per Fratres ipsos dolo vel fraude, quicquam in hac parte agi fortasse contigerit, præter id quod eos propterea dictis Sacerdotibus, Rectoribus, & Curatis teneri volumus, etiam districta ratio in extremi iudicij examine requiratur ab eis. Vltra portionem autem huiusmodi nihil valeant Parochiales Rectores, Curati, & Prælati exigere supradicti, nec illis dicti Fratres amplius impendere sint astricti, nec ad id à quoquam possint aliqualiter coerceri. Nos etenim vt in cunctis æqualiter & pacifice fauente Domino procedatur, vniuersa priuilegia, gratias ac indulgentias, verbo seu scripto, sub quacumque forma verborum, à nobis vel prædecessoribus nostris Rom. Pont. cuicumque Ord. prædictorum concessis, necnon consuetudines, conuentiones statuta & pacta, in quantum sunt præmissis vel alicui præmissorum contraria, ea penitus reuocamus, vacuamus, cassamus & irritamus, quinimo cassa vel vacua & irrita nunciamus, & decernimus nullius prorsus existere firmitatis, &c.* Hæc Bonifacius 8. Sed hanc cõstitutionem reuocauit postmodum, Benedictus XI. qui præfuit Ecclesiæ circa annum 1303. in alia sua extrauag. quæ incipit, *Inter cunctas,* quæ habetur etiam inter communes, sub tit. *de priuileg.* concedendo Fratribus Minor. & Prædicatoribus multa priuilegia, circa prædicationes, cõfessionum additiones & sepulturas, prouentusque ex eisdem obuenientes. Clemens tamen V. qui præfuit Ecclesiæ circa annum 1305. prædictam Benedict. XI. constitutionem alterius supradictæ reuocatoriam, cassando & annullando, priorem à Bonif. VIII. in Concilio Vienen. editam approbauit & confirmauit, omninoque obseruari præcepit, illamque de verbo ad verbum inseruit, in sua Clem. quæ incipit, *dudum de sepult.* cuius sunt sequentia verba, *dudũ a Bonifacio Papa VIII. prædecessore nostro infrascripta edita decretali, Bened. Papa XI. prædecessor noster, aliam illius reuocatoriam promulgauit, quæ quia vt probauit effectus, nedum pacis ab auctore ipsius speratæ fructum non attulit, quinimo discordia pro qua sedanda processerat fomentum non modicum ministrauit, nos eam omnino cassantes, aliam a præfato Bonifacio editam, sacro instante & probante Concilio innouamus, subijcientes tenorem illius, qui dignoscitur esse talis. Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedram, &c.* vt in pra. Per quam Clementis V. reuocationem, circa prædictam portionem canonicam iterum redijt negotium, ad illum statum quo fuit tempore prædicti Bonifacij VIII. quod & per multum temporis durauit, vsque ad tempora Nicolai V. de quo quid statuerit dicetur in conclusione sequenti.

Benedict. XI. reuocauit præ dictam constitutionem Bonifacij VIII.

Quarta Conclusio.

Quid statuerit Nicol. V. circa portionem canonicam.

NIcolaus V. qui præfuit Ecclesiæ circa annum 1447. in quadam sua Bulla directa Fratribus Carmelitanis, quæ incipit, *Inter cetera nostræ solicitudinis studia,* & habetur in monumento Ordinis 1. impres. fol. 86. & 2. fol. 169. concess. 395. & refertur in Compendio verbo vbi supra §. 5. *concessit prædictis Fratribus Carmelitanis, vt de illis quæ eis pro fabrica Ecclesiarum & Conuentuum suorum, Ecclesiasticis ornamentis, luminaribus, anniuersarijs, 7. 20. & 30. & alijs diuinis cultibus, pitantijs, indumentis, calceamentis, emendis, celebrandis, & habendis in eisdem, necnon annuis censibus*

ſibus redimendis, ad quorũ ſolutionem aliquæ domus, prædiaque cum hortis & alijs locis Ordinis eiuſdem obligatæ noſcuntur, per Chriſti fideles eleemoſyna pietatis intuitu, ſiue in funeralibus oblationibus, ſepulturis, vltimis voluntatibus, legatis, aut alias quoquomodo etiam abſolute largiantur, nulli canonicam portionem aliquam teneantur exhibere, aut ad id valeant coarctari, & neque ab eis vel vltimarum voluntatum exequutoribus ſeu decedentium heredibus, de præmiſſis bonis aliquid extorquere vel exigere præſumant, diſtrictè inhibuit, non obſtante conſtitutione in Concilio Viennenſi edita, quæ incipit, Dudum, & alijs conſtitutionibus & ordinationibus, &c. Circa prædictam conceſſionem dicit priuilegiorũ Collector, quod eſt melior & copioſior quam ſit alia pro iſta materia in omnibus alijs priuilegijs Fratrum Mendicantium quia concedit quod non teneantur Fratres ſoluere quartam, vel canonicam portionem de omnibus in alijs conceſſionibus contentis, ſed neque etiam de funeralibus oblationibus, nec de ijs, quæ eis abſolute quomodocunque legantur vel largiuntur, non obſtante Clement. *dudum*, de ſepulturis, & alijs quibuſcumque in contrarium facientibus, & cum decreto irritante quod ponitur in fine dictæ Bullæ. Quæ quamuis directe conceſſa ſit tantum pro prædictis Fratribus Carmelitanis, ipſa tamen perfruuntur, potirique poſſunt (vt iam pluries dictum eſt) omnes Ordines & Religiones, priuilegium habentes communicationis, quæ & virtute ipſius pro illo tempore exemptæ fuerunt (vt creditur) à prædictæ quartæ ſeu portionis canonicæ ſolutione. Sed procedamus ad alia tempora, & ſit quinta concluſio.

Quinta Concluſio.

Quid ſtatuerit Sixt. IIII. circa canonicam portionẽ.

SIxtus Quartus qui præfuit Eccleſiæ circa annum 1461. in quadam ſua Bulla, quæ incipit, *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ*, quæ dicitur communiter mare magnum Ordinis Minorum, & habetur in Monumentis 1. impreſ. fol. 60 & 2. fol. 143. conceſſ. 346. & refertur in Compendio verbo vbi ſupra, §. 6. inter alia quam plurima quæ ibidem conceſſit, *ſtatuit & confirmauit & declarauit quod canonica portio ſeu inſtitia Eccleſiarum Parochialium, habet locum dumtaxat eo caſu, quo apud loca Fratrum Minorum corpora defunctorum ſepeliuntur. Sed ſi non apud eos ſed apud alios etiam Mendicantium Ordinum profeſſores, corpora ipſa contigerit ſepeliri, tunc ex ijs quæ ad Fratres prædictos apud quos talia corpora non ſepeliantur, de bonis defunctorum quomodolibet obuenient, quouis particulari vel vniuerſali titulo directe vel per obliquum, nullam canonicam portionem dare teneantur, nec ſimiliter aliqua portio debeatur, de ijs quæ ad certos vſus & determinatos eiſdem Fratribus, vel eorum domibus, in genere vel in ſpecie, etiam de bonis eorum quorum cadauera apud eos contigerit ſepeliri, neque etiam in caſibus in quibus per ſupradictã Clementis IIII. & aliorum prædeceſſorum ſuorum ſpeciali priuilegio, Fratres ipſi ab huiuſmodi ſolutione quartæ ſunt exempti, nec in aliquo caſu de candelis quæ ad altaria Fratribus dantur, quarta aliqua quomodolibet debeatur in reliquis vero caſibus, quam in præmiſſis, in quibus quarta huiuſmodi ſoluenda venirent, voluit vt conuentiones ſi quæ ſunt inter Fratres prædictos & locorum Ordinarios, ac Eccleſiarum Rectores initæ laudabiles & honeſtæ in poſterum obſeruentur. Et inſuper addidit quod ſi forte per ipſum Sixtum vel ſedem Apoſtolicam, de pie legatis & diſpoſitis, & relictis, in genere vel in ſpecie, decima vel alia portio ſeu quota alterius piæ vel non piæ cauſæ, ex quauis cauſa hactenus conceſſa foret, aut in poſterum concedi & ſolui aut dari & mandari contigerit, Fratres prædictos & illorum domos, ac eis legata & relicta, aut alia in eorum fauorem diſpoſita, in conceſſione & mãdatis huiuſmodi decreuit & voluit nõ includi, niſi de ipſis & præſenti decreto ac voluntate (non per generales clauſulas quæ etiam ſpecialem mentionem importare viderentur) ſed vera & ſpecifica mentio fiat eiſdem.*

Idem Sixtus Quartus in mari magno Ordinis Fratrum Prædicatorum quod incipit, *Regimini vniuerſalis*. Et habetur in Monumentis Ordinis 2. impreſ. fol. 238. conceſſ. 566. & refertur in Compendio vbi ſupra, §. 7. & 8. *Confirmauit conceſſionem Greg. XI. qui exemit eoſdem Fratres à Canonica portione quaſi totaliter, quia ſolum de funeralibus non exemit illos explicite, bene tamen implicite*, & addit *quod non ſolum de ijs, quæ pro ornamentis legantur, & alijs vt ſupradictum eſt, non teneãtur ſoluere aliquam portionem canonicam, ſed nec etiam de illis quæ abſolute leguntur in teſtamentis vel alias pro Fratrum neceſſitatibus conferuntur*, &c. quam conceſſionem priuilegiorum Collector dicit, quod eſt valde notabilis, quia omnes aliæ cõceſſiones de hac materia loquentes concedant exemptionem tolum modo de ijs quæ ad certos vſus, vt puta pro fabrica, &c. legabantur, ſed in hac conceſſione datur exemptio tam ab ijs quæ ad certos vſus, quam ab alijs quæ abſolute & ſine ſpecificatione legari contigerit.

Idem Sixtus Quartus in mari magno Carmelitanorum, *inſeruit & confirmauit ſupraſcriptam Bullam Nicolai V. in qua latiſſime & copioſiſſime exemit illos à ſolutione cuiuſcumque canonicæ portionis*, vt habetur in Monument. Ordinis. 1. impreſ. fol. 98. & 2. fol 181. conceſſ. 436. & refertur in Compendio, vbi ſupra §. 9.

Sexta Concluſio.

Quid determinauerit Alex. VI.

Poſtmodũ vero Alexander Sextus qui præfuit Eccleſiæ circa annum 1492. in quadã ſua Bulla quæ incipit, *ſacræ Religionis*, data Romæ apud ſanctum Petrũ ſub annulo piſcatoris, die 5. Februarij, 1501. Pontificatus ſui anno 9 & habetur in Monument. Ordinis. 1. impreſ. fol. 67. & 2. fol. 156. conceſſ. 378. & refertur in Compendio verbo *Canonica portio*, §. 10. *Omnia priuilegia conceſſa Ordinibus Mendicantium, conceſſit Fratribus Minoribus Regularis obſeruantiæ, ac ſi eis, ſpecialiter eſſent conceſſa, etiam quoad exemptionem à ſolutione quartæ locorum Ordinarijs & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitæ, à qua eos pro potiori cautela exemit.* Quæ quidem eſt magna conceſſio, multumque notanda, alias niſi ſtetiſſet reuocata.

Septima Concluſio.

Quid circa hoc determinauerit Iul. II.

IVlius Secundus qui præfuit Eccleſiæ circa annum 1503. in quadam ſua Bulla quæ incipit, *Sacræ Religionis*, data Romæ apud ſanctum Petrũ, ſub annulo piſcatoris die 6. Nouembris 1511. Pontificatus ſui anno 8. quæ habetur in Supplem. fol. 12. conceſſ. 49. & refertur in Compendio vbi ſupra §. 12. *Communicauit Fratribus Minoribus Obſeruantiæ, omnia priuilegia aliorum Ordinum Mendicantium: illaque de nouo*

nouo conceſsit, & exemit eos expreſſe a ſolutione quartæ, prout latius ibidem continetur.

Idem ſupradictus Iulius II. quadam alia ſua Bulla quæ incipit *Dum ad Sacrum Ordinem.* & habetur in ſupplemento prædicto fol. 11. conceſſ. 38. & refertur in compendio vbi ſupra §. 11. *Conceſsit Fratribus Ordinis Minimorũ, vt de hortis & virgultis & alijs quibuſcumque bonis eiuſdem Ordinis Domibus, & earum Eccleſijs huiuſmodi, pro tempore relictis & legatis, ac ſuper luminaribus & alijs rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas aut oblationes aliquas (etiam ex noualibus) aut quartam ex funeralibus, ſoluere minime teneantur, nec ad id a quoquam cuiuſuis dignitatis aut nobilitatis exiſtat, valeant quomodolibet coarctari.*

Octaua Concluſio.

Quid circa prædictam quartã funeralem, determinauerit Leo X.

LEo Decimus qui præfuit Eccleſiæ circa annũ 1513. *Motu proprio & ex certa ſcientia, litteras prædictas Iulij I. & in eis contenta quæcumque, approbauit, innouauit & confirmauit, ac plenum firmitatis robur obtinere decreuit, & pro potiori cautela præmiſſa omnia de nouo conceſsit & indulſit, ſuper quibus dedit conſeruatores, apponendo magnas non obſtantias,* prout habetur in quadam ſua Bulla, quæ incipit, *Affectu benevolentiæ ſpecialis,* data Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 16. Februarij 1514. Pontificatus ſui anno 1. quæ & refertur in ſupplemento fol 17. conceſſ. 57. & in Compendio vbi ſupra §. 13. Quam quidem materiam canonicæ portionis reſoluendo, dicit priuilegiorum Collector, quod Fratres non tenentur aliquid dare, de quibuslibet rebus eis oblatis vel relictis, niſi inter eos & clericos aliqua pacta vel conuentiones fuerint factæ, atſi fuerint factæ ſeruandæ ſunt, ſi ſcriptæ & authenticæ habeantur.

Nota hoc valde.

Vltra omnia ſupradicta dicit eſſe ſciendũ, quod ſuper huiuſmodi materia quartæ funeralis fuit olim ventilata cauſa in Rota Romanæ Curiæ, inter Epiſcopum & Capitulum Eccleſiæ çamorenſis ex vna parte, & Fratres Minores obſeruantiæ Conuentus ſancti Franciſci çamorenſis ex alia, & fuit lata ſententia diffinitiua, & exhibita ſunt exequtorialia in fauorem prædictorum, Fratrum, prout habetur ad longum in Monumento Ordinis 2. impreſ. fol. 77. & refertur in compendio, vbi ſupra §. 13. in fine & dicit dictus Collector, quod licet ſecundum iura res inter alios acta alijs nocere non debeat, ſecus tamen eſt in propoſito caſu, quia vi tute præfatæ ſententiæ, quilibet Conuentus Fratrũ eſt liberatus a ſolutione quartæ, prout quidam inſignis iuriſperitus aſſeruit, cuius ratio eſt quia in audientia Papæ ſeu in Rota, eiuſmodi ſententia fuit data. Priuilegia ſupradicta ſunt quæ reperiuntur in Monum. Ordinis pro Fratribus Mendicantibus conceſſa & ita vt prædictum eſt res ſe habuit, à ſacræ noſtræ Religionis initio vſque ad Concilium Tridentinum, quod fuit inceptum ſub Paulo Tertio Pont. Max. anno Domini 1542. expeditum autẽ ſub Pio Quarto, anno Domini 1563. ſupereſt Nunc dicamus, quid prædictum Concilium circa dictam canonicam portionem ſtatuerit, atque de nouo ordinauerit, de quo in ſequenti Articulo.

ARTICVLVS VII.

Quidnam circa prædictam portionem Canonicam, Concilium Tridentinum ſeruandum ſtatuerit & ordinauerit?

Concluſio.

Monaſteria quæ ante annos 40. portionem canonicã ſolita fuerint perſoluere, etiam nunc illam tenentur ſoluere nõ vero alia, nec quæ poſt Concilium fuerint ædificata aut ædificabuntur in dies.

VXta Concilij Tridentini decretum, Monaſteria quæ ante annos 40. portionem canonicam ſolita erant perſoluere, etiam nunc illam ſoluere tenentur, non vero alia nec quæ de nouo poſt dictum Concilium Tridentinum, 40. annis citra fuerint ædificata aut ædificabuntur in dies. Hæc concluſio conſtat expreſſe ex verbis ſupradicti Concilij Tridentini Seſſio. 25. *de Regul.* cap. 3, vbi agendo de prædicta funeralium quarta, ſequentia ponuntur verba, *Decernit ſancta Synodus, quibuſcumque in locis iã ante annos 40. quarta quæ funeralium dicitur Cathedrali aut Parrochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſtea fuerit ex quocumque priuilegio alijs Monaſterijs, hoſpitalibus, aut quibuscumque locis pijs conceſſa, eadem poſt hac integro iure, & eadem portione quæ ante ſolebat, Cathedrali ſeu Parochiali Eccleſiæ perſoluatur, non obſtantibus conceſsionibus, gratijs, priuilegijs, etiam mari magno nuncupatis, aut alijs quibuſcumque.* Ex quo prædicto Concilij Tridentini decreto conſtat veritas Concluſionis ſupradictæ, & quod iuxta ipſum Monaſteria quæ nõ ſolum à 40. annis citra, verum etiam nec à tempore immemoriali aliquam portionem ſoluere fuerint ſolita, ad eamdem ſoluendam, nullo nunc modo tenentur, nec quoad ea aliqua fuerunt reuocata priuilegia. Quod expreſſe declarauit Pius V. anno Domini 1567. 17. kalendas Iulij Pontificatus ſui anno 2. in ſua Bulla ſiue Motuproprio, qui incipit, *Etſi Mendicantium,* quo cõfirmauit ac de nouo conceſſit omnia Ordinum Mendicantium priuilegia, vbi hac de re agens ſequentia poſuit verba. *Quartam autem funeralium, de qua ſeſſ. 25. cap. 13. nequaquam ſoluere teneantur Monaſteria, quæ a 40. annis citra fundata exiſtunt, poſtquam Concilium ipſum loquitur tantum de Monaſterijs ante annos 40 fundatis, quæ ipſam quartam ſoluere conſueuerunt.* Et ad particularia deſcẽdendo, ponit de quibus rebus eiuſmodi quarta ſit ſoluenda, & dicit, *vbi autem ſolui conſueuit, id tantum cereæ & aliorum quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de miſsis ſeu legatis vel alijs, Fratribus ipſis ſeu Monialibus huiuſmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis ſolui debet, ſicque intelligi Concilij decretum quoad quartam huiuſmodi ſoluendam debere decernimus, vbi vero nõ eſt conſuetudo ſoluendi quartam huiuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolui debere declaramus.* Hæc vbi ſupra. Quæ Pij V. Conſtitutio, quantum ad hoc non eſt reuocata per aliam conſtitutionem quam edidit eiuſdẽ ſucceſſor Greg. XIII. quæ incipit, *In tanta negotiorũ mole,* data Romæ Pontificatus ſui anno 1. Cuius meminit Nauarrus in ſuo Manual. cap. 27. in fine, vbi reuocauit, & ad terminos iuris communis reduxit, omnia priuilegia quæ Regularibus conceſſerat, ſu-

Nota hoc valde de proſolione quartæ funeralis.

ſupradictus Pius V. contra formam Conc. Trid. nã quãuis reuocauerit priuileg. cõtra formã Con. Triden. conceſſa prædictis Regularibus, non tamẽ reuocauit aut annullauit explicationes ab eodem factas circa dictum Concilium, etiam in fauorem Regularium, qualis eſt iſta, quæ non tam eſt dicenda conceſſio, quam dicti Concilij vera & genuina declaratio, facta à tam ſancto pio atque ſapientiſſimo viro, & Pontifice maximo. Vtque circa hoc omnis tollatur dubitandi ratio, & manifeſte conſtet quod ea, non vero alia fuerit mens & intentio eiuſdem Concilij, libet in præſentiarum adducere declarationem quandam, quam circa eandẽ rem fecerunt Illuſtriſſimi olim Cardinales, quibus cõmiſſa cura fuit explicandi & declarandi prædictũ Concilium, qui circa Monaſteria ædificata à 40. annis citra, aut quæ in dies ædificantur vel in futurũ ædificabuntur, poſt alia in ſequentia verba proruperunt, *Congregatio Concilij cenſuit, non comprehendi in prædicto decreto, Monaſteria ædificata à 40. annis citra, aut quæ in dies ædificantur vel in futurum ædificabũtur præſuppoſito quod huiuſmodi Monaſteria ſint eius Religionis, cui à ſede Apoſtolica indultum ſit, vt quartam funeralem non debeant ſoluere Epiſcopo.* Supradicta declaratio habetur authentica, ſigno & ſigillo illuſtr. olim Card. Garrafæ, & fuit auctorizata vt fidem faceret in iudicio & extra iudicium, per Doctorẽ Chriſtophorum de Meſa, S. Cordub. Eccleſiæ olim Canonicũ, & illius Epiſcopatus Vicarium generalem, Cordubæ 4. die Iulij, anno Domini 1592. ad inſtantiam F. Ildephonſi de Aluarado Procuratoris noſtri Ordinis S. Franciſci, per quam exempta fuere à ſolutione dictæ quartæ funeralis, omnia noſtræ Hiſpaniæ Monaſteria, ædificata, & fundata à 40. annis citra. Et Pater Ildephonſus à Veracruce in ſuo Cõpendio, dicit idipſum fuiſſe factum cum omnibus Monaſterijs de nouo fundatis apud Indos nouæ Hiſpaniæ, & quod cum controuerſia exorta fuiſſet olim, inter Fratres & quendam Epiſcopum de Guatimala, per Archiepiſcopum Mexicanum, ſententia exequutorialis fuit data, in fauorem prædictorum Fratrum, vt non ſoluerent dictam quartam. Fuit autem ſupradicti Concilij Triden. decretum, quam maxime iuridicum atque rationi conſonum, vt ſcilicet non ſoluerent ſupradictam quartã, Monaſteria quæ fuerunt ædificata & fundata à 40. annis citra, ſiue illam per aliquod temporis ſoluerẽt ſiue non, cum contra ipſa nondum fuerit conſuetudine præſcriptum, vt illam ſoluerent. Nõ enim vt ſupra diximus, præſcribitur contra Eccleſiam aut contra Monaſterium, niſi per annos ad minus 40. vt tenet Panorm. communiter receptus in cap. fin. *de conſuetudine.* num. 9. Et Propter eandem rationem dico, quod Monaſteria quæ fuerunt fundata ante annos 40. & illam ſoluebant, tenentur modo eandem ſoluere, cùm fuerit præſcriptum contra ipſa, neque eximuntur à Concilio. At vero illa quæ talem non habebant conſuetudinem, non tenentur quartam ſoluere, cum non in hoc habeant præſcriptionem, nec voluerit Conc. tollere alicui iuſtus præſcriptum, quæ omnia ſunt quãmaxime notãda atque memoriæ cõmendãda & pro iſto art. dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VIII.

De quibus rebus poſt Concilium Tridẽtinũ, ſoluenda ſit canonica portio?

Concluſio.

Qui portionẽ canonicãtenẽtur ſoluerenõ de omnibus tenentur illam ſoluere, ſed ſolummodo de ijs quæ allata ſunt cum corpore defuncti.

QVi canonicam portionem tenẽtur ſoluere, non illam tenentur ſoluere de omnibus ſibi relictis, ſed tantummodo de ijs, quæ allata ſunt cum corpore defuncti. Hæc concluſio habetur expreſſa in ſupradicto Motuproprio, ſiue Bulla Pij V. *Etſi Mẽdicantium*, de qua dictum eſt in præcedenti articulo & quod nõ eſt reuocatum hoc per Gregor. XIII. quia huius reſpectu non eſt priuilegium, conceſſum contra Cõciliũ Trid. ſed vera explicatio & declaratio eiuſdem. In qua dicta Bulla ad hoc propoſitum, poſt alia ſequentia ponuntur verba. *Vbi autem ſolai conſueuit* (& fit ſermo de portione canonica, ſiue quarta funerali) *id tantum cereæ & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de miſsis ſeu legatis vel alijs, Fratribus ipſis ſeu Monialibus huiuſmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis ſolui debet, ſicq; intelligi Concilij decretum, quoad quartam huiuſmodi ſoluẽdam debere decernimus. Vbi vero non eſt conſuetudo ſoluẽdi quartam huiuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolui debere declaramus, nec ad quartam ſeu aliam partem omnium rerum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum quæ dictis Eccleſijs relinqui vel dari contigerit, etiamſi pro victu Fratrum aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneãtur, ac etiam Ius ſepulturæ ſolui tantum conſuetum cenſeatur, & non aliquid aliud eis ſolui debeat, quamuis partes ad earũ libitum Eccleſijs Ordinum huiuſmodi ſeu eorum Fratribus, alia quæcumque tribuant ſeu eleemoſynas largiantur, quãdo ſepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiuſmodi, nec propterea impedire debeant, quin poſſint defunctorum corpora præfata ad eorum Eccleſias tumulanda deferri facere.* Hæc vbi ſupra, vbi ponitur expreſſe Concilij decretum, & ſtatim dicitur qualiter ipſum ſit intelligendum & interpretandum. Ex quibus verbis ſuperque factis colligitur veritas concluſionis ſupra dictæ, qualiter non debeatur aliqua canonica portio ſiue quarta, de miſſis & candelis, vel alias quomodolibet oblatis, ſed tantummodo de ijs, quæ cũ corpore defunctorum in Eccleſiam deferri contigerit, nempe de pane, vino, carnibus, &c. Et præterconſtitutionem ſeu potius Pij V. circa Conc. Tridentin, explicationem & declarationem prædictam, facit pro noſtra concluſione, quod dixit olim Cardinalis, in Clement. *dudum de ſepulturis*, §. *verum*, nempe cõſuetudine eſſe iam introductum, moribuſque obtentum, vt Eccleſiæ parochiali quarta portio à Monachis ſoluatur, ex iis tantum quæ offeruntur, eo tẽpore quo funus aut exequiæ defuncti celebrantur. Qua de re videatur etiam Couarr. in cap. *vltimo, de teſtam.* num. 9. & 7. vbi ad hoc propoſitum dicit plura eaque notatu digniſſima, Et Abbas in cap. *in cauſis, de elect.* col. 3. aſſerit cõſuetudine etiã eſſe receptum, quod quando aliquis

quis in aliena parochia ſepelitur, Eccleſiæ ſepulturæ non teneatur ſoluere quartam, de oblationibus factis poſt diem ſepulturæ, ſed ſolummodo de ijs quæ in die ſepulturæ fiunt. Quod quidem non eſt derogatum, quin vero vt videtur expreſſe approbatum per Concilium Tridentinum prædictũ, ſeſſion. 25. cap. 13. *de regularibus*. Nam hac ratione ibidem ſecundum multos, prædicta canonica portio quarta funeralium dicitur, quaſi innuendo & ſignificando eiuſmodi verbis, quod ſolummodo ſolui debet de his quæ offeruntur in die funeris. Quæ quidẽ de re videantur quæ nũc nouiſſime dicit Molina in ſua 2. 2. tit. 2. diſputation. 215. quæ pro iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IX.

A quibuſnam & quibus, poſt Concilium Tridentinum debeatur ſupradicta canonica portio?

Prima Concluſio.

Canonica portio de iure cõmuni loquendo, debetur ab Eccleſijs vbi aliquis ſepelitur, vel ad quam conuertendo ſe trãſfert ſeu alio modo, non vero ab alijs Eccleſijs ſeu perſonis.

RAdicta canonica portio de iure cõmuni loquendo, debetur ab Eccleſijs vbi aliquis ſepelitur, vel ad quam quis tranſit ſe conuertendo ſeu alio modo, non vero ab alijs Eccleſijs vel perſonis, nec huiuſmodi Ius immutatum eſt per Concilium Trid. quin vero confirmatum, vbi non fuerit in contrarium præſcripta conſuetudo. Hæc concluſio quo ad ſecundam partem ſatis conſtat ex ſupradictis in artic. 7. quoad primam vero eſt expreſſa Sylueſtri, verb. *canonica portio*. num. 7. queſt. 9. vbi hoc dicit eſſe verũ, etiamſi Eccleſiæ alias ſint exemptæ, nã quoad hoc non ſunt exemptæ ſecundum Inno. in cap. *relatum*, & in cap. *in noſtra de ſepul.* & in cap. *requiſiſti de teſt.* niſi (vt prædictum eſt) habeãt priuilegium. Sed circa reſolutionem prædictam, nonnullæ ſeſe offerunt difficultates, quas libet breuiter in præſentiarum diſcutere. Prima eſt, ad quam Eccleſiam pertineat canonica portio, quando quis tempore peſtis ſeu belli, aufugit à ſua ciuitate, vel villa animo redeundi ſi ibidem moritur, aut tranſtulit ſe ad certum aliũ locum recreationis ſeu alia cauſa, an pertineat ad parœciam, intra quam moritur, an vero ad cauſan parochialem Eccleſiam, cuius erat vicinus & inhabitator? Cui difficultati reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Secunda Concluſio.

Cui debeatur quarta, quãdo quis tẽpore peſtis vel alia occaſione, ad alium locũ ſe transfert, ſi ibidẽ moritur

SI quis tempore peſtis aut belli, de ſua ciuitate aut villa ad alium locum ſe transfert, recreationis gratia aut alia quacumque de cauſa, ibique manens & inhabitans animo redeundi à vita diſcedat, non Eccleſia aut parœcia intra quã mortuus eſt habebit quartam, ſed illa Eccleſia ciuitatis aut villæ intra quam ſuum habebat domicilium, & cuius erat vicinus & inhabitator. Hanc concluſionem tenet expreſſe Ioannes Andreas & pro ea allegat, capit. *is qui de ſepulturis*, libro ſexto & idem tenet Antonius de Butrio, in quadam quæſtione quam hac de re facit, dicens quod ſi tempore peſtis, ciues Florentini, ſe Bononiam tranſferant, & ibi habitantes finaliter moriantur, Eccleſia quæ eſt Florentiæ habebit quartam funeralium, quia illa eſt ſua Parochialis, ex quo habebant propoſitum redeundi finita mortalitate. Et addit quod id ita de facto fuit determinatum Bononiæ, Qua de re videatur Abb. in cap. *de ijs, de ſep.* vbi de hac quæſtione latiſſime agit, quatuor conſtituendo caſus, in quibus eſt dicendum id ipſum, quos breuitatis cauſa omitto: & quia videri poterunt ibidem. Sed iterum inſurgit difficultas circa illa verba in concluſione poſita, *ad quam Eccleſiam quis conuertendo ſe transfert ſeu alio modo*. An nouitio aliquo in Monaſterio exempto decedente, quarta ſine canonica portio debeatur parochiæ illius cuius antea erat vicinus & inhabitator; Cui quidem difficultati, per ſequentem concluſionem reſpondeo, & erit tertia in ordine.

Tertia Concluſio.

Nouitio inalio quo Cõuentu decedente, an de illo ſuæ parochiali debeatur canonica portio.

SI quis in ægritudine de qua decedit, ſe & ſua Monaſterio alicui offert, Eccleſia parochialis habebit inde portionem canonicam, ſecus eſt aurẽ ſi ſe obtulerit habitũque aſſumpſerit, dum erat ſanus: nam tunc nulla Eccleſiæ parochiali debetur canonica portio. Hæc concluſio habetur expreſſa *in cap. de ijs, de ſepult.* vbi Alexander III. Epiſcopo Hiſpalenſi ſcribens, in ſequentia verba prorupit. *De ijs qui in infirmitate vel ſanitate, cum bonis ſuis ad religioſa loca ſe transferunt, nihil tibi vel Eccleſijs a quibus receperunt ſalutis pabula relinquentes, hoc inæ volumus prudentiæ innoteſcere, quod ſi in ægritudine ipſa ad Religionem tranſeant, dummodo ægritudine illa decedant, de bonis ſuis ipſis Eccleſijs a quibus aſſumpti fuerint, canonica debet portio exhiberi. Si vero ad religioſa loca ſe in ſanitate tranſtulerint, de ijs quæ locis ipſis conferunt, cogi non poſſunt aliquid præſcriptis Eccleſijs impertiri, quia liberum eſt eis tunc bona ſua, non ſolum Religioſis, ſed etiam quibuſlibet priuatis perſonis conferre*. Verba ſunt expreſſa prædicti Alexandri III. Ex quibus ſuperque ſatis conſtat, quod ſi quis ſanus in aliquod Monaſterium ſe transferat, ibique intra annum Nouitiatus diſcedat quod in Conuentu vt religioſus debet ſepeliri, quamuis non expreſſe elegerit ſepulturam, non obſtante, capite. 1. *de ſepulturis*, nec quarta aliqua funeralis debetur Eccleſiæ cuius erat parochianus, vt tenẽt omnes Doctores communiter, quidquid dicat Dominicus in capite *cum quis*, eodem titul. *de ſepulturis*. lib. 6. Et ratio quidẽ ipſa huic reſolutioni fauet, nam licet ſtatus Nouitij, non ſit ſtatus Religioſi iam effecti perfecte atque conſumate, nihilominus ſecundum ius, prædicti Nouitij in multis exiſtimantur & reputantur ac ſi re vera iam eſſent Religioſi: gaudent enim priuilegio Canonis *Si quis ſuadente diabolo*, 17. q. 4. & potiuntur atque fruuntur omnibus gratijs & indulgentijs à Sede Apoſtolica cæteris profeſſis in literis Apoſtolicis conceſſis. Et facit præterea ad hoc l. *vnica. ff. de bonis poſſe. ex teſtament. milit.* vbi ius non ſolum concedit facultatem teſtandi iure militari, militibus iam conſumatis atque perfectis, verumetiam & illis qui milites nondũ ſunt, dum tamẽ militiæ ſint adſcripti, militũ labores, &

Nouitij Religionũ gaudẽt omnibus Religioſorũ priuilegijs.

pericula ſupportantes. Qua etiam ratione prædictis Nouitijs iure conceditur, vt in Monaſterijs in quibus ſunt, interdicti tempore & ceſſationis, à diuinis, ſepeliantur cum eadem ſolemnitate qua & profeſſi. Vnd & dicendum eſt firmiter, quod pro ipſis decedentibus intra Monaſterium, dummodo in ſanitate Religionis habitum aſſumpſerint, nulla debetur quarta parochialibus Eccleſijs, quin vero neque etiamſi extra Monaſterium moriantur intra dictum Nouitiatus annum in domo ſuorum parentum, dummodo id ſit cum habitu & de Prælatorum ſuorum licentia vt curentur, nam etiam tunc ſi ibidem diſcedant in Conuentu debent ſepeliri, neque de bonis quæ legauerint, vlla debetur quarta ſiue canonica portio Eccleſiæ ſuæ parochiali per ſupradicta. De Conuerſis autem tradit Hoſtienſis, quod nullus alicui Religioſo loco acceptus, liberatur à ſolutione quartæ, ſi extra parochiam eligat ſepulturam, niſi oblatis ipſi loco omnibus ſuis bonis, ſolummodo aliquid ſibi ad victum retineat, quod probat per capit. *cum & plãtare, de priuilegijs*, quia ij ſolummodo non vero alij, ſunt exempti à iuriſdictione Epiſcopali. Sed alia inſurgit difficultas in caſu quo aliquis, cuius maiores ab antiquo in Eccleſia aliqua ſolebant ſepeliri, & ea dimiſſa in aliam ſibi eligit ſepulturam, vtrum aliqua portio canonica debeatur Eccleſiæ dimiſſæ? Cui quidem difficultati, reſpondeo per ſequentem cõcluſionem.

Quarta Concluſio.

Eccleſiædimiſſæ in caſu propoſito, nulla debetur canonica portio.

ECcleſiæ dimiſſæ in caſu præſuppoſito, nulla omnino debetur canonica portio, ſed potius illi Eccleſiæ, in qua conſueuit audire diuina & recipere ſacramenta. Hæc concluſio habetur expreſſa, in capit. *cum quis, de ſepulturis, lib. 6.* quod eſt Bonifacij VIII. vbi ad hoc propoſitũ ſequentia ponũtur verba. *Cum quis cuius maiores ab antiquo, ſoliti ſunt in Eccleſia aliqua ſepeliri, ea dimiſſa, alibi eligit ſepulturam, canonica portio dimiſſa non debetur Eccleſiæ, ſed illi dumtaxat in qua ille officia conſueuit audire diuina & Eccleſiaſtica recipere ſacramẽta* Et addit, quod ille qui duo habet domicilia, æqualiter ſe collocans in vtroque cum in loco tertio eligitur ſepultura, domiciliorum Eccleſiæ habebunt inter ſe diuidere canonicam portionem. Qua de re videatur Syluester verbo, *canonica portio*, num. 8. in fine, & num. 10. & 11. per totũ. Sed quid ſi in vna parochia ſolet audire diuina, & in alia recipere ſacramẽta? quidam dicunt quod tunc canonica portio debebitur ei vbi conſueuit recipere ſacramenta, argumento deducto ex cap. 1. *de ſepulturis*, ſed verior ſententia eſt quam tradit Innocentius, in cap. *de ijs*, eod. tit. *de ſepult.* quod fiat diuiſio ad ſenſum ſupradictum. Et idem eſt dicendum, etiam ſi vna ſit capella in qua quis audire conſueuit diuina, altera vero Eccleſia in qua recipit ſacramenta, vt tenet Panor. ibidem, quod quidem eſt valde notandum atque memoriæ commendandum, pro Regibus & Ducibus, alijsque perſonis, quæ per totum anni curriculum in diuerſis Eccleſijs audiunt diuina, percipiũtq; ſacramenta, quaſi duo vel plura habentes domicilia in quibus pariter ſe collocabant, dico quod in alio tertio loco eligant ſepulturam, in tali caſu domiciliorum Eccleſiæ quartam funeralium diuident inter ſe æqualiter, de quibus videatur Syluester vbi ſupra. Et hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota volde.

Nota valde.

ARTICVLVS X.

Vtrum quando quis interdicti tempore, eligit ſepulturam in aliquo Monaſterio exempto, priuilegium habens, vt ibidem ſepeliri poſsit, debeatur portio canonica Eccleſiæ parochiali?

MAgna ratio dubitandi eſt, nam quarta ſiue canonica portio debetur Eccleſiæ parochiali, ratione iniuriæ, quæ ſibi fit ſeu fieri videtur, ex eo quod quiſpiam in alio loco ſepelitur, & priuatur prouentibus ex eiuſmodi funere prouentibus, iuxta cap. *certificari de ſepul.* qua quidẽ ratione ibidem prædicta quarta ſiue canonica portio, iuſtitia nuncupatur illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur, & à quibus dum defuncti viuebant, Eccleſiaſtica percipiebant ſacramenta: ſed in propoſito caſu, tempore interdicti prædicti nulla Eccleſiæ parochiali, vt videtur irrogatur, iniuria, ſiquidem ibidem defuncti prædicti non poterant ſepeliri: ergo intentum propter hanc rationem & cauſam, non defuerunt aliqui qui dixerunt, quod quando interdicti tempore aliquis de facto in Eccleſia Religioſorum ſepelitur cõtra ipſorum voluntatem, quamuis multa afferantur nulla omnino quarta debetur. Quam ſentẽtiam tenet Federicus conſ. 119. & Geminianus, in cap. 1. *de ſepulturis*, lib. 6. imo vero addunt, quod quamuis prædicti Fratres ſponte aliquem tali tempore ſepelirent, licet teneantur tanquam violatores interdicti, ad pœnam cõtra eiuſmodi violatores propoſitam, in caſu quo non habent priuilegium, nulla tamen quarta debetur, quia quarta ſolummodo debetur, quando mortui ſepeliuntur in caſu à iure permiſſo & conceſſo, ſecus eſt autem quando ſepeliuntur in caſu prohibito. Sed ijs nihilominus non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſit prima concluſio.

Prima Concluſio.

Canonic. portio debetur Eccleſiæ parochiali: etiamſi defunctus in aliqua Religioſorum Monaſterio interdicti tempore ſepeliatur ex priuilegio.

CErtiſſimum eſſe credo, quod quando interdicti tempore Religioſi virtute ſuorum priuilegiorum, defunctum aliquem in ſuis Monaſterijs ſepeliunt, niſi aliud obſtet quarta ſiue canonica portio Eccleſiæ parochiali debetur. Et pono exemplum, vt ſi ſepeliatur Sindicus Minorum Fratrum, qui Sindicus priuilegium habet ſepeliri, vt poſſit interdicti tempore, in aliquo noſtro Conuentu, ſeu quiſpiam alius auctoritate Ordinarij, concedentis vt pro tunc interdictum ſuſpendatur. Et ratio concluſionis eſt, nam cum eiuſmodi ſepeliantur in caſu à iure præmiſſo, aut ſaltem conceſſo ex priuilegio, nulla eſſe videtur ratio, ob quã (niſi aliud

aliud obſtet, vt dixi) parochialis Eccleſia ſuo priuetur iure, & ſua iuſtitia, vt habetur in dict. cap. *certificari*. Neque huic reſolutioni obſtat id quod dicitur. nempe quod defuncti prædicti ſepeliri ibidē non poterāt interdicti tēpore: nam hoc parum refert, quia quarta ſiue portio prædicta, non ſolum hac ratione debetur, verumetiam ex eo quia ipſi dum viuebant, actu à prædictis Eccleſijs recipiebant Eccleſiaſtica Sacramenta, & præterea in eiuſmodi caſu auctoritate Ordinarij etiam ſuſpendi poſſet interdictū, vt defunctus in propria ipſius Eccleſia ſiue Parochia ſepeliretur. Qua quidem ratione, alleberanter dico quod quando in Religioſorum Monaſterijs, virtute ſuorum priuilegiorum aut de licentia Ordinarij aliqui ſepeliuntur defuncti, quarta ſine canonica portio ſine dubio Eccleſiæ parochiali debetur, & ita cōſuetudo obtinuit ſeruaturque in cōmuni praxi, niſi aliud obſtet aut prædicta Monaſteria ſint ex illis, in quibus quarta ſiue canonica portio nulli debeatur, de quibus diximus ſupra in Art. 7.

Secunda Concluſio.

In quo caſu portio canonica, parochiali Eccleſiæ non debeatur.

QVando parochialis Eccleſia ſpecialiter fuerit interdicta ex ſua culpa non vero defuncti; probabile eſt quod in tali caſu non habebit quartam ſiue portionem canonicam, etiam ſi aliquis ſuus paroecianus in aliquo Monaſterio ſiue in alia Eccleſia ſepeliatur. Hanc Concluſionem tenet & probat Geminianus in c. 1. *de ſepulturis*, lib. 6. Et fuit etiam olim opinio Petri de Ancarrano qui hoc expreſſe tenuit, quando prædicta Eccleſia parochialis dedit cauſam interdicto, ſecus eſt autem ſi non fuit in culpa, quia in tali caſu non debet ſuo priuari iure. Quorum quidem reſolutio atque deciſio probabiliſſima mihi videtur, multumque iuri ac rationi conſona, propter rationes ſupradictas, & cū aliud nunc de nouo non occurrat dicendum, finem facio propoſito Articulo.

ARTICVLVS XI.

Vtrum valeat electio ſepulturæ in aliquo Monaſterio ſeu Eccleſia, non legando Eccleſiæ parrochiali portionem canonicam? & an in caſu quo legetur, eiuſmodi legatum in quartā funeralem Eccleſiæ parochiali debitam, debeat computari?

Prima Concluſio.

Electio ſepulturæ in aliquo facta Monaſterio, valet etiā ſi nihil legetur Eccleſiæ parochiali.

ELectio ſepulturæ factæ in aliquo Monaſterio ſiue Eccleſia, non legādo parochiali quartam funeralem bene valet, neque parochialis Eccleſia ius habebit ad demandandū corpus defuncti, ſed ſolūmodo ad petendam ſuam quartam funeralem, in caſu quo ſi bi debeatur. Hanc concluſionem tenet expreſſe Greg. Lopez in l. 5. tit. 1. par. 1. ver. *ſi no dexaſſe nada à la Yglesia parochial*, vbi dicit non videri ſibi, quod omiſſio talis legati, vitiet electionem ſepulturæ, nam iura quæ hac de re agunt, tantummodo volūt quod de relictis Eccleſiæ ſepulturæ, detur Eccleſiæ parochiali ſua canonica portio aut funeralis quarta, non vero aiunt quod defunctus expreſſo ſuo iudicio eandem relinquere teneatur, in quo ſenſu intelligenda eſt deciſio, capit. primi, *de ſepulturis*: nam non prohibetur ibi ſub anathemate quod non aliter ſepultura eligatur, ſed quod canonica portio ſoluatur. Neque obſtat capit. 2. eodem tit. *de ſepulturis*, nam licet ibi iubeatur relinqui quarta Eccleſiæ parochiali, non tamen ex eiuſmodi omiſſione annullatur electio ſepulturæ, ſed ſtatuitur vt debeatur etiam ſi non relinquatur, quod multis probat ſupradictus Gregorius Lopez vbi ſupra, affirmans hanc eſſe opinionem Abbatis, in capit. *de ijs de ſepulturis, notab. 2. per textum ibi*, & Oſtienſ. in capit. *offic. de teſtam.* & Cardin. in clement. *dudum*. §. *verum de ſepult.* quæſtion. 17. *aliorumque multorum.*

Nota hoc vale de.

Secunda Concluſio.

Quando aliū quid legatur Eccleſiæ parochiali a defūcto, probabile videtur quod computari illud habet in quartam funeralem.

PRobabiliſſimum eſt, quando defunctus aliquis alibi eligit ſepulturam, canonicam legādo portionem Eccleſiæ parochiali, quod eiuſmodi legatum computari habet in quartam funeralem alias eidem debitam. Circa veritatem præſentis concluſionis, eſt magna iis & controuerſia inter Iuriſperitos DD. nam Oſtienſ. in dict. cap. *officijs, de teſt.* & Cardin. in dict. clement. *dudum*, §. *verum, de ſepult.* quæſt. 17. & Ancarranus ibidem quæſt. 2. & Decius *in authentica præterea*, C. *vnde vi, collat.* 8. partem tenēt negatiuam, ſed contrariam nempe quod computari debeat, ſuſtinēt Antonius, Imola & Abbas, in dict. cap. *officijs*, & Federicus conſil. 3. & Alexander in dict. authent. *præterea*. quæ ſententia ſecundum Gregorium Lopez vbi ſupra eſt magis communis. Verum eſt tamen inquit, quod prima opinio probatur contra communem quadam lege particatam, & forte per illam legem eſt de iure verior, in caſu quo teſtator in legato non reliquit totam quartam Eccleſiæ parochiali, etenim ſi totam quartam reliquiſſet, nihil aliud omnino à prædicta Eccleſia parochiali peti poſſet. Videatur prædictus Gregorius Lopez vbi ſupra, vbi has duas ſententias & diuerſas opiniones conciliat, neque enim poſſum in ijs rebus amplius immorari.

ARTICVLVS XII.

Vtrū ſupradicta canonica portio renunciari poſſit, aut fieri pacta inter Clericos & Relig. circa quartā funeralē?

PAtio dubitandi eſt, nam circa hoc iura & priuilegia quæ habentur à Religioſis, aliqualiter videntur eſſe diuerſa, quinuero & contraria, nam in primis videmus, quod Bonifacius VIII. in cap. *pactis, de pactis*, libr. 6. & refertur etiam in Comp. verb. *concordia.*

pericula ſupportantes. Qua etiam ratione prædictis Nouitijs iure conceditur, vt in Monaſterijs in quibus ſunt, interdicti tempore & ceſſationis, à diuinis, ſepeliantur cum eadem ſolemnitate qua & profeſſi. Vnd & dicendum eſt firmiter, quod pro ipſis decedentibus intra Monaſterium, dummodo in ſanitate Religionis habitum aſſumpſerint, nulla debetur quarta parochialibus Eccleſijs, quin vero neque etiamſi extra Monaſterium moriantur intra dictum Nouitiatus annum in domo ſuorum parentum, dummodo id ſit cum habitu & de Prælatorum ſuorum licentia vt curentur, nam etiam tunc ſi ibidem diſcedant in Conuentu debent ſepeliri, neque de bonis quæ legauerint, vlla debetur quarta ſiue canonica portio Eccleſiæ ſuæ parochiali per ſupradicta. De Conuerſis autem tradit Hoſtienſis, quod nullius alicui Religioſo loco acceptus, liberatur à ſolutione quartæ, ſi extra parochiam eligat ſepulturam, niſi oblatis ipſi loco omnibus ſuis bonis, ſolummodo aliquid ſibi ad victum retineat, quod probat per capit. *cum & plãtare, de priuilegijs*, quia ij ſolummodo non vero alij, ſunt exempti à iuriſdictione Epiſcopali. Sed alia inſurgit difficultas in caſu quo aliquis, cuius maiores ab antiquo in Eccleſia aliqua ſolebant ſepeliri, & ea dimiſſa in aliam ſibi eligit ſepulturam, vtrum aliqua portio canonica debeatur Eccleſiæ dimiſſæ? Cui quidem difficultati, reſpondeo per ſequentem cõcluſionem.

Quarta Concluſio.

Eccleſiædimiſſæ in caſu propoſito, nulla debetur canonica portio.

ECcleſiæ dimiſſæ in caſu præſuppoſito, nullo omnino debetur canonica portio, ſed potius illi Eccleſiæ, in qua conſueuit audire diuina & recipere ſacramenta. Hæc concluſio habetur expreſſa, in capit. *cum quis, de ſepulturis, lib. 6.* quod eſt Bonifacij VIII. vbi ad hoc propoſitũ ſequentia ponũtur verba. *Cum quis cuius maiores ab antiquo, ſoliti ſunt in Eccleſia aliqua ſepeliri, ea dimiſſa, alibi eligit ſepulturam, canonica portio dimiſſa non debetur Eccleſiæ, ſed illi dumtaxat in qua ille officia conſueuit audire diuina & Eccleſiaſtica recipere ſacramẽta.* Et addit, quod ille qui duo habet domicilia, æqualiter ſe collocans in vtroque cum in loco tertio eligitur ſepultura, domiciliorum Eccleſiæ habebunt inter ſe diuidere canonicam portionem. Qua de re videatur Syluester verbo, *canonica portio*, num. 8. in fine, & num. 10. & 11. per totũ. Sed quid ſi in vna parochia ſolet audire diuina, & in alia recipere ſacramẽta? quidam dicunt quod tunc canonica portio debebitur ei vbi conſueuit recipere ſacramenta, argumento deducto ex cap. 1. *de ſepulturis*, ſed verior ſententia eſt quam tradit Innocentius, in cap. *de ijs*, eod. tit. *de ſepult.* quod fiat diuiſio ad ſenſum ſupradictum. Et idem eſt dicendum, etiam ſi vna ſit capella in qua quis audire conſueuit diuina, altera vero Eccleſia in qua recipit ſacramenta, vt tenet Panor. ibidem, quod quidem eſt valde notandum atque memoriæ commendandum, pro Regibus & Ducibus, alijsque perſonis, quæ per totum anni curriculum in diuerſis Eccleſijs audiunt diuina, percipiũtq; ſacramenta, quaſi duo vel plura habentes domicilia in quibus pariter ſe collocabant, dico quod in alio tertio loco eligant ſepulturam, in tali caſu domiciliorum Eccleſiæ quartam funeralium diuident inter ſe æqualiter, de quibus videatur Syluester vbi ſupra. Et hæc pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

Nota volde.

Nota valde.

ARTICVLVS X.

Vtrum quando quis interdicti tempore, eligit ſepulturam in aliquo Monaſterio exempto, priuilegium habens, vt ibidem ſepeliri poſſit, debeatur portio canonica Eccleſiæ parochiali?

ET ratio dubitandi eſt, nam quarta ſiue canonica portio debetur Eccleſiæ parochiali, ratione iniuriæ, quæ ſibi fit ſeu fieri videtur, ex eo quod quiſpiam in alio loco ſepelitur, & priuatur prouentibus ex eiuſmodi funere prouentibus, iuxta cap. *certificari de ſepul.* qua quidẽ ratione ibidem prædicta quarta ſiue canonica portio, iuſtitia nuncupatur illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur, & à quibus dum defuncti viuebant, Eccleſiaſtica percipiebant ſacramenta: ſed in propoſito caſu, tempore interdicti prædicti nulla Eccleſiæ parochiali, vt videtur irrogatur, iniuria, ſiquidem ibidem defuncti prædicti non poterant ſepeliri: ergo intentum propter hanc rationem & cauſam, non defuerunt aliqui qui dixerunt, quod quando interdicti tempore aliquis de facto in Eccleſia Religioſorum ſepelitur cõtra ipſorum voluntatem, quamuis multa afferantur nulla omnino quarta debetur. Quam ſententiam tenet Federicus conſ. 119. & Geminianus, in cap. 1. *de ſepulturis*, lib. 6. imo vero addunt, quod quamuis prædicti Fratres ſponte aliquem tali tempore ſepelirent, licet teneantur tanquam violatores interdicti, ad pœnam cõtra eiuſmodi violatores propoſitam, in caſu quo non habent priuilegium, nulla tamen quarta debetur, quia quarta ſolummodo debetur, quando mortui ſepeliuntur in caſu à iure permiſſo & conceſſo, ſecus eſt autem quando ſepeliuntur in caſu prohibito. Sed ijs nihilominus non obſtantibus, in contrarium eſt veritas, de qua ſit prima concluſio.

Prima Concluſio.

Canonic. portio debetur Eccleſiæ parochiali etiamſi defunctus in aliquo Religioſorum Monaſterio inter dicti tempore ſepelitur ex priuilegio.

CErtiſſimum eſſe credo, quod quando interdicti tempore Religioſi virtute ſuorum priuilegiorum, defunctum aliquem in ſuis Monaſterijs ſepeliunt, niſi aliud obſtet quarta ſiue canonica portio Eccleſiæ parochiali debetur. Et pono exemplum, vt ſi ſepeliatur Sindicus Minorum Fratrum, qui Sindicus priuilegium habet ſepeliri, vt poſſit interdicti tempore, in aliquo noſtro Conuentu, ſeu quiſpiam alius auctoritate Ordinarij, concedentis vt pro tunc interdictum ſuſpendatur. Et ratio concluſionis eſt, nam cum eiuſmodi ſepeliantur in caſu à iure præmiſſo, aut ſaltem conceſſo ex priuilegio, nulla eſſe videtur ratio, ob quã (niſi aliud

aliud obſtet, vt dixi) parochialis Eccleſia ſuo priuetur iure, & ſua iuſtitia, vt habetur in dict. cap. *certificari*. Neque huic reſolutioni obſtat id quod dicitur. nempe quod defuncti prædicti ſepeliri ibidē non poterāt interdicti tēpore: nam hoc parum refert, quia quarta ſiue portio prædicta, non ſolum hac ratione debetur, verumetiam ex eo quia ipſi dum viuebant, actu à prædictis Eccleſijs recipiebant Eccleſiaſtica Sacramenta, & præterea in eiuſmodi caſu auctoritate Ordinarij etiam ſuſpendi poſſet interdictū, vt defunctus in propria ipſius Eccleſia ſiue Parochia ſepeliretur. Qua quidem ratione, alleberanter dico quod quando in Religioſorum Monaſterijs, virtute ſuorum priuilegiorum aut de licentia Ordinarij aliqui ſepeliuntur defuncti, quarta ſine canonica portio ſine dubio Eccleſiæ parochiali debetur, & ita cōſuetudo obtinuit ſeruaturque in cōmuni praxi, niſi aliud obſtet aut prædicta Monaſteria ſint ex illis, in quibus quarta ſiue canonica portio nulli debeatur, de quibus diximus ſupra in Art. 7.

Secunda Concluſio.

In quo caſu portio canonica, parochiali Eccleſiæ non debeatur.

QVando parochialis Eccleſia ſpecialiter fuerit interdicta ex ſua culpa non vero defuncti; probabile eſt quod in tali caſu non habebit quartam ſiue portionem canonicam, etiam ſi aliquis ſuus paroecianus in aliquo Monaſterio ſiue in alia Eccleſia ſepeliatur. Hanc Concluſionem tenet & probat Geminianus in c. 1. *de ſepulturis*, lib. 6. Et fuit etiam olim opinio Petri de Ancarrano qui hoc expreſſe tenuit, quando prædicta Eccleſia parochialis dedit cauſam interdicto, ſecus eſt autem ſi non fuit in culpa, quia in tali caſu non debet ſuo priuari iure. Quorum quidem reſolutio atque deciſio probabiliſſima mihi videtur, multumque iuri ac rationi conſona, propter rationes ſupradictas, & cū aliud nunc de nouo non occurrat dicendum, finem facio propoſito Articulo.

ARTICVLVS XI.

Vtrum valeat electio ſepulturæ in aliquo Monaſterio ſeu Eccleſia, non legando Eccleſiæ parrochiali portionem canonicam? & an in caſu quo legetur, eiuſmodi legatum in quartā funeralem Eccleſiæ parochiali debitam, debeat computari?

Prima Concluſio.

Electio ſepulturæ in aliquo facta Monaſterio, valet etiā ſi nihil legetur Eccleſiæ parochiali.

LEctio ſepulturæ factæ in aliquo Monaſterio ſiue Eccleſia, non legādo parochiali quartam funeralem bene valet, neque parochialis Eccleſia ius habebit ad demandandū corpus defuncti, ſed ſolūmodo ad petendam ſuam quartam funeralem, in caſu quo ſi bi debeatur. Hanc concluſionem tenet expreſſe Greg. Lopez in l. 5. tit. 1. par. 1. ver. *ſi no dexaſſe nada à la Yglesia parochial*, vbi dicit non videri ſibi, quod omiſſio talis legati, vitiet electionem ſepulturæ, nam iura quæ hac de re agunt, tantummodo volūt quod de relictis Eccleſiæ ſepulturæ, detur Eccleſiæ parochiali ſua canonica portio aut funeralis quarta, non vero aiunt quod defunctus expreſſo ſuo iudicio eamdem relinquere teneatur, in quo ſenſu intelligenda eſt deciſio, capit. primi, *de ſepulturis*: nam non prohibetur ibi ſub anathemate quod non aliter ſepultura eligatur, ſed quod canonica portio ſoluatur. Neque obſtat capit. 2. eodem tit. *de ſepulturis*, nam licet ibi iubeatur relinqui quarta Eccleſiæ parochiali, non tamen ex eiuſmodi omiſſione annulletur electio ſepulturæ, ſed ſtatuitur vt debeatur etiam ſi non relinquatur, quod multis probat ſupradictus Gregorius Lopez vbi ſupra, affirmans hanc eſſe opinionem Abbatis, in capit. *de ijs de ſepulturis, notab. 2. per textum ibi*, & Oſtienſ. in capit. *offi. de teſtam.* & Cardin. in clement. *dudum. §. verum de ſepult.* quæſtion. 17. *aliorumque multorum.*

Nota hoc vale.

Secunda Concluſio.

Quando aliū quid legatur Eccleſiæ parochiali a defūcto, probabile videtur quod computari illud habet in quartam funeralem.

PRobabiliſſimum eſt, quando defunctus aliquis alibi eligit ſepulturam, canonicam legādo portionem Eccleſiæ parochiali, quod eiuſmodi legatum computari habet in quartam funeralem ab eo debitam. Circa veritatem præſentis concluſionis, eſt magna iis & controuerſia inter Iuriſperitos DD. nam Oſtienſ. in dict. cap. *officijs, de teſt.* & Cardin. in dict. clement. *dudum, §. verum, de ſepult.* quæſt. 17. & Ancarranus ibidem quæſt. 2. & Decius *in authentica præterea*, C. *vnde vi, collat.* 8. partem tenēt negatiuam, ſed contrariam nempe quod computari debeat, ſuſtinēt Antonius, Imola & Abbas, in dict. cap. *officijs*, & Federicus conſil. 3. & Alexander in dict. authent. *præterea*. quæ ſententia ſecundum Gregorium Lopez vbi ſupra eſt magis communis. Verum eſt tamen inquit, quod prima opinio probatur contra communem quadam lege partitarum, & forte per illam legem eſt de iure verior, in caſu quo teſtator in legato non reliquit totam quartam Eccleſiæ parochiali, etenim ſi totam quartam reliquiſſet, nihil aliud omninō à prædicta Eccleſia parochiali peti poſſet. Videatur prædictus Gregorius Lopez vbi ſupra, vbi has duas ſententias & diuerſas opiniones conciliat, neque enim poſſum in ijs rebus amplius immorari.

ARTICVLVS XII.

Vtrū ſupradicta canonica portio renunciari poſſit, aut fieri pacta inter Clericos & Relig. circa quartā funeralē?

RAtio dubitandi eſt, nam circa hoc iura & priuilegia quæ habentur à Religioſis, aliqualiter videntur eſſe diuerſa, quinuero & contraria, nam in primis videmus, quod Bonifacius VIII. in cap. *pactis, de pactis*, libr. 6. & refertur etiam in Comp. verb. *concordia.*

§.1. ſtatuit, *quod pactũ cum Rectore parochialis Eccleſiæ, factum a monachis ſed fratribus, ne aliquos vel certus ipſius Eccleſiæ parochianos recipiant ad Eccleſiaſticam ſepulturam, omnino ſeruare debeant, quamquam ſepultura libera in Monaſterijs huiusmodi ab Apoſtolica ſede indulta ſit, & illi apud ipſos monachos ſiue Fratres eligerent ſepeliri, cum per dictum pactum indulto huiuſmodi derogetur.* Et idem Bonifacius in cap. *quia ex eo, de pactis*, libr. 6. & refertur in Compendio vbi ſupra. §. 2. ſtatuit, *compoſitiones & pacta, cum Prælatis, Capitulis, Rectoribus & perſonis Eccleſiarum, ciuitatum, caſtrorum, vel villarum, & locorum in quibus domus ſeu habitationes eorum exiſtunt, ſuper iuribus parochialibus vel alijs quibuſcumque articulis, a Prioribus Conuentualibus ſeu Guardianis Fratrum Prædicatorum & Minorum, aliorumque Mendicantium facta vel approbata, de ſuorum Conuentuum conſilio & aſſenſu (dum tamẽ alias ſint licita & honeſta) debere, ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, inuiolabiliter obſeruari, non obſtante quod Magiſt. vel Miniſt. aut Prioris, Generalium ſiue Prouincialium prædictorum, non interuenerit in eiſdem aſſenſus: nec ab ipſorum Generalibus vel Prouincialibus Capitulis extiterint approbata, ſeu quod Sedes Apoſtolica in iis quæ per prædictos Fratres facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit vel aſſenſum.* Per quæ dicta verba reuocata fuerunt priuilegia, conceſſa ab Alexandro IIII. & ab Honorio IIII. vt habetur in Monum. Ordinis 1. impr. fol. 27. & 2. fol. 26. conceſſ. 17. item 1. impr. fol. 48. & 2. fol. 232. conceſſ. 297. quæ referuntur in compendio, verb. *conuentiones*, §. 1. & 2. quibus cauebatur vt ad validitatem prædictarum conuentionum, requireretur auctoritas Generalis vel Capituli etiam generalis, vel ſaltem Miniſtrorum Prouincialium. Quamuis ibidem dicat priuilegiorum Colector, quod eiuſmodi priuilegia fuerint poſtea reualidata per Sixtum IIII. & reſtituta ſuo priſtino ſtatui, vt habetur in dicto cõpendio priuilegiorum, verbo, *priuilegia prope finem.* Quinuero & Leo X. vt habetur in Supplemento fol 26, conceſſ. 75. & refertur in Compendio. verb. vbi ſupra. §. 3. in Concilio Lateranen. ſtatuit, *quod pacta & conuentiones, inter Fratres & Prælatos ac Curatos pro tempore inita valeant, niſi per ſubſequentem capitulum proximum Generale vel Prouinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerit.* Hæc omnia ſeſe offerunt ex vna parte pro ratione dubitandi, partique fauere videntur affirmatiuæ, nempe quod ſupradicta canonica portio renũciari poſſit, & circa quartam funeralem inter prædictos Cericos & Religioſos, fieri conuentiones & pacta. Ex alia vero parte eſſe videtur in contrarium, quod Clemens V. in Conc. Viennenſi ſtatuit, vt habetur in clent. *dudum, de ſepult.* §. *veram*. vbi & ad literam inſeritur alia Conſtitutio ſupradicti Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit, *Super cathedrã*, quæ & approbata eſt ibidẽ, ſtricteq; obſeruati præcepta, qua iubetur, *vt prædicta canonica portio, quarta ve funeralis, omnino Eccleſiæ parochiali ſoluatur, vtque ſuper eo non fiant conuentiones & pacta, nam in quantũ præmiſſis ſeu alicui præmiſſorũ cõtraria ſunt penitus reuocãtur, vacuãtur, caſſãtur & irritãtur, quinimo caſſa, vacua & irrita nunciantur, & decernuntur nullius prorſus exiſtere firmitatis.* Verba ſũt expreſſa Clemẽtinæ prædictæ. Vt autem certo ſciri poſſit, quid hac in re ſeruandum ſit; propoſitæ difficultati reſpondetur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Canonica portio in damnũ Eccleſiæ, nullatenus poteſt renunciari.

IN caſu quo Eccleſia damnificatur, non poteſt canonica portio renunciari per pactum, neque eiuſmodi pacta & conuentiones ſunt licitæ. Hanc concluſionem tenet expreſſe Sylueſt. verbo, *canonica portio*, num 3. quæſtione 3. & dicit eam eſſe Archidiaconi, in capit. *pactum, de pactis*, lib. 6, Addit tamen quod ſi Eccleſia non dãnificatur, valent eiuſmodi pacta & cõuẽtiones, etiam factæ ſine auctoritate Superioris, quod probat per leg. *non minus. C. de procurato.* Fauent etiam huic reſolutioni Conſtitutiones ſupra poſitæ Bonifacij Octaui & vltima Leonis Decimi facta in Concilio Lateranen. & ratio huius in promptu eſt, nam vt habetur in capit. *quia ex eo, de pactis*, l. 6. nõ niſi ob vehemẽtes cauſas maximi iudicis debet auctoritas vocari, & quia vt ſupra diximus, priuilegia in contrarium iam ſunt reuocata.

Secunda Concluſio.

Frat. Prædicatores & Minores, per nullum pactũ poſſunt ad plus quã ad ſoluẽdam quartam funeralẽ obligari.

FRatres Prædicatores & Minores, per nullum pactum poſſunt ad plus quam ad quartam funeralem ſoluendam obligari. Hæc concluſio probatur expreſſe ex Clementina, *dudum.* §. *verum, de ſepulturis*, Vbi Clemens V. ſupradictam portionem canonicam, ad quartam prædictam funeralem auctoritate Apoſtolica taxauit & limitauit, & præcepit vt prædicti Fratres nihil minus ſoluant, neque Curati parochiales & Rectores, aliquid vltra expoſcere ſeu exigere valeant: ſuper qua quidem re, vniuerſa priuilegia gratias & indulgentias, verbo ſeu ſcripto ſub quacumque verborum forma factas à ſe vel à prædeceſſoribus Romanis Pontificibus, necnon conſuetudines, conuentiones, ſtatuta & pacta, in quantum præmiſſis vel alicui præmiſſorum ſunt contraria (vt iam etiam ſupra diximus) callauit, annullauit & reuocauit. Circa prædictam Conſtitutionem, non deſunt qui dicant per eam tantummodo tolli atque reuocari, conſuetudines, ſtatuta, pacta, & conuentiones præteritas non vero futuras: ſed quod cum bona eorum venia dixerim, certo crediderim non ſolum ad præterita, verumetiam & ad futura prædictam Conſtitutionem extendi, & quod ſupradicti Fratres Prædicatores & Minores, nulla conſuetudine, ſtatuto, pacto aut conuentione, poſſunt pluſquam ad ſoluendam quartam funeralem prædictam obligari, cum ſupradicta Clementina nullibi reperiatur reuocata. Hæc eſt mea ſententia & opinio. Qui vero contrariam tenere voluerit, dicere poterit quod Clementina prædicta, emanauit in fauorem & priuilegium prædictorum Religioſorum, atque ita illi renunciare poſſunt, iuxta leg. *qui in conſcribendo.* Cod. *de pactis*, & c. *ad Apoſtolicam, de regularibus.* Et præterea quia decimæ per legem ſunt determinatæ & nihil minus ſuper eis fieri poteſt compoſitio, iuxta capit. *ſtatuimus de iran factione.* & capit. *ex multiplici, de decim.* An vero etiam prædicta Cõſtitutio ad alios Ordines ſiue Religiones ſe extendat, cum expreſſe non loquatur niſi de Fratribus Prædicatoribus & Minoribus,

alig-

aliorum esto iudicium. Non enim est præsentis speculationis, nec per tempus vacat ad vnguem omnia dicere, solummodo dico quod glossa ibi parē tenet negatiuam, dicens quod decisio supradictæ clementinæ, non habet locum in ipsis, quod & tenet Cardin. ibidem, & Lapus, & Geminianus, & ex littera ipsius contexus satis cōstat, ex illis verbis, *vt dictorum Ordinum Fratres*, vt enim inquit Bartol. in leg. 1. §. *eum qui ff. de postu.* numer. 2. & in leg. *talis scriptura. §. vult ff. de legat.* 1. numer. 4. eiusmodi dictiones, *dictorum, præfatorum, & similes*, semper relationem faciunt ad specificata cum suis qualitatibus. Ex quo videtur quod Fratres Augustinenses, Carmelitani & alij à Prædicatoribus & Minoribus, per consuetudines, statuta, pacta, vel conuentiones si voluerint, ad plus aut minus quam prædictam quartam funeralem soluendam, se poterunt astringere & obligare.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum Monasteria exempta, consuetudine iam præscripta à solutione portionis canonicæ siue quartæ funeralis iuxta Concilium Tridentinum, per hoc quod illam soluant duabus vel tribus vicibus, intelligatur eiusmodi præscriptio sublata?

DIfficultas præsentis Articuli, meo quidem iudicio superque satis explicata est supra, per ea quæ dicta sunt quæst. 42. art. 5. & quæst. 43. artic. 7. explicando & declarando, quibus modis Regularium priuilegia inualidentur, fiantque nulla & inualida, & an ad hoc sufficiat vt contraueniatur illis per vnū seu alterum actum. Et quamuis in præsentiarum non fiat sermo de priuilegijs, sed solummodo de consuetudine præscripta, idem tamen omnino in vtroque casu videtur dicendum, nam vt dicitur de similibus simile est iudicium. Vt vero nō iste locus intermissus remaneat, pro propositi Articuli resolutione, sequentem statuo conclusionem.

Conclusio.

Consuetudo præscriptamonasterij siue cōmunitatis, nō amittitur per vnum aut alterum contrarium actū.

SVpradicta præscriptio seu consuetudo præscripta, nullam soluendi canonicam portionē, siue quartam funeralem iuxta præscriptum Concilij Tridentini nullo modo amittitur, per vnum aut alterum, contrarium actum. Hæc conclusio satis constat ex supradictis in locis prædictis, vbi latissimam fecimus differentiam, inter priuilegia singularum personarum, & ea quæ spectant siue pertinent ad bonum totius communitatis, de quorum primis diximus, quod quamuis amitti possint per particularem renuntiationem, & forsan per vnum aut alterum contrarium actum directum, non vero ita se res habet in secundis, nam cum sint in damnum non singularum personarum, sed Monasteriorum siue Communitatum, nō amittuntur nisi contra ea legitimo tempore præscribatur. Videantur hac de re quæ diximus artic. 5. quæstion. 42. conclus. 2. cui & de nouo alia accedit ratio, ibidem etiam vtcumque insinuata, quæ & desumpta est ex cap. *cum accessissent, iuncta glossa, de constitutionibus*, vbi habetur quod quando priuilegium datur ad non faciendum, non deperditur per vnicum aut alterum actum contrarium, sed ad id necessario requiritur discursus quadraginta annorum, prout habetur in iure, in capit. *accedentibus*, & capit *de terra, de priuilegijs*, quod etiam dicendum est in nostro proposito casu, nēpe quod Religiosi & Regulares, qui per iuris dispositionem consuetudine introductam, hoc quasi priuilegium habent vt ad soluendam portionem canonicam, seu quartam funeralem non teneantur, cum eiusmodi priuilegium siue ius sit ad non faciendum, non tollitur per vnum aut alterum actum cōtrarium soluendi quartam, quinuero nec per plures, nisi eiusmodi solutio fuerit facta, per quadraginta annorum spatium, iuxta superius dicta loco citato.

ARTICVLVS XIIII.

In quam pœnam incidant Ecclesiarum Prælati seu Curati cogentes Fratres, aut testamentarios, vel hæredes defunctorum, ad soluendam quartam funeralem, in casu quo ad illam nō tenentur?

Conclusio.

Ordinarij Ecclesiarū Prælati, cogētes Fratres ad soluendam quartā in casu quoad illam nō tenētur, interdicūtur ab ingressu Ecclesiæ & suspendūtur, Curati vero excommunicātur ipso facto.

XX nostris priuilegijs habemus, quod Sixtus IIII. apposuit pœnam locorum Ordinarijs, interdicti ingressus Ecclesiæ & suspensionis à regimine & administratione Ecclesiarū, ac Rectoribus & alijs quibuscūque excōmunicationis latæ sētētiæ & priuationis suarū Ecclesiarū parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa & ad alia in posterum obtinenda, si directe aut indirecte, inquietare seu molestare præsumpserint Prædicatores & Minores Fratres, aut testamentorū vltimarumque volūtatū executores & heredes seu quoscūque alios, super solutione quartæ paroc hialis, seu canonicæ vel alterius portionis seu oneris. Hæc conclusio habetur expressa, in Mon. nost. Or. 1. imp. f. 61. & 2. f. 145. conc. 355. & refertur in com. ver. *can. port.* §. 6. Quæ quidem concess. nullibi reperitur reuocata, nec vllo modo est cōtra Con. Trid. nā priuilegia quæ reuocātur ibidē, sess. 25. c. 13. solūmodo reuocātur in casu quo iuxta præd. Cōc. decretū, eiusmodi Fratres dict. portionem canonicā seu quartā funeralē soluere teneātur, non vero in casu, de quo nos in præsentiarū loquimur, quādo consuetudine iam 40. anorum tēpore præscripta, iuxta idem Cōciliū eiusmodi portio canonica seu

funeralis quarta non eſt ſoluenda. Neque etiam in dicto caſu fratres conueniri habent coram Ordinarijs, à quorum iuriſdictione exempti ſunt notorie, ſed coram proprijs Prælatis, ſeu corã Papa aut eius legato, quade re videatur Syl. verb. *canonica portio, in fin.* Non enim in dicto Cõc. Trid. habetur vt quãdo quarta funeralis nõ fuerit ſoluta, Religioſi ab Ordinarijs cõpellãtur, ſed ſolũmodo quod in caſu quo debetur iuxta ſuperius dicta, ſoluatur quibuſcumque priuilegijs non obſtantibus. Quo fit vt Epiſcopi & locorum Ordinarij, propter hanc rationem & cauſam contra Religioſos prædictos nullo modo per excõmunicationem & alias cenſuras Eccleſiaſticas poſſint procedere, cum eas dem ponere actus ſit iuriſdictionis quam ipſi nõ habent, ſed recurrendum eſt ad proprios Prælatos, ſeu ad Papam vel Nunciũ, & Summi Pont. Legatũ, ad quem ſpectat cognoſcere de exemptorũ cauſis in his & ſimilibus caſibus. Et hæc de iſto Articulo ac de tota quæſtione dicta ſufficiant.

QVAESTIO XLIX.

De Decimis quantum ad obligationem ſoluendi ipſas, exemptionemque Regularium ab earundem ſolutione, in quatuordecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I

Quid ſit decima, quid vero primitia, quid autem oblatio?

Prima Concluſio.

Quid ſit decima.

DEcima iuridice loquendo, eſt omnium bonorum mobilium licite quæſitorum, decima pars Deo data ſiue ipſius Miniſtris ex diuina conſtitutione debita. Hæc concluſio eſt expreſſa Oſtien in Summa. tit. *de decimis.* §. 1. ſatiſq; colligitur, ex cap. 1. *de decimis*, & ex c. *parochianos*, cap. *non eſt*, cap. *tua nobis*, & cap. *cum non ſit in homine*, eod. tit. Et dicuntur pluraliter decimæ, quia ſecũdum eumdem tres ſunt decimarum ſpecies, prædiales, id eſt eorum quæ proueniunt ex prædijs, vt ſunt vinum, blandum, & fructus arborum aliaque huiuſmodi; perſonales, id eſt eorum quæ proueniunt ex opere perſonali, vt ex mercatione, artificio, ſcientia, militia, venatione & huiuſmodi: & miſtæ id eſt eorũ quæ partim ex prædijs, partim ex opere perſonali proueniunt, vt ſunt animalia quæ paſcuntur ex prædijs, & humano opere nutriuntur, & fœtus ac fructus eorum. Videatur hac de re Sylueſt. verb. *decima*, num. 1.

Decimarum triplex eſt ſpecies.

Secunda Concluſio.

Quid ſit primitia.

PRimitia eſt prima pars frugum, ſiue fructũ Domino offerenda. Hæc concluſio eſt Sylueſtri, verbo vbi ſupra, & dicit eam eſſe Raymundi & aliorum, & ait quod dicitur prima, id eſt dignitate præcipua, frugum ſiue fructuum, Domino offerenda, id eſt diuino cultui, quia primitiæ offerebãtur olim per modum oblationis, ſecundum Diuũ Thomam 2. 2. quæſt. 86. articulo 4. nunc autem dicuntur pluraliter primitiæ, ſecundum fructuum varietatem.

Tertia Concluſio.

Quid ſit oblatio.

OBlatio eſt quoddam cõmune & generale nomen, ſub quo comprehenduntur omnia quæ in diuinum cultum exhibẽtur. Hæc cõcluſio eſt expreſſa D. Thom. 2. 2. q. 86. art. 1. in corpore, vbi & dicit, quod oblatio in hoc differt à decima, quia oblatio offertur Deo immediate, id eſt ad Dei cultum, quæ & dicitur *ſacrificium*, ſi inde fiat aliquod ſacrũ conſummandũ, decima vero non offertur Deo immediate ſed miniſtris eius, & exhibetur pro ipſis ſuſtentandis aut pauperibus. Cum autem oblatio tripliciter dicatur, ſcilicet donatio inter viuos facta Deo vel Eccleſiæ, & donatio cauſa mortis pro anima, quæ olim dici conſueuit mortuarium, & oblatio quotidiana & vſualis, quam faciunt fideles quotidie ad Miſſam vel huiuſmodi, &c. quocumque modo dicatur, oblatio eſt omne quod offertur Deo immediate, licet conſequenter cedat in Miniſtrorum vſum & vtilitatem, vt candelæ, panes oblati altari, pecuniæ, ornamenta, & alia huiuſmodi. Hæc D. Thomas vbi ſupra. Vbi etiam dicit, quod oblatio differt à primitia, ſicut genus ab ſpecie, quia omnis primitia eſt oblatio, non vero è cõtra, cum primitia ſit tantum de fructibus, oblatio autem etiam de non fructibus. Ad rationem autem oblationis, tria requiruntur ſecundum Panormitanum in capite final. *de verb. ſignificatione.* Primo vt offerens ſit Chriſtianus, quia ab infidelibus oblationes Eccleſia non recipit, ſed æſtimationem oblationis pro intereſſe, iuxta id quod habetur in cap. *quanto, de vſuris.* Secundo vt is cui offertur ſit Eccleſia, quia quod fit priuatæ perſonæ non eſt oblatio ſed donatio etiam ſi perſona ſit Eccleſiaſtica, vt patet ex prædicta diffinitione oblationis. Tertio requiritur, vt res quæ offertur licite ſit adquiſita, nam quæ illicite adquiruntur pro oblatione non accipiuntur, iuxta caput, *quia omnibus, de vſuris*, & dicto cap. *ex tranſmiſſa, de decimis*, & Gloſſa in Summa, decima quarta, quæſt. quinta. Intelligitur autẽ illicite aliquid adquiri dupliciter,

Quæ ſint requirenda ad rationem oblationis.

ter, vel contra iuſtitiã vt in furto, vel mediãte aliquo peccato, vt in meretricio, de quibus non licet per tempus plura dicere. Sed dicta ſufficiant, vt horum omnium aliqualis habeatur notitia.

ARTICVLVS II.

Quidnam iura velint de primitijs?

Concluſio.

Primitiæ olim erant in veteri lege de præcepto ceremoniali quoad determinationem in cõmuni, vero ſũt de iure naturali, nũc autem ſunt de præcepto Eccleſiæ, ſecũdũ conſuetudinẽ patriæ.

PRimitiuæ in vereri olim lege erant de præcepto ceremoniali quo ad determinationem, vt puta quod talibus perſonis exhiberentur, aut de primis fructibus, in cõmuni vero ſunt de iure naturali, nunc autẽ ſunt de præcepto Eccleſiæ ſecundum patriæ conſuetudinem. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. 2.2. quæſt. 86. artic. 1. cum ſequent. vnde illam deſumpſit. Sylueſt. & ponit eam, verbo, *decima*, num. 3. quæſt. 1. vbi dicit, quod olim primitiarum quantitas non fuit determinata in lege, quia dabantur per modum oblationis, de cuius ratione eſt voluntarium & ſecundum D. Hieronym. pendebat ex Magiſtrorum arbitrio. Vnde quidam plurimum dabant, ſcilicet fructuũ partem quadrageſimã, alij vero minus, nempe ſexageſimam, inter quæ duo offerre licebat quodcumque voluiſſent: ſed nunc, inquit, ſtandum eſt conſuetudini. Cum quibus cõcordat Innocen. dicens, quod ex quo primitiarum quantitas non inuenitur iure canonico expreſſa, in optione dantis eſt, dare quãtum vult & non amplius, niſi conſuetudo regionis aliud inducat. Quibus omnibus addit ſupradictus Sylueſter ſecundum Alexandrum, quod prædictæ primitiæ, non ſolum ſunt in præcepto quando eſt conſuetudo, verumetiam & quando indigent & eas petunt Miniſtri eius Eccleſiæ cui debẽtur, quæ ſecũdũ Oſtiẽſem eſt parochialis, argum. cap. *doctos*, & cap. *moderamine*, 16. quæſt. 1. quem multi ſequuntur, ſecundum vero Gofredum & alios, diuidendæ ſunt ad modum quo & decimæ, de quibus infra. Sed alijs melius eſſe videtur, vt dẽtur ijs quibus dari cõſueuerunt & qui magis indigent. Nolo in ijs amplius immorari, cum tota decimarum ſolutio & determinatio, & quibus ſolui debeat, in noua lege habeatur ex conſuetudine. Circa quam dicit Veruecẽſis, quod vbi conſuetudo eſt, vt non ſoluantur, obtenta fine contradictione à tempore de quo nõ eſt memoria, non ſoluentes eas excuſantur, generaliterque hoc verum eſt, quod in ijs conſuetudines non ligant vel abſoluunt, niſi eo modo, quo & conſuetudo decimarum, de quibus infra.

ARTICVLVS III.

Quidnam iura velint de oblationibus?

Concluſio.

Quamuis oblationes ex ſua natura habeãt vt ſint voluntariæ, multipliciter tamẽ aliquibus ad ipſas faciẽdas obligari poſſe.

LIcet oblationes ex ſui natura habe ant quod ſint voluntariæ multipliciter tamen poteſt contingere, vt ad ipſas aliqui poſſũt obligari. Hæc cõcluſio eſt expreſſa D. Tho. 2. 2. quæſt. 86. artic. 1. in corpore, & eam ponit Sylueſter, verbo, *decima*, nũ. 4. quæſt. 2. vbi dicit eiuſmodi obligationem, quadrupliciter poſſe contingere. Primo ex præcedenti conuentione, vt dum conceditur fundus alicui Eccleſiæ vt fiat certa oblatio certis temporibus, quod habet rationem cenſus. Secũdo ex deputatione ſiue promiſſione, vt cum quis Eccleſiæ inter viuos offert aut teſtamento reliquit aliquid in poſterum ſoluendum quodcumque illud ſit, ſiue ſit res mobilis ſiue vero immobilis. Tertio propter neceſsitatem Eccleſiæ, vt puta ſi Miniſtri, ſeu Sacerdotes Eccleſiæ, non habent vnde alias ſuſtententur, quod ſecundum Oſtien. Innocen. & gloſſam Raymundi, limitandum eſt, niſi ſubditi etiam ſubuenire nõ poſſent, quo caſu Clerici manibus victum debent quærere, iuxta cap. *Clericus victum*, diſt. 91. Quarto & vltimo propter conſuetudinem, quia fideles in aliquibus ſolemnitatibus, tenentur ad oblationes conſuetas, & dicit prædictus D. Thomas quod in his duobus vltimis caſibus, remanet oblatio quodammodo voluntaria, quantum ad quantitatem vel ſpeciem rei oblatæ. Verum eſt tamen quod ad eamdem faciendam cogi poſſunt, non quidem à Sacerdote ſed ab Epiſcopo, cuius auxilium in eiuſmodi rebus eſt implorandum, iuxta cap. *ad Apoſtolicam*, *de ſimonia*. Circa conſuetudinem faciendi oblationes, Syluester loco ſupracitato dicit plura eaque notatu digniſsima quæ ibidem videri poſſunt, à quibus dicendis inpræſentiarum conſulto ſupersedeo, vt breuitati ſtudeam.

ARTICVLVS IIII.

Quidnam velint iura de Decimis, ſeu quo iure debeantur, & an cadant nunc ſub præcepto?

HAnc quæſt. tractat D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 1. & in quo lib. q. 2. art. 8. & Sylu. verb. *decima*, num. 9. q. 3. Soto lib. 9. de iuſt. & iur. q. 4. Nauar. in Manual. c. 21. à. n. 18. cum ſeq. de quorum & aliorum reſolutione, ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Decimarũ ſolutio in vet. lege olim præcepta etiam in noua obligat

DEcimarum ſolutio, licet olim in veteri lege, quæ iã expirauit, fuerit præcepta, modo etiam obligat non in quantum fuit veteris legis præceptum, ſed partim quia eſt de iure naturali & communi, partim ex noua Cõſtitutione Eccleſiæ.

non in quãtũ fuit veteris legis præceptũ, ſed in quantũ eſt naturale & de nouo ſtatuta ex præcepto Eccleſiæ.

Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thom. locis citatis, & Sylueſt. qui & de mente eiuſdem dicit, decimarum ſolutionem ex diuino præſcripto fuiſſe olim in veteri lege præceptam, ad ſuſtentationem Miniſtrorum Dei, & quod hoc præceptum partim erat morale & de iure naturali ſiue ratione naturali introductum (ratione etiam naturalis dictat, neceſſaria à populo eſſe adminiſtranda, miniſtratoribus in diuino cultu) partim vero iudiciale pertinens ad æqualitatem ſeruandã inter homines, ſecundum conditionem illius populi, robur habẽs ex inſtitutione diuina, qua Deus determinationem certæ partis introduxit pro tribu Leuitica tũc temporis poſſeſſiones non habente. Conueniebat etiam (inquit) cum cæremonialibus præceptis, in quantum aliquam ſignificationem habebat, quemadmodum & reliqua omnia. Cum igitur, inquit D. Thomas præcepta veteris legis moralia, etiam nunc in Noua lege obligent, licet cæremonialia deſierint, iudicialia autem obſeruari poſſint & non poſſint, obligabunt autem ſi ſtatuantur & præcipiantur: liquidum fit quod prædicta decimarum ſolutio, vt dictum eſt in concluſione, etiam nunc in noua lege obligat, non in quantum fuit præceptum veteris legis, ſed in quantum eſt præceptum naturale & morale, & de nouo inſtitutum & conſtitutũ ex ſpeciali ſtatuto Eccleſiæ. Quod autem prædicta decimarum ſolutio, ſit de iure naturali, probat Diuus Thomas ex illis verbis Chriſti, D. Matth. 10. quibus dixit, quod operarius dignus eſt mercede ſua, & ait quod fuit rationi quammaxime cõſonum, idipſum vt præciperetur & inſtitueretur de nouo per Eccleſiam, vt ne minus exhiberetur nũc Miniſtris noui teſtamenti, quam reddi olim cõſueuerat Miniſtris veteris legis, cum iſti ſint maioris dignitatis: Oportebat etiam inquit, vt inter vetus & nouum teſtamentum eſſet aliqua conſonãtia & correſpõdẽtia. Prædictis addit Sylueſter vbi ſupra, quod decimarum præceptum, in duobus caſibus præcipue locum habet. Primo cum Miniſtri Eccleſiæ indigent & illam petant, & hoc etiam ſi non ſit conſuetudo, iuxta Diuum Thomam in dicto quodlibet. 2. artic. 8. Secundo ſi ſit conſuetudo etiam ſi non petantur, iuxta cap. *perue nit*, & cap. *aliquibus, de decimis*, nam ipſa conſuetudo illas expoſtulare videtur, quod & eſt intelligendum, etiã ſi non adſit neceſſitas & Miniſtri ſint diuites, etenim in tali caſu licet melius facerent ſi ipſas non peterent, & maxime ſi probabiliter timeatur ſcandalum: ſi tamen de facto petantur ſoluendæ ſunt. In quo cõueniunt omnes Autores ſupradicti, quæ de iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Vtrum per contrariam conſuetudinem, poſſit aliquis ab hoc præcepto ſoluendi Decimas excuſari?

PRo huius Articuli intelligentia, omiſſis pluribus ac fere inutilibus, quæ hinc inde à nonnullis Canoniſtis adducuntur, aliqua ſunt fundamenta premittenda, ex quibus reſultabit difficultatis reſolutio.

Decimarũ præceptũ, quantũ ad aliquid eſt diuinum & naturale, ſed quantũ ad taxationẽ, fuit olim iudiciale

Primo præmitto ex Diuo Thom. 2. 2. quæſtione 87. articulo. 1. & quolibet. 7. artic. 8. & ex Alexandro Alenſi, 3. parte ſummæ, vt etiam in præcedenti Articulo dictum eſt, quod præceptum ſoluendi decimas eſt morale, diuinum, & naturale, quantũ ad hoc quod Miniſtri Eccleſiæ ſuſtententur abſolute: iudiciale vero quantum ad taxationem ipſarum decimarum talem vel talem, quo fit vt poſt quam innouatum eſt per Eccleſiam, omnes velint nolint teneantur decimas ſoluere, quamuis poſſet Eccleſia ſtatuere quod non daretur pars decima ſed minor, nempe octaua aut maior, vt puta dnodecima. Hoc tenet expreſſe D. Thom.

Iudicialia præcepta in veteri lege poſita, in noua nõ obligant niſi in quantũ de nouo ſunt inſtituta & innouata.

Secundo præmitto ex eodem Diuo Thom. & communi omnium Theologorum reſolutione, quod præcepta iudicialia quæ in veteri lege olim fuere poſita, in noua non obligant in quantum fuere præcepta veteris legis, ſed in quantum per ipſam de nouo fuerint poſita, & effecta de iure nouo humano poſitiuo. Cuius quidem rationem dicere in præſentiarum prætermitto, cum per tempus non liceat, neque ſit præſentis ſpeculationis, & de ea videri poſſint Scholaſtici Doctores apud Diuum Thom. 1. 2. à. quæſtione 104. cum ſequẽtibus, vbi de eiuſmodi rebus agunt latiſſime.

Ius diuinũ & naturale, per nullam cõſuetudinẽ poteſt tolli ſeu abrogari, ſecus eſt autem humanum.

Tertio & vltimo, ad noſtrum propoſitum, propius accedendo, ſuppono tanquam certum atque indubitatum, quod ius diuinum & naturale in quãtum tale, per conſuetudinem abrogari nullo modo poteſt. Secus eſt autem ius humanum, vt latiſſime tradit. Diuus Thomas 1. 2. quæſtione 97. artic. 3. ad 2. huius rei reddens rationem & cauſam, qua etiam de re videatur Sylueſter verbo, *conſuetudo*, numero. 9. quæſtione. 6. quibus ſic præmiſſis atque præſuppoſitis, propoſito articulo reſpondeo, per ſequentem concluſionem.

Concluſio.

Licet præceptũ ſoluẽdi decimas abrogari poſſit conſuetudine quãtum ad quotã non tamen in totũ, nec quatione eſt diuinum & naturale.

LIcet conſuetudo abrogare poſsit præceptum ſoluendi decimas, quantum ad quotam taxatam, & excuſare non ſic ſoluentes plene quia vt ſic eſt humanum, non tamen quantum ad totum, vt nihil ſoluatur omnino, quia quantum ad hoc eſt diuinum & naturale. Hanc Concluſionem de mente D. Thomæ ponit ſupradictus Sylueſter, verbo, *decima*, numero 10. quæſtione quarta, ibi, *quantum ad tertium*. Et dicit quoad hoc non eſſe diſtinguendum, inter decimas perſonales & prædiales, nam vtræque ſoluendæ ſunt vbi adeſt conſuetudo. Addit etiam quod vbi ex eiuſmodi conſuetudine præſcripta, decimarum nihil omnino ſoluitur, Eccleſia illud remittere, videtur, vnde reſolutiue dicit quod prædictas decimas non ſoluere, non eſt peccatum mortale niſi in tribus caſibus. Primo ſi petantur & negentur vt ſupra diximus, quã petitionẽ ſecundũ Archid. non ſufficit per Curatũ fieri vbi non eſt conſuetudo, niſi forſan indigẽtia ſit magna, imo inquit dubium eſt an fieri poſſit per dioceſanum, & neceſſario recurrendum ſit ad Papam. Secundo in caſu etiam quo non petãtur, ſed obſtinatio ſit tanta quod etiã ſi peterentur, haberet quis propoſitum non illas reddendi.

In quibus caſibus, decimas non ſimpliciter ſoluere, ſit peccatum mortale.

Ter-

Tertio quando Clerus patitur valde indecentia, victus & veſtitus & populus abundat, quia ſi talis indigentia ſiue indecentia in tali caſu exigit eleemoſynam neceſſario fieri, multo magis exiget præſtari rem alias iure naturali & diuino debitam. Vbi autem nulla omnino decima ſoluitur, aut etiã ſeculares accipiunt illas, poteſt dici prædiorum dominos breui manu aliquid magnum ſoluiſſe, & quod eis Eccleſia deinceps illud redonauerit, ſtatuendo vt non ſoluant decimas, quinvero ab alijs ipſas accipiant. Iuxta prædicta intelligendum eſſe dicit Syluеſter Diuum Thomã, quando dicit, quod nulla conſuetudo eximere ſiue excuſare poteſt homines ab obligatione decimarum, quia fundatur ſuper iure naturali & diuino, intelligendum eſt hoc quantum ad aliquid, non autem quantum ad quotam, ſiue quantum ad determinatam quantitatem, ita quod ſemper tenentur homines aliquid ſoluere, etiam vbi non eſt conſuetudo ſoluendi, ſi Eccleſia exigat modo prædicto, id eſt auctoritate Papæ, vel in caſu indigentiæ magnæ, quamuis ſi non exigat remittere videatur illud, dum diſſimulat, & tunc homines decimas non ſoluentes non peccabunt, niſi ratione obſtinationis (vt prædictum eſt) habentes prauam voluntatem non ſoluendi, etiamſi eſſet indigentia, & peteretur à miniſtris Eccleſiæ debito modo. Hoc inquit Syluеſter ſe tenere, quia durum videretur dicere, quod omnes Itali & Orientales damnentur decimas non ſoluentes, cuius etiam reſolutionis argumentum ſumi poteſt ex facto olim Apoſtoli Pauli, de quo legitur quod neceſſaria victui ſibi debita, ab auditoribus illa debentibus non accipiebat, ſed manibus ſuis laborabat vt ne offendiculum daret Euangelio. In quo quidem caſu dicendum eſt, quod non illi peccabant, alioquin male ipſe cum eis egiſſet illa ſibi non petendo & accipiendo. Nec inquit huic reſolutioni obſtat, quod alicubi ratione conſuetudinis milites decimas non ſoluunt, quinvero accipiunt, quod quidem maius eſt quam eas non dare, nam ad hoc reſpondetur cum Diuo Thoma, quod ipſi non habent ius accipiendi ipſas, cum hoc ſit ſpirituale non cadens in perſonam laicam, ſed illæ res temporales, quæ iure exigi poterant ex conceſſione Eccleſiæ datæ ſunt illis, propter aliqua ſeruitia eidem facta. Quod Eccleſia quamoptime facere potuit, ſicut & nunc remittere fructus, qui debentur pro decima, non tamen omnino tollere ius exigendi, aut debitum reddendi. Hæc ex Diuo Thoma vbi ſupra, ſed de hoc plura dicemus ſtatim in ſequenti Articulo, quod erit ſextus in ordine ſolito.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ex diſpenſatione Papæ, vel trãſactione, excuſari quiſpiam valeat, ab obligatione ſoluendi omnino decimas, aut ſuper eis aliqua fieri poſsit compoſitio?

CIrca hunc Articulum, quantum ad primum multa tradunt Doctores Iuriſperiti, atque Theologi. Quidam dicunt, quod ex quo hoc præceptum eſt iudiciale, potuit Eccleſia illud non ſtatuiſſe, & nullum de ſoluendis decimis omnino mẽtionem feciſſe, neque in totum, neque ſecundum partem. Cui ſententiæ & opinioni adhærere videtur Panormitanus poſt gloſſam in *cap. à nobis, de decimis*, ſed poſtea ſe limitat dicendo, quod quamuis Papa in totum ius decimarum tollere non poſſit, quibuſdam tamen perſonis illud remittere poteſt. Cuius rationem reddit, quia per primum tollitur ius diuinum, non vero per ſecundum. Sed alij prædictam Panormitani ſententiam etiam limitãt circa illud quod dicit quod decimas in totum remittere non poteſt, & dicunt eſſe addendum niſi ex cauſa & ad tempus. Alij vero diuerſa procedẽtes via dicunt, quod quamuis id facere poſſit quoad Eccleſiam militantem & Eccleſiæ forum, non vero quoad triumphantem ſiue forum conſcientiæ, ideſt quoad Deum: nam laicis decimas præteritas & futuras remittere non poteſt, niſi ex magna cauſa, pro quo adducunt gloſ. notabilẽ in *c. non eſt, de voto*, vbi dicitur, quod licet habeat plenam poteſtatem, debet tamen ſe habere ſicut diligens & fidelis paterfamilias, fideliter diſpenſando ea quæ ſunt Eccleſiæ, vnicuique ſicuti opus eſt. Alij multa alia dicunt, quæ longũ eſſet nimis velle in præſentiarum recenſere. Sed quidquid ſit de opinionibus, pro propoſiti Articuli reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Quãuis decimæ debeãtur de iure naturali & diuino, bene tamẽ Papa ex cauſa diſpenſare poteſt cũ aliquo ſeu aliquibus, etiã proſus illos facere ab earum ſolutione.

QVamuis decimæ debeantur de iure naturali & diuino, ad modum quo dictum eſt, nihilominus Papa bene poteſt cum aliquo ſeu aliquibus (etiam laicis) diſpenſare, ipſosque omnino facere exemptos à decimarum ſolutione, quinvero & illis ius conferre percipiendi decimas ab alijs, non quidem auctoritate propria, ſed auctoritate Eccleſiæ & ipſius Papæ. Hæc concluſio eſt certa, & crediderim quod de illa nullus dubitare poſſit, maxime hoc tempore quo id ita eſt conſuetudine poſitum & obſeruatum in communi praxi. Sed probatur præterea hac efficaciſſima ratione, nam certum eſt ſtando in iure communi, quod bona Cleri corum & Eccleſiarum ſunt bona pauperum, & circa pauperes alendos, presbyteri & Sacerdotes poſſunt, quinvero & debent decimas diuidere, & ex eis eoſdem alimentare, vt ſatis conſtat ex *capi.*

in canonibus, capi ſacris canonibus, 16. quæſt. 1. Cum igitur Papa ſit vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, & totius Chriſtianitatis rector, Paræcianus, necnon & generalis adminiſtrator omnium beneficiorum & decimarum, vt tradunt ſacri Canones, *cap. ſuſpectos 6. quæſt. 5. cap. vbi periculum, §. cæterum, de elect. lib. 6.* nullatenus contra ius, aut vero contra rationem eſſe videtur, quod ex iuſta & rationabili cauſa aliquos ſeculares pauperes & indigentes, ex laboribus manuum ſuarum ſe non valentes ſuſtentare, de noſtra ſancta Eccleſia benemeritos, è prædictarum decimarum ſolutione eximat, ſiue exemptos faciat, quinvero & ex cauſa iuſtis tribuat, vt etiã ipſi ab alijs decimas percipiant. Cur enim non in tota Eccleſia efficere valebit Papa, quod Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu & Archiepiſcopus in ſuo, quinvero & parrochus in ſua paræcia? Si igitur Epiſcopi & Archiepiſcopi & parochi ſibi ſubditis ſuſtentatione indigentibus, ſaltim pro ſuo tempore decimarum condonatione poſſunt facere, & permittere quod ipſi eas retineant abſque peccato, cur non & Papa cum ſit Epiſcoporum omnium Epiſcopus, & generalis atque vniuerſalis totius Eccleſiæ Prælatus idipſum facere valebit, legitima exiſtente ratione & cauſa, nec ſolum pro ſuo tempore verum etiam & pro quocumque alio, cum ſicut prædictũ eſt, ex diuina inſtitutione ſit omnium beneficiorũ & decimarum, rerumque Eccleſiæ vniuerſalis adminiſtrator? Aduertendum tamen eſt quod in hoc caſu, laici nõ retinẽt aut percipiũt decimas propria auctoritate aut nomine ſuo, ſed auctoritate Eccleſiæ, & nomine exiſtentis Papæ, quæ enim quis per alterum facit per ſeipſum facere videtur. In quo ſenſu Ioan. Lupus de libertate Eccleſiaſtica 1. par. quæſt. 3. nume. 6. explicat & intelligit illam decretalem poſitam, in *ca. à nobis, de decimis.* Et ex hoc mirari deſinent, qui capere, vt inquiunt, nullo modo poſſunt, quonam modo ius percipiendi decimas, easque ſibi retinendi, per Papam laicis poſſit concedi cum decimæ Sacerdotibus & Miniſtris Eccleſiæ debeantur, propter miniſterium altaris, & adminiſtrationem rerum ſpiritualium, iuxta præſcriptum Diui Pauli, & nonniſi ſeminantibus ſpiritualia, de iure iſthæc temporalia debeantur. Cum igitur prædicti laici ſpiritualia non adminiſtrent, ſed neque adminiſtrare queant, mirabile (inquiunt) valde eſt, quomodo ius ſpirituale ſibi competat ex quacumque etiam Papæ conceſſione percipiendi decimas. Huic difficultati facillimo negotio reſpõdetur, dicendo, ſicut prædictum eſt, quod cum ex eiuſmodi decimis Presbyteri & Sacerdotes ipſas percipientes, egentes & pauperes alere & ſuſtentare debeant de iure, ex eodem iure multo melius Summus Pontifex propter rationes prædictas, per ſemetipſum efficere potuit ſemel quod ipſi tenebantur iteratis vicibus, id quod & opere compleuit, concedendo aliquibus laicis pauperibus & indigentibus, de ſancta Eccleſia benemeritis, vt nõ ſoluant ſed pro ſua ſuſtentatione, retineant ſibi decimas, ſeu etiam ipſas ab alijs auctoritate Apoſtolica percipiant, ſuper quo iure ac firmiſſimo fundamento fundata ſunt omnia priuilegia, quæ habent omnes Hiſpaniæ Reges, de percipiendis decimarum tertijs, & habendi in ſingulis oppidis ſelectum decimatorem, ſiue decimas ſibi ſoluentem qui Hiſpano ſermone dicitur, *el eſcuſado*, pro eo quod excuſatur à ſoluendis decimis, Parocho ſiue Epiſcopo debitis. Eadem ratione habet & ſubſidiũ ad expugnandos infideles, quod ſimiliter dicendũ eſt de multis alijs nobilibus, qui in noſtra Caſtella, Bætica, Nauarra, & Cataloniæ principatu, priuilegium exemptionis habent à ſoluendis decimis ex proprijs bonis, & multi alij ex feudo perpetuo etiam exigunt decimas ab alijs, cum onere vt aſſignata portione miniſtros Eccleſiæ ſuſtentent. Quæ quidem priuilegia vt plurimum cõceſſa ſunt ante prohibitionem Concilij Lateranenſis, cuius fit mentio, in *cap. prohibemus, de decimis, & in capi. cum & plantare, de priuilegijs, & cap. cum à poſtolica, de ijs quæ ſiunt à Prælatis.* Cauſa autem concedendi prædictas decimas, fuit quia Reges prædicti & alij nobiles, magnis ſuis ſumptibus & expenſis ſummoque labore, eripuerũt prædictas Hiſpaniæ partes ex Maurorum manibus, & ipſorum tyrannide, & vt ipſas aut ſaltim maximam earum partem expenderent in defenſionem fidei, & dilatationem ſuorum regnorum, quæ Romanæ ſubijcerentur Eccleſiæ. Qua de re qui plura videre voluerit, conſulat Couarr. lib. 1. variarum reſolut. cap. 17. nume. 4. vbi ad hoc propoſitum inuenire licebit plura, eaque notatu digniſſima, & etiam apud Nauarrum in quadam ſua allegatione iuris facta Romæ, in gratiam nobiliũ Calatrauæ, vbi multis probat eos præſcriptione legitima, exemptos eſſe à decimarum ſolutione ſuorum agrorum. Quæ præſcriptio completa fuit ante prædictum Lateranenſe Concilium. Videatur etiam idem Nauarrus hac de re, in tractatu quem fecit de redditibus Eccleſiaſticis, quæſt. 1. monit. 57. 58. & 59. per totas latiſſime. Sed deueniendo ad aliam difficultatem propoſitam, de tranſactione, reſpondetur per ſequentem Concluſionem.

Nota qualiter ius percipiẽdi decimas, per Papã etiã laicis poſſit concedi.

Secunda Concluſio.

PRobabiliſſimum eſt, quod decimæ remitti non poſſunt, niſi ex iuſta & rationabili cauſa, & niſi is qui eas debet ſit pauper, cum ſint miniſtrorum Eccleſiæ ac pauperũ, & quod nonniſi in pios vſus poſſunt conuerti. Hanc concluſionẽ tenet expreſſe Sylueſter, *verbo, decima, num. 11. q. 5. ibi, quantum vero ad ſecundum*, & dicit eam eſſe Summæ Angelicæ contra Roſellam. Addit tamen ſecundum Oſtienſem, quod compoſitio inter Eccleſiaſticum & laicum ſuper parte decimarum, de conſenſu Prælati Superioris fieri poteſt & valet, & ſecundum Raymundum ſi quis retinuerit longo tempore decimas, & nunc pœnitens earum remiſſionem petit, quia alias oporteret eum mendicare, Sacerdos videns eum contritum & benedicentem, remittere illas eidem debet tamquam alij pauperi, cum etiã poſſet eas illas deberet ei dare, iuxta *capit. quoniam, 16. quæſt. 1.* iniungendo tamen illi vt ipſas reſtituat, quando ad pinguiorem fortunam venerit. Videatur hac de re prædictus Syluester, vbi plura dicit ad hoc propoſitum, an quiſpiam excuſari poſſit à ſolutione prædictarum decimarum ex tranſactione, ſeu compoſitione debentis decimas accipere. Qua etiam de re videatur Nauarro in ſuo Manua. cap. 21. num. 32.

Decim. remitti nõ poſſunt aut debẽt, niſi ſit pauper is qui illas debet

ART.

ARTICVLVS VII.

De quibus rebus debeantur Decimæ?

HAnc quæstionem mouet Diuus Thomas 2.2 quæst.87.art 2.& de ea etiã agit Syluester, *verbo, decima*, num. 11 quæst.6.& Nauarrus in suo Manuali, cap.21.num.29. & omnes conueniunt in hoc, quod circa decimarũ solutionem, semper standum est cõsuetudini, quæ vt habetur in iure optima est legum interpres, vt tamen specifice aliquid dicamus, stando in iure communi & ex communiore omnium resolutione sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

Iuridice & regulariter loquẽdo decimæ omnibus rebus dari debẽt

IVridice & regulariter loquendo, decimæ de omnibus rebus dari debent. Hanc conclusionẽ ponit Diuus Thomas loco supracitato, & probat eam ex Genesi, cap.28 ex illis verbis, quæ dixit olim Iacob loquens cum Deo, *cunctorum quæ dederis mihi, decimas & hostias pacificas offeram tibi.* Cuius & præterea optimam rationem & causam reddit, desumptam ex originaria institutione soluendi decimas prædictas, quæ fuit vt seminantibus spiritualia, temporalia cuncta tradantur. Vnde etiam Syluester loco citato inquit, quod decimæ dari debẽt de omnibus fructibus terrarum, arborum, hortorum, animalium, piscationum, venationum, fructuum, pensionum, molendinorum, aquarum, etiã & ventuum, balneorum, fulloniorum, lapicidinarum, metallariorum, item & de negotijs & artificijs, & cæteris bonis secundum Raymundum, & colligitur ex multis capitulis positis, 16. quæst.1. & quæst.7, & in toto titulo, *de decimis*. Adeo quod si eodem anno in eadem terra, diuersa iaciantur semina, de omnibus dari debent decimæ, iuxta *cap. ex parte Canonicorum, de decimis*, in cuius etiam Summario habetur, quod de omni fructu prædij soluendæ sunt decimæ. Hoc est de iure communi & regulariter loquendo, sed in hoc vt dixi, standum est consuetudini, quæ in omnibus sed maxime in istis rebus, optima est legum interpres.

Secunda Conclusio.

De donatis, legatis & successione acquisitis solũdæ nõ sunt decimæ.

DE donatis, legatis, & successione adquisitis, soluendæ non sunt decimæ, sed de ijs tantum, quæ quis naturaliter vel suis operibus adquisiuit. Hæc conclusio est supradicti Syluestri loco supracitato, ibi, secundo d co, quamuis probabilissimum sit, secundum multos Doctores iurisperitos in *ca. decimæ*, 16. quæ.1. quod legatarius & donatarius, teneantur decimare legatum & donatum, licet decimatum fuerit à legatore vel donatore, non autem ad hoc tenetur filius patri succedens in re à patre decimata, cum omnia patris quodammodo pertineant ad ipsum. At hæres extraneus, ad hoc secundum aliquos tenetur, quas duas sententias refert Innocentius, & quia non interest multum harum opinionum vnam alteri præferre (inquit Syluest.) in hoc standum esse consuetudini communi legũ Interpreti, iuxta *l. si de interpretatione, ff. de legibus.*

Tertia Conclusio.

Decimæ prædiales, de quibuscumque rebus etiam illicite adquisitis debeantur, non sic autem de personalibus, quæ restitutioni obnoxia.

QVamuis decimæ prædiales, de quibuscumque rebus etiam illicite adquisitis debeantur, non sic autem est de personalibus, nam personales dari non debent de ijs quæ sunt restitutioni obnoxia. Pro huius conclus. intelligentia aduerto ex Nauarro in Manuali, capite 21. numero 31. quod decimæ personales ita debentur sicut & prædiales solumque est differentia inter ipsas, quod personales numquam fuerunt debitæ iure diuino veteri, prædiales vero sic, licet ab Hebræis tantum. Secũda differentia est, quod in prædialibus non deducuntur impensæ, in personalibus vero sic, & solũmodo lucrum decimatur, vt notant communiter Doctores in *cap. ad Apostolica, & cap. non est, capitul. ex transmissa, & cap. Pastorales, de decimis.* Hoc supposito dico, quod prædicta conclusio sic explicata est Syluestri loco supracitato ibi. Tertio dico, quam esse dicit Ostiensis asserentis, quod decimas prædiales quilibet indistincte tenetur illas soluere, quantũcumque sit peccator, etiam Iudæus & inuasor, iuxta *capit. de terris, de decimis*, easque Ecclesia potest recipere, quia non dantur intuitu personæ, sed quasi ex censu debito prædiorum: sed quantum ad personales distinguit & dicit, quod dari non debent de ijs quæ sunt restitutioni obnoxia. Si vero non sunt restituenda, vt in meretricio, histrionatu & similibus, tunc si ex peccato notorio quæstus prouenit, Ecclesia non debet ipsas recipere, ne approbare illarum videatur peccatum, iuxta glossam cõmuniter receptam, in *cap. transmissa, de decimis*, ipsi tamen illas dare tenentur. Vnde consulit quod meretrix & histrio ex inde eleemosynam faciant. Si autem, inquit, peccatum sit occultum, bene potest Ecclesia ab eis decimas recipere, quamuis Prælatus hoc sciret, argumento, *capi. Christiana, 23. quæst.5. & cap. si omnia, 6 quæst.1.* quod & tenet Diuus Thomas 2.2.quæst.87.art 2.& Nauarr. vbi supra. Tandem concludit prædictus Syluester dicendo, quod quamuis Iudæi decimas prædiales teneantur soluere, non sic autem personales, cum nec sacramenta percipiant nec diuina audiant, argumento deducto, ex dicto *capi de terris, de decimis*. Quæ pro isto Articulo dicta sufficiant.

ARTICVLVS VIII.

A quibusnam personis debeantur Decimæ?

Prima Conclusio.

Decimas quinã soluere tenentur.

DEcimas dare tenentur omnes in vniuersum laici, etiam pauperes & Iudæi de prædijs, quinvero & Clerici de rebus sui patrimonij, & Religiosi nisi sint priuilegio exempti. Hęc conclusio est Syluestri, *verbo, decima*, nume.13.q.7.& quantum ad Iudæos probat eam ex dicto *capi. de terris, de decimis.* quantum vero ad

ad omnes alios ex *cap. decimas*, 16. quæſt. 1. Sed quãtum ad id quod dixit de Clericis qui decimas ſoluere tenentur, de rebus ſui patrimonij, dicit id eſſe intelligendum, niſi inſeruiant Eccleſiæ eidem cui debentur, argumento deducto ex *cap. 2. de decimis*, & addit quod vbi eſſet conſuetudo, quod de fructibus poſſeſſionum Eccleſiæ teſtari poſſent in morte, tenentur ſimiliter ad decimandum de ipſis & ſic dicit eſſe intelligendum, *ca. 2. de decimis*, Quod vero Religioſi etiam eaſdem teneantur ſoluere, niſi ſint exempti, probat ex *cap. ſuggeſtum, eod. titu. cum multis alijs ſequentibus*, quin vero dicit priuilegium non liberare ſoluere obligatos, in tribus caſibus. Primo cum tenentur pactione, quia inquit, priuilegium non reuocat pactum præcedens, niſi in illo ſpecialis de eo fiat mentio, per *capit. ex multiplici, de decimis*. Secundo cum enormiter læditur Parochialis Eccleſia cui decimæ debentur, argumento deducto ex dicto *cap. ſuggeſtum*, & tandem tertio, cum quis eas ſoluendo, tacite renuntiat priuilegio, de quo videnda eſt gloſſa, & Doctores in dicto *capit. ſuggeſtum*.

Nota in quibus caſib⁹ priuilegiũ nõ liberat à ſolutione decimarum.

Secunda Concluſio.

CLerici tenentur etiam ad decimas perſonales, niſi viuant in communi, tunc enim ſicut & Religioſi, non tenentur decimas ſoluere de laboribus ſiue nutrimentis ſuis proprijs. Hæc etiam concluſio eſt Sylueſtri, vbi ſupra ibi, ſecundum, quam & probat ex *cap. 2. de decimis*, & *ex cap. decimas*, 16. quæſt. 1. & ſimiliter inquit, quod leproſi communiter viuentes non tenentur ſoluere decimas, de hortis & nutrimentis ſuis, quod probat ex *capit. 2. de Eccleſijs ædificandis*, vbi idipſum habetur de animalium fœtu, & ſecundum S. Thomam, ſicut olim Leuitæ Sacerdotibus, ita & nunc Clerici decimas ſoluere tenentur Summo Pontifici, ſi illas exigeret. Videatur hac de re Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 87. arti. 4. in ſolutione ad tertium.

Clerici tenentur etiã ad decimas perſonales de iure, niſi viuant in communi.

Tertia Concluſio.

AD decimas prædiales indiſtincte tenentur cũcti, prædia poſſidẽtes etiam iniuſte, quamuis ſint Hæretici, Iudæi vel Pagani. Hæc etiam concluſio eſt ſupradicti Sylueſtri vbi ſupra, ibi, tertium, quam eſſe dicit Oſtienſis, & probat eam ex dicto *cap. de terris, de decimis*, & præterea hac ſpeciali ratione, quia nempe prædictæ decimæ, non dantur ratione perſonarum ſed prædiorum, atque ita debentur etiamſi eſſent feminata furtiuo ſemine, ſecundum Raymundum, & Diuum Thomam loco ſupracitato, ſit quarta Concluſio.

Ad decimas prædiales indiſtincte loquẽdo tenentur cuncti prædia poſſidentes.

Quarta Concluſio.

CVm ante decimationem venditur aceruus tritici vel alterius rei, vterque ad decimam tenetur, tam venditor, quam emptor. Hæc etiam concluſio eſt ſupradicti Sylueſtri vbi ſupra, ibi, quartũ cuius rei rationem reddit ex parte venditoris propter dolum & pretium quod ſucceſſit loco rei, argumento *cap. monemus*, 12. *quæſt. 2. & l. ſi rem & pretiũ ff. de pete. hære.* ex parte vero emptoris, quia res trãſiuit ad illum cum decimarum onere, iuxta *cap. Paſtoralis, eod. tit. de decimis, & cap. Auguſtino*, 12. quæſt. 2. atque ita Eccleſia à quo maluerit decimas petere poterit: verum eſt tamen quod ſi obtinuerit ab vno, alter liberatur. Videatur etiam hac de re Diuus Thomas, ſecunda ſecundæ, quæſt. 87. art. 2. in ſolutione ad quartum.

Quiſnam teneatur ad decimandum, cũ ante decimationẽ venditur.

Quinta Concluſio.

SI ante decimationem ſubtrahatur aceruus de area, & ruſticus erat in mora ſoluendi, ipſe tenetur decimas ſoluere, ſecus eſt autem ſi non erat in mora. Hæc concluſio eſt ſupradicti Sylueſtri, vbiſupra, ibi, quintum, quam & probat hac ratione, quia prædictus ruſticus, vt amplius infra dicemus tenebatur ſtatim ſoluere collectis fructibus cum poſſet & peteretur, iuxta *capit. decimæ*, 16. *quæſt. 1. & cap. cum homines, eodem titulo*, quo fit vt ſubtractionis periculum ad ipſum ſpectet, & ſi ſoluerit dabit ei Eccleſia actionẽ contra raptorẽ. Sí vero nõ fuit in mora nõ tenebitur ſoluere, ſed Eccleſia aget cõtra raptorem, iuxta *leg. ſine lege*, §. *item vtiliter, ff. locat.* Quod dicit eſſe verum, etiãſi Sacerdos aliquo modo fuiſſet in culpa vel cauſa moræ, quamuis regulariter verum ſit, quod ſemper mora poſterior nocet ei per quem ſit, iuxta *l. illud, ff. de pericul. & commodo rei vendi*. vnde ſecundum Raymundum, ſi Eccleſia fuit in vltima mora, ruſticus non tenebitur ad decimam de ſublato ſed tantum de reſiduo, niſi etiam Eccleſia fuerit cauſa, ſeu in culpa ſublationis propter aliquam rationem, quia tunc etiam tenebitur de toto ſublato.

Quiſnam teneatur ad decimam, quæ do ante decimationẽ aceruus de area furto ſubtrahitur.

ARTICVLVS IX.

Quibus perſonis, decimæ ſint dandæ & perſoluendæ?

Prima Concluſio.

SEmper dari debent Eccleſiæ parochiali ſeu baptiſmali, decimæ perſonales, in qua quis audit diuina, & percipit ſacramenta, niſi aliud obtineat conſuetudo. Hæc concluſio eſt Sylueſtri, *verbo decima*, numero decimo quarto, quæſtione octaua, & Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 87. articulo tertio, in ſolutione ad ſecundum, & Raymundi, & Oſtienſis, omniumque Iuriſperitorum communiter, & probatur ex innumeris capitulis, quæ habẽtur, 16. *quæſtione prima, & toto titulo de decimis*, & dicit prædictus Sylueſter, ſecundum Innocentium, quod Reges & Principes, ſoluent decimas perſonales Epiſcopo principalis ſui domicilij, & ſi in duabus diœceſibus habent domicilium, diuidi debent inter ipſas, ſit ſecunda Concluſio.

Decimæ perſonales ſemper dari debẽt Eccleſiæ in qua quis audit diuina, & percipit ſacramẽta, niſi aliud obtineat conſuetudo.

Secunda

Secunda Concluſio.

Decimæ prædiales dandæ ſunt illi Eccleſiæ, intra cuius parochiã ſitũ eſt prædiũ, niſi aliud etiam obtineat conſuetudo.

DEcimæ prædiales dandæ ſunt illi Eccleſiæ, intra cuius parochiam ſitum eſt prædium, niſi aliud etiam obtineat conſuetudo. Hæc concluſio eſt etiam Syluestri loco ſupracitato, & Diui Thomæ, & probatur ex *capi. vltimo, de parochis, & ex cap. quoniam, de decimis, & ex cap. ſi quis laicus*, 16.q.6. deductis tamen expenſis, ſi res vtputa arbor inciſa, ad locum vbi plus valet transferatur, ſecundum Innocentium, & hoc niſi aliud obtineat conſuetudo vt dixi per *cap.* 1. & 2. & *cap. commiſſum, cap. ad Apoſtolicæ, de decimis*, vel niſi ſint præſcriptæ. In mixtis autem ſecundum Oſtienſem ſeruanda eſt conſuetudo, quæ ſi non appareat, tunc ſi animalia continue paſcuntur in parochia domini ſui, illi Eccleſiæ debent dari, ſi vero paſcuntur in aliena, diuidendæ ſunt inter Eccleſiã, vbi paſcuntur & Eccleſiam propriam, argumento *cap. relatum, de teſtam.* Multa alia ad hoc propoſitum dicit Syluester loco ſupracitato, circa decimas prædictas perſonales, prædiales, & mixtas, quæ breuitatis cauſa à me omittuntur, cum ibi videri poſſint, nec ſit mei propoſiti, ad vnguem omnia in præſentiarum pertractare. Videãtur etiam hac de re, quæ dicit Nauarrus in ſuo Manuali, cap. 21. à numero nono cum ſequentibus, & in peculiaribus conſilijs, quæ facit de decimis, libro 3. conſiliorum, quæ pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS X.

Quando, vbi, & qualiter, dãdæ & perſoluendæ ſint decimæ?

Prima Concluſio.

Decimæ perſonales in fine anni dari debent, ſed prædiales & mixtæ, ſtatim ac fructus percipiuntur, niſi aliud obtineat conſuetudo.

QVantũ ad tempus attinet, decimæ perſonales in fine anni dari debẽt, prædiales vero ſtatim ac percipiuntur fructus, idemque videtur dicẽdum de mixtis, niſi aliud obtineat conſuetudo præſcripta. Hæc concluſio eſt Syluestri, *verbo, decima*, numer. 15. quæſt. 9. & quantum ad primam partem, dicit eam eſſe Archidiaconi, & probatur argumento deducto, ex *cap. ex literis, de pigno.* Quantum vero ad ſecundam partem, probatur, ex *capit. cum homines, de decimis*, & intelligendum eſt eas eſſe ſoluendas, antequã ſeparentur cenſus & tributa & huiuſmodi, & ſi prius facta fuiſſet ſeparatio, debent nihilominus dari integræ, iuxta *cap. ina nobis, eod. tit.* Quantũ vero attinet ad mixtas probatur, nam quãtum ad hoc ſequi videntur naturam prædialium, vt ſcilicet ſtatim ſoluantur quando fructus percipiuntur, quia in vtriſque recollectio fructuum eſt quaſi finis anni in perſonalibus, cum tam in illis quam in iſtis, tunc & non ante ſciatur, quantum ſoluendũ ſit. Supradicta omnia intelligenda ſunt, niſi aliud obtineat conſuetudo præſcripta, & ſi peribunt, exiſtenti in mora peribunt (vt ſupra diximus) alias vero non, ſed ei cui debentur.

Secunda Concluſio.

Decimæ ſoluẽ debẽt in loco vbi obtinet conſuetudo.

QVantum attinet ad locum in quo decimæ ſoluendæ ſunt, ſtandũ eſt conſuetudini. Hæc concluſio eſt ſupradicti Syluestri, & dicit eam eſſe Oſtienſis, & probatur ex *cap. certificari, de ſepulturis.* Conſuetudo itaque declarare habet, vtrum decimæ, dandæ & perſoluendæ ſint in agris vel in vineis, an vero ad Eccleſiam ſint deferendæ.

Tertia Concluſio.

Qualiter decimæ ſolui debeãt de iure

QVantum vero attinet ad modum, decimæ dari debent non deductis expenſis, etiam factis pro fructibus colligendis. Hæc concluſio eſt ſupra dicti Syluestri loco vbi ſupra, & probat eam ex *ca. cum ſint homines, de decimis*, & inquit non eſſe neceſſarium dare meliora, nec licitum eſſe viliora, ſed mediocria, iuxta *cap. decimæ*, 16. quæſt. 1. debentque dari fideliter, quia exinde reſultat remuneratiõ triplex. Primo abundantia fructuum. Secundo ſanitas. Tertio bonitas principatus. Pro quibus facit quammaxime id quod dicitur Malachiæ, capite 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam.* Videantur etiam quæ ad hoc propoſitum habentur, in *cap. reuertimini, & cap. decimæ*, 16. q. 1. & *c. maiores*, 16. q. 7. pro quo etiã facit id quod communiter dicitur, *quod hoc ſollit Fiſcus, quod non accepit Chriſtus.*

Quiſnã fructẽ conſequatur, ex optima ſolutione decimarum.

ARTICVLVS XI.

Quidnam velint iura de percipiendis decimis à laicis?

CIrca hunc Articulum iam aliqua diximus ſupra Articulo ſexto, ſed quia hæc materia ampliſſima eſt, pro ipſius reſolutione ſequẽtes ſtatuo Concluſiones, ſit ergo prima concluſio.

Prima Concluſio.

Superdecimis nullus cõtractus iniri poteſt cũ laico.

SVper decimis nullus contractus iniri poteſt cũ laico, per quem dominium vtile vel directum in illum transferatur. Hæc concluſio eſt expreſſa Syluestri, *verbo, decima*, numer. 16. q. 10. & dicit eam eſſe omnium Doctorum communem in *capi. ad hæc, eodem tit. de decimis*, & probatur præterea, quia videtur eſſe alienatio quædam, prohibita per textum & gloſſam, in Clementina 1. *de rebus Eccleſiæ non alienandis.* Poteſt tamen inquit Syluester, fieri conceſſio ad tempus modicum, quæ non eſſe videtur alienatio, & etiam ad tempus vitæ ex cauſa & cum auctoritate Prælati, ſecundum gloſſam, in *ca. quamuis eodem tit.* quamuis Panormitanus dubitet ibi, quia talis conceſſio large poteſt dici perpetua, ſed hoc ſaluando dicit gloſſa, quod propter dubium vitæ laici, conceſſio illa potius videtur temporalis quã perpetua, tunc vel maxime quando non tranſit ad hæ-

hæredes. Circa hanc resolutionem nonnulla adducit Syluester, quæ per tempus referre non licet videantur ibidem.

Secunda Conclusio.

In quo casu laici, secura cõscientia decimas sibi nõ possunt retinere.

LAicus retinens decimas in feudum, si scit illas se habere, post tempus Concilij Lateranensis, celebrati sub Alexãdro Tertio, anno Domini 1179 & sine auctoritate Summi Pontificis non potest secura conscientia illas retinere. Hæc conclusio est supradicti Syluestri, & dicit eam esse Raymundi, omniumque Doctorum communiter, in *cap. prohibemus, de decimis*, & licet Ostiensis dicat, quod multo ante tempore, scilicet Vrbani Secundi, decimæ in feudum laicis dari nequiuerant, vt habetur in cõstitutione feudorum, Episcopum vel Abbatem, quam constitutionem, inquit, quod forte Raymundus non vidit, dicit tamen Syluester, quod primũ fere est commune omnibus: & ad motiuum Ostiẽsis respondet, quod tempore illius Concilij, eas in iuste tenentes restituerunt pro maiori parte, & sic nunc omnes habitæ ante illud præsumuntur iustificatæ. Et addit quod si laicus sciat eas se habuisse ad illud Concilium vel post illud, sed cum auctoritate Papæ & ex causa, quæ secundum Raymundum est, si infeudati fecerunt Ecclesiæ condecentem recompensationem temporalem, seu spiritualem, tunc inquit, retinere eas poterunt, secus autẽ si ignorent, vtrum ante vel auctoritate Papæ eas habuerint seu ex legitima causa, pro quo refert Ioannes Andræas in *capit. Apostolica, de ijs quæ fiunt à Prælat.* & Ostiensem, sed ipse tenet contrarium, per textum in *cap. 1. de præscript. lib. 6, & in cap. super quibusdam de verbor. significat.* A qua quidem quæstione & controuersia consulto in præsentiarum supersedeo, cum non per tempus liceat omnia ad vnguẽ pertractare. Videatur Syluest. vbi supra.

Tertia Conclusio.

Laicus licite retinens decimas ab Ecclesia in feudũ, de licẽtia Episcopi, bene potest eiusmodi feudũ in aliũ transferre.

LAicus licite retinens decimas ab Ecclesia in feudum de licentia Episcopi, bene potest eius modi feudum in Ecclesiam vel alium Religiosum locum transferre. Hæc conclusio est supradicti Syluestri vbi supra in tertio dicto, & probat eam ex dicto *cap. cum Apostolica, de ijs quæ fiunt à Prælatis.* Non desunt turisperiti, qui dicant posse etiam feudum illum transferre in alium laicum de consensu Episcopi, qui ex hoc non dicetur eas dare tunc in fœudum, iuxta *cap. 2. de feudis*, sed multi alij omnino tenent contrarium, à qua etiam controuersia pro nunc consulto supersedeo, videatur ibidem.

Quarta Conclusio.

Ecclesia sine simoniæ metu bene potest decimas ab iniusto possessore redimere.

ECclesia sine simoniæ metu, redimere potest decimas ab iniusto laico possessore auctoritate Episcopi, quando ex tali pecunia nullum ius de nouo adquiritur, alias vero non. Hæc conclusio est supradicti Syluestri vbi supra in quarto dicto, & probat eam ex ijs quæ dicunt communiter Doctores, in *cap. dilectus, el 1. de simonia*, & etiam ratione, quia licitum est cuilibet ius suum redimere, & quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, vt puta pro iure decimarum (quod semper remanet penes Ecclesiam) sed pro temporali, idest pro fructibus decimarum, & eadem ratione, inquit, quod possessor licet malefaciat, simoniam tamen non committit. Aliqua alia circa hoc sese offerebant dicenda, quæ videri poterunt, apud Syluestrum loco vbi supra.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Religiosi & Regulares, ex communi iure aut saltim ex speciali aliquo priuilegio, exempti sint à prædictarum decimarum solutione?

VEusque circa prædictam decimarum materiam, explicauimus quæ dicenda fuerunt visa, de iure communi & quantum ad omnes, nunc superest dicamus, an secundum idẽ ius commune vel speciale aliquod priuilegium aut priuilegia, Religiosi & Regulares in totum vel in partem, exempti vllo modo sint ab ipsarum solutione. Et quia in communi iure nõ nulla reperiuntur capitula & iura, quæ prima facie videri poterunt contraria, quibus continentur varia & diuersa priuilegia, quæ distinctis temporibus ex diuersis rationibus & causis data sunt Regularibus prædictis, à varijs Summis Pontificibus oportet vt prius summa breuitate, atque ingenti resolutione, de illis aliquid dicamus, explicando & declarando eorum diuersa tempora quibus fuere cõstituta, nam vt iure dicitur, distingue tempora & concordabis iura. Vt igitur id plenius & ordinate fiat, præmitto ex glossa in *cap. cunctis fidelibus, §. de ijs vero, 16. quæst. 1. & glossa in cap. ex parte, verbo, laborum suorum, de decimis*, quod ad decimas soluendas cuncti tenentur de iure communi, nisi aliqua ratione vel causa ostendant se esse exemptos, vt habetur in *cap. à nobis eodem tit. de decimis*, atque ita in primitiua Ecclesia, quando olim vt plurimum Monachi erant laici, decimas dabant de omnibus prædijs, & laboribus suis tamquam cæteri laici, idque iure, quia ipsi sicut cæteri cibo spirituali pascebantur à Sacerdotibus & Clericis. Qua de re videndus est Ostiensis, in *cap. dudum, de decimis*, pro quo etiam facit, *cap. alia causa, & cap. generaliter, 16. quæst. 1.* item & *cap. duo, 12. quæst. 1.* in fine, quod durauit vsque ad tẽpus Paschalis II. & Gregorij magni. Qui prædictus Paschalis Secundus in Concilio Magũtinensi, statuit, quod nec Monachi neque Religiosi, neque aliter communiter viuentes, decimas de suis laboribus persoluerent, vt habetur expresse, in *cap. quæsti, & in cap. decimas, 16. quæst. 1.* vbi etiam refertur Diuum Gregorium idipsum statuisse atque determinasse. Pro quo & refertur quædam ipsius Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, quæ habetur in *capit. quia tuo, 12. quæst. 1.* & pro hoc etiam facit *cap. 2. de decimis.* Tempore vero præcedẽte Adrianus Papa solis Cisterciensibus, Hospitalarijs, Hierosolymitanis, seu Templarijs hoc priuilegium concessit, vt de laboribus suis, quos propriis manibus excolerent, decimas non tenerentur soluere

Nota quod ad soluẽdas decimas, cuncti tenẽtur de iure cõmuni, nisi ex aliqua iusta & rationabili causa excusentur.

Nota circa decimarũ solutionẽ quæ inoleuit olim consuetudo iure antiquo.

uere. Alijs vero Monachis decimas concessit, tantum de noualibus, quæ colerent suis manibus, & de hortis & nutrimentis suorum animalium, prout constat ex *cap. commissam, & cap. ex parte, eodem tit. de decimis*, quod & per multum tempus ita obseruatum fuit, vt tradit supradicta glossa, in dicto *capi. ex parte, verbo, laborum suorum*, vbi ad hoc citat & allegat plura alia iura, dicitque ita debere semper obseruari, nisi forsan ex aliquo pacto, iuxta *cap. ex multiplici, de decimis*, aut nisi parochialis Ecclesia ex eo enormiter læderetur, iuxta *capi. dilecti, & cap. suggestum, eodem tit. & cap. quid per nouale, de verbor. signific.* vel nisi soluendo suo ipsi renunciarent priuilegio iuxta *capi. accedentibus, & capi. si de terra, de priuilegijs*. Addit tamen hæc quæ dicta sunt intelligenda esse de Monachis qui populum non regunt, nam si Monachi populum haberent, bene inquit possent recipere decimas personales & prædiales, iuxta *ca. moderamine, 16. quæst. 1.* Tandem concludendo dicit supradicta, quod Abbates Cistercienses, & alij qui simili priuilegio gaudent, de possessionibus quas acquisierunt post Concilium generale, vel de cætero acquirent, decimas soluere tenentur, pro quo citat, *cap. nuper, eodem tit.* vbi id expresse habetur, & hic est status, in quo auctor supradictæ glossæ, Monachos & Religiosos reliquit, circa prædictarum decimarum solutionem, neque in iure communi quidquam aliud ordinatum circa hoc reperitur, nisi constitutio Alexandri Quarti, quæ habetur in *ca. statuto, de decimis lib. 6.* vbi declaratur qualiter soluendæ sint noualium decimæ, & alia ad id ipsum spectantia & pertinentia, & Clementina, quæ incipit *Religiosi eodem tit.* vbi ponuntur pœnæ contra non soluentes decimas. Iis præmissis atque præsuppositis, superest nunc vt resolutiue dicamus, an ex nouo aliquo speciali priuilegio, nostro hoc tempore Religiosi & Regulares, exempti sint à prædictarum decimarum solutione? Cui difficultati respondetur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

Communiter & regulariter loquendo omnes nunc in vniuersum Monachi & Religiosi exempti sunt à decima. am solutione, per specialia priuilegia, quæ habent.

COmmuniter & regulariter loquendo, omnes nunc in vniuersum Monachi & Religiosi priuilegia habent, quibus exempti sunt à prædictarum decimarum solutione. Ad probandam conclusionem prædictam, si per tempus liceret, adducere oporteret omnia cunctarum Religionum priuilegia, quibus idipsum sibi conceditur, ex beneficio & gratia diuersorum Summorum Pontificum. Sed quia breuitas cui tãtopere studemus id nõ permittit, referre contentus ero ea duntaxat quæ ad Fratres Mendicantes pertinent. Et in primis habetur in nostri Ordinis Monumentis 1. impressione, fol. 58. & 2. fol. 241. concess. 334. & refertur in Compendio, *verbo, decimæ*, §. 1. quod Clemens Quartus concessit Fratribus Minoribus, *vt de hortis & virgultis suis, nulli decimam teneantur exhibere, ac districte inhibuit, ne quis ab eis de præmissis aliquid exigere vel extorquere præsumat*, & in Monumentis eisdem 1. impr. fol. 60. & 2. fol. 142 concess. 347. habetur, quod Sixtus Quartus extendendo concessionem Clementis suprapositam, in suo Mari magno in sequentia verba prorupit: *Indultum vero eiusdem Clementis prædecessoris de decimis non soluendis, ad quæcumque bona dictorum Fratrum, & quascumque decimas etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut alijs imminentibus persæpe necessitatibus indixit, & quæcumque alia onera, motu proprio & ex certa scientia extendimus, decernentes ipsos Fratres Minores, etiamsi per quoscumque exemptos & Mendicantes solui mandarentur, cum quibusuis derogatorijs & fortioribus clausulis à illarum solutionem non teneri, & ab illarum solutione cessando, censuras & pœnas aliquas nõ incurrere, nisi præsentibus non per generales, aut alias clausulas mentionem specialem importantes sit alias derogatum & specifice earum de verbo ad verbum inserto tenore.* Habetur in Compendio, verbo vbi supra, §. 6. Vbi etiam dicitur, quod idipsum concessit prædictus Sixtus Fratribus Prædicatoribus. Idem etiam concessit Fratribus Carmelitanis, vt habetur in eorum etiam Marimagno contento in dictis Monumentis 2. impressione, fol. 169. concess. 396. & fol. 213 concess. 542. item 1. impressione, fol. 96. & fol. 379. conc. 434. & additur ibidem, *quod neque de datii vel pedagijs, etiã si per Principes vel alios Dominos temporales imponantur, aliquid soluere teneantur.* Habetur in Compendio vbi supra.

Eugenius Quartus fecit aliam plenissimam exẽptionem à decimis, Fratribus & Monialibus Ordinis Prædicatorum, inferendo Bullam Martini Quinti, & Bonifacij Octaui, qui hoc idem prius fecerant. Habetur in Monumentis nostri sacri Ordinis, secunda impressione, folio. 262. concessione 681. & in Supplemento, folio 80. concessione 240. & refertur in Compendio, *verbo, decimæ*, §. 7. Vbi etiã §. 17. ex priuilegijs Fratrum Sancti Ioannis Hierosolymitani, refert priuilegiorum Collector, *quod Lucius Tertius, & Bonifacius Octauus præceperunt vniuersis Ecclesiarum Prælatis, quatenus eorum subditis auctoritate Apostolica inhiberent, ne à Fratribus Hospitalis Sancti Ioannis in eorum Episcopatibus commorantibus, de noualibus seu alijs terris, quas proprijs manibus, aut sumptibus excolunt, vel per suos arrendatores, aut alios quoscumque cultores ad tempus & non in perpetuum excoli faciunt, vel de animalium nutrimentis, seu aliorum in suis territorijs nascentium, vel de hortis, virgultis & piscarijs suis, decimas exigere aliquatenus præsumant, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione posposita compescendo, non obstante longa præscriptione seu potius violentia super dictis exactionibus eisdem Fratribus irrogata.* Hæc priuilegia pro Fratribus Mendicantium nostri sacri Ordinis, & Prædicatoribus Sancti Ioannis Hierosolymitani, reperiuntur in Monumentis Ordinis, reliqua quæ superfunt dicentur statim, nunc dicta sufficiant, progrediamur ad aliud, & sit Decimus Tertius Articulus.

ART.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum Moniales Sanctæ Claræ & earum bona, ſint etiam à decimis exempta?

Concluſio.

Non ſolũ Moniales S. Claræ, verũ etiam & aliæ quæcumq; Regulares perſonæ, quarũ reddit⁹ & prouentus Eccleſiaſtici, ſunt adeo tenues & exiles quod de illis ſuſtentari non poſſunt, & coguntur mẽdicare, exẽpti ſũt à decimarum ſolutione.

NOn ſolum Moniales Sanctæ Claræ, verum etiam & aliæ quæcumque Regulares perſonæ, quarum redditus & prouentus Eccleſiaſtici, adeo ſunt tenues & exiles quod de illis ſuſtentari non poſſunt, ſed pro habenda vitæ ſuæ ſuſtentatione neceſſe habent mendicare & eleemoſynas publice petere, decimas non tenentur perſoluere. Hæc concluſio habetur expreſſa, in quadam Extrauaganti Bonifacij Octaui, quæ incipit, *decimas*, & refertur in eodem Compendio, verbo, *decimæ*, §. 3. Et idem Bonifacius Octauus, vt refertur in eodem Compendio, verbo, *decimæ*, §. 4. ſpecialiter conceſſit vniuerſis & ſingulis Abbatiſſis & Cõuentibus Monialium Sanctæ Claræ, vt ad præſtationem decimarum, *de quibuſcumque poſſeſſionibus & omnibus alijs bonis quæ habuerint, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum ac etiam Legatorum & Nunciorum Sedis Apoſtolicæ, & quibuslibet Tallijs & collectis, & ad exhibendum pedagia, teloneа & alias exactiones, quibuſuis Regibus & Principibus, ſeu alijs perſonis minime teneantur, neque ad id compelli aliqualiter valeant.* Et in eodem Compendio, verbo vbi ſup. §. 6. habetur, quod Eugenius Quartus dedit pleniſſimam exemptionem prædictis Monialibus Sanctæ Claræ, & dicit inter alia, quod vult illas eſſe liberas ab omni decimarum, ſubſidiorum, gabellarum, pedagiorum, & aliorum huiuſmodi ſolutione, & contributione. Habetur in Monumentis ſupradictis, numeris iam ibidem relatis.

Et præterea Sixtus Quartus ſtatuit & ordinauit ac conceſſit, Abbatiſſis, Conuentibus, & Monialibus Sanctæ Claræ, *quod de quibuſcumque terris & poſſeſſionibus ad eas legitime pertinentibus & ſpectantibus, quas etiam per alios quam eorundem Monaſteriorum ſeruitores & ſubditos, excoli & cultivari faciunt, decimas vel primitias auctoritate tamen Apoſtolica nõ impoſitas quibuſuis perſonis, cuiuſuis dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis, vel conditionis fuerint, ſoluere minime teneantur, neque ipſæ aut ipſarum terrarum & poſſeſſionum coloni ſeu cultores, ob ſolutionem decimarum, primitiarum, aut cenſus huiuſmodi, per quẽquam moleſtari poſſint, aut propterea contra eos procedi & pœnæ aliquæ promulgari valeant. Ac inſuper decreuit irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingat attentari, non obſtantibus Conſtitutionibus, &c.* Habetur in eiſdem Monumentis, & refertur in Compendio, verbo, *decimæ*, §. 10. & in ſequenti §. 11. dicitur, quod Alexander Sextus ſtatuit, *quod Moniales Sanctæ Claræ, 1. & 2. Regulæ, ac Sorores tertiæ Regulæ, quæ licet aliquid proprij habeant, non tamen ſufficit eis ad quotidianas expenſas, ad ſolutionem alicuius decimæ ſeu taxæ, aut collectæ, pro tempore impoſitarum cogi non poſſint.* Habetur in Supplemento, folio 3. conceſſione 4. vbi etiam dicitur, quod Leo Decimus innouauit, litteras Alexandri Sexti, *quibus latiſſime conceſſerat Monialibus S. Claræ exemptionem à ſolutione decimarum, ac inſuper voluit, vt prædictæ Moniales & Sorores tertij Ordinis in Cõgregatione ſub cura & regimine Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ viuentes, ac illarum Monaſteria, domus & loca quæcumque, quorum fructus redditus & prouentus, pro Monialium & ſororum ac aliarum perſonarum in illis pro tempore degentium, commoda ſuſtentatione non ſufficiunt, ad ſolutionem cuiuſcumque decimæ, ſeu taxæ vel collectæ, aut exactionis per Sedem Apoſtolicam vel eius Legatos ſeu Nuntios, aut quoſcumque alios quauis auctoritate fungentes pro fidei tuitione ſeu expeditione contra Turcas, vel recuperatione Terræ Sanctæ, aut quauis alia vrgentiſſima cauſa impoſitæ, etiam prætextu quarumuis cenſurarum & pœnarum Eccleſiaſticarum, in literis exactionis huiuſmodi appoſitarum, cogi aut compelli nequeant, & hoc voluit diſtricte obſeruari, ſub pœna excommunicationis, quam contrafacientes ipſo facto incurrant, & à qua nonniſi per Romanum Põtificem, pro tempore exiſtentem abſolui poſſint, ac decreuit irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis, à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.* Habetur in Supplemento, fol. 48. conceſſione 143. & refertur in Compendio, verbo vbi ſupra, §. 12. & in ſequenti §. 13. habetur, *quod idem Leo approbauit ac de nouo conceſſit priuilegium Eugenij Quarti & Sixti Quarti, per quod Moniales S. Claræ eximuntur pleniſſime à ſolutione decimarum, ſuarum terrarum & poſſeſſionum, etiam illarum quas per colonos faciunt cultiuari, ac etiam à gabellis & pedagijs, ſuper quo dat Conſeruatores omnes Prælatos Eccleſiaſticos.* Habetur in dicto Supplemento, fo. 44. conceſſ. 140. & refertur in Compendio, vbi ſupra §. 13. In eodem Compendio, verbo vbi ſupra, § 16. habetur quod Clemens Septimus confirmauit & de nouo conceſſit, literas Sixti & Leonis ſuprapoſitas, eximentes Moniales S. Claræ à ſolutione decimarum, dicens, *quod literas Sixti & Leonis prædeceſſorum ſuorum, & prout illas concernunt, omnia & ſingula in eis contenta approbat & innouat, & pro poſtori cautela ea omnia & eorum ſingula de nouo concedit, ſupplens omnes & ſingulas tam iuris quam facti defectus, ſi qui forſan intercreuerunt in eiſdem, & inſuper ſtatuit & ordinauit, quod perpetuis futuris temporibus, Abbatiſſæ & Moniales, & Monaſteria S. Claræ, Annunciationis & Conceptionis, ac tertiæ Regulæ S. Franciſci, terras & poſſeſſiones, tam per alienos quã proprios colonos & donatos, ac familiares Monaſteriorum ſuorũ coli & cultiuari facientes, & ad earum ſuſtẽtationẽ redditus ſufficiẽtes nõ habẽtes, de fructibus in illis creſcentibus Rectoribus Parochialiũ Eccleſiarũ, infra quarũ limites poſſeſſiones ipſæ conſiſtunt, aut quibuſuis alijs perſonis cuiuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis, conditionis fuerint, decimas aut primitias ſoluere minime teneantur, nec ad id á quoquam quauis auctoritate cogi & compelli poſſint, ſuper quo dat Iudices.* Hæc ſunt quæ pro dictis Monialibus S. Claræ referuntur in ſuprad. Monumentis Ordinis, & de nouo nihil dicendum occurrit.

ART.

ARTICVLVS XIIII.

Vtrum Confessarij Religiosi, teneantur in confessionibus, facere fidelibus cõscientiam de decimis?

Conclusio.

Religiosi confessarij sed maxime Ordinis Prædicatorũ, & Minorũ, tenentur hortari & monere fideles ad solutionẽ decimarũ, & contrariũ facientes, sunt excõmunicati.

CONfessarij Religiosi, sed maxime Ordinis Prædicatorum & Minorum, tenentur hortari & monere fideles ad solutionem decimarũ, & qui in concionibus vel confessionibus, aliquid dicunt ad auertendos ipsos à soluendis decimis, in excommunicationem incidunt. Hæc conclusio quoad primam partem, probatur ex *cap. discretioni vestræ, de decimis lib. 6.* vbi dicitur, quod Gregorius Nonus mandauit districte Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, *ne talia, quæ audientes à decimarum seu aliarum rerum Ecclesijs debitarum solutione retrahant, vel alias animas corrumpant audientium, in sermonibus suis, vel alibi proponere præsumant, imo verbo & opere informent eosdem, vt ad solutionem prædictorum prompti voluntatis animo sint intenti.* Et præterea Leo V. in Concilio Lateranensi, *statuit quod Fratres Confessores, teneantur hortari & monere, etiam sub onere conscientiarum suarum illos, quorum confessiones pro tempore audierint, cuiuscumque status & conditionis fuerint, ad soluendam decimas, siue aliam bonorum suorum seu fructuum quotam, in locis in quibus decimæ ipsæ aut similia solui consueuerunt, ipsisque illas soluere recusantibus, absolutionem denegare, & quod super hoc requisiti id populo etiam publice prædicare & persuadere teneantur.* Habetur in Supplemento iam supradicto folio 26. conc. 62. & refertur in Comp. *verbo, decimæ*, §. 14. Circa quod præceptum est aduertendum, quod ad tollendum scrupulum, Eug. IIII. concessit, *quod Fratres Minores non teneantur facere conscientiam de decimis in confessionibus, nisi quãdo fuerint requisiti ab ordinarijs, & quod tunc sufficiat dicere, facio tibi conscientiam, & inducere peccatorem quantum potuerint ad soluendum, nõ tamen propter hoc teneãtur retinere absolutionem.* Habetur in Monum. 1. impr. fol. 62. & 2. fol. 65. conc. 87. & in Supp. fol. 100. conc. 381. & refertur in Comp. *verbo, absolutio quoad seculares* 2. §. 2. super quod videantur quæ dicit ibidẽ priuilegiorũ Collector. Sed quod in excommunicationem incidant, Religiosi qui cõcionantur vel alias dicunt aliquid ad auertendos audientes à solutione decimarum, quæ debentur Ecclesijs, habetur expresse in Clement. *cupientes, de pœnis*, circa quam excommunicationem, videatur Caiet. in summa, tit. de excommunicat. casu 65. & Nau. in Man. cap. 27. n. 145. vbi explicant atque declarant latissime quænam requirantur ad incurrendam ipsam. Et insuper in eadem Clement. excommunicantur Religiosi, qui scienter siue ex industria, postposuerint pœnitentibus conscientiam facere de soluendis huiusmodi decimis, & postea non expiata hac negligentia commode cum possint, præsumpserint prædicare, quam etiam excommunicationem explicat Nauarr. vbi supra, num. 140. & hæc de isto Articulo, ac de tota Quæstione dicta sufficiant.

QVAESTIO L.

De Benefactoribus, & facultate, quam habent Prælati Regulares, applicandi eis merita & bona suorum Subditorum, in sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I

Vtrum Prælati Regulares, per Fraternitatis literas, Benefactoribus applicare possint merita & bona suorum Subditorum?

SVpra quæst. 9. ar. 2. agendo de auctoritate & potestate Generalis Ministri diximus nonnulla circa facultatem quam habent Religionum Prælati, ex speciali priuilegio ad concedendas aliquas indulgentias, nõ solum sibi subditis verumetiam & alijs personis secularibus. Superest nunc vt dicamus, an simpliciter possint applicare suis Benefactoribus, bona & merita suorum subditorum, ipsisque tribuere literas, quæ communiter nuncupantur, *Fraternitatis literæ*, Hispano sermone, *cartas de hermandad*, per quas eiusmodi bona & merita, cæteraque eorum suffragia sibi applicentur. Pro cuius Articuli resolutione, sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

Religionũ Prælati iure optimo possunt bona & merita suorũ subditorũ benefactoribus suis applicare & cõmunicare.

REligionum Prælati, iure optimo Benefactoribus applicare possunt, bona & merita suorum subditorum, illisque tribuere literas per quas eorum participes fiant. Hæc conclusio probatur in primis, ex speciali concessione in id facta per Vrbanum Quintum, cuius fit mentio in nostri sacri Ordinis Monumentis secunda impressione, folio 261. concessione 671. & in Supplemento, folio 104. concessione 459. & refertur in Compendio, *verbo, indulgentiæ, quoad seculares* 4. §. 6. vbi expresse habe-

tur, *quod prædictus Vrbanus V. concesſit, vt Generales & Prouinciales totius Ordinis Minorum, communicare posſint ſuffragia, indulgentias, orationes, & bona ſpecialia benefactoribus Ordinis.* Quam quidem facultatem habent etiam per viam communicationis, omnes Religionum Prælati, quin vero crediderim id ſibi competere ex iure communi, & quod prædicta conceſſio, nihil omnino aliud continet, quam ius commune. Vt enim inquit D. Thomas, in 4. ſentent. diſt. 20. q. 1. arti. 1. & in addit. ad 3. partem, quæſt. 26. arti. 1. in corpore, & tradit Nauarrus in tract. Miſcellaneorum de Pſalterio & Roſario Virginis Mariæ Miſcellan. 11. num. 4. & in Comment. de Iubileo & indulgentia, notabili 31. numer. 18. de iure communi loquendo, quilibet Prælatus cuiuſcumque Congregationis, poteſt bona & merita ſuorum ſubditorū, Benefactoribus ſuis communicare & applicare. Quod & probari poteſt multis efficaciſſimis rationibus, & primo, nam certum eſt, quod quilibet ſubditus in particulari, poteſt bona ſua alijs applicare vt enim inquit D. Thomas loco ſupracitato, licet vnus pro altero conteri & confiteri non poſſit aut mereri (nam hæc ſunt perſonalia, & quæ alijs non poſſunt communicari, de quibus habetur in Pſal. 71. quod reddet Deus vnicuique ſecundum opera ſua) poteſt tamen vnus pro altero ſatisfacere quo ad pœnam temporalem pro peccatis debitam, idque facere optimum eſt conſilium, iuxta illud Pauli ad Galat. 6. alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, cuius rationem diuerſitatis tradit ibidem D. Thomas, ſed quantum ad noſtrum propoſitum attinet, ſat fit ſcire, quod id fieri poteſt eo modo, quo etiam in iudicio humano alter pro altero debitum alicuius poteſt ſoluere, quāuis non ita promereri gratiam, ſiue iram placare. Si igitur quælibet perſona particularis, cui voluerit bona ſua poteſt applicare, quidnam obſtat, quo minus & Prælatus, qui caput eſt Congregationis, ſiue Vniuerſitatis, ex rationabili cauſa ſuorum ſubditorum bona & merita applicare poſſit benefactoribus ſuis? Quod etiam confirmatur ex decreto Pelagij Papæ, in *c. nullam* 18. *quæſt.* 2. vbi inquit, *quod tota bonorum Monaſterij adminiſtratio, pertinet ad Abbatem, & eſt penes ipſum Abbatem.* Quæ verba explicando & declarando ibidem prædictus Nauarrus, & etiam locis ſupracitatis inquit, non ſolum eſſe intelligenda de bonis temporalibus, verum etiam & de bonis ſpiritualibus, nam eorum etiam adminiſtratio & diſtributio in Monaſterijs, ad prædictum Abbatem ſpectat, idemque eſt iudicium de omnibus alijs Prælatis Regularibus: atque ita de ſpecialibus bonis ſuorum ſubditorum, poſſunt Abbates & Prælati Regulares prædicti, iuſta exigente & rationabili cauſa, pro modulo ſuæ deuotionis, bona & merita atque ſatisfactiones, eas vel maxime quibus ipſi ſubditi non indiguerint, ſuis benefactoribus communicare & applicare. Quod non eſſe nouum ſed antiquiſſimum in Eccleſia, probat latiſſime Thomas Valdenſis lib. de ſacramentalibus, c. 24. dicens, quod Paulus & Ioannes & Iudas Apoſtolus & Timotheus, & Siluanus communicauerunt ſpecialiter ſuas orationes ſuaque bona opera quibuſdam particularibus Chriſtianis, ſibi amicioribus, magiſque de illis benemeritis, & conſequenter inuehitur in Vuiclef hæreticum, peſſime aſſerē tem & dicentem, non poſſe ſupradictos Religionū Prælatos, dare ſibi deuotis ac benefactoribus prædictas literas fraternitatis, quibus ſuas orationes, & ſua bona opera eiſdem communicent. Videatur hac de re Soto in 4. diſt. 21. q. 1. ar. 4. concl. 2. latiſſime. Nunc ſupereſt vt eadem breuitate atque reſolutione dicamus & explicemus, quidnam illud ſit, quod per ipſas communicatur de quo in ſequenti Articulo.

Quā ſuerint antiquū in Eccleſia, cōcedere literas ſiue chartas fraternitatis.

ARTICVLVS II.

Quidnam proſint prædictis Benefactoribus, ſupradictæ literæ Fraternitatis, & quæ ſint illa, quæ per eaſdem ſibi applicantur & communicantur?

NOn parui eſt momenti, ſed magni difficultas præſentis Articuli, & quæ longiorem requirebat tractationem & diſputationem, quā nunc per tempus facere licet, ſed breuitate & reſolutione ſolita dicēdum vtcumque quæ ad eandem ſpectāt. Et ratio dubitandi eſt: nam videri forſan cuipiam poſſet, vanā atque inutilem, omnino que otioſam eſſe prædictā ſpecialem orationum ac bonorum operum applicationem & communicationem. Nam vel quiſpiam eſt in gratia vel non. Si hoc vltimū dederis (quod abſit) nullius prorſus eſſe videtur momenti, prædictorum bonorum applicatio non exiſtenti in gratia. Si vero in ea quiſpiam ſit, non etiam neceſſaria eſſe videtur applicatio & communicatio ſupradicta, nam vt tenet cōmunis doctrina, traditque ſpecialiter D. Thom. opuſc. 6. in expoſitione Symboli concl. 24. explicando verba illa, Sanctorum cōmunionem, omnia bona opera facta in gratia & charitate, eo ipſo ſiue ipſo iure & facto, ſine ſpeciali aliqua applicatione, cōmunicantur omnibus iuſtis, exiſtentibus in dicta gratia & charitate, adeo vt dicat ſuprad. D. Thom. loco ſuprac. quod omnis iuſtus, & qui incipit eſſe Deo gratus gratia gratū faciente, incipit etiam eſſe particeps omnium bonorum, quæ fiunt in toto mundo. Id quod & neceſſario eſſe dicendum videtur, ſecundum fidem, cum contineatur expreſſe in dicto Symbolo Apoſtolorum, cuius eſt vnus ex articulis credere Sanctorū cōmunionem, mutuamque inter ipſos quorumcūque bonorum operum participationem. Cui etiā concinit & illud, quod Regius olim Pſaltes dixit Pſal. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua. Cuius & rationem reddit D. Thom. in d. opuſculo, explicādo ſuprad. verba, nam ſicut inquit in corpore naturali operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis, ita etiā in corpore myſtico ſiue ſpirituali, quod eſt Eccleſia, cum teſte D. Paulo ad Rom. 12. omnes fideles ſint vnum corpus ſinguli autē alter alterius membra, bonum vnius membri, ipſo facto atque ipſo iure, alteri applicatur & cōmunicatur. Si id igitur ita eſt, ad quid ſpecialibus benefactoribus proſunt, fraternitatis prædict. literæ, & quæ ſunt illa, quæ per ipſas ſibi applicantur & communicantur? hanc quæſt. atque difficultatē mouet Nauarr. in ſupradi-

pradicto tractatu centum miſcellaneorum de Pſalterio & Roſario Virginis Mariæ, Miſcellaneo. 11. numero 2. quæſt. 3. 4. & 5. explicando & declarando bona, quæ ex eiuſmodi Confratris ſocietatibus, ſiue Fraternitatibus conſequuntur, de cuius reſolutione ſequentem ſtatuo concluſionem.

Concluſio.

Negari nullatenus poteſt, quin multum proſint benefactoribus, confraternitatis literæ.

NEgari nullo modo poteſt, quin quammaxime proſint, Benefactoribus ſupradictæ Fraternitatis literæ, & ſpecialis atque actualis applicatio orationum, operumque bonorum quæ fiunt in Religionibus & Congregationibus, facta à Prælatis earundem Religionum & Congregationum. Hæc concluſio eſt ſupradicti Nauarri, vbi ſupra, cuius & rationem reddit, nam per eiuſmodi literas & ſpecialem atque actualem bonorum operum applicationem, proſunt Benefactoribus prædictis quoad vim ſatisfactoriam, eiuſmodi opera de iuſtitia & de condigno, quo quidem modo non fit communicatio ipſo iure, operum bonorum, quæ fiunt à ſanctis, abſque aliqua ſpeciali & particulari applicatione. Hanc doctrinam eſſe dicit expreſſam Diui Thomæ, in 4. diſtin. 45. quæſtione ſecunda, articulo primo, quæſtione quarta, & Paludani, & omnium Doctorum communiter, alioquin, inquit ſupradictus Paludanus ſequeretur, quod omnis peccator eo ipſo quoad Deum conuertitur ac fit iuſtus, eſſet abſolutus ab omni pœna, debita peccatis ſuis, quoad culpam iam condonatis, ſiquidem ad ſoluendas huiuſmodi pœnas in Eccleſia infinitus eſt meritorum theſaurus, cum in eo ſit etiam repoſitus valor meritorum Chriſti, quæ fuerunt infinita, vt habetur in Extrauaganti *vnigenitus, de pœnitentia, & remiſſione*, quo fit, quod ſi ipſo facto applicaretur prædictus theſaurus ad ſoluendas pœnas, quas iuſti debent peccatis ſuis debitas, etiam ipſo facto ipſi abſoluerentur ab eis, quod quidem eſt falſum & contra communem ſententiam, quinvero & contra Concilium Tridentinum, ſeſſ. 25. in decreto de indulgentijs. Sed dices vlterius, ſi id ita eſt, quid igitur prodeſt ſupradicta ſanctorum communio, mutuaque bonorum operum communicatio, quæ fiunt à ſanctis, ſi ipſo iure & facto, quoad valorem ſatisfactorium, de iuſtitia & de condigno, alijs iuſtis & ſanctis non communicantur & applicantur? ſeu quid eſt id quod ipſo iure, ipſoque facto ijſdé communicatur? huic difficultati reſpondet ſupradictus Nauarrus, vbi ſupra quæſtio. 3. dicens, quod prædicta Sanctorum communio, non quidem prodeſt ad adquirendam via iuſtitiæ, & de condigno gratiam, nec augmentum ipſius, nec ſalutem alacritatem aut aliquod aliud bonum ſpirituale vel tẽporale, vt late proſequitur Diuus Thom. in dicto 4. ſentent. diſt. 45. art. 1. quæſt. 1. & 1. 2. quæſtio. 114. art. 6. & 8. afferens illud Hierem. capit. 13. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum, &c.* quod intelligendum eſſe dicit, de iuſtitia & de condigno, prodeſt tamen ad promerenda ſupradicta omnia, ex mera Dei liberalitate & ex merito, quod dicitur de congruo. Licet enim quilibet exiſtens in gratia, poſſit de iuſtitia & de condigno, mereri ſibi augmentum eius, nemo tamẽ poteſt de condigno mereri eamalteri, nec augmentum eiu vno excepto Chriſto, vt tenet communiter omniũ DD. Scholaſticorum opinio, bene tamẽ de cõgruo. Nec per hoc exiſtimandum eſt, quod proſit parum communicatio orationum prædicta, aliorumque bonorum operum ſeu meritorum quoad vim merendi, quia nihil prodeſt ad merendum via iuſtitiæ & de condigno vt dictum eſt, nam non modicũ eſt quinvero magnum, multumque æſtimandũ ſupra dictum meritum de cõgruo, vt latiſſime tradit prædictus Nauarr. vbi ſup. & in Enchir. de orat. ca. 10. n. 46. plerumque enim contingit, quod maiora impetrantur & dantur per viam liberalitatis, cõgruitatis & gratiæ, quam per viam iuſtitiæ, nãque qui in vinea regis fodit, via iuſtitiæ certum quid tantũ promeretur, qua via Reginæ preces non poſſunt eidem aliud tantundem mereri, at via liberalitatis & magnificentiæ, plus Regina vno verbo mereri poteſt illi, quam ipſe centum dierum operibus. Sic igitur in propoſito, licet via iuſtitiæ quiſque ſibi plus per ſe mereri poſſit quam per alios, via tamen decentiæ & magnificentiæ, ſæpe plus per alios meretur quam per ſe. Et ad hoc deſeruiunt merita Sãctorum, & hic eſt fructus qui conſequitur ex communione ipſorum. Concludendo itaque dico, quod per literas Fraternitatis prædictas, ſpecialemque & actualem applicationem bonorum operum, quę fiunt in Religionibus per eorundem Prælatos factam, applicantur & communicantur prædictis benefactoribus ſupradicta bona opera, quoad vim ſatisfactoriam, de iuſtitia & de cõdigno, ad hunc ſenſum, vt per ipſa ſatisfaciant ſicut & per ſua bona opera tenebantur ſatisfacere. Quoad meritum autem proſunt etiam illis de congruo, ad impetranda ex diuina liberalitate & gratia, illa omnia bona de quibus diximus ſupra, quamuis non de iuſtitia & de condigno, quod nec modicum, ſed multũ æſtimandum eſt. Licet enim nullum meritũ de congruo, quamlibet magnum & cuiuſcumque illud ſit, quoad rationẽ debiti perueniat aut peruenire poſſit ad gradum meriti de condigno, aliud tamen alio eſt ſeu eſſe poteſt maioris perfectionis & gradus, ratione perſonæ, modi, loci, & temporis, & iuſtitiæ rogantis atque merentis. Sicut enim preces maioris, cæteris paribus, apud rogatum magis merentur de congruo, quam minoris, & multiplicatæ preces, magis valere ſolent quã ſimplices, & feruentes atq; obnixæ, magis quã tepidæ & laxæ, & quæ ſpecialiter pro vno, pluſquã quæ generaliter pro omnibus, ita & interceſſiones & Sanctorũ & Iuſtorũ merita apud Deũ, prætermiſſa ratione ſatisfactionis & valore ſatisfactorio ſuorũ operum (de quo diximus ſupra, quod pertinet ad iuſtitiã, & meritũ de condigno) quantum attinet ad prædictũ meritum de congruo quãmaximi ſunt meriti, ad adquirendũ bona illi, pro quo applicantur, pro quibus rogãt, & pro quibus ſua bona operafaciũt. Vnde licet multũ proſit cõmunicatio illa generalis de congruo, quæ fit ipſo iure omniũ bonorum iuſtorũ, per cõmunẽ & generalẽ omniũ SS. cõmunionem, facta tamen ſpecialis & actualis cõmunicatio de aliquibus bonis abipſo operãte, ſeu à Prælato in id auctoritatẽ habẽte, abſq; dubio plusmulto prodeſt, & quãmaximi proinde ſunt faciendæ & æſtimãdæ ſuprad. Confraternitatis literę & cõmunicatio ſpecialis, quę ſpecialiter fit de totmillibus

Nota quid pro ſint Cõfraternitatis literæ, quæ dãtur in Religionibus.

Religioſorum bonis, quæ communiter habentur in Religionibus. Per quod fit ſatis ei quod quærebatur in propoſito Articulo.

ARTICVLVS III

An Religionum Prælati per ſupradictas literas, applicare poſſint benefactoribus ſuorum ſubditorum bona, etiam ipſis nolentibus, ſeu quibus ipſi indigent?

HAnc difficultatem mouet ſupradictus Nauarrus loco vbi ſupra Miſcell. 11. numer. 9. quæſt. 9. & Soto in 4. ſententiarũ diſt. 21. quæſt. 1. arti. 4. conc. 2. Corduba in ſuo quæſt. magno, lib. 5. de indulg. quæſt. 42. art. 5. in 4. dicto & pro ratione dubitandi facit, nam vt communiter dicitur, charitas eſſe debet bene ordinata, iuxta illud quod habetur in Canticis, cap. 2. *ordinauit in me charitatem*, certum eſt quod charitas bene ordinata, incipit ſeu incipere debet à ſe ipſo, nec conſonũ rationi videtur, vt bona quibus ſubditi egent, ipſis nolentibus benefactoribus prædictis applicentur, haud enim modica, ſed maxima iniuria ſibi fieri videtur, contra ipſorum voluntatem illos bonis ſuis ſeu bonorum fructibus ſpoliare. Quibus & accedit, quia nec Papa id ipſum facit de bonis communibus Eccleſiæ factis à ſingularibus perſonis, non enim Summus Pontifex indulgẽtias concedit, niſi de theſauro Eccleſiæ, neque in theſauro prædicto communi reconduntur, niſi illa tantummodo bona, quæ operanti & facienti ſuper ſunt. Qua quidem ratione benefactoribus hoc à prædictis ſubditis expoſtulantibus, iure optimo reſponderi poſſet, id quod & in Euangelio, Matth. 25. reſpondiſſe feruntur Virgines, alijs petentibus ſibi oleum in aduentu ſponſi, *ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes & emite vobis.* Hæc faciunt pro ratione dubitandi, ad probãdum quod Religionum Prælati, non poſſunt benefactoribus applicare bona ſuorum ſubditorum, quibus ipſi indigent, illis nolentibus. Sed ijs nihilominus non obſtantibus, probabiliſſimum videtur alijs, quod Religionum Prælati graui imminente neceſſitate, ſuorum ſubditorum bona etiam ipſis nolentibus, & quibus ipſi indigẽt, benefactoribus ſuis poſſunt applicare & communicare. Vt autem ſciatur quid hac in re obſeruandum ſit, pro propoſiti Articuli reſolutione, ſequentes ſtatuo Concluſiones.

Prima Concluſio.

Communiter & regulariter loquẽdo, Prælati non poſſunt aut debẽt ſuorũ ſubditorũ bona quib⁹ indigent illis nolentibus alijs applicare.

COmmuniter & regulariter loquendo, Prælati non poſſunt aut debent, ſuorum ſubditorum bona opera, benefactoribus ipſis nolentibus, ſiue quibus ipſi indigent applicare & communicare. Hæc concluſio eſt expreſſa Nauarri vbi ſupra, quã & probat ex eo, quia Prælati ſecundum Apoſtolũ, 1. Corinthior. 10. acceperunt poteſtatem in Eccleſiæ ædificationem, non vero in deſtructionem, deſtruere autem non vero ædificare videtur Prælatus, qui merita ſeu potius ſatisfactionem ſibi ſubditi, quæ ipſe in particulari facit, pro particulari ſatisfactione ſuorum peccatorum, & quibus ipſe indiget alteri communicat, niſi ipſe ſubditus in id aliquo modo conſentiat. Quod & facere etiam eſſe videtur crudelitas, iuxta illud Imperatoris dictum in *leg. 2. C. de ſeruit. & aqua.* vbi inquit, *crudelitatem quãdam eſſe, vt aqua nata in vno agro, illo ſitiente rigetur alius.* Sed probatur præterea prædicta concluſio, nam cum ali quod opus fit determinate à ſubdito intendente ipſum actualiter vel virtualiter pro ſuis peccatis applicare, iam non eſt neque eſſe videtur, bonum commune totius Congregationis, vt poſſit illud Prælatus alteri cui voluerit applicare, maxime inuito ipſo operante & indigente eiuſmodi ſatisfactione, quin vero eſſe videtur bonum particulare ipſius perſonæ operantis, quoad dictã vim ſatisfactoriam: ergo de eiuſmodi bonis literæ Fraternitatis non poſſunt dari. Quod & confirmatur, ex ratione adducta ad rationem dubitandi, quia nullus Prælatus, nec etiam Papa & Epiſcopi, per indulgentias poſſunt applicare, niſi ea, quæ ſi non applicarentur, cederent in theſaurum ſuæ cõmunitatis: certum eſt autem quod non cedunt in theſaurum prædictæ Communitatis, niſi ea tantũ bona, quæ ſuperſunt facienti & operanti: ergo licet ſubditus ipſe ſi velit, tollere à ſe poſſit quod ſibi eſt neceſſarium alteri applicando, non tamen id ipſum eo inuito facere poteſt Prælatus. Videatur hac de re latiſſime Couarruuias in dicto ſuo quæſtionario magno, libro quinto de indulgentijs, quæſtione quadrageſima ſecunda, articulo quinto in tertio puncto, primo, ſecundo, tertio, & quarto dicto. Sed loquendo de aliquo ſpeciali caſu, ſit ſecunda Concluſio.

Secunda Concluſio.

In aliquo ſpeciali caſu & ex rationabili cauſa poſſũt Prælati, ſuorũ ſubditorũ bona quibus indigẽt etiam ipſis nolẽtib⁹ benefactorib⁹ applicare.

MVltum probabile eſt, quod in aliquo ſpeciali caſu, & ex rationabili cauſa, poſſunt Religionum Prælati, ſuorum ſubditorum opera etiam quibus ipſi indigent, eiſdemque nolentibus, alicui cui voluerint inſigni benefactori communicare & applicare. Hanc concluſionem tenent omnes Doctores ſupradicti, ſed ſpecialiter probat eam Soto, vbi ſupra, hac præcipua ratione, nam cum ſubditi ipſi vltro queant ſe ſuis ſatisfactionibus priuare, vt eas alijs ex charitate tribuant, nulla apparet ratio, cur iuſta & legitima exiſtente cauſa, non etiam id facere valeant Religionum Prælati, cum hoc non ſit eoſdem priuare ſuo eſſentiali merito apud Deum (nam hoc nullatenus amittitur, quin vero forſan augebitur) ſed tantummodo temporali ſubſidio ſiue ſatisfactione, vt dictum eſt. Quod & confirmatur ex eo, nam certum eſt in omni opinione, quod poſſunt Religionum Prælati, præcipere & iniungere aliquando ſibi ſubditis, vt faciant aliqua ſpecialia ſupererogationis ſatisfactoria opera, ad quæ ipſi alias non tenebantur, vt puta peculiarem orationem, diſciplinam & huiuſmodi, illaque pro alijs applicare (etiam ſubditis ipſis egentibus) ergo ſimiliter in illo ſpeciali caſu, ex rationabili cauſa per ſuprad. Fraternitatis literas, poterunt ſuorũ ſubditorum bona & ſatisfactoria opera, non ſolũ quæ

quæ ſibi ſuperſunt, verumetiam & quibus indigẽt ipſis nolentibus prædictis benefactoribus communicare & applicare. Neque eiuſmodi applicatio erit deſtructio, quin vero quammaxima ædificatio, argumento multorum iurium, quibus probatur Monachorum voluntatem pendere à iuſto Prælatorum arbitrio, vt habetur in *cap. quorundam, cap. Religioſos, de electione lib. 6.* & quia multa fieri non poſſunt regulariter, quæ poſſunt & debent fieri in aliquo caſu particulari, rationabili cauſa id expoſtulante. Supradicta omnia intelligenda ſunt de ſubditorum bonis quoad vim ſatisfactoriam, nam quãtum attinet ad vim meritoriam de congruo, omnia bona cuiuſcunque ſubditis & Congregationis, tã in particulari quam in communi facta, tam ſupererogatoria, quam neceſſaria ſeu obligatoria, poſſunt Prælati quibus voluerint applicare, quia quo ad hoc nullum fit præiudiciũ ſubditis, imo ex hoc fit melior operantis conditio, ex multitudine participantium. Quæ pro iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS IIII.

An Religionum Prælati benefactoribus ſuorum ſubditorum bona poſsint applicare, non ſolum futura, verum etiam præterita?

HAnc difficultatem in duplici ſenſu, inueſtigat ſupradictus Nauarro, loco ſupracitato, miſcella. 11. numero ſeptimo. Primo loquendo de perſona priuata, an ſcilicet quælibet priuata perſona, poſſit ſua bona alteri communicare, non ſolum futura, verumetiam præterita. Secundo loquendo de perſonis publicis quales ſunt Prælati, an id facere ſimiliter poſſint? quibus difficultatibus breuiter atque reſolutiue reſpondetur per ſequentes Concluſiones.

Prima Concluſio.

Bona ſatisfactoria Religioſorũ, antequã fiant, vel dũ fiunt debent applicari, nam poſtquãpræterita ſunt, quo ad vim ſatisfactoriã applicari nõ poſſunt ab operante, nec per Prælatũ ſuperiorẽ

BOna cuiuſlibet opera ſatisfactoria, ſi antequã fiant, vel dum fiunt nõ applicantur actualiter vel virtualiter per perſonam particularem illa facientem, vel per ſuperiorem, de cætero poſtquam facta ſunt à nullo eorum alicui in particulari poſſunt applicari. Hæc concluſio certiſſima eſt, & ratio eiuſdem eſt clara & manifeſta, nam eo ipſo quo non actualiter vel virtualiter, antequam fiant vel dum fiunt applicantur, reponuntur in theſauro cõmuni Eccleſiæ, vt exinde per indulgentias applicentur ab habente auctoritatem, non enim poſſunt facientes bona aliqua particularia, neque Cõgregationum Prælati, eadem quoad vim ſatisfactoriam reſeruare, vt ſint repoſitata quam in theſauro, vt ab eiſdem pro alio futuro tempore, cui voluerint applicentur. Etenim ſi concederetur, quod perſonæ particulares aut Prælati, theſaurizare ſibi poſſent aut reſeruare theſaurum particularem ſatisfactionum, vt ex eo poſtea poſſent illũ cui voluerint diſtribuere, ſiue communicare, ſequeretur quod Religioſorum ſatisfactoria bona, & opera etiam abundantia & quæ illis ſuperſunt, numquam reponerentur in theſauro communi Eccleſiæ, vt ex eo concederentur indulgentiæ, neq; Religioſorum defunctorum opera, per indulgentias ſeu alio modo vnquam poſſent applicari, quod non eſt dicendum. Quia eſſet contra rationem prædicti theſauri. Hanc concluſionem alia ratione probat prædictus Nauarro, loco ſupracitato, dicens, quod non poteſt quis iuſte donare vni, quod iam donauit alteri, iuxta *leg. quoties. ff. de rei vendicatione*, nec retinere, quod alteri vendidit, iuxta *leg. vendicantem ff. de euict.* & conſequenter neque qui valorem ſuorum bonorum operum vni dedit, poteſt poſtea illum alteri dare, ſed quicumque facit aliquod bonum opus, ſi non facit illud pro alio, videtur valorem eius applicare ſibi, quatenus eo indiget, & ſi pro alio facit eidem illud videtur applicare, etiam quatenus eo eget, & ſi neuter indiget ac nulli eſt neceſſarium in totum vel in partem, totum ſeu partẽ quæ neceſſaria non eſt, in generali Eccleſiæ theſauro velle videtur reponere, vt exinde congruo tempore ab auctoritatem habente diſpendatur. ergo bona ſatisfactoria, ſi antequam fiant vel dum fiunt non applicentur actualiter vel virtualiter, non poſſunt poſtea nec per facientem ſubditum, neque per ſuperiorem Prælatum, cui voluerint applicari.

Secunda Concluſio.

Prædicta bonã opera quantũ ad vim meritoriã, non ſolũ antequã fiant vel dũ fiunt, verũetiam poſtea poſſunt applicari.

PRædicta bona opera quantum ad vim meritoriam, bene poſſunt non ſolum antequam fiant vel dum fiunt, verumetiam poſtquam iam facta & præterita ſunt, per facientem ſiue ſuperiorem cui voluerint applicari. Hæc concluſio ſatis conſtat, ex ſupradictis in Articulo ſecundo, nam eiuſmodi meritum, non eſt meritum de iuſtitia aut de condigno vt ibidem diximus, ſed ſolummodo meritum quoddam de congruo, quod nihil eſt aliud quam eiuſmodi merita diuino conſpectui repræſentare, vt virtute talium meritorum, dignetur Deus, hoc vel illud ipſi concedere, ſpirituale vel temporale pro ſua magnificentia & liberalitate. Et quod eiuſmodi bona etiam præterita, quoad dictam vim meritoriam applicentur, nihil inconuenit, nam ex eis quoad eiuſmodi vim non congregatur indulgentiarum theſaurus, de quo videatur latiſſime Corduba in dicto ſuo quæſtionario, libro quinto de indulgentijs, quæſtione quadrageſima ſecunda, in tertio puncto. Quæ etiam breuiter pro iſto Articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS V.

Vtrum omnes benefactores æqualiter participent de bonis ſubditorum, quãdo eiuſmodi bona per Superiores, in dictis Fraternitatis literis ſibi applicantur?

Concluſio.

Nõ omnes benefactores, æqualiter participãt de ſubditorũ bonis per literas fraternitatis, ſed quilibet pro modulo ſuæ deuotionis.

NOn omnes benefactores æqualiter participant de ſubditorum bonis, quæ ſibi applicantur per prædictas fraternitatis literas, ſed quilibet pro modulo ſuæ deuotionis. Hanc ſententiam & concluſionem tenet expreſſe ſupradictus Corduba, loco vbi ſupra, in tertio puncto, in nono dicto, & probat eam ex eo, quia talis communicatio ſiue receptio ad participationem prædictorum bonorum, vt plurimum fit à Prælatis informatis de eiuſmodi perſonis, quod ij quibus conceduntur ſunt benemeriti & benefactores, qua ratione recipiuntur ad communicationem bonorum ſui Ordinis, vt patet ex ipſis literis fraternitatum, quo fit quod ſi talis cauſa propter quam recipiuntur non eſt vera, quia ſcilicet non ſunt benefactores, receptio eiuſmodi non valebit eis ad talem participationem, niſi ſecundum taxã ſiue ratam ſuæ deuotionis, hoc eſt ſecundum quod quilibet fuerit benefactor, nam deficiente cauſa finali, ſeu conditione conceſſionis, certum eſt quod deficit & conceſſio ipſa, nec valet niſi quantum accederit ad cauſam talis conceſſionis, quæ doctrina certiſſima eſt & vulgatiſſima in materia de indulgentijs. Cum hoc tamen ſtat, quod ſi quis Prælatus ſine vlla cauſa, ſed ad libitum vult quempiam recipere ad participationem bonorum ſuorum ſubditorum ex pura charitate motus, valebit eiuſmodi communicatio & participatio, ſecundum intentionem eius, qui illud ſibi communicauit, & quoad vim ſatisfactoriam, & quoad vim meritoriam. De quo videatur Pater Corduba, vbi ſupra latiſſime, quæ pro iſto Articulo breuiter dicta ſufficiant.

ARTICVLVS VI.

Quænam verſetur differentia, inter prædictam communicationem bonorum operum, quæ fit à Prælatis in dictis literis Fraternitatis, & Indulgentias?

HAnc quæſtionem atque difficultatem tangit Diuus Thomas, in quarto ſententiarum, diſtinction. 20. articulo 3. & 4. & Soto in eodem 4. diſtinctione 21. quæſtione prima, articulo quarto, & Nauarro vbi ſupra, in dicta miſcell. 11. numero quarto, quæſtione ſexta, & prædictus Corduba, in dicto ſuo quæſtionario, libro quinto de indulgentijs, quæſtione 42. in 4. puncto. De quorum omnium reſolutione, ſequentem ſtatuo Concluſionem.

Concluſio.

Inter prædictã bonorum cõmunicationẽ & indulgẽtias quintuplex verſatur differentia. I. differentia.

INter prædictam bonorum communicationem, & indulgentias, quintuplex verſatur differentia.

Prima differentia eſt, quia Prælati ſeu perſonæ particulares, applicantes ſua vel ſuæ Communitatis ſuffragia & bona opera quæcumque illa ſint, non vtuntur iuriſdictionis claue vllo modo auctoritatiue, nec propria auctoritate remittunt aut relaxant peccatorum pœnas, ſed ſolummodo applicant ea ipſis ex charitate, ſine vlla iuriſdictionis auctoritate, at in conceſſione indulgentiarum, vere & proprie reperitur eiuſmodi iuriſdictio, & auctoritatiue prædictæ peccatorum pœnæ relaxantur.

II. differẽtia.

Secunda differentia eſt, quia in indulgentijs ſicut & in ſacramentis, applicantur merita paſſionis Chriſti, & hoc nonniſi per clauem Eccleſiæ & de communi theſauro eiuſdem, at communicatio ſuprædicta bonorum, non fit per clauẽ Eccleſię, neq; de communi theſauro ipſius, ſed de bonis illius cõgregationis quorum fit diſpenſatio, nec fit aliqua auctoritate poteſtatis ſuper Eccleſiæ theſauro, aut particularis perſonæ ſiue communitatis, ex quo non poſſunt iſti particulariter ſibi theſaurizare, vt dictum eſt, ſed ſolum fit poteſtate communi naturali, quam quilibet habet in bonis ſuis, aut ſibi commiſſis, ad diſtribuendum ſiue donandum ea alijs. Vnde fit quod per Indulgentias liberatur homo in foro Dei & Eccleſiæ, à pœnis debitis etiam iniunctis per Confeſſorem, quia conſtat de infinitate prædicti Eccleſiæ theſauri & de eius ſufficientia, & quia fiunt auctoritate eius, qui à lege & Eccleſiæ obligatione, per talem ſatisfactionem per viam indulgentiæ factam liberare poteſt, at per prædictas communicationes bonorum operum, etiam ſi fiant per Papam, cum non fiant niſi de bonis perſonarum particularium aut Congregationum, quæ nec ſunt infinita, nec conſtat eſſe ſufficientia ad talem ſatisfactionem non liberatur homo (ſaltim in foro Eccleſię) à pœnitentijs iniunctis per Sacerdotem neque vim habent indulgentię, ſed dicuntur communicationes & ſuffragia, prout tenet Diuus Thomas in quarto ſententiarum, diſtinctione vigeſima, articulo tertio & quarto, & in additionibus ad tertiam partem, quęſtione 26. articulo primo.

III. differẽtia

Tertia differentia eſt quam ſupra diximus, quia quoad vim ſatisfactoriam, non applicari poſſunt, bona perſonarum particularium, aut communitatis iam facta, ſed ſolummodo præſentia vel futura nec poſſunt reſeruari in theſaurum particularem futurum, vt dictum eſt in quarto Articulo, at per indulgentias applicantur ſatisfactiones præteritæ, non ſolum Chriſti, verumetiam & Sanctorum omnium, repoſitæ in communi Eccleſiæ theſauro.

Qui-

Quarta differentia. Quarta differentia eſt, quod indulgentiæ vt tales, ſolummodo valent ad ſatisfactionem pœnarũ Deo pro peccatis præteritis debitarum, & quoad culpam iam dimiſſis, at communicationes bonorũ prædictorum, valent præcipue ad impetrandum bona & remouenda mala, & alia de quibus ſupra, per viam meriti de congruo, & valent etiam ad ſatisfactionem pœnarum pro alijs ſi in id applicentur, ad ſenſum ſupradictum.

Quinta differentia. Quinta differentia eſt, quod indulgentiæ valent ſolum quoad ſatisfactionem peccatorum, iam cõmiſſorum ante tempus quo quis illas lucratur, ſeu conſequitur ipſarum fructum, at communicationes bonorum prædictorum, valent ad remedium malorum præteritorum, præſentium & futurorũ, & ad impetrationem & conſeruationem bonorũ, & ad ſatisfactionem pœnarum debitarum, ſi vt dictum eſt, ad id ſpecialiter applicentur, quæ pro iſto Articulo ac tota Quæſtione dicta ſufficiant.

Supradicta omnia in hoc primo & ſecundo Tomo noſtri Enchiridij, Manualis ſiue directorij Prælatorum Regularium contenta, libens ſubmitto, limæ ac correctioni ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ, & Sanctiſſimi Domini noſtri eiuſdem ſupremum clauum tenentis, ac Illuſtriſſimorum Cardinalium præfectorum explicationi atque declarationi ſacroſancti Concilij Tridentini de cauſis ſpectantibus ad Regulares, nec enim vnquam in votis nobis fuit aut erit proterue aliquid dicere, ſed ſolum modo complecti, quæ ab alijs dicũtur, & breuiter ac ſummatim referre, certa vt pro talibus habeantur, dubia vero ſub dubio relinquentes, declarationem in his quibus neceſſaria eſt, ſummo deſiderio expectantes, ac tandem omnia remittentes iudicio cenſuræ atque determinationi cuiuſlibet alterius melius aliquid ſentientis. Quæ autem recte dicta fuerint, cedant precor in laudem & gloriam Dei Optimi Maximi, ſanctiſſimæque ſuæ Genitricis, & Seraphici noſtri Patris Franciſci, Antonij, Ludouici, Bonauenturæ, necnon & in communem totius Eccleſiæ, ſed præſertim Religioſorum omnium vtilitatem.

FINIS.

INDEX QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM,

Qui in hoc Prælatorum Regularium Manuali Secundo Tomo continentur.

QVAESTIO I.

De Prælatis Regularibus quantum ad genus, in octo Articulos diuiſa.

1 VTrum deſcendentes ex Iudæis, Sarracenis, ſiue Hæreticis, in noſtro ſacro Minorum Ordine, in Superiores atque Prælatos poſſint aſſumi?

Vtrum pœnæ poſitæ in ſupradictis Conſtitutionibus, contra deſcendentes ex Hæreticis, quorum oſſa & corpora intra quartam generationẽ, igni fuerint tradita & concremata propter hæreſim, comprehendãt etiam eos, qui nati fuerint, priuſquam ipſorũ parentes laberentur in dictam hæreſim?

3 Quidnam faciendum ſit, quãdo certum eſt & notorium, Religioſum quempiam ex Hæreticis parentibus intra quartum gradum deſcendere, dubitatur autem, an idipſum fuerit ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen?

4 Vtrum Superiores Prælati, Vocales ſiue Electores, eligere poſſint in Prælatum ſupradictum Religioſum, cuius certo ſcitur tritauam propter hæreſim fuiſſe concrematam & igni traditam: ignoratur autem, an ſui parentes ab ipſa deſcenderint. ante vel poſt commiſſum hæreſis crimen?

5 Vtrum comprehenſi in ſupradictis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & deſcendentes ex maculato genere, quacumque de cauſa ex ſupradictis in primo Articulo, ſint ipſo facto priuati dictis officijs & inhabiles ad ipſa, ante Iudicis condemnationem: an vero ſolum modo poſt ipſam?

6 Vtrum Superiores Prælati & Electores, in Prælatos eligentes huiuſmodi in dictis Conſtitutionibus comprehẽſos, ex genere maculato deſcendentes, incidant ipſo facto in excommunicationis pœnam, & in alias pœnas ibidem cõtentas?

7 Vtrum Fratres noſtri ſacri Ordinis, teneantur, aut poſſint huiuſmodi ex genere maculato deſcendentibus, & in dictis Conſtitutionibus cõprehenſis, ſi perperã eligantur in Superiores, & Prælatos obedire?

8 Vtrum deſcendentes ex ſupradicto maculato genere, in noſtro ſacro Minorum Ordine eſſe poſſint Prædicatores.

QVAESTIO II.

De Prælatis Regularibus, quantum attinet ad ipſorum legitimitatem vel illegitimitatem, in quatuordecim Articulos diuiſa.

1 VTrum illegitimi, ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas, poſſint promoueri & aſſumi?

2 Vtrum fuerint olim aliqua priuilegia Regularibus cõceſſa, quibus illegitimi ad Prælatias, & dignitates Eccleſiaſticas poſſent promoueri?

3 Vbinam fieri debeant ſupradictæ diſpenſationes cum illegitimis, & an fieri poſſint in Congregatione Capitulari, ſeu quod dicitur Capitulo intermedio?

4 Vtrũ Superiores Prælati Regulares, virtute ſupradictorum priuilegiorum, facultatem & poteſtatem habeant, legitimandi Religioſos ſibi ſubditos in totum: an vero ſolum facultatem diſpenſandi cum ipſis, vt ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas poſſint aſſumi?

5 Vtrum illegitimus diſpẽſatus in ſeculo vt beneficium curatum obtinere poſſit, factus poſtea Religioſus noua indigeat diſpenſatione, vt eſſe poſſit Prælatus Regularis?

6 Vtrum Religioſus illegitimus, cuius illegitimitas ſiue irregularitas eſt omnino occulta, diſpenſatione indigeat ad hoc vt ad Prælatias ſiue dignitates Eccleſiaſticas poſſit promoueri

7 Vtrum genitus ex concubina, poſt cuius profeſſionem in Religione approbata, pater eius ipſam in vxorem duxit, diſpenſatione indigeat vt poſſit eſſe Prælatus?

8 Quænam officia ſint iure prohibita illegitimis, ad quæ promoueri non poſſunt, ſine prævia ſufficienti diſpenſatione?

9 Vtrum filij Militum D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantarç, dicendi ſint naturales, an vero ſacri legi, & maiori indigeant diſpenſatione quam alij filij naturales aliorum, vt in Religionibus eſſe poſſint Prælati?

10 Vtrum diſpenſari poſſit cum filio illegitimo alicuius Religioſi, vt ad dignitates & prælatias promoueatur, in ea Religione in qua ipſius pater Prælationem obtinuit ſiue illam obtinet?

11 Vtrum ad diſpenſandum cũ illegitimis, ad hoc vt dignitates & Prælatias poſſint obtinere, neceſſario requiratur cauſa?

12 Quænam cauſa neceſſario requiratur, ad faciendam prędictam diſpenſationem?

13 Vtrum ad diſpenſandum cum aliquo illegitimo vt ad dignitates promoueatur, ſufficiat diſpẽſationẽ petere in communi, & an huiuſmodi diſpenſatio facta valeat?

14 Vtrum ſola electio, Religioſi illegitimi in Prę-

latum, facta ab habentibus auctoritatem & potestatem dispensandi, pro dispensatione sufficiat seu dispensatio censeatur?

QVAESTIO. III.

De Prælatis Regularibus, quantũ ad ætatẽ ipsorũ, & qualitates alias & conditiones, quas eosdem habere oportet, ætatem nempe, Ordinem, atque Professionem, in quatuor Articulos diuisa.

1 QVam ætatem habere debeant Guardiani siue Priores, Prouinciales & Generales nec non & Diffinitores, Discreti siue Vocales, qui mittuntur ad Capitulum Generale siue Prouinciale?
2 Vtrum Fratres Laici, in sacra nostra Religione, esse possint aut debeant Prælati?
3 Vtrum Religiosus aliquis, in vna & eadem Religione seu diuersis, habere possit duas dignitates siue Prælatias, vtpote duos Guardianatus Prioratus, siue Abbatias.
4 Vtrum Religiosus professus vnius Religionis, esse possit Prælatus alterius Religionis, absque eo quod eamdem profiteatur?

QVAESTIO. IIII.

De Prælatis Regularibus, quantum attinet ad scientiam, sufficientiam siue litterarum peritiã, quam ipsos oportet habere in duos Articulos diuisa.

1 VTrum oporteat Prælatos Regulares, pollere scientia & litterarum peritia?
2 Vtrum peccent grauiter siue mortaliter, Regulares qui eligi & præfici se sinunt in Prælationes & officia animarum curam habentia, sine sufficienti scientia & litterarum peritia, ipsosque eligentes?

QVAESTIO. V.

De Prælatis Regularibus, quantum ad alias qualitates & conditiones, quas ipsos oportet habere, nempe sentis ætatis, virtutis atque bonitatis, cæterarũque virtutum, in sex Articulos diuisa.

1 VTrum expediat, Prælatos Regulares esse, iuuenes an vero senes?
2 Vtrum oporteat Regulares Prælatos, esse spectatis moribus, timoratos, studiosos siue virtuosos, & quammaxime Deum timentes?
3 Vtrum expediat Regulares Prælatos, iustitiam simul cum clementia & misericordia, temperatam habere?
4 Vtrum expediat Iudices siue Prælatos Regulares, in suorum officiorum executione, in rebus arduis & difficillimis, quammagnam habere fortitudinem?
5 Quinam Prælati Regulares siue Iudices, in suis administrationibus & officijs, finem debeant sibi præstituere, & quid eosdem obseruare oporteat quam maxime?
6 Quantum debeant Iudices & Prælati Regulares, à donis & muneribus recipiendis abstinere?

QVAESTIO. VI.

De Capitulo Generali & electione Generalis Ministri, & his quæ ad dictum Capitulum celebrandum spectant, in sex Articulos diuisa.

1 QVonam tempore in nostro sacro Minorum Ordine, celebrandum sit Generale Capitulum?
2 De modo & forma seruanda in nostro sacro Ordine, pro celebrandis Generalibus Capitulis.
3 Vtrum omnes nostri Ordinis Fratres, teneantur semper habere vnum Generalem Ministrum?
4 Vtrum fuisset expediens, quod in toto nostro sacro Ordine, non esset nisi vnus dumtaxat Generalis Minister?
5 Vtrum Generalis minister totius nostri sacri Ordinis Minorum, secundum nostram Regulam deberet esse perpetuus?
6 Vtrum fuisset expediens quod Generalis minister nostri sacri Ordinis, & in vniuersum Religionum omnium Generales essent perpetui?

QVAESTIO. VII.

De Generali Ministro, quantum spectat ad ipsius iurisdictionem, auctoritatem & potestatem in sibi subditos, in qua ponuntur plura, in quibus nihil possunt Ministri Generales, & quæ solummodo Summo Pontifici sunt reseruata, in duodecim Articulos diuisa.

1 QVam auctoritatem & potestatem habeat in suos subditos Generalis Minister in nostro sacro Ordine?
2 Vtrum Minister Generalis in nostro sacro Minorum Ordine, circa sibi subditos, possit aliquid in rebus & causis spectantibus ad fidem?
3 Vtrum aliqua fuerint olim specialia priuilegia, quibus Religionum Prælati, sed præsertim Minister Generalis Ordinis Minorum & Prouinciales, ab hæresi crimine occulto, Fratres sibi subditos in foro conscientiæ possent absoluere, & an hæc sint reuocata hodie per Bullam, quæ dicitur Cœnæ Domini?
4 Quidnam sit faciendum, in casu quo neque Generalis Minister, nec alij Prælati Regulares, vti velint supradictis Clement. IIII. & Sixti IIII. concessionibus: & qualiter Regulares si forte (quod absit) in aliquam hæresim inciderint, ab eiusdẽ occulto crimine in foro cõscientiæ poterunt absolui?
5 Vtrum Generalis Ministris transferre possit Prouincialem Ministrum, ex vna in alteram Prouinciam?
6 Vtrum Generalis Minister eximere possit aliquem Religiosum, ab obedientia sui Prouincialis Ministri, seu illius Guardiani, in cuius Conuentu commoratur?
7 Vtrum Generalis Minister nostri sacri Ordinis

poſsit reſtituere degradatos & ſolemniter electos ab Ordine?
8. Vtrum Generalis Miniſter, auctoritatem & facultatem habeat interpretandi iura & priuilegia, pro noſtro ſacro Ordine Minorum à Sede Apoſtolica emanata?
9 Vtrum Generalis Miniſter & Religionum Prælati, propria auctoritate deſerere poſſint aliquod Monaſterium?
10 Vtrum Generalis Miniſter de nouo poſsit recipere aliquem Conuentum, ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ?
11 Vtrum Generalis Miniſter poſsit de nouo aliquam Prouinciam fundare & erigere, ſeu iam erectam & fundatam diuidere?
12 Vtrum Generalis Miniſter ſeu alius Prælatus Generalis, poſsit efficere ſeu diſpenſare, vt vnus Religioſus ſimul habeat duos Guardianatus ſiue Prioratus?

QVAESTIO. VIII.

Circa ſupradicti Generalis Miniſtri iuriſdictionē, & ipſius auctoritatem & poteſtatem in ſibi ſubditos, in qua etiam ponuntur plura, in quibus ipſe nihil poteſt, eo quod ſint de Iure communi ſummo Pontifici reſeruata, in quatuordecim Articulos diuiſa.

1 VTrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, circa ætatem, requiſitam ad faciendam profeſſionem, & ad recipiendos ſacros Ordines, & Ordinis officia retinenda?
2 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, in bigamia ad hoc vt ad ſacros Ordines poſsint promoueri?
3 Vtrum Generalis Miniſter & Religionum Prælati, diſpenſare poſsint cum ſibi ſubditis, in irregularitatibus prouenientibus ex vitio ſiue defectu corporis?
4 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cū Religioſis lepra infectis, & patientibus alias graues corporis infirmitates, vt ad ſacros Ordines promoueantur, aut promoti in ipſis miniſtrare poſsint?
5 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cū infamibus, ad hoc vt ad ſacros Ordines promoueantur: item & cum ſeruis inuitis ſuis Dominis?
6 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cū ſibi ſubditis, in irregularitate prouenientе ex illegitimitate, ſiue ex defectu natalium?
7 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cum ſibi ſubditis, in irregularitatibus prouenientibus ex animi ſeu animæ defectu?
8 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cū ſibi ſubditis, in irregularitate prouenientе ex defectu lenitatis?
9 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit, in irregularitate prouenientе ex homicidio voluntario, illicito atque prohibito publico?
10 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit, in irregularitate prouenientе ex homicidio voluntario, iniuſto & prohibito, ſed omnino occulto?
11 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cū ſibi ſubditis in irregularitate prouenientе ex mutilatione voluntaria alicuius membri?
12 Vtrum Generalis Miniſter diſpenſare poſsit cū ſibi ſubditis, in irregularitate prouenientе ratione homicidij voluntarij, ad hoc vt ad dignitates & Prælatias in Religione promoueantur?
13 Vtrum Miniſter Generalis diſpenſare poſsit cū ſibi ſubditis, in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio cauſali, & facto caſua propriæ defenſionis?
14 Vtrum Generalis miniſter diſpenſare poſsit in omnibus alijs irregularitatibus ex culpa ſiue delicto prouenientibus, exceptis tribus ſupradictis?

QVAESTIO. IX.

Circa iuriſdictionem, auctoritatem & poteſtatem ſupradicti Generalis Miniſtri in ſibi ſubditos, in qua etiam ponuntur plures caſus & cauſæ, in quibus nihil poteſt, eo quod de iure communi ſint ſummo Pontifici reſeruatæ, in decem Articulos diuiſa.

1 VTrum Generalis miniſter, Religionumque Prælati, diſpenſare poſsint in impedimentis matrimonij cum ſecularibus?
2 Vtrum Generalis miniſter & Religionum Prælati, facultatem habeant concedendi Indulgentias?
3 Vtrum Generalis miniſter diſpenſare poſsit in legibus latis à ſuis Superioribus, nempe à Papa ſiue à Concilio Generali, aut Prælati inferiores in legibus latis ab alijs ſuis Superioribus?
4 Vtrum Generalis miniſter diſpenſare poſsit in eo quod mulieres interiora noſtrorum monaſteriorum ingrediantur?
5 Vtrum Generalis miniſter diſpenſare poſsit in perſonali reſidentia Prælatorum Regularium?
6 Vtrum Generalis miniſter, diſpenſare poſsit in obſeruantijs Regularibus?
7 Vtrum Generalis miniſter diſpenſare poſsit cū ſibi ſubditis, ſuper tranſlatione ad alios Ordines?
8 Vtrum Generalis miniſter diſpenſare poſsit cū ſibi ſubditis, in voto Hieroſolymitano ac ſancti Iacobi, & viſitandi limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctæ Mariæ Lauretanæ?
9 Vtrum Generalis miniſter, poteſtatem habeat concedendi ſibi ſubditis licentiam, veniendi contra iuramentum licitum?
10 Vtrum Generalis miniſter poſsit abſoluere ſibi ſubditos, à caſibus ſpecialiter ſummo Pontifici reſeruatis, etiam à contentis in Bulla cœnæ Domini, & ab interdicto & ſuſpenſione à Diuinis?

QVAE-

QVAESTIO. X.

De alijs ſpectantibus, ad iuriſdictionem, auctoritatem & poteſtatem ſupradicti Generalis Miniſtri in ſibi ſubditos: & ad obedientiam illi debitam, & depoſitionem ipſius, cum deliquerit ſeu viſum fuerit non expedire, & ſubrogationem alterius, in ſeptem Articulos diuiſa.

1 VTrum Fratres Minores ſpeciali ratione & ſtrictiori obligatione, quam alijs quibuſcunque Prælatis, Generali Miniſtro teneantur obedire?

2 Vtrum Generalis Miniſter per ſe ipſum & ſine conſilio Patrum & Prælatorum Ordinis, Statuta ſiue conſtitutiones aliquas poſsit efficere?

3 Vtrum Generalis Miniſter per ſe ipſum ſolum ſtatuta in capitulis Generalibus ſemel facta, poſsit immutare aut derogare?

4 Vtrum Generalis Miniſter, ex officio teneatur totum Ordinem viſitare?

5 De conditionibus & qualitatibus Generalis Miniſtri.

9 De depoſitione & priuatione Generalis Miniſtri, cum deliquerit.

7 Quidnam ſit faciendum ſuperueniente vacatione Generalis Miniſtri, per mortem, promotionem ſeu renunciationem, aut aliam quamcumque cauſam?

QVAESTIO. XI.

De Commiſſario Generali Ciſmontano vel Vltramontano, inſtituto ſeu electo ſecundum formam & Bullam vnionis. & de Capitulo Generali intermedio & alijs ad eius auctoritatem & iuriſdictionem pertinentibus, in nouem Articulos diuiſa.

1 DE inſtitutione Commiſſarij Generalis, & de ipſius electione atque confirmatione.

2 Quænam ſit auctoritas Commiſſarij Generalis?

3 Vtrum prædictus Commiſſarius Generalis ſit Ordinarius Prælatus: an vero delegatus?

4 Vtrum Generalis Miniſter per ſe ſolum amouere poſsit prædictum Comiſſarium Generalem, aut ipſius iuriſdictionem ſiue poteſtatem limitare?

5 An ſit modo de facto aliqua Prouincia, ſeu aliquis Conuentus in Vltramontana familia, exemptus à iuriſdictione ſupradicti Commiſſarij Generalis Miniſtri?

6 De duratione officij ſupradicti Commiſſarij Generalis.

7 Vtrum in noſtris Generalibus Conſtitutionibus, ſint aliqua interdicta & prohibita ſupradicto Commiſſario Generali, & ſolum modo Generali Miniſtro reſeruata?

8 De Capitulo Generali intermedio, qualiter & quando ſit celebrandum?

9 Vtrum Generalis Miniſter ſiâ ſua familia velit diſcedere, in illis partibus poſsit, Commiſſarium Generalem inſtituere?

QVAESTIO. XII.

De Diffinitoribus Capituli Generalis & intermedij, in duos Articulos diuiſa.

1 QVotnam ſint eligendi Diffinitores in Capitulo Generali totius Ordinis ſiue in intermedio?

2 Quodnam ſit ſupradictorum Diffinitorum munus & officium?

QVAESTIO. XIII.

De Procuratore & Commiſſario Romano, & de Commiſſario in Curia Regis Hiſpaniarum reſidente, in tres Articulos diuiſa.

1 VNdenam ortum & originem habuerit officium Procuratoris Romani, in noſtro ſacro Minorum Ordine, & quodnam ſit eius munus & officium?

2 Vnde ortum & originem habuerit officium Cõmiſſarij Romani, & quodnam ſit eius munus, & quanta ipſius auctoritas?

3 Vtrum expediat bonæ gubernationi, vt in Curijs Regum conſtituatur vnus Commiſſarius, ad peragenda Ordinis noſtri negocia, qui dicatur Commiſſarius Regalis Curiæ?

QVAESTIO. XIIII

De commiſſario Generali Indiarum, in Regali Curia reſidente, ac de alijs Commiſſarijs Generalibus noui Orbis, & ſpecialibus quibuſdam mittendis pro Fratribus ad Indos colligendis, in tres Articulos diuiſa.

1 DE inſtitutione Commiſſarij Generalis Indiarum in Regia Curia reſidentis, ac de omnibus ad ſuum munus & officium ſpectãtibus?

2 De Commiſſarijs Generalibus Indiarum, nouæ Hiſpaniæ & nouæ Caſtellæ ſiue de Peru, & de ipſorum poteſtate & auctoritate.

3 De Commiſſarijs ſpecialibus & particularibus Indiarum, creatis & conſtitutis, ad colligendos & illuc tranſportandos Fratres.

QVAESTIO. XV.

De Commiſſarijs Prouincialibus & particularibus, & de his quæ ad ipſorum munus & officiũ ſpectant, in tres Articulos diuiſa.

1 DE Commiſſario Prouinciali, inſtituto in abſentia Prouincialis Miniſtri.

2 De Commiſſarijs Prouincialibus, miſsis ad Capitulum Generale.

3 De Commiſſarijs ſeu Viſitatoribus Prouinciarum.

QVAE-

QVAESTIO. XVI.

De Capitulo Prouinciali & electione Prouincialis Miniſtri, & ijs, quæ ad eius munus & officium ſpectant, in nouem Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit Capitulum Prouinciale, & quis dicatur Prouincialis Miniſter?
2 De electione ſupradicti Prouincialis miniſtri.
3 De modo & forma celebrandi Prouincialia Capitula, ad eligendum Prouincialem miniſtrum.
4 Quanto tempore duret officium Prouincialis miniſtri?
5 De electione Prouincialis miniſtri, & quantum tempus debeat eius officium vacare?
6 De poteſtate Prouincialis miniſtri, in omnes ſibi ſubditos.
7 Quænam miniſtris prouincialibus ſunt interdicta & prohibita, ex vi noſtrarum generalium Conſtitutionum?
8 De Capitulo Prouinciali intermedio, ſeu Congregatione habente vim Capituli.
9 De inſtitutione & informatione Compendiaria Prouincialis miniſtri, circa agenda ab initio vſque ad finem ſui officij, vt debite ſuo fungantur munere.

QVAESTIO. XVII.

De Diffinitoribus Prouinciarum, & eis quæ ad ipſorum munus & officium ſpectant, in octo Articulos diuiſa.

1 DE electione Diffinitorum Prouincialium, & ipſorum duratione, aut ſubrogatione.
2 Vtrum Prouincialis miniſter, teneatur non ſolum petere & requirere, verumetiam & ſequi Diffinitorum conſilium in rebus arduis & difficilibus, quæ proponuntur in Diffinitorio?
3 Quonam modo ſint ſuffragia & vota requirenda à Patribus in Diffinitorio: & an ſit incipiendum à lenioribus: an vero à iunioribus;
4 Vtrum Diffinitores teneantur ſub mortali, in Deffinitorio libere dicere & proferre quod ſentiunt: non obſtante cognita Superiorum Prælatorum contraria voluntate?
5 An ſit præciſa oblatio ſeruandi ſecretum in diffinitorio, de omnibus quæ ibidem aguntur & dicuntur, & an contrarium faciens peccet mortaliter?
6 Vtrum ſententia prolata à Diffinitoribus ſimul conuenientibus, ab omnibus ſit ſubſcribenda?
7 De modo & forma, qua congregandum eſt Diffinitorium ſupradictum, & de his quæ in eodem ſunt facienda.
8 Qualiter ſe gerere debeant ſupradicti Patres Diffinitores, in officiorum prouiſione & Guardianorum electione;

QVAESTIO XVIII.

De Cuſtodibus antiquis noſtræ ſacræ Religionis, & his qui modo eliguntur, mittendi ad Generale Capitulum, in duos Articulos diuiſa.

1 QVinam dicantur Cuſtodes ex noſtra Regula, & in noſtro ſacro Minorum Ordine;
2 QVonammodo nunc ſit eligendus Cuſtos, qui alio nomine dicitur Diſcretus Diſcretorum, mittendus ad Capitulum Generale?

QVAESTIO XIX.

De Guardianis & his, quæ ad eorum munus & officium ſpectant, in octo Articulos diuiſa.

1 VTrum Guardiani in noſtro ſacro Minorum Ordine, ſint vere & proprie Prælati?
2 Quonammodo Guardiani ſint eligendi, in noſtro ſacro Ordine minorum?
3 De auctoritate & poteſtate, quã habent Guardiani de iure communi, & circumſcriptis priuilegijs.
4 De auctoritate & poteſtate Guardianorum ex priuilegijs.
5 Vtrum Capitulum Generale ſeu Prouinciale, reſtringere, limitare & coarctare potuerint, ordinariam Guardianorum auctoritatem ſiue iuriſdictionem?
6 Quænam ſint prohibita Guardianis, ex noſtris Generalibus Conſtitutionibus?
7 Vtrum Guardiani poſſint ſecum diſpenſare, & licentiam ſibi præſtare in illis caſibus, in quibus illam poſſunt præſtare ſibi ſubditis, & diſpenſare cum illis?
8 De duratione officij Guardianorum in noſtro ſacro Minorum Ordine.

QVAESTIO. XX.

De Vicarijs Conuentuum, & his quæ ad ſuum munus & officium ſpectant, in duos Articulos diuiſa.

1 VTrum Vicarij Conuentuum, ſint vere & proprie Prælati
2 A quibus ſunt inſtituendi Conuentuum Vicarij, & an Guardiani pro libito poſſint illos amouere?

QVAESTIO. XXI.

De Vicarijs Monialium, & his quæ ad ſuum munus & officium ſpectant, in quatuor Articulos diuiſa.

1 A Quibus inſtituendi ſunt Vicarij Monialium?
2 An ſupradicti Vicarij ſiue Confeſſores Monialium, ſint aliquo modo Prælati?
3 Quinam ſit immediatus ſuperior, Vicariorum ſiue Confeſſorum Monialium?

4 In quibus caſibus Vicarij Monialium, intrare poſſint clauſuram ipſarum?

QVAESTIO XXII.

De Diſcretis noſtri ſacri Ordinis, ſeu de his qui in noſtro Ordine ſacro, dicuntur & nuncupantur Diſcreti, in ſeptem Articulos diuiſa.

1 QVinam in noſtro ſacro Ordine, dicantur & nuncupentur Diſcreti?
2 Vtrum ſit expediens quod in cunctis Religionis noſtræ Conuentibus, eligantur Diſcreti mittendi ad Capitulum Prouinciale, qui ſimul cum Guardianis omnium Fratrum ibidē commorantium, voces & vota deferant ad Capitulum?
3 Quonam pacto ſint eligendi ſupradicti Diſcreti, mittendi ad Prouinciale Capitulum, ſecundum noſtras Generales Conſtitutiones, & quod ſit eorundem munus & officium?
4 Vtrum Fratres Laici eſſe poſſint Diſcreti, ad Capitulum Prouinciale mittendi, in noſtro ſacro Ordine?
5 Vtrum illegitime nati poſſint eſſe Diſcreti, mittendi ad Prouinciale Capitulum?
6 Vtrum deſcendentes ex maculato genere, Iudæis, Sarracenis ſiue Hæreticis intra quartū gradum, in noſtro Ordine eſſe poſſint Diſcreti?
7 Vtrum Vicarij Ordinarij ſiue Præſidentes Conuentuū eligi poſſint aut debeant in Deſcretos?

QVAESTIO XXIII.

De electione omnium Prælatorum in communi, & de omnibus his, quæ ad electionis materiam ſpectant, in quadraginta duos Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit electio Canonica?
2 Quotuplex ſit electio Canonica?
3 Vtrum diſpoſitio Decretalis *Quia propter*, locum habeat & obſeruanda ſit in omnibus electionibus quorumcumque Prælatorum, & omnium officiorum Eccleſiaſticorum?
4 Vtrum eligendi Canonica forma, tradita in ſupradicta Decretali, quia propter, locum habeat & obſeruanda ſit, etiam in poſtulationibus & collationibus?
5 A quibus facienda eſt electio, vt ſit Canonica & cēſeatur atque exiſtimetur talis?
6 Quinam ſint vocandi ad electionem Canonicam?
7 Vtrum abſentes conſtituere poſſint Procuratorem ad electionem Canonicam?
8 Quinam nō poſſint eligere, ſeu iure priuati ſint poteſtate & facultate eligendi?
9 In quonam loco facienda ſit electio Canonica?
10 Quodnam tempus ſit ſtatutum à Iure, electionis Canonicæ celebrandæ?
11 Quinam poſſint aut non poſſint eligi, ita quod electio de eis facta ſit ipſo iure nulla & inualida?
12 Vtrum electiones Canonicæ fieri poſſint de nocte?
13 Vtrum Electores, ex eligibilibus teneantur ſemper eligere digniorem?
14 Vtrum Religioſo electo in diſcordia, acquiratur aliquod ius electionis extra Ordinem ſuum?
15 Quonam pacto ſit facienda electio Canonica, quæ eſt per ſcrutinium?
16 Per quem in electionibus, ſingulorum debeant Electorum vota conſcribi?
17 Quonam modo ſint danda & ferenda ſuffragia, in electionibus quæ fiunt per ſcrutinium?
18 An fuerit magis conueniens, electiones fieri per ſcrutinium quam per ſortes, & an per ſortes modo fieri poſſint?
19 Vtrum valeat electio, in qua ſcriba ſiue Secretarius abſque fraude & malitia, per errorem ſchedulam ſiue ſuffragium & votum alicuius Electoris promulgauit?
20 Vtrum valeat & teneat electio, in qua quis per errorem aut forſan per malitiam, miſit in vrnam ſchedulam quamdam albam, & an ſit computandum huiuſmodi votum?
21 Vtrum electiones de aliquo, qui ſit de Collegio neceſſario fieri debeant, & omnino libere ſint faciendæ?
22 Vtrum electiones in aliquo caſu & ex cauſa poſſint coarctari & reſtringi?
23 Vtrum valeat conſuetudo aliquarum Religionum, quibus cautum eſt vt tantummodo prudentiores, ſenes & ætate prouectiores, vocē habeant in Capitulis & admittantur in electionibus Superiorum?
24 Vtrum ſuffragium ſiue votum ſemel datum, reuocari poſſit, vel etiam mutari?
25 Vtrum electio Canonica, collatis ſuffragijs ſtatim ſit publicanda?
26 Vtrum Decretum publicationis electionis & ſcrutinij, plenam faciat fidem pro electo?
27 Vtrum ad validitatē electionis Canonicæ, ſufficiat maiorem habere partem ſuffragiorum?
28 Vtrum ante confirmationem Electi, poſt ſcrutinium aliqua ſit conſultatio facienda?
29 Quænam ſint de eſſentia & ſubſtantia electionis, quę ſit per ſcrutinium?
30 Quænam electio ſit caſſanda & annullanda, aut verò ipſo iure ſit caſſa & nulla?
31 Vtrum electus teneatur electioni de ſe factæ conſentire, & an melius faciat aſſentiendo quam diſſentiendo?
32 Vtrum in electionibus, neceſſaria ſit confirmatio Superioris?
33 In quibus caſibus, electiones deuoluantur ad Superiores ſeu ad ipſos Electores, & in quibus electionibus ipſi priuentur facultate eligendi?
34 Vtrum poſsit aliqua electio fieri per compromiſſum?
35 Vtrum valeat compromiſſum, factum ab vno nomine & vice omnium, alijs præſentibus & non contradicentibus?
36 Vtrum poteſtas data Compromiſſarijs eligendi Prælatum ſeu aliquem officialem, intelligēda ſit atq; intelligi ſēper debeat de idoneo?
37 Qui-

37 Quibus modis fieri debeat & poſſit, ſupradictũ Compromiſſum?
38 Quæna ſint de eſſentia & ſubſtantia electionis Compromiſſariæ, ſiue factæ per Compromiſſum?
39 Vtrum, ſi Compromiſſarius ſit vnus ſolus, ſemetipſum poſſit eligere?
40 Vtrum quando Cõpromiſſarij ſunt plures, poſſint eligere vnum ex ſe ipſis?
41 In caſu, quo ex tribus Compromiſſarijs duo eligant indignum, vnus vero idoneum & dignum, quænam harum electionum valeat, & an teneat electio vnius?
42 De electione quæ eſt per viam communis ſpirationis, qualiter & quibus modis fieri poſſit, & quænam ſint de eſſentia & ſubſtantia ipſius?

QVAESTIO XXIIII.

De Iuſtitia & Iure, Legibus, ſtatutis atque Conſtitutionibus, Iuris Canonici & Ciuilis in Communi, in quinque Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit Iuſtitia, & de multiplici ipſius acceptione ac diuiſione?
2 Quidnam ſit Ius & quotuplex, ac de multiplici iuris acceptione ſiue diuiſione?
3 Quidnam ſit Lex & de multiplibus legum differentijs & diuiſionibus?
4 Quidnam ſit Statutum & de ſtatutorum multiplici diuiſione & differentia?
5 Quidnam ſit Conſtitutio, & de Conſtitutionum multiplici diuiſione & differentia?

QVAESTIO XXV.

De Legibus in particulari, & his quæ ad totam Legum materiam & tractationem ſpectant, in viginti ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum lex ſit actus intellectus: an vero voluntatis?
2 Vtrum omnis lex ad hoc vt ſit licita & iuſta, debeat ſemper ordinari in bonum commune;
3 Vtrum leges condere, pertineat ad quamlibet perſonam particularem: an vero ſolummodo ad Rẽpublicam, ſeu illum qui curam gerit Reipublicæ?
4 Vtrum promulgatio ſit de ratione legis?
5 Vtrum præter legem æternam, & naturalem mentibus noſtris impreſſam, & diuinam illã quam Chriſtus Dominus in hoc mundo exiſtens docuit & promulgauit, fuerit neceſſarium ſiue conueniens, vt aliquæ leges humanæ pro bono hominum regimine fierent, conderentur atque inſtituerentur?
6 Vtrum omnes humanæ leges, à lege Dei æterna & naturali deriuentur, ſeu potius habeãt deriuari?
7 Quiſnam ſit effectus humanarum legum: & an effectus humanarum legum, ſit bonos ciues facere.
8 Quinam ſint legis actus, & an legum actus ſint imperare, vetare, permittere, & punire.
9 Quænam eſſe debeant legum conditiones & qualitates, ad hoc vt ſint iuſtæ.
10 Vtrum conuenienter D. Iſidorus & Iuriſperiti, Ius humanum & Ciuiles Leges diuidant.
11 Vtrum humanæ leges, in communi debeant fieri atque conſtitui.
12 Vtrum ad leges humanas pertineat, omnia vitia cohibere.
13 Vtrum humanæ leges, debeant præcipere omnium virtutum actus.
14 Vtrum humanæ leges imponant ſubditis neceſſitatem in foro conſcientiæ.
15 In quonam eſt dignoſcendum, an leges humanæ obligent ad culpam nec ne.
16 Vtrum humanæ leges, obligent ſemper ad ſui obſeruantiam, cum diſpendio & periculo propriæ vitæ.
17 Vtrum humanæ leges ſiue ſententiæ Iudicum fundatæ in præſumptione, obligent in conſciẽtia, veritate in contrarium inſpecta.
18 Vtrum leges pœnales, obligent etiam ad culpam.
19 Vtrũ legum pœnalium tranſgreſſores, in foro conſcientiæ & ante latam Iudicum ſententiam ſiue condemnationem, teneantur pœnã ſubire: quod eſt dicere, an leges pœnales, ſicuti ad culpam ita & ad pœnam obligent, ante Iudicis condemnationem.
20 Vtrum humanæ leges reſpiciant præterita: an vero ſolummodo futura.
21 Vtrum neceſſum ſit quod leges humanæ recipiantur, & an non receptæ obligent?
22 Vtrum omnes homines ſubijciantur legibus.
23 Vtrum liceat ſubditis quandoque agere præter legis verba, aut vero contra ipſa; quod eſt dicere, an Epicheia ſit omnino ſubditis interdicta?
24 Vtrum humanæ leges debeant mutari.
25 Vtrum Principes & Rectores multitudinis, in legibus humanis poſſint diſpenſare.
26 De diuerſis Iuris regulis, ad exactam, perfectã & genuinam, legum & ſacrorum Canonum, ſiue Conſtitutionum Apoſtolicarum intelligentiam, quammaxime neceſſarijs.

QVAESTIO. XXVI.

De Iure Canonico & ipſius partibus, & his, quæ ad Iuris Canonici & Conſtitutionum Apoſtolicarum, materiam & tractationem ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit ius Canonicũ, & quæ eius partes in quas diuiditur.
2 De differentia quæ verſatur, inter Ius Canonicum & ius Ciuile, & an vtriuſque ſit vnus & idem finis.
3 Vtrum omnia quæ continentur in iure Canonico, ad ſui obſeruantiam obligent.
4 Vtrum in Iure Canonico, ſint aliqua non obligantia nec tenenda, quantum ad textum & quantum ad gloſſam.
5 Quiſnam poſſit facere & conſtituere Ius Canonicum, ſiue leges Canonicas.

6 Vtrum lex, ſiue Conſtitutio Canonica, obliget ſemper ſeu obligare poſsit ad peccatum mortale, & in foro conſcientiæ?
7 Vtrum ad hoc vt lex ſiue conſtitutio Canonica, vim & robur habeat obligandi, ſit expectandus populi conſenſus?
8 Vtrum liceat ſupplicare Papæ & ſummo Pontifici, vt ſuas leges & conſtitutiones modere tur, aut reuocet, & an per huiuſmodi ſupplicationem, ſuſpendatur interim ipſarum effectus?
9 Vtrum ſuſpenſio litterarum Apoſtolicarum, fieri poſſit abſque iuſta & rationabili cauſa, per interpoſitam ſupplicationem?
10 Vtrum declaratio ſacrorum Canonum, pertineat ad ſolum Romanum Pontificem?
11 Vtrum declarationes Cardinalium, teneant & obligent in foro interiori & exteriori?
12 Vtrum liceat Doctoribus Iuriſperitis ſiue Theologis, Ius Canonicum & conſtitutiones Apoſtolicas, interdum interpretari & declarare?

QVAESTIO XXVII.

De Iure Ciuili & ipſius partibus, & ijs quæ ad Iuris Ciuilis materiam & tractationem ſpectant, in octo Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit ius Ciuile & quænam ſint ipſius partes?
2 Quinam poſſit facere ſiue condere leges Ciuiles?
3 Vtrum Ciuiles leges, ex ſui tranſgreſſione obligent, ſeu obligare poſſint ad peccatum mortale?
4 Vtrum ſint aliquæ Imperiales leges, in corpore Iuris Ciuilis contentæ, ex materia ſua iniuſtæ, & quæ non obligent in foro conſcientiæ ad ſui obſeruantiam?
5 Vtrum leges & conſtitutiones Iuris Ciuilis, generaliter & indiſtincte loquentes, obligẽt abſque diſcrimine, etiam perſonas Eccleſiaſticas & regulares?
6 Vtrum valeant Ciuiles leges, & ſtatuta facta contra immunitatem Eccleſiaſticam?
7 Vtrum ſit licita lex aut Ciuilis Conſtitutio, alienari prohibens bona immobilia Eccleſijs ſiue perſonis Eccleſiaſticis?
8 In quas pœnas incidant, facientes leges & Cõſtitutiones iniquas;

QVAESTIO. XXVIII.

De conſuetudinibus & ijs quæ ad Conſuetudinum materiam ſpectant, in quatuordecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit Conſuetudo?
2 Vtrum Conſuetudo aliqua, vim legis poſſit obtinere?
3 Quænam ſint de eſſentia & ratione Conſuetudinis, ad hoc vt vim legis poſsit obtinere & priorem legem tollere?
4 Quinam poſsint introducere conſuetudinem vim legis habentem, & priorem legem abrogantem?
5 Vtrum quæcumque inueterata cõſuetudo vim habeat legis, & priorem legem tollere & abrogare poſsit?
6 Vtrum conſuetudo derogare poſsit legi poſitiuæ etiam præceptiuæ?
7 Vtrum per ſolum non vſum introducatur conſuetudo, quæ vim habeat auferendi legem;
8 Qualiter conſuetudo aliqua interrumpatur?
9 Quando ob cauſam contra Canones conſuetudo valeat & non ſtatutũ? & Laicis perſonis liceat ſtatuere contra leges Imperiales non autem Eccleſiaſticis contra leges Canonicas & Pontificales?
10 Vtrum lex ſiue ſtatutum, habens annexam excommunicationis ſententiam, tollatur per conſuetudinem.
11 Vtrum omnis communis conſuetudo proprie dicta, obliget ad ſui obſeruantiam ſub peccato mortali.
12 Vtrum ſi conſuetudo ſit praua & mala excuſet à peccato, & à pœnis huius ſæculi.
13 Vtrum in iudicio contentioſo iudicandum ſit ſecundum conſuetudinem etiam cõtrariam Iuri ſcripto, & ſecundum quam conſuetudinem ſit iudicandum.
14 Quænam ſit differentia, inter præſcriptionem & conſuetudinem.

QVAESTIO. XXIX.

De Statutis particularibus & generalibus, & his quæ ad Statutorum materiam & tractationem ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit ſtatutum, & à quo, ſeu à quibus fieri poſsint ſtatuta.
2 Vtrum valeat ſtatutum, factum ſola voluntate ſtatuentium.
3 Vtrum ſtatuta iniuſta, obligent in foro exterio ri, & etiam in foro conſcientiæ.
4 Vtrum Superiores Prælati teneantur ſuarum Religionum ſtatuta ſeruare.
5 Vtrum ſine ſpeciali licentia Papæ, in Religionibus fieri poſsit aliquod ſtatutum contra Ius commune?
6 Vtrum ſtatuta particularia vnius Prouinciæ, obligent hoſpites aliarum prouinciarum, pro tempore quo ibidem commorantur.
7 Vtrum ſtatutum fundatum in præſumptione, obligans ad peccatum ſeu etiam annexam habens excommunicationis pœnam, obliget in conſcientia veritate in contrarium inſpecta.
8 Vtrum Capitulum Generale, poſsit tollere & abolere facta auctoritate Papæ & ſtatuta in alio Capitulo Generali.
9 Vtrum Generales & Prouinciales Miniſtri, declarare poſsint ſtatuta, facta in ſuis Capitulis Generalibus ſiue Prouincialibus reſpectiue.

10 Vtrum noſtræ Religionis ſtatuta obligent ad culpam, an vero ſolum modo ad pœnam?
11 Vtrum aliquis Religioſus in particulari, impetrare & procurare poſſit priuilegium contra ſuæ Religionis ſtatuta?
12 Vtrum ſummus Pontifex confirmando Religiorum ſtatuta aliqua ab eiſdem facta, reſeruet aut reſeruare intendat eos à ſtricta ſeuſtrictiori ſuæ Regulæ obſeruantia?

QVAESTIO XXX.

De diſpenſatione in communi, & ijs quæ ad diſpenſationis materiam & tractationem ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit diſpenſatio?
2 Quotuplex ſit Diſpenſatio?
3 Vtrum diſpoſitio ſit idem quod priuilegium, declatio aut epicheia?
4 Vtrum ad diſpenſandum, ſempet cauſa requiratur?
5 Quænam ſint cauſæ requiſitæ, & ſufficientes ad iuſtam diſpenſationem?
6 Vtrum Prælati eſſe debeant faciles, an vero nimium difficiles ad diſpenſandum?
7 Vtrum petens diſpenſationem & ea vtens ſine iuſta & rationabili cauſa peccet mortaliter?
8 Vtrum ſit tutus in conſcientia, qui dolo & fraudibus diſpẽſationem ſubreptitiam obtinuit?
9 Vtrum Papæ ac ſummo pontifici conueniat generaliter atque vniuerſaliter in omnibus ſpiritualibus diſpenſare, & maxime cum Regularibus & Religioſis?
10 Vtrum Epiſcopis etiam conueniat, cum ſibi ſubditis diſpenſare?
11 Vtrum Prælati Regulares ſummo Pontifice inferiores, ſed Epiſcopis coæquales, aut ſaltem ſimiles in iuriſdictione, quales ſunt Generales & Prouinciales, diſpenſare poſſint cum ſibi ſubditis in legibus & ipſarum pœnis?
12 Vtrum poteſtas & facultas diſpenſandi, late an vero ſtricte ſit interpretanda?

QVAESTIO XXXI.

De diſpenſatione in particulari, & de modo quo Prælati Regulares diſpenſare poſſunt aut debent cum ſibi ſubditis, in caſibus occurrentibus, in duodecim Articulos diuiſa.

1 VTrum Prælati Regulares diſpenſare poſſint cum ſuis ſubditis, in obſeruantijs Regularibus?
2 Vtrum noſtræ Minorum Fratrum Regulæ præcepta, debeant dici vota an vero ſolum modo præcepta, & an ad diſpenſandum in ipſis requiratur ita ſtricta & arcta neceſſitas, atque ad diſpenſandum in votis?
3 Vtrum Prælati noſtri Ordinis Minorum, diſpẽſare poſsint cum ſibi ſubditis, vt recipiant triticum ſiue frumentum & alia ſuperabundantia, vt poſtea diuendantur & in alias res neceſſarias commutentur?
4 Vtrum Prælati noſtri ſacri Ordinis, ex iuſta & legitima cauſa poſſint diſpẽſare interdum, in præceptis de non equitando neque portandis calceamentis, & quiſnam Prælatus poſſit in hiſce rebus diſpenſare?
5 Vtrum Prælati Regulares diſpenſare poſſint cũ ſe ipſis, in caſibus in quibus diſpenſare poſſunt cum ſibi ſubditis?
6 Vtrum ſit verum & certum, aut interdum vti expediat quodam viuæ vocis oraculo, quod conceſſum fuiſſe dicitur pro noſtro ſacro Minorum Ordine à Pio V. Patri Fratri Ioanni de Aguilera, olim Commiſſario Romano?
7 Vtrum Prælati Regulares volentes cum ſibi ſubditis diſpenſare, hoc alijs poſſint committere?
8 Vtrum quando Prælatus mandat fieri aliquid contra Regulam, ſeu contra aliquod præceptum Regulæ, cenſeatur proinde in ipſo diſpẽſare?
9 Quænam ſit iuſta cauſa diſpenſandi cum aliquo Religioſo, vt ad aliam Religionem laxiorẽ ſe transferre poſsit?
10 Vtrum quando Papa aut eius legatus, conceſſã à ſe diſpenſationis gratiam alicui Ordinario committunt, vt verificata narratiua diſpenſent cũ aliquo, morte Papæ aut legari concedentis, finiatur huiuſmodi delegatio?
11 Vtrum Prælati Regulares, in foro exteriori diſpenſare poſſint cum ſibi ſubditis, committentibus aliqua delicta, propter quæ in aliquibus Cõſtitutionibus Apoſtolicis, appoſita eſt pœna vt ipſo facto ſint priuati omnibus officijs & inhabiles ad alia in futurum?
12 Qualiter in negotijs, cauſis atque neceſſitatibus, vtendum ſit epicheia?

QVAESTIO. XXXII.

De Prælatis Regularibus, quantum attinet ad facultatem diſpenſandi, commutandi & irritandi ſuorũ ſubditorũ vota, in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Prælati Regulares, diſpenſare poſſint in votis ſuorum ſubditorum?
2 Quænam ſit iuſta & rationabilis cauſa, ad diſpẽſandum in votis?
3 Vtrum Prælati Regulares, ſuorum ſubditorum vota poſſint commutare?
4 Vtrum Religionum Prælati, ſuorum ſubditorũ vota poſſint irritare & quonam iure?
5 Vtrum Prælati Regulares diſpenſare poſſint in votis volentium intrare ſuum Ordinem?
6 Vtrum Prælati Regulares, diſpenſare, commutare ſiue irritare poſsint ſuorum Nouitiorum vota?

QVAESTIO. XXXIII.

De Prælatis Regularibus, quantum attinet ad facultatem abſoluendi ſibi ſubditos, à quibuſcumque caſibus, peccatis, & cenſuris, in duodecim Articulos diuiſa.

1 VTrum Fratres teneanturde iure ſuis proprijs Prælatis confiteri;

2 Vtrum prædicti Fratres ex præcepto & ſub mortali, teneantur certis quibuſdã diebus cõfiteri?
3 Vtrum Religioſi ad implendum prædictum præceptum, ſiue conſilium de confitendo aut in aliquo alio caſu, teneantur peccata venialia ſub mortali confiteri?
4 Vtrum fieri poſſit & ſit licitum ſtatutum, quo Religioſi & Regulares obligentur ad confitẽda peccata venialia, aut mortalia aliascõfeſſa?
5 Vtrum expediat interdum, à Religioſis fieri generalem omnium peccatorum ſuorum confeſſionem, ſemel aut bis in anno ſeu in vita, & ad id obligari poſſint ſtatuto in aliquibus Religionibus?
6 Vtrum Religioſi itinerantes, poſſint quibuſcumque confeſſarijs, Religioſis ſiue ſecularibus confiteri?
7 Vtrum Confeſſores per Prælatos Regulares deputati, abſoluere poſſint Fratres noſtri Ordinis, in aliquibus caſibus plenarie ab omnibus peccatis, excõmunicationibus atque cẽſuris?
8 Vtrũ abſolutus virtute dictorum priuilegiorũ in mortis articulo, ſi non decedat, teneatur peccata reſeruata iterũ ſuo ſuperiori cõfiteri?
9 Vtrum præter dictas conceſſiones & Indulgentias, ſint aliquæ aliæ quibus Fratres per annũ per ſuos Prælatos aut Confeſſores ab eiſdem deputatos plenarie poſſint abſolui?
10 Vtrum prædicti Religioſi, vti & frui poſſint abſolutionibus plenarijs ſupradictis, abſque ſuorum ſuperiorum licentia?
11 Vtrum per prædicta priuilegia, poſſint etiam Fratres abſolui ab irregularitatibus, ſeu potius cum eis in irregularitatibus diſpenſari?
12 Vtrum ſint aliqua priuilegia, per quæ Fratres Confeſſores diſpenſare poſſint tum alijs Fratribus, in irregularitatibus?

QVAESTIO XXXIIII.

De Prælatis Regularibus, quãtũ attinet & ſpectat ad poteſtatem & facultatem reſeruandi ſibi caſus, & abſoluendi ab eis, in ſexdecim Articulos diuiſa.

1 VTrum Prælati Regulares, facultatẽ habeãt reſeruandi ſibi caſus?
2 Vtrum Prælati Regulares, pro libito poſſint ſibi caſus reſeruare?
3 Vtrũ actus interni ſiue interiores, qui ſola cogitatione, ſeu volũtate cõſummãtur, poſſint à Superioribus & Prælatis Regularibus reſeruari, an vero ſolummodo actus externi ſiue exteriores?
4 Vtrũ omnia & ſola peccata mortalia reſeruari poſſint: an vero tantũmodo illa quæ annexã habent ſibi ſententiam aliquã excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti ſiue irregularitatis?
5 Quinã ſint de facto caſus, Papæ, & Sũmo Pontifici reſeruati, & contenti in Bulla Cœnæ?
6 Quinam ſint caſus, de Iure vel de conſuetudine, Epiſcopis reſeruati?
7 Quinã ſint caſus, qui communiter Prælatis Regularibus reſeruantur?
8 Quinam facultatem habeãt, abſoluẽdi à caſibus Prælatis Regularibus reſeruatis?
9 Vtrum Prælati Regulares, debeant eſſe faciles, an vero difficiles, in præſtanda & concedenda ſua auctoritate & poteſtate, pro abſoluendis Fratribus à caſibus reſeruatis?
10 Vtrum Religioſus pœnitens, cuius magni refert non reuelare in confeſsione Sacramentali, ſua peccata Superiori præſenti reſeruata, propter maximum periculum, quod exinde ex tali reuelatione poteſt reſultare, nolẽte ipſo Superiore ſibi licentiam & auctoritatem concedere, vt cum alio cõfiteatur, propter euitandum ſcandalum, cum ſola contritione licite poſſit celebrare?
11 Vtrum denegata à Superiore auctoritate iniuſte, & in caſu quo Religioſus quiſpiam copiã habet cõfeſſoris, ſed non qui auctoritatem habeat abſoluendi eũ à reſeruatis, teneatur eidẽ omnia ſua peccata confiteri reſeruata & nõ reſeruata, an vero ſolũmodo nõ reſeruata?
12 Vtrum Superior ſiue Prælatus teneatur audire omnia peccata, eius qui habet aliqua reſeruata, vt integre ſubditum à reſeruatis, & nõ reſeruatis abſoluat, in caſu quo pœnitens velit eidem confiteri?
13 Vtrum confeſſio reſeruatorum facta Superiori aut ipſius auctoritatem habenti, ſine debita cõtritione, ſeu diſpoſitione, ſaltim valeat, vt poſtea pœnitens cuicumque Confeſſori approbato cui voluerit, ea poſſit confiteri?
14 Vtrum Guardiani, quibus Prouinciales committunt ſuos caſus, & ſuã auctoritatẽ, per eã dẽ ipſi abſolui poſſint, illamq; in hunc effectũ committere & ſubdelegare alijs?
15 Vtrum Regulares ſiue Religioſi, accipere poſſint Bullas Cruciatas generaliter omnibus Chriſtianis conceſſas in partibus, quibus publicantur, eiſque vti quoad omnia ibidem cõtenta, & maxime quoad facultatem eligendi Confeſſorẽ, & abſoluẽdi à caſibus reſeruatis?
16 Vtrum Nouitij Religionum, incidant in caſus in eiſdem Religionibus reſeruatos, & ab eis ſine Prælatorum licentia non poſſint abſolui?

QVAESTIO XXXV.

De excommunicatione & facultate quam Prælati Regulares habent excommunicandi & abſoluendi ſibi ſubditos, in viginti quatuor Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit excommunicatio?
2 Quotuplex ſit excommunicatio?
3 De excommunicatione maiori in particulari, & ijs, quæ ad ipſam ſpectant?
4 De ijs quæ pertinent ad excommunicationem minorem in ſpeciali?
5 An ſit licitum communicare cum excommunicato, excommunicatione maiori?
6 Vtrum metus mortis excuſet à peccato, communicando cum excommunicato excommunicatione maiori?
7 Quinam ſint effectus excommunicationis, & pœnæ, in quas incidunt excommunicati?
8 Quinam poſſunt excommunicare?
9 Vtrum excommunicatio ferri poſsit diebus feriatis, & an ſit neceſſario ferenda in ſcriptis?
10 Vtrum Monaſteria, Collegia ſiue Communita-

tes poſsint excommunicari?
11 Vtrum Religioſi ſiue Regulares, poſsint excõmunicari à Prælatis Ordinarijs?
12 Quænam de nouo ſtatuerit atque determinauerit Concil. Trid. circa ferendam ſententiã excommunicationis?
13 In quibuſnam caſibus excommunicationis ſententia, non ſolum cẽſetur iniuſta verum etiã nulla, & an dicta excommunicatio nulla, aliquem operetur effectum?
14 Vtrum ſententia excommunicationis iniuſta, quæ tamen non eſt omnino nulla ſed valida, aliquem ſemper operetur effectum?
15 Quænam ſint excommunicationes Papales, & ſolummodo Summo Pontifici reſeruatæ?
16 Quænam ſint excommunicationes, partim Papæ partim vero Epiſcopis reſeruatæ?
17 Quænam ſint excommunicationes, Iuris communis nulli reſeruatæ?
18 Quænam ſint in Iure Canonico excommunicationes, in quas Religioſi incidunt ipſo facto?
19 Quinam poſſint à ſupradictis omnibus excommunicationibus abſoluere?
20 Quænam ſint neceſſario obſeruanda, in abſolutione ab excommunicatione maiori, facta virtute priuilegiorum ſeu aliter?
21 Vtrum abſolutio ab excommunicatione, virtute Bullæ Cruciatæ, ſeu aliorum priuilegiorũ fieri poſsit extra ſacramentum?
22 Vtrum per aliqua priuilegia, abſolui poſsint, nominatim à Iudice excommunicati, ſaltem in foro conſcientiæ?
23 Vtrum nominatim excommunicatus ad petitionem partis, abſolutuſque ex conſenſu ipſius, aut concedente ipſa parte prorogationẽ vſque ad certum tempus, tali tempore finito reincidat in prædictam excommunicationem etiamſi non fuerit à Iudice iterum excommunicatus?
24 Vtrum virtute Bullæ Cruciatæ, ſeu aliquorum priuilegiorum, abſolui poſsint manifeſti percuſſores Clericorum?

QVAESTIO XXXVI.

De ſuſpenſione, & ijs quæ ad materiam ſuſpenſionis ſpectant, in ſexdecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit ſuſpenſio?
2 Quotuplex ſit ſuſpenſio proprie dicta, atque in rigore ſumpta?
3 Quinam ſint ſuſpenſionis effectus?
4 Quiſnam poſsit ſuſpendere, ſeu ſuſpenſionis cenſuram apponere?
5 Quinam ſint qui poſſunt ſuſpendi?
6 An ſuſpenſio ferri non poſsit niſi propter culpã & an neceſſario ipſa eſſe debeat mortalis?
7 Quænam ſint in ſuſpenſione ſeruanda, & qualiter ſuſpenſionis cenſura ſit ponenda?
8 Quænam ſit differentia, inter ſuſpenſionẽ prout eſt pœna, & prout eſt cenſura?
9 De differentia, quæ eſt inter excommunicationem minorem & ſuſpenſionem, & quænam harum ſit grauior pœna?
10 In quo differat ſiue conueniat prædicta ſuſpenſio, cum depoſitione Verbali quæ eſt via ad degradationem?
12 In quibus caſibus, à Iure incurratur ſuſpenſio?
13 In quas pœnas incidant violantes ſuſpenſiones prædictas, antequam abſoluantur ab eis ſeu ſuper ipſis diſpenſetur?
14 Vtrum omnia geſta à ſuſpenſionis cenſura innodatis, ſint valida?
15 In quas pœnas incidant, participantes cum ſuſpenſis in diuinis?
16 Quinam poſsint à ſuſpenſione ſupradicta abſoluere?

QVAESTIO. XXXVII.

De Interdicto, & ijs quæ ad materiam Interdicti ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit interdictum?
2 Quotuplex ſit interdictum?
3 Vtrum interdicto Clero cenſeantur interdicti Religioſi, & omnes Eccleſiaſticæ perſonæ & maxime exempti?
4 Quinam poſsint interdicere, ſeu interdici?
5 Quænam cauſa ſit neceſſaria, & ſufficiens ad ponendum interdictum?
6 Quænam ſit ſeruanda forma, in poſitione interdicti;
7 Quænam ſint interdicta poſita à Iure?
8 Quinam ſint effectus Interdicti, ſeu quæ ſint interdicti tempore prohibita?
9 In quam pœnam incidant, ſeu quodnam ſit peccatum, ſupradictum interdictum violare?
10 De ſuſpenſione interdicti, & quibus competat ipſum ſuſpendere?
11 De relaxatione interdicti, & à quo interdictũ poſsit tolli & relaxari?
12 Vtrum per Concilium Tridentinum ſint reuocata Regularium priuilegia, circa ſuſpenſionem interdictorum, in certis quibuſdam diebus ſiue caſibus?

QVAESTIO. XXXVIII.

De Ceſſatione à diuinis & his, quæ ad huiuſcemodi tractationẽ ſpectãt, in duodecim Artic. diuiſa.

1 QVidnam ſit ceſſatio à Diuinis?
2 Vtrum ſupradicta ceſſatio á Diuinis ſit licita?
3 Quotuplex ſit ſupradicta ceſſatio à Diuinis?
4 Vtrum ſupradicta ceſſatio à Diuinis, ſit cenſura Eccleſiaſtica?
5 Vtrum ceſſatio à Diuinis, ſit idem quod generale interdictum?
6 Quinam ſint effectus ceſſationis à Diuinis?
7 Quinam ponere poſsint ceſſationẽ à Diuinis?
8 Quænam conditiones ſint neceſſario ſeruandæ, in ponenda prædicta ceſſatione à Diuinis?
9 Quænam ſit pœna violantium prædictam Ceſſationem à Diuinis?
10 Vtrum Clerici & Religioſi violantes ceſſationem prædictam, incurrant irregularitatem?
11 De relaxatione ſeu ſuſpenſione, prædictæ Ceſſationis à Diuinis?
12 Qualiter Religioſi & Regulares ex ſuis priuilegijs, ſe gerere debeant tempore Interdicti & prædictæ Ceſſationis à Diuinis?

QVAE-

QVAESTIO. XXXIX.

De Conſecratione Eccleſiarum & reconciliatione ipſarum, poſt earũdẽ violationem, in octo Articulos diuiſa.

1 QValiter Eccleſiæ conſecrentur, & à quo habeant conſecrari?
Qualiter Cœmeterium polluatur ſiue violetur, & in quibus caſibus recõciliatione indigeat?
3 Qualiter exſecrétur altaria, ita vt de nouo ſint conſecranda?
4 Qualiter Eccleſia execretur, ita vt poſſit ſeu indigeat de nouo conſecrari?
5 Qualiter & in quibus caſibus, Eccleſia aliqua cenſeatur polluta, ita vt non liceat in eadem celebrare, indigeatque reconciliatione?
6 Vtrum celebrans in Eccleſia violata aut polluta ante quam reconcilietur, irregularis fiat?
7 Vtrum execrata Eccleſia, execrentur etiam & polluantur altaria, ita vt reconciliatione indigeant?
8 Quo modo & á quo, Eccleſia polluta ſiue violata ſit reconcilianda?

QVAESTIO. XL.

De Benedictione paramentorum, ac aliarum rerũ Eccleſiaſticarum in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Prælati Regulares, poſsint benedicere Eccleſiaſtica paramenta, ſiue ornamenta?
2 Quinam Prælati Regulares, poſſint benedicere Corporalia?
3 Vtrum ſupradicti Prælati Regulares, poſſint benedicere prædicta paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, & etiam corporalia, non ſolum pro ſe & ſuis Fratribus, verum etiam & pro alijs?
4 Vtrum ſint aliqui Prælati Regulares, qui poſſint benedicere ſeu potius cõſecrare calices, & patenas pro Miſſis celebrandis?
5 Vtrum Prælati Regulares, poſſint petere ab alieno Epiſcopo benedictionem, ſeu conſecrationem, earum rerum, quæ ad diuinum cultum pertinent, Dioœceſani Epiſcopi licentia minime requiſita?
6 Vtrum Epiſcopi pro benedictione dictorum paramentorum, ſeu ornamentorum & altariũ, & aliorum ad diuinum cultum pertinentiũ, à Fratribus poſſint aliquid recipere ſeu exigere?

QVAESTIO. XLI.

De Priuilegijs in cõmuni, in ſex Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit Priuilegium?
2 Quotuplex ſit Priuilegium?
3 Quiſnam poſſit concedere priuilegium?
4 Vtrum priuilegium, neceſſario dari debeat in ſcriptis?
5 Vtrum appellatione priuilegij, veniat etiam intelligenda immemorialis poſſeſsio ſiue conſuetudo?
6 Quãdo priuilegiũ Apoſtolicũ incipiat valere, & an ad hoc vt valeat neceſsũ ſit q promulgetur?

QVAESTIO XLII.

De Priuilegijs quantũ ad ſuã validitatẽ, innouationẽ, ſiue cõfirmationẽ, in ſeptẽ Articul. diuiſa.

1 VTrum Fratrum Minorum, & Prædicatorum priuilegia, hucuſque confirmata ſemper fuerint, per omnes Sũmos Romanos Pontifices?
2 Vtrum aliarum etiam Religionum priuilegia, fuerint per Summos Pontifices confirmata;
3 Vtrum omnia Regularium priuilegia, quæ ſunt contra ſacros Canones aut contra ſacri Concilij Tridentini decreta, ſint per idem Conciliũ & per Summos Pontifices abrogata, & reuocata?
4 Vtrum Regularium priuilegia, deperdantur per non vſum.
5 Vtrum confirmatis vel reprobatis priuilegijs alicuius Religionis, cenſeantur atque intelligantur etiam confirmata, vel reuocata, priuilegia ad inſtar illius, alteri Religioni cõceſſa?
6 Vtrum exemplar deductum à priuilegio originali, valeat parte non citata?
7 Vtrum priuilegiatus, contra pariter priuilegiatum, vti & gaudere poſſit priuilegio?

QVAESTIO XLIII.

De Priuilegijs quãtum ad eorũ ceſſationẽ, abrogationẽ, ſiue reuocationẽ, in quatuor Artic. diuiſa.

1 VTrum priuilegia ſiue reſcripta Papæ, expirent per mortem concedentis?
2 Quibus modis regulariter loquendo, priuilegia fiant nulla & inualida?
3 Vtrum priuilegia Regularium, amittantur & perdantur non viuendo regulariter?
4 Vtrum Religioſi, & Regulares vti poſſint ſuis priuilegijs, abſque ſuorum Prælatorum licẽtia, ſeu potius ipſis repugnantibus, & contradicentibus?

QVAESTIO. XLIIII.

De Priuilegijs quantum ad ipſorum explicationem, declarationem, ſiue interpretationem in cõmuni, in quatuor Articulos diuiſa.

1 VTrum explicatio, declaratio, ſiue interpretatio priuilegiorum, ſolummodo ad Romanũ Pontificem ſiue ad Principem pertineat;
2 Vtrum Religionum Prælati, facultatem habeãt interpretandi priuilegia ſuis Ordinibus conceſſa;
3 Qualiter priuilegia ſint interpretanda & declaranda;
4 Vtrum priuilegia ſecundum conſuetudinem debeant interpretari & declarari?

QVAESTIO XLV.

De Priuilegijs etiam quantum ad ipſorum explicationem, declarationem, ſiue interpretationem, & de diuerſis clauſulis quæ in eiſdem ſolent apponi, in ſeptem Articulos diuiſa.

1 Quidnam ſignificetur & intelligatur per illam clauſu-

clauſulam,in reſcriptis Apoſtolicis,& priuilegijs apponi conſuetam, Motu proprio &ex certa ſcientia?
2 Quid intelligatur per illam clauſulam,in ſupra dictis priuilegijs etiam apponi conſuetam, qua dicitur vt Iudices ad exequutionem procedant,omni appellatione remota ſiue poſtpoſita?
3 Quid intelligi debeat per illam clauſulam,Cõtradictores quoslibet,& rebelles,etiam per quaſcumque cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas,& alia opportuna iuris remedia,appellatione poſtpoſita compeſcendo?
4 Qualiter ſit intelligenda illa clauſula quorumdam priuilegiorum,Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis, & quid operetur?
5 Qualiter intelligatur illa alia clauſula, in prædictis litteris Apoſtolicis apponi conſueta,Supplentes omnem defectum?
6 Qualiter ſit intelligenda illa clauſula, quæ in aliquibus priuilegijs apponi ſolet, qua dicitur vt non cenſeantur reuocata, niſi de eis fiat mentio de verbo ad verbum?
7 Vtrum per ſuſpenſiones, quæ fiunt quotidie per Bullam Cruciatæ ſeu alias, ſuſpenſa eſſe intelligãtur omnia Regularium priuilegia;

QVAESTIO. XLVI.

De Communicatione priuilegiorum omnium, in nouem Articulos diuiſa.

1 VTrum Fratres Prædicatores, & Minores priuilegium habeant communicationis, omniũ priuilegiorum alijs Ordinibus,& Religionibus conceſſorum?
2 Vtrum Moniales noſtri ſacri Ordinis & Prædicatorum priuilegiorum etiam habeant communicationem?
3 Vtrum Fratres etiam Auguſtinenſes,priuilegiũ habeant communicationis?
4 Vtrum Fratres Carmelitani,etiam habeant priuilegiũ cõmunicationis aliorũ priuilegiorũ?
5 An prædicta priuilegiorum communicatio,ſe extendat ad omnia priuilegia,tam conceſſa quã concedenda,non ſolum Mendicantibus verũ etiam & non Mendicantibus?
6 Vtrum priuilegia quæ ſunt pœnalia, & odioſa, & in quibus continentur aliquæ pœnæ, vni Religioni conceſſa alijs etiam Religionibus communicentur?
7 Vtrum in communicatione priuilegiorum,veniant etiam intelligenda ea quæ alicui ſpeciali loco,ſiue Conuentui ſunt conceſſa?
8 Vtrum in communicatione priuilegiorum, intelligatur eorũ tantũ vſus,an vero ius vtẽdi?
9 Vtrum Communicantes & participantes priuilegia,poſſint illis vti etiã cõtra illos, per quorum communicationem eadem participant?

QVAESTIO. XLVII.

De Cõſeruatorib⁹,& ijs quæ ad ipſorũ munus & officium ſpectant, in duodecim Articulos diuiſa.

1 Quidnam ſit Conſeruator,& qui poſſunt huiuſmodi Conſeruatores inſtituere?
2 Quinam poſſint inſtitui,& conſtitui Conſeruatores Iudices?
3 Quænam differentia verſetur, inter prædictos Iudices Conſeruatores,& Iudices delegatos?
4 Vtrum omnes Fratres Ordinis Mendicantium, priuilegia habeant quibus Cõſeruatores,poſſint ſibi eligere?
5 Vtrum nominato pro vna cauſa aliquo Conſeruatore,pro eadem alius poſſit nominari?
6 Vtrum Conſeruatorum officium in Ordinibus, & Religionibus,ſit perpetuum vel temporale,& an extinguatur morte concedentis?
7 Quidnam poſſint vel nõ poſſint huiuſmodi Cõſeruatores,& in quibus rebus ex officio ſuo poſſint ſe intromittere?
8 Qualiter prædicti Conſeruatores Iudices, procedere debeant in cognoſcendo de manifeſtis,& notorijs iniurijs?
9 In quas pœnas incidant Conſeruatores, ſuam poteſtatem & iuriſdictionem extendentes, & aliter quam prædicto modo procedentes?
10 Vtrum Regulares & Religioſi pro debitis ciuilibus,conueniri habeant coram prædictis Iudicibus Conſeruatoribus,an vero coram Iudice ordinario Eccleſiaſtico,vel potius corã proprijs ipſorum Prælatis?
11 Vtrum Iudices Conſeruatores Regularium, procedere poſſint contra derentores animalium eorumdem,facientium damnum in paſcuis ſeu alibi?
12 Vtrum Conſeruatores Regularium,procedere poſſint contra alios Regulares & Religioſos,& contra Doctores & Scholares, habentes etiam Conſeruatores pro ſuis cauſis?

QVAESTIO XLVIII.

De Portione Canonica, & his quæ ad hanc materiã ſpectant,in quatuordecim Articulos diuiſa.

1 QVidnam ſit portio Canonica & quotuplex?
2 A quibus debeatur quarta Epiſcopalis?
3 De quibus rebus debeatur prædicta quarta Epiſcopalis?
4 A quibus perſonis & de quibus rebus,debeatur Canonica portio Parrochialis?
5 Vtrum valeat cõſuetudo,quod nihil detur Epiſcopo vel Eccleſiæ Parrochiali,pro Canonica portione ſupradicta?
6 Quidnam ſit dicendum de Canonica portione prædicta,ſecundum Regularium priuilegia?
7 Quidnam circa prædictam portionem Canonicam,Concil. Trid ſtatuerit & ordinauerit?
8 De quibus rebus poſt Conc. Trid. prædictum, ſoluenda ſit Canonica portio?
9 A quibuſnam & quibus,poſt Conc. Trid. debeatur prædicta Canonica portio?
10 Vtrum quando quis interdicti tẽpore eligit ſepulturã in aliquo Monaſterio exempto,priuilegium habente vt ibidẽ ſepeliri poſsit,portio Canonica debeatur Eccleſiæ Parrochiali?
11 Vtrũ valeat electio ſepulturæ in aliquo Monaſterio ſeu Eccleſia,nõ legãdo Eccleſiæ Parrochiali portionẽ Canonicã, & in caſu q̃ legetur,an huiuſ-

huiuſmodi legatum, in quartam funeralem Parrochiali Eccleſię debeat computari?
12 Vtrum ſupradicta Canonica portio renunciari poſsit, aut fieri pacta & conuenciones inter Clericos & Religioſos, circa quartam funeralem?
13 Vtrum Monaſteria exempta conſuetudine iam præſcripta, à ſolutione portionis Canonicæ, ſeu quartæ funeralis iuxta Concil. Trid. per hoc quod illam ſoluant duabus vicibus, intelligatur huiuſmodi præſcriptio ſublata?
14 In quam pœnam incidant Eccleſiarum Prælati ſeu Curati, cogentes Fratres aut teſtamentarios vel hæredes defunctorum, ad ſoluendã quartam funeralem, in caſu, quo ad illam nõ tenentur.

QVAESTIO. XLIX.

De decimis quantum ad obligationem ſoluendi ipſas, exemptionemque Regularium quorumdam, ab earumdem ſolutione, in quatuordecim Articulos diuiſa.

1 QVid ſit decima? quid vero primitia? quid autem oblatio?
2 Quidnam iura velint de primitijs?
3 Quidnam iura velint de oblationibus?
4 Quidnam iura velint de decimis, ſeu quo iure decimæ debeantur & an cadãt ſub præcepto?
5 Vtrum per contrariam conſuetudinem, poſsit aliquis ab hoc præcepto ſoluendi decimas ſe excuſare?
6 Vtrum ex diſpenſatione Papæ vel tranſactione excuſari quiſpiam poſſit ab obligatione ſoluendi decimas, aut ſuper eis aliqua fieri compoſitio?
7 De quibus rebus debeantur decimæ?
8 A Quibuſnam perſonis debeantur decimæ?
9 Quibus perſonis, decimæ ſint dandæ & perſoluendæ?
10 Quando, vbi & qualiter, dandæ & perſoluendæ ſint decimæ?
11 Quidnam iura velint, de percipiendis decimis à Laicis?
12 Vtrum Religioſi & Regulares ex iure communi, aut ſaltim ex ſpeciali aliquo priuilegio, exempti ſint à prædictarum decimarum ſolutione?
13 Vtrum Moniales S. Claræ & earum bona, ſint etiam á decimis exempta?
14 Vtrum Religioſi Confeſſarij, teneantur in confeſſione fidelibus facere conſcientiam de decimis?

QVAESTIO L.

De Benefactoribus & facultate quam habent Prælati Regulares, applicandi eis bona & merita ſuorum ſubditorum, in ſex Articulos diuiſa.

1 VTrum Prælati Regulares per Fraternitatis litteras, Benefactoribus applicare poſſint bona & merita ſuorum ſubditorum?
2 Quidnam proſint prædictis Benefactoribus ſupradictæ litteræ Fraternitatis, & quænã ſint illa, quæ per eaſdem ſibi applicantur & communicantur?
3 An Religionum Prælati, per ſupradictas litteras applicare poſſint Benefactoribus, ſuorum ſubditorum bona & merita, ipſis nolentibus ſeu quibus ipſi indigent?
4 An Religionum Prælati poſsint ſuis Benefactoribus, ſubditorum ſuorum bona & merita applicare, non ſolum futura verum etiam præterita?
5 Vtrum omnes Benefactores æqualiter participent de bonis, quando eiuſmodi opera in dictis Fraternitatis litteris, per Superiores applicantur ſibi?
6 Quænam differentia verſetur, inter prædictam communicationem bonorum operũ, quæ fit á Prælatis in dictis Fraternitatis litteris, & indulgentias?

INDEX CONCLVSIONVM ET rerum notabilium, quæ in hoc Secundo Tomo, Manualis Prælatorum Regularium continentur.

A.

ÆTas Prælatorum Regularium quanta eſſe debeat, ad hoc vt eſſe poſſint Guardiani, Prouinciales, Generales, Diffinitores, Diſcreti ſiue Vocales mittendi ad Capitula Generalia, ſiue Prouincialia. 32. cum ſeq.

Altare quid ſit & quotuplex. 474.

Altaria ſolus Epiſcopus benedicere, & conſecrare poteſt. ibid.

Altaria qualiter execrentur, ita vt de nouo ſint conſecranda. 476.

Argumentum à ſimili, in legibus pœnalibus non valet Regulariter, niſi ſit eadem aut maior ratio. 28.

B.

BVlla Cœnæ Domini, quo tempore prædicari, cæperit. 60.

C.

CApitulum quid ſit, & quot ſint Capitulorũ genera, ſiue ſpecies. 48.

Capitulum Generale, in noſtro ſacro Minorum Ordine, quo tempore ſit celebrandum. ibid.

Capituli Generalis celebrandi, in noſtro ſacro Minorũ Ordine quænã ſit forma. 491. cũ ſeq. latiſs.

Capitulum Generale intermedium, qualiter ſit celebrandum. 124.

Capitulum Prouinciale quidnam ſit, & qualiter ſit celebrandum, & quis dicatur Prouincialis Miniſter. 143.

Capitulum Prouinciale intermedium qualiter ſit celebrandum. 149. cum ſeq.

Quid intelligatur capituli intermedij nomine. 20

Capitulum Generale an poſſit tollere & abolere, ſtatuta facta in alio Capitulo Generali auctoritate Papæ. 320.

Carnis vitia vſque ad animam peruenire ſolent, ipſamque ad ſuum trahunt modum. 9.

Cauſa iuſta & rationabilis diſpenſandi in rebus & votis factis, quænam ſit. 327. & 346.

Cæmeterium quid ſit & qualiter violetur, ſiue reconcilietur. 474.

Caſus reſeruatus quidnam ſit. 364.

Caſus ſibi reſeruare, an poſſint omnes Prælati Regulares. 365. cum ſeq.

Caſus ſibi reſeruare an poſſint Prælati Regulares pro libito. ibid.

Caſus reſeruatus an eſſe poſſit actus internus ſola cogitatione ſeu voluntate conſummatus. 366.

Caſus reſeruatus eſſe an poſſit quodlibet peccatum mortale, an vero tantum illud quod annexam habet ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, Interdicti, ſiue irregularitatis. 367.

Caſus Papæ ac Summo Pontifici reſeruati, & contenti in Bulla Cœnæ Domini, quinam ſint. 368.

Caſus de iure aut conſuetudine Epiſcopis reſeruati, quinam ſint. 369.

Caſus communiter Prælatis Regularibus reſeruati, quinam ſint. 370.

A Caſibus reſeruatis abſoluere, quinam poſſint Prælati Regulares. 371.

In abſoluendo à caſibus reſeruatis, Prælati an faciles, vel difficiles ſe debeant oſtendere. 372.

Caſus reſeruatus an aliqua ratione taceri poſſit in confeſſione, & celebrare quempiam cum illo cum ſola contritione. 373. cum ſeq.

Caſuum reſeruatorum confeſſio facta ſuperiori, aut ipſius auctoritatem habenti, ſine debita contritione & diſpoſitione an ſaltem valeat, quò poſtea pœnitens, cui voluerit confeſſario poſſit confiteri. 375.

Caſuum reſeruatorum abſolutionem, an Guardiani alijs poſsint committere, & ipſi ſimiliter à quocumque confeſſario abſolui. 376.

Caſus reſeruati an poſſint abſolui in Religionibus per Bullas Cruciatas, in partibus quibus publicantur. 377. cum ſeq. latiſsime.

Caſus reſeruati an comprehendant etiam nouitios exiſtentes in Religione. 380. cum ſeq.

Canonica portio quid ſit, & quotuplex. 545.

Canonica portio Epiſcopalis, à quibus & de quibus rebus debeatur. 546.

Canonica portio Parrochialis, à quibus ſeu de quibus rebus debeatur. 547.

Canonicam portionem ſoluere, Epiſcopo ſeu Eccleſiæ Parrochiali, tollere an valeat conſuetudo. ibid.

De Canonica portione quid ſit dicendũ, iuxta Regularium priuilegia. 348. cum ſeq. latiſſime.

Circa Canonicam portionem ſoluendam, quid de nouo ſtatuerit Concil. Trid. 549.

Canonica portio à quibuſnam & de quibus rebus ſeu quibus ſoluenda ſit poſt Concilium Tridentinum. 551. cum ſeq. latiſsime.

Canonica portio an debeatur Eccleſiæ Parrochiali tẽpore Interdicti, quando quis eligit ſepulturam in exempto Monaſterio. 552.

Canonica portio, an ſit computanda inter legata relicta Eccleſiæ Parrochiali. 553.

Canonica portio an poſſit renunciari, aut ſuper ea fieri aliqua conuentio inter Clericos, & Religioſos. ibidem cum ſeq.

Canonicam portionem, an teneantur ſoluere Monaſteria exempta conſuetudine iam præſcripta per hoc quod duabus aut tribus vicibus illam ſoluant. 555. cum ſeq.

Canonicam portionem, cogentes ſoluere Fratres in ca-

in caſu quo ad illam non tenentur, & teſtamentarios aut hæredes defunctorum, in quas incidant pœnas. ibid.
Ceſſatio à Diuinis quidnam ſit & quotuplex, & an ſit licita. 445. cum ſeq.
Ceſſatio à Diuinis, an ſit cenſura Eccleſiaſtica. 447
Ceſſatio à Diuinis, an ſit idem quod Generale Interdictum, & in quibus ab eo differat. 448.
Ceſſationis à Diuinis effectus quinam ſint, & quæ eo tempore ſint prohibita, 449. cum ſeq. latiſsime.
Ceſſationem à Diuinis, quinam ponere poſſint. 452. cum ſeq.
In Ceſſatione à Diuinis ponenda, quænam conditiones ſint neceſſario obſeruandæ. 454. cũ ſeq. latiſsime.
Ceſſationem à Diuinis violantium, quænã ſit pœna. 456.
Ceſſationem à Diuinis violantes Clerici & Religioſi, an irregularitatem incurrant. ibidem cũ ſeq. latiſsime.
Ceſſatio à Diuinis, qualiter ſit ſuſpendenda aut relaxanda. 458.
Ceſſationis à Diuinis tempore, ex ſuis priuilegijs qualiter Religioſi ſiue Regulares ſe gerere debeant, à pag. 459. cũ ſeq. latiſsime vſq; 473.
Commiſſarius Generalis noſtri ſacri Ordinis quiſnam dicatur, & de ipſius electione & confirmatione. 117.
Commiſſarij Generalis Vltramontani ſeu Ciſmõtani (reſpectiue) auctoritas, quænam ſit in noſtro ſacro Ordine. 118. cum ſeq.
Commiſſarius Generalis prædictus, an ſit Prælatus ordinarius: an vero ſubdelegatus. ibid. cum ſeq.
Cõmiſſariũ Generalẽ prædictum, Generalis Miniſter per ſe ſolum amouere an poſſit, ſeu ipſius iuriſdictionẽ & poteſtatẽ limitare, 120. cũ ſeq.
Commiſſario Generali Vltramõtano, quænã Prouinciæ ſint ſubiectæ, & an Prouinciæ Indiarum ab ipſius iuriſdictione ſint exemptæ. 122.
Commiſſarius Generalis ſupradictus, per quantũ tempus debet durare. ibid.
Commiſſario Generali prædicto, an ſint aliqua interdicta & prohibita, per noſtras generales Cõſtitutiones, & ſolummodo Miniſtro Generali reſeruata. 123.
Commiſſarius Romanæ Curiæ quinam dicatur & qualiter ſit eligendus, quod eius munua & officium, quantum durec & quænam ſit eius auctoritas, quæue illi ſint prohibita. 129.
Commiſſarij, an debeant eligi & conſtitui in Regum Curijs, ad peragenda noſtra ſacri Ordinis negotia. 180. cum ſeq.
Commiſſarius Generalis Indiarum in Regali Curia reſidens in Hiſpania, quando primum fuerit conſtitutus, & quænã ſint ſpectantia ad eius munus, & officium. 131. cum ſeq.
Commiſſarius Generalis Indiarum prædictus, Miniſtro Generali eſt immediatus & nulli alij Prælato ſubiectus. 133.
Commiſſarij Generalis Indiarum prædicti, auctoritas, & poteſtas quanta ſit ſuper omnes Prouincias, ſibi ſubiectas. ibid.
Commiſſarius Generalis Indiarum prædictus, vocem habet in omnibus Generalibus Capitulis ibidem.
Commiſſarij Generalis Indiarum prædicti, poteſtas eſt ordinaria & non ſubdelegata, neque expirat eius officium, mortuo Generali Miniſtro. 134
Commiſſario Generali Indiarum prædicto, an ſint aliqua ex noſtris generalibus Conſtitutionibus prohibita. ibid.
Commiſſarij Generales Indiarum, nouæ Hiſpaniæ ſeu nouæ Caſtellæ, ſiue de Peru quinam dicãtur & quod ſit eorum munus, & officium. 135.
Commiſſarij Generales ſupradicti, Commiſſario Generali Indiarum in Regali Curia reſidenti ſunt ſubiecti. ibid.
Commiſſarijs Generalibus prædictis, in Indiarum partibus exiſtentibus, quænam ſint ex noſtris generalibus Conſtitutionibus prohibita, quæue ſibi conceſſa. ibid.
Commiſſarij ſpeciales & particulares Indiarum quinam dicantur, & quod ſit eorum munus, & officium. 136.
Commiſſarijs ſpecialibus & particularibus Indiarum prædictis, quænam ſint interdicta ſeu prohibita. 137.
Commiſſarius Prouincialis quiſnam dicatur, & quodnam ſit eius munus, & officiũ. 138. cũ ſeq.
Commiſſario Prædicto, ex noſtris generalibus Cõſtitutionibus quæ ſint prohibita, quæ vero conceſſa. 139.
Commiſſarij Prouinciales ad Capitulum generale mittendi, quinam dicantur & quod eorum munus & officium. ibidem
Commiſſarij & Viſitatores Prouinciarum quinam dicantur, & quod ſit eorum munus & officium, & quæ ſint illis prphibita, ſiue conceſſa. 140. cũ ſeq. latiſsime.
Conceſsio generalis, non comprehendit caſus enormes, & ſpecialiter Summo Pontifici reſeruatos. 54. & 65.
Conciliorum decreta nõ reuocãtur per generalia verba, & niſi de illis ſpecialis mentio hat. 62.
Conſtitutio quidnam ſit, ac de multiplicibus conſtitutionum differentijs, & diuiſionibus. 228.
Conſtitutio Pauli Quarti, circa deſcendentes ex Iudæis, vel Hęreticis intra quartũ gradum, habetur. 12.
Conſtitutio prædicta à quibus Summus Pontificibus, non firmata ſit, & qualiter intelligenda. 3. & 4. vide & nota.
Conſtitutio ſiue lex pœnalis, continens aliquid contra ius commune, non late ſed ſtrictè debet interpretari. 4.
Conſtitutio Pauli Quarti, nõ cõprehendit deſcendentes ex Iudæis, Sarracenis, ſiue Hæreticis vltra 4. gradum. 5.
Conſtitutio prædicta non etiã cõprehendit illos, quorũ conſanguinei collaterales fuere Hæretici, etiã ſi illorũ oſſa & corpora fuerint concremata, & igni tradita. ibid.
Conſtitutio prædicta, non etiam cõprehendit Neophitos, & ex parentibus Gentilibus nouiter ad fidem conuerſis deſcendentis. ibid.
Conſtitutio ſiue lex pœnalis, & exorbitans, nõ extenditur ex vno ad aliũ caſum, neq; de vna perſona ad aliã propter ſimilitudinẽ rationis. ibid.

Conſtitutio ſiue lex poſita contra præſumentes, non cõprehendit faciẽtes aliquid ex ſimplici, & bono animo ſeu, quod dicitur bona fide. 11.
Conſtitutionum, ſiue legum verba, ſemper ſunt intelligenda, circa ſubiectam materiam, & diſpoſitio negotij, de quo loquuntur. 21.
Conſuetudo an poſſit tollere legem ſiue ſtatutum habens annexam ſententiam excommunicationis. 310. cum ſeq.
Conſuetudo recepta, an obliget ſemper ad ſui obſeruantiam, ſub peccato mortali. 311.
Conſuetudo praua & mala, an excuſet à peccato & à pœnis huius ſeculi. 312.
Iudicandum an ſit ſecundum conſuetudinem, etiã contrariam Iure ſcripto. ibid.
Conſuetudo & præſcriptio, penes quid differant. 313.
Conſuetudo quid ſit & de multiplicibus cõſuetudinis diffinitionibus. 299.
Conſuetudo, an vim legis obtinere poſsit. 71. & 300 & 301.
Conſuetudo an ſemper introducatur per actus illicitos, an vero etiã quãdoque per licitos. ibid.
Conſuetudo quas conditiones, & qualitates habere debeat, vt vim legis obtineat & priorem legem poſsit tollere. ibidem cũ ſeq. latiſſime.
Conſuetudinẽ vim legis habentem & priorem legem abrogantẽ, quinã poſsint introducere. 304.
Conſuetudo quæcumque inueterata, an vim ſemper legis habeat, & priorem legem poſsit tollere. 305. cum ſeq. latiſsime.
Cõſuetudo derogare an poſsit, legi poſitiuæ etiã præceptiuæ. 308.
Conſuetudo quæ vim habet auferendi legem, an introducatur per ſolum non vſum. 309.
Conſuetudo qualiter interrumpatur. ibid.
Conſuetudo contra Canones quam ob cauſam interdum valeat, non vero ſtatutũ. ibid. cum ſeq.
Confiteri an teneantur Fratres, ſuis proprijs Prælatis, de iure communi. 350.
Confiteri an teneantur Fratres ſub mortali, certis quibuſdam diebus anni. 351.
Confiteri an teneantur Religioſi, in aliquo caſu venialia ſub mortali. 352.
Confiteri peccata venialia & mortalia alias confeſſa, an in aliquo caſu teneantur Religioſi. 353. cum ſeq. latiſſime.
An expediat fieri eiuſmodi ſtatutum, quo Religioſi peccata vẽnialia aut mortalia, iam cõfeſſa teneantur confiteri. 355.
Confiteri Religioſi itinerantes, an poſsint quibuſcumque Confeſſarijs Regularibus, ſiue ſecularibus. 356. cum ſeq.
Confiteri an teneatur iterum ſuo Superiori peccata reſeruata, qui in mortis articulo ab eiſdẽ fuit abſolutus, ſi non decedat. 360. cum ſeq.
Confeſsionem generalem ſemel aut bis in anno facere, an obligari poſsint Religioſi. 355.
Confeſſores per Prælatos deputati, abſoluere an poſsint Fratres in aliquibus caſibus plenarie ab omnibus peccatis, excommunicationibus, pœnis & cenſuris. 358. cum ſeq.
Confeſſores per Prælatos deputati, quibus diebus ſpecialiter Fratres plenarie poſsint abſoluere, illiſque indulgẽtiã plenariã cõcedere. 361
Confeſſores regulares, an poſsint Fratres per ſua priuilegia ab irregularitatibus abſoluere, ſeu potius cum illis diſpenſare. 362. cum ſeq.
Conſecratio eccleſiarum, & ſacrorum locorum, quid ſit & quotuplex. 474.
Conſeruatores Ordinum quinam dicantur, & qui poſſunt illos conſtituere. 526.
Conſeruatores Ordinum, quinam poſſint inſtitui ſiue conſtitui. 527. cum ſeq.
Conſeruatores penes quid differant à Iudicibus delegatis. 529.
Conſeruatores an poſſint ſibi eligere, omnes Fratres Ordinum Mendicantium. ibid. cum ſeq.
Conſeruatore vno pro aliqua cauſa nominato, an poſſit alius pro eadem conſtitui. 531.
Conſeruatorum officium in Ordinibus, an ſit perpetuum vel temporale, & an extinguatur morte concedentium. 532.
Conſeruatores Ordinum, quidnam poſſunt aut non poſſunt facere, & in quibus rebus ex officio ſuo poſſunt ſe intromittere. 533. cum ſeq. latiſ.
Conſeruatores Iudices qualiter procedere debeant, in cognoſcendis iniurijs notorijs & manifeſtis. 536. cum ſeq. latiſſime.
Conſeruatores Iudices, an ſubdelegare poſsint ſuas commiſsiones. 537.
Conſeruatores Iudices, per cenſuras procedunt ad ſuum munus, & officium exequendum. ibid.
Conſeruatores Iudices, in ſuis cauſis procedunt ſimpliciter & de plano. 538.
Conſeruatores Iudices cogere poſſunt brachium ſeculare ad ferendum ſibi auxilium. 539.
Conſeruatores Iudices, in quas pœnas incidant excedentes ſuas commiſsiones. ibid.
Coram Conſeruatoribus Iudicibus, an conueniri poſsint, & debeant Regulares in debitis ciuilibus. 540. cum ſeq.
Conſeruatores Iudices, an procedere poſsint cõtra detinentes animalia Religioſorum, inuenta in alienis paſcuis. 543.
Conſeruatores Iudices Regulariũ, procedere an poſſint contra alios Regulares, habentes etiã pro ſuis cauſis, proprios Conſeruatores. 544.
Cuius eſt condere, eiuſdem etiam eſt eamdem interpretari. 72.
Cuſtodes quinam dicantur ex noſtra Regula, & in noſtro ſacro Minorũ Ordine. 163. cũ ſeq. latiſ.
Cuſtodum poteſtas & auctoritas, qualis ſit in noſtro Minorum Ordine. 165.
Cuſtodũ Cuſtos, qui alio nomine dicitur Diſcretus Diſcretorũ mittendus ad Generale Capitulũ, qualiter ſit eligendus in noſtro ſacro Minorũ Ordine, & quod ſit eius munus & officiũ. 166

D.

Declaratio ſacrorum Canonum, an ſolummodo pertineat ad Romanum Pontificem. 288.
Declarationes Cardinalium, an teneant, & obligent, tam in foro interiori, quam exteriori. ibidem cum ſeq.
Declarare ſiue interpretari Ius Canonicũ & Cõſtitutiones Apoſtolicas, an liceat Doctoribus Iuriſperitis, ſiue Theologis. 290.
Decima quid ſit, quid vero Primitia, quid autem oblatio. 556.

Quidnam velint Iura de oblationibus, & decimis & quo iure debeantur 557. cum ſeq.
A decimarum ſolutione, an excuſari aliquis poſſit per contrariam conſuetudinem, 558.
Ab obligatione ſoluēdi decimas, excuſari an quiſpiam poſsit ex Papæ diſpenſatione, ſiue tranſactione, aut ſuper eis fieri aliqua cōpoſitio. 559. cum ſeq.
Decimæ de quibus rebus debeantur, 561.
Decimæ à quibuſnam perſonis debeantur. ibid. cum ſeq.
Decimæ quibus perſonis ſint dandæ & perſoluēdæ. 562.
Decimæ quando, vbi & qualiter ſint perſoluendæ. 563.
Decimæ an percipi poſsint à laicis. ibid.
A decimarum ſolutione, Religioſi & Regulares, an ſint ex iure communi aut ſaltem ex aliquo priuilegio exempti. 564. cum ſeq.
A decimarū ſolutione Moniales S. Claræ, an ſint exemptę. 566.
De decimis ſoluendis, an teneantur Confeſſores Regulares, in confeſſionibus facere fidelibus conſcientiam. 567.
Degradatio quid ſit & quotuplex, 68.
Degradatio verbalis qualiter, & quibus verbis fiat. 69.
Degradatio tantum verbalis, & quæ fieri ſolebat olim, abſque expoliatione habitus, de iure cōmuni competit generali noſtri ſacri Ordinis, & cuilibet generali. ibid.
Degradatorum ſolemniter reſtitutio, de iure cōmuni ſoli competit Sūmo Pontifici. 70. cū ſeq.
Diffinitores Capituli Generalis, quot & qualiter ſint eligēdi, & etiā in Capitulo intermedio. 125.
Diffinitorum ſupradictorum Generalium munus & officium quodnam ſit. 126.
Diffinitores Prouinciarum qualiter ſint eligendi & de eorum duratione & ſubrogatione, aliiſque ad ipſos pertinentibus. 153. cum ſeq. latiſſime.
Diffinitorum conſilium, Prouincialis Miniſter an teneantur non ſolum petere, verum etiam ſequi, in his quæ in Diffinitorio proponuntur. 154 cum ſeq. latiſſime.
Diffinitorum vota & ſuffragia, qualiter ſint requirenda in Diffinitorio, & an incipiendum ſit à ſenioribus, an vero à iunioribus. 156.
Diffinitores, an teneantur ſub mortali in Diffinitorio dicere quod ſentiunt, non obſtante quacumqūe in contrarium Superiorum cognita voluntate. 167. cum ſeq.
Diffinitores an teneantur ſub mortali, ſeruare ſecretum de rebus quæ in Diffinitorio tractātur. 158.
Diffinitorum prolata ſententia, qualiter ab omnibus ſimul ſit ſubſcribenda. 159.
Diffinitores qualiter ſe gerere debeant in officiorum prouiſione, & Guardianorum electione. 16 cum ſeq. latiſſime.
Diffinitorium Prouinciale qualiter ſit congregandum, & de modo & forma in eodem ſeruanda, 159. cum ſeq. latiſsime.
Dignitas quid ſit & quid inter ſit inter dignitatem, perſonatum & officium. 33.
Dignitates de iure communi, non ſunt conferendæ nouiter cōuerſis, ſiue ex gentilitate, ſiue ex iudaiſmo. 4.
Diſcreti quinam dicantur in noſtro ſacro Minorū Ordine. 179.
Diſcreti vt eligantur mittendi ad Prouincialia Capitula an fuerit expediens, ſitque etiam modo. ibidem cum ſeq. latiſſime.
Diſcreti ſupradicti mittendi ad Prouincialia Capitula, qualiter ſint eligendi ſecundum noſtras generales Conſtitutiones, & quodnam ſit eorum munus & officium. 181.
Diſcreti mittendi ad Prouincialia Capitula, an eſſe poſſint laici in noſtro ſacro Minorum Ordine. ibid.
Diſcreti mittendi ad Prouincialia Capitula, eſſe an poſſint illegitime nati. 183.
Diſcreti mitrendi ad Prouincialia Capitula, eſſe an poſsint deſcēdētes ex Iudæis, Sarracenis, ſiue Hæreticis intra quartum gradum, in ſacro noſtro Min. Ord. 184.
Diſcreti eſſe an poſsint Vicarij Ordinarij, ſine Præſidentes Conuentuum. ibid.
Diſpenſatio quidnam ſit. 323.
Diſpenſatio quotuplex ſit. 324.
Diſpenſatio eſt iuris relaxatio, & dicitur vulnus, quia quaſi vulnerat ius commune. 22.
Diſpenſatio an ſit idem quod priuilegium, declaratio aut epicheia. 325.
Ad diſpenſandum, an ſemper neceſſario requiratur cauſa. 326.
Diſpenſationis quænam ſint iuſtæ cauſæ & ſufficientes, 327.
Diſpenſatio facta ſine iuſta & rationali libri cauſa an valeat, & ea vtens an peccet mortaliter. 328
Diſpenſatione facta à Pio V. in nonnullis præceptis Regulæ noſtri Ord. Minorum, ad inſtantiam P. F. Ioannis de Aguilera, an licitum ſit modo vti. 338.
Diſpenſationem faciendam cum ſibi ſubditis, an Prælati Regulares poſſint alijs committere. 329
Diſpenſatio an cenſeatur, quando Prælatus mandat alicui Religioſo, vt faciat aliquid quod eſt contra ſuam Regulam. 340.
Diſpenſatio facienda cum aliquo Religioſo, vt ad laxiorem Religionem ſe transferat, quam cauſam requirat. ibid.
Diſpenſatio facta à Papa, & commiſſa Ordinario vt verificata narratiua idipſum faciat, an finiatur morte Papæ concedentis. 341.
Diſpenſandi in votis, iuſta & rationabilis cauſa quænam ſit. 346.
Diſpenſandi poteſtas, an late vel ſtricte ſit interpretanda. 22. & 335.
Ad diſpenſandum, an ſemper neceſſario requiratur cauſa. 29. & 326.
Ad diſpenſandum, Prælati an debeant eſſe faciles an vero difficiles. 327. cum ſeq.
Diſpenſatus in ſeculo, vt beneficiū ſeculare obtineat factus Religioſus, noua indiget diſpēſatione, vt obtineat Regularem præfecturam. 24.
Diſpenſatus cum dolo, & fraudibus, an ſit tutus in conſcientia. 329.
Diſpenſare an poſsint in legibus humanis, Principes, & Rectores multitudinis. 330.

Diſpenſare cum Religioſis in omnibus ſpiritualibus, an ſolummodo Summo Pontifici cõueniat. ibidem.
Diſpenſare an poſsint etiam Epiſcopi cum ſibi ſubditis. 331
Diſpenſare cum ſibi ſubditis in legibus & ipſarũ pœnis, an poſſint Prælati Regulares, ibidem cũ ſequentibus.
Diſpenſare an poſſint Prælati Regulares cum ſibi ſubditis, in obſeruantijs Regularibus. 333. cum ſequentibus.
Diſpenſare an poſſint Prælati Ordinis Minorum in præceptis noſtræ Regulæ, & an præcepta ipſa dici debeant præcepta, an vero vota. 335
Diſpenſare an poſſint Prælati Ordinis Minorum cum Fratribus ſibi ſubditis, vt petant triticum & aliqua ſuperabundantia, vt poſtea diuẽdarur & pro alijs rebus neceſſarijs commutentur. ibidem cum ſeq.
Diſpenſare an poſsint Prælati Ordinis Minorum, cum ſibi ſubditis ex iuſta cauſa, in præceptis de none quitando, & de non portandis calceamentis. 536
Diſpenſare an poſsint Prælati Regulares cum ſe ipſis, in caſibus in quibus diſpenſare poſſunt cũ alijs ſibi ſubditis. 337
Diſpenſare an poſsint Prælati Regulares cum ſibi ſubditis, in pœnis contentis in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quibus ipſo facto priuantur officijs Ordinis, & fiunt inhabiles ad alia 341.
Diſpenſare an poſſint Prælati Regulares, in ſuorũ ſubditorum votis. 344. cum ſeq.
Dubia ſemper ſunt begniorem in partem interpretanda. 10
Dubijs in rebus & ad conſcientiam ſpectantibus, ſemper tutior ac ſecurior pars eſt eligenda. 9.

E.

Ecclesiæ qualiter ſunt conſecrandæ, & quibus modis violentur. 574. cum ſeq.
Eccleſiarum cœmeteria qualiter polluantur ſiue violentur, & in quibus caſibus reconciliatione indigeant. 475
Eccleſiarum altaria qualiter execrentur, ita vt de nouo ſit conſecranda. 476
Eccleſia qualiter execretur, ita vt de nouo cõſecratione ſiue reconciliatione indigeat. 477
In Eccleſia violata aut polluta celebrans, antequam reconcilietur, an irregularis fiat. 478
Eccleſia execrata & polluta, an etiam execrentur & polluantur altaria, ita vt reconciliatione indigeant. ibid.
Eccleſia polluta aut violata, qualiter ſit reconcilianda. 479
Electio canonica quidnam ſit. 185
Electio canonica quotuplex ſit. ibid
Electionis canonicæ celebrãdæ forma, iuxta cap. quia propter, an locum habeat & ſeruanda ſit, in omnibus electionibus quorumcunque Prælatorum, & officiorum Eccleſiaſticorum. 186
Electionis canonicæ tradita forma, in capit. quia propter, an ſeruanda ſit & locum habeat, in poſtulatione Prælatorum, & collatione quorumcunque officiorum Eccleſiaſticorum. 187
Electio à quibus facienda eſt, vt cenſeatur eſſe canonica. 188. cum ſeq. latiſſime.
In electione canonica, quinam habeant votum ſiue ſuffragium, qui vero non. 189
Ad electionem canonicam, quinam ſint neceſſario vocandi. ibid.
In electione canonica, abſentes an poſsint procuratorem conſtituere. 190
Eligendi poteſtate & facultate, quinam priuati ſint. 191
Electio canonica, in quonam loco ſit celebranda. 192.
Electionis canonicæ celebrandæ, quodnam tempus ſit conſtitutum à iure. ibid.
Eligi quinam poſsint aut non poſsint, itaquod electio de eis facta, ſit ipſo iure nulla. 193
Electiones canonicæ, fieri an poſsint de nocte. 194.
Electores an teneantur ſemper eligere meliorẽ. 45. & 195.
Electo in diſcordia, an acquiratur aliquod ius ex tali electione, extra ſuum Ordinem. 196.
Electio canonica quæ eſt per ſcrutinium, qualiter ſit celebranda. ibid.
In electione canonica quæ eſt per ſcrutiniũ, qualiter electorum vota, ſint conſcribenda. 197
In dicta electione canonica, qualiter ſint danda & ferenda ſuffragia. 198
Electiones canonicæ, an fuerit magis cõueniens, fieri per ſcrutinium quam per ſortes, & an per ſortes fieri poſsint. 199
Electio in qua per incuriam aliquod ſuffragium publicatur, an ſit valida. 200
Electio in qua quis per errorem aut per malitia, miſit in vrnam ſchedulam albã, an valeat & ſit computandum eiuſmodi votum. ibid.
Electiones neceſſario an fieri debeant, de aliquo qui ſit de Collegio. 201
Electiones an neceſſario eſſe debeant liberæ. ibidem.
Electiones an in aliquo caſu & ex cauſa, poſſint coarctari & reſtringi. ibid. cum ſeq.
In electione an poſsint coarctari ſuffragia, ad ſolos ſeniores & ætate prouectiores. 203
In electione ſuffragium ſemel datum, an poſſit mutari & reuocari. 204
Electio canonica, collatis ſuffragijs an ſit ſtatim publicanda. 205
Electionis ſcrutinium publicatum, an plenam faciat fidem pro electo. ibid.
Electio vt valeat, an ſufficiat habere quempiam maiorem ſuffragiorum partem. 206. cum ſeq.
Electi poſt ſcrutinium & ante confirmationem, an ſit aliqua conſultatio facienda. 208
Electionis quæ eſt per ſcrutinium, quænam ſint de ſubſtantia & eſſentia. 209. cum ſeq.
Electio quænam ſit caſſanda & annullanda, quæ vero ſit ipſo iure caſſa & nulla. 211
Electus an teneãtur electioni de ſe factæ cõſentire, & an melius faciat annuendo quã diſſentiendo. 212
In electionibus, an ſit ſemper neceſſaria confirmatio Superioris. 213
In electione, in quibus caſibus electio deuoluatur ad Superiores ſeu ad electores, & quando ipſi priuentur facultate eligendi. ibid. cum ſeq.

Electio aliqua, an fieri possit per compromissum. 215.
Electio facta per compromissum, ab vno nomine omnium alijs præsentibus, & non contradicentibus, an valeat. ibid.
In electionibus qualiter & quibus modis fieri possit compromissum. 216.
In electionibus potestas data compromissarijs eligendi aliquem, an intelligi semper debeat de idoneo. ibidem.
Electionis compromissariæ seu factæ per compromissum, quænã sint de substantia & essentia. 217.
In electione facta per compromissum, si compromissarius sit tantum vnus, an possit semetipsum eligere. ibidem.
In electionibus quando compromissarij sunt plures, an possint eligere vnum ex se ipsis. 218.
In electionibus factis per compromissum, quando ex tribus compromissarijs duo eligunt indignũ, vnus vero dignum & idoneum, quænam harum electionum valeat & teneat. 219.
Electio quæ est per viam communis spirationis qualiter fiat, & quænam sint de eius substantia, & essentia. ibid.
Eligendi potestas data compromissarijs, an sit semper intelligenda de idoneo. 216.
Episcopis, an conueniat dispensare cum sibi subditis. 331.
Epicheia quidnam sit, & quod sit eius munus & officium. 342. cum seq.
Epicheia an competat non solum Prælatis, verum etiam subditis. ibidem.
Epicheia qualiter sit vtendum, in causis, negotijs ac necessitatibus occurrentibus. ibi. cũ seq.
Excommunicatio quidnam sit & quotuplex. 381. cum seq. latissime.
Excommunicatio maior quidnam sit, & quas solũ modo ob causas debeat & possit apponi. 383. cum seq. latissime.
Excommunicatio minor quidnam sit, & quinam ipsius effectus, & in quibus casibus incurratur. 386.
Cum excommunicato excommunicatione maiori, communicare in quibus casibus sit licitum, siue illicitum. 387. cum seq. latissime.
Metus mortis an excuset à peccato, communicando cum excommunicato excommunicatione maiori. 389.
Excommunicationis effectus quisnam sit, & pœnæ in quas incidunt excommunicati. 390.
Excommunicare quinam possint. 391. cũ seqq.
Excommunicatio ferri an possit diebus feriatis, & an sit necessario ferenda in scriptis. 393. cũ seq.
Excommunicari an possint Monasteria, Collegia, & Communitates. 394.
Excommunicari an possint Religiosi & Regulares, ab Episcopis & ordinarijs Prælatis cum sequentibus. 395.
Circa excommunicationes ferendas, quidnam de nouo statuerit Concilium Tridentinum. 396.
Excommunicationis sententia, in quibus casibus censeatur non solum iniusta verumetiam nulla, & quemnam tunc temporis operetur effectum. 397. cum seq.
Excommunicationis sententia iniusta, quæ nõ est omnino nulla sed valida, an semper aliquem operetur effectum. 399. cum seq.
Excommunicationes Papales, & solummodo Summo Pontifici reseruatæ, quænam sint. 400.
Excommunicationes, partim Papæ, partim vero Episcopis reseruatæ, quænam sint. 401.
Excommunicationes iuris communis nulli reseruatæ, quænam sint. ibid.
Excommunicationes in quas Religiosi incidunt ipso facto, quænam sint. ibid. cum seq.
Quinam possunt absoluere ab omnibus supradictis excommunicationibus. 403.
In absoluendo ab excommunicatione maiori, virtute priuilegiorum seu aliter, quænam sint necessario obseruanda. 404.
Absolutio ab excommunicatione, virtute Bullæ Cruciatæ seu aliorum priuilegiorum, an extra Sacramentum fieri possit. 405. cum seq.
Excommunicati à Iudice nominatim, in foro conscientiæ, an per aliqua priuilegia absolui possint. 407.
Excommunicatus nominatim ad petitionem partis, absolutusque ex consensu ipsius, aut concedente ipsa prorogationem vsque ad certum tẽpus, an finito tali tempore, reincidat in excommunicationem. 408.
Excommunicatus propter manifestam percussionem alicuius Clerici, an in foro conscientiæ per Bullam Cruciatæ, seu aliquorum priuilegiorũ, possit absolui. ibid. cum seq.
Expositi quorum parentes latent ac prorsus ignorantur, iure non reputantur illegitimi neque irregulares. 11.
Expositi interdum leguntur fuisse, multi legitimi. ibidem.

F

Fideles quicumque baptizati, cuiuscumque status & conditionis extiterint, Iudæi licet sint, Græci aut Gentiles, seu ab eisdem descẽdentes si à fide semel cœpta numquam defecerunt, de iure communi & regulariter loquendo, admitti debent ad quæcũque munera & officia in Christiana Republica, & ad quascumque Religiones nisi aliud obstet ex priuilegio. 1. & 2.
Filijs non nocent parentum peccata, quæ post ipsorum natiuitatem commiserunt. 7.
Filius natus ante dignitatem patris, ipsius honores & prærogatiuas non consequitur. 8.
Filij descendentes ex hæreticis Ecclesiæ postmodum reconciliatis, non in aliorum hæreticorum pœnas incidunt. ibid.
Filius genitus ex concubina, legitimatur per subsequens matrimonium. 25.
Filij incestuosi & sacrilegi siue adulterini, non legitimantur per subsequens matrimonium. 27.
Fratres nostri sacri Ordinis, an teneantur obedire Prælatis ex maculato genere descendentibus, & comprehensis in Pauli Quarti & Clementis Septimi, & aliorum Summorum Pontificum cõstitutionibus. 15.
Fratres laici, an esse possint aut debeant Prælati, in nostro sacro Minorum Ordine. 33. & 34.

G

GEnerale Capitulum in noſtro ſacro Minorum Ordine, quo tempore ſit celebrandum. 48.

Generalis Capituli celebrandi in noſtro ſacro Minorum Ordine, quænam ſit forma. 49. cũ ſeq.

Generale Capitulum, an poſſit tollere & abolere, ſtatuta in alio Capitulo generali facta auctoritate Papæ. 320.

Generalis Miniſter in noſtro ſacro Minorum Ordine, ex vi noſtræ Regulæ tantum debebat eſſe vnus. 52.

Generalis Miniſter in noſtro ſacro Minorum Ordine, an fuiſſet expediens, quod tantum eſſet vnus. 53. & 54.

Generalis Miniſter noſtri ſacri Minorum Ordinis, ſecundum Regulam, an eſſe deberet perpetuus. pag. 55.

Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, & in vniuerſum conſtarum Religionum, an fuiſſet expediens quod eſſet perpetuus. ibid. cum ſeq.

Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, quam auctoritatem, & poteſtatem habeat in ſibi ſubditos. 57. cum ſeq.

Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, an poſſit aliquid circa ſibi ſubditos, in rebus & cauſis ſpectantibus ad fidem, 59. cum ſeq. latiſſime.

Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, ex priuilegio olim abſoluere an potuerit Fratres ſibi ſubditos in foro conſcientiæ ab hæreſis occulto crimine, & an talia priuilegia hodie ſint reuocata. 63. cum ſeq. latiſſime.

Generalis Miniſter, transferre an poſſit Prouincialem Miniſtrum ex vna in alteram Prouinciã. 67.

Generalis Miniſter eximere an poſſit aliquem Religioſum ab obedientia ſui Prouincialis, ſeu illius Guardiani in cuius Cõuentu cõmoratur. 68

Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, reſtituere an poſſit degradatos, & ſolemniter electos ab Ordine. ibid. cum ſeq. latiſſime.

Generalis Miniſter, an habeat auctoritatem & facultatem interpretandi iura & priuilegia, pro noſtro ſacro Minorum Ordine, à Sede Apoſtolica emanata. 72. cum ſeqq.

Generalis Miniſter, & Religionum Prælati, propria auctoritate an poſſint deſerere aliquod Monaſterium. 73.

Generalis Miniſter & Religionum Prælati, recipere an poſſint de nouo aliquem Conuentum ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ. 74

Generalis Miniſter, fundare & erigere an poſſit de nouo aliquam Prouinciam, ſeu iam erectam & fundatam diuidere. 75.

Generalis Miniſter ſeu alius Generalis, efficere an poſſit & diſpenſare, vt vnus Religioſus ſimul habeat plura officia animarum curã habentia. ibi.

Generalis Miniſter, diſpenſare an poſſit cum ſibi ſubditis circa ætatem requiſitam ad faciendam profeſſionem, ſeu recipiendos ſacros Ordines, & retinenda Ordinis officia. 76.

Generalis Miniſter, diſpenſare an poſſit cũ ſibi ſubditis in bigamia, ad hoc vt ad ſacros Ordines poſſint promoueri. ibid. cum ſeq. latiſſime.

Generalis Miniſter & Religionum Prælati, diſpenſare an poſſint cum ſibi ſubditis, in irregularitatibus prouenientibus ex vitio ſiue defectu corporis. 79. cum ſeq.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit, cum Religioſis ſibi ſubditis lepra infectis, aut patientibus graues alias corporis infirmitates, vt ad ſacros promoueantur Ordines; aut promoti in ipſis diſpenſari poſſint. 81. cum ſeq.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit cum infamibus, ad hoc vt ad ſacros Ordines promouean tur, item & cum ſeruis inuitis ſuis dominis. 82.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit cum ſibi ſubditis, in irregularitate proueniente ex illegitimitate ſiue defectu naturalium. 83.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit cum ſibi ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex animi ſeu animæ defectu. 84. cum ſeq.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit cum ſibi ſubditis, in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis, vt ad ſacros Ordines promoueantur. 86. cum ſeq.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit cum ſibi ſubditis, in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario publico, illicito & prohibito, aut ſaltim in omnino occulto, vt ad ſacros Ordines poſſint promoueri. 87. cum ſeq. latiſ.

Generalis Miniſter an diſpenſare poſſit cum ſibi ſubditis, in irregularitate proueniente ex mutilatione voluntaria alicuius membri, vt ad ſacros Ordines promoueantur. 91.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit cum prædictis, ad hoc vt ad dignitates & Prælatias, in Religione promoueantur, ſeu iam promoti illas retineant. 93. cum ſeq.

Generalis Miniſter, diſpenſare an poſſit cum ſibi ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio caſuali, aut facto cauſa propriæ defenſionis. 94. cum ſeq.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit generaliter in omnibus irregularitatibus ex culpa & delicto prouenientibus. 95. cum ſeq. latiſ.

Generalis Miniſter, Religionumque Prælati, diſpenſare an poſſint cum ſecularibus ſuper impedimentis Matrimonij poſt iam contractũ, ad hoc vt poſſint petere debitum. 98.

Generalis Miniſter & Religionum Prælati, an facultatem habeant concedendi indulgentias. 99.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit in legibus latis à Papa ſiue à Concilio, & Prælati inferiores in legibus latis à ſuis ſuperioribus. 101.

Generalis Miniſter & Religionum Prælati, diſpenſare an poſſint in hoc, quod mulieres interiora Monaſteriorum ingrediantur. 102.

Generalis Miniſter diſpenſare an poſſit in perſonali reſidentia Prælatorum Regularium. ibid.

Generalis Miniſter & Religionum Prælati diſpenſare an poſſint in obſeruantijs Regularibus. 104, cum ſeq. latiſſime.

Generalis Miniſter & Religionum Prælati, diſpenſare an poſſint cum ſibi ſubditis, ſuper tranſlatione ad alios Ordines. 106.

Generalis Miniſter & Religionum Prælati, diſpenſare an poſſint cum ſibi ſubditis, in voto Hieroſolymitano & alijs communiter reſeruatis. 107

Generalis Miniſter & Religionum Prælati, an poteſtatem habeant concedendi ſibi ſubditis licentiam,

tiam veniendi contra iuramentum licitũ. ibid.
Generalis Miniſter & Religionum Prælati, abſoluere an poſsint ſibi ſubditos à caſibus Summo Pontifici reſeruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini, & ab interdicto & ſuſpenſione à diuinis. 108.cum ſeq.
Generali Miniſtro, qualem obedientiam teneantur præſtare Minores Fratres, ex ſpeciali ratione ſuæ Regulæ. 110.
Generalis Miniſter per ſe ipſum & ſine conſilio patrum Ordinis, an aliqua ſtatuta ſiue Conſtitutiones poſsit efficere. ibid.
Generalis Miniſter per ſe ſolum, an poſsit immutare & derogare ſtatuta ſemel facta in Capitulis generalibus. 111.
Generalis Miniſter, an ex officio teneatur totum Ordinem viſitare. 112
Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, quas conditiones & qualitates debeat habere, iuxta intẽtionem & voluntatem S.P.N.Franciſci. 113.
Generalis Miniſter noſtri ſacri Ordinis, à quibus poſsit priuari & deponi, ſi in graui re aliqua deliquerit. 114.
Generalis Miniſtri officio vacante per mortem, promotionem, renunciationem, ſeu aliam quam cumque cauſam, quidnam ſit faciendum. 115.cũ ſequentibus latiſsime.
Generalis Miniſter ſi à ſua familia voluerit diſcedere, an poſsit in illis partibus, Commiſſarium aliquem generalem conſtituere. 124.
Guardiani in noſtro ſacrõ Minorũ Ordine, an ſint proprie & vere Prælati. 167.
Guardiani qualiter ſint eligendi in noſtro ſacro Minorum Ordine. ibid.
Guardiani quam auctoritatem & poteſtatem habeant de iure communi, & circunſcriptis priuilegijs. 168.
Guardianorum poteſtas ex priuilegijs, qualis & quanta ſit. 169.
Guardianorum poteſtatem, Capitulum Generale aut Prouinciale, an potuerit limitare, reſtringere ſiue coarctare. 170.
Guardianis quænam ſint prohibita ex noſtris generalibus Conſtiturionibus. ibid.cum ſeq.latiſſ.
Guardiani an poſsint ſecum diſpenſare, & licentiam ſibi præſtare illis in rebus, in quibus illam poſſunt concedere alijs ſibi ſubditis. 172.
Guardianorum officium quantum duret in noſtro ſacro Minorum Ordine. 173.

H

HAEretici ſeu ab ipſis deſcendentes, aut ex Iudæis vel Sarracenis intra quartum gradum, in ſacram noſtram Minorum Fratrum Religionem, non poſſunt aut debent admitti, ex priuilegio Pauli Quarti, Clementis Septimi, aliorumque Summorum Pontificum. 3.cum ſeq.
Hæretici, ſeu potius ex eiſdem deſcendentes, ſiue ex Iudæis aut Sarracenis intra quartam generationem, an ſint ipſo facto priuati Ordinis officijs & inhabiles ad illa, ante Iudicis condemnationem: an vero ſolummodo poſt ipſam. 13.cũ ſeq.
Hæretici ſeu ex eiſdem deſcendentes intra quartũ gradum in noſtro ſacro Minorum Ordine, an eſſe poſsint Prædicatores. 16.
Hæreſis crimen de iure communi ſummo Pontifici ſolummodo eſt reſeruatum. 59.cũ ſeq.
Hæreſis occultum crimen, in foro conſcientiæ à quonam poſsit abſolui. 60.cum ſeq.latiſ.
Hæreſis occulto crimine irretiti, quodnã habeãt remedium ad hoc vt ab ipſo in foro conſcientiæ poſſint abſolui. 65.cum ſeqq.latiſsime.
Homicidium voluntarium quidnam ſit, & quotuplex. 86.
Homicidij voluntarij, in irregularitate quiſnam poſsit diſpenſare, ſi ipſum non ſit illicitũ. ibid.
Homicidij voluntarij, illiciti & publici irregularitatem, quiſnam diſpenſare poſsit. 87.
Homicidij voluntarij, illiciti omnino occulti irregularitatem, quiſnam diſpenſare poſsit. 89.cũ ſeq.latiſsime.
Homicidium caſuale quodnã dicatur, & an ſit omnino idem, ac factum cauſa propriæ defenſionis. 94.

I

INiquorum punitio, quam ſit Deo chara & grata. 46.
Illegitimi, an ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas de iure communi poſsint aſſumi & promoueri. 17.cum ſeq.latiſsime.
Illegitimitas, an tollatur per Religionis ingreſſum. ibidem.
Illegitimi, an per aliqua priuilegia Regularibus conceſſa, ad præfatas Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas, poſsint promoueri, & qualiter. 19.cum ſeq.
Illegitimorum diſpenſationes, an fieri poſsint extra Capitulum, in Congregatione Capitulari, ſeu habente vim Capituli intermedij. 20.cũ ſeq.
Illegitimorum diſpenſatio fieri an poſsit in totũ, an vero ſolummodo vt ad Prælatias & dignitates poſsint promoueri. 21.cum ſeq.
Illegitimi diſpenſati in ſæculo, vt beneficium cũratum obtinere poſſent, facti poſtea Religioſi, an noua indigeant diſpẽſatione, ad hoc vt eſſe poſſint Prælati. 23.
Illegitimus occultus, an diſpenſatione indigeat, ad hoc vt ad Prælatias & dignitates Eccleſiaſticas poſsit promoueri. 24.
Illegitimus genitus ex concubina, poſt cuius profeſsionem in aliqua Religione approbata, pater eandem in vxorem duxit, an diſpenſatione indigeat; vt ad Prælatias poſsit promoueri. 25.
Illegitimis quænam officia iure ſint prohibita, non interueniente præuia ſufficiente diſpenſatione. ibidem.
Illegitimi abſque diſpenſatione eſſe poſſunt Magiſtri Nouitiorum, & Vicarij Monialium. 26.
Illegitimi ſine diſpenſatione eſſe non poſſunt Vicarij Monialium. ibid.
Illegitimi filij militum S.Iacobi, Calatrauæ & Alcãtaræ, an ſint dicendi naturales, an vero ſacrilegi, maiorique indigeant diſpenſatione, quam alij naturales, ad hoc vt in Religionibus ad Prælatias poſsint promoueri. ibid.
Illegitimus filius alicuius Religioſi, diſpenſari an poſsit vt ad Prælatias & dignitates promoueatur,

tur,in ea Religione in qua ipſius pater Prælationem obtinuit,ſeu illam obtinet. 27.cum ſeq.
Illegitimi ad hoc vt diſpenſentur,vt dignitates & Prælatias obtinere poſſint,an neceſſario requiratur cauſa. 29.
Illegitimi ad hoc vt diſpenſentur ad ſupradicta, quænam cauſa requiratur,ſitque ſufficiens. ibidem & 30.
Illegitimi diſpenſatio, ad hoc vt ad dignitates & Prælaturas promoueatur,an ſufficiat quod petatur in communi,& ſic facta valeat. ibid.
Illegitimi Religioſi electio in Prælatum, facta ab habentibus auctoritatem & poteſtatem diſpenſandi,an pro diſpenſatione ſufficiat,& diſpenſatio facta cenſeatur. 31.& 32.
Infamatus de aliquo crimine aut delicto, purgare ſe tenetur. 11
Infames de iure & de facto ſunt irregulares,& cũ eis vt promoueantur, ſolus Summus Pontifex diſpenſare poteſt. 82.
Infidelitas præcedens in promotionibus, non nocet niſi fuerit hæreſis, aut conuerſio recens. 2.
Interdictum quid ſit & quotuplex. 431.cum ſeq.
Interdicto Clero,an cenſeantur interdici Religioſi & omnes Eccleſiaſticæ perſonæ. 433.
Ad interdictum ponendum,quænam ſit cauſa neceſſaria & ſufficiens. 434.
In interdicti poſitione, quænam ſit forma ſeruanda. ibidem.
Interdicta poſita à iure,quænam ſint. 435.
Interdicti effectus quiſnam ſit, & quæ interdicti tempore ſint prohibita. ibid.cum ſeq.
Interdictum violantes,in quas pœnas incidant. 437.cum ſeq.
Interdictum ſuſpendere quibuſnam cõpetat. 439.
Interdictum in quibus caſibus iure ſuſpendatur. pag. 440.
Interdicti relaxatio in totum à quo fieri poſſit, & quæ ſint in hoc conſideranda. ibidem. cum ſeq.latiſſime.
Interdictorum ſuſpenſio,an poſſit fieri nunc in certis quibuſdam diebus ſiue caſibus, virtute priuilegiorum poſt Conc.Trid. 443.cum ſeq.
Interdicere ſeu interdici quinam poſſint. 433.
Irregularitas quid ſit, & de multis ipſius ſpecie-bus. 77.cum ſeq.latiſſime.
Irregularitas de mente Nauarri non abſoluitur, neque tollitur per Bullam Cruciatam. 77.
Iudæi & Sarraceni, ab ipſisque deſcendentes intra quartum gradum,ſeu ex hæreticis, in ſacrã noſtrum Minorum Fratrum Religionem, non poſſunt neque debẽt admitti,ex priuilegio Pauli Quarti, Clementis Septimi, & aliorum Summorum Pontificum. 2.cum ſeq.
Ex Iudæis,Sarracenis, vel hæreticis intra quartũ gradum deſcendentes, in noſtro ſacro Minorũ Ordine non poſſunt in Prælatos eligi, & electio de eis facta eſt ipſo iure nulla. 3.
Iudæi ſeu potius ex eiſdem deſcendentes, aut ex Sarracenis,ſiue Hæreticis intra quartam generationem,an ſint ipſo facto priuati Ordinis officijs,& inhabiles ad illa ante Iudicis condemnationem,an vero ſolummodo poſt ipſam. 13: cum ſequentibus.
Iudex ordinarius quis dicatur, quis vero delegatus,aut ſubdelegatus. 116.
Iudæi ſeu ex eiſdem intra quartum gradum deſcẽdentes in noſtro ſacro Minorum Ordine,an eſſe poſſint Prædicatores. 16.
Iuſtitia quidnam ſit, & de multiplicibus eius acceptionibus atque diuiſionibus. 220.cum ſeq.
Ius quidnam ſit & quotuplex,ac de multiplicibus iuris acceptionibus & diuiſionibus.221.cum ſeq.
Ius omne in cõmuni diuiſum, eſt vel naturale vel poſitiuum. 222.
De iure naturali eſt illud quod natura ipſa docet: de iure vero poſitiuo quod procedit ex humano condicto. 223.
Ius naturale & poſitiuum,in quibus differant. ibi.
Ius gentium quodnam dicatur, & an pertineat ad ius naturale,an vero ad ius poſitiuum. 224. cum ſequentibus.
Ius Canonicum quid ſit,& quæ ſint eius partes,in quas diuiditur. 279.cum ſeq.
Ius canonicum & ciuile in quonam differant,& an vtriuſque ſit vnus & idem finis. 280.cum ſeq.
In iure canonico contenta, an omnia ad ſui obſeruantiam obligent. 282.
In iure canonico an reperiantur aliqua non ligantia nec tenenda,quantum ad textum, & quantũ ad gloſſam. 283.
Ius canonicum ſiue leges canonicas,quiſnam poſſit facere & conſtituere. ibidẽ.
Ius canonicum, an obliget ſemper ad peccatum mortale ſiue in foro conſcientiæ. 284.
Ius ſiue conſtitutio canonica,ad hoc vt vim & robur habeat obligandi,an ſit expectandus populi conſenſus. 285.
Iuri priuato & particulari,quãuis renuntiare quiſpiam poſſit, non tamen iuri collato in fauorem ſui ſtatus. 26.
Supplicare an liceat Papæ,& Summo Pontifici,vt ſuas conſtitutiones canonicas moderetur aut reuocet,& an interim per huiuſmodi ſupplicationem ſuſpendantur ipſarum effectus. 286. cum ſequentibus.
Suſpenſio literarum Apoſtolicarum,fieri an poſſit abſque iuſta & rationabili cauſa,per interpoſitam ſupplicationem. 287.cum ſeq.
Canonum interpretatio ſiue declaratio,an ſolum pertineat ad Romanum Pontificem. 288.
Ius canonicum interpretari & declarare,an liceat Doctoribus iureperitis,ſiue Theologis. 290.
Ius ciuile quidnam ſit,& quæ ſint eius partes.291.
Ius ciuile ſiue leges ciuiles, quiſnam poſſit condere. ibidem.
Iuris ciuilis leges ex ſui transgreſſione,an ad peccatum mortale obligare poſſint. 292.cũ ſeq.
In corpore iuris ciuilis, an ſint aliquæ Imperiales leges ex materia ſua iniuſtæ, & quæ non ad ſuã obſeruantiam obligent in foro conſcientiæ.293
Iuris ciuilis legesindiſtincte ac generaliter loquẽtes,an obligent abſque diſcrimine,etiam perſonas Eccleſiaſticas & Regulares. 294.cum ſequentibus latiſſime.
Iuris ciuilis leges & ſtatuta,facta contra immunitatem Eccleſiaſticam,an valeant. 296.
Iuris ciuilis lex, alienare prohibens bona immobilia Eccleſijs ſiue perſonis Eccleſiaſticis,an ſit licita. 297.

In

In quas pœnas incidant, facientes leges & conſtitutiones iniquas. 298.
Iudex an teneatur iudicare ſecundum conſuetudinem etiam contrariã iuri ſcripto, & ſecundum quam conſuetudinem ſit iudicandum. 312

L

LEx quidnam ſit, & de multiplicibus legum differentijs & diuiſionibus. 226. cum ſeq.
Lex an ſit actus intellectus, an vero voluntatis. 229. cum ſequentibus.
Lex ad hoc vt ſit licita & iuſta, debet ſemper in cõmune bonum ordinari. 230.
Leges condere ad quem pertineat. 231. cũ ſeq.
Legis promulgatio an ſit de ratione legis, tam in legibus ſecularibus, quam Pontificijs. 233. cũ ſeq.
Leges quando incipiant obligare. 235. cũ ſeq.
Leges humanas ſtatuiſſe, neceſſarium & congruũ an fuerit, præter legem Dei æternam & naturalem mentibus noſtris impreſſam. 237. cum ſequentibus latiſſime.
Legibus optimis gubernari Rempublicam, an fuerit melius, quam gubernari optimis Principibus. 239. cum ſeq.
Leges humanæ omnes, an à lege Dei æterna & naturali deriuentur, ſeu potius debeant deriuari. 241. cum ſequentibus.
Legum humanarum effectus quiſnam ſit, & quis ipſarum finis. 243.
Legis actus ſunt imperare, permittere, prohibere, atque punire. 244.
Legum conditiones & qualitates, ad hoc vt ſint iuſtæ, quales eſſe debeant. 245.
Leges ciuiles & ius humanum; an cõuenienter D. Iſidorus diuiſerit. 247.
Leges humanæ an in communi debeant ferri, ſiue conſtitui. 248.
Ad leges humanas, vtrum pertineat omnia vitia prohibere. 249.
Leges humanæ, an debeant præcipere omniũ virtutum actus. 250. cum ſeq.
Leges humanæ, an imponant neceſſitatem ſubditis in foro conſcientiæ. 251. cum ſeq.
Leges humanas ad culpam obligare, penes quid ſit dignoſcendum. 254. cum ſeq.
Leges humanæ, an obligent ad ſui obſeruantiam, cum diſpendio propriæ vitæ. 255. cum ſeq.
Leges humanæ in præſumptione fundatæ, an obligent in conſcientia, veritate in contrarium inſpecta. 257. cum ſeqq.
Leges pœnales, an obligent etiam ad culpam. 258. cum ſequentibus.
Legum pœnalium tranſgreſſores, an teneantur in foro conſcientiæ ſubire pœnam ante iudicis cõdemnationem. 260. cum ſeqq.
Leges humanæ an reſpiciant præterita, an vero ſolummodo futura. 262.
Leges humanæ, an neceſſarium ſit quod recipiantur, & non receptæ obligent. 263. cum ſeq.
Legibus an omnes in vniuerſum ſubijciantur homines, non ſolum ſubditi, verumetiam & Superiores. 264. cum ſeq.
Contra legum expreſſa verba, an liceat quandoque agere ſubditis, vtendo epicheia. 265. cum ſequentibus latiſſime.
Leges humanas mutari, an quandoque expediat. pag. 268.
In legibus humanis, diſpenſare an poſſint Principes & Rectores multitudinis. 269. cum ſeq.
Ad legum humanarum & ſacrorum Canonum perfectam intelligentiam, plures apponuntur Regulæ. à pag. 270. vſque 278.
Leges generales, generaliter ſunt intelligendæ, atque interpretandæ. 270.
Leges generales priores, interdum limitantur & modificantur per poſteriores ſpeciales, & è cõtra. ibidem.
In legibus ſemper correctio eſt vitanda: concordia autem quammaxime quærenda. 271.
Mens & ratio legis, eſt anima ipſius legis. 271.
In legum, Canonum, atque conſtitutionum Apoſtolicarum interpretatione, ad procemia & præfationes quammaxime oportet aduertere. 272.
In prædictarum legum, & maxime priuilegiorum interpretatione, aduertere etiam oportet ad verba quæ præcedunt & ponuntur in ſupplicatione. ibidem.
Legum ſiue Canonum verba, numquam debent eſſe otioſa, ſed ſemper aliquid operari. ibidẽ.
Legum duplex eſt mens & intentio, quædam comprehenſiua, alia vero extenſiua, & qualiter iuxta ipſas leges ſint interpretandæ, & declarandæ. 273. cum ſeq.
Leges pœnales, potius ſunt reſtringendæ, quam ampliandæ. ibidem.
Leges pœnales quænam ſint dicendæ, quæ vero fauorabiles. ibid. cum ſeq.
Lex noua inducens pœnam vnam, non cenſetur perinde tollere aliam, per priorem appoſitã. 275
Leges humanæ, vt plurimum non puniunt ſolam voluntatem & animum, ſine actu exteriori, niſi in certis quibuſdam caſibus. ibi. cum ſeq.
Leges & ſententiæ, ſed maxime excommunicationes, quando obligent ipſo facto. 276.
In legum interpretatione, non ſemper omnes iuris apices ſunt ſeruandi, ſed interdum ex bono & æquo ſunt interpretandæ. ibidem.
Quando duæ leges ſimul concurrunt, altera affirmatiua, altera vero negatiua, vtrum derogetur vni per aliam. 277.
Legibus duabus contrarijs & incompatibilibus cõcurrẽtibus, maior debet ſemper prævalere. ibi.
In legibus certiſſimum eſt, quod qui iure ſuo vtitur nemini facit iniuriam. ibidem.
Leges bene poſſunt permanere quoad vnam partem, & eſſe ſublatas, ac non obligare quoad aliam. 278.
Lex interpretans, declaranda eſt & intelligenda, iuxta terminos legis interpretandæ. ibi.
Leges non per hoc quod aliquid non prohibent, intelliguntur illud concedere. ibid.
Leges & conſtitutiones iniquas facientes, in quas pœnas incidant. 298.
Legitimatio quid ſit & quotuplex. 22.
De differentia quæ verſatur inter facultatem diſpenſandi cum illegitimis, & legitimationem factam in totum. ibidem.
Legitimatio Imperatoris ſiue Regis, non prodeſt quoad ſpiritualia & dignitates Eccleſiaſticas. 25

Legitimus ſit genitus ex concubina per ſubſequẽs matrimonium. 25.
Literæ Fraternitatis, an poſſint dari à Prælatis Regularibus, per quæ benefactoribus, ſuorum ſubditorum applicentur bona. 567. cum ſeq.
Literæ Fraternitatis, quidnam profint benefactoribus quibus applicantur. ibi. cum ſeq.
Per literas Fraternitatis, applicari an poſſint ſubditorum bona etiam quibus indigent, ſeu eiſdẽ nolentibus. 570.
Per Fraternitatis literas, an applicentur bona ſubditorum, non ſolum præterita, verumetiam futura. 571
Per Fraternitatis literas, benefactores, an æqualiter participent de bonis Religioſorum. 572.
Literæ Fraternitatis, quæ à Prælatis dantur, penes quid differant ab indulgentijs. ibidem.

O

OBlatio quid ſit, & vnde dicatur. 556.
Quidnam velint iura de oblationibus & decimis. 557.

P

PApa ſolus de iure communi diſpenſat cum illegitimis, vt ad dignitates & Prælaturas Eccleſiaſticas promoueantur. 19.
Papa iure optimo potuit reſtringere & limitare Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & Prælatorum Regularium iuriſdictionem. 59.
Papę ſoli de iure communi loquendo, reſeruati ſunt omnes caſus pertinentes ad fidem, & ad ſacramenta. ibid. cum ſeq. latiſſime.
Papæ ac Summo Pontifici, generaliter conuenit diſpenſare in omnibus, & maxime cum Religioſis. 330
Peccata parentum imputari non debet filijs, ſi ille poſt ipſorum natiuitatem commiſerunt. 7.
Pœnæ poſitæ contra deſcendentes ex hæreticis, quorum oſſa & corpora intra quartam generationem fuerint propter hæreſim concremata & igni tradita, an comprehendat etiam eos, qui nati fuerunt ante prædictum hæreſis commiſſum crimen. 6. & 7. cum ſeq.
Pœnæ ſupradictæ, an ſint infligendæ alicui ex prædictis, quando certum eſt & notorium deſcendere ex parentibus hæreticis intra quartum gradum: ignoratur autem & dubitatur, an fuerit ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen. 9. cum ſequentibus.
Prælati & Superiores an poſſint eligere in Prælatum, Religioſum cuius certo ſcitur tritauam, propter hæreſim fuiſſe concrematam & igni traditam, ignoratur autem an ſui parentes deſcenderint ab ipſa ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen. 10. cum ſeq.
Prælati & Superiores, eligentes in Prælatos aliquos ex maculato genere deſcendentes, & cõprehenſos in ſupradictis ſummorum Pontificũ conſtitutionibus, in quas pœnas incidant. 14.
Prælati Regulares olim priuilegia habebant quibus diſpenſare poterant cum ſibi ſubditis illegitimis, vt ad Prælationes & dignitates promouerentur. 19.
Prælatorum diſpenſatio cum ſibi ſubditis illegitimis, vt ad dignitates & Prælaturas promouean tur, fieri debet in Capitulo generali, aut Prouinciali, ſiue congregatione intermedia. 20. & 21.
Prælati & Superiores virtute priuilegiorum, an facultatem habeant legitimandi in totum Religioſos ſibi ſubditos: an vero ſolum diſpenſandi cum ipſis, vt ad Prælatias & dignitates promoueantur. 21. cum ſeq.
Prælatorum Regularium, ætas quanta eſſe debeat ad hoc vt eſſe poſſint Guardiani, Prouinciales, Generales, Diffinitores, Diſcreti, & Vocales, qui mittuntur ad Capitula generalia, ſiue Prouincialia. 32. & 33.
Prælati eſſe an poſſint & debeant in noſtro ſacro Minorum Ordine Fratres laici. 34.
Prælatus eſſe an poſſit Religioſus vnius Religionis in alia, abſque eo quod eandem profiteatur. pag. 35.
Prælatos Regulares, quantum oporteat pollere ſcientia, & literarum peritia. 36.
Prælatos eligentes ſine ſufficienti ſcientia & literarum peritia an mortaliter peccent. 37. cũ ſeq.
Prælatos Regulares, an expediat iuuenes eſſe, an vero ſenes. 39. cũ ſeq.
Prælatos Regulares, quantum oporteat eſſe ſtudioſos & virtuoſos, præditos ſpectatis moribus, & quammaxime Deum timentes. 42.
Prælatos Regulares, quantum oporteat iuſtitiam ſimul cum miſericordia & clementia temperatam habere. ibidem.
Prælatos Regulares, in ſuorum officiorum executione, & rebus arduis atque difficillimis, quantum oporteat, quammaximam fortitudinem habere. 43.
Prælati Regulares in executione ſui officij & muneris, quem ſibi debeant finem præcipuum conſtituere, & quæ ipſos quammaxime obſeruare oporteat. 44. cum ſeq. latiſſime
Prælati in puniendis delictis, qualiter ſe debeant habere. 46.
Prælati Regulares, quantum debeant à donis & muneribus recipiendis abſtinere. 47.
Prælati Regulares diſpenſare poſſunt cum ſibi ſubditis in omnibus caſibus, qui non ſunt Summo Pontifici ſpecialiter reſeruati. 80.
Prælati Religionum ſuſpendere poſſunt priuilegia ſuæ Religioni conceſſa, donec Summus Pontifex conſulatur. 72.
Prælati Regulares an eſſe debeant faciles, an vero difficiles ad diſpenſandum. 327. cum ſeq.
Prælati Regulares diſpenſare an poſſint cum ſibi ſubditis in legibus humanis, & ipſarum pœnis. 331. cum ſequentibus.
Prælati Regulares diſpenſare an poſſint, in votis ſuorum ſubditorum. 344. cum ſeq. latiſſime.
Prælati Regulares, an commutare poſſint ſuorum ſubditorum vota. 346.
Prælati Regulares ſuorum ſubditorum vota, an poſſint irritare. 347.
Prælati Regulares diſpenſare an poſsint, in votis volentium intrare ſuum Ordinem. 349
Prælati Regulares an poſsint diſpenſare, commutare, atque irritare ſuorum Nouitiorum vota. ibidem.

Prælatis proprijs Regularibus, an teneantur ſubditi de iure, neceſſario confiteri. 350.
Prælati Regulares, an habeant facultatem reſeruandi ſibi caſus. 364.
Prælati Regulares, an poſſint pro libito ſibi caſus reſeruare. 365.cum ſeq.
Prælati Regulares, an poſſint ſibi reſeruare actus intetiores, & qui ſola cogitatione ſeu voluntate conſumantur. ibid.
Prælati Regulares an omnia & ſola peccata mortalia poſſint ſibi reſeruare: an vero ſolummodo illa, quæ annexam habent ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, ſiue irregularitatis. 367.cum ſeqq.
Prælatus an teneatur audire omnia peccata eius, qui habet aliqua reſeruata, vt integre ſubditũ ab ipſis abſoluat. 374.cum ſeq.
Prælati Regulares an poſſint benedicere Eccleſiaſtica paramenta & ornamenta. 480.
Quinam Prælati Regulares poſſint benedicere corporalia. 481.
Prælati Regulares, an poſſint benedicere paramẽta & ornamenta Eccleſiaſtica & etiam corporalia, non ſolum pro ſe, verumetiam pro alijs. 482.
Quinam Prælati Regulares poſſint benedicere ſeu potius conſecrare calices, & patenas pro Miſſis celebrandis. 483.
Prælati Regulares an poſsint petere ab alieno Epiſcopo benedictionem, ſiue conſecrationem earum rerum, quæ ad diuinum cultum ſpectant, Diœcetani Epiſcopi licentia minime requiſita. ibidem.
Prælati Regulares, an teneantur aliquid ſoluere Epiſcopis pro benedictione Eccleſiarum ſiue altarium & aliorum ad diuinum cultum pertinentium. 484.
Prælati Regulares, an facultatem habeant interpretandi & declarandi ſuarum Religionum priuilegia. 721.
Prælati Regulares, an poſsint applicare ſuorum ſubditorum bona opera benefactoribus per literas Fraternitatis. 567.cum ſeq.
Prælati Regulares, quæ ſunt illa, quæ poſſunt benefactoribus applicare, per literas Fraternitatis. 568.cum ſeq.
Prælati Regulares, applicare an poſsint benefactoribus per literas Fraternitatis, ſuorum ſubditorum bona, etiam quibus indigent, aut ipſis nolẽtibus. 570.
Prælati Regulares, an poſsint benefactoribus applicare ſuorum ſubditorum bona opera non ſolum futura, verumetiam præterita. 571.
Quid proſit benefactoribus eiuſmodi bonorum applicatio. 572.
Prælatias diuerſas habere, an poſsit aliquis Religioſus, in vna & eadem Religione. 35.
Præſumptio mala tollitur per bonam triennij temporis conuerſationem ſecundum ius. 19.
Præſumptio ceſſat in foro Dei & conſcientiæ, quãdo eſt contraria veritati. ibid. & 24.
Principes & rectores multitudinis, an poſsint diſpẽſare in legibus humanis. 333.
Priuilegium quidnam ſit & quotuplex. 485. cum ſequentibus.
Priuilegia quinam poſsint concedere. 486.
Priuilegium, an neceſſario debeat dari in ſcriptis. pag. 487.
Priuilegij appellatione, an veniat etiam intelligẽda immemorialis poſſeſsio ſiue conſuetudo. 488
Priuilegium Apoſtolicum quando valere incipiat & an ad hoc vt valeat neceſſarium ſit quod publicetur. ibidem.
Priuilegia Minorum & Prædicatorum Fratrum, an ſemper fuerint à Summis Pontificibus confirmata. 489.cum ſeq.
Priuilegia Religionum Mendicantium, an etiam ſemper fuerint per Summos Pontifices confirmata. 492.
Priuilegia Regularium, quæ ſunt contra ſacros Canones, aut contra Concilium Tridentinum, an ſint per idem Concilium & Summum Pontificem abrogata & reuocata. 493.cum ſeq.
Priuilegia Regularium, an deperdantur per non vſum. 496.cum ſeq. latiſſ.
Priuilegijs alicuius Religionis confirmatis vel reuocatis, an cenſeantur etiam confirmata aut reuocata priuilegia Religioni alteri ad inſtar illius conceſſa. 498.
Priuilegij exemplar deductum ab originali, an valeat parte non citata. 499.cum ſeqq.
Priuilegia ſiue reſcripta Papæ, an expirẽt per mortem concedentis. 502.
Priuilegia quibus modis regulariter loquendo, fiant nulla & inualida. ibid.cum ſeq.
Priuilegia Regularium, an amittantur, & deperdãtur, non regulariter viuendo. 504.
Priuilegijs, an vti poſsint Religioſi & Regulares, ſine ſuorum Prælatorum licentia. 505.cũ ſeq.
Priuilegiorum explicatio & declaratio, ad quem de iure commun i pertineat. 507.
Priuilegiorum declaratio & interpretatio an etiã ad Prælatos pertineat. 508.
Priuilegia qualiter ſint interpretanda & declaranda. 509.cum ſeq.
Priuilegia an ſecundum conſuetudinem debeant interpretari & declarari. 511.
Priuilegiorum clauſula apponi conſueta, qua dicitur motu proprio & ex certa ſcientia, quid ſignificet. ibid.
Priuilegiorum clauſula, qua dicitur vt Iudices omni appellatione remota ad executionem procedant, quid ſignificet. 512.
Priuilegiorum clauſula, qua dicitur contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras compeſcendo, ad executionem procedant, qualiter ſit intelligenda. 513.
Priuilegiorũ clauſula, qua dicitur vt Iudices procedant inuocato auxilio brachij ſecularis, quid operetur. 514.
Priuilegiorum clauſula, qua dicitur ſupplentes defectum omnem, qualiter ſit intelligenda. 515.
Priuilegiorum clauſula, qua dicitur vt non cenſeantur reuocata niſi de eis expreſſa mentio fiat qualiter ſit intelligenda. ibid.
Priuilegia Regularium, an ſuſpenſa eſſe intelligãtur per ſuſpenſiones, quæ fiunt in Bullis Cruciatis. 516.
Priuilegiorum communicationem omnium aliarũ Religionum, an habeant Fratres Prædicatores, & Minores. 517

Priuilegiorum communicationem, an etiam habeant Moniales Ordinis Prædicatorum & Minorum. 519.
Priuilegiorum communicationem, an etiam habeant Fratres Auguſtinienſes. 520.
Priuilegiorum communicationem, an etiam habeant Fratres Carmelitani. 521.
Priuilegiorum communicatio, an ſe extendat ad priuilegia conceſſa & concedenda, non ſolum reſpectu Mendicantium, verumetiam & non Mendicantium. 522.
Priuilegia, quæ ſunt odioſa & pœnalia vnius Religionis, an alijs communicentur. 523.
Priuilegia ſpeciali loco conceſſa, an veniãt in cõmunicatione priuilegiorum intelligenda. ibid.
In priuilegiorum communicatione, an intelligatur tantum vſus: an vero ius vtendi. 524.
Priuilegijs an vti poſſint Regulares, contra illos per quorum communicationem eadem participant. 525.
Priuilegiatus contra pariter priuilegiatum, vti an poſſit priuilegio. 501.
Primitia quidnam ſit, & vnde dicatur. 556.
Quidnam velint iura de primitijs. 557.
Procurator Romanæ Curiæ in noſtro ſacro Ordine quinam dicatur, qualiter ſit eligendus, & quod eius munus & officium. 127.cũ ſeq.
Procuratoris Romanæ Curiæ authoritas & præeminentia quanta ſit, & quæ ſint illi prohibita ſiue conceſſa. 128.cum ſeq.
Procuratoris Romanæ Curiæ officium, quantum temporis duret. 129.
Prouincia quidnam ſit, & quid intelligendum veniat ſub hoc nomine. 143.
Prouincialis Miniſter quiſnam ſit, & qualiter ſit eligendus. ibid. & pag. 144
Prouincialis Miniſtri officium, quanto tempore duret. 146.
Prouincialis Miniſter poſt expletum ſuum officiũ, per quantum temporis debeat vacare. 147.
Prouincialis Miniſtri poteſtas, in ſibi ſubditos quãta ſit. 148.
Prouincialibus Miniſtris, quæ ſint interdicta atque prohibita, ex vi noſtrarum generalium Conſtitutionum. ibid. cum ſeq.
Prouincialis Miniſtri compendiaria inſtitutio, ab initio ſui officij vſque ad finem, habetur pag. 150. cum ſeq.
Prouincialis Miniſter, an teneatur non ſolum petere & requirere, verumetiam ſequi Diffinitorum conſilium, in rebus quæ in Diffinitorio proponuntur. 154.
Prouinciale Capitulum intermedium, ſeu congregatio habens vim Capituli, qualiter ſit celebrãda. 149. cum ſeq.
Prouincialia Capitula, qualiter ſint celebranda. 145. cum ſeq.
Prudentia quam ſit neceſſaria in Prælatis, atque Iudicibus. 45.

Q

Qui dicit aliquid probare illud tenetur. 10.

R

REgiminis ſeu gubernationis, quot ſint genera & quodnam ſit præſtantius inter ipſa. 53.
Religioſus cuius tritaua fuit cremata, quid facere debeat, quando ignorat, an ipſe ab ea deſcendat ante vel poſt hæreſis commiſſum crimen. 9. & 10
Religioſus, cuius certo ſcitur tritauam propter hęreſim fuiſſe combuſtam, non eligi debet in Prælatum, etiamſi ignoretur fuerit ne ante vel poſt hęreſis commiſſum crimen. 11
Religionis ingreſſus, an tollat illegitimitatem. 17. cum ſeq.
Religionis ingreſſus per profeſſionem, quamuis tollat illegitimitatem quoad Ordines, non vero quoad præfecturas & dignitates Eccleſiaſticas. 18.
Religionis ingreſſus eſt triplex. ibid.
Religioſus illegitimus, etiamſi ſit occultus, diſpẽſatione indiget, vt ad dignitates promoueatur. 2. cum ſequentibus.
Religioſus non poteſt habere ſimul plures Guardianatus ſiue Prioratus. 35.
Religioſus vnius Religionis, non poteſt præfici in Prælatum alterius Religionis, abſque eo quod ipſam profiteatur. ibid.
Religioſus in particulari, an impetrare poſſit ſiue procurare priuilegium, contra ſuæ Religionis ſtatuta. 322.
Religioſi an teneantur de iure ſuis proprijs Prælatis confiteri. 350. cũ ſeq.
Religioſi an teneantur ex præcepto ſub mortali, certis quibuſdam diebus confiteri. 351.
Religioſi ad adimplendum prædictum præceptũ de confitendo, ſeu in aliquo alio caſu, an teneãtur peccata venialia ſub mortali confiteri. 352. cum ſequentibus.
Religioſi obligari an poſſint ad confitenda peccata venialia & mortalia alias confeſſa. 353. cum ſequentibus.
Religioſi an debeãt ſemel aut bis in anno obligari ad faciendam generalem ſuorum peccatorũ confeſſionem. 355.
Religioſi itinerantes, an poſſint quibuſcumque cõfeſſarijs Regularibus, ſiue ſecularibus confiteri. 356. cum ſeq.
Religioſi an poſſint abſolui à Confeſſoribus per Prælatos deputatis, in aliquibus caſibus plenarie ab omnibus peccatis, excommunicationibus pœnis, atque cenſuris. 358. cum ſeq.
Religioſus abſolutus in articulo mortis plenarie virtute ſuorum priuilegiorum, ſi non decedat, an teneatur peccata reſeruata iterum ſuo Superiori confiteri. 360. cũ ſeq.
Religioſi in quibus diebus anni abſolui poſſunt, ab omnibus ſuis peccatis plenarie. 361.
Religioſi an vti & frui poſſint, abſolutionibus plenarijs prædictis, abſque licentia ſuorum ſuperiorum. ibidem.
Religioſi per ſua priuilegia, an poſſint abſolui ſeu potius diſpenſari in omnibus irregularitatibus. 362. cum ſequentibus.
Religioſi an vti poſſint prædictis priuilegijs, ſine ſuorum Prælatorum licentia. ibid.

S

SArraceni, quemadmodum & Iudæi, ab ipſisque deſcendentes intra quartum gradum, ſeu ex hæreticis, in ſacram noſtram Minorum Fratrum Religionem, non poſſunt aut debent admitti, ex priuilegio Pauli Quarti Clementis Septimi, aliorumque Summorum Pont. 2. cum ſeq.

Sarraceni, ſeu potius ab eiſdem deſcendentes, ſiue ex Iudæis aut hæreticis, intra quartam generationem, an ſint ipſo facto priuati ordinis officijs & inhabiles ad illa ante Iudicis condemnationem, an vero ſolummodo poſt ipſam. 13. cũ ſeq.

Sarraceni ſeu ex eiſdem deſcendentes intra quartum gradum, in noſtro ſacro Minorum Ordine, an eſſe poſſint Prædicatores. 16.

Scientia & literarum peritia, quam ſit neceſſaria Prælatis atque Iudicibus. 45.

Sententiæ diffinitiuæ latæ per eundem Iudicem, nihil poteſt addi vel mutari. 71.

Sententia lata contra ius dubium, non eſt ipſo iure nulla, ſed valida. 73.

Serui de iure ſunt irregulares, nec ſine ſuorum Dominorum licentia ordinari poſſunt. 83.

Statutum quidnam ſit, ac de multiplicibus ſtatutorum differentijs, & diuiſionibus. 228.

Statutum quid ſit, & à quibus fieri poſſint ſtatuta. pag. 314.

Statutum an valeat, factum ex ſola voluntate ſtatuentium. 315.

Statuta iniuſta, an obligent in foro interiori & exteriori. ibidem.

Statuta ſua ſeruare, an teneantur etiam Superiores & Prælati. 316

Statutum contra ius commune in Religionibus, an ſine ſpeciali licentia Papæ, fieri poſſit. 317.

Statuta particularia vnius Prouinciæ, an obligẽt hoſpites alterius Prouinciæ, pro tempore quo ibidem commorantur. 318.

Statutum fundatum in præſumptione, habens ſententiam excommunicationis annexam, an obliget in conſcientia, veritate in contrarium inſpecta. 319.

Statuta facta in aliquo generali Capitulo, auctoritate Papæ, an poſſint tolli & aboleri per aliud Capitulum Generale. 320.

Statuta facta in Capitulis Generalibus, ſiue Prouincialibus, an declarari poſſint per Generales & Prouinciales ſolummodo reſpectiue. 321.

Statuta Ordinis Minorum, an obligent ad culpam, an vero ſolummodo ad pœnam. ibid.

Contra ſtatuta ſuæ Religionis, an aliquis Religioſus in particulari poſsit impetrare & procurare priuilegium. 322.

Statuta aliqua confirmando ſummus Pontifex, an intendat reſeruare Religioſos abſtricta ſeu ſtrictiori ſuæ Regulæ obſeruantia. 323.

Superiores & Prælati, & Electores, eligentes in conſtitutione Pauli Quarti comprehenſos, an incidant ipſo facto in pœnas ineiuſmodi conſtitutione poſitas. 14. cum ſeq.

Superiores & Prælati, & Electores prædicti, qui indigeant probatione, ad excludendum ab electionibus in prædicta Pauli Quarti conſtitutione comprehenſos: 15.

Subditi obedire tenentur ſuis Superioribus, in cõſtitutione prædicta comprehenſis, quandiu ab Eccleſia tolerantur. ibidem.

Supplicare an liceat Papæ & ſummo Pontifici, vt ſuas leges ſiue conſtitutiones moderetur aut reuocet, & an per huiuſmodi ſupplicationem, interim ſuſpendantur ipſarum effectus. 286.

Suſpenſio literatum Apoſtolicarum, fieri an poſſit abſque iuſta & rationabili cauſa, per interpoſitam ſupplicationem. 287.

Suſpenſio quidnam ſit & quotuplex, 410. cũ ſeq.

Suſpenſionis effectus quinam ſint. 412. cũ ſeq.

Suſpenſionis cenſuram appœnere ſeu ſuſpendere, quinam poſsint. 415.

Suſpendi quinam poſſunt ve non poſſunt. 416. cum ſequentibus.

Suſpenſio an ferri non poſsit niſi propter culpam, & an neceſſario ea eſſe debeat mortalis. 418.

Suſpenſionis cenſura qualiter ſit ponenda, & quænam in ea ſint obſeruanda. ibid. cum ſeq.

Suſpenſio prout eſt pœna, in quo differat à ſuſpenſione, quæ eſt cenſura. 420.

Suſpenſio in quo differat ab excommunicatione minori, & quænam harum pœnarum ſit grauior. pag. 421.

Suſpenſio in quo differat ab excommunicatione maiori, & quænam ſit grauior. ibidem.

Suſpenſio in quo differat à depoſitione verbali, quæ via eſt ad degradationem. 422.

Suſpenſio, in quibus caſibus incurratur de iure. pag. 423. cum ſeq.

Suſpenſionis cenſuram violantes, ante quam abſoluantur ſeu ſuper ipſis diſpenſetur, in quas incidant pœnas. 424. cum ſeq. latiſsime.

Suſpenſionis pœna innodati, an poſsint facere aliqua quæ ſint valida. 427.

In quas pœnas incidant, participantes cum ſuſpenſis in diuinis. ibidem.

A ſuſpenſione prædicta, quinam poſsint abſoluere. ibid. cum ſeq. latiſsime.

Superiores & Prælati Religionum, an teneantur ſua ſtatuta ſeruare. 316.

V

VErbum qualificatum poſitum in literis Apoſtolicis, quod ſignificare poteſt qualitates diuerſas, ſemper intelligendum eſt de qualitate congruenti perſonæ impetranti. 23.

Verba ſemper intelligenda ſunt ſecundum conditionem perſonæ ad quã diſpoſitio dirigitur. ibi.

Vicarius Generalis Ordinis, quiſnam dicatur. 115.

Vicarius Generalis Ordinis, an ſit Ordinarius Prælatus, an vero ſubdelegatus. 116.

Vicarius Generalis Ordinis qualiter ſit eligendus, cum officium Generalis Miniſtri, qualibet ex cauſa vacare contigerit. ibidem.

Vicarij Conuentuum in noſtro ſacro Minorum Ordine, an ſint vere & proprie Prælati. 173. & 174.

Vicarij Conuentuum à quibus inſtituendi ſunt, & an Guardiani pro libito illos poſsint amouere. pag. 175.

Vicarij Monialium à quibus ſint inſtituendi. 176.

Vicarij Monialium, an dici poſsint aliqua ratione Præla

Prælati. ibidem.
Vicariorum Monialium, quiſnam ſit immediatus ſuperior. 177.
Vicarij Monialium, in quibus caſibus intrare poſſunt earundem clauſuram. ibidem.
Vitia carnis etiam vſque ad animam peruenire ſolent, ipſamque ad ſuum trahunt modum. 9.
Vota ſuorum ſubditorum, Prælati Regulares, diſpenſare an poſſint. 345.
Ad diſpenſandum in votis, quænam ſit iuſta & rationabilis cauſa. 346.
Vota ſuorum ſubditorum, an poſsint Prælati Regulares commutare. ibidem.
Vota ſuorum ſubditorum, an poſsint Prælati Regulares irritare, & quonam iure. 347. cum ſeq.
Vota volentium intrare Religionem, an poſſint Prælati Regulares diſpenſare. 349.
Vota volentium intrare Religionem, ſeu potius Nouitiorum, an poſsint Prælati Regulares commutare & irritare, ibid.

FINIS.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp.

Omnes ſunt Quaterniones, præter Q qui eſt duernio, & Pp quinquernio.

MINISTERIO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL PALENCIA

ris portiones tres quidem ſtabiles, & duas quæ creſceri, & deſcrecere poſſunt, confuſſa videtur. 2 8. 29. & deinceps.

Saluo meliori iudicio, explicat author, miſſæ fructus, & quo pacto, omnes quotquot in eccleſia exiſtunt, eos participent. 240 & deinceps.

Quisquis miſſam audit, quatuor modis eius fructum participat, vnde vtile admodum eſt miſſam ſingulis diebus audire, ſacriſque miſterijs, quam ſepe fieri poſsit, aſsiſtere. 241. 297.

Apprimè notandum eſt, quemlibet fidelem in gratia exiſtentem tam etſi abſens, & de ea non cogitans ſit, triplicem fructum ex opere operato, & de iuſtitia, ex quacunque miſſa participare qui vero in gratia non eſt, hunc fructum de congruo participat. 24. 29 *Item.* 242.

Qui in die natiuitatis Domini tria facit ſacra, tria quoquè ſtipendia accipere poterit, etiam ſi ea, congruam excedant ſuſtentationem. 251. 314.

Sacerdos qui miſſam ab vno requiſitus offert, ſi eam pro alijs quoque ſimul offerat non æquè prodeſt omnibus, ſed minor in ſingulis ſacrificijs effectus, perinde acceptam eleemoſynam reſtituere tenetur. 53. 318.

Quando vna, eademquè perſona, pro ſe plures miſſas fieri iubet vt paſim fit in teſtamentis, tenetur ſub mortali & reſtitutionis onere, omnes dicere ſacerdos, nec poteſt eum vna miſſa ſatisfacere. 253. 318.

Vna miſſa purgatorium ſpoliari nequit. 253. 318.

An qui duos, plures vè eleemoſynas, ſeu pythantias accepit ſatis faciat vnam dicendo Miſſam. 253. 319. & deinceps.

Eleemoſyna oblata ſacerdoti miſſam facturo, non quòd ſacrificij factum applicet, ei datur, (hoc enim eſſet ſymonia) ſed [illegible] in ſtipendium temporale, quo vitam ſuſtentet. 254. 319.

Qui nulla eleemoſyna accepta, miſſam dicere animo ſe obligandi promittit, ſub mortali eam dicere tenetur, ſecus ſi non ex animo, ſed vt aiunt, *por cumplimento* ſe eam dicturum dicat 258. 320.

An malè faciant, qui cum libere, aut etiam ſtipēdio accepto, duas verbi gratia miſſas promiſſerint vna ſatisfaciunt, vnum ſcilicet eius fructum vni, alterum alteri, applicando. 259, 329.

Riſu dignum eſt, quod communiter dici ſolet, de ſecunda, vel, tertia intentione miſſæ, ſeu de miſſa Caietana, tametſi ſm̃ aliorū opinionē (qui tamen impugnātur ille

Vitam pro deo ac Chriſto eius, eiuſq, fide ponere excellentiſsimum religionis opus eſt, idq, catholica fide eſt tenendum 300. 99. & deinceps *Item.* 328. 41.

Sit nè verum martyrium, vitam pro quauis virtute ponere? 362. 104. & deinceps.

Licitum ac laudabile eſt pro turpi dine quæ ex vitio naſcitur vitanda, vitam exponere. 561. 468. *Item.* 563. 470. & ſeq.

Verius videtur non licere temporale vitam voluntarie ponere, pro temporali vita proximi tuē da contra Sotum, â 328. 40. vſq, ad. 338. 60.

Vitæ aut membrorum, hemo Dominus non eſt. 329. 42. *Item.* 355. 90.

Vitam temporalem pro ſpirituali proximi ſalute ſeruanda, atque etiam pro ſalute reip. ponere licet. 330 46. *item.* 331. 46. *Item* 334. 53. *Item* 335. 56.

Cum ſpes ſubeſt euadendi, licitū eſt pro liberando proximo, immo, & pro temporalibus bonis ad vitam ſuſtentandam quærendis, vitam periculo exponere, non tamen certæ morti. 332. 49. *item.* 337. 59. *Item.* 527. 410 & 411.

Probabile eſt pro Rege qui reip. caput eſt, poſſe vitam poni. 335 55.

Pro patre poſſe vitam poni probabile reputatur. 336. 56. imo Vic. credit licere pro patre vitam ponere, ſed tantum eam cum euadendi ſpe, periculo obijcere. 336. 56.

Nullatenus licet vitam exponere, ſeu certæ ſe morti tradere, pro ijs temporalibus bonis, quæ ſtatui aut naturæ ſuperfluæ ſunt. 336. 57.

Vitam proximi tenetur quis defendere, ijs oblatis quæ naturæ ſuperfluunt, cæteris vero grauibus eius neceſsitatibus ex his quæ ſtatui ſuperfluunt ſubueniendum eſt. 530 115.

Proximi vitam tenemur ſi poſſumus pecunia etiam ad ſtatum neceſſaria redimere. 336, 57. *Item.* 528 411.

Pro rerum temporalium quæ ad vitam tuendam ſimpliciter neceſſariæ ſunt acquiſitione, ac defenſione, licebit ſe morti exponere 56. 57, & 58.

Nemo tenetur tamerſi poſsit cibis vti delicatioribns ad vitam prolongandam, ſatis erit communibus atq, naturaliter productis cibis vti. 150. 85.

Vitam notabiliter ieiunijs, vigilijs abſtinentijs, atq, decantatione pſalmorum diminuens, ſi id aduertat, nec deſiſtat, mortaliter peccat, niſi pietatis cauſa, aut inuinciuilis ſubſit ign orātia. 351 86.

is naturale dictat propriam vi
tam debere alienæ præferri, at
que innocentis vitam vitæ no
centis esse anteponendam. 486
329.

Quo iure vitam ac membra tueri licet, eodem, res ad vitam conseruandam necessarias defendere licebit 517. 387.

Iuxta legem charitatis, res familiaris exponéda est, p proximi vitá corporali tuenda, quando is eam defendere nequit. 529. 413 secus vero quando quasi dedita opera, ille ex malitia vitam periculi offert, 517. 388. *Item.* 528 411 quod si ex vehementi passione, aut ignorantia id faceret, fortasse lege charitatis liberandus es-

tiam pecunia obla
em. 529.
citum vitam expo
nere periculo, pro ea vitanda ig-
nominia, quæ ex vitio non nas-
citur, 561. 468 & deinceps.

Vide Homicidium.

Votum,

VOtum sub inhonesta emissum conditione, nullum, immo blasphemia est. 416. 200

Nullum est votum, cuius malum aliquod, vt fornicatio, obiectum fuerit. 416. 201,

Si promissio in bonum, quod ex malo sequitur, *immediate* feratur, validum planè votum erit. 416. 201.

Finis.

DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL BIBLIOTECA PUBLICA ESTATAL

251. *Item.* 213.

Missæ sacrificium, [illegible] opus bonum, tribus modis potest alicui applicari, nimirum generalissimè, specialissime, & speciali alia quadam ratione. 215. 257. *Item.* 256. 258.

Missæ fructus, ex opere operantis ministri, atquè etiam ecclesiæ, vel offerentium, ex participantium consortiò minuitur, non solum quoad satisfactionem de cõdigno, sed etiam quoad meritumde cõgruo. 220 *Item.* 221. 259.

Cum pro multis oramus, non minuimus, immo augemus impetrationem, eiusquè laudem & vim impetratiuam, tantum abest, vt ea ex multorum consortio minuatur. 210. & deinceps.

Cum missæ sacrificium promultis offertur, eius fructus, ex opere operato, tam meritorius quam satisfactorius, tantum valet ex condigno singulis, ac si vni tantú applicaretur. 225. 267 & seq.

Discrimen inter sacrificium quôd nos quotidie offerimus incruentum, & quôd Christus ipse semel in cruce obtulit, prout oblatio fuit. 226. 271. & sequét.

Ex Cai. ministri intentio sacrificium applicat
ctum illius c
273.

Cuius debeat esse illa deuotio ex qua virtus sacrificij missæ quantificatur. 235. 287.

In ecclesiæ sacrificio, non est pura recordatio & figura Christi, sed verus ipse Christus, verè realiter, & substantialiter offertur, eiusquè sacrificij cruenti, licet absquè sanguine, memoria recolitur. 233. 283. *Item.* 234.

Quo pacto verificetur quod quidá docent, scilicet virtutem sacrificij missæ ex opere operato minui, vel augeri, ex ministri aut ecclesiæ deuotione. 236. 289.

Nihil detrahi vni pro quo offertur missæ sacrificio ex alterius consortio, duntaxat est verum, quando vterquè cum aliqua deuotione adhoc sacrificium causaliter aliquomodo concurrit. 236. 290.

Cum sacerdos ab vno solo missam offerre rogatur, vnica tantum in ea est portio ex operato, sicut vnica tantum est deuotio, vnde si tũc missam promultis offerat non satisfacit siquidem ea valoris portio in multis diuisa, minor erit in singulis. 236. 290. *Item.* 237. 291.

Nauarr. opinio aiens, inquacunquè missa quinque reperiri valo

1.646 (I-II)